UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct. Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

urn:nbn:de:hbz:466:1-82999

Visual Library

M. 886a.

A VI
7.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



R. P. ADAMI

CONTZEN

E SOCIETATE IESV,
SS. THEOL. DOCT.

COMMENTARIA
IN QVATVOR SANCTA
IESV CHRISTI
EVANGELIA.

In Quibus

SENSVS VERVS LITERALIS ET MORALIS ITA EXPLICATVR, VT ex ipsis verbis, collatione aliorum locorum, Conciliis, Pontificum decretis, Patribus vetustis, Interpretibus recentioribus, lingua Hebræa, Græca, Syra, Philosophia, Historia, libris Sectariorum, (prout cuiusque loci textus postulat,) contra Gentiles, Iudæos, Hæreticos, veteres et nouos, veritas aperte vindicetur, ostendaturque à Scriptura Catholicâ fidem, non Hæreticorum opiniones confirmari.

Cum Indice rerum copioso.

Collegij Soc.tis Ann. Paderborn. Ann. 1642

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud
IOANNEM KINCKIVM
Sub Monocerote Anno M.DC.XXVI.

Permissu superiorum et Privilegio Sac. Cæs. Maiestatis.

ADAMI CONTZEN
IN
EVANGELIA
CVI
18

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. MAXIMILIANO,

COMITI PALATINO RHENI,

VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI,

S. R. I. ARCHIDAPIFERO, AC ELECTORI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

Salutem & Felicitatem precatur ADAMVS CONTZEN SOC. JESV.

CVr meos in quatuor ſancta Ieſu Chriſti Euangelia Cõmentarios Serenit. Veſtrę offeram, ac dedicẽ, & operi per multas cenſuras ituro à Veſtra beneuolentia, potentiaq; patrocinium fidenter expoſcam, non arbitror vel ab vllo cauſam quęri, vel à me reddendam eſſe. Vltro ſeſe repręſentat, ac ingerit. ſi enim alterius tutelæ ac gratiæ libros meos commẽdarem, ſi aliundè quam ab experti fauoris patrono, vindice potentiſsimo, præſidia conquirerẽ, tacitus me lector, & mirantes amici accuſarent. Quin & æquitas ipſa ſuo iure, officiumq;, quod mihi Serenitatis Veſtræ adeundæ, & qualecunq; munus offerendi fiduciam facit, eidem quoque ſuſcipiendi, tuendique decus arrogat.

Nec à propoſito me deterret, aut mea tenuitas, aut impar Veſtræ Serenitati dignitas Commentariorum; Par magnis Principibus nihil offerri poteſt, ſupra munera priuatorum fortunam dominantium Deus poſuit; adeò vt æquare velle donis principum faſtigia, ſit minuere maieſtatẽ, quibus impenſa obſequia, ſola accipientium beneuolentia æſtimantur, ac magnitudinem accipiunt.

Quanquam quod hoc in libro primarium est, Quatuor Sancta Domini nostri Iesu Christi Euangelia, vt magnum est, ita Serenitati V. etiam gratumque acceptumque fore mihi certissimum est. Meus exponendi, disputandiq; labor, quod secundarium est, affectu offerentis, defensione veritatis, consensu cum veterum doctrinâ, atque adeò conatu ipso, si non fauorem, certe veniam, tutelamque merebitur, quam vt facilius consequar, institutum meũ, ac scopum breuiter explicabo.

Cum annos complures in vetustissima ac florentissima Academia Moguntina Sacras literas profiterer, haberemq; vicinos hinc Caluinianos Heidelbergæ, illinc Zvinglianos Marpurgi Doctores, quorum pestilentiosos labores, præposterumq; studium in Dei verbo, quà audace stylo, quà noxiâ interpretatione deprauando cognoscerem; meas ipse prælectiones ad finem illum semper direxi, vt tot, tamq; operose sparsis hinc inde venenis, in tanta vicinitate, salutaria remedia opponerem, sensumq; ac sententiam Spiritus S. qui Sacræ Scripturæ vita, atq; anima est, contra nouitios errores, & impostura tuerer, atque ita inter duas acies malè concordes positus assiduè depugnarem.

Magna quidem est Commentariorũ in Euangelia Scriptorum multitudo; sed mihi nõ debet verti vitio, quod post multos scribo, quando & me sequẽtur alij: Deinde animaduerti, contra Salmeronẽ, Canisium, Gregorium de Valentia, Sanderum, Maldonatum, Stapletonum, alios passim ab illis quos dixi Professoribus multa cum ingẽti asperitate, calumnijsq; atrocissimis dictari, atq; ita vanis miseros auditores eorum seduci, noua indies inueniri, etiã Caluino & Zvinglio damnata: Constitui itaque in vniuersam Scripturam Commentarios edere, quibus ostenderẽ eam à nobis stare,

eius-

eiusq; vera sentẽtia orthodoxam Religionem probari ac defendi, hęreses damnari ac destrui, atq; ita singula exponere, vt cuiq; promptũ esset, quocunq; loco propositio, cernere, quo modo illũ aut veteres aut noui hæretici contra veritatẽ detorserint, aut orthodoxi Scriptores pro fidei Catholicæ assertione vsurparint, quoq; modo his armis vti oẽs possint. Qui labor ideo multiplex mihi fuit, quod recentiores hæretici genimina viperarum, nouas obiectiones, solutiones, noua effugia, nouas calumnias fabricantur, multa accuratius pertractant, in multis à suis Patriarchis dissentiunt: Quare & multa mihi pro Catholicorum defensione clarius elucidanda, & noua ex vero tamen, & antiquitati consentanea addenda fuêre. atq; ita euenit, quod l. 16. c. 2. de Ciuit. Dei monet Augustinus, vt omnia accuratius considerarẽ. Multa quippe, inquit ille, ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur; vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio.

Principio quidem conatus sum sensum historicum, quem literalem appellant, clarè ac perspicuè tradere; siue ad doctrinam fidei, siue ad mores imbuendos, pietatemq; animis instillandã idoneus sit. Ad eum verò asserendum tum meditatione, textus ipsius, tum collatione antecedentium & consequentium, atq; similium Scripturæ locorum, præcipuè vsus sum. Magna etiam cura Græcum, Hebræum, Syrum, & vbi opportunum fuit Chaldæum textum consului, semper enim aliquid lucis, & roboris ad nostra firmanda, aduersariorum debilitanda suppeditant. Quia verò cogitationes, & disputationes nostræ timidæ sunt falli faciles, Pontificum & Conciliorum, sacrorum, Patrumque vestigijs insistere propositum fuit, Theologis vero

Scholasticis etiam selectissimis vsus sum, rationum potius, quam sententiarum arbiter; neq; historiam, Philosophiam veram, & si quid ex literis sæcularibus sese obtulit, negligendum sum ratus, cum vndiq; veritati subsidia conquiri oporteat. Verum nulla res magis me fatigauit, quam inamœnus, & tædio plenus in hæreticorum, prolixissimis, fastuosissimis, insalsissimis Commentarijs peruoluendis labor: vicit tamen vtilitas; nam inter ipsos magna est discordia, ita vt plerique plerisque, & secum aliquando ipsi pugnẽt, nobis vero ex suis castris auxilia submittant. Nam falsa semper veris & falsis sæpe repugnant. Hæc præstare conatus, quid effecerim, alij iudicabunt, aut mitius, aut seuerius, certè non eodem modo. Mihi nihil inexspectatũ, aut molestum accidet, & cui multũ est, aliquibus prodesse, & alios excitare melius scripturos.

Hoc opus ad Serenitatem Vestrã defero, quin potius ipsa se Euangelia offerunt, & iuncti Euangelijs Commentarij, tanquam Principi summo iudicio prædito, quique ab adolescentia sacras literas legit, lectas moribus expressit, qui vt domi foriſque docerentur, magnis impensis, & sollicitudine effecit. Plurimum equidem Vest. Serenitati Euangelij doctrina, & veritas defensa debet, sacram profanamq; pacem, iura fœderum, concordiam, obediẽtiam potestatibus sublimioribus præstandam, obtemperandum magistratui omnibus locis, hominibusq; Christiana sinceritas, modestiaq; inculcat; sine illo namque imperandi, parendique ordine humana consistere Societas non potest, hanc cum homines inquieti euersum irent, consilio, monitu, precibus obstitit, & cum ista omnia Bellona perrumperet, & importuna ambitio ruinam imperio moliretur, animi magnitudine, vi & armis felicibus obtritæ sunt vires, repressique à Cæsarea Maiestate, Vestra Serenitate sæuientium in orthodoxos sunt conatus. Nec vsquam iustæ causæ vindici, proque Cæsare

contra

contra rebelles pugnanti omnipotentis dextera auxilia negauit. Celerrimo victoriæ cursu ad officium reducti Anasiani, peragrata Bohemia, ad montem Album ingenti victoria cæsus fugatusque hostis, Pragam cum regno viciniſq; ditionibus rebellibus extorsit. Palatinatu deinde Bauarico prædator excussus, acceptæ in deditionem vrbes ac populi, & inter tot lauros & triumphos, prosperosque successus sapientissime semper ad pacẽ, clemẽtia Vestra moderatioq; anhelauit. Verum dũ renouant arma victi, victricia mouerunt, nouisque victorijs occasionem dederunt, hinc cæsus ad Nicrũ copiosus exercitus, capta apparatu instructissima castra. Mox ad Mœnum cum nouo hoste prœlium initum, primo impetu obtriti, fluuioque hausti pœnas dederunt. Cum vero proscriptorum socij contra omnia monita, cladesq; contumaces, magno milite Westphaliam insedissent, Deum tantæ, tamque iniustæ peruicaciæ senserunt vltorem, strata cadaueribus arua, abacti pecorum ritu captiui. Nec victoriæ successus in hodiernum diem sistitur, dum fraude illecti paucorum improuidi populi, bellum in suos penates attrahunt, Serenitati Vestræ vincendi ansam dederunt. Taceo tot vrbes natura, operibus, præsidio munitas, celeriter expugnatas. Tanta hoc nostro septennio, in sanciendo iusto imperio, rebellioneque vlsciscenda, numinis prouidentia sese exhibuit, vt non facile vlla historiæ monumenta tam breui tempore, tot tantasque victorias, tam exiguo victoris exercitus detrimento nobis ex veteri æuo recenseant. Quæ omnia cum Imperatoris auspicio, Serenitatis Vestræ ductu, prudentia, fortitudine gesta sint, hoc loco mihi tacenda non fuerunt, vt luce meridiana clarius euadat, Deo curæ esse Ecclesiæ suæ pacem, & religionis integritatem, quam simul cum Imperio, abolitam ibant illi, qui more Ethnicorum in Magistratum coniurarunt. Quam ob causam, etsi nulla

me

me ratio priuata impelleret, nihilo tamen minus ad Serenitatem Vestram hoc volumen delaturus eram, conuenientissimum ratus, fortissimo Iustitiæ, Imperij, Religionis propugnatori, multis, magnisque victorijs inclyto, offerre librum, quo & actatam heroica, quam felicia probantur, & veritas, fidesque argumentis & scripturis defenditur. Calamus enim meus, & Vestræ Serenitatis gladius, etsi non eadem via, eundem tamen in scopum tendunt, vt pacem, concordiam, salutem Imperio, libertatem orthodoxæ Religioni contra perduelles concilient. Quod à Deo Optimo Maximo, iustæ causæ omnipotente patrono summis precibus exposco. Et Serenitati Vestræ prosperos bello ac pace successus, victoriam, incolumitatem, atque æternam felicitatem toto animo minimus clientum precor, voueoque.

Monachij anno salutis millesimo sexcentesimo vicesimo sexto. XI. Calendas Augusti.

QVÆSTIONES PROOEMIALES
Super
COMMENTARIA
IN QVATVOR SACRA D. N. IESV CHRISTI EVANGELIA.

MONITIVNCVLA.

PRincipio beneuolum lectorem monitum cupio, cum auctores vel Catholici, vel Hæretici sine addito libro, vel loco citantur, id factũ breuitatis causâ, & ne tamen ignoretur vnde eorum verba sumenda sint, intelligendum esse, in eorum commentarijs, quos in locum, qui exponitur, ediderunt, inueniri, atque adeò in illum ipsum textum.

QVAESTIO I.

Quid sit, & quotuplex testamentum.

§. 1. TESTAMENTVM apud Hebræos nomine communi solum dicitur; Nam ברית *Berith* in omnibus est fœderibus, & pactis conuentis vsitatum. Itaque frequenter διαθήκη, aliquando συνθήκην vertunt interpretes. Priore modo Septuaginta, altero Aquila, & Symmachus. Is qui nouum Testamentum Syriacè vertit, Septuaginta imitari maluit, retenta Græca dictione: vocatur enim apud eum דיתיקא *diathiki*. Nec enim vel Syri, vel Chaldæi proprium nomen habere videntur: quâ namque voce vti consueuerunt, ea est ad omnia pactorum genera extensa. Vocant קימא *Keiama*, à verbo קים quod est vouere, spondere & pacisci. Quanquã & à קם deriuari potest, quod in aphil habet אקים *akim*, ex quo & קימא φ est resurrectio. Eadem est verbi latini in significando latitudo. Monet enim Hieronymus, & Augustinus quæst. in Deut. & in Psalmum 62. *Testamentum in Scripturis non solum illud dici, quod non valet, nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum, & placitum testamentum, vocatum.* Et idem confirmat l. 16. de Ciuit. Dei. c. 27. *Multa*, inquit, *appellantur testamenta Dei, exceptis duobus illis magnis, vetere, & nouo.* Vbi sanè *primum testamentum* vocat: *Quacunque die ederis.*

In linguis sacris testamenti nomen commune est.

§. 2. Apud Latinos tamen ferè ad morientium dispositionem testamentum refertur: quod illustris sit in illo, atque adeo vltima mentis contestatio. Magna cura, cum ipso vitæ in fine constitimus, testamentum ordinamus, nunquam diligentius nostra curamus, nunquã iudicia nostra magis torquemus, nec quicquam sanctiore cura componimus, quam quod ad nos non pertinet. Hanc animi contestationem, nec spe, nec metu extrema ordinantem peculiari modo testamentum dicimus. *Est enim voluntatis iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri voluit.* Ita in Pandectis citatur Vlpiani definitio. Hoc pactum firmissimum, ac sanctissimum esse leges voluerunt. Morientium voluntas, & suprema vox sacrosancta esse debet; itaque lex Cornelia de falsis in eum, qui testamentum violauerit, seuerè vindicat. *Si liber est, in insulam deportatur; si seruus, vltimo supplicio plectitur.*

Latini fere pro morientium ordinatione vsurpant.

Rata sit voluntas, quæ aliud velle in posterum non valebit.

§. 3. Hoc presso vocis significatu, fœdus, quod cum humano genere æterna maiestas icit, testamentum vocatur. Est enim pactum gratuitæ misericordiæ, quo testator promisit, se post mortem suam, homines sui, hoc est, æternæ Hæreditatis participes esse facturum. Quod quanquam olim aliqui instrumentum dicere, & nunc quoque malint; ex vero tamen Ecclesia obtinuit, vt testamentum nominetur. Tertullianus l. 4. c. 1. contra Marcionem, Duos ait eum Deos diuisisse; alterum alterius instrumenti, vel (quod magis vsui est dicere) testamenti. Vetustissimæ igitur consuetudini obsistunt, qui instrumentum dicere malunt, quam testamentum, præposterè scioli, impudenter ignari; quos contra Leocastrius in c. 55. Isaiæ ostendit, tam Hebræum ברית *Berith*, quam Græcum διαθήκην recte testamentum vocari. Monet etiã de eadem re Pammelius in Tertullianum. Mihi sane ij, qui instrumenti nomen malunt ea de causa, quod propriam testamenti rationem in Dei fœdere non agnoscant, periculosè loqui videntur. Apostolus Hebr. 8. & 9. vere propriéque testamentum esse affirmat. Cum enim c. 8. v. 8. Ieremiæ verba ex. c. 31. 31. citauit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum,* &c. mox c. 9. 15. subiungit illa, ex quibus discimus vertendum fuisse, *testamentum*, non *fœdus aut pactum*; & *testamentum* prorsùs intelligendum. Verba illius sunt. *Et ideo noui Testamenti mediator est: vt morte intercedente, in Redemptionem earum preuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est: mors necesse est intercedat testatoris: testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est: vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.* Hinc verba Exod. 24. 8. quæ Sacerdos proferebat: *Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Dominus*; propriè Paulus interpretatur. Cum igitur Apostolica auctoritate constet, ad hoc fœdus, pactumque requiri mortem testatoris, temerarij hominis est, fugere nomen testamenti, aut alia versione obscurare Prophetias: prope enim est, vt rem neget, qui de verbo tam profane disputat. Quod verò nonnulli apud Regium nostrum (initio com-

Dei pro-pri. Testamentum est, non modo instrumentum.

Dei fœdus proprie est Testamentum quia morte testatoris est ratum.

tio comment. in Euang.) negant veteris Testamenti interpretem Hebræum ברית Berith, Testamentum nunquam vertere, nimium à vero alienum est. Psalm. 43.18. & 49.5. Zach. 9.11. Malach. 3.1. Danielis 11,32 atque alijs locis Testamentum vertit.

§.4. Si rem ipsam spectemus, nullum potiore iure Testamentum factum inueniemus Omnia enim adsunt, quæ in absolutissimo, firmissimoque Testamento, vel iudicis prudentia, vel cohæredum sollicitudo requirere posset: ita vt nulla calumniæ rima pateat. Est enim testatoris libertas, de suis ipse bonis disponit, testes adhibet & iuris solénitates, tabulas conficit, illa demũ omnia morte sua cõfirmat.

In Dei fœdere omnia sunt, quæ ad Testamentum requiruntur.

Testator est rerum omnium Dominus, vetus Deus, solus liberrimus, solus suus, solus αὐθέντης. Testandi iure excluduntur, qui vel nullam habent voluntatem, vel ab alio dependentem, vel lege constrictam, & impeditam. Nullam habere censentur, quos iudicium deficit, vt impuberes, amentes, prodigi. Ab alio dependet voluntas seruorum, cum id quod habent, quod sunt, Domini in arbitrio sit totum. Legibus multorum libertas impeditur, ne possit, quod natura concessum est; quocirca nec filiusfamilias, nec Monachus, nec reus iam addictus Testamenti factionem habet. Deus voluntate liberrima, optimaque præditus est; adeo vt nulla voluntas, nisi illi consentiens iusta sit. Nulli obnoxius est, qui dedit omnibus, vt sint, quæcunque sunt. Legem nemo illi posuit, qui ipse est Sanctissima lex, & æterna. De suis bonis Testamentum condit; cuius adeo sunt omnia bona, vt nihil bonum sit, nisi vel Deus sit, vel Dei. Quicquid enim alterius cuiusq; est, id in solidum, cum eo, cuius est, summo iure, & vsu, Dei est. Itaque alij de suis testari possunt, Deus de alienis non potest. Testes adhibuit Mosen, Aaronem, ipsos Angelos, deinde Pophetas, Apostolos, Euangelistas, Doctores. Nec in angulo, aut priuatim tabulæ illæ propositæ sunt, sed inter tonitrua, ignes, tubas, noua, magnaque miracula. Vnum deesse videbatur, vt testator moreretur; verùm in illo Testamento, si rem pensemus, ad confirmationem morte nihil opus fuit: hominum enim Testamentum sola morte ratum est; quia viuentium est mutabilis, atque vt leges loquuntur, ambulatoria voluntas fuit; quæ tũ solũ firma censetur, quando musandi volubilitatẽ mors abscidit. Diuinæ prouidentiæ decretum immobile est, quẽadmodum Deus ipse, in quo nec est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quamuis igitur satis cautũ erat nobis immutabili numinis decreto, infirmitatem tamen nostram admirabili benignitate erudijt, & sustentauit; inuenit enim quomodo immortalis moreretur, & Testamentum suum, *quod in mortuis tantum ratum est*, Heb. 9.16. etiam more humano testatoris morte firmaret, atque in sanguine vnigeniti dedicaret. Tantus in nos amor fuit, qui etiam ex eo elucet, quod in tantam hæreditatem adscitos nulla difficili conditione onerauit, mutuum duntaxat sui testatoris, & cohæredum amorem pactus. Porro Dei miserentis bonitas maior est, quam nos vel explicare, vel intelligere possumus; qui seruos libertate donatos in filios adoptauit. Magnæ virtutis testimonium veteres esse arbitrabantur, eos, qui ab intestato succedere non possent, morientis iudicio in hæreditatem vocari, & amicitiam agnationi præferri. Verum in nostra adoptione sine nostris operibus sola Dei caritas omnia fecit, nec enim in nobis diligendi causas inuenit, sed inimicos diligendo fecit amicos.

Mors ad confirmationem Testamenti Dei non necessaria fuit.

Dei bonitas inexplicabilis.

§.5. Testamentũ aliquando vnũ, aliquando duo dicuntur à Scriptura, & Patribus. Quæ inter se pugnãtia nõ sunt, cũ alio modo vnũ, alio duo nominentur. Testamẽtũ enim, vt solet in talibus fieri, πολύσημον est. Pro pacto, fœdere, pro signo fœderis, quod voce, vel scripto mentem testatoris continet; pro ipsa hæreditate, quæ ex pacto datur, accipi solet.

Testamentum vnum & duo.

Pactum ipsum & fœdus in vtroque Testamento quoad partem præcipuam vnum est, atque adeo eadem hæreditas. Nam vita æterna per Christum credentibus olim promittebatur, nunc exhibetur. Adiuncta, tum erat Palæstinæ promissio, vt figura, pignus, & arrhabo supercœlestis hæreditatis. Nouum fœdus ea illecebra, postquam apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri, non indiget, recta tendit in cœlum via.

Si pro libris vtriusque fœderis accipiamus Testamenti nomen, nemo dubitat, illos ita diuersos esse, vt tamen multis modis sint ijdem. Natura itaque, & Dei instituto idem manet, quod semper fuit, Testamentum; circumstantijs, & explicatione variatum fuit. Non enim sunt dicenda duo Testamenta, cum vnum est alterius repetitio. Ita vere docet Augustinus q. 49. super Deut. *Hæc verba Testamenti quod mandauit Dominus Moysi statuere filiis Israel in terra Moab, præter Testamentum quod iestatus est eis in Oreb, ostendunt vnde appellatus sit liber Deuteronomion, quasi secunda lex; vbi magis illius repetitio, quam aliquid aliud. Pauca enim sunt ibi, quæ non sunt in eo quod primum datum est: nec tamen appellantur hæc duo Testamenta, quamuis hæc verba ita sonare videantur. Vtrumque enim vnum est Testamentum, quod in Ecclesia dicitur vetus: nam si propter hæc verba duo Testamenta dicenda essent, iam non duo, sed plura essent, excepto nouo. Et in multis enim locis scriptura dicit Testamentum: sicut illud quando factum est ad Abrahã de circũcisione, vel illud superius ad Noë.*

Eadem Librorum veteris & noui Testamenti est Doctrina.

Vti igitur partes Testamenti veteris, non sunt plura Testamenta, cum aut aliquid repetitur, aut aliquid additur, quod rem ipsam & substantiam Testamenti non mutat; ita nec per nouum Testamentum abolita est vel pactio, vel hæreditas veteris. Quia tamen plurimæ circumstantiæ immutatæ sunt, hinc duo, & diuersa Testamenta dicuntur, vetus reprobatum, nouum meliusque successisse. Apostolus exemplo hæredis qui sub pædagogo, & eius qui iam suus est exposuit, *Gal.* 4.

Vnum Testamentum substantia, duo ex circumstantijs.

§.6. Nouum igitur Testamentum multo est perfectius, multoque vetere efficacius. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: *Reprobatio*, inquit Apostolus Heb. 7.18. *fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Non omnino quidem illud inutile, sed ad Iustitiam inefficax, viam demonstrans, non vehens. Conuenienter id actum ætati eius populi, cum nondum esset propalata Sanctorum via. Ita *l.* 80. *q.* 53.

Vetus Testamentũ nouo imperfectius.

Quisquis duorum Testamentorum dispensationes, pro temporum congruentia, generis humani diligenter etatibus distributas intuetur, satis quantum existimo intelligit, quid proprie priori etati generis humani, quid posteriori conueniat. Diuina enim prouidentia, pulchre omnia moderante, ita vniuersa generationum series ab Adam vsque ad finem seculi administratur, tanquam vnius hominis a pueritia vsque ad senectutem, temporis sui tractum etatis gradibus terminantis.

Vetus Testamentum etatis puerili conueniẽs.

Nec tamen inde conficies, non fuisse in veteri Testamento viros iustos, Deoque acceptos. Fuêre plurimi, sed priuilegio noui Testamenti; vt paulo post explicabo. Nã Testamentũ nouũ in vetere latebat absconditum, vt in fœce corporaliũ Sacramẽtorũ. Est enim Testamentũ nouũ in vetere velatũ,

Iustitia in vetere Testamento dabatur ex nouo.

vetus

vetus in nouo reuelatum, vt Augustinus l. 12. contra Faustum c. 1.

§. 7. Hac ex diuersitate alia etiam consequitur. Doctrinæ enim ratio in vtroque admodum diuersa cernitur. In lege Mosaica promissiones, minæque terrenarum rerum vmbris obuolutæ erant: neque enim nisi per ambages rudi populo cœlestium rerum magnitudinem, splendoremque insinuabant, & æterna exitia, temporariarum rerum damnis adumbrabant. Quid enim aliud Moses inculcat, quam legem seruantibus terram lacte & melle manantem, terram vini & olei, in qua diuite pace, & quieta abundantia perfruantur, donandam? Transgressores vero manere famem, pestem, gladium, aliasque populi victi calamitates, & detrimenta? At sane Colonias illas olim in cœlestia tempe transcribendas, etsi innuit, minus tamen, quam nouum, crebro, exerteque docet. Alia penitus ratione Saluator noster Deus, & Dei Filius Homo: ita namque ad cœlestia gaudia omnium animos excitat, vt terrenarum rerum commoda in censum nequaquam admisceat; Cœlestem enim beatitudinem non modo sine terrenæ opulentiæ, & prosperitatis spe, sed etiam cum inopiæ, cladium, mortis atque eorum quæ in natura tristissima sunt, denunciatione pollicetur. Nec alius tamen Deus, qui suos nunc commodorum largitione solatur, nunc tristium immissu exercet; sed admirabili prouidentia pro temporum, animorumque varietate, sua dona dispensat: vt optime disputat S. Augustinus Epist. 120. ad Honoratum. *Volens itaque Deus ostendere etiam terrenam temporalemque felicitatem suum donum esse, nec aliunde nisi ab ipso sperari oportere, prioribus seculi temporibus dispensandum iudicauit Testamentum vetus; quod pertineret ad hominem veterem, a quo ista vita necesse est, incipiat. Sed illæ felicitates Patrum, Dei beneficio concessæ prædicantur, quamuis ad istam vitam transitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur & tribuebantur. In occulto autem illis omnibus rebus nouum Testamentum figurate præsignificabatur; & capiebatur intelligentia paucorum, quos eadem gratia Prophetico munere dignos fecerat. Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum vetus, pertinebant vero ad Testamentum nouum. Nam & quando temporalem felicitatem agebant, æternam, veram, & præferendam, intelligebant, & istam ministrabant in mysterio, vt illam consequerentur in præmio. Et si quando patiebantur aduersa, ad hoc patiebantur, vt euidentissimo diuino adiutorio liberati, glorificarent Deum omnium bonorum largitorem, non solum sempiternorum, quæ piè sperabant, verum etiam temporalium, quæ Prophetice gubernabant.*

Æterna temporalium vmbris inuolutæ.

Per prospera Iudæos per aduersa Christianos ad salutem Deus vocat.

Sancti veteris Testamenti ad nouum pertinebant.

Atque hinc illud carnale; nostrum spiritale vocant, Vt idem Augustinus l. 18. de ciuit. c. 11. explicat.

§. 8. Quocirca recte intelligendum est, quod dicta à multis solet: Nobis æterna, Israelitis temporaria bona esse promissa. Seruetus enim & Anabaptistæ ita interpretati sunt, quasi temporalia duntaxat illis promissa forent. At grauissime errant, totumque vetus Testamentum euertere conantur. Quasi vero Deus amicis suis, & populo electo dederit, vt in opum & deliciarum sagina, tanquam pecora sisterent; & nõ potius vt per illa ad veri solidique boni cupiditatem accenderentur. Signantissima similitudine statum illum Apostolus Paulus explicauit, cum Iudæos filiosamilias, vero quidem hæredi; sed qui sub pædagogo sit, & nihil à seruorum differat, comparauit. Puerorum enim imbecilla ætas ad vtilia, & honesta discenda, non ipsa rerum maiestate, quas æstimare non potest, sed minusculis, imaginarijs honoribus, inanibus terriculamentis ducitur. Cum vero adoleuit, miratur se per crepundia ad res magnas insciũ peruenisse. Inter ista tamen sæpe Parentes illa quoque memorant, ad quæ ipsi Filios nescientes perduci cupiunt: nempe Doctoratus, Magistratus, honores, regna. Interim tamen plus virium ad excitandas illas mẽtes habent crustula, & placentæ. Pari indulgentia Israelitas diuina prouidentia habuit; nam cum plerique vera bona non satis caperent, humanorum indulgentiâ illos fouit, donec ad Spiritalium cognitionem adolescerent. Hunc multi statum agnouerunt. Deus sane Abrahamo quietem non tribuit, sed, *Ego*, inquit, *Merces tua magna nimis*. Gen. 17. 7. Quin & forma fœderis plus quam terrena bona continet. Leuit. 26. 12. *Ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum.* Et Iob 19. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Hinc Deus dicitur Abraham, Isaac, & Iacob, quod in eius amicitia persisterent, aliquando resurrecturi. Viguisse hanc inter eos doctrinam constat ex Matth. 22. 23. Marci 12. Demonstrat hoc ipsum Paulus Heb. 11. 9. 10. *Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor* DEVS.

Israelitæ Iudæorum instar per crepundia ad virtutem ducti.

Merces Israelitarum æterna.

Et v. 13. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.*

Et v. 32. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis.*

Verum hoc ad veteris Testamenti prolegomena pertinet. Nunc id solum moneo, statum illum nostro collatum minus claram, frequentemque habuisse futurorum bonorum cognitionem. Multos viros Sanctos, fortesque magno animo, sine his adminiculis, vel impedimentis bonorum ad æterna euolasse, exempla demonstrant: verum statũ veterem nouo, non singulos singulis conferimus.

Æternæ vitæ rariora & obscuriora in veteri Testamento memoria.

§. 9. Quanquam igitur Sanctissimi viri in vetere Testamento plerosque noui Testamenti alumnos superarint; maior est tamen noui dignitas: nam nostri Sanctissimi, vt B. Virgo, Baptista, veteres Sanctissimos longo interuallo præcesserunt, & plebs Christiana longe melior fuit populo Israelitarum. Nemo rem facilius æstimauerit, quam qui Ecclesiam illam in deserto inter tot miracula decies murmurantem, intra menses quindecim, deinde quadraginta annos Deo suo resistentem, exasperantem, denique Iudicum & Regum temporibus identidem ad Deos alienos auersam, cum nostra Ecclesia, quæ in Actis Apostolorum, & æuo Martyrum descripta est, contulerit. In veteri illa plurima erant, quæque singuli sentirent miracula; quotidiana Mannæ pluuia, ea sexto die duplex, Sabbato non alio die seruabatur. vestium atque adeo calceorum sine attritione integritas, eorum cum Adolescentibus incrementum. Mannæ varius sapor, nubis per diem, & ignis per noctem ducatus. Hæc ordinaria erant beneficia; præter magna, & multa extraordinaria, vt transitus maris rubri, aquæ edulcoratio, eius è petra eductio, ignium, anguium, hiatuum pœnæ, alia plurima: inter quæ hoc mihi admirabile videtur, gentem illã duræ ceruicis, & incircũcisi cordis, nec beneficijs, nec

Nouum Testamentum veteri dignum.

Vita Israelitarũ & Christianorum.

supplicijs prohibitam, quo minus in Deum insurgeret. Hisce si ex aduerso colloces ea, quæ in Ecclesia Christiana elucebant, dona sanitatũ, Prophetiæ, linguarum, virtutes & omnis generis miracula, mutuam caritatem, ad Apostolorum pedes deposita patrimonia, rapinam bonorum cum gaudio toleratam; flagella, exilia, carceres, equuleos, vngulas, faces, cruces, rogos, omnia quæ atrocissima sunt, pro Dei gloria à Christianis susceptа, ne idolis immolarent: plane intelliges in nouo Testamento gratiam toto flumine effusam, in veteri tenui riuo fluxisse. Cum enim in veteri Testamento, non nisi noui respectu Spiritus Gratiæ donaretur, consentaneum erat eius fluuium esse in nouo pleniorem. Augustinus sane l. 3. contra duas Epist. Pelagij c. 4. *Veteres* ait *fuisse portatores veteris Testamenti, hæredes noui.*

Abundantior in nouo gratia.

Itaque errabant olim Pelagiani, qui Spiritum Sanctum in veteri Testamento negabant, virtutis largitorẽ. De illis Augustinus loco citato. *Tempore igitur veteris Testamenti, Spiritum Sanctum in eis, qui etiam tunc secundum Isaac promissionis filii erant, non solum adiutorem (quod isti suo dogmati sufficere existimant,) verum etiam largitorem dicimus esse virtutis, quod isti negant, libero eam arbitrio tribuentes.* An vero illum ad Testamentum nouum negabimus pertinere qui dicit: *Cor mundum crea in me Deus?*

Pelagiani negabant Spiritum Sanctum in veteri Testamento virtutis largitorem.

§. 10. Nouum Testamentum filiorum est, & amoris, vetus seruorum & timoris, ita Rom. 8. 16. Galat. 4 24. *Hæc enim sunt duo Testamenta, vnum quidem a monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar,* &c. illa autem quæ sursum est Ierusalem libera est. Ita Augustinus contra Adimantium c. 16. *Repudiemus itaque temporum obseruationem cum Apostolo, & temporalium signorum intelligentiam teneamus cum Apostolo, duorum Testamentorum differentiam sic probamus vt in illo sint onera seruorum, in isto Gloria liberorum. In illo cognoscatur præfiguratio possessionis nostræ, in isto teneatur ipsa possessio.* Eadem libro 4. habet S. Irenæus. Vide c. 21. 22. 24.

Nouum filiorum, vetus seruorum.

Hinc in veteris Testamenti promulgatione, mons ardens, fulgura, tonitrua, fulmina, tubæ pauorem excitabant, Moses ipse tremebat, populus orabat, ne sibi Dominus loqueretur, ne moreretur. Nouum sine terrore datum est, ad cunas infantis, & reges & pastores accesserunt. Augustinus q. 166. super Exodum. *Certe ergo repetitio legis nouum Testamentum significat: illud autem vetus significabat, vnde confractum & abolitum est; maxime quoniam cum secundo lex datur, nullo terrore dabatur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium, & tubarum, vnde tremefactus populus dixit, Non loquatur Deus ad nos, ne moriamur: vnde significatur timor esse in veteri Testamento, in nouo dilectio.*

Cum terrore vetus est datum.

Tantus porro metus erat, vt etiam illi qui vera caritate pollebant, propius accedere non auderent.

§ 11. Vetus Testamentum in tabulis excisum, in voluminibus scriptum atramento, nouum in cordibus amantium. Ierem. 31. 31. id indicatum, & 2. Cor. 3. 3. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quia non atramento, sed digito Dei. *Quid sunt,* inquit Augustinus de Spiritu & littera, Cap. 21. *ergo leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ plenitudo legis est, & finis.*

Vetus in lapidibus, nouum in corde scriptum est.

Verum nonne lex scripta erat in corde eius, qui vir erat secundum cor Dei? Nullum sane cor est secundum cor Dei, nisi in quo Spiritum suum Deus posuit, vt non secundum carnem cogitet, sed ea quæ sunt Dei. Ita omnino scripta est etiã illa lex caritatis in cordibus Patriarcharum & Prophetarum, sed tamen illa inscriptio spiritalis, de nouitate spiritus, non de vetustate literæ, ex nouo Testamento fuit; per Christum, propter Christum, & in Christo. Consulatur Augustinus de Spiritu & litera c. 26.

§. 12. Maximum ergo atque eminentissimum noui Testamenti Priuilegium est: quod mortuo testatore hæreditas dari cœperit, promissa exolui, hæres in libertatem plenam asseri. In veteri ait Spiritus Sanctus, *nondum πεφανερῶσθαι manifestatam Sanctorum viam,* Heb. 9, 8 at postquam Christus Pontifex noster *introiuit semel in Sancta Sanctorum, æterna Redemptione inuenta,* Heb. 9. 12. nobis eandem initiauit viam. Hinc veteris mediator erat Angelus, noui Christus Dominus, tanto melior Angelis, quanto est filius præstantior ministris. Dicitur, ille quidem *Minister circumcisionis, sed propter promissiones patrum*; per eam enim ad fruendas promissiones patribus factas rudem populum deduxit. Hinc Testamentum nouum omnino est immutabile, neque alia sacrificia, aut Sacramenta nostris vnquam succedent, cum sit Testamentum æternum, cui nemo quicquam superordinat, ita Hier. Epist. 10. ad Augustinum. *Pro legis Gratia quæ præterit, gratiam Euangelii accepimus permanentem; & pro vmbris & imaginibus veteris Testamenti veritas per Iesum Christum facta est.* Abrogauit veteris Testamenti cærimonias, & sacrificia ante mortem testator, & nouorum æternitatem morte sanxit. Cur illa mutarit, causa soli Deo cognita est, nos conijcere possumus, Scire nequaquam possumus. Augustinus Epist. 5. ad Marcellinum rem proxime attigisse videtur. *Hic iam,* inquit, *satis constitit, quod rectè alio tempore constitutum, idem rectè alio tempore posse mutari, mutantis opere, non dispositione mutata, quam dispositionem intelligibilis ratio continet, vbi sine tempore simul sunt quæ in temporibus simul fieri non possunt, quia tempora non simul currunt. Quispiam fortasis expectet causas à nobis ipsius mutationis accipere, quod ipse nosti quam prolixi sit negotii. Veruntamen breuiter dici potest, quod homini acuto fortasse sufficerit, alius Sacramentis prænunciari Christum cum venturus esset, alius cùm venisset annunciari oportuisse, sicut modò nos idipsum loquentes, diuersitas rerum compulit etiam verba mutare. Siquidem aliud est prænunciari, aliud annunciari, aliud cum venturus esset, aliud cum venisset.* Id sane etiam inter homines fieri solet alia sunt, sunt & Instrumenta quibus munera promittunt, contractusque ineunt, alia vero, quibus aut æs alienum dissoluunt, aut in possessionem mittunt.

Nouum Testamentum morte testatoris est ratum.

Mortuo testatore nulla fit superordinatio.

Alia signa Regis venturi, alia præsentis sunt.

Alia ergo sacrificia, Sacramentaque requiruntur; In veteri fundebatur sanguis vitulorum, & hircorum; nouum obsignatur sanguine agni immaculati: hinc in nouo delentur peccata, Iustitia datur, per sanguinem Testamenti, qui nouo est proprius, quo ipsum dedicatur. In veteri cum sanguis animalium non posset emundare à peccatis, omnis remissio facta est, per noui Testamenti sanguinem olim fundendum.

Vetus habebat animalium sanguinem; nouum vero Redemptoris.

§. 13. Tanto quidem melius nouum est Testamentum; nec vetus tamen malum, aut non à bono Deo, vt Manichæi alijq;, & Patrum æuo Seruetiani ac Libertini blasphemarunt. Manichæi vetus Testamentũ, testes, testatorẽ repudiarunt. Quos contra August. de Ge. ad lit. l. 8 c 2. de moribus Ec. c. 1, & 9. de

Vetus Testamentum bonum est.

de moribus Manichæorum c. 15. & disputationibus quæ sunt contra Faustum Manichæum. Nos cum S. Irenæo l. 4. c. 21. *Vnius & eiusdem substantiæ omnia esse dicimus, hoc est, ab vno, & eodem Deo. Quem lex præconauerat Deum, hunc spiritus ostendit patrem,* Vt idem ille lib. 5. c. 22. exacte probat. Grauius fuisse, difficiliusque vetus, quam nouum, duas ob causas, præter eas quæ dictæ sunt, constat. Prima est ex Cærimoniarum multitudine, ac varietate; iugum graue, quod neque nos, neque patres ferre potuerunt, Petrus appellat, Act. 15. Altera est, pœnarum in transgressores iusta illa quidē sed ἀπότομος, præcisa, & rigida seueritas. Plurimæ cærimoniarum mortis pœna sanciuntur. Nouum testamentum pauciſſimos ritus continet, nec rigidam adeo obseruationem exigit. Causam adfert Epistola 54. ad Macedonium Augustinus *Nec ob aliud quantum sapio, in veteri testamento, antiquorum temporibus Prophetarum seuerior legis vindicta feriebat, nisi vt ostenderetur rectè iniquis pœnas constitutas: vt quod eis parcere noui testamenti indulgentia commouemur, aut remedium sit salutis, quo peccatis parcatur & nostris: aut commendatio mansuetudinis, vt per eos qui parcunt, veritas prædicata, non tantum timeatur, verum etiam diligatur.* Vetus igitur testamentum clementiæ, & iustitiæ ostensionem præferebat; nouum eadem continet; sed in illo plus iustitiæ, in hoc plus clementiæ Deus exhibet. Hac igitur de causa etiam præstantior est noui testamenti quam veteris conditio. Vide Iren. l. 4. c. 22.

A Deo bono est.

Cærimonia, & pœna graue erat veteri testamentū.

QVÆSTIO II.

Quid Euangelium?

§. 1. EX Hebræa voce בשר verbum in Piel בשר deducitur, quod est εὐαγγελίζεσθαι fausta nũciare. Vno duntaxat loco pro tristi nuncio accipitur, 1. Reg. 4. 17. vbi fugiens è prœlio, nunciansque victos Israelitas, Phinees & Ophni occisos, arcam captam, vocatur מבשר Mebaser. Quod excusant nonnulli, vt dicant fausta & illum nunciasse, nempe necem impiorum sacerdotum, qui omnium malorum causa erant. Mihi potius dici videntur ista ex communi consuetudine agendi, & loquendi; vt cum ex prœlio nuncius redit, omnium animis suspensis, boni ominis causa, atque ex spe omnium vocetur מבשר Mebaser, hoc est; *latus nuncius*, quamuis interdum tristia adferat. Solent enim in talibus homines tristibus, ac male ominatis verbis abstinere. Non itaque audiendi sunt, qui בשר commune verbum arbitrantur, contrarium omnino docent sacræ literæ. 2. Re. 18. 19. cum diceret Achimaas ארוצה נא ואבשרה *Curram nunc, & læta nunciabo*, Respondit Ioab. לא תבשר *non læta nunciabis*, quia filius regis mortuus est. & n. 25. ait Rex. *Si solus est,* בשרה בפיו *bonus nũcius in ore eius.* & 26. גם זה מבשר *Etiam ille bonus nuncius.* Additur quidem 3. Reg. 1. 42. nõmen, sed ad energiam explicandum; vt cum dicit Adonias, טוב תבשר *bonum nunciabis*, quemadmodum apud Isaiam dicitur: *Euangelizantium bona.* Vtuntur eodem modo Syri verbo בשר & בסר quãuis in Euangelica historia Græcum verbum vsurpent ארבגליון εὐαγγέλιον dicentes: quod indicium est, ex Græco in Syriacum sermonem Euangelia versa esse, aut sane vsitatius Græcum verbum fuisse. Hæc de verbo Hebræo, quod loco Regum citato Ioab v. 22. de bono nuncio tantum accipit; cum enim dixisset Chusæo: הגד *nuncia*; vetat tamen ire Achimaam; quia בשרה אין *non bonum nuncium.* Filius enim regis occisus erat.

Euangelii latitia.

Hebræa dictio tantum bonum nuncium indicat.

§. 2. Euangelium vero pluribus modis dicitur. Est enim res ipsa læta quæ nunciatur. Deinde, doctrina sacra qua nunciatur, siue ipsa prædicatio. Tertio hæc ipsa historia à quatuor Euangelistis descripta, quæ inter se connexa sunt. Denique præmium quod læta nuncianti datur, vel homini, munus: vel Deo, sacrificium. Tam apud externos scriptores, quam sacros, Euangelium est res læta nunciata, aut rei lætæ nunciatio; ita vt illa non separentur. Cicero lib. 2. Ep. 3. ad Atticum: *Primum vt opinor Euangelia, Valerius absolutus est*; Vbi rem & nunciationem simul complectitur. Eodem modo Aristophan. in Equitib. ἄγε δὴ λόγους φέρων.

εὐαγγελίζεσ᾽ πρῶτον ὑμῖν βούλομαι.

Sermones faustos adferens, Euangelizare primum vobis volo. Eodē modo in libris sacris בשר & exponitur, cum locis citatis, tum 4. Re. 7. 9. Naum 1. 15. Isa. 60. 6. & 61. 1. 1. Par. 10. 9. Psalm. 39. 12. In nouo testamento illa Euangelio tribuuntur, quæ necessario doctrinam ipsam cũ sua materia, siue vt vocant, subiecto accipiendam declarant, sic Rom. 1. 7. Dicitur *virtus*, δύναμις *ad salutem omni credenti.* 2. Cor. 3. 8. *Ministratio spiritus*, Ephes. 6. 17. *gladius spiritus.* Philip. 2. 16. *verbum vitæ.* Potentia igitur Dei est, quia gratiam, iustificationem, salutem continet, atque adeo Christum ipsum. Præstat illa Christus vt Redemptor, & primus auctor. Gratia vt causa formalis. Gloria vt finis, prædicatio vt instrumentum; omnia diuerso gradu, effectuque. Nec alio modo Matth. 24. 14. & 26. 12 Marc. 1. 15. & 8. 35 pro sola prædicatione vix ponitur. Nam illa loca quæ pro hoc significatu adferuntur; doctrinam remque ipsam fere coniungunt, vt cum Rom. 1. 1. Paulus ait, *Se in Euangelium segregatum*, non solum prædicationem, sed gubernationem, aliaque complectitur, quæ ex Domini præcepto egit. Sic Rom. 16. 25. 1. Cor. 4. 15. 2 Cor. 8. 18. Act 15 7. non sunt de sola prædicatione accipienda. Ob hanc causam peculiariter dicitur Matth. 13. 4. *bonum semen.* Marc. 1. 4. *Euangelium regni* Act. 13. 17. *Euangelium salutis*. 2. Co 5. 20. *verbũ reconciliationis. Mat.* 9. 17. *Vinũ nouũ.* Hisce enim verbis aliud aliquid maius Euangelio tribuitur, quã vt sola prædicatione intellectum operetur. Id enim omnibus verbis commune est; sed est prædicatio, doctrinaq; cum gratia adiuuante & præueniente, ideo virtus Dei est.

Euangelium rei læta, nunciatio, historia, præmium.

Euangelium est res læta cum sua annunciatione.

Pro historia Euangelica accipitur Marc. 1. 1. Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei, ac deinde in omnibus Euangelistarum titulis, quemadmodum quoque nouum testamentum vocari diximus, quãuis id latius pateat. Denique Euangelium est præmium, quod læta nuncianti datur. Quod duplex est; si enim homo est, facile rebus verba læta pensantur si Deus, sacrificium offertur. Dauid 2. Reg. 4. 10. ait eum qui nunciarat de morte Saulis fuisse in oculis suis במבשר Kimbaser: ideoque oportuisse potius dari בשרה Euangelium. Sic vsurparunt & Latini Cicero. l. 2. Epist. 12. ad Atticum. Sic Odyss. ξ.

Euangelium est præmium læti nuncii.

ὦ γέρον ἦ τ᾽ ἀρ᾽ ἐμῷ εὐαγγέλιον ἔσεο τίσω.

O Senex non hoc Euangelium ego tibi dabo. Plutarchus in Agesilao, ἀλλὰ καὶ τὸν μαντινείᾳ μάχης ἡμερῶσαι, λῶ Θουκυδίδης γέγραφε τῷ πρώτῳ φράσαντι τὴν νίκην, οἱ ἄρχοντες ἐκ Φλειοῦντος κρέας ἔπεμψαν εὐαγγέλιον, ἄλλο δ᾽ οὐδέν *Sed & illi, qui pugnæ in Mantinea habitæ, quam Thucydides refert, primus victoriam narrauit, principes ex Phliuntis carnẽ miserunt, pro Euangelio*, aliud vero nihil. Athenienses nunciata Philippi Macedonis morte, εὐθὺς ἔθυον εὐαγγέλια,

καὶ στεφανῦν ἐψηφίσαντο παυσανίαν, ait Plutarchus in vita Demosthenis, continuò sacrificarunt, & coronandum esse Pausaniam edicto declararunt.

§. 3. Euangelij nostri, de quo nobis sermo est, definitiones variæ adferuntur. Origenes in Præfat. ad Euangelium S. Ioan. hunc in modum definit. *Est igitur Euangelium oratio, quæ bonam & conuenientem rationi rerum annuntiationem continet, quæ lætum reddunt auditorem propter vtilitatem, simulatque ab ipso admissa fuerint, quæ nuntiantur. Nec verò minus talis oratio est Euangelium, quamuis ex habitu audientis perpendatur, Vel, Euangelium oratio est contineus boni præsentiam cuicunque credenti. Vel, oratio affirmans adesse bonum, quod expectatur. Omnes autem, quas prædiximus, definitiones iis conueniunt, quæ inscribuntur Euangelia. Vnumquodque enim Euangelium continens res nunciatas vtiles credenti, ei qui a se illud non reiecerit, cum pro suo iure afferat vtilitatem, iure optimo etiam lætitiam affert, dicens salutarem aduentum ad homines, & propter homines primogeniti omnis creaturæ, nempe Iesu Christi. Quin etiam, quin Euangelium vnumquodque sit oratio, docens boni Patris in Filio aduentum, aduolentes eum excipere, credenti cuilibet perspicuum est.*

Definitiones Euangelii.

Mihi omnes illæ definitiones breuissimè comprehendi posse videntur, si dicamus, Euangelium esse nuncium salutis æternæ, credentibus dandæ, per Redemptoris meritum exhibitum.

Caluiniani hunc in modum describunt. *Nouum testamentum, seu Euangelium est proprie doctrina Spiritalis gratiæ & salutis, tandem ab ipso Filio Dei, è sinu Patris plenè reuelata, & Apostolorum prædicatione, absque conditione legalis obedientiæ, aut comminatione maledictionis; absque demq; legalibus vmbris, inuolucris; & oneribus omnibus gētibus annūciata, Sanguine, ac morte mediatoris, ac testatoris firmata: nouis item tabulis cōsignata; promittens aperte gratuitam Iustitiam, & vitam æternam, per & propter mortem testatoris Christi, omnibus in eum credentibus, & pœnitentiam agentibus.*

Caluiniana definitio.

Quæ definitio est ex communi illorum errore; quo putant, nouâ in lege non esse conditionem operum adiunctam, qua de re suis locis disputabo. Fundamentum enim illius ex Galat. 3. 9. & n. 11. & 12. item Rom. 4. 14. sed infirmū construunt. Verum Paulus Rom. 3. 31. legē se statuere, nō destruere cōfirmat. Christus etiā pene singulis concionibus operum conditionem efflagitat. Hoc ergo est ius, hic codex Christianorū; de cuius laude, quia par dici nihil potest, tacendum puto. Hoc summam in Ecclesia continet auctoritatem. In sacris Concilijs summi loci honor Euangelio deferebatur. Ita in actis Concilij Ephesini scribitur; ita in Constantinopolitano, quod sextum generale fuit, actum est. action. 1. προκειμένων ἐν μέσῳ τῶν ἁγίων, καὶ ἀχράντων χειρῶν θεοῦ ἡμῶν εὐαγγελίων. *Positis in medio Sanctis, & incorruptibilibus Euangelijs.* Et in Florent. vbi de Patriarchæ Ferrariam ingressu scribitur. μέσον ὅλων ναῶν, καὶ πρὸ δύο μερῶν τῶν κλίρων, ἐμπροσθεν τῆς ἁγίας τραπέζης ἔσηκεν θρόνον ὡραιότατον, πάνυ κεκοσμημένον, καὶ εὐφραινόμενον μὲ χρυσᾶ βελλία. ἐπάνω ὃν ἐκάθισεν ὁ μέγας, καὶ δίκαιος κριτής, ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, ἤγουν τὸ ἅγιον εὐαγγέλιον. *Medio templi, & duarū cleri partium, ante sacrā mensam, thronū statuerunt pulcherrimū, omnino ornatissimum, & decentissime aureo tapete stratum, super ipsum sedebat magnus ille, & iustus iudex, Dominus noster Iesus Christus, hoc est, Sanctum Euangelion.* Itaque Euangeliorum hæc est definitio, distinctiōq; quæ hunc in modum ab efficientia S. Chrysostomus commendat. *Euangelium annunciat in tenebris sedentibus pœnarum remissionem, delictorum veniam, Iustitiam, & redemptionem, adoptionem in Filios Dei, cum Filio Dei Fraternitatem, immortalitatem vitæ, Angelorum Societatem, communicationem Spiritus, cœlestem beatitudinem.*

In Euangelio conditio salutis est caritas.

Euangelius summus est in Ecclesia honor.

Euangeliorum effectus.

QVÆST. III.

An Euangeliorum auctoritas diuina sit?

§. 1. QVATVOR Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, vel secundum Matthæum, & alios; hoc enim modo vsurpant Patres, adeo vt Tertullianus, Cyprianus & alij frequenter dicant κατὰ Matthæum, &c. sunt veræ scripturæ partes, à Spiritu Sancto dictatæ, diuina & nusquam fallente auctoritate prædita. Id credi Fide Catholica oportet. Nā ea Authentica semper agnouit Ecclesia Catholica, nobisque proposuit, cuius est de Scriptura iudicium proferre, quæ vera sit & genuina, quæ verò spuria. Docent ea omnia Prophetiæ, consensus tot virorum Sanctorum, tot miracula Fidem eam confirmantia, quæ scripturis illis exponitur. Verum in consensu, & iudicio Ecclesiæ primogeniæ, cuius iudicium nequaquā fallax esse potest, Fides acquiescit. Hoc argumento vtitur contra Marcionem l. 4. Tertullianus. *Eadem*, inquit, *auctoritas Ecclesiarum Apostolicarum, cæteris quoque patrocinabitur Euangelijs, quæ proinde per illas, & secundum illas habemus.* & l. 4. c. 2. *Constituimus in primis, Euangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Euangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum: Si & Apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos: quoniam prædicatio Discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas Magistrorum; imo Christi, qui Magistros Apostolos fecit. Denique nobis Fidem ex Apostolis Ioannes & Matthæus, insinuant, ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurant, isdem regulis exorsi, quantum ad vnicum Deum attinet Creatorem & Christum eius, natum ex Virgine, supplementum Legis & Prophetarum.*

Quatuor Euangelia Authentica.

Euangelicorum auctoritas quoad nos ex testimonio Ecclesiæ nascitur.

Euangelia ab Apostolis & Apostolicis.

Quin & Irenæus l. 3. c. 11. vbi probat tantum quatuor esse Euangelia nec plura, nec pauciora, Tanta est, inquit, circa Euangelia hæc firmitas, vt & ipsi Hæretici testimonium reddant ei, & ex ipsis egrediens vnusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam.

§. 2. Contra Euangelia sese opposuerunt Gentiles, Iudæi, varij Hæretici. De Iudæis suo tempore agam, & locis illis quibus oppugnari solent. Quin & Gentes esse inexcusabiles suo loco ostendam. Hæreticorum varia sunt genera: quorum aliqui propius ad Gentes accesserunt; alij verò longius ab illis, sed tamen à vero seiuncti, suis erroribus indulserunt. Manichæi Euangelia ab impostoribus tradita, falsaque iactarunt, vt constat ex Augustino l. 32. c. 2. contra Faustum. Alij verò Apostolorū ignorantiæ, & affectibus tribuunt multos, quos in Euangelijs errores esse arbitrantur. Alij partes quasdam Euangeliorum rescinderunt, de quibus copiose Bellarm. l. 1. de verbo Dei, c. 6. & eius Hyperaspistes Iacobus Gretserus. Posteriores duos errores multi nostro tempore Hæretici sectantur: nam Gentilium Fratres se Swenckfeldiani, Libertini, & quidam Anabaptistarum exhibuerunt, dum vniuersas scripturas euertunt.

Hostes Euangelij Gentes, Iudæi, Hæretici.

Libertini similes gentibus.

§. 3. *Cætera Euangelia* Lutherus parui fecit, *Ioannis verò vnicum pulchrum, verum, & principale Euangelium, aliis tribus longissime* censuit *præferendum, & anteponendum. Item esse medullam, & nucleum inter omnes Noui testamenti libros. Hic inuenire veram Euangelii naturā.* Causam reddit *Quia alii Euangelistæ opera Christi potius, quam conciones habent. Se autem si alterutrum carendum esset, malle carere Christi operibus, quam*

quam concionibus. Nam opera Christi, inquit, *me nihil iuuant.* Quæ quidem verba à Luthero in præfatione Noui Testamenti posita, perfido pudore à discipulis erasa, Autifaber restituit. De quibus consule doctissimum Gretserum nostrum in defensione c. 6. l. 1. Bellarm. de verbo Dei. Lutherum imitati sunt Caluinistarum multi, qui partes quasdam reiecerunt; quique *noui testamenti scriptores scientes volentes, aliquando quædam errata commisisse, aut memoria lapsos asserunt.* Vt Vorstius, Iunius, alij recensent. Quod eo detestabilius est, quo magis ad scripturam tanquam vnam atq; vnicam regulam semper appellare se simulant. Deinde id nunc post tantam vetustatem in dubium reuocari turpissimum est, cum olim non nisi paucissimi, & nequissimi Hæreticorum cædere Euangelium ausi sint. Origenes l. 2. contra Celsum. *à nemine,* ait se *mutatum Euangelium meminisse, nisi à Marcionis, Valentini, & fortasse Lucani discipulis.*

Lutherus Euangelia confert.

Caluinianus scriptura non est Authentica.

§ 4. Vera & genuina Euangelia hostem, impostoria & adulterina Patronum habuerunt: vt enim nihil tam euidenter verum est, quod non aliqui inficientur; ita nihil adeo dictu absurdum est quod non ab aliquo asseratur. Hoc in Philosophos iactatũ, Filijs eorum Hæreticis omnino conuenit. *Quatuor,* inquit Origenes, *tantum Euangelia sunt probata, ex quibus sub persona Domini, & Saluatoris nostri proferenda sunt dogmata.* In proœmio alia tamen se vidisse testatur. *Scio quosdam Euangelium, quod appellatur secundum Thomam, & iuxta Matthiam, & alia plura legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos, qui se putant aliquid scire, si ista cognouerint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est, quatuor tantum Euangelia recipienda.* Alia igitur Euangelia Ecclesiastica falce Spiritus Sanctus succidit: vt Euangelium secundum Ægyptios, Thomam, Matthiam, Bartholomæum, duodecim quoque Apostolorum: Basilidis, Apellis, de quibus Hieronym. in Proœmio Matthæi. Nec minus Nazaræorum, Ebionitarum, Encratitarum, aliorumque, de quibus apud Iren. l. 4. c. 22. & l. 1. 29. Eadem Ecclesia damnauit Ebionitas, quæ solum Matthæum, Ire. l. 1. c. 26. Marcionitas, & Cerdonianos, qui solum Lucam, Tert. l. 4. contra Marcionem c. 3. Manichæos, qui solum Ioannem admittebant. Alij quoque qui solum Marcum probabant, Iren. l. 3. 11. Et Alogiani, qui omnes præter Ioannem recipiebant, Epiph. hæresi 51. iam olim damnati sunt, eademque conditione sunt Pseudo-apostoli, qui Euangelia interpolarunt; vt qui caput vltimum Marci præsecuerunt, verba Lucæ c. 22. de sudore Sanguineo deleuerunt, qui ex c. 8 Ioannis historiam adulteræ expunxerunt. Qui denique Epistolam ad Hebræos, vt Lutherus in Præfat. Brentius in conf. Wirtemb. qui Iacobi, Iudæ, secundam Petri, tertiam Ioannis Epistolam, Apocalypsim è canone sustulerunt. Nunc istis cum ingeniis Ecclesia conflictatur. Olim importunius, sed rudius exagitabatur, cum totos libros veteris testamenti demeterent, cum Gentiles varia acta in Christi Domini contumeliam dictarent, cum habere se libros mentirentur à Christo viro sapientissimo de magicis artibus conscriptos. Quos contra S. Augustinus libro primo de consensu Euangelistarum prolixe disputat, & probat magicis artibus locum non fuisse. *Sr enim Christus magicis artibus tantam mundi conuersionem effecit: an etiam magicis artibus efficere potuit, vt de hisce tam euidentia Prophetæ prædicerent?*

Veritatem multi oppugnant.

Falsa Euangelia supponunt, vera auferunt.

Olim Ecclesiarudius oppugnata est.

§ 5. His constitutis consequitur; Hæreticos nostros omni prorsus scriptura destitutos esse: nec posse auctoritatem diuinarum literarum agnoscere ipsos, nec alios docere. Rationem enim qua sola in cognitionem scripturæ venire possunt, non negligunt modo, sed prorsus etiam repudiant. Ea est Ecclesiæ veteris continuò ad nos vsque manans testificatio. Hanc causam illi negant, ad suum priuatum instinctum, & Spiritum refugiunt. Scribit Ignatius Epistola ad Philadelph. quosdam sui temporis, omnia suspecta habuisse, nec credere Euangeliis voluisse, nisi illa in Ecclesiæ archiuis inuenissent. At nostri tabularia omnia è medio tollunt. Testimonium Ecclesiæ fallax esse comminiscuntur. Cur enim Matthæi Euangelium admittitur, Matthiæ reprobatur? Quocunque se vertant, non occurrit aliud, quam Ecclesiæ testificatio illud accipientis, hoc reprobantis. Tertullianus l. 4. c. 4. aduersus Marcionem hoc argumento pugnat. *De titulo quoque finis ducendus est contentionis, pari hinc inde nisu fluctuante. Ego meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiatione, quod posterius renuncietur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Prior erit res passione, & materia æmulatione. Aliquin quam absurdum, vt si nostrum antiquius probauerimus, Marcionis vero posterius, & nostrum ante videatur falsum, quam habuerit de veritate materiam, & Marcionis ante credatur æmulationem a nostro expertum, quam est editũ, & postremo id verius existimetur, quod est serius post tot, ac tanta iam opera atq; documenta Christianæ Religionis sæculo edita, quæ edi vtique non potuissent sine Euangelii veritate, id est, ante Euangelii veritate? Quod ergo pertinet ad Euangelium interim Lucæ, quatenus communio eius, inter nos & Marcionem de veritate disceptat, adeo antiquius Marcione est, quod est secundum nos, vt & ipse illi Marcion aliquando crediderit; cum & pecuniam in primo calore fidei Catholicæ Ecclesiæ contulit, proiectam mox cum ipso postea quam in Hæresim suam a nostra veritate desciuit.*

Hæretici scriptura carent.

Si fallit Ecclesiæ de scriptura iudicium, aliud haberi non potest.

Quod prius est verum est.

At nostri Hæretici hoc argumentum inutile sibi ipsi faciunt, cũ negant quicquam credendum quod literis expressum non sit: cum omnia ἄγραφα, vt monet in Præf. sua in Matth. Musculus, ad ἔγγραφα; omnia non scripta ad scripturas examinanda contendit. In vestibulo huius litis causam deserere coguntur. Vbi enim scriptum est, quod in manibus habemus Lucæ Euangelium, quod ante Marcionem erat legitimum esse, quod ab eo mutatum ceterat, adulteratum esse? sane si Tertullianus titulo vteretur solo, & scripto, nihil efficeret. Nam titulum Euangelium, nouum veteri Marcion opponeret; nec minus in titulo, quam in titulum consequente contextu erratum esse causaretur. Qui librum falsitatis arguit, hoc ipso diuinam auctoritatem titulo abrogauit; cum eiusdem sit & titulum negare, & textum reijcere. Itaque hoc ipsum, non falso titulo insignitos hos libros esse, ex Ecclesiæ testimonio discimus. Deinde vnde cõstat hos ipsos libros cum αὐτογράφοις & originalibus exẽplaribus conuenire? Hoc sane nõ nisi Ecclesiæ testimonio cognosci potest. Vnde enim certus es libros illos incorrupte ab incorruptis exẽplaribus, per librarios, aut typothetas expressos? Qua in scriptura inuenies tot sæculis non erratum ab inconsiderata, vel vitium oblatum à fraudulenta manu? Denique vnde certus es, tot versiones veras, minimeque fallaces esse? Quid igitur proprium, quid aduenticium sit, quæ vera instrumenta sint hæreditatis nostræ inter tot falsariorum manus, ex scrinijs Ecclesiæ intelligendum est. Hæc qui fallacia æstimat, patrimonio excidit.

Perueracia sua Euangelium amittunt.

Sine Ecclesiæ testimonio nobis nulla est certa auctoritas.

QVÆSTIO IV.

Qua lingua Euangelia scripta sint?

Tres Euangelistæ Græce scripserunt.

§.1. EXTRA controuersiam pene est, Marci, Lucæ, Ioannis Euangelia Græca lingua scripta esse. De Matthæo Græcè, an Hebraicè scripserit, controuertunt.

Matthæus Hebraice.

Mihi verius sentire videntur, qui Hebraicè scripsisse asserunt. Vetustissima est enim illa, & doctissimorum traditio. Papias apud Eusebium l. 3. Historiæ, c.33. Idem l.5.c.10. Historiæ, *Pantenum* ait *in India reperisse, a Bartholomæo ibi relictum.* Iren. l. 3.c.1. *Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Euangelii.* Ex hoc Eusebius lib. 5. cap. 8. ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τῷ Πέτρου καὶ τῷ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων & θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν. μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς & ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε· καὶ Λουκᾶς ὁ ἀκόλουθος Παύλου τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο· ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ κυρίου, ὁ & ἐπὶ τῷ στήθει αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. *Matthæus inter Hebræos propria ipsorum dialecto Scripturã Euãgelii fecit, Petro & Paulo Romæ Euãgelizantibus, & Ecclesiæ Fundamenta iacientibus. Post cuius edutionem Marcus Petri discipulus, & interpres, ea quæ ab illo prædicata fuerunt scripto mandauit. Lucas comes Pauli Euangelium ab eo prædicatum in libro digessit. Postea Ioannes Discipulus Domini, quique super eius pectus recubuit, & ipse cũ Epheſi in Asia degeret Euangelium edidit.* Epiphan. Hæresi 30. Hieronymus in viris illustribus. Imo in Latinum transtulit Euangelium, quod à plerisque Matthæi Authenticum putabatur. Ita est in comm. illi tributo, in c. 12. Matthæi. Hieronymi testimonio vtitur & Aretius Caluinianus, Matthæum anno salutis 41. sub Caio Caligula iturum ad gentes Ecclesiæ in Iudæa Hebraicè scriptum Euangelium reliquisse. Vide prolog. in Euang. Augustinus l. 1. de consensu Euangelistarum c.2. & lib 2. cap. 66. sententiam illam communem esse insinuat: in qua etiam est Chrysostomus Hom. 1. in Matth.

Ordo Euangeliorum editorum.

Tantæ igitur testificationi quid opponi possit non video. Veteres, cum exemplaria in manibus essent falli non potuerunt; & stolidi essent, in re clara fallere conari. Hieronymus refert exemplar suo tempore fuisse in Bibliotheca Cæsariensi, quam Pamphilus Martyr confecit.

De vetere Scriptura credendum veteribus.

§.2. Linguam Hebræam intelligo, non antiquam illam, qua Testamentum vetus Scriptum est; sed eam, quæ tum Palæstinæ communis erat; nempe Syram, seu Aramæam. In Euangelio enim hæc Hebræa appellatur. Sic בר-ירנא Bariona. מעמונא Mammona, ריסא Reka, גגולתא Gogoletha Syra sunt. Plura Witmanstadius in præfat: ad nouum Testamentum de quibus postea agendum.

Lingua Syra scripsit quæ Hebræa vocari solet.

Qui Græce scriptum arbitrantur Catholici perpauci sunt, Hærerici complures. Causa non iusta quidem, sed magna tamen ab antiquitate illos discedere cogit. Cum enim Hebræo exemplari careant, nisi Græcè scriptum esse asserant, de possessione totius Euangelij periclitari se putant. Si enim Græcum exemplar à Matthæo Scriptum non est, si interpretis fides incerta est, & nomen ignotum non potest de veritate Euangelij certus esse, qui, Testimonium Ecclesiæ humanum, & mendax esse arbitratur. Vnde enim scis rectè conuersum ex Hebræa in Græcam linguam? Exemplar Hebræum nullum est, interpretis peritia, diligentia, fidelitas, ipsum nomen incertum est; Scriptura igitur tot incertis nixa principijs, diuinam auctoritatem apud eos habere non potest, qui regulam iudicumque ἄγραφον Ecclesiæ non admittunt. Hoc non ex mea coniectura, sed aduersariorum monumentis manifestum euadit. Illyricus Præfat. in Matth ratione 11. id nequaquam dissimulat. *Summa*, inquit, *si id semel constituatur, hunc librum initio Hebraicè, non Græcè scriptum; & ab aliquo ignoti nominis, auctoritatisve: ac etiam fidei homine, tanta præsertim libertate conuersum esse, non parum profectò de eius auctoritate decesserit: quod mehercule Christianis nullo modo ferendum est.* Nisi igitur Græcè scriptum est Matthæi Euangelium, Illyricus illi nequaquam credet: quia causas habet, cur non credat interpreti. Improbè quidem ille, & suo etiam, suorumque præiudicio. Si namque ob has causas Euangelio in aliam linguam conuerso auctoritatem detrahit, non potest etiam illi credere, quod ex primo αὐτογράφῳ exscriptum est. Quid enim si Græca ex Græco libere descripta sunt? quis Notarius, qui testes, certum facient apographum, cum prototypo conuenire? Sane non minus errare solet calamus librarij, quam sensus interpretis.

Cur ab antiquis recedant.

Suo Argumento Illyricus Euangelio auctoritatem detrahit.

§.3. Argumenta tamen Illyrici contra antiquitatis consensum audienda, & examinanda sunt. Primum, ait, Hebræa verba exponit, non igitur Hebraicè scripta esse. Quorsum enim vernaculam linguam exponeret scriptor? Exemplum est, c.1.23. *Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.* Respondeo, quod iam dudum Maldonatus noster grauis interpres, & solidus respondit, Interpretationes illas non auctoris esse, sed interpretis. vt 1. Reg. 7.12. vbi Eben-ezer Septuaginta interpretantur λίθον βοηθείας & Gen. 1. Gilhad, *tumulus testis.* Respondeo deinde in eadem lingua crebro nomina reddita Etymologiæ ratione exponi; vt cũ dicimus consulẽ, quod consulat patriæ; fidem, quod fiat id quod dictum; sic quoq; Christus Emanuel vocatur, quod nobiscum Deus sit, hoc est incarnatus, in mundo conuersatus. Verum hac quidem in causa, neutro opus est Responso; Dictio enim עמנו-אל Ghimanu-el, nobiscum Deus, antiquæ dialecti est: Euangelium Matthæi Syra, hoc est, alia dialecto scriptum est: rectè igitur quod Isaias 7.17. Hebraicè dixit, Matthæus Syriacè scribens exposuit sua lingua. id vero confirmant ipsa exemplaria Syriaca. Quamuis enim Syrus nomen Ghimanuel non more Hebræo, sed Syro efferat, dicatque: עמנואיל Ghamanuil, hoc ipsum tamen Syriacũ Syriace exposuit: ita. n. habet. עמנואיל דמיחהרגם עמן אלהן Hoc est, Ghamanuil, quod est, interpretatum, Ghamman elohan, seu, *nobiscum Deus.* Si igitur Syrus Syra Syrè interpretatur, cur non Matthæus Hebræa Syre? Non enim Syriacum Witmanstadij Testamentum à Matthæo scriptum est, sed ex Græco potius conuersum.

Nomina & auctor & versor sepe interpretatur.

Hebræum vetus Matthæi Syrè exposuit.

§.4. Erasmus, ait, *à nemine Syriacum, aut Hebraum visum esse; nam ea quorum mentionem Hieronymus facit apocrypha esse.* Deinde stylum Marci & Matthæi similem esse; Marcum Græcè Scripsisse; igitur & Matthæum.

Respondeo, Papiã omnino vidisse, vt est apud Eusebium l. 3. Hist. c.33. *De Matthæo hæc ab eo referuntur. Matthæus sermone Hebraico Euangelium de Christi oraculis ac rebus gestis conscripsit: quod plane quisque vt poterat, interpretatus est.* Hebræum igitur viditille, & varias illius interpretationes. Postea bellis, persecutionibus, ruina Rẽpublicæ Hebræa, liber interijt. Nec mirum est Hebræum textum euanuisse, cum illi quoque libri perierint, quorum

Hæretici ne Euangelium admittant, Græce scriptum aiunt.

Hebræum Euangelium visum priscis.

Hebraeum Euangelium Matthaei interiit.

rum mentio est apud Hieronymum, & ex varijs versionibus Græcis, nunc nulla nisi vna supersit.

Alterum Argumentum vix memoratu dignum est: Cur enim, si Matthæi Stylus potuit similis esse Stylo Marci, non etiam potuit eidem similis esse Stylus interpretis? An donum linguarum Matthæo collatum cum Marci Stylo consentire potuit, at illius interpreti Deus dare non potuit, vt Marci orationem Stylo suo exprimeret?

Syri aiunt Marcum latinè scripsisse.

Quid autem si Latinè Marcum scripsisse contendam? etsi enim communis sententia sit, Græcè illum scripsisse, Syri tamen id negant. Testis est doctrina & genere inclytus Witmanstadius præf. ad testam. Syriacū, *Syri tamen à quibus eum habemus, constanter asserunt, S. Marcum Sancti Petri Apostolorum coryphæi discipulum, & in cuius domo initio coaluisse Ecclesiam credunt plurimi, latine primum scripsisse Euangelium suum, quod etiamnum asseruari dicunt in inclyta Venetorum vrbe. Deinde eundem ipsum Marcum lingua patria, hoc est, Galilæa Syrae transtulisse, non modo Euangelium suum, sed etiam cæteros omnes noui Testamenti libros. Id mihi literis significarunt Guilelmus Postellus, affirmauitque se ita a Syris ipsis accepisse, dum in Oriente præstantissimos linguæ Syriacæ & Arabicæ thesauros diligenter conquireret. Illi vero rem ita se habere ex auita traditione affirmabant.* Non igitur causa est, cur interpretem Matthæi miremur similem Marco. forte vel Marcus, vel eius interpres se Matthæi interpreti similem esse voluit, Nec coniectura deest ex Hieronymo in Catalog. *Marcus discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus, breue scripsit Euangelium. Quod cum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit, sicut scribunt Clemens in Sexto ὑποτυπώσεων libro & Papias Hierapolitanus episcopus, meminit huius Marci; & Petrus in Epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.*

Quid vero si Marcus aliquando interpretem Matthæi egit, quemadmodum & Petri? Huius enim fuisse interpretem, docet inter alios Hieronymus ad Hedib. q. 11. *Habebat ergo Titum Interpretem, sicut & beatus Petrus Marcum: cuius Euangelium, Petro narrante, & illo scribente, compositum est: Denique & duæ epistolæ, quæ feruntur Petri, Stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus.*

Marcus cur similis Matthæo fit.

Quid denique, si Matthæi Euangelium in linguam Græcam ipse Marcus conuertit? Quid denique si Marcus Matthæi Euangelium legit? & compendio descripsit, & rem, & Stylū mutuatus? Hier. præfat. in Marcum. *Matthæus semper coniungitur, & Marcus.* Et Augustinus l. 1. de consensu Euangelistarum ca. 2. *Marcus eum* (Matthæum) *subsecutus, tanquam pedissequus, & breuiator eius videtur, cum solo quippe Ioanne nihil dixit, solus ipse perpauca, cum solo Luca pauciora, cū Matthæo vero plurima, & multa fere totidem, atque ipsis verbis, siue cum solo, siue cum ceteris consonante.* Si igitur Matthæo & Marco eadem verba Spiritus sanctus dictare potuit, cur non etiam interpreti Matthæi? nisi forte interpres Matthæi fuit Marcus: quod nec ego assero, nec alijs est causa negandi.

Matthæus veterem Scripturam ex

§. 5. *Caluinus eo Argumento vtitur, quod cum Euangelista hic citat locum Mich. 5. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es, & alia etiam veteris Testamenti loca, recitet ea potius secundum communem Græcam versionem, quam secundum Hebraeum textum: quod certè nec ipse Euangelista fecisset, si omnino Hebraicè scripsisset, neque interpres ausus fuisset tantoper textum immutare. Aut si id fecisset, Ecclesia & alij Doctores profectò nequaquam id approbassent. Hoc enim iuris tantum illis singularibus, summisque viris & Apostolis Christi permissum fuit, qui ita Spiritu Dei imbuti rectique fuerunt, vt errare nequiuerint: quosqui audiunt, ipsum Christum & Spiritum Sanctum per os eorum loquentem audiunt.* *Hebræo citat aliquando.*

Vt posteriora tacitus transeam, nec ostendam Marco, Lucæ, Stephano, alijs fuisse etiam summam docendi auctoritatē, nec Matthæi interpretē sine eximijs Dei donis fuisse: Respondeo huius argumētationis multa esse, & grauia incōmoda: statuit auctorem Hebraicè scribentem, Biblia iuxta Hebræum textum, non secundum Septuaginta citare oportere. Deinde id sequi necessario: citat textum veterem secundum Septuaginta, Græcè igitur scripsit. Quæ non modo falsa sunt, sed etiam alia parte veritatem Euangelicam lædunt. Primo enim sequitur ne Græcè quidem illum scripsisse. Eodem enim gradu occurram Caluino. Si Græcè scripsit, versionem Septuaginta sequi debuit. Cur enim minus Græcus Græcam quam Hebræus Hebræam? sequitur igitur neutro modo scripsisse. à Septuaginta eum discedere, iam olim notauit Hieronymus de optimo genere interpret. c. 3. & res ipsa clamat. Deinde illud etiam sequeretur, Matthæum, locum à Caluino allegatum ex Hebræo textu citare, quod Hier. c. 3. ad Pamm. negat; & illo loco ostendam. Tertio statuit Christum, & Matthæum vetere Hebræa, non Syra lingua vsos, quod falsum est. Denique inconsideratissima argumentatione Christi Domini verba in dubium vocant, quod hunc in modum ostendo. *Argumentis suis omnia euertunt.*

Matth. 15. 8. citat Dominus verba Isaiæ 29. 13. *Populus hic labus me honorat, cor autem eorum longè est a me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Ita Septuaginta hic verterunt. Καὶ οἱ χείλεσι αὐτῶν τιμῶσίμε, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· μάτην δέ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, & διδασκαλίας. in Matth. est, διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων. Hebræus ad verbum; *Et in labus suis me honorauerunt, & cor eius elongauit se a me, & addit.* ויהי יראתם אתי מצות אנשים מלמדה Quod ad verbum sonat, *Et fuit timor eorum me* (i quo timuerunt me) *mandatū hominum edoctum*; vt verterē solent, vel potius, *doctrina.* Nunc Caluini Argumento vtamur. Christus hæc verba citans loquitur in conspectu Pharisæorum. & turbæ, vel omnino Hebraicè, vel Syriacè. Nec tamen secundum Hebraicam lectionem citat, sed potius secundum Septuaginta, vt verba expendenti manifestum est. Nam primo quæ Hebræus in præterito habet, ipse effert cum 70. in præsenti 2. actiuum verbum mutat in neutrum. 3 illa verba; *Et fuit timor eorum me*, vertit cum 70. & colunt me 4. addit, μάτην *sine causa*, quod non est in Hebræo, sed Septuaginta. 5. addit, *docentes*, quod est in 70. non in Hebræo. 6. doctrinas & mandata hominum, illi ex Hebræo vertunt, *Præceptum hominum edoctum.* Non tamen ad censuram Christum vocabit Caluinus, & dicet: si Christus Hebraicè locutus esset, non recitaret locum Prophetæ secundum Græcam communem versionem. Nam sane Hebraicè, hoc est Syriacè loquens illis, quorum lingua vernacula Syra erat, citauit textum ex versione Græca. Cur igitur id non liceat Matthæo scribenti, quod fecit Christus in Synagoga suspicace, calumniatrice, verbotum omnium captatrice loquens? Aut si male Matthæus; cur bene Do- *Christus loquens Syriacè verba Hebræa non retinet.* *Christus verba Hebræa non annumerat.*

Exemplo Christi, sensum Apostoli non semper verba citant.

ne Dominus Matthæi? si Christus quidem omnia secundum Hebræum textum in synagoga retulit; Matthæus autem Græcè scribens verba eius immutauit, nescio quam eius auctoritatem teneant, qui sic illum traducunt. Sanè si eum in modum Domini verba recte Matthæus immutauit causam non facile dicent, cur male Matthæi interpres, qui si non Apostolus, certe vir Apostolicus, vt Tertullianus loquitur, fuit. Nimis igitur Christum, Apostolosque constringunt, qui nouis rationibus antiquitatem oppugnant: & dum vicum occupant, arcem perdunt.

§.6. Pergit vero de suo Illyricus. Cum tunc temporis vera Hebræa lingua in desuetudinem abiret, omnesque etiam Iudæi plerunq; Græcizarent, aut certe Chaldæizarent, non est sane verisimile, quod Euangelista volens quamplurimis prodesse, Hebraicè scripserit. Respondeo, extra oleas aduersarium vagari. Propositum illi est, ostendere Græcè scriptum Euangelium à Matthæo, alioqui auctoritatem eius multum imminuendam fore. Nunc de vetere Hebræa agit, qua neque nos scriptum dicimus. Syriace scriptus est, seu noue-Hebraicè; nam nomina quæ in nouo Testamento Hebraica dicuntur, Syriaca sunt. Ita sæculi prioris decus Fabricius in præf. in nouum test. *Contra vero quis Doctorum nescit hac postrema Seruatoris verba magna voce ab eo in cruce prolata* ΗΛΙ ΗΛΙ λαμασαβαχθανι, *esse Hebraica omnia, præter* σαβαχθανι *tantum, quod Syriacum est, pro quo scripserat Regius vates suo eloquio,* אלי אלי למה עזבתני *Eli Ele Lammah azauthani? Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me? Vnde factũ est, vt rudis & imperita multitudo, quæ arcanam linguam Hebraicam non intelligebat, putauerit eum vocasse Eliam, cuius nomen Hebraice pronunciatur* אליהו *Eliiahou, Syrè verò* אלוהי *Iliuo. Hoc aũt hemistychium Syrè sic scribitur* איל איל למנא שבקתני *Il, Il, Lemonò Schenackthoni! Præterea licet Iudæus aliquis antiquæ linguæ Hebraicæ tantummodo peritus, Syriacæ verò ignarus, quãplurima alia per nouum Testamentum linguæ Apostolis vernaculæ dispersa verba pro Hebraicis propter affinitatem haberet, quin tamen Syriaca sint, nulla est dubitatio; cuiusmodi sunt* בני רשעי *Benai Reg Heschi, quæ Græci scripserunt vt potuerunt* Βοανεργές, *& exposuerunt* υἱοὺς βροντῆς *filios tonitru, qui Hebraicè dicerentur* בני רעם *Bené Raam. Et* θαλιθὰ κοῦμι, *Syrè,* תליתא קומי *TelithoKoumi. Hebraicè,* הנערה קומי *Hanaarah Koumi: verbo Koumi ad vtramque linguam pertinente. Et* βηθσεδὰ, *Syrè* בית חשדא *Beth-chesdò, Hebraicè* בית חסד *Beth-chesed, domus seu locus misericordiæ. In quo Græci non potuerunt exprimere fortem aspirationem. Item* γαβφαθὰ *Ghephiphtò, quod Græci scripserunt* Γαββαθὰ *propter affinitatem* β *&* φ *eiusdem organi nempe labiorum: interpretati sunt autem* λιθόστρωτον, *quod est lapidibus stratũ seu peribolus, & a Vitruuio mœnisicus vocatur lorica. Syri per paraphrasim illud sic explicãt* רציפתא דבבא *Razziphthò, dekiphè hoc est, pauimentũ lapidem, etsi* גפוף *Ghipouph, & גפופתא ad id proprie pertineant, quod Hebræi appellant* מיסלא *Mes illah. Item* רבוני *Rabbouni,* ῥαββωνι, *Hebraicè* אדוני *Adoni, aut lingua Thalmudica* רבני *Ribboni, Dominus meus. Et* Ακελδαμὰ *Syrè* חסלדמא *Haxaldemò, Græcè* χωρίον αἵματος *Hebraice* שדה חדם *Schalde-hadam, hoc est, ager sanguinis. Et* Ταβιθὰ, *Syrè* הביתא *Teuthò, Hebræi dicerent* הצביה *Hazzeuiah, id est, dama aut caprea, vt a Græcis exponitur* Δορκάς. *Et* μαρὰν αθα *Syrè* מרן אתא *Moran-etho, Hebraicè* אדנר בא *Adonuu ba, id est, Dominus noster venit. Et Abba, Syrè* אבא *Abba, Hebraice* אב *Au Pater. Vt omittam brevitatis causa omnium tum Apostolorum, tum aliorum Sanctorum nomina, quæ quidem pauces exceptis, quorum origo apud Græcos refertur, omnia & genti, & linguæ Syrorum debentur.* Vide etiam Luc. 23. 38. Ioan. 5. 2. & 19. 13. & 19. 27. & 19. 20. Act. 21. 40. & 22. 2.

Syra lingua vocatur Hebræa in nouo Testamento.

Nomina in nouo Testamẽto Syra sunt.

§.7. *Spiritus Sanctus auctor istorum scriptorum sciuit breui secuturam Hierosolymæ euersionem, & gentis eius dissipationem, quæ sese linguâ ad gentes inter quas victura foret, accommodatura esset. Cur ergo Hebraicè euulgaret Euangelion, quod omnibus voluit esse notissimum? Græca vero lingua tunc huic instituto maximè erat idonea, vt quæ tunc temporis fermè per totum mundum disceretur.*

Respondeo, si de vetere Hebræa loquatur, neque nos oppugnat, neque sese defendit. Nos enim negamus prisca lingua Hebræorum scriptum esse. Ille vero, nisi probet Græcè scriptum esse, de eius possessione periclitatur. Iustissima causa esse poterat, vt Hebraâ antiquâ Euangelium promulgaret, vti ex antiqua Hebræa probabat; in Synagogis enim veteris linguæ scriptura legebatur. Sed hoc in medio relinquimus. Syrorum linguam latissime propagatam illo tempore constat, tota Asia Babylone, alijsque locis communis erat. Longissimo etiam tempore permansit in populis illis fides, hodieque manet, qui lingua Syriaca vtuntur, eaque in Ecclesijs sacrificia, ac cõciones peragunt. Quod ergo putant Syram linguam desijsse, à toto mundo refutatur. Plures nunc Syriacè, quam Græcè loquuntur.

Syriaca Ecclesia late patet.

Graci hodie vix Græcè norunt.

§.8. *Quis credat Ecclesiam Christi passuram plane interire tantum thesaurum Hebraei textus? Nec ipse quidem Deus passus id fuisset, qui id non frustra conscribi fecerat.*

Respondeo. De voluntate Dei non nisi temere affirmari ab illo, qui consiliarius illius non fuit. Multa interire finit, quæ non frustra fieri voluit. Quia tam abolendi, quam faciendi causas habet nobis occultas, sibi notissimas, optimasque. Si aliquid in his nostra imbecillitas admiratur, multo plura ac maiora admirationis ansam adferunt. Cur enim ex tam multis Domini factis, tam pauca scripta sunt? Cur parua manu omnia quæ scripta sunt complecti possumus, tot vero omissa sunt, vt ne totus quidem mundus eos, qui scribendi essent, libros caperet? Nec mirum vnius linguæ exemplar perijsse, cum olim tot insignes libri amissi sint, quos præceptor meus Nicolaus Serarius c. 8. q. 14. prolegom. Bibliacorum recenset. Prima causa est, inquit, quia in ipsis scripturis diuinis complures alij memorantur Libri, numero penè xx. aut xix. Primus Liber Bellorum Domini. Nu. 21. v. 14 secundus Liber Iustorum seu, liber Recti. Iosue c. 10. v. 13. Et 2 Reg. 1. v. 18. Tertius Liber, Prouerbiorum, seu rerum gestarum Salamonis 3. Regum 11. v. 4. Quartus Liber, verborum Regum Israel 3. Regum 14. v. 19. & Cap seq. Quintus, Liber verborum (gestorum) Regum Iuda, ibid. v. 24. Sextus Samuelis Libri. 1 Paral cap. vltimo. Septimus, alius quidam eiusdem Samuelis liber. 1. Reg. 10. v. 25. Octauus Nathanis 1 Paralipom. 29. v. 29. & 2. Paral. 9. v. 29. Nonus, Gad Prophetæ. Ibidem Decimus, Ahiæ Prophetæ. 3. Reg. v. 18 & apertius 2. Paral. 9. v. 29. Duodecimus, Iehu Prophetæ 2. Paral. 20. v 34. Decimus tertius Chozai Prophetæ 2. Paral 33. v. 19. Decimus quartus Salomonis tria millia parabolarum 3. Reg. 4. v. 32. Decimus Quintus, Eiusdem Cantica quinquies mille, vt habet ibidem mendosus Latinus textus, & Græcus lxx. licet vti correctus Latinus, ex Hebræo, malint fuisse tantum Cantica quinque supra mille. Decimus sextus, Eiusdem

Deus multa interire finit, quæ fecit.

Multi libri sacri amissi sunt.

iusdem Physica de plantis, arboribus, & alijs, ibid. Decimus septimus, Liber Enoch. vt ex S. Iudæ Apostoli epistola S. Augustinus Lib. 15. Ciu. 23 colligit, & Lib. 18. Cap. 18. alijque plures. Decimus octauus, Epistola Eliæ Prophetæ quam vel ante mortē, vt in Concentu suo Hugo Brugthonus, vel post mortem ad Regem Israelis misit. 2. Paral. 21. Iosephus Lib. 9. cap. 2. & Seder Holam, id est, Liber seculorum, Cap. 17. Decimus nonus, Ieremiæ descriptiones. 2. Mach. 2. v. 1. Vigesimus, Ioannis Hyrcani Liber dierum. 1. Mach. vltimo v. 24. His addi possent, 1. Liber Eldad, & Medad apud Athanasium in Synopsi. 2. In eadem Synopsi, Psalmus vnus vltra centum & quinquaginta Psalmos, qui in Græcis exemplaribus, & in Græcorum etiam Horologio legitur. 3. Testamentum Moysis, & alij in eadem Synopsi, alijsque auctoribus pluribus.

Cur perire Deus sit passus incertum.

§. 9. *Quis dubitat, si tempore Hieronymi planè authenticum Hebraum Matthæi Euangelion extitisset, Hieronymum potius inde, quam ex Græco versionem Latinam facturum fuisse? quis item dubitet, eum sæpissime in explicatione dubiorum in commentariis super Matthæum & alioqui, plurimum illum textum citatum fuisse?*

Respondeo, iam Hieronymi tempore Matthæi Hebræum textum, vel non superfuisse, vel dubiam fuisse illius auctoritatem; ob varias mutationes bellorum, & eorum qui ex Hebræis erant, imposituras. Sane Hieronymus prologo in Matthæum testatur eum Hebraicè scripsisse. Et in ipso commentario in c. 12. Matth. *In Euangelio quo vtuntur Nazareni, & Ebionitæ, quod nuper de Hebræo in Græcum sermone transtulimus, & quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum.* Siue ille commentarius Hieronymi est, siue alterius constat, fuisse visum Matthæi Euangelium. Non est vsus illo Hieronymus, quia suspectum habuit, quasi verè Matthæi non esset, vel sanè corruptum esset. *De nouo*, inquit, Epist. 123. ad Dominum, *nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Christi Hebraicis literis edidit. Hoc certè cum in nostro sermone discordat, & in diuersos riuulorum tramites ducit, vno de fonte quærendum est. Prætermitto eos codices, quos a Luciano, & Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserti peruersa contentio; quibus vtique nec in toto veteri instrumento post Septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendasse: cum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat falsa esse, quæ addita sunt.* Non est igitur dubium Hieronymum eo fonte vsurum fuisse, si purum esse cognosceret.

Textus Hebræus tempore Hieronymi incertus.

Hieronymus Hebraum textum Matthæi fontem vocat.

§. 10. *Quis fuit iste interpres Matthæi Hebræi in Græcum? Hieronymus quidem & Eusebius dicunt ignorari. At non fuisset res tanta obliuione sepulta. Theophylactus dicit Ioannem interpretatum esse id Euangelion ex Hebræo in Græcum. At vnde ille ignorantibus veteribus id habet? Certe stylus à sermone Ioannis plurimum differt.* Hinc concludit, non esse versum in aliam linguam, quia ignoratur interpres. Deinde nunquam Hebraicè scriptum fuisse.

Respondeo, inconsiderati esse, quærere nomen interpretis ea lege, vt nisi inueniatur, prototypon negetur. Multos fuisse testatur Papias, & Irenæus. Hieronymus versiones Græcas Hebræi fontis riuulos appellat epistola citata. At vero mihi hoc solum negare sufficit; Ideo Hebræum nullum esse, aut fuisse; quia desideratur nomen interpretis. Quis vero veteris Testamenti Latinum interpretem fando vnquam nominari audijt? sunt & editiones quædam Græcæ, quarum auctores anonymi sunt. Syriaca versio in manu est, auctor ignoratur. Fuêre olim variæ versiones, Dalmatica, Punica, Germanica, Francica, Britannica, Scotica, nec tamen versiones esse negamus, etsi auctores ignoremus. Vide Serarium *Proleg.* 22.

Multarum versionum interpretes ignorantur.

§. 11. *Fuit Matthæus publicanus & diues, atque ita iam semigræcus aut etiam Romanus: proculdubio fuit factus ciuis Romanus. Ciues enim Romani proprie vectigalia conducebant, publicanique seu publicorum reddituum exactores fiebant. Quare verisimile est, quod suos Græcos potius scribendo Euangelion conuertere conatus fuisset: Sicut etiam eosdem mox post suam conuersionem inuitauerat cum Christo, quo ab eo conuerterentur.*

Respondeo iam hoc hariolari esse: Fuit diues, semigræcus, ciuis Romanus; igitur & Græcos potius, quam Hebræos curaret. Hinc sanè conficeret Romana lingua scripsisse, Romanum ciuem, Romano officio diuitem. Verum exigui momenti ratio est. Vectigalia ferè redimebant publicani, qui Romani equites erant, eorum erat Societas Romæ opulentissima, ijdem prouincialibus vtebantur, qui sua in patria omnia colligerent. Publicani itaque & illi dicebantur: late hoc nomen & societas patebat. Erant in illo collegio Mancipes, Redemptores, Magistri, Promagistri, Coactores, Exactores, Susceptores, Numerarij, Tabellarij, Argentarij, Munusculanij, Telonarij, Collectarij, Receptatores, Quæstores, Actuarij, omnes inquam prouinciarum expilatores, minuti Tyranni, magnorum administri. Non igitur necesse est Matthæum fuisse Romanum.

Matthæus Romanus Iudæos non negligebat.

Quod nomen vtrunque & Matthi, & Leui satis indicat, imo & nomen Patris Alphei. Quod tamen ita intelligo vt nolim consentire Illyrico, eū scilicet Romanum, non scripturum fuisse Hebraicè Euangeliū. Romanus, cur non præstaret Iudæis, quod Iudęus Romanis? Ad publicanos quod attinet, erāt illi toti imperio graues, sed Asiæ, Bythinięq; intolerabiles, cùm quod gentes illæ molliores, tum quod opulentiores. De qua re in Galba, & Lucullo suo multa Plutarchus. Ex hoc genere hominum Matthæus ad Apostolatum euectus est.

Iudæi etiam publicani erant.

§. 12. *Multas habet Latinas voces præ aliis, quæ fuerunt tum temporis potius Græco, quam Hebræo sermoni, ob maius earum gentium commercium, admixta. Sunt autem illæ passim obuiæ in eo, vt quadrans, custodia, centurio, denarius, prætorium, & similia innumera. Quare hinc quoque patet Euangelion potius Græce scriptum esse.*

Respondeo genus hoc Argumenti in aduersarium magis incurrere. Nam vocibus Romanis vtitur Matthæus, sed quæ Græcis vsitatæ erant, an ideo Græcè scripsit? Nonne eius interpres vti his vocibus potuit? Cur enim Matthæus Græcè scribens, ob commercium gentium, Romana voce, vt clariore vtatur, id negetur interpreti? At non miscebantur illæ voces sermoni Syro. Imo verò miscebantur; & vt vel ipla impudentia erubescat exemplum do. In Syro Matthæi Euangelio mistas video Romanas voces. Matth. 18. 28. דינרא Denaro. & 8. 5. מנטוריונא Centurenò & 27. 27. פרטוריון Preturin, & 27. 65. סטטינרא custodes. Quamuis vero illa versio aliquanto posterior sit, non est tamen dubium Christi tempore notos fuisse Iudæis Romanos, vt quibuscum iam olim fœdus inierant, & iam annos quinquaginta præsidia eorum experti fuerant. Romana igitur nomina non modò Græci, sed Syri quoque vsu, & quadam necessitate discebant; falsumque est, non esse linguas eas inter se mistas.

Romanis vocibus & Græci & Syri vtebantur.

Lexicum Syriacum Græcas, & Romanas voces habet innumeras.

§. 13. Ca-

§.13. Capite 16. *cum dicit; Tu es Petrus, si Hebraicè, aut Syriacè scripsisset, tum vel maximè vsus fuisset Chaldaico nomine Cephas, quod ei Dominus Ioan. 1. imposuerat, dixissetq; : Tu es Cephas, quod etiam interpres vel in primis retinuisset, vt maximè Græcam expositionem voce Petrus adiecisset. Vocem Hosanna non exponit, quam certe interpres perpetuo cursu, ac studio vertendi totam historiam omnino non præteriisset.*

Respondeo lapidis esse potius quam hominis Argumentum. Quo enim probat modo; Interpretem Matthæi fuisse in versione sua retenturum vocabulum כאפא Cepha, si Matthæus Syriace scripsisset? Nonne Dominus vocauit Petrum Cepham, & Matthæus 16. 18. ita loquitur ex ore Domini, *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Syriace Christus locutus est, dixitque: *Tu es Cepha.* Si igitur Matthæus Euangelista Græce scribens, verbaque Christi recitans, in suam illa linguam conuertit, & Petrum, non Cepham appellat, cur minus id liceret Matthæi Interpreti? an nefas est Euangelistæ verbum Syriacum aliena lingua reddere; Christi Dominiorationem conuertere licitum est? Cur verò Ioannes 1.42. Syram vocem retinet, cum ait Christus: *Tu vocaberis Cephas*? Suo iure vsus est Ioannes. Ioannes retinuit, vt sciretur quale nomen datum esset Petro, quem ille tamen deinceps Petrum appellat. Matthæus vertit, quia concinnior erat futura oratio: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; quam si dixisset: *Tu es Cephas, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Interdum Syro, interdum Græco Petrus vocatur.

Addit Illyricus: *Vocem Osanna non interpretatur, non igitur Matthæum ex Hebræo conuertit.* Quam omnia conuenienter suo ingenio? Paulo ante contendebat, Matthæum non scripsisse Hebraicè; quia verba Hebræa interpretatur, nunc è contrario, non scripsisse Hebraicè; quia vocem Osanna non interpretatur. Sic enim omnia ex omnibus, & ex quolibet conficit. Osanna non interpretatur; quia ex annua cerimonia, & quotidiana oratione notum erat, vt nunc est Κύριε ἐλέησον, & Alleluia. Deinde breuiter exponere non potuit; nam significat; *Salua obsecro*, vel *Salua nunc*, & ipsos ramos Palmarum, vt ostendam in eius vocis expositione, quæ cum vulgo nota essent, nihil necesse fuit inculcare.

Osanna cur non explicuerit Matthæus.

§.14. *Postremo Cap. 12. & 20. magna libertate abbreuiat locum* Esa. 42. *quod nec Euangelistam, si Hebraice scripsisset, facturum, sed ipsum potius textum ad verbum ad scripturum, nec interpretem bonæ fidei ausurum alienum librum ita mutilare, credibile est.* Simile Argumentum supra refutaui.

Respondeo conciliãda suis locis ista. At non video, cur Euangelista Syriacè scribens singula Prophetæ verba annumerare debuerit, cũ nec Dominus, nec Apostoli id fecerint. Cur Græcè scribenti potius mutare licuit, quam Syriacè? Hæc prolixius explicui: quãuis, hæc ex illis quæstionibus nõ sit, quæ ad fidem pertinent, quia tamen ab Illyrico tanquam talis tractatur; & quia multa adferunt, quæ eorum sententiæ sunt aduersa ideò in sequentibus q.q. fusius explicabo.

QVÆSTIO V.

An Euangelia scribi necessarium fuerit.

Scriptio vtilissima non necessaria.

§.1. CONSENSV magno Catholici docent sacrorum Euangeliorum, aliorumque librorum à Spiritu Sancto dictatorum, scriptionem omnino vtilissimam esse; Nouatores verò contendunt etiam penitus necessariam esse. Vt Pareus in prolegomenis in Epist. Romanam. Nostram veram esse sententiam Deus ipse atque adeo Ecclesiæ vsus docuit. Humano enim generi legem ἄγραφον non scriptam dedit, & mundum ante diluuium sine legibus scriptis gubernauit; nulla enim sacra scriptura ante Mosem orbi illata est. Ne Filijs quidem Noë, aut Abrahamo fœdus tabulis incisum, aut atramento scriptum dedit. A Mose νόμος ἔγγραφος incepit, quem imitati Prophetæ, pauca scripserunt, Saluator semel in terra scripsit, nec tamen quid scripserit, vaticinantibus occurrit. Aliqui Apostolorum pauca scripserunt, plerique fidem sine scripto prædicarunt. Sane absque Euangelio scripto fides longè lateque propagata est. Matthæi primum est Euangelium, sed iam post multorum conuersionem, & quidem Syriace conscriptum; non exiguo dein interuallo secutus est Marcus, & Lucas, nouissime Ioannes. Quanquam vero *multi fuerint conati ordinare narrationem*, vt initio sui Euangelij Lucas testatur, eorum scripta tamen authentica non fuêre. Illa verò quæ Euangelistæ scripserunt, sero in linguas barbararum gentium tralata sunt: vt magna pars fidelium longo tempore absq; scriptis noui Testamenti vixerit. Necesse igitur non est legem saxo, aut ligno inscriptam esse, & parietibus figi, satis est in cordibus diffusam, in opere, & caritate vigere.

Matthæus anno Domini 41. scripsit.

Ecclesia sine scripto Euangelio diu fuit.

§.2. Vtiles tamen omnino scripturas asserimus, cum Apostolo 2. *Timoth.* 3. 16. *Philipp.* 3. 1. *Ioan.* 1. 4. ideo etenim nobis non modo prædicarunt, sed scriptum reliquerunt, vt futuris temporibus legi & cognosci posset, vt Iren. *l.* 3. *c.* 1. Doctrinæ sunt vtiles, *Matt.* 22. 29. Consolationi, spei, correctioni, *Rom.* 15. 4 2. *Timoth.* 3. 16.

Pareus quidem in proleg. ad Roman. contendit necessarias esse. Quia alioqui Spiritus Sanctus, non curasset scribi, conseruari, legi. Iudas v. 3; necesse habuit scribere. Paulus 1. *Thessal.* 5. 27. adiurat eos, vt legant Epistolam. Denique propagandum toto orbe terrarum Euangelium necessario scribendum fuit. Verum cum facile videret, hisce rationibus nihil *disputatione secundâ de necess. & vsu Doctr.* in sententiam Bellarmini, quem infestè oppugnat, sponte descendit. *Nam* ait *esse necessarias ad esse Ecclesiæ non absolutum quidem, sed ordinatum.* Disputat 2. n. 122. *Seu necessitate ex hypothesi dispositionis diuinæ* n. 125. *Idque duplici necessitate, originis & existentiæ. Originis, quæ fuit in Apostolis scripturas exarandi. Existentia, quæ fuit, & est Ecclesiæ post defunctos Apostolos scripturas sacras habendi.* Hæc inquam nullo modo obsunt Catholicæ sententiæ, Nos enim de ordinatione Dei nunquam dubitauimus. Sed eadem ordinatione dicimus in veteri lege cerimonias necessarias fuisse, non simplici necessitate, sed ordinata. Necessitatem originis etiam agnoscimus, quia quidam Apostoli sunt iussi scribere. Eam verò sequitur necessitas habendi scripturas, eam venerandi, ei credendi, tanquam normæ, ac certissimæ regulæ religionis, & pietatis. Hac igitur in sententia cum sit consensus, nihil opus erat tanta acerbitate, cum ipse fateatur, nos tantum absolutam necessitatem oppugnare. Argumenta verò illius non modo nihil efficiunt, pro scripturarum necessitate, sed eas euertunt. Voluit Spiritus Sanctus scribi, conseruarique scripturas, sed tanquam vtilissimas, non necessarias. Non modo necessaria, sed commoda quoque Deus nostra spectauit. Hæresis est, si quis dicat; Diuinitatem nobis duntaxat necessaria, non vtilia etiam donasse. Multa Christus fecit, dixit, tulit, saluti nostræ vtilia,

Necessitas scriptionis non est, nisi ex hypothesi.

Necessitatis duplicis rationem agnoscimus, sed hypotheticam.

Spiritus Sanctus vtiles notas voluit, non prorsus necessarias.

non

non necessaria. In ipsis Apostolorum scriptis quam multa vtilissimè repetuntur, vel ab diuersis Apostolis, vel ab eodem diuersis locis. Nec fuit tamen necessaria eiusmodi repetitio, sed vtilis. Iudas necesse habuit scribere, quia subintroierant falsi fratres; iussus est eos instruere, & tamen verbo, prædicationeque id agere poterat. Sanè simpliciter Iudæ Epistolam Ecclesijs non esse necessariam ratio ipsa docet. Confirmant id ipsum nouatores, Lutherus, Brentius, Centuriatores, alijque: canonicam enim esse negant, nullo igitur modo necessariam arbitrantur.

Vtilitas magna rem necessariam non facit.

§. 3. Iniuriam porro deo faciunt, qui prorsus necessarias scripturas imaginantur, ob magnas earum vtilitates, quas omnes pij libenter agnoscunt. Nam omnibus omnium temporum mutationibus consideratis, longiore spacio, sine scriptura Ecclesiam suam gubernauit. Et quanquam facilior sit ratio scriptæ legis, non tamen defuêre vnquam magnæ difficultates ex scripturarum interpretationibus ortæ. Quemadmodum enim in republica legibus laboratur, cum eas inquieta ingenia torquent: ita quoque de scripturâ innumeræ concertationes orbem conuellunt, multosque præstaret non legisse, quam lectas adulterasse scripturas. Quis nescit quomodo Iudæi figmêtis Thalmadicis sacros libros contaminarint? Quæ non R. Salomo dictus Tarcha in sacros libros detestanda produxit? Huius contemptor R. Abraham breuiter, sed malitiosè biblia tractauit.

Hebraizantes paucos improbos sequuntur.

Maiore astu Ioseph Kimhi, eiusque filij Dauid & Moses rem aggressi in Hispaniâ, itemque R. Leui, Ben, Gersom: qui ex proposito Christianam religionem oppugnant; quia tamen verborum expositiones à veteribus alienas sectantur, vel hoc ipso plurimum nocuerunt; quod Christianos nouitatis auidos imitatores habuerunt. Hi enim quamuis eorum in Sententiâ errores, & blasphemias detestentur, cum tamen ad grammaticam, & verborum proprietates ventum est: plus perfidiæ illorum, quam septuaginta interpretum, vel Hieronymi, aliorumq; doctissimæ sinceritati tribuût. Quantum vero vertendo, interpretando, litigando damnum Ecclesiæ adferant illi qui vnicam, purissimamque scripturam sequi profitentur, mûdus contentionibus Theologorum furens, sedi tionibus populorum laniatus, bellis, regum inflammatus edocet. Non imputo Scripturæ, sed hominum malitiæ, & interdum infirmitati tam grandia mala. Verum hoc moneo, non fuisse miserum adeo statum illorum temporum, quæ scripturis caruerunt, vt hæretici arbitrantur, qui dum legem Dei commendare simulant, legis auctorem accusant.

QVÆSTIO VI.

Quæ linguæ Syriacæ in nouo testamento vtilitas?

§. 1. SCRIPSIT de vtilitatibus paraphrasis chaldaicæ tractatum doctissimum Franciscus Lucas Brugensis, eumque approbarunt Theologi Louanienses, Augustinus Hunæus, Cornelius Reineri, Ioannes Molanus: idque iure merito: doctissimè enim simul & prudentissimè scriptus. De Syriacâ versione exstant Widmanstadii, Fabricii, aliorum commentarij ac præfationes. Mihi hoc loco animus non est, generaliter de versione Syriacâ disputare, verum vnicam duntaxat eius vtilitatem in medium proferre: integra enim rei explicatio ad vniuersæ scripturæ prolegomena pertinet. Et vero illa non mediocris vtilitas, quam Bellarminus *l. 2. de verbo dei, c. 4.* adducit. *Vnum tamen est, præter alia, eius editionis cõmodum insigne, quod cum in titulis ac sectionibus capitum mentio fiat ieiuniorum, venerationis crucis, precũ pro defunctis, vigiliarum, memoriæ sanctorum, aliarumque eiusmodi rerum, quas Lutherani tanquam Romani Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacij hæc ipsa editio conuincit. sed de editione Chaldaica & Syriaca satis multa pro instituti operis breuitate dicta sunt: nunc ad Græcam veniamus.* Hunc in locum rudiores Lutherani vt Hunnius, omnium rerum securus aliud non agit, quam vt ieiunia, venerationemque sanctorum carpat. Iunius mêdacio apertiore negat in veteribus inueniri. Hinc à Widmanstadio Cancellario, & Guidone Fabricio fictos illos titulos arbitrati sunt, aut etiam contra conscientiam sparserunt. Nam exempla vetustiora non protulerunt. Quia vero eorum impudentia, iam omnia verecundiæ abstulit, nec frontis quidem locum reliquit, cum negant in Syra Ecclesia eos festos dies, aut cultus fuisse. Paululum de re tam manifestâ agendum est. Principio constat ex libro rituali Seueri patriarchæ, ritus illos in Ecclesiâ Syriacâ vsurpatos, nec esse inuentum Romanorum pontificum. Deinde constat ex ritibus Armenorum, aliisque istarum gentium cærimoniis, quæ iam satis Europæorum hominum nauigationibus cognitæ sunt. Tertio Syrorum Romæ institutiones, & libri non habentur modo, verum ipsi testes suarum Ecclesiarum oculati omnia referunt. Deniq; aliud agendo, dum tempora emendare nititur Iosephus Scaliger, tantæ imperitiæ laruam detexit, dum enim orientalium linguarum, & morum scientiam ostendit, hæc omnia in lucem protulit. In computu Ecclesiæ crebrimè inuenitur, *Introitus ieiunii. Sollenne pentecostes, ingeniculatio sollennis pentecostes. Dies Ioannis.* In Syro eadem illa pene omnia. *Decollatio Ioãnis Baptistæ*, Scaliger dubitat, an ἀποτελεκισμὸν vocent traductiones τῶν λειψάνων, *reliquiarum translationes*, vti nos appellamus l. 7. in computu Æthiopico. & ne dubiũ sit, hæc apud eos celebrari In Byzantino Menologio est ἡ τρίτη εὕρεσις τῆς τιμίας κεφαλῆς τοῦ προδρόμου. *Tertia precioſi capitis præcursoris inuentio.* In Æthiopico calendario, vno die ierius poni asserit; & eodẽ die τοῦ Δασία τοῦ στρατιώτου. *Dasiæ militis.* Quin Franciscus Aluarez anni initium ait eos sumere ex die decollationis Baptistæ. Et calendarium Antiochenum Æthiopicum, & Syrianum, *habet festum annuntiationis, Petri & pauli, assumptionis dominæ, festũ crucis.* Quod postremum vocatur apud eos inuentio crucis estque *13.* Septemb. in Syro est 14. Iulii. רבחחא דצליבא סדישא Hoc est: *Inuentio sanctæ crucis.* Quamuis צליבא etiam crucifixum significet, sed hic de cruce agitur.

Syriaca versio vtilis.

Porro ieiunia orientalium Ecclesiarum sunt arcta: initia habent παρεισβασιν τῶν νηστειῶν, quæ vocant, etiã προδρόμια Græci, Syri עלל צומיא Ghelal tzuma, *ingressum ieiunii.* Quod est quædam ad ieiunium præparatio de his ita l. 7. Scaliger. Introitum ieiunii etiam Græci vocant τὸ παρεισβάσιν τῶν νηστειῶν. עלל צומיא & מיעלי צומיא Ghalel Zuma, & Maghabai Zuma: ieiunia orientalium Amenii Artibutzia hoc est τὰ προδρόμια, præcursus quia hoc ieiuniũ præit illi austerissimo quadragesimæ. Sed Græcis Latinis, Armeniis, Syris vnus idemque ieiunii introitus est, nempe

Ritus in textu Syro notati vti veri sunt.

Quinquagesima quam Græci τὴν κυριακὴν τῆς ὀρθοδοξίας, vocant, id est, Dominicam orthodoxia; item τὴν ἑβδομάδα τυροφάγον hebdomadem quâ caseo vescebantur: quia scilicet ieiunia sua auspicantur; ἢ τὰς ἡμέρας ἀρτυρεωσίμους, quibus carne abstinebant. ita tamen vt interea ouis, caseo, & butyro abstineãt. vnde & Ruteni, Moscouitæ, atq; aliæ nationes, quæ sacra Græco ritu, sed sermone Sclauonico obeunt, eadem vi verbi Maslna hoc est βε τυροφάγον ἑβδομάδα vocãt, qua vescebantur butyro. Æthiopica vero Ecclesia, quia nunquã dominica ieiunare solet, à sexagesima init ieiunia sua, diebus decem ante Carnisprivii Romanum, vt Dominicas exceptas compensẽt. Franciscus Aluarez: Ieiunium religiosissime obseruant, auspicantes illud feria secunda proxima post Sexagesimam, hoc est diebus X. ante Carnisprivium nostrum. Vide reliqua. Nam vetus institutũ est, τὰς κυριακὰς ἀνηστεύτους τελεῖν. Dominicas sine ieiunio transigere. Epiphan. τὰς δὲ κυριακὰς ἁπάσας τρυφερὰς ἡγεῖται ἁγίας αὔτη καθολικὴ ἐκκλησία, ἢ χωρὶς εἰ μὴ ἑνὸς ἐπιτελεῖ, ὃ νηστεύει. Dominicas vero Catholica Ecclesia existimat sine ieiunio esse debere, & synaxes àmatutinis peragit, non ieiunat.

Item, τὰς δὲ κυριακὰς οὐδ' ὅλως, οὐδ' ὡς αὐτῇ τεσσαρακοστὴ (νηστεύουσι) Dominicis neque omnino, neq; in ipsa quadragesima ieiunant. Hoc apprime obseruant Aethiopes. Nam Synaxes celebrant matutinis horis, omnibus Dominicis. Sed tempore ieiuniorum per totum diem inedia confecti, sole occaso ad synaxes se conferunt, quibus operati deinde cibum sumunt. Has συναξεις ἀπὸ ὀψὲ ὥρας, à Nona horâ celebrari testis est idem Epiphanius, imitatione scil. τῆς ὀψὲ ὥρας, Nonæ Iudaicæ, à qua προσευχὴ, oratio vespertina & sacrificium incipiebat.

Quin etiam ieiunia quatuor temporum habuerunt, scilicet νηστείας νινευιτικὰς, vel בעיתא *Bahanata*, hoc est Litanias, illæ nostræ sunt angariæ. Hinc in Syriaco calendario, atque etiam Aethiopico aliquoties, *Niniue* inuenies; dicitur enim *Ieiunium Niniue* etiã apud Prudentium. Aluarez idem testatur de eorum ieiunijs. *Sed vt plurimum* Laici vtriusque sexus à Trinitate ad Aduentum ieiunant quarta feria & Sabbato omnium Hebdomadum. A Natali Dominico ad Purificationem, quod solenne Simeon vocant, nullum ieiunium obseruant. Triduo post, nisi Sabbatum aut Dominica interuenerit, Monachi & Sacerdotes incredibiles inedias sibi indicunt. Nam affirmarunt nobis, integro triduo semel tantum cibum sumere: quod tempus ipsi Pœnitentiam Niniue vocant.

Hinc etiam lector addiscet, quantum aberrent, qui pœnitentiam, seu μετάνοιαν solâ vitæ mutatione, nullo dolore, aut vitæ præteritæ detestatione definiunt.

Nec ista modo, sed etiam lectiones, quas Ecclesiæ festis prælegerent accurate in suis calendarijs notata habent, vti & Latinæ Ecclesiæ. V. G. hic quarta Elul anni Niceni Iudith inuenies, Deinde, computum pœnitentiæ, cum Euangeliorum partes de pœnitẽtiâ legerẽtur. Canon Hippolyti ordine digerit isto. γενέσεις, Ἐξέχιελ' Ἰωσίας, Ἐξοδ' κατὰ Ἔσδρα, καὶ ἐρήμῳ, πάσχα ἐν Ἰησοῦ χεισδ. ἐν Ἰησοῦς, εἰς μετάνοιαν ψαλμοί, εἰς ἐγγαστρίμυθον, Pari modo quasdam Homilias proponere solent. Hæc cui non sufficiunt, ne integris quidẽ ille Calendariis credet, duræ ceruicis, ἢ τῷ νοῦν ἀνίατον, insanabilis pertinaciæ. Ad hanc consuetudinem ostendendam, veteres illarum Ecclesiarum ritus vbi notabuntur adiungam. Si quis plura velit, ipsa antiquissima Syrorum, Chaldæorumq; Calendaria consulat.

Lectiones Syrorum.

(?*?)



IN-

INDEX CAPITVM ET QVÆSTIONVM TOMI PRIMI

COMMENTARIORVM R. P. ADAMI CONTZENIN QVATVOR SACROSANCTA IESV Christi Euangelia.

IN S. MATTHÆVM

CAPVT I.

Vers. 5 QVÆSTIO. 1. *An veteri testamento consentiat Boozi generatio* pa. 3

Vers. 7. Quæstio 1. *Quomodo Matthæus & Lucas conciliandi sint.* 4

Vers. 8. Quæstio 1. *Cur tres Reges Ochoziam, Ioam, Amasiam Matthæus omiserit?*
An in Ochozia progenies Salomonis defecerit? 7

Vers. 2. Quæstio. 1. *An hoc loco rectè generatio Iechoniæ describatur.* 8

Quæstio 2. *An Iosias genuerit filios in transmigratione Babylonis?* 9

Quæstio. 3. *An omnes filii Iosiæ regnarint.* 9

Ver. 12 Quæst. 1. *An Iechonias genuerit Salathielem hic Zorobabelem?* 10

Vers. 16. Quæstio 1 *Cur ad Iosephum, non ad Mariam Christi Genealogia deducta sit?* 11

Quæstio 2. *An de Maria natus Christus?* 11

Quæst. 3. *An Natus de virgine Christus?* 12

Vers. 18. Quæst. 1. *An desponsata tantùm, an matrimonio iuncta fuerit Iosepho B. Maria?* 13

Quæstio 2. *An id quod ait Euangelista; Antequam conuenirent, inuentio sit eos postea conuenisse?* 13

Vers. 19 Quæstio 1. *An Ioseph fuerit Iustus?* 14

Vers. 20. Quæst. 1. *An Christus de spiritu sancto sit?* 15

Vers. 21. Quæstio 1. *Cur vocatus Iesus?* 16

Quæstio 2. *An a peccatis saluum fecerit populum suum?* 17

Vers 22. 23. Quæstio 1. *An verba illa Angeli sint, an Euangelistæ?* 18

Quæst. 2 *Quis historiæ & Prophetiæ nexus apud Isaiam?* 18

Quæst. 3. *An propter Achaz hypocrisin sit datum signum?* 18

Quæstio. 4. *An verè virgo conceperit? & pepererit?* 21

Quæstio 1. *An particula donec ostendat postea cognouisse?* 21

CAPVT SECVNDVM.

Vers. 1. Quæstio 1 *Verènè natus Christus?* 23

Quæstio 2. *Quales Magi fuerint?* ibid

Vers. 2. Quæstio 1 *An hinc Genethlicorum errores firmentur?* 26

Quæstio 2. *An venerint adorare?* 27

Vers. 4. Quæstio 1. *Quale Concilium Herodes conuocat?* 28

vers. 6. Quæstio 1. *Quæ lectio & interpretatio huius loci.* ibid.

Quæstio 2. *Rectène Hyeronimum Erasmus hoc loco accuset?* 31

Versus. Quæstio 1. *Quomodo adorauerunt?* 34

Vers. 12. Quæstio 2. *Rectène noster dixerit Responso?* ibid.

Vers. 13. Quæstio 1. *Quando receßit?* 35

vers. 15. Quæstio 1. *De quo Propheta dixit, ex Ægypto vocaui filium meum?* ibid.

Quæstio 2. *An in persecutione, Christi exemplo fugere liceat?* 37

Vers. 18. Quæstio 1. *An hæc de Christo prædicta sint?* ibid.

Vers. 19. Quæstio 1. *An Christus habuerit animam?* 38

Ver. 23. Quæstio 1 *Vnde & à quo vocatus Nazaræus, vel Nazarenus?* ibid.

CAPVT III.

Vers. 1. Quæstio 1. *An Ioannes fuerit in Deserto?* 40

vers. 2. Quæstio 2. *An iusserit pœnitentiam agere?* 41

Quæstio 2. *An pœnitentia sit prior, an posterior, remissione Peccatorum?* 43

Vers. 3 Quæstio 1. *Quis Ioannes?* 44

vers. 4. Quæstio 1. *Quis Ioannis vestitus?* ibid.

Quæstio 2. *Quis Ioannis victus?* 45

Quæstio 3 *An Ioannes ista austeritate peccarit, & an fuerit hæreticus?* 46

vers. 6. Quæstio 1. *Quomodo confessi sint peccata?* 47

vers. 7. Quæstio 1. *Cur Pharisæi & Saducæi progenies viperarum?* ibi.

Quæstio 2. *Quæ ventura Ira?* 48

vers. 8. Quæstio 1. *Qui sint fructus digni pœnitentiæ?* ibid.

Vers. 9. Quæstio 1. *Quomodo Deus de lapidibus possit suscitare filios Abrahæ?* 49

Vers. 10. Quæstio. 1. *Quæ arbor? & quis illius finis?* 50

vers. 2. Quæstio 1. *Quæ distinctio Baptismi Ioannis & Christi.* ibid.

Quæstio 1. *Quomodo Christus Baptizat in spiritu sancto, & igne?* 52

Quæstio 3. *Quomodo Ioannes indignus calceamenti corrigiam Christo Soluere?* 53

Quæstio 4. *Quid sit, post me venit?* ibi.

vers. 12. Quæstio 1. *Quod officium Christi in Ecclesia* ibid.

vers. 16. Quæstio 1. *Quæ hoc loco controuersa?* 54

*verſ.*17. Quæſtio 1. *Quid dixerit Pater cæleſtis? ibid*
Quæſtio 2. *An ex hoc loco Chriſti Diuinitas oſtendatur?*

CAPVT IV.

*verſ.*1. Quæſtio 1. *An quo ſpiritu ductus in Deſertum?* 56
Quæſtio 2. *Cur ductus in Deſertum?* *ibid.*
*verſ.*2. Quæſtio 1. *An ex Chriſti ieiunio noſtra Quadrageſima originem habeat? eaque ſeruata ſit* 57
*verſ.*3. Quæſtio 1. *Quando tentator acceſſit?* 62
*verſ.*5. Quæſtio 1. *An Chriſtus re ipſa fuerit in ſublime euectus à Sathana?* *ibid.*
*verſ.*8.9.10. Quæſtio 1. *Quomodo oſtendit?* 64
Quæſtio 11. *An illis verbis: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies: excludatur cultus ſanctorum?* *ibid.*
*verſ.*2. Quæſtio 1. *Quod miniſterium Angelorum?* 65
*verſ.*12. Quæſtio 1. *Quando, & cur ſeceſſit?* 66
*verſ.*14 15. Quæſtio 1. *An rectè citatus Iſaias?* 66
*verſ.*18. Quæſtio 1. *Quomodo de vocatione Apoſtolorum conſentiant tres Euangeliſtæ?* 67
*verſ.*24. Quæſtio 1. *Quæ opera Chriſti, & eorum effectus?* 67

CAPVT V.

Quæſtio 1. *Quæ huius Concionis cum ſequentibus ſit connexio?* 70
Quæſtio 2. *An eadem hæc, & Luc. c. 6. concio?* 70.
*verſ.*3. Quæſtio 1. *Qui ſint pauperes ſpiritu?* 70
Quæſtio 2. *An hoc loco Religioſorum votiua paupertas probetur?* 72
Quæſtio 3. *An ex hiſce concludatur, non ſola nos fide ſaluari?* 72
Quæſtio 3. *An hiſce verbis Caluiniana fiducia probetur?* 72
verſ. Quæſtio 1. *An mites terram poſſideant.* 73
*verſ.*4. Quæſtio 1. *Quinam hoc loco vocantur lugentes.* 73
*verſ.*6. Quæſtio 1. *Quid ſit eſurire & ſitire iuſtitiam?* 73.
*verſ.*7. Quæſtio 1. *Quid miſericordes?* 74
*verſ.*8 Quæſtio 1. *Sintne aliqui mundo corde?* 74
Quæſtio 2. *Quomodo Deum videbunt.* 75
*verſ.*9. Quæſtio 1. *Qui pacifici & quod eorum præmium?* 75
*verſ.*10. Quæſtio 1. *An beati qui perſecutionem patiuntur?* *ibid.*
*verſ.*11.12. Quæſtio 1. *Quænam horum beatitudo.*
Quæſtio 2 *An merces copioſa merito reſpondeat?* 77
*verſ.*13. Quæſtio 1. *Quid ſal, & quæ eius infatuatio?* 77
verſ. 14. Quæſtio 1. *Quæ lux mundi?* 78
verſ. 14. Quæſtio 1. *Quænam illa ciuitas?* 79
*verſ.*15. Quæſtio 1. *Quænam ſit lucerna?* 79
*verſ.*17. Quæſtio 1. *An legem Chriſtus abrogauerit.* 79
Quæſtio 2. *An Chriſtus, cum ſuam legem confert ei quæ dicta eſt antiquis, nouam omnino condat.* 81
Quæſtio 1. *An nullus apex aut iota tranſibit à lege?* 83
*verſ.*20. Quæſtio 1. *An hinc rectè concludant ſectarii, nullum eſſe peccatum veniale?* 84
verſ. 21. Quæſtio 1. *Quid ſit iuſtitia Phariſæorum?* 85
*verſ.*22.23. Quæſtio 1. *Quæ ira hoc loco prohibeatur?* 85.
Quæſtio 2. *An illo præcepto, Non occides gladio vſus magiſtratui inhibeatur?* 89
*verſ.*24.25.26. Quæſtio 1. *Quænam ſit reconciliationis obligatio?* 89
*verſ.*16.17. Quæſtio 1 *Quis aduerſarius ſit?* 91
Quæſtio 2. *Quid ſit vltimus quadrans, & vbi ſoluatur?* 91
Quæſtio 3. *An Deus exigens nouiſſimum quadrantem puniat citra condignum?* 93
Quæſtio 4. *quale debitum ſit vltimus quadrans?* 93
*verſ.*27 28. Quæſtio 1. *Quæ concupiſcentia à Chriſto vetetur?* 94
verſ. 29. 30. Quæſtio 1. *An oculi eruendi, aut abſcindendæ manus, ne illis ſcandalizemur?* 95
*verſ.*31. 32. Quæſtio 1. *An Iudæis licuerit vxores dimittere?* 95
Quæſtio 2. *An Chriſtiano fas ſit vxorem dimittere?* 96
*verſ.*34. Quæſtio 1. *An omne iuramentum ſit prohibitum?* 100
Quæſtio 2. *An per Creaturas iurare liceat?* 103
verſ 38. Quæſtio 6. *An lex talionis ſublata ſit, & iudicia Chriſti inis prohibita?* *ibid.*
*verſ.*43. Quæſtio 1 *An veteri lege licuerit odiſſe inimicos?* 107
Quæſtio. 2. *An Theologi ſcholaſtici doceant inimicorum dilectionem non eſſe præceptam.* 108
*verſ.*45. Quæſtio 1. *An non ſit filius Dei, qui non amat inimicum?* 109
*verſ.*46. Quæſtio 1. *Quæ ſit dilectio publicanorum* 109
verſ. 48. Quæſtio 1 *Quænam hic perfectio præcipiatur.* 110

CAPVT SEXTVM.

*verſ.*1. Quæſtio 1. *Quæ lectio ſit melior.* 111
Quæſtio 2. *An his verbis meritum & merces probetur?* 113
*verſ.*2. Quæſtio 1. *An tuba canerent hypocritæ.* 114
*verſ.*3. Quæſtio 1. *Quomodo neſciet ſiniſtra, quid fecerit dextera?* 115
Quæſtio 2. *An oratio eſſe poſſit meritoria* 115
*verſ.*7. Quæſtio 1. *Quodnam multiloquium orationi prohibeatur?* 116
*verſ.*8. Quæſtio *Cur Deum oremus omnia ſcientem?* 117
*verſ.*9. Quæſtio 1. *An bis orare docuit Chriſtus.* 118
Quæſtio 2 *An verbis illis (Pater noſter) prohibeatur oratio qua ſancti rogantur.* 118
Quæſtio 3. *An illis verbis (qui es in cælis) immenſitas Dei tollatur* 118
*verſ.*10. Quæſtio 1. *Quod regnum quæ Dei voluntas?*
verſ. 11. Quæſtio 1. *Quem panem petimus?* 120
*verſ.*12. Quæſtio 1. *Verene an humiliter tantum orent ſanctis dimitte nobis debita?* 121
Quæſtio 2. *An nunquam iuſtus vllus ſine peccato eſſe poſſit?* 121
Quæſtio 3. *Quæ peccata petamus dimitti* 122
Quæſtio 3. *An remiſſio repugnet ſatisfactionibus* 123
Quæſtio 4. *An conditio remittendorum peccatorum addita nos obliget?* 124
*verſ.*13. Quæſtio 1. *An Deus inducat in tentationem?* 126
*verſ.*13. Quæſtio 1 *An hæc ſit pars ſacræ ſcripturæ?* 127
*verſ.*10. Quæſtio 1. *An ieiunia commendata, & in illis humilitas* 128
*verſ.*19.20. Quæſtio 1. *Quid prohibeatur hoc loco* 129

CAPITVM.

vers. 22. Quæst. 1. *Quid oculus & corpus lucidũ?* 129
vers 24. Quæstio 1. *An nemo seruire duobus Dominis possit.* 131
vers. 25. Quæstio 1. *Quæ sollicitudo prohibeatur?* 132
vers. 27. & 28. Quæstio 1. *Quid velit hisce verbis?* 121
Quæstio 1. *Cur aurum exemplo vtatur* 132
vers. 30. Quæstio 1. *An Dei ad omnia concursus sit, & an generalis.* 132
Quæstio 2. *An fides illa sit in voluntate* 132
vers. 33. Quæstio 1. *An liceat mercedis intuitu bene agere?* 133

CAPVT SEPTIMVM.

vers. 1. Quæstio 1. *An integer sit versus* 134
Quæstio 2. *Liceatne iudicare* 135
vers. 2. Quæstio 1. *An eodem iudicio iudicandi simus quo iudicamus.* 135
vers 3. 4. 5. Quæstio 1. *Quid trabs & festuca?* 136
Quæstio 2. *An monere possit alium, qui in simile peccato est aut maiore* 137
vers. 6. Quæstio 1. *qui canes, & porci, & quomodo illis sancta danda non sint.* 137
vers. 7. 8. Quæstio 1. *An omni petenti detur.* 138
Quæstio 2. *An recte de noua fide inquirendum docuerint hæretici.* ibid.
vers 9. 10. 11. Quæstio 1. *An quia hominum parentes mali, ideo pecatum sit concupiscentia?* 140
vers 13. 14. Quæst. 1. *Via quæ angusta porta?* 140
vers. 15. & 16. Quæstio 1. *Qui falsi Prophetæ, & vestimenta ouium?* 141
v. 17. 18. 19. 20 Quæst. 1. *Quæ arbores, quine fructus?* 142
Quæstio 2. *Quomodo ex fructibus sint cognoscendi?* 144
Quæstio 3. *An hinc consequantur homines malos in malo esse immutabiles?* 146
Quæstio 4. *An iustus operibus iusti tantum declarentur?* 147
vers 21. Quæstio 1. *An sola fides sufficit.* 147
vers. 22. Quæstio 1. *An miracula faciant improbi & hæretici.* 148
Quæstio 2. *An hinc doceatur concupiscentiam esse bonam?* 148
vers. 23. Quæstio 1. *An non nouerit?* 149
vers 24 25. Quæstio 1. *Quæ illa domus?* 149
vers. 29. Quæstio 1. *Quid est docere tanquam potestatem habentem?* 150

CAPVT OCTAVVM.

vers. 1. Quæst. 1. *Quomodo plenus lepra?* 151
Quæstio 2. *Quomodo adorabat?* ibid.
Quæstio 3. *An hoc miraculo Diuinitas Christi probetur.* ibid.
Quæstio 4. *An in Domini voluntate constituerit sanitatem.* 151
Quæstio 3. *Cur tetigit leprosum?* 152
vers. 4. Quæstio 1. *Cur dicere alicui vetuerit.* ibid.
Quæstio 2. *Cur mittit ad sacerdotes.* 153
Quæstio 3. *Quod munus offerendum.* ibid.
Quæstio 4. *An ex eo, quòd ostendere iubetur se sacerdoti probetur confessio auricularis* ibid.
vers 5. Quæstio 1. *An Centurio accesserit?* 154
Quæst. 1. *Quis Centurio?* ibid
quæstio 1. *An ex eo quod seniores pro Centurione intercedunt, colligatur sanctos pro nobis intercedere.* 155
vers. 6. Quæstio 1. *Quis morbus* ibid.
vers. 8. Quæstio 1. *Quomodo non erat dignus, vt intraret sub tectum?* 156
vers. 9. Quæstio 1. *Quid illa excusatione Centurio indicare voluit?* 156
vers. 10. Quæst. 1. *Quomodo miratus est* ibid.
Quæstio 2. *Quæ fides Centurionis* 157
vers. 11. Quæstio 1. *An Ecclesiæ vniuersitas hinc probetur?* 158
vers. 12. Quæstio 1. *Qui filii regni, & tenebræ exteriores?* ibid.
Quæstio 2. *An hinc Atheismus de duobus principiis refuetur?* ibid.
vers. 14. Quæstio 1. *Vbi Petri socrus curata.* ibid.
Quæstio 2. *An Apostoli vxores habuerint?* 159
Quæstio 3. *An hinc intercessio sanctorum docentur* ibid.
vers. 16. Quæst. 1. *Quid vespere fecit?* 160
vers. 17. Quæstio 1. *Quomodo nostras infirmitates portauit* ibid.
vers. 18. Quæstio 1. *Quo progressus & quando?* 161
vers 19. 20 Quæstio 1. *Cur scribam non admittit?* ib.
Quæstio 2. *Quomodo filius hominis non habeat vbi caput reclinet?* 162
vers. 21. 22. Quæstio 1. *Quomodo mortui sepelire iubentur mortuos?* ibid.
Quæstio 2. *An liberum arbitrium peccato tollatur?* 163
vers 23. 24. Quæstio 1. *An rectè verterit noster: & quæ nauicula* 163
vers. 25. Quæstio 1. *An hoc contra inuocationem sanctorum?* 164
vers. 26. Quæstio 1. *Quæ fides?* ibid.
vers 28 Quæstio 1. *Qui sint Cerasæni* ibid.
Quæstio 2. *An aliquando animæ defunctorum appareant* 165
Quæstio 2. *An Cruce Damon pellatur?* 166
vers. 29. Quæstio 1. *Rectène dictum, Quid tibi & nobis.* 167
Quæstio 2. *Vnde scierint filium Dei* ibid.
Quæstio 3. *An ante tempus torti Demones* ib.
ver. 30. Quæstio 1. *Quomodo in porcos ire sinuntur.* 168

CAPVT NONVM.

vers. 1. Quæstio 1 *Quando transfretauit?* 170
Quæstio 1. *Quæ ciuitas sua seu idia* ibid.
vers. 2. Quæstio 1. *Quam fidem, & quorum Christus vidit?* ibid.
Quæstio 2. *Quid sit confide fili?* 171
Quæstio 3. *Quomodo remissa peccata* ibid.
vers. 3. Quæstio 1 *Quomodo hoc loco probetur Diuinitas Christi?* 172
Quæstio 2. *An sacerdos remittere peccata possit?* 173
vers. 4 Quæstio 1. *An malæ cogitationes eorum?* ibi.
Quæstio *An hinc Christi Diuinitas probetur?* 173
Quæstio 3. *An fides simul sit in voluntate, & intellectu?* 174
vers. 5. 6. 7 8. Quæstio 1. *An ex potestate Christo data rectè noui hæretici doceant, Deum non esse vbique, aut Christum in terra non fuisse Deum?* 175
Quæstio 2. *An his ante ostensa Christi Diuinitas confirmetur?* ibid.
vers 9. Quæstio 1. *An Matthæus ista scripserit?* 176
Quæstio 2. *Rectene Mathæus secutus est.* 177
Quæstio 3. *An peccatores libero ad Christum arbitrio veniant?* ibid.
Quæstio 4. *Vnde vocatio efficax* 178
vers. 10. 11. 12. Quæstio 1. *An cum peccatoribus agendum* ibi.
Quæstio 2. *Quos sanos Dominus appellet?* 178

INDEX

Vers. 13. Quæstio *1. Quomodo misericordiam vult & non sacrificium* 179
Quæstio 2. *Quomodo non venerit, vocare iustos sed peccatores.* 180
vers. 14. Quæstio 1. *An Christianos ieiunare oporteat.* 181
Quæstio 2. *An ieiunia Montani hinc probentur vel improbentur?* 182
vers. 16. Quæstio 1. *Quo tendat illa similitudo. ibid.*
vers. 17. Quæstio 1 *Quid vinum nouum.* 183
Quæstio 2. *An Manichæi recte hinc vetus testamentum reiecerint?* 183
vers. 18. Quæstio 1. *Quo tempore acceſſerit Iairus? ib.*
Quæstio 2. *An in historia consentiant Euangelistæ.* 184
vers. 20. Quæst. 1. *Quid? & rectene mulier fecerit* 184
vers. 23. Quæstio *Cur tibicines, & turba tumultuans?* 184
Quæstio 2. *Verane sint, quæ de statua ab Hæmorrhoissa erecta dicuntur?* 185
vers. 24. Quæstio 1. *Cur dixerit: Puella non est mortua sed dormit?* 186
vers. 27. Quæstio 1. *Quæ in cæcis sanandis contigerunt?* 186
Quæstio 1. *Quæ fides Cæcorum* 186
Quæstio 1. *Cur præcepit ne cui dicerent?* 187
vers. 32. Quæstio 1 *Quale hoc Dæmonium ibid.*
vers. 36. Quæstio 1. *Cur turbæ vexatæ?*

CAPVT DECIMVM.

v. 1. Quæst. *1. Quomodo duodecim Apostolos elegit?* 189
Quæstio 2. *Quæ data potestas Apostolis.* 189
Quæstio 3. *An non sint alii audiendi, quam à Christo missi?* 190
vers. 2.3.4. Quæstio 1. *Quomodo primus Simon Petrus* 191
Quæst. 2. *Quæ hoc loco calumnietur VVolfgangus Musculus* 192
Quæst. *3. Quæ aliorum Apostolorum nomina & gesta* 194
vers. 5.6. Quæst. 1. *Cur noluerit Apostolos ire in viam gentium?* 195
vers. 8. Quæstio *Quomodo gratis dare debet?* 196
Quæstio 1. *An ista fuerit temporaria, an vniuersalis lex?* 197
Quæstio 2 *An consentiunt Euangelistæ in historia missionis Apostolicæ. ibid.*
Quæstio 3. *Quid de hoc loco præterea hæretici obiiciunt* 198
vers. 11. Quæstio 1. *Quis dignus sit.* 201
Quæstio 1. *Quod præmium recipientibus, & pœna non recipientibus Euangelium?* 202
Quæstio 2. *An pœna legationem Apostolicam repudiantium maior futura sit pœna Sodomorum.* 203
vers 16. Quæstio 1. *Quomodo oues Apostoli. ibid.*
vers. 19 20. Quæst. *1. An nihil præmeditari de responsione oporteat?* 204
vers. 21.22 Quæstio 1. *Quæ persecutio, & quanta* 205
Quæstio 1. *An perseuerantia certa sit. ibid.*
vers. 23. Quæstio 1. *An fuga licita sit in persecutione?* 206
vers. 24 25. Quæst. 1. *An non discipulus melior magistro?* 207
Quæstio 1. *Quomodo vers. 26. & vers. 27 sensu cohæreant. ibid.*
vers. 28 Quæst. 1. *Quæ mala Christianis timenda sint.* 208
ver. 29 30.31. Quæstio 1. *Qualis Dei erga suos sit prouidentia. ibid.*
Quæstio 2. *An Deus minimarum rerum sit creator? ibid.*
vers. 32 33 Quæstio An *ad salutem necessaria sit fidei confessio.* 209
v. 34.35.36 Quæstio 1. *Qualis hæc sit, & vnde dissensio oriatur?* 210
vers. 37 Quæstio 1. *Quis amor qui Christo indignum efficit?* 211
vers. 38 Quæstio 1. *Quæ Crux. ibid.*
vers. 29 Quæstio 1. *Quid inuenire animam & perdere? ibid.*
v. 40 41 42 Quæstio 1. *Quæ merces Apostolos recipientibus datur. ibi.*
Quæstio 2. *An merces sit proprie dicta.* 212
Quæstio 3. *An quia calice, aquæ frigidæ rependitur regnum cœlorum, omni minimo peccato debeatur infernus. ibid.*

CAPVT XI.

Vers. 1. Quæstio *Quid egit Dominus dimissis Apostolis* 214
vers. 2. Quæstio 1. *Vbi Ioannes in vinculis. ibi.*
vers. 3. Quæstio 1. *Cur & quid quærit ibid.*
vers 4.5 Quæst. 1. *Quid renunciari Ioanni iubet?* 215
vers. 6. Quæstio 1. *Cur de scandalo monet? ibid.*
vers. 7.8. Quæstio 1. *Quæ Ioannis tribuit Christus? ibi.*
vers. 9 Quæstio 1. An *Ioannes Propheta* 216
vers. 10. Quæstio 1. An *Ioannes Angelus? ibid.*
Quæstio 2 *Cuius ante faciem præparabit viam? ibid.*
vers 11. Quæstio 1 An *nemo maior Ioanne.* 217
Quæstio 2. *Quis minor est in regno cœlorum, ib.*
vers 12. Quæstio 1. *Quam patitur vim regnum cœlorum?* 218
vers. 13. Quæstio 1. *Quomodo omnes Prophetæ ad Ioannem prophetarunt. ibid.*
vers. 14. Quæstio *1 An Elias sit venturus?* 219
vers 15. Quæstio 1. *An omnes habeant aures audiendi?* 221
vers. 16 17. Quæstio 1. *Quæ, & quo tendit illa similitudo? ibid.*
Quæstio 2. *An saltationes probet?* 222
vers. 18. Quæst. 1. *Cur Dæmonium habere dicant? ib.*
vers. 19. Quæstio *1. Cur Christo calumniam impegerunt? ibid.*
Quæstio 2. *Quomodo iustificata sapientia à filiis suis. ibid.*
v. 20. 21. 22. & 23 quæstio *Cur exitium denunciet ciuitatibus?* 223
Quæstio 2. *An fieri possint quæ non facta. ibid.*
Quæstio 3. *An negata illis vrbibus gratia?* 224
Quæstio 3. *Quæ vera pœnitentia? ibi.*
Quæstio 4 *Quæ minatur Capharnaum? ibi.*
Quæstio 5. *Cur dicat forte?* 225
Quæstio 6. *Rectene verbis illis probetur idem Deus noui & veteris Testamenti esse? ibid.*
vers 25. Quæstio 1. *Quibus Euangelium absconditur? ibid.*
Quæstio 2 *Agitne gratias quod abscondit? ibid.*
vers. 26. Quæstio 1. *Quæ causa repulsæ, & assumptionis?* 226
vers 27. Quæstio 1. *Quomodo omnia tradita?* 226
Quæstio 2. *An hic ostendatur Christi diuinitas* 227
Quæstio 3. *An quia dedit omnia sit vbique? ibi.*
vers. 20. Quæstio *1. Verene & sero Deus vocet?* 228
Quæstio 2. *An immutatio Christi Pelagianis faueat. ibid.*
v. 29 & 30. Quæstio 1 *Quod iugum Domini?* 229

CAPVT XII.

vers 1. Quæstio *1. Quo tempore ista contigerunt?* 233
vers. 2. Quæstio *1. An facerent quod non liceret?* 234
vers. 3. & 4. Quæstio 1. *Rectene Dauid egerit?* 234
Quæstio 2. *Vbi illa domus* 235

Quę-

CAPITVM.

Quæstio 3. *Quomodo Marcus vocat Abiathar? ibid.*
vers. 6. Quæstio 1. *An non violent Sacerdotes festum in templo?* 236
vers. 7. 8. Quæstio 1. *An abrogarit Sabbatum? ibid.*
vers. 9. Quæstio 1. *Quando venit?* 237
vers. 10. Quæstio 1. *An concorditer historiam narrent Euangelistæ?* 237
vers. 11. Quæstio 1. *Quod Christi Argumentum? ibid.*
vers 13. Quæstio 1. *Quomodo restituit?* 238
v. 14. 15. 16. Quæstio 1. *Quo & cur recesit? ibid.*
vers. 18. Quæstio 1. *Quorsum hoc testimonium?* 238
Quæstio 2. *Qualem describit Christum.* 238
vers. 19. Quæstio 1. *Cur non contendet?* 239
vers. 20. Quæstio 1. *Quid est arundo quassata & linum fumigans* 239
vers. 22. Quæstio 1. *Cur cæcus & mutus?* 240
v. 24. & 25. Quæstio 1. *An Diaboli regnum non sit in se diuisum? ibid.*
vers. 26. Quæstio 1. *Quomodo filii Pharisæorum Dæmones eiicerent?* 241
vers. 28. Quæstio 1. *Quid in digito Dei?* 242
vers. 29. Quæstio 1. *Quis fortis & fortior:* Quæstio 2. *Quomodo ligatus fortis?*
vers. 30. 31. Quæstio 1. *Quomodo spargit qui non est cum Christo?* 244
Quæstio 2. *Quæ sit blasphemia in spiritum S. ib.*
Quæstio 3. *An nunquam remittatur?* 245
Quæstio 4. *An culpa in futuro dimittatur?* 246
Quæstio 5. *An illis qui peccãt in spiritum sanctum data sit gratia sufficiens.* 249
vers. 33. Quæstio 1. *An arbor bona malos fructus non faciat?* 250
v. 34. 35. Quæstio 1 *An nõ possint bona loqui mali?* 250
v. 36 Quæst. 1. *An de omni verbo ocioso ratio reddenda? ibid.*
vers. 37 Quæstio 1. *An ex verbis iustificemur, & cõdemnemur?* 252
Quæst. 2. *An verba, non sola fides iustificet?* 252
vers. 38. Quæstio 1. *Cur signum quærunt?* 253
Quæstio 1. *An non aliud signum quam Jonæ Prophetæ datum.* 253
vers. 40. Quæstio 1. *An filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus fuerit in corde terræ?* 253
vers. 41. Quæstio 1. *An Niniuitæ iudices Israelitarum futuri sint?* 254
vers. 42. Quæstio *Quæ Regina Austri?* 255
vers. 43. Quæstio 1. *Quo pertinet comparatio hominis, a Dæmone liberati, & iterum obsessi.* 255
Quæstio 2. *Quæ loca arida. ibid.*
v. 43. 44. 45. Quæstio 1. *Quomodo redeat?* 256
vers. 46. Quæstio 1. *Qui fratres Christi. ibi.*
v. 50. Quæstio 1. *An mater Christi honoranda sit?* 259
Quæst. 1. *Quomodo Christus cognationem æstimat:*

CAPVT XIII.

Vers. 1. Quæstio 1. *Quando, & quo processit?* 260
Vers. 2. Quæstio 1. *Cur nauiculam ascendit?* 261
Vers. 3. Quæstio 1. *Quid parabola* 261
Quæstio 1. *An recte noster verterit secus viam?* 262
Quæstio 2. *Quæ ceciderint secus viam.* 263
Quæstio 3. *Quæ sint volucres cœli?* 264
Quæstio 4. *An Dæmones aerea animalia quia volucres dicuntur? ibid.*
Quæstio 5. *Cur seminarit vbi sciebat infructuosum fore?* 264
Vers 5. 6. Quæstio 1. *Quodnã ceciderit in petrosa?* 265
Quæstio 2. *Quid sit fides προσκαιρος?* 266
Vers. 7. 8. Quæstio 1. *Qui sint seminati in spinis?* 268
Vers. 9. 10. Quæstio 1. *Qui in terram bonam sati? ibi.*
Quæstio 2. *An meritum hinc doceatur & præmii inæqualitas?* 269
Vers. 9. Quæstio 1. *Quæ dicantur aures audiendi?* 270
Ver. 10. & 13. Quæst. 1. *Cur loquatur in paraboli?* 271
Vers. 11. Quæstio 1. *Cur datum Apostolis non aliis? ibid.*
Vers. 14. Quæstio 1. *Rectene nostri Interpretes verterint?* 272
Vers 15. Quæstio 1 *Rectene Hebræa conuersa sint?* 273
Quæstio 2 *An Deus incrasset corda?* 274
Ver. 16. 17. Quæst 1. *An beatiores veteribus Apostoli?* 277
Vers. 24 27. Quæstio 1. *Quis est paterfamilias? ibid.*
Vers. 38. Quæstio 1. *Quis ager?* 278
Quæst. 2. *An eo modo quo ager esse dicitur mũdus, inimicus Diabolus, ita etiam de Eucharistia sit intelligendum Hoc est corpus meum? ibid.*
Quæstio 3. *Quod est semen bonum, quæ Zizania.*
Vers. 39. Quæstio 1 *Quis inimicus?* 279
Quæstio 2. *Quomodo dormientibus hominibus seuit Zizania? ibid.*
Quæstio 3. *Quæ messis?* 280
Quæstio 4. *Qui messores? ibid.*
Vers. 29. & 30. Quæstio 1 *Quomodo scandala toleranda?* 281
Vers 31 32. Quæstio 1. *Quid significet parabola de sinapi?* 283
Quæstio 1. *Cur vocat caminum?* 283
Quæstio 2. *Cur inimicus dicitur superseminasse?* 284
vers. 43 Quæstio 1. *Qualis iustorum fulgor?* 285
vers. 44 Quæstio 1. *Quid similitudo thesauri?* 286
v. 45. 46. Quæstio 1 *Quid margarita? ibi.*
v. 47. 48. Quæstio 1. *Quæ vera lectio? ibid.*
Quæstio 1. *An boni & mali sint in Ecclesia?* 287
Quæstio 3. *An quia omnes mali sunt in ignem conuicendi, etiam paruuli pœnam sensus experiantur?* 288
Quæstio 1. *Quomodo omnia intellexerint? & quorsum similitudo scriba?* 288
vers. 54. Quæstio 1. *Cur venit in patriam & quæ ibi acta?* 289
vers. 55. Quæst *An Ioseph faber, & qualis?* 289
vers. 57. Quæstio *An non sit Propheta sine honore nisi in patria? ibid.*

CAPVT XIV.

vers. 1. Quæstio 1. *Quando audiit Herodes?* 290
vers. 2. Quæstio 1. *Cur Baptistam exstimauerit* 292
Vers 3. & 4 Quæstio 1. *Quæ causa occidendi Ioannis?*
Vers. 6 Quæstio 1. *Quæ celebritas diei natalis?* 293
Vers. 7 Quæstio 1 *Quomodo peccarit Herodes promittendo?* 294
Quæstio 2. *An licita saltatio fuerit? ibid.*
Quæstio 1. *Cur petit Caput Baptistæ? ibid.*
Quæstio 2. *Cur contristatus Herodes ibid.*
Vers. 15. Quæstio 1, *Quid in historia de quinque panibus obseruandum?* 295
Vers. 19. Quæstio 1. *Quid sit benedixit? ibid.*
Vers. 20. Quæstio 1. *Quantum superfuit? ibid.*
Vers. 22. Quæstio 1. *Quomodo tusserit discipulos discedere?*
Vers. 25. Quæstio 1. *Quomodo Dominus super aquas ambulauerit:* 296
Vers. 26. Quæstio 1. *Cur spectrum existiment? ibid.*
Vers. 30. Quæstio 1. *An amiserit fidem? ibid.*
Vers. 33. Quæstio 1. *Quomodo adorarunt?* 297
Vers. 36. Quæstio 1. *An ex fimbriæ tactu reliquiarum visu probetur? ibid.*

CAPVT XV.

Vers. 1. 2 3 Quæstio 1. *Cur accedunt illi qui erant ab Hierosolymis?* 298

vers.4. Quæstio 1. *Cur adduxerit testimonium de maledicentibus parenti?* 300
ver.5. Quæstio 1. *Quomodo excusabant se, ne parentes honorarent?* 301
ver.6. Quæstio 1. *Quomodo legem Dei transgressi sunt propter hominum traditionem?* 302
ver.7. Quæstio 1. *Cur vocet Hypocritas ex Isaia? ibid.*
ver.8 Quæstio 1. *Quid in populo illo Deus reprehendat.* 303
Ver.10. Quæstio 1. *An nihil quòd intrat in os coinquinet hominem?* 303
Ver.12. Quæst. 1. *Cur scandalizati sint Pharisæi?* 304
Ver.13. Quæst. 1. *Quæ plantatio dicatur patris cœlestis.* 305
Ver 15. Quæstio 1. *Cur parabolam vocat Petrus?* 305
ver.19. Quæstio 1. *Quomodo mala ex corde exeũt?* 306
ver.22 Quæst. *Quæ mulier Chananæa?* *ibid.*
ver.23 Quæstio 1. *Cur non respondit.* *ibid.*
ver 24 Quæst. 1 *Propter quos Christus fuerit missus? ibid.*
v.26 Quæst. 1. *Quomodo illam Christus repellit?* 307
Quæstio 2. *An huic aliquid contrà intercessionẽ sanctorum conficiatur.* *ibid.*
ver.27. *Quid mulier respondet Domino.* *ibid.*
ver 28 Quæstio 1. *Quæ fides illa fuerit?* 308
ver 29 Quæstio 1. *Quid in Iudæa præstitit?* *ibi.*

CAPVT XVI.

Vers.1. Quæstio 1. *Cur signum è cœlo petunt.* 309
vers.2. Quæstio 1. *Quid Dominus in tentatoribus reprehendit?*
vers.3. Quæstio 1. *An signum tempestatis mane rutilãs triste cœlum, & serenitatis vesperi rubicundum?* 311
vers.5. Quæstio 1. *Quomodo obliti sunt panes accipere?* 312
Vers 6. Quæstio 1. *Quod fermentũ Pharisæorum? ibi.*
Vers.8. Quæstio 1. *Cur vocat modicæ fidei?* 313
vers.13. Quæstio 1. *Quæ Cæsarea Philippi?* 314
Quæstio 2. *Cur ex discipulis quærit hominum opinionem?* *ibid.*
Vers.14. Quæstio 1. *Quem esse Iesum homines opinabantur?* *ibi*
vers.15. Quæstio 1. *Quem Apostoli Iesum dicunt?* 315
Vers 17. Quæstio *Cur Petrus beatus?* 315
vers.18 Quæstio 1. *Cur dicit: Et ego dico tibi quia tu es Petrus?* 316
Quæst 2. *Super quẽ ædificabit Ecclesiã suã? ibi.*
Vers.19. Quæstio 1 *Quæ claues regni cœlorum?* 319
Quæst. 2 *Cur claues datæ sunt?* 321
Quæstio 2. *Quæ portæ inferi?* 324
Quæstio 3. *An particula super terram, excludat defunctos?* 324
Quæstio 4. *An hoc loco Confessionis necessitas colligatur?* 324
Ver.20. Quæst. 1. *Cur præcepit vt nemini dicerent?* 325
Vers.21. Quæstio 1. *Cur deinceps de passione hortatur? ibid.*
Vers.22.& 23. Quæstio 1. *Rectene Petrus Christum increpet?* 325
vers.24 Quæstio 1. *Quid abnegare seipsum?* 326
Vers.25. Quæstio 1. *Quid inuenire & perdere animam suam? ibid.*
Vers.26. Quæstio 1. *Quanta animæ præstantia?* 326
vers.27. Quæstio 1 *An hinc operũ merita colligantur. ibid.*
vers.28. Quæstio 1 *Quid Regnum Dei* *ibid.*

CAPVT XVII.

Vers 1. Quæstio 1. *Quando assumpsit in montem discipulos?* 328
Quæstio 2. *Quis mons?* *ibid.*
Quæstio 3. *Cur tres solos?* *ibid.*
Vers.2. Quæstio 1. *Quæ transfiguratio?* 329
Quæstio 2. *An Christi Diuinitatem viderint?* 330
Quæstio 1. *An Moses & Elias verè, & cur adfuerint?* *ibid.*
Vers.4. Quæstio 1. *Cur ad tabernacula facienda Petrus se offert?* 331
Vers.5. Quæst. 1. *Quod testimonium Patris cœlestis? ib.*
vers.9. Quæstio 1. *Cur vetuit vulgari rem?* 333
vers.10 11.12.13. Quæstio 1. *An verè Elias sit venturus?* 333
vers.14. 15. Quæstio 1. *Quis Lunaticus:* 335
v.16.17. Quæstio 1. *Cur discipuli non potuerunt sanare Lunaticum.* *ibid.*
Quæst. 2. *An nihil impossibile sit fidei* 338
quæstio 1. *Cur orationem & ieunium Dæmoni eiiciendo necessarium dicat?* 338
vers.22.23. Quæstio 1. *Quomodo contristati sunt?* 339
vers.24. Quæstio 1. *Quod fuerit didrachma?* 340
vers.26. quæstio 1. *An Christus debuerit tributum soluere?* 340
Quæstio 2. *quomodo dedit?* 340
quæstio 3. *An scandalo fuisset illis Dominus, si non dedisset?* 340
quæstio 3. *Cur pro se & Petro soluit?* 341
Quæstio 4. *An Christiani omnes à tributo liberi?* 341
quæstio 5. *An Clerici liberi, à tributo, & seculari tribunali?* 342

CAPVT XVIII.

Vers.1. Quæstio 1. *Quonam ordine res acta sit in quæstione, de maiore in regno cœlorum?* 345
vers. 3. Quæstio 1. *An nemo maior fuerit in regno cœlorum?* 345
quæstio 2. *An fuerit mortalis ambitio* 346
Vers 5. Quæstio 1. *quomodo paruulum suscipiendo Christum suscipimus?* 347
vers 6. quæstio 1. *Quæ pœna scandali?* 348
vers.7. Quæstio 1 *Vnde sit scandalorum necessitas?* 349
vers.10. Quæstio 1. *Cur propter Angelos cauenda scandala?* 350
vers.11. Quæstio 1. *quorsum tendat quod dicit. Venit filius hominis?* 351
vers.12. quæstio 1. *Quæ centum & quæ vna ouis? ibid.*
vers 15. Quæstio 1. *quomodo priuatim frater corrigẽdus?* 352
vers.16. Quæstio 1. *Quid agendum sit si te non audierit?* 353
vers.17. Quæst. 1 *Si testes condemnat cui dicendum?* 353
Quæstio 2. *quid de confessione deducant orthodoxi?* 355
vers.19. Quæstio 1. *An omnia impetrentur à consentientibus?* *ibid.*
Quæstio 2. *An Christus secundum corpus sit vbique.* *ibi.*
vers.20. Quæst. 1. *An semper adsit congregatis in nomine suo.* 356
v.21.29. Quæstio 1. *Quoties proximo remittendum?* 356
vers.23. Quæstio 1 *quis Rex?* 356
Vers.24.25.26. Quæstio 1. *Quomodo Dominus debita exigit.* 356

CAPVT XIX.

Vers 1. Quæstio 1. *Quo profectus est?* 358
Vers 10. Quæstio 1. *An non expediat nubere?* 359
Vers.11. Quæstio 1. *Cur dicat non omnes capiunt verbum hoc?* 360
Vers. 2. Quæstio 1. *quot genera Eunuchorum Christus proponit?* 361
Ver.13. Quæst. 1. *Cur paruulos illi offerebant?* 364

CAPITVM.

*Vers.*14. Quæstio 1. *Quorum parvulorum est regnum cœlorum?* ibid.
*Ver.*16. Quæst 1. *Qualis adolescens ille fuerit?* 365
*Vers*17. Quæstio *1. An Christus se neget bonum, eo modo quo Deus est bonus* ibid.
Quæstio 2 *An ad vitam ingredi volenti, seruãda sint mandata?* 367
Vers 19. Quæstio *1 An illa particula addenda sit, Et proximum tuum sicut te ipsum?* ibid.
*V.*20. Quæstio 1. *An seruarit adolescẽs mandata?* 368
Quæstio 2. *An consilium sit omnia vendere?* ib.
*vers.*21. quæst. 1. *An perfectionis sit vendere omnia, & sequi Christum* 369
*vers.*23. 24. 25. 26. Quæstio *1. An impossibile sit diuitem saluari?* 370
*vers.*27. Quæstio *1. Quomodo Apostoli reliquerunt omnia?* 371
Quæstio 2. *Quomodo hic relinquenda, quæ hic nominantur?* 371
*vers.*28. quæstio 1. *Quæ merces est relinquentibus omnia?* 372

CAPVT XX.

*vers.*1. Quæstio 1. *Quis paterfamilias?* 374
*vers.*2. Quæstio 1. *Quæ pactio cum operariis est iniqua.* ibid.
*Ver.*3. Quæstio *1. Quibus horis operarios cõduxit?* 376
vers 4. Quæstio *1. Quomodo daturum se dicit, quod iustum est?* ibid.
*Vers*13. Quæst. *1. Quomodo non faciat iniuriam?* 377
*Vers.*14. & 15. Quæst. 1, *Cur dare vult postremo, quod & primo?* 378
Quæst. 2. *An electio sit ex præuisis meritis?* 379
Quæstio 3 *Quis oculus malus?* 380
*Vers.*16. Quæstio 1. *Qui primi qui nouissimi?* 380
Quæstio *2. Quomodo multi vocati, pauci electi?* 381.
vers 17. 18. 19. Quæstio 1. *Cur passionem prædicit?* ibi
*Vers.*20. Quæstio 1. *Quid Salome petit?* ibid.
*vers.*22. 23. Quæstio 1. *An Christi non sit dare, vt sedeant ad dextram & sinistram?* 382
Quæstio 2. *Quis calix proponitur Apostolis.* 383
*vers.*25. *Quale Apostolis Imperium prohibetur?* 384
Quæstio 2. *Quomodo Christus dederit animã suam redemptionem pro multis.* 385
*vers.*29. 30. Quæstio 1. *An hæc historia eadem cum illa, quæ Luc.* 18. 35. *& Marci* 10. 46.

CAPVT XXI.

*Vers.*1. quæstio 1. *Quæ Bethphage?* 388
*vers.*2. 3. 4. 5. Quæstio 1. *Quo & cur discipulos mittit.* 388.
Quæstio 2. *An asina an pullo vectus fuerit.* 389
Quæstio 2. *Quomodo Christi Diuinitas ex hisce eluxerit?* 391
*vers.*6. & 7. Quæst. 1. *Quæ prophetia de Christo citatur?* ibid.
*vers.*8. Quæstio 1. *Quis honor rebus ipsis Christo exhibitus?* 392
Quæst. 2. *Quis verborum honor Christo delatus?* 393
*vers.*10. Quæst. 1. *Quomodo testimonium Domino datum a turba?* 396
*vers.*12. Quæstio 1. *Quomodo eiecit vendentes & ementes templo?* 397
*vers.*16. Quæst. 1 *Quid indignantibus respondet?* 397
*Vers.*17. Quæstio 1. *Cur in Bethaniam rediit?* 398
*vers.*18 19. & 20. Quæstio 1. *Cur ficum arefecit.* ibi.
*vers.*23 Quæstio 1. *Qualem fidem exigit?* 399
*vers.*24 Quæstio 1. *Cur Pharisæis non respondet. sed eludere alia quæstione videtur?* 401
*Vers.*28. Quæstio 1. *Quo pertinet similitudo duorum filiorum?* 402
*vers.*32. Quæstio 1. *Quomodo venit Ioannes in via iustitiæ?* 402
*vers.*33. *& sequentes.* Quæstio 1. *Quæ similitudo?* 403
*vers.*37. Quæstio 1. *Quid filio Regis factum est?* 404
*Vers.*41. Quæstio 1. *Quid factum agricolis?* ibi.
*Vers.*42. Quæstio 1. *Quis lapis reprobatus?* ibid.
*vers.*44. Quæst. 1. *Quibus nocet lapis angularis?* 407

CAPVT XXII.

*vers.*1. 2. Quæstio *1 Quæ parabolæ significatio?* 409
*Vers.*4. *& sequent.* Quæstio 1. *Cur vocati venire noluerunt?* 409
Quæstio 1. *An eadem sit apud Lucam & Matthæum parabola?* 410
*Vers.*10. Quæstio 1. *Quomodo vocant bonos & malos?*
*vers.*11. Quæstio *1 Quæ vestis nuptialis?* 411
Vers 12. Quæstio *1. Quare obmutuit?* 412
*vers.*14 quæstio *1. Quomodo huic loco conueniat Epi. bonema. Multi sunt vocati, pauci electi?* ib.
vers 16. Quæstio *1. Qui Herodiani?* ibid.
*vers.*17. Quæstio 1. *Quis fuerit census, & an dare licuerit?* 415
Ver 19. 20. 21. 22. Quæstio 1 *Quomodo respondet?* 415
*Vers.*23. Quæstio 1. *Quæ hæresis, & quæstio sadducæorum?* 417
*Vers.*29. Quæstio 1. *Quæ saducæis causa errandi?* 417
*vers.*31. quæstio *1. Quomodo Christus probat resurrectionem mortuorum?* 418
*Vers.*35. 36. 37. Quæstio. 1. *An lex caritatis seruari possit?* 419
*vers.*40. quæstio 1. *Quomodo ex caritate pendet vniuersa lex & prophetæ?* 420
Quæst. 2. *An dilectio proximi naturalis an supernaturalis imperetur.* 421
*Vers.*42. quæstio 1. *Quomodo Christus filius Dauidis, & Dominus?* 422

CAPVT XXIII.

ver. 1. & 2. Quæstio 1. *Quomodo scribæ & Pharisæi sederunt super Cathedram Moysi.* 424
Quæstio 2. *An de Doctoribus Christianis ex Christi argumentatione autoritas concilietur?* ibid.
vers 4. Quæst. 1. *Quæ onera imponebant scribæ.* 426
Vers 5. Quæstio 1 *Quomodo Pharisæos superbiæ, & hypocriseos conuincit?* ibid.
*Ver.*3. Quæst. *1. An omnia facienda, quæ Pharisæi & scribæ dicerent?* 427
Quæstio 2. *An Euangelium S. Ioannis aut alia ferre, sit superstitiosum.* 428
*Ver.*13. Quæst 1. *Quomodo claudãt regnum cœlorum?* 429
*vers.*14. quæst. *1. Quomodo deuorent domos viduarum?* 429
Ver 15. Quæstio 1. *Quomodo proselytos facerent duplo filios gehennæ?* 429
*vers.*16. *vsque ad* 23 Quæstio 1. *Quis scribarum error de iureiurando?* 430
Quæstio 1. *Quomodo decimabant mentam & anethum?* 431
*ver.*25. *& sequent.* Quæstio 1. *Quomodo externa mundant, interna minime?* 431
*vers.*29. 30. 31. quæstio 1. *Cur ædificent sepulchra Prophetarum?* 432
*vers.*35. Quæstio 1. *Quomodo venturus sanguis omnium super Pharisæos.* 433
Quæstio 2. *Quis Zacharias.* ibid.

vers 37.

vers.37. Quæstio 1. *Quomodo voluit congregare filios Ierusalem.* *ibid.*

CAPVT XXIV.

vers.1. Quæst. 1. *Cur nunc templi structuram ostendant?* 435

vers.2. Quæstio 1. *Qualis templi fuerit eversio.* 436

vers.4.& 5 Quæst. 1. *Quæ seductiones & quando futuræ?* 437

vers.6.& 7. Quæstio 1. *Quæ bella, fames pestis & terræ motus.* 439

vers.9. Quæst. 1 *Quis status fidelium in mundo.* 440

Vers.10. Quæstio 1. *Quomodo scandalizandi sint multi?* 440

vers.12 Quæstio 1. *Quomodo refrigesceret charitas?* 441

vers.14 Quæstio 1. *An Euangelium ante consummationem sit prædicandum in vniverso orbe?* *ibid.*

vers.15 Quæstio 1. *Quæ abominatio desolationis?* 443

Quæst. 2. *Cur dicat. Qui legit intelligat?* *ibid.*

Vers.16.17.18. Quæstio 1. *Quæ fuga persecutionis suadetur.* 444

vers.21. Quæstio 1. *Quænam illa tribulatio* 446

vers.22. Quæstio 1. *Quomodo & quando dies breviati?* 447

Vers.24 Quæstio 1. *Quæ signa Pseudoprophetarum.* 448

Quæst. 2. *An sanctorum miracula reiicienda sint, quia miracula etiam videtur facere Pseudo Propheta?* 448

vers.23.25 26. Quæstio 1. *Quomodo dicent hic, aut ibi est Christus?* 451

Vers 27. Quæstio 1. *Cur Christi aduentus fulguri comparatur?* 451

vers.28. Quæstio 1. *Quid prouerbio illo vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ, indicatur?* 452

vers.29. Quæstio 1. *Quod signum in sole & luna?* 452

Quæstio 2. *Quomodo stellæ cadent?* 453

Quæstio 3. *Quomodo virtutes cœlorum mouebuntur?* 453

vers.30. Quæstio 1. *Quod signum filii hominis?* 454

Quæstio 2. *Quomodo veniet filius hominis?* *ibi:*

Ver 31. Quæstio 1. *Quomodo Angeli mittuntur?* 455

vers 36. Quæst. 1. *An iudicii die Christus nescierit.* *ib.*

CAPVT XXV.

Vers.1. Quæst. 1. *Quis parabolæ scopus?* 458

Quæstio 2. *An lectio vulgata probanda sit.* 459

Quæstio 3 *Quæ virgines fatuæ? quæ prudentes?* *ibid.*

Ver 3.& 4: Quæst. 1 *Quid oleum, lampades, vasa?* 460

Vers.5. Quæstio 1. *Quæ mora sponsi?* 461

Vers.6 & 7. Quæstio 1. *Quando venit sponsus?* 462

Ver.8.& 9 Quæst. 1. *Cur petunt oleum fatuæ, & cur recusant dare prudentes* 463

Vers 12.& 13. Quæstio 1 *Quomodo nescit fatuas virgines, & quomodo vigilandum?* 465

V 14. Quæst. 1. *Quis scopus sit parabolæ de talētis.* 466

vers.15. quæst. 1. *Quomodo dedit secundum propriā virtutem?* 466

v.16 17.& 18 Quæst 1. *Quæ negociatio seruorū?* 468

ver.19. & seq. Quæst. 1. *Quod iudicium de seruis & præmium?* 469

v.31. Quæst. 1. *An vēturus sit ad iudiciū Christus?* 471

Quæstio 2. *Qui cum iudice venturi sunt?* 472

ver.32. Quæst. 1. *Quinam congregandi sunt?* 473

ver.34. & seq. Quæst. 1. *Quæ causa salutis aut damnationis profertur?* 473

ver.37 quæst. 1 *An verè ista responsuri sint?* 476

ver.41 Quæst 1. *Cur impii damnentur.* 477

Quæstio 2. *An Deus potuisset aliquos creare ad mortē nudo suo arbitrio citra ipsorū culpā?* 479

Quæstio 3. *Quæ pœna maledictorum.* 480

CAPVT XXVI.

ver.1. Quæstio 1. *Quos vocet sermones?* 482

Vers.2. Quæstio 1. *Qui ordo dierum est gestorum ante Paschā?* *ibid.*

Quæstio 2. *An paschā post biduum?* 483

Quæstio 3. *Quomodo filius hominis traditur.* 484

Ver.3. Quæst. 1. *Quomodo congregatum fuerit Concilium sacerdotum?* 485

Ver.6.& 7. Quæst. 1. *Quænam fuerit illa mulier?* 485

Quæstio 2. *Quidnam alabastrum? & quod vnguentum?* 487

vers.8. &c. Quæst. 1. *Cur vnctionem tam sumptuosā Christus admiserit.* 490

Quæst. 2 *Quo precio vendi potuit.* 490

Ver 11.12.13. Quæstio 1. *Quomodo mulierem Dominus excusat.* 491

Quæstio 2. *Quid ex Christi verbis hinc concludunt Zvvingliani?* *ibi.*

Ver.14.15.16. Quæstio 1. *Quodnam pretium proditionis pactus est?* 493

vers.17. Quæstio 1. *Quæ prima dies azymorum?* 495

Quæstio 2. *Quo tempore Christus Pascha comederit?* *ibid.*

Quæstio 3. *An Iudæi festum Paschatis trāstulerint?* 498

Vers.18. Quæstio 1. *Apud quem Pascha Christus comedit?* 500

ver.20. Quæstio 1. *An Christus discubuerit, & qui cum illo?* 501

vers 21.22. Quæstio 1. *Quando de proditore locutus sit Dominus?* 502

vers.24. Quæstio 1. *An Iudas non potuerit non prodere Christum.* 503

Quæstio 2. *An melius fuerit Iudam natum non fuisse.* 505

Vers.25. Quæstio 1. *An absolutè Christus affirmarit Iudam esse proditorem?* 505

vers.26. Quæstio 1. *An cœna sit Eucharistia?* 506

Quæstio 2. *Quomodo benedixit.* *ibi.*

Quæstio 3 *Quid est, fregit.* 507

Quæstio 4. *Quæ hæreses in controversia de Eucharistia fuerunt.* 508

Quæstio 5. *Quæ hæreticorum nostri temporis explicationes?* 509

Quæstio 6 *Quomodo contemnant Caluiniani, & omnes sacramentarii verba institutionis?* 512

Quæstio 7. *Quid est, Hoc.* 513

Quæst. 8. *Quid est verbum substantiuum. Est?* 517

Quæstio 9. *Quid est, corpus meum?* 518

Quæstio 10 *Quæ hæretici contra verba institutionis obiicere soleant.* 518

Quæstio 10. *Quid senserit de hac re Tertullianus.* 521

Quæstio 10. *An illa verba sint consecrationis forma.* 523

Quæstio 11. *An ex verbis institutionis sacrificium esse probetur.* 524

vers.27.& 28. quæst. 1. *An verum Christus sanguinē dederit.* 526

Quæstio 2. *An necessaria sit, in communione species vtraque.* 528

vers.29. Quæstio 1. *Quod genimen vitis?* 531

vers.30. Quæst. 2. *Quis hymnus.* 531

Vers.31. Quæstio 1. *Quomodo scandalum prædicit.* 531

Ver.33 34.35.36.37. Quæstio 1. *Verane Christi tristitia fuerit.* 532

vers.39. quæst. 1. *Cur Christus petierit, vt à se calix transiret?* 533

CAPITVM.

Quæstio 2. *Quid ex hoc loco Patres probarint.* 537
vers.41. Quæstio 1. *Quomodo spiritus promptus, caro infirma.* 538
vers.47.48.49. Quæstio 1. *Quomodo captus fuerit Dominus?* 539
vers.51 & 52. Quæstio 1. *An Petrus vsu gladii peccarit?* 539
vers.35. Quæstio 1. *An Deus potuerit dare Christo 12. legiones Angelorum?* 541
vers.57. Quæstio 1. *Quo primum* Dominus *est deductus.* 542
vers.64 Quæstio 1. *Quomodo se Christus dicat filiũ Dei.* 542
vers.65. Quæstio 1. *Quomodo damnatus ad mortem est Dominus?* 543
vers.69. Quæstio 1. *Quo ordine & modo Christum Petrus negauit?* 543
vers.75. Quæstio 1. *An Petrus iustitia exciderit?* 544

CAPVT XXVII.

vers.1 Quæstio 1. *Quod matutinum consilium sacerdotum?* 548
vers.2. Quæstio 1. *Cur adducunt ad Pilatum?* 549
ver.3.4. quæstio 1. *Qualis Iudæ fuerit pœnitentia. ibi.*
vers.5. Quæstio 1. *Quo leto perierit Iudas.* 550
vers.6. quæstio 1. *Cur non licuit mittere in Corbonã.* 552
vers.7.& 8. Quæstio 1 *Cur agrum emerunt.* 553
vers.9.& 10 Quæstio 1. *Qua Prophetia citatur?* 554
quæstio 2. *Quomodo prophetia Zachariæ conueniat cum verbis Euangelistæ?* 556
vers.11.12 13.14. Quæstio 1. *Cur Pilato nihil respondu?* 557
quæstio 2. *Quomodo Rex fuerit.* *ibid.*
vers 17.18.&c. Quæstio 1. *Quomodo Christus in Barnaba comparatus est, & illi post habitus?* 558
vers.19. Quæstio 1. *Vnde somnium vxoris Pilati? ibid.*
vers.24. 25. Quæstio 1. *Quomodo Pilatus tandem Christum damnarit?* 559
vers.26.27.28.29.30. Quæstio 1. *Quæ vexationes, & ludibria crucem anteceſſerunt?* 560
vers.31.32 33. Quæstio 1. *Quomodo & quo ad supplicium ductus est?* 555
vers 34. Quæstio 1. *Quem potum Christo exhibuerunt?* 562
vers.35.36. Quæstio 1. *Quomodo diuiserunt vestes?* 566
Vers.37. Quæst. 1. *Quis titulus in cruce fuerit scriptus?* 567
Vers.5. Quæst 1. *Qua hora crucifixus est?* *ibid.*
Quæstio 2. *Quam late tenebræ fuerint diffusæ.* 568
vers.46. Quæstio. 1. *Quomodo voce magna, & cur clamarit.* 570
Quæstio 2. *An* Christus *desperarit, aut damnatorum tulerit tormenta?* 571
Vers.47.48.49 Quæstio 1. *Quid milites audita Christi voce fecerunt?* 574
Vers.50. Quæstio 1. *Quomodo exspiranit.* 755
Quæstio 2. *An mors Christi nostra fuerit redemptio.* 755
Quæstio 3. *An sacrificium Missæ sit redemptionis in cruce factæ contrarium?* 578
Vers.51. Quæstio 1. *Quod velum scissum fuit?* *ibid.*
Vers.52.53. Quæstio 1. *Quomodo, cur, & quando aperta monumenta?* 577
Quæstio 2. *Quo descenderit anima Christi.* 577
Ver.54.55.56. Quæst. 1. *Quis Centurio & qui crucifixerunt.* 578
ver.57.58.59. Quæstio 1. *Quomodo sepultus Christus* 579
vers.62. Quæstio 1. *Quid factum altera die?* 579

CAPVT XXVIII.

Ver.1. Quæstio 1. *Quæ sit vesperæ Sabbati?* 580
Quæstio 2. *Quæ venerunt ad sepulchrum.* 581
Quæstio 3 *Quando venerunt ad sepulchrũ? ibi.*
Vers.2. Quæstio 1. *Cur Angelus remouit lapidem?* 582
vers.5. Quæstio 1. *Quot Angeli fuerunt?* 583
quæstio 2. *An lapis reuolutus fuerit extra monumentum an in monumento?* 583
ver.6. Quæst. 1. *An illa verba: Non est hic: surrexit enim, veritatem Eucharistiæ tollant?* 584
v.8.9.10. Quæstio 1. *Quis ordo apparitionum sit?* 585
V.11 12.13.14.15. Quomodo fidem resurrectionis tollere, sacerdotes conati sint? 586
Ver.18. Quæstio 1 *Quomodo Christo data omnis potestas?* 587
Ver.16. quæstio 1. *Quid mandat abiturus Apostolis? ibid.*
Quæstio 2. *Quomodo baptizari iubet?* 589
quæstio 1. *An omnia seruanda fidelibus, quæ Dominus mandauit?* 591

INDEX COMMENTARIORVM IN S. MARCVM.

CAPVT I.

Quæstio 1. *Quis Marcus & quod eius Euangelium?* 595
Quæstio 2, *Vbi & qua lingua scripserit Euangelium.* 596
quæstio 3. *Quomodo Marcus fuerit interpres Petri.* *ibid.*
DE LITVRGIA MARCI. 597
Ver.1.2. Quæstio 1. *An legendum in Isaia, an Prophetis?* 599
Ver.4.5 6. quæstio 1 *Quomodo prædicat baptismum pœnitentiæ?* *ibi.*

CAPVT III.

Ver 5. Quæstio 1. *Cur circumspexit cum ira?* 604
ver.17. Quæstio 11. *Quid Bonaerges.* 605
ver.21. Quæstio 3. *Qui sui dicantur.* 606

CAPVT VI.

ver 13. Quæstio 1. *An oleum illud sit extremæ vnctionis?* 614

CAPVT VII.

Quæstio 1. *Quid sit κορβαν* 617
Quæst. 2. *Qui dicantur vrcei lecti.* 618
quæstio 1. *Cur Cærmonias Christus adhibuerit?* 619

CAPVT VIII.

ver 26. Quæstio 1. *Quæ hic lectio?* 621
ver.29. quæstio 2. *An ex Marco probetur Petrum non fuisse Ecclesiæ vicarium?* 622
Quæstio 3. *An post tres dies resurrexerit? ibi.*

CAPVT IX.

ver.37. Quæstio 1. *Quis aut qualis exorcista?* 624
ver 39. quæstio 1. *Quomodo qui non est aduersum Apostolos, cum illis est?* 625
ver 34. Quæstio 1. *Quis vermis.* *ibid.*
ver.48. Quæst 1 *quomodo omnis igne salietur?* *ibid.*
ver.49. Quæst. 1. *De quo sale hic Dominus loquatur?* 626

CAPVT XI.

ver.28. Quæst. 1. *An opus sit ad docendum legitima potestate.* 632

CAPVT XVI.

Quæst. 1. *An hoc caput Marci sit?* 641
quæst. 2. *An necessaria fuerint signa ad Euangelii promulgationem?* 643

APPRO-

APPROBATIO.

HOs in quatuor sancta Iesu Christi Euangelia Commentarios, à P. Adamo Contzen Societatis nostræ Theologo conscriptos, atq; à deputatis ad id Theologis lectos, & approbatos, ego Gualterus Mundbrot Societatis Jesu per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, concessa mihi potestate, ab admodum R.P.N. Mutio Vitelleſco Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra supscriptum, & sigillo officij nostri munitum dedimus. Ingolstadij 7. Iulij. 1626.

Gualterus Mundbrot.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus ac singulis Typographis, & bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negociationem exercẽtibus seriò firmiterq; inhibeatur, ne quisquã vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel inposterum edẽdos intra S. Romani Jmperii Regnorum & Dominiorũ suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte, recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiã impressos adducere, vendere, & distrahere clam, seu palam, citra iudicium, ac testimonium supradictorum Patrum audeat, vel præsumat. Concedo ego WALTHERVS MVNDROT Societatis Iesu per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id facta ab admodum R. P. N. MVTIO VITELLESCO) Joanni Kinckio Ciui & Bibliopolæ Colonienſi, facultatem excudendi hos in quatuor Jesu Christi Euangelia commentarios à P. Adamo Contzen societatis nostræ Theologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis lectos, & approbatos. Jn quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra superscriptum, & sigillo officij nostri cõsueto munitum dedimus. Jngolstadij 20. Julij ANNO 1626.

Gualtherus Mundbrot.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM secundum Matthæum.

CAPVT PRIMVM.

LIBER generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham. 2. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. 3. Iudas autem genuit Phares, & Zaran de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. 4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. 5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. 6. Dauid autem Rex genuit Salomon ex ea quæ fuit Uriæ. 7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. 8. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. 9. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. 10. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. 11. Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis. 12. Et post transmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. 13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. 15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. 16. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. 17. Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes quatuordecim. 18. Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. 19. Ioseph autem vir eius cum esset iustus & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. 21. pariet autem filium: & vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 22. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentẽ, 23. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabit nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. 24. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. 25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius IESVM.

Luc. 3. c. 31. Gen. 21. a. 3. Gen. 25. d. 26. Gen. 29. d. 35. Gen. 38. g. 29. 1. Par. 2. a. 5. Ruth. 4. d. 28. Num 7. b. 12. 1. Reg. 16. Ruth. 4. d. 18. 2. Reg. 12. f. 24. 3. Reg. 11. g. 43. 3. Reg. 14 g. 31. 3. Reg. 15. b. 9. 2. Par. 26. d. 23. 2. Par. 27. d. 9. 1. Par. 28. d. 27. 2. Par. 32. g. 33. 2. Par. 33. 20. & 21. 2. Par. 36. a. 1. 2. Luc. 7. c. 17 Luc. 10. 31. Actor. 4. b. 12. Isa. 7. c. 14.

IN CAPVT PRIMVM

ARGVMENTVM.

PRIMO capite describit Christi Genealogiam secundum carnem, ab Abrahamo vsq; ad Iosephum, qui pater eius putabatur; Deinde eiusdem redemptoris natiuitatem in ciuitate Dauid, ab Isaia propheta iam olim prædictam, & Iosepho per somnium reuolatam. In Syriaca Ecclesia legitur à primo versu vsque ad 18. à Dominica quæ natiuitatem antecedit, דהך בשבא קדם ילדא *dethad beschabba kedam ialeda*, Dominica ante natiuitatem, à versu 18. ad finem positus est titulus גליונה דיוסף *Galienath deiauseph*, reuelatio Ioseph. Cum vero tituli in Syro, non sint tam argumenta eorum quæ sequuntur, sed

indicia ritus alicuius Ecclesiastici, vt Ieiunii, aut diei festi, apparet singulari cærimoniâ hanc reuelationem fuisse in illa Ecclesia solennem, & pro Euangelio hunc textum legi solitum.

VERSVS 1.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, Filij Abraham.

QVÆSTIO I.

Quod Matthæi institutum fuerit in scribenda historia Euangelica?

§. 1. VNiuersæ quidem Ecclesiæ, in suæ tamen gentis præcipue gratiam Euangelium scripsisse Matthæum idq; vernacula Syrorum lingua supra docui. Exordio autem suo ostendit, generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam. Vt monet Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 1. Et ne plures auctores nominandi sint, copia facit, omnes enim veteres, & recentiores consentiunt. Idcirco enim vocat βίβλον τῆς γενέσεως, *libellum*, quo nomina genealogiæ recensentur. Vti Gen. 5. 1. זה ספר *Ze Sepher, ille Liber*, seu Catalogus generationis Adam. ad cuius imitationem Euangelium suum Matthæus expressit, nisi quod progenitorum Christi nomina Matthæus, posterorum Adami Moses posuit. numerationem crebro apud Hebræos significat. vt 2. Par. 2. 17. Literas etiam quascunque, & Epistolas. vt 4. Reg. 55. 2. Reg. 5. 6. & 22. 13. Syrus textus habet כתבא *Kethaba*, quod generaliter omnem Scripturam significat. Scripsit igitur Matthæus Christi incarnationem, *secundum stirpem regiam, & plerag; secundum præsentem hominum vitam eius facta, & dicta*: vt Augustinus lib. 1. cap. 2. de cons. Euangel. Qua quidem in re saluti Iudæorum apprime consultum erat. Cum enim in omnium animis facta eius, ac dicta viuerent, cum Apostoli Christum magno animo prædicarent, *sermonem Domino confirmante sequentibus signis*, manebat tamen in Israelitarum animis de eius genere dubitatio, quam callide Pharisæi, veritatem in iniustitia detinentes, fouebant: quod enim Nazareti educatus esset, Messiam esse negabant, quem ex vrbe Bethlehem, de genere Dauidis nasciturum Prophetarum oraculis prædictum erat. Hinc Ioan. 1. 46. Nathanael quærit; *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Primus viri docti scrupulus est: quia dicitur esse à Nazareth; & à Prophetarum elogiis patria discrepare videtur. Nec aliter Iudæi Ioan. 7. 41. disceptant. *Quidam autem dicebant. Nunquid à Galilæa venit Christus? Nunquid Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de castello vbi erat Dauid, venit Christus?* Nec modo populus, quem Pharisæi & scribæ maledictum appellant, Ioan. 7. 49. sed principum etiam sententia erat. Adeo vt illo præiudicio Christum inauditum damnarent. Cum enim Nicodemus occultus eius defensor, & patronus negaret, incognita causa Christum damnandum; Concilium, quasi liquida causa esset, & notoria; omnibus Christi factis, dictisq; natales opponit. *Responderunt, & dixerunt ei. Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* Ioan. 7. 52. Cum igitur omnibus constaret, Christum ex Bethlehem, & de domo Dauid nasciturum: omnes etiam certo scirent, in Galilæa educatum: Hoc negocium Matthæus, & Lucas sibi tractandum susceperunt, vt ex familia Dauid oriundum ostenderent, & Dominum nobilitati suæ restituerent. Quod quidem illo tempore, ex tablinis, libriſque, tum viuis testibus perfacile factu erat. Mira sane Doctorum vel negligentia, vel stupor, de tanti Prophetæ natalibus non inquirere, sed errorem suum perpetuo fouere.

Matthæi scopus, in hac genealogia Christi genus ostendere.

Necesse erat Regium Christi genus cognoscere.

Pharisæi contra natales Christi primum exceperunt.

§. 2. Hoc Euangelistæ exordio omnes illi, qui veram eius humanam natiuitatem carnemq; negarunt, refutantur. Inter alios id olim Valentinus docuit. Epiphan. hæres. 31. August. hæres. 11. Christum per Mariã vt canalem transisse. Et Apelles corpus ex elementis assumpsisse. Alii veram carnem eius negarunt, alii commentitium Christum asseruerunt. Videndus Tertullianus de carne Christi. vbi illos, & Marcionem, Saturninum, aliosque refutat. omnes illos, etiam sancti Patres, hoc Matthæi elogio reuicerunt. Si enim filius Abraham est, si filius Dauid, si natus de Maria Virgine; si hæc est series generationis illius, quomodo aut corpus non habet, aut aliunde, quam ab his e genitoribus habet? Eodem telo aduersarios ferit Athanasius de incarnatione Christi. *Sed exterminare cupitis vocabulum corporis, neg; tolerare potestis, deinceps hominem appellari, qui fieri potest, vt diuinas Scripturas legisse videamini? cum Matthæus scribat. Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham?* Quin & ante illos Iren. lib. 3. cap. 18. aduersus hæreses.

Exordio suo probat Christi humanitatem Matthæus.

Qui corpus Christi negant, Scripturas non legerunt.

Eandem illam viam ingressi suat, qui nostro tempore, & Patrum, contra Schvencfeldium, Mennonẽ, Seruetum, Anabaptistas Monasterienses, aliosq; scripserunt. De quibus alibi commodior agendi ratio.

§. 3. Maior etiam cura antiquis adhibita est; ne dum solam generationem humanam in Euangelio legunt, incauti diuinitatem impugnent. Quæ quidem Christi geopinio inter primos errores caput extulit, nam & Iudæi *lapides tulerunt, vt iacerent in eum, quod se Deum diceret.* Et præcipuum vltimi supplicii elogium edidere runt: *Quod filium Dei se fecisset.* Secutus mox Cerinthus, vt Iren. lib. 1. cap. 25. qui Christum purum hominem; Ebion qui in cœlo creatum asseruit: aliique: quos contra Tertull. lib. de præscript. cap. 48. Monuit hoc Nouatianus adhuc presbyter, adhuc in Ecclesia militans. *Eadem regula Veritatis docet nos, credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Iesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, huius Dei, qui & vnus & solus est, condidit or scilicet rerum omnium, vt iam superius expressum est. nasceretur, Hunc enim Iesum Christum iterum dicam huius Dei Filium, secundum & in veteri Testamento legimus esse repromissum, & in nouo personam Testamento animaduertimus exhibitum, omnium Sacramentorum vmbras, & figuras de præsentia corporata veritatis implentem. Hunc enim Abrahæ Filium, hunc Dauid, hunc nominus & vetera prædicta, & Euangelica testantur. Hunc ipsa Genesis, quum dicit, Tibi dabo & semini tuo. Hunc, quando luctatum ostendit hominem cum Iacob. Hunc quando dicit, Non deficiet Princeps de Iuda, neq; dux de femoribus eius, donec veniatis cui repromissum est, & ipse erit expectatio gentium. Hunc Moyses, quum dicit, prouide alium quem mittas. Hunc idem, quando testatur, Propheten vobis dicendo suscitabit Deus ex fratribus vestris: eum quasi me audite. Hunc quando dicit, Videbitis vitam vestram pendentem nocte ac die, & non credetis ei.* Et deinde. *Verumne ex hoc quod Dominum nostrum Iesum Christum Dei creatoris Filium in substantia veri corporis exhibitum adferimus, aliis hæreticis hoc in loco hominem tantum & solum defendentibus, atque ideo hominem illum nudum & solitarium probare cupientibus, aut manus dedisse, aut loquendi materiam commendasse videamur; non sic de substantia corporis ipsius exprimimus, vt solum tantum hominem illum esse dicamus; sed vt diuinitate sermonis in ipsa concretione permixta, etiam Deum illum secundum Scripturas esse teneamus. Est enim periculum grande, Saluatorem generis humani, totius Dominum & Principem mundi, cui à suo Patre omnia tradita sunt & cuncta concessa; per quem instituta sunt vniuersa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, eorum omnium & temporum Regem, Angelorum omnium Principem, ante*

Multi dum humanam Christi genealogiam legunt, diuinitatem negant.

quem

quem nihil præter Patrem, hominem tantummodo dicere & authoritatem illi diuinam in his abnegare. Hæc enim contumelia hæreticorum ad ipsum quoque Deum Patrem redundabit, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit. Sed enim veritati, cæcitas hæreticorum nulla præscribet. Nec quoniam in Christo aliquid non tenetur, alterum vident, alterum non vident, eripitur nobis illud quod non vident, per illud quod vident. Quasi hominis enim in illo fragilitates considerant, quasi Dei virtutes non computant, infirmitates carnis recolunt, potestates diuinitatis excludunt.

§. 4. Vera igitur fides hominem confitetur, & Deum adorat. Diuinitatem ita probauit verbis Christus & operibus, vt qui electi erant ad vitam æternam crediderint, qui credere noluerunt facti sint inexcusabiles. Humanitas etiam, & Regium genus de radice Dauid, ita cognitum Iudæis fuit, vt nemo tempore mortis illius dubitarit. Voce totius populi ramos ferentis vocatur filius Dauid. Nec quicquam vel apud præsidem, vel populum accusatores, de genere illius attulerunt, cum tamen irrefragabili argumento impostura eum conuincere potuissent, si id probassent. Certum itaque erat genus & familia. Nam si id dubium fuisset, Pharisæi non modò excusari potuissent, sed etiam inuicto argumento probassent, non esse Messiam. *Iudæi Christi genus nõ oppugnarunt.*

§. 5. Leue est quod Faustus Manichæus obiicit, *Liber generationis Iesu Christi Filii Dauid.* Non ergo Liber Euangelii Iesu Christi, sed Liber generationis. *Matthæus improbum iudicauit; Genealogiam dicere Euangelium. Quia vero Stella inducitur, quæ confirmat Genesin melius vocari Genesidum.* Cui respondet lib. 2. cap. 2. Augustinus, Generationem Christi ad Euangelium pertinere, ex Timoth. 2. 8. *Ex semine Dauid secundum Euangelium meum.* Esse vero hunc nuncium omnium lætissimum. Quod si verba fabricari delectet, posse & Ioannis Euangelium ab eo vocari Verbidium, quia dicit: In principio erat verbum.

VERSVS 5.

Salmon autem genuit Booz de Raab.

QVÆSTIO I.

An veteri Testamento consentiat Boozi generatio?

§. 1. MYsterium magnum, & mirum pignus diuinæ misericordiæ. Ex vrbe perditissima, quæ tota in anathema abiit, quam sub maledicto vertit Deus restaurari, non aliquam de melioribus, aut minus malis, sed meretricem seruauit Deus. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Iesus Christus venit in mundum peccatores saluos facere.* Nemo miretur, sed potius dicat, quod fateri Apostolus non erubuit: *Quorum primus ego sum.* Nemo indignetur Principem nobilissimæ tribus publicum sibi Scortum matrimonio iunxisse, cum Christum videat, in genealogia sua cæteris præteritis tres impudicas mulieres poni iussisse. Non est hoc inquam mirum, sed mysterio plenum: venerat enim assumere naturam humanam, naturam apostatricem, quæ se diabolo prostituerat. Gentium Ecclesiam collecturus erat, cuius salus in hac meretrice figurabatur. Rahab in populum electum insita, primario Duci nubit, inter matronas Israelitidas splendidior incedit, nec quæstus corporis opprobrio est, tot Regum, & tandem Christi Domini mater. Augustinus in Psalm. 89. *Memor ero*, inquit, *Raab. Quæ ista est? Meretrix illa in Hiericho. Meretrix quæ suscepit nuncios, & alia via eiecit, quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est vt per fenestram mitteret coccum, id est, vt in fronte haberet signum sanguinis Christi. Saluata est ibi, & Ecclesiam gentium significauit. Vnde Dominus superbientibus Pharisæis dixit: Amen dico vobis, publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum. Præcedunt, quia vim faciunt. Impellunt credendo, & ceditur fidei, nec obsistere potest quisquam, quia qui vim faciunt, diripiunt illud.* *Genus humanum redempturus expectatoribus nasci voluit.* *Gratia Dei omnis meritã liberat, sua cælo ignoscit.*

§. 2. De hac serie grauis est, & à multis proposita difficultas, quam tum veteres, tum Abulensis adducit, & dissoluit. In temporum igitur calculo latet difficultas. Templum ædificatum est anno 480. egressus filiorum Israel ex Ægypto. Sunto ergo. *Sola difficultas fœcunditatis in genealogia hac apparet.*

Ab exitu ad templum	480.

Hinc demendi aliquot anni vt natiuitatis series intelligatur.

Ab exitu ad captam Iericho	40.
Ab ortu Dauidis ad mortem eius	70.
Ab init. o regni Salomonis ad templum	4.
Summa annorum	114.
Quæ subducta ex	480.
Supersunt anni	366.

Hoc temporis spacium in Salmonem, Booz, Obed, Iesse distribuendum est. Dicendumque hoc vel simili modo rem habere. Salmonem 66. annos post captã Ierichunta genuisse Booz, illum deinde & alios centenarios genuisse filios. Et si vni quippiam dematur, alteri addendum esse. Hanc in sententiam multi conueniunt, nec magnopere mouet, quod extremæ senectuti fœcunditatem tribuunt, cum Abraham annos centum quadraginta natus filios habuerit, nec causa fuerit vt non, & Iudicum æuo multi longæui esse potuerint. Exempla multi vetera, & recentia adferunt. Plinius lib. 7. natur. historiæ cap. 48. Quamuis Romani quos memorat, non multum excesserint annum centesimum. Atque ita in hac quidem causa difficultas nulla est, si numerus ille, de quo agimus, verus iudicetur, verum quia de annis inter egressum & templi initium disceptatur inter auctores, noua argumenta concutiunt. De annis enim inter exitum ex Ægypto, & templi restaurationem interpositis varia est sententia. Præceptor meus Nicolaus Serarius in 3. Reg. c. 7. lectiones aut opiniones septẽdecim recẽset: Tandẽ cõcludit à primo exitu ex Ægypto ad inchoatam templi ædificationẽ annos esse 680. à quib. si detrahas 114. supererunt 566. inter hos diuidendi: multo itaque maius spacium concedendum est illis, quos diximus Christi progenitoribus. Neque tamen video cur id fieri nequeat, si consideremus multos etiam post illos vixisse diutius. Tanto post Gorgias Leontinus vegetâ senectâ fuit, & vt Cœlius ait pubescente, cum annum 108. attigisset, causam ille reddebat: quod voluptatis causa nihil vnquam egisset. Cur non igitur & hi centum quinquaginta annos, aut plures viuere non valeant? Natura fortes, sobrii, pii, Dei adiutorio defensi? *Longæuitatis comes fœcunditas.* *Anni ab exitu ad templum variè computati.*

§. 3. Qui naturam ferre negant in ætate tam adulta fœcunditatem ad alia omnia se conuertunt. Nam, vt Iosephum omittam, qui Boozum ad Heli tempora refert. Lyranus tres Boozos continuos ponit, atq; ita facile generationes explet. Alii quosdam volunt omissos; vt Ochozias, Ioas, Amasias postea omittuntur. Vetum non videtur omnino dicendum plures interponi; non modo, quia, cum id aliunde non constet, temere affirmandum non est, sed etiam quia ex Libro Ruth refutatur. cap. 4. 18. *Hæ sunt generationes Phares, &c. Nahassõ genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed, genuit Isai, Isai genuit Dauid.* Valde autem signanter 1. Paral. 2. 11. *Nahassõn quoque genuit Salma, de quo natus est Booz, Booz quoque genuit Obed, qui & ipse genuit Isai.* Cum igitur tot testimoniis constet illa genera- *Non sunt alii in Genealogiam Christi inserendi.* *Matthæi Genealogia ex vetere Scriptura probatur.*

generatio; eumque eadem difficultas sit in Libro Ruth & Parilipomenon, causa non est, cur in Matthæo nouam quæstionis solutionem petamus. Cætera peti possunt, ex accuratissimo Scriptore Nicolao Serario in cap. 4. lib. Ruth.

VERSVS 7.

Salomon autem genuit Roboam.

QVÆSTIO I.

Quomodo Matthæus & Lucas conciliandi sint?

Beza periculose de Euangeliis loquitur.

§. 1. NOlim alterutrius Euangelistæ textum mutari, aut ex Collegæ sui verbis corrigi; maneat id, quod semper legit Ecclesia; quod etiam Iulianus aliique obiecerunt. Itaque non *venerandæ antiquitatis* est Liber Bezæ, sed improbæ impostura, quem in medium extrudit putidæ mercis infidus propola. Sed eius codicem audiamus. *Sed hic*, inquit, *prætermissum nolim inexspectatum quiddam, nempe in illo meo venerandæ sane vetustatis codice (cuius antea sæpe memini) hanc Genealogiam, sicut apud Matthæum descendendo, sic hoc loco ascendendo, iis tantū adiectis quos Matthæus in tesseradecadib. consti uendis prætermerat ad Salomonē, nō ad Nathanē, cæteris sursum ad Adamū vsq; inuariatis, deduci. hac videl. serie:* Ὁ δὲ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἰακὼβ, τοῦ Ματθὰν, τοῦ Ἐλεαζὰρ, τοῦ Ἐλιέὲδ, τοῦ Ἰαχεὶμ, τοῦ Σαδὼκ, τοῦ Ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἀζεὶδ, τοῦ Ζοροβαβὲλ, τοῦ Σαλαθιὴλ, τοῦ Ἰεχονίὰ, τοῦ Ἰωακεὶμ, τοῦ Ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἰωσία, τοῦ Ἀμὼς, τοῦ Μανασσῆ, τοῦ Ἐζεκία, τοῦ Ἄχὰς, τοῦ Ἰωαθὰμ, τοῦ Ὀζεία, τοῦ Ἀμασία, τοῦ Ἰωὰς, τοῦ Ὀχοζίὰ, τοῦ Ἰωρὰμ, τοῦ Ἰωσαφὰτ, τοῦ Ἀσὰ, τοῦ Ἀβία, τοῦ Ροβοὰμ, τοῦ Σαλομὼν. *Quinam autem id sit factum nescio, cum recepta lectio, tum Syri ipsius interpretis authoritate, tum Scriptorum omnium Sacrorum, (propterea de Matthæo cum Luca conciliando laborantium) consensu plane confirmetur: cui sane præiudicium vllum afferre nec velim, nec ausim. Tantum dico, fieri potuisse, vt ipsis Euangelistarum temporibus Iudæi Genealogiam istam quantum in ipsis fuit, depravarint, quasi fidem cæteris de Christo narrationibus abrogaturi: quæ fraus à plerisque non animaduersa, facile obtinuerit. Sed vtcunque sit, age recepta lectio salua & intacta permanito. Lectorem tamen hoc celatum nolui.*

Aliciius errore, vel dolo adiecta sunt illa nomina.

Temerarii est de antiquæ lectionis dubitare.

Nolim sane vel hac de re dubitare Bezam, si enim initium Euangelii Matthæi, in quæstione grauissima, vel Lucæ perfidiâ Iudæorum sit vitiatum, atque in duorum conciliatione tota Ecclesia laborauit, rudentibus Iudæis sua fraude tantum laboris datum Christianis si non omnia, certe multorum Librorum fides nutabit. Neque enim arduum fuerit Bezæ posteris codices obsequentes suis erroribus nanciscī. Insigne sane exemplum, nos non esse de Scriptura certos, nisi docente Ecclesia. Quæ enim auctoritas Bezam dubitantem confirmat; lectionem codicis venerandæ antiquitatis veram non esse, licet veteri Testamento consentientem; aliam à Iudæis non esse corruptam?

Beza de vera lectione non nisi ab Ecclesia certus est.

Quæ, inquam, ratio certum reddit, nisi consensus Librorum, & eorum qui Libros nobis reliquerunt? Cui nos cum Augustino respondemus. lib. 1. contra Cresconium Gram. cap. 33. *Proinde quamuis huius rei certe de Scripturis Canonicis, non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re nobis tenetur veritas cum hoc facimus, quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate huius quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Si igitur obscura quæstio est: vtra vera sit apud Lucam lectio, variantibus venerandæ antiquitatis codicibus, & per

Vnde de veritate lectionis certus sim.

Iudæos falli metuis, Ecclesiæ scrinia inspice, quæ vt est omnis veritatis fida custos, ità etiam diplomatum, & instrumentorum, quibus veritas ipsa continetur, certissima conseruatrix, & indicatrix.

§. 2. Diuersitas itaque narrationum licet multiplex sit, vnica tamen est, in qua concilianda elaboramus. Nempe quod Matthæus Salomonem & filium Roboamum, Lucas vero Nathanem collocet. Vnde Iudæis posterioribus, & Gentilibus occasio fuit Euangelia sugillandi, Christianis defendendi, mihi placet ea quæ est apud Eusebium lib. 1. cap. 7. & Nicephorum lib. 1. cap. 9. Cum enim Christianorum quisque suo marte aliquid meditatus fuerit, vt refert Eusebius, & Nicephorus testeturintegros Libros scriptos esse à viris claris; inualuit tamen sententia Africani Epistol. ad Aristidem, quæ ab vtroque auctore describitur. *Quoniam*, inquit, *generum & familiarum nomina inter Israelitas, aut natura, aut lege enumerari solent: natura, cum proles ex germano parentum semine orta succedit: lege autem, cum alter filium in nomen procreat fratris sui, qui absque Liberis excesserit è vita, (nam quia nondum certa & indubitata resurrectionis spes eorum animis penitus insidebat, idcirco futuram resurrectionis promissionem in hac mortali & caduca resurrectionis specie imitatione quadam adumbrarunt, quo nomen, eius, qui vitam cum morte commutauerat, non prorsus ex omni memoria deleretur) & quoniam etiam illorum qui in ista genealogia introducuntur, alii vere & ingenue successerunt, vt Filius Patri: alii ab aliis procreati, aliorum nomen adepti sunt: idcirco vtrorumque fit mentio, & illorum qui vere genuerunt, & horum, qui quodammodo eos genuisse dicuntur: & ob eam causam neutrum ex Euangelistis est mentitum, cum alterum naturam, alterum legem percenseat. Genera enim, tum quæ à Salomone; tum quæ à Nathan ducta sunt, in sobole suscitanda pro his qui Liberis caruerunt (quod vtrique diuersoquidem secundus nuptiis & renouatione seminis fit) ita confunduntur, vt non sine causa iidem Liberi interdum diuersorum tum Patrum putentur: tum horum qui opinione, tum illorum qui vere Patres extiterunt. Ita efficitur, vt vtraque genealogiæ declaratio, re ipsa & proprie vera cum sit, licet varia quidem & diuersa, accurata tamen & exquisita ratione gradatim descendat. Verum vt, quod oratione proposueram, planius fiat & apertius, ipsam generum & familiarum seriem persequar. A Dauide per Salomonem dum Matthæus generationes numerat, tertius à fine reperitur Matthan, qui genuit Iacob, Patrem Ioseph. A Nathan autem per Dauid, vt Lucas numerat, similiter tertius à fine inuenitur Melchi: cuius filius erat Heli, Pater Ioseph. Ioseph enim filius fuit Heli, qui ex Melchi prognatus fuerat. Cum igitur Ioseph nobis sit propositus, quem inuestigemus: explicandum videtur, quo pacto & Iacob & Heli suum genus, alter ex Salomone, alter ex Nathan deducens, vterque illius Pater esse dicatur. Ac primum, qua ratione isti duo Iacob & Heli probentur fratres fuisse: deinde, quomodo istorum Patres Matthan & Melchi (qui diuerso orti sunt genere) ani Ioseph ostendantur. Sic igitur res se habet. Matthan & Melchi vicissim eandem duxerunt vxorem, & fratres ex eodem vtero progenuerunt: cum lex minime obstaret quo minus vidua, vel libello repudii dimissa, vel viri morte vinculis matrimonii soluta, alteri nuberet. Ab Estha quidem (hoc enim nomine fuisse mulier illa traditur,) primus Matthan, qui à Salomone ducebat genus, suscepit Iacob. Ac simulatque Matthan è vita migrauit, Melchi, originem generis sui ad Mathan vsque referens (cum ex eadem quidem tribu, sed ex diuerso genere ortus esset,) istam, vt supra diximus viduam duxit vxorem: ex qua filium Heli procreauit. Ita factum est, vt Iacob & Heli ex diuersis generibus satos, vterinos quidem fratres reperiamus. Quorum alter, nempe Iacob, vbi frater ipsius Heli absque prole occubuerat, vxorem eius in matrimonium assumens, ex illa Ioseph, & natura & ratione sibi filium tertium produxit. Quapropter scriptum est: Iacob genuit Ioseph, què secundum legem filius erat Heli. Nam cum Iacob frater esset illius, ei semen suscitauit. Quocirca neque hæc, quæ de eo apud Matthæum Euangelistam citatur genealogia, Iacob genuit Ioseph;*

Christus ad Salomonem & Nathanem pertinet.

Familiæ vel natura vel lege recensentur.

Idem Liberi sunt diuersorum patrum.

Ioseph filius ex lege Heli, eius frater Iacob.

seph: neque rursus illa, quæ apud Lucam est, Iesus qui, vt putabatur, nam hoc etiam addit) filius fuit Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi, inanis irritaue existimari debet. Atque ista generandi ratio, quæ ex lege ducta est, non poterat significantius, aut magis proprie exprimi. Idcirco istud vocabulum, Genuit, in tali Liberorum procreandorum ratione, dum familias ad Adam vsque, qui à Deo creatus est, gradatim ascendendo repetit, ad finem vsque silentio omnino præteriit. Neque certe hoc à nobis sine causa & ratione probabili, neque nostro ingenio subito iam & ex tempore excogitatum est. *Nam qui Seruatori nostro secundum carnem cognati sunt, vel stirpis suæ insigniter illustrandæ, vel historiæ simpliciter docendæ studio inducti, etiam ista nobis vere tradunt.*

Traditione Euangelistæ conciliantur.

Hinc appareat Fausti Manichæi immanis impudentia, qui se *offensum*, ait, *duorum Euangelistarum dissensione*, Lucæ & Matthæi, cum vero nesciret vter mentiretur, ad Marcum & Ioannem se contulisse. Cui Augustinus lib. 3. contra Faustum rectissime respondet. Si diligenter quæras, eo quam temere damnare maluisset, inuenturum fuisse, nisi magnum aliquid lateret, fieri non posse vt toto orbe tanta Euangelio auctoritas tribueretur. Deinde respondet. A duobus patribus, duos auos, atauos, proauos esse non mirum, nec contrarium esse.

Duobus non mirum duos auos esse.

Patrem autem vsitatissime dici, non tantum à quo quis genitus est, sed etiam, à quo adoptatus.

Imo fœminas olim adoptasse filios. vt Saram, Genes. 16. & Liam Genes. 30. & filiam Pharaonis Exod. 2. Adoptione quoque nos Dei filios esse. Itaque non opus fuisse ad alios se conferre, non enim amare sanctos suos electores, si sint factorum desertores es.

Sed mirantur tamen nonnulli, cur non omnem dubitandi causam præciderit Matthæus, & calumniandi; quod nominandis illis regibus facere poterat. Verum quæri pari ratione potest, cur tot Sacræ Scripturæ locis tam difficilia intellectu occurrant? Quæstio enim communis est, alio loco perpendenda. Interim vt non est alienum à consuetudine Sacrarum literarum quosdam in Genealogiis præteriri, imo & in publicis actibus. Ita diuersi parentes diuersa causâ vni tribuuntur. Deuteron. 33. in benedictione omittitur tribus Simeon; omnes causam quærunt, solus Moses nouit. Admirabilius est quod Esdras Libro 1. 7. 1. eam originem recensens quosdam omittit, nec causa patet. Nam vt breuitatis causa factum dicamus, id satis à consuetudine abhorret, cum maximi momenti esset ad posteros integram summorum sacerdotum Genealogiam ostendere & tueri. At ipse Esdras sex omittit, qui 1. Paralip. 6. 3. recensentur; vt vtrumque locum consideranti clarum euadet. In Esdra hic ordo est. Esdras, Saraia, Azarias, Helcias, Sellum, Sadoc, Achitob, Amarias, Azanas, Maraioth, Zachariæ, Ozi, Bocci, Abisue, Phinees, Eleazar, Aaron. In Chronicis Regum contrarius ordo est. 1. Paralip. 6. 3. Aaron, Eleazar, Phinees, Abisue, Bocci, Ozi, Zaraia, Maraioth, Amarias, Achitob, Sadoc, Achimaas, Azarias, Iohanan, Azarias, Amarias, Achitob, Sadoc, Sellum, Helcias, Azarias, Saraia, Esdras. In Esdra septemdecim: in 1. Par. viginti tres inueniuntur. Vbi omnia moueri contra Esdram possunt, quæ hic contra Matthæum.

Difficilia nonnulla Sacræ Scripturæ interpres voluit.

In recensione nominum aliqui omittuntur.

Esdras in sua progenie sex omittit.

Omnibus adoptiuus duos parentes habet.

§. 3. Hac ratione igitur optime sibi historiam conflare in confesso est: Vsitatum quippe eundem filium vni legalem, alteri naturalem esse. In eâdem hac serie Obed est filius Boozi naturalis, lege tamen & censu illius propinqui Mahalonis, cui semen suscitauit Boozus. Hac in sententia est Augustinus lib. 2 quæst. Euangelicar. cap. 5. & de consensu Euangelist. 1. libro 2. capit. 2. & vetustissimas martyr Iustinus, quæstio. 6. ad Orthodoxos. Damascen. libro 4. cap. 23. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius in 3. Lucæ.

Porro lex illa non inter fratres modo proprie dictos, sed cognatos quoque seruabatur, vt si propinquior additionem hæreditatis cum matrimonio abnueret, proximus succederet: vt clarum est ex historia Rhuth.

§. 4. Cum igitur constet ab vno Euangelistarum naturalem generationem, ab alio ciuilem seu ex lege Mosis adoptitiam recenseri, nondum tamen conuenit inter expositores: an Ioseph vir Mariæ sit Iacobi filius naturalis, Heli legalis, an è contrario. Vtriusque enim sententiæ sunt auctores, verum plures, & præstantiores in Matthæo, naturæ; in Luca legis rationem habitam asserunt. Et sane id omnino tenendum est, cum illi quos ex Scriptura nouimus omnes sint filii præcedentium veri, non adoptiui: quare causa non est, vt de aliis, qui priuati vixerunt, ideoque in obscuro est genus eorum, aliter existimemus, præsertim cum in omnibus eâdem loquendi forma Matthæus vtatur, genuisse enim dicat; quo verbo consulto Lucas abstinuit. Deinde ex sequentibus id facile ostenderur. Iuliano igitur & Iudæis calumniantibus ex hisce facile respondetur. Et sane, in primo Euangelii exortu, viuentibus Apostolis, & Domini nostri cognatis nulla mora difficultas videtur, sed cum iam seniores eorum mortui fuissent. Doceri namque omnia ista etiam ex priuatis tablinis potuerunt, quamuis publicâ Herodes inuidia Israeliticæ nobilitatis, & pudore suæ stirpis exussisset. Priuatim sanè originis suæ custodes, & calculatores erant diligentissimi. Quod ea in re ius sacerdotii, tribus & hæreditas verteretur, in domo Dauidis etiam, & familia Messias nasciturus crederetur. Erant vero principibus pariter populoque notissima. Porro Genealogiæ multo maior cura fuit, ambitioque post Esdræ tempora, postquam ignoratio familiæ damnosa, & contumeliosa fuit. 1. Esdræ 2. 59. *Et si qui ascenderant de Telmela, & Thelharsa, Cherub, & Adon, & Emer. Et non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, vtrum ex Israel essent.*

Ioseph filius Iacobi naturalis, & Heli legalis.

In primitiua Ecclesia nota erat Genealogia Christi.

Generis obseruandi studiosissimi fuerunt Israelitæ.

Alii eodem loco, cum non inuenissent literas natalitias *electi sunt de Sacerdotio. Quæsierunt*, inquit, *Scripturam Genealogiæ suæ, & non inuenerunt.* Admiranda sane diligentia, in tantis cladibus, in totius patriæ vastatione, & seruitute omnium, populum Dei ingenuitatis suæ, & generis testimonia seruasse, exegisse. Nec dubium est, quin in familia Dauidis ea vel præcipua cura extiterit, tum quia regia; tum quia Messiæ ex se nasciturí exspectatione gloriabatur. Totius autem Ecclesiæ publice interat, Dauidis stirpem certam esse, ne Christus incerto genere nasceretur; cum ergo perditis opibus, & libertate in Babylonem ducerentur, voluit Deus origines, familiasque accurate scribi, & post libertatem publico Ecclesiæ testimonio asseri, ne quicquam dubitationis oriretur. Hinc factum, vt quamuis initio Galilæum Pharisæi esse criminarentur, postea tamen manifestissima veritatis luce confusi, ab eâ accusatione destiterint. Cum, vt supra ostendi, solo defectu natalium sufficientissime conuincere impostoræ Dominum licuisset. Quomodo deinde, cum omnia examinarent, non in hæc inquisiuerunt? Mox à resurrectione *multa turba sacerdotum obediebat Euangelio, Scripturas scrutabatur*, nec dubium, quin inter omnes prima quæstio fuerit; An Christus ex familia Dauid? Docebat id census Augusti, docebant omnes qui ex stirpe Dauidis. Ita nec ignoratione falli, nec malitia Euangelistæ potuerunt.

Familia Dauid in oculis erat omnium datura redemptorem.

Euangelistæ falli & falsi here hic non potuerunt.

potuerunt; quod Porphyrius suspicatus est. In publico enim res agebatur, vt nec ignorationi, nec malitiæ locus esse potuerit. Et sane docent hoc ipsum acclamationes: *Osanna filio Dauid*, & Matth. 9.27. *Miserere nostri fili Dauid*. Sic 15.22. Marc. 10.47. Ioan. 18.38. Adeo vt Chrysostomus moneat, *Lucam aliquid amplius docere velle*. Addignitatem porro Messiæ erat, duplici titulo ad regiam progeniem pertinere, ortus, & legis, vt qui ipse naturalis Dei Filius, nos in se adoptandos Patri offerret.

In Matthæo & Luca nõ esse tantum diuersa nomina.

§. 5. Cauenda multorum est indiligentia, qui vt facile rem componant, binomios esse Christi progenitores affirmant, diuersis itaque vocibus eosdem homines ab Euangelistis positos. Olim apud Nazianzenum nonnulli ita senserunt, & nunc ea sententia non caret defensoribus: imprudentissime eam secutus est Melanchthon in hunc locum, quem idcirco adscribam, vt exemplar errorum videat lector in illis, qui soli sola Scriptura vti se iactant. *Successit autem*, inquit, *Ochoziæ Ioas, natus ex stirpe Nathan*. Et paulo post: *Vt non personarum, sed nominum sint discrimina tantum, & duplicia iis fuisse nomina Philo testatur. Primus ex posteritate Nathan rex Ioas fuit, hic Luca & Philoni Simeon dicitur. Amarias Leui dicitur. Ozias Matthæ. Ioatham Ioram. Achaz Heliezer. Ezechias Iesu. Manasses Her. Aman Helmadam. Iosias Cosam. Ioachaz Addi (quanquam de hoc dubitẽ, neq; sane probè videtur quadrare) Iehoiakim Melchi dicitur Lucæ, Iechonias Neri. Post hos sequuntur Salathiel & Zorobabel*. Et paulo post. *Post Zorobabelem nominantur à Philone Rhesa, Ioanna, Iuda, quorum & Lucas mentionem facit, quibus quomodo cum Matthæo conueniat, ignoro. Nam de reliquis post Zorobabelem nihil compertum habeo. Opinor autem diuersis nominibus alicubi eosdem à Matthæo recenseri, & Lucæ alicubi.*

Itaque tam post Zorobabelem nonnullorum, quãm ante eum omnium putat diuersa tantum nomina. Homines eosdem. Quamuis de posterioribus dubitat. Sed profecto sunt illa falsa, penitus Scripturæ contraria. Ioam non esse ex Nathane oriundum posteà probabo, nunc Melanchthonis αὐτοψίαν examino. Regum nomina sunt Salomon, Roboam, Abias, Asa, Iosaphat, Ioram, Ochozias, Ioas, Amasias, Ozias, Ioatham, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias, Ioacim, Iechonias, ita Libri Regum. Matthæus omittit Ochoziam, Ioam, Amasiam. Ex octodecim retulit quatuordecim, nam Iechonias videtur esse Ioacim. Melanchthoni Ioas est ille, qui apud Lucam Simeon dicitur, deinde nomina pro arbitrio iungit, quia vero plura apud Lucam sunt, quam in Libris Regum, ipse inter Iosiam & Ioacim interponit Ioachaz, quod ipse quadrare non putat, & merito, Ioachaz enim frater fuit Ioacimi, tres menses regnauit, & captiuus ductus est in Ægyptum. nec ex eius progenie natus est Dominus. Deinde cum toties reges illi nominentur, nunquam mentio horum, quæ sunt apud Lucam, nominum habetur. Nec enim apud interpretes, aut Iudæos vlla mentio. Quis vero existimet Lucam cum vellet Genealogiam Domini texere, vt omnibus manifesta fieret, nomina vsurpare voluisse, quæ nusquam in Scriptura veteri exstabant? Vers. 9. Ezechiam vocasse Iesu, Iosiam Cosan, cum suis nominibus reges illi clarissimi essent: Nonne illa nominum varietatem potius opinio sequeretur, non esse è Dauide natum Christum? Quod eo mirabilius videri debet, quod à Nathane vsque ad Adamum progressus notis vtitur nominibus, cur ergo sequentes reges è stirpe Nathan, vt ipse arbitratur, suis nominibus quibus in Scriptura noti sunt priuaret? Quod si nomina quæ apud Lucam inueniuntur, nota erant è Libris Iudæorum, cur diuersitatem, & repugnantiam Euangelistis obiciunt?

Melanchthon sciens genealogiã corrumpit.

Lucas noluit vti nominibus ignotis.

Alterum quod in Malanchthone legitur multo est absurdius. *Ignorare se de illis, qui Zorobabelem sequuntur*, fatetur. Opinatur tamen diuersis nominibus eosdem alicubi à Matthæo recenseri, alicubi à Luca. Quod fieri nõ potest, cum apud Lucã sint nouemdecim post Zorobabelem, apud Matthæum vndecim, diuersi igitur fuêre. nisi initio iidem aliqui, quod tamen dici non potest; Si enim primos eosdem statuamus, non erit in sequentibus expedita Genealogiæ ratio. Tempus enim natiuitatis deerit.

VERSVS 8.

Ioram autem genuit Oziam.

QVÆSTIO I.

Cur tres Reges, Ochoziam, Ioam, Amasiam, Matthæus omisit?

§. 1. IVdæi hinc etiam, & Athei causas blasphemiæ habuerunt. Cum enim 4. Reg. 8.24. & 11.2. & 12.24. & 14.21. & 1. Paral. 3.11. Regum illorum nomina gestaque legantur, infidi esse historici aiunt, omisisse. Nec audiendi illi, qui apud Abul. q. 17. errorem librariorum existimant; cum omnia omnium linguarum exemplaria conueniant, & Matthæus ipse excludat, quatuordecim generationes duntaxat se adferre professus. Denique cum Patres omnes, interpretesq; in causa omissionis indaganda laborent, indicio est nullum ex illis aliter legisse, aut aliter legendum iudicasse. Multo vanius Wolffgangus Musculus hoc loco. Fieri potest vt factum sit per incuriam interpretis, qui à Ioram lectione delapsus sit ad Hosiam: vel certe pro Ochosia legerit Hosiam, & ab illo prolapsus sit ad Ioatham, similitudine nominum Ochosiæ & Hosiæ seductus. Hic Ozias primum quod rectum erat faciebat: postquam vero corroboratus fuit in regno, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis, ob quam rem lepra percussus est à Domino. Nolebat enim sacerdoti Azariæ dehortanti ab hoc cæpto acquiescere: insuper & vltionem minabatur.

In omissione trium Regum non est error librarij.

Non est error interpretis.

Nullo modo fieri id potest, nisi magna negligentia, vt tres Reges continuos, tam diuersorum nomina, addo & factis notissimos, quamuis improbos, omitterent. Quod si tantam interpretis oscitantiam semel admittere decreuimus, de nouo Testamenti possessione actum est. aut minimum malum censebitur, si vnum Matthæi Euangelium è canone reiiciatur, quod tamen ne faciat Illyricus, Hebraicè scriptum esse negauit. Constituta igitur lectione, de causa cur illos omiserit Matthæus inquirendum est.

Tam grauis error fidem derogaret nouo Testamento.

§. 2. Cur omiserit tres Reges causam adfert Abulensis, vt conficeret Tesseradecades, aliàs enim Heptadecadem futuram fuisse. Non tamen in numeris tantum mysterium inueniri puto, vt Genealogia eorum solum causa interrumpatur, nisi alia causa legitima adferatur. Quanquam autem septenarius non sacer habeatur, non tamen eiusdem æstimationis est, etiam apud scrupulosissimos talium, septenarius duplicatus. Atque, vt verum fatear, qui numeros per omnia mysticos arbitrantur Pythagoræ quam Euangelio propiores sunt. Numeri vim ille maximam arbitrabatur; hinc duo principia μονάδα & δυάδα ἀόριστον, & vnitatem definitam, indefinitam dualitatem statuebat. Ab hac malorum, ab illa bonorum initium esse. Hinc origo Manichæorũ, Gnosticorumq;. Itaq; si tantũ mysterium in numeris erat, vt quatuordecim

Numeri seorum solum causa non est sufficiens.

Numerorum seruptio genealogiæ facta.

Pythagoræ numerorũ curiosus.

decim generationes recenseret Matthæus, ne numerum factum excederet, cur non potius id Deus voluit, vt reipsa tantum quatuo decim essent, vt numeri istius auctoritas à nascentibus firmaretur? atq; ita ab Euangelista sine aduersariorum reprehensione commendaretur?

§. 3. Memoriam eorum, ob insignem improbitatem, damnatam multi referunt. E contrario alii affirmant, Salomonem, Roboamum, Ioram, Achaz, Manassem, Ammonem, Iechoniam deterio es fuisse. An inter omnes teterrimi fuerint, ad illius tribunal pertinet, qui scrutatur corda & renes. Non tamen desunt coniecturæ, quæ ostendant malorum pessimos fuisse. Nam qui h s deteriores habiti sunt, vel pœnitentiam e erunt, vt Salomon, Roboam, Manasses, Iechonias ille qui in captiuitate fuit. Ioacim enim & Achaz pœni entiam egisse non leguntur. Qui quamuis insigniter improbi fuerunt, non tamen prophetas, & religionem persecuti sunt. De Ioachaz, qui & Ochozias, & Azarias dictus est, sat s constat ex 2. Par. 22. 3. *Sed & ipse ingressus est per vias domus Achab. Viæ autem erant, vt non modo essent idololatræ, sed etiam fidelium sanguinem funderent.* Hinc monet Scriptura; *mater eius impulit eum vt impie ageret.* Erat illa idolis dedita; infesta Dei seruis, cruenta, Athalia scilicet. *Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab. ipsi enim fuerunt consiliarii post mortem patris sui in interitum eius, ambulauitque in consiliis eorum.* Scilicet Baalim colendo, prophetas occidendo. Id imitatus est Ioas in Zacharia. 2. Par. 24. 21. & Amasias 2. Par. 25. 16. contra prophetam ad se missum. Non est igitur facile eorum reiicienda opinio, qui rejectos asserunt propter impietatem; cum enim non modo improbis fuerint moribus, verum post fidem acceptam, cognitamque veritatem desciuerint, religionem persecuti sint, prophetas occiderint: non est mirum, si in Messiæ genealogia non ponantur, qui Messiam omni modo ex animis subditorum delere sunt conati. Amasias quidem sanguinem non fudit, sed tamen mortis metu prophetam monentem inhibere conatus est.

§. 4. Maldonatus ideo omissos ait, quia ex Achab nati; domum enim Achab morti destinatam in quartam generationem, vti Iehu posteri in quartam generationem regnarunt. Ioram accepit vxorem filiam Achab. 4. Reg. 8. 18. Ea causa Iehu occidit Ochoziam 4. Reg 9. 27. Athalia illa fuit, sed filia Amri dicitur, quia neptis ex filio eius Achab, cuius nomen ob improbitatem eius tacetur. Achab igitur capite minutus, & eius posteritas, quasi ciuiliter mortui, in hac generatione omittuntur. Porro minus quamuis necesse non sit de fœminis intelligere, neque enim Iehu filias Achabi occidisse legitur, tamen ex consortio impiæ domus, qui proximo eam gradu contigerunt, eodem quasi igne ambusti sunt, tres illi reges imitatores domus Achabianæ, vt quasi intestabiles è sacris fastis nomina eorum eraderentur, posteri tamen manerent, ob promissionem domui Dauidicæ factam. alioqui omnes i li reges via enim Athalia morte cruenta ad inferos descenderunt, Ochozias à Iehu interceptus, Ioas, & Amasias conspiratione suorum. Noxiorum itaque sanguine effuso, cæteri sunt in integrum restituti.

Ex quibus hunc in modum concludo. Tres reges non omissos ignoratione, cum notissimi inter paucos fuerint. Nec dolo malo, cum nihil id iuuare causam Euangelistæ potuerit. Imo ob esse plurimum; omnibus defectum sine vlla controuersia notantibus. Causam igitur Spiritui sancto iustam, quam iis nobis ignotam, fuisse. Videri tamen eam, quod proxime ex domo Achab, domo idololatriæ, & domo sanguinum, ideoque diris & anathemati deuota, ipsi tantorum sce-

Ob vitia exulis videntur.

Hi tres publice religionem persecuti sunt.

Omissi videntur, quia ex domo execrabili.

Nec ignorantia, nec malitia, sed magna de causa reges omissi.

lerum imitatores, & religionis persecutores, nati sint. Si enim Moses tribum Simeonis, Esdras vero ex sua progenie Sensbs omisit, quos liber 1. Paral. recenset, nec tamen idcirco librorum veteris testamenti auctori as tollitur, non est ratio cur in Matthæum adeo sint iniqui, qui pauciores, notiores, maiore de causa omisit. Vide supra v. 7.

An in Ochozia progenies Salomonis defecerit?

§. 1. Sunt qui Ochoziam, qui Ioachaz, & 2. Par. 22. 6. Azarias quoque vocatur, velint vltimum esse è stirpe Salomonis; Ioam è Nathane fratre Salomonis orium. Iudæorum hoc commentum fuit, Dauidis testamento cautum esse, vt minimus natu regno succederet, & eius stirpe deficiente proximi Nathanis familia in regnum vocaretur. Auxit hoc commentum Annius Viterbiensis in Breuiario suo: Ochoziam sine hærede mortuum, huic Ioam successisse. Ea de causa Nathanem dictum Achisar אחישר frater meus princeps, quod regnum illi quoque destinatum esset. Hoc vt probabile sequuntur nonnulli Ca holici, vt certum plerique Nouatorum. Mihi tamen ista scripturæ repugnare videntur. *Iudæi Salomonis stirpem in Ochozia defuisse.*

Primo quidem Ochoziam esse filium Iorami regis Iuda nulla est controuersia. 4. Reg. 8. 25. id affirmatur, & v. 26. mater eius dicitur Athalia filia Amri. Deinde 2. Par. 22. *Constituitur rex filius Ioram Ochozias,* filius minimus, quia fratres eius bello Arabico perierant. *Ochozias filius est Ioramı.*

Ioas etiam filius fuit Ochoziæ; ita enim clare, multisque locis dicitur filius regis, illisque circumstantiis, vt non nisi de proprio filio illæ intelligi possint. Subductus est Ioas 4. Reg. 11. 1. *Athalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium, Tollens autem Iosaba, filia regis Ioram soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur & abscondit eum.* Hîc omnia ostendunt, Ochoziæ filium esse Ioam. Nam Athalia semen regium occisura, insidiabatur & Ioæ; ille igitur semen regium erat, cum vero puer esset anni vnius, non potuit esse; nisi ex Ochozia: aut sane filiis illius. Erat ergo filius eius cuius dicitur esse filius, Ochoziæ scilicet. Deinde subdicitur *è medio filiorum regis, qui interficiebantur,* nonne indicatur & ipsum esse filium regis? aut si non erat filius regis, cur eum sanguinaria ad mortem quærebat? Quomodo filius regis, si ex Dauide per Nathanem ad regium genus pertinebat? Nec adoptione filius regis erat, cur enim puerum adoptaret Ochozias, cum tot filios haberet, nulla causa erat. *Ioas filius Ochoziæ.* *Ioas non erat adoptiuus.*

Filium vere proprieque dictum esse ostendit scriptura, 4. Reg. 11. 4. & v. 12. *Ostendit Ioiada filium regis.* Cuius regis? Non Danidis, sed Ochoziæ; nam si Dauidis ex Natane aliquem facere regem voluisset, virum aliquem fortem elegisset, qui tueri se, & punire, Athaliamque occidere potuisset. Sic paulo post: *produxitq; filium regis.* Sic 2. Paralip. 23. 3. *Ecce filius regis regnabit.* Non igitur de aliis, qui supererant ex familia Dauid, sed de proximi regis filio loquebatur. Quod si vera ratione sepositio præiudicio causa definienda est. Id fieri potest ex 1. Par. 2. Vbi describitur genus Dauidicum per Salomonem: non esse autem eam descriptionem per insitiones in familiam, aut adoptiones factam ex eo constat, quod naturalem generis posteritatem enumerat scriptura; ideo enim, & matres crebro nominat, & locum vbi nati sunt, at ibi eodem modo Ioas dicitur filius Ochoziæ, sicut Roboam Salomonis. Postquam enim vxores Dauids, filiosque dimisit, dixisseque: Bethsabee quatuor filios fuisse, Simmaam, Sobabum, Nathanem, & Salomonem, pergit recensere progeniem Salomonis, Nathanis omittit; *Paralipomenon liber naturalem progeniem recenser.*

mitt't; quomodo vero illa est linea Salomonis, si ex Salomone soli sunt Roboam, Abias, Asa, Iosaphath, Ioram, Ochozias, cæteri de Nathane? Hinc factum, vt Iun. Tremell. alii, hos vere ex semine Salomonis esse asserant 1. Paralip. 3. in vers. 17. & Sedeciam faciunt regem ex Salomone vltimum.

Filius regis occultari potuit.

§. 2. Caluinus Ioam filium Ochoziæ negat, quia putat eum occultari non potuisse. Qua quidem in re non modo diuinam potentiam, in suis conseruandis mirabilem, ipse male restringit; sed in rebus humanis etiam præcipiti iudicio fertur. Cur enim in tanta strage filia regis, vxor Pontificis, non posset furenti infantem subducere? non miseratione, non fauore, non pecunia crudelitatis fœmineæ administros flectere? Non enim maius ingenium ambitioni ad lædendum, quam caritati, & pietati ad conseruandum est. Latere ergo puer regius diuina prouidentia, famulante humana industria, potuit. Aut si Ioas latere non potuit, quomodo alius regni hæres eodem ardore quæsitus subduci, & in cubiculum deduci, & abscondi potuit? Tam facilis est regio puero, subducto pompæ obsequio, latebra, quam illi qui in spem regni educatur. Quod si quippiam hac in re admirabile est, id est in coronatione Ioæ, summaque Ioiadæ prudentia, qui vocatis sacerdotibus, & Leuitis, adeoque centurionibus, regis filium ostendit, tanto omnium silentio, tanto Athaliæ odio, vt ipsa non nisi ex clamore plaudentium insidias suspicaretur.

Auia regnãdi causa nepotes occidit.

At cum Athalia mater esset Ochoziæ, non videtur nepotes occisura fuisse? Hoc qui obiiciunt, videant, quid Spiritui sancto respondeant. Qui ait, *eam occidisse omne semen regium*, imo & filios regis. Ideo enim non erat spes, vt quispiam de stirpe Ochoziæ regnaret, vt est 2. Paralip. 22. 9. Filii regis, Ochoziæ filii erant, nepotes Athaliæ, quos auia illa Phœnicia Medea regnandi causa concidit. Athaliam cum audis, simul in mentem, domus Achab, Iesabel prophetarum interfectrix, venefica; nec miraris naturæ leges à talibus monstris violatam: Infamem plane fœminam nobis scriptura proposuit.

VERSVS 11.

Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius.

QVÆSTIO I.

An hoc loco recte generatio Iechoniæ describatur?

Difficilis locus in Genealogia Iechoniæ.

§. 1. INter nouos interpretes accuratissime hunc locum expendit Maldonatus; plures enim habet difficultates. Nam primo deest vnus Tesseradecadi. Secundo Iosias, Ioacim; non Ioachin genuit. Tertio ante, non in transmigratione. Hæc olim Porphyrius, alique Euangelii hostes obiecere, & Patres variè respondent, vt solet fieri in re difficili, vbi responsio quamuis vera, aut probabilis, facile oppugnatur.

Iechonias hoc loco est Ioacim.

§. 2. Mihi primo certum est, illum quem genuit Iosias, quique vocatur à Matthæo Iechonias esse eum, qui vocatur 4. Reg. 23. 34. Ioacim, quod nomen illi Pharao, cum regem crearet, imposuit; ante enim vocabatur Eliacim. vocauit igitur יהויקים pro אליקים *Iehoiakim* pro *Eliakim*, vbi notabis, i consonantem in hebræo esse. Septuaginta vocant Ἰωακείμ. Ratio mea est; quia Iosias hunc immediate genuit, & si non intelligatur ille nominari, ergo omittitur, non igitur sunt generationes quatuordecim. Deinde dicitur esse ille Iechonias, cuius fratres genuit Iosias. At Ioacimus fratres habuit, non Iechonias posterior. Fratrum vero mentio fit, quia plures regnarunt. De fratribus ita 1. Paralip. 3. 14. *Filii autem Iosiæ fuerunt, Primogenitus Iohanan*; ita hic vocatur יוחנן, at in libris Regum יהואחז Iehoachaz, septuaginta Ioachaz. prius nomen priuati, alterum regis esse arbitrantur. Alter filius est Ioacim, Tertius Sedecias, ille prius dictus est Matthanias, מתניהו Matthaniahu. Quartus Sellum: de cuius regno postea agetur. Sensus ergo huius loci est: Iosias genuit Ioacim, qui ante dictus est El-iacim, & fratres eius Iohanan, Sedeciam reges Iuda, & Sellum.

Hoc mecum sentiunt primum illi, qui locum corruptum esse arbitrantur, & legendum pro Iechonia Ioacim. Deinde qui integrum versum interponunt. Tertio, qui Iechoniam contendunt esse vocatum ipsum, qui nunc vocatur Ioacim. Soli qui deesse vnam generationem, & vel Dauidem bis nominando, vel transmigrationem pro vna generatione substituendo minus commode Matthæum explicant, ab hac sententia discedunt. Itaque hanc interpretationem communem esse statuo.

Plures aliores ita sentiunt.

§. 3. Si igitur Iechonias est Ioacim, duorum alterum necessario sequitur, vel vt Iechonias etiam vocatus sit Ioacim, vel mendum sit Scriptoris; legendumque Ioacim pro Iechonia. Vtraque sententia vti consentanea rationi suos habet auctores. Qui Iechoniam etiam vocatum Ioacinum arbitrantur, vtuntur testimonio 3. Esdr. 1. 34. *Et assumentes, qui erant ex gente Iechoniam filium Iosiæ constituerunt regem pro Iosia patre suo, cum esset annorum triginta trium. Et regnauit super Israel mensibus tribus.* Verum non est ille Ioacim, sed Ioachaz seu Iohanan filius primogenitus Iosiæ, vt manifestum est ex 4. Regum 23. 30. vbi eadem penitus recitantur. itaque quamuis ex eo loco aliquid probaretur, non de Ioacimo, sed Iohanane intelligendum est. Nam paulo post vers. 37. ait, *Ioacimum fratrem eius constitutum regem esse.* Porro quamuis exemplo scripturæ careamus, quo ostendamus Ioacimum dictum esse Iechoniam, non tamen ea sententia non probabilis est. Tum quia magna est nominum affinitas, tum quia varie nominatur Iechonias, maxime cum à Græcis nomen vertitur. 1. Paralip. 3. 17. vocatur יכניה Iechoniah. 4. Reg. 24. 8. יהויכין 70. Ἰοιαχίν. Syrus textus vocat eum יכוניא apud Ezechielem 1. 2. יהויכין Ioiahin. quod vaide conuenit cum Ioiacim, nam quod h pro c ponitur; id frequens apud Græcos est, tenuem pro aspirata vsurpare, easque inter se literas mutare. facile autem Ioiacim Græci vocant Ioiachin, quia insolens apud eos est, nomina in μ desinere frequens in ν. Apud Ierem. 22. 28. dicitur כניהו Choniahu. omissa prima syllaba, vbi Chaldæus appellat eũ כניה per ה dagessatum Koniah, vt sonus non differat à sono ך affinis literæ. Apud Ezechielem etiam noto pro Ioiachin esse apud 70. positum Ἰωακείμ, quod est nomen patris, non filii, & quidem sine varietate lectionum. Ioiachin igitur Choniah, vel Chaldaice Coniah dicitur transpositione literarum. Videmus igitur fieri potuisse, vt nomina illa apud Chaldæos, Græcos, Latinos & eorum consuetudine apud Iudæos priscæ linguæ parum gnatos confunderentur. Scholiastes Græcus ita existimat. Ἰωακεὶμ λέγει τὸν υἱὸν Ἰωακείμ, ὡσεὶ ὁ ἐκγονος καὶ ἔκγονίας ὀνομαζόμενος. *Ioacim vocat Ioacim filium Iosiæ, qui & Iechonias dicitur.* Hac in sententia fuit Ambros. lib. 3. in Lucam. Augustin. lib. 2. de consensu Euang. c. 4. Epiphan. lib. 1. de secta Epicur. hær. 8. Euthym. hoc loco. Promptum enim hoc esse, ex idiomate Chaldæo & Syro constat, qui libros, & aspirationes Hebræorum leniunt. vt in hoc nomine ostendi: nam vbi Ieremias habet Chon-iah, ibi est in Chaldæo Con-iah, seu Kon-iah, qui seruata proportione pro Ioiachin, etiam diceret, Ioiacin, vel Ioiakin.

Varie dicitur Iechonias.

§. 4. A-

Erratum in textu esse putat Epiphanius, & alii.

§. 4. Aliorum est sententia mendum in textum irrepsisse, & generationem vnam omissam, vitio librariorum. Ita sensit Epiphanius l. 1. hæres. 8. Καὶ μηδεὶς τοῦτον ἀμφιβαλλέτω, θαυμαζέτω δὲ μᾶλλον πῶς ἀκολούθως, ὠφελίμως ἐνταῦθα κειμένῳ τοῖς σπουδαίοις, χρησιμωθείσης ἕνεκα τῆς ἀκριβοῦς τῶν ἁγιογράφων καταλαμβάνειν ἐθέλοντος. οἵ τινες εὐθὺς μετὰ τῆς ὠφελείας εὐγνωμονεῖν ἀναγκασθήσονται, κερδήσαντες τὸ, ὑπὸ ἕνων ἀμαθῶν, τῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἰς ἀμφιβολίαν, ὡς κατὰ διόρθωσιν, ἀφανισθεὶν ἐῆπον. τέτυχῶς δὲ ἀριθμήσαντος δ ἁγίας ματθαίας τὰς γενεὰς, ἀπὸ βοὲζαμ ἄχρι δαβίδ, φήσαντος γενεὰς δεκατεσσαρας, οἱ δύο ἀνώτεροι ἀριθμοὶ σαφῶς εὑρίσκοντες, μὴ δὲ μίαν ἔλλειψιν ἀριθμὸν ὠφελοῦντες. ἕως δὲ δ ἰεχονίου ὠφελοῦσι τὰς γενεάς. ὁ δὲ τέτος ἀριθμὸς οὐκέτι δεκατεσσάρων γενεῶν εὑρίσκεται κατ' ἀριθμὸν ὀνομάτων τὸ πλήρωμα ἔχων, ἀλλὰ δεκατριῶν. ἐπειδὴ τινες ἰεχονίαν ἄμα ἰεχονίᾳ ἑτέρῳ ὄντι τὸν αὐτὸν εὑρόντες, ἐνόμισαν τὸν ἀριθμὸν δεδυσπλογισμένον εἶναι, οὐκ ἰῶν δ διασολογία, ἀλλὰ ἀριθμὸς σαφὴς. εἰς ὄνομα δὲ πατρὸς ὁ πρὸς ἑπτάκλητο ἰεχονίας δ ἰεχονίου. ἀφελόμενοι δέ τινες ὡς κατὰ φιλοκαλίαν τὸ ἓν ὄνομα, ἀγνοίᾳ φερόμενοι, ἔλλειψιν ἐποίησαντο τῆ ὑποθέσεως, κατὰ τῶν ὁμαδὰ δ ἀριθμοῦ τὸ δεκατεσσάρων ὀνομάτων τὸν ὑποκείσιν, καὶ τὸ πολυπειρον τῆς γένεσεως ἠφάνισαν. *Et nemo de hoc ambigat, imo potius miretur exactam rationem hoc loco vtiliter Studiosis expositam, qui Christianæ doctrinæ gratia sincera exemplaria contingere volunt. Qui sane statim cum vna generatio deleta vtilitate beneuoli esse cogentur, vbi lucrati fuerint dictum hoc, ab indocto. quod à quibusdam indoctis rerum Euangelicarum ad ambiguitatem, velut emendandi gratia, deletum est. Nam cum sanctus Matthæus trifariam enumeret generationes, & ab Abraham vsque ad Dauid recenseat quatuordecim generationes: duo priores numeri clari reperiuntur, nullum defectum habentes. Ad Iechoniam enim tempora continent. Verum tertius numerus non item quotuordecim generationum reperitur, vt iuxta successionem nominum complementū habeat, sed decem & triū.* Nam aliqui Iechoniam cum altero Iechonia repetientes, numerum duplicatum esse putauerunt. Non erat autem duplicatio, sed numerus clarus. Ex nomine enim patris filius nominatus fuit Iechonias Iechoniæ. Itaque detracto, elegantiæ studio, vno nomine, ex ignorantia huc delati defectuosum fecerunt propositum argumentum, iuxta numeri quatuordecim nominum promissionem, & multi experimentum habitum corruperunt.] Eam sententiam est Maldonatus, Nicolaus Serarius in 4. Reg. 24.

Epiphanius ergo Ioacim, dictum Iechoniam, vel potius Iechoniam arbitratur; atque ita legendum censet: *Iosias autem genuit Iechoniam, vel Iechoniam & fratres eius, &c. Iechonias autem genuit Iechoniam.* Stapulensis exemplar habuit, in quo scriptum inuenit, Robertus Stephanus it excudit, hunc in modum. Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰακεὶμ, ἰακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν, καὶ ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Quæ correctio eatenus admittenda est, vt tamen & ipsa corrigatur. Nempe Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰακεὶμ, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. Bæza hanc lectionem primum approbauit postea ab ea recessit, quod videret, communem lectionem antiquiorem; sed, ei respondet Epiphanius, qui faretur correctiora exemplaria habere duplicem pro vna generationem. Causam erroris esse non dubito, quod nomina patris, & filii Græci & Latini, atque adeo Syri confuderint, inde ne diceretur, *Iechonias genuit Iechoniam*, pars illa omissa est. Commentarius Hieronymi ita monet. *Sciamus Iechoniam priorem, ipsum esse, quem & Ioakim: secundum autem filium: non patrem. Quorum priores per K. & M. sequens per Ch. & N. scribitur, quod scriptorum vitio, & longitudine temporum apud Græcos, Latinosque confusum est.*

Liber Stapulensis alio modo habet.

Ipsa nomina Iechoniæ & Ioakim.

§. 5. Quidam nullum omnino putant erratum, & Ioakim vocari etiam Iechoniam; putant enim cum dicitur; Iosias autem genuit Iechoniam, esse Ioakim; cum deinde subiungitur Iechonias genuit Salathiel, non esse hunc Ioakim, sed filium eius, atque eodem nomine duos significari, non autem curæ fuisse Euangelistæ, vt diceret; Iechonias autem genuit Iechoniam, vel ob eiusdem nominis repetitionem, vel quod de captiuitate Babylonica interposuerat. Neque enim facile fieri potuisse, vt Ioakim, qui annos fere quinquaginta ante captiuitatem Babylonicam natus est, in captiuitate generaret Salathielem. Vincentius Regius, hæc verba: Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius: sic interpretatur, vt nomine Iechoniæ intelligat Ioachaz, seu Iochanan primogenitum, inter eius fratres autem erat etiam Ioakim pater Iechoniæ iunioris, de quo non curarit dicere: Ioakim genuit Iechoniam. Verum manet eadem difficultas, cur professus se quatuordecim generationes enumerare, vnam hoc modo inuoluerit, vt præteriisse visus sit. Quanquam igitur reddi ratio possit, cur ita fecerit. Cum tamen & veteres libri, & magni auctores dicant eum non fecisse, illis potius consentiendum esse puto.

Textus ex Epiphanio & veteribus libris corrigendus.

QVÆSTIO II.

An Iosias genuerit filios in transmigratione Babylonis?

Iosias genuit filios sub ipsam migrationem. Qui omnes migrarunt.

§. 1. IOsias mortuus est, annos octo, ante Ioacim captum, vndecim ante Iechoniam abductum, viginti duobus ante Sedeciam victum, vrbemque vastatam. At Ioacim sub mortem patris viginti quinque annorum erat, iam ergo diu ante captiuitatem natus erat. In hac quæstione Græci difficultatem non habent; est enim apud eos ἐπὶ τῆς μετοικέσεως. *sub ipsam migrationem.* In Syro tamen est בגלורתא *Bigiuta. in transmigratione*, vbi is qui transposuit literas Syriacas, & mutauit Hebræis, in fine ה pro א collocauit. Nihilominus ita hæc accipienda sunt, vt ב, & In designent tempus quod iamiam instabat, & quo clades illa parabatur, pugnant bus inter se potentissimis regibus, Ægyptio, & Babylonio. *Propter peccata Manassis Deus voluit auferre Iudam*, quamuis enim ille pœnitentiam egerit, manebant tamen homines improbi, & idololatræ, per quos videmus etiam Iosiæ viri sanctissimi filios seductos, vt omnes, etiam initio regnandi scelerati fuerint. Non enim à regno scelera, sed ab impiis aulicis paternæ domus didicerunt. Monet noster Maldonatus male eos vertere, qui *Babylonium exilium* interpretantur, non enim in exilio nati sunt, sed instante migratione, seu μετοικέσει, quam Beza Romano more transportationem dicere maluit: quod tamen nimis angustum est, & proprie illis, qui in insulam deportabantur, conuenit. Transmigratio propria huic loco est, seu è domo cessio, quæ ab inuitis fieri, & à volentibus fieri potest, itaque non magis improprium est, quam μετοικέσις, & גלות hebræum, & Syrum quod est libris Syriacis. Cum vero Matthæus ait; Iechoniam post exilium, (vt noui) vel transmigrationem, genuisse Salathielem, intelligendum est, post migrationem durante exilio. Zorobabel enim filius Salathielis egressus est. Salathiel Babylone mortuus videtur.

Migratio hoc loco non vocanda exilium.

QVÆSTIO III.

An omnes filii Iosiæ regnarint?

Iosiæ filii omnes improbi breuè spacio regnarunt.

§. 1. OMnes fratres Ioacimi regnasse videntur; ideo enim videtur eorum mentionem Matthæus facere: quod in cæteris non facit. Verum omnes, vt improbi, degenerésque, ita in regno quoque calamitosi fuerunt.

De quar-

De quarto Iosiæ filio, qui Sellum dicitur, ambiguum esset, nisi Ieremias cap. 22. 11. eum regem vocaret, sed quia alii eum esse putant Ioachaz, res in obscuro manet, alio loco, hoc est, in Isaia definienda.

VERSVS 12.

Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel.

QVÆSTIO I.

An Iechonias genuerit Salathielem, hic Zorobabelem?

Ridicula Hebraizantium imitatio.

§. 1. MIra est, sed peruersa nouatorum diligentia & κακοζηλία in Hebræorum nominum insuetis asperitatibus exprimendis; ne parum scilicet docti videantur; perpetuo in ore habent, Schealthiel, Zerubabel, Iechoniahu, Hoschiahu, quorum genuinam tamen pronunciationem ciuilitatis & elegantiæ Hebraicæ ignaros latere necesse est. Quod si vere, vti vocari optant, Euangelici essent, Christi & Apostolorum auctoritatem, non modo in Græco sermone vbique firmam, sed in Syra etiam lingua mitigantem vetera, sequerentur. Matthæus vocauit in Syro; Schelateil, Zourbabel, Iouchanio, Iouschio, in Græco; Σαλαθιὴλ, Ζοροβάβελ, Ἰωσίας, Ἰεχονίας. Quid opus est, libros Græcos, & Latinos contra Christi, & Apostolorum consuetudinem Hebraizare? Quanquam ego eos potius βαρβαρίζειν nimio Hebraismi studio non dubito. Cum enim vocales, diphthongi, consonantesque vario sibilo; sonoque efferantur, atque olim etiam in ipso Israele dialectis discernerentur tribus, quam quæso illi sectantur, qui à Christi & Apostolorum consuetudine deflexerunt? Quis mihi probabit se ad veteris linguæ normam, non ad sui cerebri figmenta velle mundum reformare? At bene cum Ecclesia ageretur, si de hisce duntaxat querelæ personarent. Scripturas ipsas nouandi, & reformandi studio deformant, abolentque. Verum ad huius loci difficultates explicandas accingamur.

Iechonias filios habuit.

§. 2. Tres omnino quæstiones proponuntur. An Iechonias filium habuerit? An Zorobabel filius sit, annepos Salathielis? Quomodo Salathielis pater, & Zorobabelis filius aliter apud Matthæum, aliter apud Lucam nominentur?

Quin filios habuerit Iechonias dubitare non possumus. Cum 1. Paral. 3. 17. recenseantur in hunc modum. *Filii Iechoniæ fuerunt; Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneser, & Ieremia, Sama, & Nabadia.* Octo igitur filii Iechoniæ numerantur, veri & naturales, non adoptiui, aut legales. Liber enim Paralipomenon veras genealogias recensет. In Hebræo, & 70. est.

Υἱοὶ Ἰεχονίᾳ ἀσσὶρ, σαλαθιὴλ υἱὸς αὐτοῦ, &c.
Filii Iechoniæ Asir, Salathiel filius eius.

Nec obstat Ieremiæ prophetia c. 22. 28. Vbi vocatur *vas fictile, & contritum.* & v. 30. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.*

Dura illa quidem, & vera prophetia, non tamen Iechoniæ negat vllam fore posteritatem, sed tantum filios reges, *qui sedeant super solium Dauid.* Ea scilicet dignitate, qua ipse, & maiores eius fuerant. Filios habuisse ostendit vers. 28. *Quare abiecti sunt, ipse, & semen eius, & proiecti sunt in terram, quam ignorauerunt?* Semen eius proiici non potuit, nisi semen haberet. Sterilis ergo fuit, עקרי quod Gen. 15. 2. noster vertit: absque liberis, non vt Abraham, sed quod ex summa fortuna regum, in seruitutem recidissent liberi eius, vt melius videretur

ἀγαμὸν' ἄτεκνον' ἀποτέθνηκε.

Sine nuptiis, sine prole mori. Hoc 70. interpretes vt indicarent, teste Hieronymo ἀναύξητον verterunt, quod non sit auctus liberis, sed eos ad seruiendum genuerit. Hodiernis in exemplaribus legimus ἀκήρυκτον, abdicatum, quasi publico præconio in eam sortem damnatum; idcirco enim scribere propheta iubetur, vt quasi publicis actibus inseratur. Symmachus autem vertit κενὸν ἀπηλλοτριωμένον vacuum, abalienatum. Quia nec ipse in potestate sua, nec liberi erant, Filii enim eius domino magis, quam parentibus nascebantur.

Sed non filios reges.

§. 3. Non modo multi censent, Salathielem esse auum, non patrem Zorobabelis, & hic quoque generationem vnam omitti, sed quidam etiam ita textum 1. Paralip. 3. 17. inuerterunt, vt dicere hoc scriptura videretur. In hebræo ita habetur. *Filii Iechoniæ, Asir, Salathiel filius eius, & Melchiram, & Pedaia; quod textum indicat octo filios Iechoniæ.* Iun. & Tremell. vertunt. *Filii Iechoniæ vincti, Salathiel filius eius. Huius autem Melchiram, &c.* Vt scilicet, Melchiram, & alii sint filii Salathielis, non Iechoniæ. Quod falsum est. Nam primo nusquã scribitur pro vincto אסור sed אסיר vel אסיר, quod argumentum contra probatores punctorum Filios Iechonias aliquid tribuit valid um est. Deinde contextus ille orationis, *Salathiel filius eius, & Melchiram, &c.* indicat ὅτι τῷ κοινῷ repetendum esse, *filius eius.* Nullo autem modo hæc Salathieli, verba substituenda; *Huius autem.* Tertio, cæteræ versiones hebraeæ consentiunt, adeo vt Vatablus non modo אסר assir, non interpretetur vinctum, sed eum putet vnicum Iechoniæ filium, patrem Salathielis. Denique cum nulla causa sit, cur hoc loco dicamus generationem intermissam à Matthæo, non video cur eo torquere veterem scripturam opporteat. Multo minus subaudienda sunt ista: vt sic efferamus, & Melchiram, &c. Videlicet sunt filii Salathiel. Confirmat hanc sententiam, quod neque Iudæi, neque Porphyrius, cum in omnia versutissime inquirerent, de omissa aliqua generatione hac loco obiecerunt, cum tamen multo magis laborandum Christianis fuisset, in reddenda omissionis causa, qualis nulla apparet, vt in Ochozia, Ioa, Amazia.

Salathiel an auus, an pater Zorobabelis.

§. 4. Vtuntur tamen argumento in speciem valido, sed quod resistenti infirmum est. Nam Salathiel est pater Phadaiæ, is Zorobabelis, igitur Salathiel auus; non pater. Ita enim textus demonstrat. *Filii Iechoniæ fuerunt; Asir, Salathiel filius eius, & Melchiram, Phadaia, Senneser, & Iecemia, Sama, & Nabadia. De Phadaia orti sunt Zorobabel, & Semei.* Seu vt est in Hebræo, *filii Phadaiæ.* Phadaiam igitur Euangelista omisit. Causam reddit Franciscus Lucas, quod Phadaia obscurus fuerit, quæ causa si legitima est, omnes qui apud Matthæum sequuntur, quique apud Lucam post Nathanem collocantur, omittendi essent. Sane non video cur Phadaia tam clari Ducis pater propter obscuritatem omitti debeat, cum multi ignoti nominentur.

Duo mihi in hac disputatione occurrunt notatu digna. Primũ est: Si Salathielem auum Zorobabelis esse statuamus, Porphyrium, & Manichæos omnia maiore cũ probabilitate regerere posse, quæ de tribus regibus omissis dicta sunt. Alterum est, Iudæos non tantum hoc loco nihil contra Euangelistam mouere posse; verum etiam argumentum, quo contra trium regum omissionem vti sunt, sua in hunc locũ explicatione perdere. Aiunt illi Salathielem esse auum Zorobabelis, patrem Phadaiæ. Eorum sententiam si probamus, recte & tres reges, & Phadaiam omittum ab Euangelista dice-

dicemus: Exemplo enim prophetarum, & Scripturæ sacræ vsitato id probari potest. Nam Zorobabel vocari solet filius Salathiel in scriptura, non Phadaiæ, nisi in Paralipomenis. Sic 1. Esdræ 3. 2. & vers. 8. & 2. Esd. 7. 7. & 3. Esd. 5. 48. & 6. 2. Agg. 1. 1. & 12. Quemadmodum igitur, Esdras, & Aggæus Zorobabelem filium Salathielis dixerunt, omisso Phadaia, nihil veriti Iudæorum gentiumque cauillationes, ita eodem iure facere illorum exemplo Matthæus potuit, non hic modò, sed etiam in superiore regum genealogia: Cur enim Matthæus dicat Zorobabelem filium Phadaiæ, & non potius Salathielis cum prophetis aliis?

Iudæorũ sententia recte Matthæum quasdam genealogias omisisse.

Salathiel est pater Zorobabelis non Phadaia.

§. 5. Quamquam apud Iudæos igitur nihil ex hac sententia nasci offensionis possit; nihilominus tamen, ad proprietatem locutionum seruandam, atque ad veteris testamenti loca citata melius intelligenda, dicendum est: Salathielem esse patrem ἀμέσον, non auum Zorobabelis. Itaque dicendum est, Salathielem & Phadaiam fratres esse, filios Iechoniæ. At vero alterum Zorobabelem qui est Phadaiæ filius, alium esse ab hoc nostro, qui est filius Salathielis: duo enim fratres filios suos Zorobabeles nominarunt eadem ex causa. Sane nostri Zorobabelis filius est Abiud: sed apud auctorem τῶν παραλειπομένων *Mesullam & Anania, & Salomith soror eorum*, nullus Abiud; nam si & Abiud quispiam esset, cur omisso filio, fœminam nominaret? Cum ergo noster Zorobabel filium habuerit, qui illius filius non fuit, non esse eosdem certum mihi videtur. Nam quod quidam aiunt, Mesullam alio nomine dictum Abiud, id qua facilitate dicitur, eadem negatur. Deinde magna ratione euertitur; cur enim Matthæus alio nomine ignoto vtitur, omisso illo, quod in scriptura erat, quodque ad fidem faciendum erat idoneum? Occurrunt tamen, & quærunt vbi sit progenies Zorobabelis, si illa non sit, quæ in 1. Par. 3. Respondeo nusquam in veteri testamento. Nec id nouum; Nathanis posteri nulli recensentur, multorumque aliorum: & ne longe exempla petantur; Fratrum Salathielis progenies non recenetur, nisi tantum Phadaiæ, cum cæteris igitur sex etiam Salathielis familia omissa est.

Hic & in Paralipomenis dicuntur sunt Salathieles & Zorobabeles.

§. 6. Multo certius est, alium esse Salathielem, & Zorobabelem apud Lucam, & apud Matthæum. Diuersos enim habent patres, & filios. Salathielis apud Lucam pater est Neri, quem qui Iechoniam esse aiunt alio nomine dictum, non animaduertunt: Magnam se inferre Lucæ obscuritatem, qui nomine incognito regis vtatur, cum aliàs propriis, & in scriptura notis vtatur, quando alios nominat, qui ante Dauidem fuerunt. Deinde cum planum sit inter Salathielem, qui in Luca, & Dauidem plures esse progenitores, quam inter nostrum & Dauidem: vt superius demonstrauimus.

VERSVS 16.

Iacob autem genuit Ioseph.

QVÆSTIO I.

Cur ad Iosephum non ad Mariam Christi genealogia deducta sit?

Iosephus matruus, vel pater Christi putabatur.

§. 1. IN ea deductione Matthæus & Lucas omnino conueniunt, vterque in Iosephum non Mariam stirpem contulit. Qua ex re orta est quæstio. Cur id factum? quid enim ad Iosephum Christus? Nec enim ille pater eius, cur non modò Iosephi progeniem nominauit, sed etiam Mariæ omisit? Cur per falsum patrem potius, quam veram matrem ad Dauidem genus texitur? Varia hac in re & dicuntur, & refelluntur. Celsus apud Orig. l. 2. Iulianus apud Cyrillum Alexand. Faustus apud Augustinum hoc loco insultant Christianis.

Hieronymus respondet, *non esse morem vt fœminarum in scriptura genealogia ponatur*: quod quidem verum est; sed tamen in re singulari penitus, tantæ matris videtur ponenda genealogia, cum enim ex sola matre natus sit, & matre virgine, non potest Christi genealogia cognosci nisi maternæ originis manifestatione, itaque non nisi per Mariam ad Dauidem pertinet. Alia responsio est plurimorum, noto Iosephi genere, de Mariæ quoque familia constare. Fuisse enim hanc vnicam, ideo hæredem, atque ex lege intra familiam nubere debuisse. Verum Num. 36. vbi quæstio deciditur, à Mose cõstituitur vt de tribu ne transeant, *Iudæos denubant, cui volunt, sed suæ tribus hominibus.* Maldonatus, *scribit.* alinque, non ad solas tribus, sed etiam familias restringunt, quia eadem est causa non mutandarum possessionum; verum plena de illo iure disputatio ad librum Numerorum pertinet:

Non probat Christi genus sed noluam nubere debuisse. tum apud

§. 2. Non potest esse dubium hæc omnia Euangelistis notissima fu sse. Nam duo disertissime asserunt, Christum Iosephi filium non esse, Mariam antequam conuenirent in vtero habuisse. Iosephum putatum esse patrem, Christum de Spiritu sancto conceptum. Deinde vterque non Mariæ sed Iosephi originem ad Dauidem vsque deducit. Nec considerate ab interpretibus dicitur, ideo scriptum, vt de virginis pudicitia nulla nasceretur calumnia: Nam satis expresse affirmant Euangelistæ Iosephum patrem non esse: non ergo voluerunt id dissimulatum. Nec timendum erat de fama virginis, vt in principio, quando natus est: tum enim importunum erat de partu virginis diuulgare mysterium; nam Euangelistæ post resurrectionem adulta iam Ecclesia scripserunt, cum apud fideles omnes de Christi diuinitate, & humanæ naturæ ineffabili natiuitate constaret. Ne igitur Euangelistas, atque adeo totam illam Ecclesiam summæ stoliditatis accusemus, necessario dicere cogimur: Eos voluisse, cum Iosephi genealogiam recensérent, etiam Christi domini genus ad Dauidem reducere. Hoc enim necessarium fuisse supra ostendi. Cum autem id aliter fieri non potuerit, quam si Maria etiam agnata esset, & ipsa filia Dauid, necessario etiam dicendum est, illam agnatam fuisse. Idque ideo omnibus tum notum fuisse, qui in Iudæa habitabant; cum fratres & cognati simul essent, ita Luc. 2. 44. *Quærunt eum inter cognatos & notos.* & Matth. 12. 47. fratres Christi stant foris. Et Ioan. 7. 3. & Matth. 13. 55. Nonne, aiunt, hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas: & sorores eius, omnes nonne apud nos sunt? Testatissimum itaque erat; Mariam esse, vti & totam illam progeniem, quæ Nazarethi domicilium collocauit, filiam Dauid. Nec Euangelistæ historiâ suâ id probare conati sunt, sed testari, vt posteri crederent. Porro illos fallere voluisse tot in familia illa viuentibus, tabulas, & documenta generis habentibus, nemo sanus crederet. Multo minus falli potuerunt, cum inter eos viuerent, qui coguati Christi Domini fuerunt.

Nec error, nec fraus in Euangelistis.

Christi genus notissimum erat.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

QVÆSTIO II.

An de Maria natus Christus?

§. 1. ORaculum hisce verbis expressum, summam continet, & medullam Noui Testamenti: *Iesum,*

Nat° Christus est summa testamenti veteris.

Iesum, qui vocatur Christus ex semine Dauid. Non eodem tamen modo à fidelibus, & pereuntibus accipi solet. Sunt qui negant Christum ex Maria natum, alii ex virgine natum non concedant.

Non fuisse de Maria natum Iesum docebat Marcion, vt est in Tertul. ano aduersus Marcionem, & ideo hunc locum peruertebat, vt idem ostendit l. de carne Christi, c. 20. *Qualis est autem tortuositas vestra, vt ipsam Ex syllabam præpositionis officio adscriptam auferre quaratis: & alia magis vti, quæ in hac specie, non inuenitur penes sanctas scripturas. Per virginem dicit is natum, non ex virgine, & in vulua non ex vulua.* Hunc igitur locum demutabant: idem queritur l. aduers. Valentin. c. 27. *Christum aiunt in præpositionum quæstionibus positum. id est, per virginem, non ex virgine editum; quia delatus in virginem, transmeatorio potius, quam generatorio more processerit, per ipsam, non ex ipsa, non matrem eam, sed viam passus.* Similis eorum error apud Iren. l. 3. c. 18. confutatur. meminit Augustinus de hæres. Epiphan. hæresi 31. Damascenus, Theodoretus, alii. Cum hisce Ecclesia damnauit hæreticos recentiores, vt Swenckfeldium, de quo Staphyl l. de concordia discipulorum Lutheri, Andream Musculum, apud eundem, Anabaptistas Monastetienses. Quo sum enim in progenie narranda tam operosus esset Euangelista? totiesque Dauidis vocaret filium, si natus ex eius semine non est? Vt taceam cum hoc conuenire sententiam apostoli, *ex semine Dauid secundum carnem?* Recte Tertullianus monet; *negauit ex concubitu, non negauit ex carne. Imo confirmauit ex carne, quia non proinde negauit* ex carne, sicut negauit ex concubitu. *Cur vero in vterum descendit, potuit enim fieri melius extra vterum, si nihil in vtero accepit?* Maneat igitur immotus ille locus contra veteres, nouosque sectarios, neue præpositionem Per pro De, vel Ex substituant. Cum sit in Græco ἐξ, & in Syro ממגה ex.

Marcion Christum dicebat per Mariam nō ex ea natū.

Euangelista testantur Christum ex Maria natum.

Porro noui apud Caluinum l. 2. institution. c. 13. §. 3. Christum idcirco negabant ex semine Dauid, quod dicerent mulieris semen ad generationem non coalescere, quod cum sit contra omnia elementa naturæ, quæ fœminas ἀσπόρους nequaquam fecit, ad Physicos, & medicos remitto. Malo Augustini vsurpare testimonium, in Psalm. 131. *Poterat, inquit, dicere ex fructu femoris, quare ex fructu ventris voluit dicere? Et illud quidem si diceret, verum diceret: sed significantius dicere voluit ex fructu ventris; quia de fœmina natus est Christus, quo vir non accesit.* Sic Iren. l. 3. c. 27. monet eum, non de fructu lumborum aut renum dixisse. atque ita Ebionitas refutat. *Propter hoc enim & de fructu ventris eius regem promisit, quod erat proprium virginis prægnantis, & non de fructu lumborum eius, nec de fructu renum eius, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis. Circumscripsit enim genitalia viri in promissione Scripturæ: imo vero nec commemoratur, quoniam non ex voluntate viri, qui nascebatur.* ita ex Psalmo 131. 11. Irenæus, quia dictum est, בטנך *Bitnecha*, ventris tui, de conceptu virginis interpretatur. Sic Deut. 28. 4. Aliud tamen verbum est 2. Reg. 7. 12. vbi Dauidi promissio fit, יצא ממעיך *egredietur de vtero tuo*, ad verbum, *de interioribus tuis.*

Noui Marcionitæ negant Christum ex semine Dauid.

Propheta Dauid insinuat ratione matris ad Dauidē pertinere Christum.

QVÆSTIO III.

An natus de virgine Christus?

Monstrum veteribus habitum, partus virginis.

§. 1. PETVLANTER gentes Christianorum, vt dicebant, simplicitatem irridebant, quod eorum religio requireret, vt crederent virginem peperisse. Quos contra multi patrum scripserunt, plures signis & virtutibus probarunt; Virginis filiū esse Christum. Rustinus eos Tusco ingenio grauiter exagitat, multoq; mirabiliora apud eos credi demonstrat. Mineruam de cerebro Iouis, Bacchum de femore, Venerem de spuma maris, Castore & Pollucem ex ouo. Myrmidones ex formicis, homines post calaclysmum ex lapidibus factos, aliaque fabulosa quidem, sed illis tamen credita, aut sane in deorum laudibus vsurpata. addit apes, & phœnicem sine semine nasci. Lactant. l. 4. cap. 12. quædam animalia vento concipere, Basil. orat. 19. de prouidentia, vultures sine compare edere suos fœtus, adiungunt alii tot animalium species calore & humore gigni. Cyrillus Hierosolymitanus non diuersa Iudæis opponit, vt frondentem virgam Aaronis, steriles generantes, Euam de latere Adami factam, vndas de petra profluentes, aliaque, vt & Augustinus serm. 14. de natiuitate domini.

Superstitio mirabilium credit, quia religio.

§. 2. Cum gentibus, & Iudæis senserunt Apostolicorum temporum hæretici. Initium Ebion dedit. Tertull. de velandis virg. c. 6. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, quam vtique virginem fuisse constat, etsi gentium Ebion resistat.* Verum de præscriptionib. Carpocrati tribuitur tam nefanda hæresis, Cerinthum putat ex hoc, & Ebionem sumpsisse. Veruntamen alii Cerintho Carpocratem postponunt, Philastrius, Iren. l. 1. c. 26. Epiph. Aug. Damasc. Euseb. l. 4. c. 7. Hos multi martyrum tempore secuti sunt, sed magno furore, qui regia potentia armabatur, Copronymus. atq; illi quidem Christum ex Iosepho natum docuerunt, huius sententiæ deprauatione abusi. Post secutus est Heluidius homo rusticanus, & primis vix literis imbutus, qui Christum quidem ex virgine conceptum & natum, sed postea ex eadem matre filios alios genitos asseruit. De quo Augustinus hæres. 83. Gennad. in Catalog. Verum de illo in sequentibus agendum est, longius autem prolapsum esse ostendam. nulla enim hæresis in prima blasphemia sistit. Iouinianus conceptum dominum illæsa virginitate matris, natum vero virginitate solutâ. Multos ille suæ insaniæ sectatores è grege Caluini sortitus est. Ioannem Fayum negantem perpetuam virginis integritatem audisse se testatur Iacobus Gualterius in anno 100. verit. 2.

Hæreticiorum, & discipuli, Iouinianus virginitati Mariæ oppugnat.

§. 3. Non debent illa mouere Catholicum quempiam. Accurata enim huius loci expositio sanctissimæ virginis, & purissimæ matris integritatem non inficiabitur, sed asseret. Cum enim spiritus sanctus Christi in generatione, alios ab aliis natos recensuisset, cum ad Iosephum est ventum, non continuauit id, quod iam in aliis quadragies dixerat, *Ioseph autem genuit Iesum, qui vocatus est Christus*; sed textum orationis immutauit, & dixit. *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatus est Christus.* Cur igitur Iosephum solum suo honore, & prærogatiua priuauit; si ille non minus pater erat Christi domini; quam Abrahamus Isaaci, Dauid Salomonis? Quod si mattem etiam Messiæ nominare voluit, cur non fecit eo modo, quo de Thamar, Rahab, Ruth, Bethsabee? Iosepho igitur Christus non adscribitur, quod tamen faciendum erat, si Iosephi filius esset, quia genealogia ex mascula successione describitur, atque ad Dauidem Abrahamumque deducitur, sed ordinem immutauit, quia sine patre, ex matre conceptus & natus est. Ex virgine, inquam, siue de virgine; neque enim audiendi sunt, qui minutim magis & subtiliter, quàm vere ista distinguunt, in leuibus rebus, aut non necessariis verbosi, in necessariis muti, vel astricti. Quos vere quondam Erasmus, & Valla taxarunt. Hanc demum esse Euangelistæ mentem, historiæ circumstantia indicat. Mariam *in vtero habuisse, antequam conuenirent, Iosephum de illa occulte dimittenda consilium agitasse* memorat. Hæc viri iusta dubitatio, mirumque satis indicat, virginitate illibata generationem Christi contigisse. Frustra deinde angelus Spiritui sancto hoc opus attribuerit, si ex se prolem illam vel natam, vel nasci potuisse Iosephus conscius erat.

Christus sæpius filius esse negatus in scriptura.

VER-

VERSVS 18.

Cum esset desponsata mater Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.

QVÆSTIO I.

An desponsata tantum, an matrimonio iuncta fuerit Iosepho B. Maria?

μνηστευθεισης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας, *desponsata enim matre eius Maria.*

μνηστευειν ad sponsalia, & nuptias refertur.

§. 1. IN Græco textu est, μνηστευθεισης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας, *desponsata enim matre eius Maria.* Qui sponsalia duntaxat, non matrimonium arbitrantur esse, Græco verbo vtuntur; μνηστευεσθαι quidem est ambire nuptias, & ambiri à proco, ac deinde μνηστὴς μνηστὴ, desponsatus, desponsata. Sed tamen signat & eam, quæ ante ambita, in vxorem ducta est. Il. ζ. Et Theoc. Idyll. 18.

Μναιστὴος ἑλέναν ὁ νεώτερος ἀτρέος υἱός.
Qui desponsam duxerat Helenam iunior filius Atrei.

Sponsalia sacra nuptia.

Sane Lucæ 2. 5. μεμνηστευμένη dicitur, quæ iam vxor erat. Hebræum אֵרַשׂ *Aras*, desponsare significat. Hoc loco tamen est in Syro מְבִירָה, quod non modo desponsatam, sed traditam, emptam significat. Quod in sponsam & coniugatam conuenit, sed potius tamen coniugatam. Latinis raro pro vxore sponsa dicitur, nec tamen repugnat, cum omnis vxor sponsa, seu desponsata sit. Hoc sane constat in scripturis sacris, spiritalem Ecclesiæ, & fidelium animarum cum Christo coniunctionem, sponsationem, & desponsionem vocari, quamuis matrimonium allegoricum sit, quod Christi coniugio tanquam typo designatur. Nam reuera in eo matrimonio, est non modo promissio indiuisa animorum, & vinculi, sed purissima, fœcundissimaque per gratiam consummatio; & multæ prolis cœlo educandæ regeneratio. Sponsas autem vxores vocari monet comm. Hieron. & Hieronymus plenius docet libro contra Heluidium. Verum itaque certum matrimonium fuisse antequam B. Virgo concepisset de Spiritu sancto, Hieronymus existimat; Augustinus de nuptiis, & concupiscentia c. 11. & l. 13. contra Faustum c. 8. Chrys. hom. 4. in Matth. Ambros. l. 2. in Lucam, aliique interpretes, at sola fuisse sponsalia putat Origen. hom. 1. Basil. Epiph. hæres. 78. Nazianzen. de natiuitate Saluatoris, Cyrillus catech. 10. Bernardus, & multi hoc tempore. Seuerezius noster nomine sponsalium putat intelligi matrimonium ratum, hoc est, contractum, vereque mutuo consensu firmatum, etiam in vnis ædibus commorantium, absque vsu tamen matrimonii. Verum hac in re mihi nequaquã ambiguum videtur; Mariam virginem non modo in matrimonio fuisse, sed etiam in domum, potestatemque mariti venisse. Primo enim constat sponsalium nomine matrimonium intelligi. Nec dubium est esse coniugium, id quod Oseæ 2. 19 legimus: *Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Æterna desponsatio, verum; sed spirituale matrimonium indicat: cuius sunt typi fidelium matrimonia. Itaque hoc matrimoniũ est æterna desponsatio, & desponsatio est matrimonium, fœdus æternum, perpetuo iustitiæ & fidei vinculo firmatum, vt nunquam sponsæ dicatur; *res tuas tibi habe.* Consule S. Hier. in verba ista expositionem. Confirmat hoc causa propter quam, filium de desponsata nasci Deus voluit. Noluit enim Deus quenquam de matris pudore dubitare. Vt vero fama integra seruaretur virgini, non satis erat desponsatio, opus erat vero matrimonio, & cohabitatione, grauius erat desponsatam, quam liberam, incerto patre prægnantem videri. Eo igitur tempore, quo illam angelus saluratum venit, cum Iosepho marito habitabat, audito vero incarnationis Dominicæ oraculo, & Elisabethæ conceptu, mox in montana Iudææ progressa est, ibique menses tres exegit, rediens deinde animaduersa est à Iosepho in vtero habens, quod satis indicat, eam iam ante cum eo habitasse, & publice in manum viri conuenisse. Quod enim Iosephus notarat, id sane alias fœminas cognatas, quibuscum versabatur latere nequaquam potuisset, vterus scilicet tumens. Minimum igitur intemperantiæ notam subisset, quæ scilicet nuptiarum sollennium benedictionem, celebritatemque voluptatis auiditate anticipasset.

Fama virginis erat necessariũ matrimonium, & cohabitatio.

Vxores vocantur etiã sponsæ.

Sponsalia pro matrimonio rato, nõ consummato.

Desponsatio æterna matrimonium est.

§. 2. Causæ cur ex vxore desponsata nasci Christum voluerit Deus, à Patribus, à D. Thoma, à nostro Barradio, Salmerone, aliis adferuntur. Inter multas illa S. Ignatii; *vt partus eius celaretur diabolo*, multorum reprehensiones patitur. Quid enim? an nescire dæmones potuerunt, virginem nulli vnquam viro iunctam fuisse? Nonne omnium rerum naturalium inspectores fœtum in vtero sine virili semine formatum, omniaque clausa, atque inuiolata viderunt? nonne Elisabetham audierunt, cum matrem domini sui, eam appellaret? cum Baptista in vtero exultaret? cum Maria diceret; fecit mihi magna qui potens est? Hinc factum vt multi sancti martyris rationem irrîserint.

Quomodo partus latuit diabolo?

Si tamen intelligere sanctorum dicta, quam carpere mallent, forte veritatem facilius inuenirent. Potuit sane partus ille latere diabolum, Deo vel cogitationem eius alio vertente, vel ad cognitionem non concurrente. Neque enim omnia semper dæmones cogitant, & crebrò vis tormentorum ita intellectum occupat, vel alia quæ incommoda illis accidunt, vt ad pauca cogitationem possint adiicere, ita vt nullus ex illis sit aliquando, qui aliqua facta singularia Dei cognoscat. Cum ergo conceptionem factam esse agnoscerent, nullus erat, qui modum factæ meminisset. Neque ad hoc miraculo opus erat, sed vt dixi tali ordinatione, vt certo temporis spacio, ex miserrimis spiritibus nullus quicquam de rebus ad sanctissimam virginem pertinentibus intellectu complecteretur. Norunt esse virginem, & solum virginis sanguinem in fœtum coaluisse, nec tamen certi quicquam de Christo statuere habebant: cum enim maritum & vxorem cernerent, non satis accurate distinguere potuerunt. Facile fuit igitur in signis his errare, quemadmodum in aliis Messiæ argumentis: Quam enim admiranda in Christi natiuitate gesta sunt, quæ illum promissum à Deo Messiam comprobarent? vt locus, tempus, angelorum cantio, pastorum aduentus, magorum adoratio, puerorum occisio, & tamen eum tentat iam inchoaturum prædicationem dæmon, vt exploret, an Dei filius sit, an non. At vero si in matrimonio non fuisset, nullus dubitasset, conceptum partumque virginis esse. Non enim vel apud ipsos licet pessimos suspicio fornicationis esse poterat: ideo quod scirent, nullo illam vnquam peccato, vel praua cogitatione, motuve violatam: viderent etiam maiore eam puritate, deuotione, omniumque virtutum genere pollentem, magna à Deo gratia donari, nec admissi tamen sceleris vlla signa, vel pœnitentiæ indicia. Quæ erant indubitata innocentiæ argumenta.

Dæmones multa ignorant.

Quædã Dei opera omnes latent.

Clarissima signa natiuitatis Christi latuerunt dæmones.

Innocentia B. virginis notissima dæmoni.

QVÆSTIO II.

An id quod ait Euangelista: Antequam conuenirent, inducio sit eos postea conuenisse?

Heluidianorũ error.

§. 1. HOCCE loco Heluidius perpetuam sanctæ Dei genitricis virginitatem impugnauit. Eum S. Hieronymus refutauit. Sectam tamen ille dux teo-

rum, qui Heluidiani appellati sunt; iidemque videntur, quos S. Epiphanius Antidicomaritas appellat. *Prima eius (Heluidii) propositio fuit. Matthæus loquitur: Christi autem generatio sic erat; cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est, in vtero habens. Ecce*, inquit, *habes desponsatam, non commendatam vt dicis; & vtique non ob aliud desponsatam, nisi quandoque nupturam, neque enim de non conuenturis Euangelista dixisset: Priusquam conuenirent: quia nemo de non pransuro dicit, antequam pranderet. Deinde ab angelo vxorem appellatam, & coniunctam.*

Nō est turpe opificium Dei formātu hominem.

Respondet D. Hieronym. *Nunquid non quotidie Dei manibus paruuli finguntur in ventribus; vt merito erubescere debeamus, Mariam nupsisse post partum? Quod si hoc illis turpe videtur, superest vt non credant etiam Deum per genitalia virginis natum, turpius est enim iuxta eos, Deum per virginis pudenda genitum, quam virginem suo viro nupsisse post partum. Iunge si libet & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. Ipse tibi describatur infans, tegmine membranarum soluto conuolutus. Ingerantur duræ præsepia, vagitus paruuli, octaue diei circumcisio, tempus purgationis, vt probetur immundus. Non erubescimus, non silemus. Quanto sunt humiliora, quæ pro me passus est: tanto plus illi debeo. Et cum omnia replicaueris, cruce nihil contumeliosius proferes, quam profitemur, & credimus, & in quâ de hostibus triumphamus. Sed vt hæc, quæ scripta sunt, non negamus, ita ea quæ non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus.*

Hæresis Heluidiana ex ignoratione linguæ.

Apparet verum esse, quod Hieronymus monet; hominem fuisse rusticanum vix primis imbutum literis. Nam reuera exempla plurima ostendunt, crebro sic exponendum siue latinas voces, *priusquam, antequam*, siue hebraicam בטרם ita sane Isaiæ 66. 7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Parturire est dolore parturientium premi. Non autem significat fore, vt in posterum parturiret, nulla enim parturit, postquam peperit. Est igitur similis locutio, ac si diceret quispiam: Caia antequam domum Cai deduceretur, inuenta est in vtero habens, certe non sequitur postea deductam esse: sed causa repudii ostenditur; Nemo enim dubitat, quin Caius mox obnunciaturus sit; *conditione tuâ non vtar.* Plena sunt his locutionibus omnia monumenta. Nero Asdrubalem cecidit, antequam copias suas cum fratre coniungeret, nec postea tamen coniunxit. Ita & apud Tullium l. 3. de oratore. *ô fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones; quæ in medio spacio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.* Non timuit Orator, ne quis obiiceret, postea conspectum esse portum ab iis, qui in medio cursu perierunt. Eodem plane modo vsi sunt huius verbi Synonymo, PRIVSQVAM.

Nec obiectum est Maroni, Equos Rhesi postea pabula Troiæ gustasse, cum eos Diomedes *auertisset*

---- *Priusquam*
Pabula gustassent Troiæ, Xanthumque bibissent.

Quid ille, qui perpetuam beneficii memoriam apud se residere peroptabat?

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

An ille post obliuionem ista futura cogitauit?

Neque idem ille verius est, ne Reginam Carthaginis apud inferos nubentem inducere videretur, cum caneret:

Antequam de illis quæ fieri vel solent, vel co-

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras erebi, noctemque profundam.
Ante pudor, quam te violem, aut tua iura resoluam.

Imperitæ igitur malitiæ fuit illa hæresis, errorum tamen, qui nostro tempore grassantur, & perimunt, præambula exstitit. Æquant nostri hæretici virginitati nuptias, fecit idem Heluidius, eaque causa B. Mariam virginem matrem aliorum filiorum esse asseruit, vt eius exemplo virgines ad thalamum inuitaret. *In illud nunc impetum facio*, inquit Hieronymus, *in quo tu virginitatem & nuptias comparando disertus esse voluisti.* Hoc igitur modo hæc verba intelligenda sunt, vt & Dei genitricis virginitatem in conceptu, & partu asseruant, & eiusdem virginis integritati post partum nihil derogent. Verum de tota quæstione legatur Hieronymus contra Heluidium, qui hydram illam gladio spiritus confecit, qui hanc sibi legem dixit.

gitata fuerunt, vel videri poterant aliis.

Continuo ferro culpam compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

3. Georg. tum aliquandiu contagio est impedita, sed nostro æuo, in quod omnia horrenda confluxerunt, recruduit. Vt cuique pro exemplo Euangelicæ locutionis, vere adferre liceat, quod in Miloniana Tullius dixit. *Præclare enim vixero, si quid mihi acciderit, priusquam tantum mali videro.*

VERSVS 19.

Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam.

QVÆSTIO I.

An Ioseph fuerit iustus?

Ioseph vere iustus.

§. 1. NOuatores magnopere laborant, ne Ioseph vere iustus esse iudicetur. *Quidam interpretes*, inquit Caluinus, *intelligunt, Ioseph, ideo quod iustus esset, voluisse vxori parcere: ita illis iustitia est humanitas, vel moderatio animi ad clementiam propensior.* Ipse cum aliis duo hæc membra aduersatiue legit; Iustum quidem fuisse Ioseph, sed tamen de fama vxoris sollicitum. Proinde hanc iustitiam in odio, & detestatione sceleris fuisse. Aretius imputatitiam fine reali, iustitiam illi tribuit, verum eiusmodi inter scribendum rationes producit, quæ eum vere & in se iustum gratia Dei inhærente conuincant. Verba eius sunt. *Deinde iustus est, iusti enim filii Dei, iustus debuit esse pater putatitius, deinde pia virgo iustum merebatur maritum: sed aliter iustus est Ioseph, aliter Christus, iustus est ciuiliter Ioseph, ein frommer vffrichtiger Bidermann / iustus etiam imputatiue coram Deo, cum natura esset peccator & iræ Dei etiam obnoxius, nisi gratiâ esset exemptus, demum veram iustitiam aliunde habet: Christus naturâ iusta ipsa est iustitia, iustos etiam alios facit & à peccato liberat. Cæterum iustitia Iosephi sic vtiliter recensetur: primum facit ad historiæ iam narratæ fidem, non cognouit sponsam suam, iustitia erat nondum perfectis nuptiis quicquam ab ea postulare: deinde quia iustus est admonitus ab angelo deinceps quoque libenter abstinet: tertio, fidem habet angelo potius, quam sinistris cogitationibus, quod iustitiæ hoc est, probitatis ciuilis erat. Denique iustus cum sit, iustam non vult traducere. Tertiò ad Iosephi personam pertinet, quod non vult eam παραδειγματίσαι, quod alii ad vltimum supplicium, quod ex lege adulteræ debebatur, referunt, q. d. potuisse quidem Iosephum eam apud Magistratum accusare, & exposcere vt secundum legem exemplum aliis statueretur, quod sanè fuisset summi iuris, & rigidæ iustitiæ, verum id noluisse, maluisse sponsæ in eo parcere, quia iustus erat, vt ne quidem infamiâ ipsam notari voluerit: ego arbitror eum in hac fuisse sententiâ, vt nec pœnis, nec infamiæ, quantum quidem ad ipsum pertinebat, exponeretur.*

Re ipsa iustus Ioseph fuit.

Quomodo Ioseph iustus.

§. 2. Nulli dubium esse debet; Iosephum hoc loco vere,

Ioseph propriè iustus erat.

vere, proprie, gratia Dei inhærente, non sola imputatione absentis iustitiæ, aut non-imputatione præsentium peccatorum iustum fuisse. Rationes ex ipso textu euidentes suppeditantur, quas nobis etiam Caluinus, & Aretius exponunt. Ex illius iustitia, quæ laudatur, duo insignia opera oriuntur. Nempe, vt nollet eam traducere, παραδειγματίζεσθαι, & vellet occulte dimittere. Primum charitas, misericordiaque suadebat, ne coniugem, cognatamque, in qua omnia virtutis, nulla vitiorum indicia notarat, publico probro afficeret. Alterum vero exigebat, mariti officium, ne alieni matrimonii subsessor, impudicitiam coniugis foueret, familiæ ac hæreditati Dauidicæ spurium insereret. Hæc iusti sunt opera peccatum alienum horrentis, & proprium fugientis. Non possunt hæc conuenire in Caluini inanam iustitiam: Illa enim cum multo criminum grege, eodem in animo, conscientiaque stabulari ac foueri potest. Dauid in adulterio, & cæde ducis innocentis Bezæ iudicio iustus erat, retento Spiritu sancto, & non-imputatione criminum: Ea igitur iustitia, non repugnat vitiis; sed tegit: Potuitque Ioseph vel suspectam traducere, vel deprehensam, vxoris leno fouere, quod legibus erat veticum, & infame. Imo potuit innocentem legibus subdere, vt lapidaretur; Deuteron. 22. & per omnium ora traducere, hoc est, דרש publico iudicio infamare, exempla statuere, quod est παραδειγματίσαι. ita Numer. 25. 4. Suspende eos Domino παραδειγμάτισον αὐτοὺς τῷ κυρίῳ. Fatetur tamen Beza etiam hoc verbum habere locum, *cum non à iudice pœna infligitur. Vt apud Plutarchum Archilochus scribitur editis parum honestis versiculis sese παραδειγματίσαι, quod & mihi iuueni, inquit, necdum in Ecclesiam Dei adscito, euenit: quam tamen maculam spero me tum dictis, tum factis eluisse.*

Iustitia imputatitia nõ est agentis principium.

§. 3. Hanc in Iosepho iustitiam Hieronymus aliique agnouerunt. *Si quis*, inquit Hieronymus, *fornicariæ coniungitur, vnum corpus efficitur, & in lege præceptum est, non solum reos, sed & conscios criminum obnoxios esse peccati; quomodo Ioseph cum crimen vxoris celat iustus esse scribitur?* Sententiâ igitur Hieronymi, si contra Dei legem celat crimen vxoris, iustus esse non potest: at ex non-imputatione Caluiniana iustus esse potest, non modo qui crimen abscondit, sed etiam qui ausus est. Idem Hieronymus contra Heluidium probat Iosephum etiam virginem fuisse; quia iustus fuit, si iustus, ergo fornicator non fuit; ergo iudicauit fornicationem aduersam esse iustitiæ: at illa Caluinianæ iustitiæ non repugnat, cum iuxta Bezam in Colloq. Mompelgartensi, Dauid in adulterio, & homicidio iustitiam non perdiderit; cum tamen adulterium, & cædes scortatione sint deteriora. De iustitia Iosephi etiam ex ipsa re iudicari potest, cum enim fuerit magna numinis dignatione electus, segregatusque vt Dei genitricis custos, & maritus esset, Christi pater esse putaretur. Vetè iustum illum, non criminosum esse, non sola non-imputatione iustum esse oportuit. Cum præsertim & virgo coniux, & filius Dei velut familiæ capiti essent subditi.

Iustitia Caluiniana criminũ amica.

§. 5. Non erat illa iustitia duntaxat probitas ciuilis, qua angelo credidit, vt putat Aretius. Nam cum illa morali, & ciuili virtute, infidelitas, aliaque flagitia possunt consistere. Deinde cum angelo potius, quam

Iosephi fides & iustitia fuit supernaturalis.

luis cogitationibus credidit, dicenti, conceptum Christi de Spiritu sancto esse. non id ciuilis fidei, sed cœlestis fuit. *Beata* dicitur virgo mater, *quæ credidit*, non dubium, quin beatus etiam vir eius *qui credidit.* Auctores nonnulli vt Soarez lius pag. 3. Tom. 2. quæst. 19. disput. 7. non improbabile arbitratur, Iosephum etiam apostolis sanctiorem fuisse. Verum comparationem illam incertam nec asserere, nec negare velim.

Aliorum sententia, qui Iosephum consciũm incarnationis, humilitate & reuerentia tanti mysterii refugisse arbitrantur, nec vera, nec admodum pia videtur, nec enim vxorem deserere, nec Messiam quem ex suo genere nascitutum credebat, fugere debuit.

VERSVS 20.

Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus de Spiritu sancto sit?

Quid esse de Spiritu sancto?

§. 1. HÆretici ad suam perniciem, erroresque hæc verba detorserunt, SS. Patres religionis veritatem ex illis probarunt. Sententia perspicua est: *Quod in eâ natum est*, τὸ γεννηθὲν, hoc est, *conceptum, formatumque*, & viuens, non ab alio viro, vt tu suspicaris, sed à Spiritu sancto diuinitus factum est. Ille cœlesti prorsus gratia, atque admirabili modo Messiæ corpus adaptauit, qua operatione coniugis tuæ corpus virginitatemque sacrauit, ornauit, inuiolabilemque fecit.

Marcionitæ negabant Christi corpus ex Maria.

§. 2. Marcionitæ abutebantur verbis illis. ἐν αὐτῇ *in eâ*, non ex ea, vt corpus Christo spirituale, & phantasticum tribuerent. Quibus Tertullianus respondit, vt supra citaui. Non enim ideo non ex ea, quia in ea; in matre enim, & ex matre filius nascitur, Lucas Euangelista alia præpositione vsus, ἐκ σὺ γεννώμενον, non in ea modò, verum etiam ex ea natum ostendit. Neque igitur cum hæreticorum *agnoscimus Christum, qui in imagine, vt dicitur, fuit, & non in veritate*; Nihil enim verum fuit eorum, quæ gessit, si ipse phantasma, non veritas fuit. Neque eum cognoscimus, qui nihil nostri corporis gessit, dum nihil ex Maria accepit; nobis enim non venit, si in nostra substantia visus non est. Hic enim qui noster est redemptor, ex semine Dauid ortum habet, vt testantur Scripturæ.

Spiritus sanctus non est dicendus Christi pater.

§. 3. Fuit patrum temporibus impia, & petulanter proterua hæresis multorum, vt videtur gentilium, vel qui ex illis conuersi ad pristinas sordes redierunt. Dicebant Christi patrem esse Spiritum sanctum, de suorum deorum adulteriis res sacras profane iudicantes. Testis est Tertull. apolog. c. 2. *Huius igitur gratiæ disciplinaque arbiter & magister, illuminatorque atque deductor generis humani filius Dei annuntiabatur, non quidem ita genitus vt erubescat in filii nomine, aut de Patris semine; non de sororis incesto, nec de stupro filiæ, aut coniugis alienæ Deum patrem passus est squamatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, aut in auro conuersum Danaidis. Iouis ista sunt, & numina vestra. Cæterum Dei filius nullam de impudicitiæ habet matrem, etiã quam videtur habere, non nupserat: sed prius subsantiam ediderat, ita natiuitatis qualitas intelligetur.*

Gentes suis fabulis assibet Christi natiuitatem.

De fæce igitur gentium amaritudo illa exorta, etiam postea Ecclesiam vexauit. Contra eum namque errorem Hieronymus in exposit. fidei Cathol. disputat. *Non sicut quidam sceleratissimi Spiritum sanctum dicimus esse pro semine, sed potentiã, & virtute creatoris dicimus esse operatum.* Sic Augustinus serm. 91. de temp. In Enchiridio autem c. 38. & Ep. 191. docet non esse Christi patrem Spiritum sanctum. Et Enchirid. c. 40. *Natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut filius, & de Maria virgine sicut filius.* Causa etiam additur: *Non enim in eadem specie conceptus est.* Quod Chrysostom. 2. in symb. Apost. Rup. l. 1. de operibus Spiritus sancti, D. Thomas 3. p. q. 32. a. 3. aliique notarunt. Neque hoc ex loco aliud confici potest. Positum est namque ἐκ pro ἀπὸ, Ex pro A, vel Ab; quemadmodum Rom. 11. ἐξ αὐτοῦ καὶ τὰ πάντα, Ex ipso omnia. Quocirca nonnulli verterunt maluerunt, *a Spiritu sancto*; quam cautionem superfluam esse non dubito, cum causam efficientem, non præsse generantem verba designent, præsertim in Syria dicto ⁊ Men, qua vsus est angelus.

Christus nõ est filius Spiritus sancti, quia nõ in eadem specie.

Nasci communiter verbis

Neque obstat verbum γεννηθὲν *natum*: illud enim dicitur de rebus quocumque modo ortum habentibus; vt etiã quod hoc loco in textu Syro est, ריתילד; nam ילד apud Hebræos non modo de generatione propria, in qua pater, & mater; sed de omni productione, procreatione, omniumque efficientia vsurpatur. Sic Deut. 32.18. θεὸν τὸν γεννήσαντά σε ἐγκατέλιπες, *Deum qui te genuit dereliquisti.* Magnum igitur hac de re auctorem audiamus. *Et Ioseph cum vellet eam dimittere suspicatus adulteram quam sciebat non de se grauidam, tale responsum ab angelo accepit: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est: id est quod tu esse de alio viro suspicaris, de Spiritu sancto est. Nunquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, vt Deus Pater verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua vtraque substantia Christus vnus esset, & Dei Patris Filius secundum verbum, & Spiritus sancti Filius secundum hominem: quod quasi eum Spiritus sanctus tanquam pater eius de matre virgine genuisset? quis hoc dicere audebit? Nec opus est ostendere disputando quanta alia sequantur absurda, cum hoc ipsum iam ita sit absurdum, vt nullæ fideles aures id valeant sustinere. Proinde sicut confitemur; Dominus noster Iesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine vtráque substantiâ diuinâ scilicet & humanâ, filius est vnicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. An quia fecit eum? quoniam Dominus noster Iesus Christus in quantum Deus est, omnia per ipsum facta sunt: in quantum autem homo est, & ipse factus est, sicut Apostolus dicit: Factus est ex semine Dauid secundum carnem. Sed cum illã creaturam quam virgo concepit & peperit, quamuis ad solam passionem Filii pertinentem, tota Trinitas fecerit; neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus est? An & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuersa operari Trinitas intelligitur? Ita vero est, & exemplis doceri potest.*

Christi pater non est Spiritus sanctus, ne duos Patres dicamus.

Siue igitur ex Spiritu sancto tanquam Patre proprie dicto, siue ex eo velut semine natus dicatur Christus, impie de sanctissima natiuitate iudicatur. S. Chrysostomus merito semper in eos inuectus est, qui ista curiosa temeritate rimantur, de quibus Euangelistæ nihil dixerunt. Porrò ex nascendi verbo nihil efficitur, id ad alia etiam pertinet.

Nascere, præque diem veniens age Lucifer almum.

Incarnatio attributa est Spiritui sancto, quia ille sanctificator.

§. 4. Cum vero incarnationis œconomia, & deificæ carnis efformatio, opus sit toti sanctissimæ, & individuæ Trinitati commune; Spiritui sancto tamen attribuitur, quia ille viuificat, sanctificat, renouat, hoc vero opus omnium operum Dei sanctissimum fuit; omnis enim ab eo sanctitas, salus, vita, regeneratio. Monet etiam D. Thomas p. 3. q. 32. a. 1. *Opus conceptionis quidem commune esse toti Trinitati, secundum tamen diuersum modum, attribui singulis personis; nam Patri attribui auctoritatem respectu personæ filii, qui per eiusmodi conceptionem sibi assumpsit humanam naturam. Filio autem attribuitur ipsa carnis assumptio, sed Spiritui sancto attribuitur formatio corporis, quod assumitur à filio. Spiritus sanctus respectu corporis Christi habet respectum efficientis; ad diuinitatem vero respectum consubstantialitatis.*

Incarnatio à spiritu facta eius diuinitatem ostendit.

§. 5. S. Athanasius solide constanterque hoc ex loco, Spiritus sancti Diuinitatem contrà Arrianos asseruit, disput. quam coram Proclo iudice habuit. Cum enim multis auctoritatibus demonstrasset Spiritum sanctum creatorem; ac proinde Deum esse, ita infert. *Tantæ enim potestatis, vel creationis Spiritus sanctus ostenditur, vt ipso cooperante corpus Domini Iesu Christi, qui nobis in sacramento fidei datus est, in vtero Virginis formaretur, Euangelista dicente: Ne timeas Ioseph accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Et item: Priusquam, inquit, conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto, non quod Saluatoris nostri Pater dicendus est Spiritus sanctus, vt duo credantur Patres, sed quod cum Patre & Filio idem Spiritus sanctus cooperatur & vnius potestatis est: cum iisdem socius inuenitur.*

Si Spiritus est creatura, Christo erit aliqua creatura superior.

Firmum est hoc contra Arianos argumentum: cum enim filium Dei Iesum Christum negarent creaturam, vt sunt reliquæ creaturæ, & primum, longoque interuallo dignitorem cæteris creaturis locum tribuerent: non poterant eundem dicere de Spiritu sancto, hoc est, creaturâ esse. Spiritus sanctus enim superueniens, & Christi carnem efformans, eo quod fecit, inferior censeri nõ debet. Nos verò qui in Domini nostri conceptũ humanam naturam iunctam increatæ hypostasi vere & substantialiter esse credimus; firmissime non tantum credimus; sed ratione cogimur, ne opus hoc creaturæ esse dicamus.

Christus homo, & Deus.

§. 6. Denique breuissima verba nobis Deum, & hominem exhibent. Homo est; quia natus in virgine: Deus; quia ex Spiritu sancto. Ita nos maiores nostri docuerunt. *Qui legunt ergo hominis filium hominem Christum Iesum, legant hunc eundem & Deum & Dei filium nuncupatum. Nam quomodo qua homo, ex Abraham, sic est etiam qua Deus ante ipsum Abraham. Et quomodo qua homo filius Dauid, ita Dominus Dauid qua Deus nuncupatus est. Et quomodo qua homo sub lege factus est, ita qua Deus Sabbathi Dominus expressus est. Et quomodo qua homo sententiam patitur, sic omne qua Deus de viuis & mortuis iudicium habere reperitur. Et quomodo post mundũ qua homo nascitur, sic ante mundum qua Deus fuisse perhibetur. Et quomodo ex semine Dauid qua homo genitus est, sic ita per ipsum qua Deum mundus dicitur institutus. Et quomodo qua homo post multos, sic qua Deus ante omnes. Et quomodo cæteris qua homo inferior, sic omnibus qua Deus maior. Et quomodo in cœlum qua homo ascendit, sic inde qua Deus ante descendit. Et quomodo ad patrem qua homo vadit, sic obediens patri qua filius inde descensurus est. Ita si mediocritates in illo adprobant humanam fragilitatem, maiestates in illo adfirmant diuinam potestatem. Periculum est enim, cum vtrunque legis, non vtrumq; sed alterum credidisse. Ex quo quoniam vtrunq; in Christo legitur, vtrunq; credatur: vt fides ita demum vera sit, si & perfecta fuerit. Nam si ex duobus altero in fide cessantes, vnum & quidem id quod est minus, ad credendum fuerit assumptum, perturbata regula veritatis, temeritas ista non salutem contulerit, sed in vicem salutis, de iactura fidei periculum mortis grande conflauerit.*

VERSVS 21.

Et vocabis nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

QVÆSTIO I.

Cur vocatus Iesus?

Nomẽ multũ ante prædictum mysterio plenum est.

§. 1. MAgnum omnino in nominis impositione mysterium esse Spiritus testatur: matri enim & Iosepho illud prædicit, angelis etiam reuelatum esse antequam in vtero conciperetur Lucas asseuerat; hoc loco causa redditur. *Quia saluum faciet populũ suum.*

Primo ergo nomen reuelatum est angelis, deinde Mariæ matri, tandem Iosepho, qui munus nutritoris, cum nomine & auctoritate parentis erat habiturus. Fuere alii quoq; illo nomine donati, in primis autem Iesue filius Nun minister Mosis, is Hebræis יהושע vocatur, Septuaginta semper vertunt Ἰησοῦς. Vno tamen loco, nempe 1. Par. 7. 27. sine vltima ע scribitur יהוש & apud 70. ἰησοῦς. Post captiuitatem vocatur ille, & alii, ישוע Ieschua, Esdræ 2. 2. & 7. 7. & 8. 17. quomodo etiam in Nouo Testamento scribitur. Imo Numer. 13. 17. vocatur הושע, ex quo manifestum est, varie apud Hebræos pronunciatum esse, & scriptum; nec dubito etiam vbi eisdem literis scriptum inuenitur, diuerso tamen sono, sibiloque lectum: vt mirum nõ sit à Græcis

Iesus dictus, qui Iesua.

alio sono efferri, & vbique per ש, siue S. lene, non per ש, siue Sch. asperum: videmus enim ita leniter locutos Ephrathæos, Iudicum 12. 6. adeoque assuefactos, vt pro שבלת Schibboleth, dicerent סבלת Sibboleth, eosdem dixisse Iesu, & Iesua, seu Iehosua, & Iosua, non Ieschua, Ioschua, &c. probatur ex scripturâ, aitenim, ולא יבין לדבר בן, *& non dirigebat, seu valebat loqui sic.* Vnde hoc scilicet? quia in Ægypto educati lenius pronunciare didicerant. Ante aduentum enim Iacob nati erant, vt Hebræa lingua ipsis vernacula ex matre non fuerit, atque sic paruo initio in totam tribum Ephraim cum qua in hac causa Manassem cõiungo, alia dialectus fluxit. Quæ idcirco moneo; ne Nouatores delirare nesciamus; qui tum se maxime miantur, cum quantum possunt, dicunt, Ioschua, Iehoschua, Hoscheah: nec tamen aliud consequuntur, quam vt nominis Iesu suauitatem piis mentibus incepta nouitate auferant. Etymon nominis Hebræis notum, vt Græcis, & nostris σωτὴρ & Saluator. ישע *Iaschagh* enim, & Ephraeâ dialecto ישע *Iasagh*, est saluare: in Hiphil הושיע Hoschiagh vel Hosiagh, *Saluauit*; additum ה, vt sit index nominis proprii, vltima littera ע à Syris frequenter omittitur, Latini & Græci ea carent, ideo substituunt patriam terminationem ους, siue us longum. Id quod in plurimis faciunt, dicunt Hebræi צר Zor, Syri תר Thor, Græci τύρος, nos Tyrus. Ita quoque Syri frequenter ישו Ieschu quod in obliquis nos imitamur. In Syriaco testamento scribitur ישוע *Ieschuagh*, ita vt ua in vnam vocalem coalescant: at Hebræum fere .. ad modum Græcæ vocalis η pronunciatur, cum vero iota consonans apud eos non sit, necessario ex Hebræo י Ie, fit ιε. Hoc modo loquendum & nobis est; quia ita locutus est angelus Syriace: nisi quod Latini propius ad Syrã & Hebræam dialectum accedimus, dum per i consonantem efferimus, & dissyllabâ dictionem facimus. Ita locutos Hebræos constat ex Esdra, non solũ enim alios, sed ipsum etiam Iosue filium Nun vocat ישוע Ieschu. c. 8. 17. Græci verbi similitudinem potius Cyrillus, quam veram originem attendit Catech. 10. dum ait: Ἰησοῦς καλεῖται φερωνύμως, ἐκ τῆς σωτηριώδους ἰήσεως ἔχων τὴν προσηγορίαν. *Vere Iesus nominatur, ex saluifica medicina habens appellationem.* Alioqui norat ille, Iesum Hebræis Saluatorem significari, nam paulo post ait. Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς καλεῖται διωνύμως, ἰησοῦς μὲν τὸ σώζειν, χριστὸς ὁ τῷ ἱερατεύειν, *Iesus Christus vocatur duplici nomine. Iesus quidem propter saluationem, Christus propter sacerdotium.* Accommodant tamen aliquando ad suam ἴησιν, *sanationem*, Græc; venit enim medicus ille ad sanandas gentes, quæ ἐθνῶν siue Græcorũ nomine intelligebantur.

Ephratæ cur alia dialecto vsi?

Nouatorũ affectata deliria.

Etymon nominis Iesu.

Cyrillus excusatus.

QVÆSTIO II.

An à peccatis saluum fecerit populum suum?

§. 1. QVemadmodum apud Latinos elegans esset allteratio, si diceret: *Vocabis nomen eius Saluatorem; quia saluum faciet*, & apud Græcos σωτῆρα, σώσει γάρ; ita non est dubium in Hebræo siue Syro angelum eodem verbo esse vsum. Hebræus ita loqueretur; vocabis eum יהושיע *Iehoschuagh*, בי יהושיע *Ki Iehoschiagh*; vbi nulla est nisi duarum literarum ה & ו mutatio. Verum Syrus interpres vocum affinitatem neglexit; nam pro ישע *Ieschagh* verbo posuit בחיותי בחיותי *viuificabit*; quod eundem sensum habet; nam qui mortui erant peccato, sibi conuiuificauit, vt fructus vitæ ferrent.

Syrus neglexit allitterationis elegantiã.

§. 2. Ecclesiastici tractatores tria salutaria dogmata ex his verbis deducunt.

Saluum facere a peccatis solus Deus potest.

Primum esse Deum, nemo enim à peccatis saluare potest, nisi sit Deus naturâ, vt recte docet Cassianus lib. 5. cap. 1. de incarnatione. Nam nemo ab iniuria Deo illata potest absoluere, nisi Deus, qui suæ mate-

Nulla peccatorũ nisi in Christo remissio.

statis solus est vindex; agimus vero de illo, qui sua auctoritate id agit; non qui commissariâ; Christus vero à propheris nobis describitur, vt qui supremo domino peccata dimittat. atque hoc opponitur pestiferæ eorum doctrinæ, qui Christi diuinitatem negant.

Alterum est, Christum vnicum & solum esse liberatorem à peccatis, non illa nostris operibus remitti, non victimarum sanguine expiari, non fumo propitiatorii fugari, sed hunc esse quo solo interueniente liberemur. Hoc igitur ex loco blasphema Fausti Socini hæresis confutatur, qui patrum memoriâ Christi meritum, satisfactionemque inficiatus, eum non nisi docendo, & salutem monstrando liberasse nos impie docuit. Quod si verum est, Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli, & sinceri Doctores eodem in gradu sunt Saluatores, quo Christus. Imo quidam altiore, vt qui pluribus annis, grauissimis laboribus populum erudierunt, & diros cruciatus ferendo veritatem Dei propugnarunt. Occurrit Socinus: *Christo primas deberi, vt qui primus noui aliquid patefecerit, alios delegerit.* At vero id & falsum est, & ad quæstionis solutionem non sufficit. Moses multa noua patefecit, aliique Prophetæ, & Apostoli Ipse angelus Zachariæ, Elisabethæ, Mariæ, Iosepho tam fausta nuncians nõ minus esset, quam Christus ipse Saluator. Non est sufficientem hanc expositionem, contextus ipse edocet. Angelus enim in eo est vt doceat: Christum de Spiritu sancto conceptum, vocandumque Iesum, quod liberaturus esset populũ, quod infirmum erat, si docendo tantum, monstrandoque pietatem, id facturus erat. Patriarchæ enim & Prophetæ atque adeo Baptista id muneris habuerunt, & tamen non ex Spiritu sancto, sed de viro, & quidem in peccato sunt nati. Si vero dicamus ostensione salutis nos liberatos, vt ait Socinus, omnia mysteria euertimus, *Iesum Christum*, ait, *duplici ratione Saluatorem nostrum dici posse, dum adhuc sumus in hoc mundo; Vel quia re uator non ipsâ effecerit, vt nos salutis viam ingressi simus. Vel, quia per est Christus. ipsum non steterit, quo minus eam ingressi fuerimus, & ea, quæ nostri causâ fecit, nobis salutis viam abunde patefecerint.* Hoc est profecto viam salutis euertere: Non enim solâ ostensione liberamur à peccatis, nec Deo reconcilia- *Soli ostensioni mors* mur, nec opus erat, Deum fieri hominem, aut nasci de *necessaria* Spiritu sancto, multo minus vt morte sua nos libera- *non fuit.* ret. Verum Socinus quidem hæc ita praue edisserens, totum Vetus Testamentum, quoad spiritum, elidit. *Cur enim prophetæ Saluatorum nomine non fuerint decorati, mirum non esse* ait; *Illi enim salutis æternæ, de qua loquimur, viam non annunciarunt.* Quomodo vero? nemo ergo in veteri Testamento viam salutis annunciauit? Quomodo igitur crediderunt? Quomodo salui facti sunt? Nonne credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam? Tertium est. Populum à peccatis suis liberatum esse. Hoc est enim σώζειν, hoc indicat Syrus, cum vertit בחיותי Nachiuhi, *viuificauit.* Liberari à morbo dicuntur, non illi, in quorum corporibus, dolor & tabes permanet, sed cum sanitate & viribus restitutis κακεξία infirmitasque tollitur, non autem cum *Liberati à* sine sensu, aut metu mortis, in stuporem ista vertun- *peccato in* tur. Redemptor est, qui captiuum liberat, vincula dis- *eo non* marumpit, non qui mala sua non sentientem in carcere *nent.* detinet. Quocirca improbe locum illum detorquent, Aretius, Musculus, alii; Quia nos à peccato hactenus liberatos esse volunt, non vt illa non sint, sed vt præsentia regantur, ne noceant, ne damnare possint. Peccatum esse quidem in animo, atque adeo in opere, & verbis, superbiam, iram, ebrietatem, libidines, homicidia, *sed venenum suum perdidisse* ne noceant, neue occidant. Hinc Musculus ait, *omnia sanctorum esse venialia, nullum mortale.* Quo nihil vel huic sententiæ, vel Chri- *Christus* sto Saluatori magis aduersum est, vel moribus noxen- *Caluniatius.* Peccato enim non aliter nos liberat, si illis credi- *nos non li-*

Liberat à peccato, sed cõfirmat.

mus, quam medicus, qui vlcerum fœditatem preciosa fascia obtegit. Deinde liberrimam peccandi licentiam populo suo, scelerum aduocatus indulget. Nam peccantes non à malis ipsis liberat, sed per omnia criminum genera celeri passu procedentes, à pœnæ metu, & veneno culpæ liberat; vt quanquam enormia facientes, non modo nõ damnentur, sed ne iniusti quidem efficiantur. Hoc non est à peccatis liberare, sed priuilegia, impunitatemque peccantibus concedere. Perinde ac si Mitio Sofiæ alicui nequissimo seruulo, postquam animo suo obsecutus est, impunitatem promittat, & caput demulceat. Qualem Deum illi colunt, qui talem liberatorem agnoscunt?

§. 3. Friuolum est, quod rudiores sectariorum hoc loco mouere solent. Solus Christus est Saluator, non ergo inuocandi sancti: Si enim & illi liberant, frustra Christus venit.

Christus solus Saluator non excludit Saluatores administros.

Cui facile ipsorum verbis respondetur; Bullingerus enim hoc loco monet, Apostolos in Abdia dici Saluatores. Aliter tamen Christus, aliter illi, Christus princeps salutis, alii administri, & deprecatores. Ita Rom. 11.14. 1.Cor.9.22. 1.Tim.4. Iacob.5.20. ita & Sibrandus l.1.c.2.de Christo Seruatore, Christum esse auctorem & causam efficientem, Apostolos præcones. 2.Timoth.1.9. 1.Cor.4.1. 2.Cor.5.20. Actor.10.24. & 9.15. Quod si liberare annunciator & doctor potest, multo magis præstare id possunt illi, qui pro nobis Deum orant, & exorant, ipsum Saluatorem.

VERSVS 22. 23.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino, per Prophetam dicentem.

23. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.

QVÆSTIO I.

An verba illa angeli sint, an Euangelistæ?

Angelo credidit Maria.

§.1. VErba angeli non sunt, verum Euangelistæ, qui cum rem insolitam narrasset, oraculo Isaiæ c. 7. 14. comprobauit. Angelus enim ipsa reuelatione certam virginem reddebat, adhibens talia signa veritatis, qualia non possunt esse falsitatis.

Scripturis vtuntur Euangelistæ.

Hoc tamen loco Nouatores insurgunt. *Nihil sine scriptura dicendum esse; quandoquidem scriptura Matthæus vtatur.* Atqui illi ipsi tot vident in Nouo Testamento narrationes, sine veteris citatione; vt si exemplo vtendum esset, potius conficeretur raro scripturas vsurpandas; certe aliud conficere non possunt, quam vt dicant aliquando eas recte adduci, crebrius omitti, & recte, quia diuina id fit auctoritate.

Mihi fortius argumentum contra eos effici videtur, qui scripturas claras, & sine interprete planas esse iactant, quos hic locus abunde refutat.

Nota hæc obiectio olim fuit.

Fatetur enim Caluinus *hic Iudæos pluſquam superbe exultare, quia Christianorum, vel imperitia, vel incuria, hæc obiectio præterita, & sepulta fuit.* Fall tille quidem mota enim, & soluta fuit, non tamen sine labore. Interim sane apparet loci difficultas, quo cum Matthæus contra Iudæos vtatur, illi tamen è contrario abutantur.

Obscurus hic locus est.

Quocirca dicendum est: Non modo verba illa inter Iudæos nota fuisse, verum etiam in eorum Ecclesia interpretationem de Messiæ partu è virgine virtutem, alioqui in contumaces nisi accurate, & à vitis doctis diligenter instituta disputatio, non erit efficax.

QVÆSTIO II.

Quis historiæ, & prophetiæ nexus apud Isaiam?

Conspirationes contra Ecclesiam, etiam peccantem intercidit.

§.1. RAsin rex Syriæ, & Phaceæ filius Romeliæ, rex Samariæ, in exitium domus Dauidicæ conspirarunt. Qua fama Achaz rex Iuda, & populus vehementer consternatus est: Deus vero ad eorum consolationem Isaiam misit, qui nunciaret; bono animo essent; non enim metuendum esse à duabus caudis titionum fumantium. Adhuc enim esse annos sexaginta, & regnum Israelis ea fata manere. Quia vero Achaz erat obstinato ad resistendum diuinis oraculis animo; Optionem signi cuiuscunque obtulit: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum supra,* Hebraice, העמק שאלה Haghamek Scheala, *profunda petitionem,* או השאה למעלה Ouhasaeh Lemaghala, *vel exalta in excelsum.* Quæ ad verbum recte vertit Symmachus, βάθυνον εἰς ᾅδην, ἢ ὕψωσον ἄνω. legit tamen ille שאלה addito ך, pro שאלה, scilicet, Scheula, pro Scheala.

Obstinati nec signis mouentur, nec minis.

Insignis certe Dei in regem impium beneficentia. Postulare signum iubet siue in cœlo, siue deorsum, omnia media complexus, vt salutis fidem impio regi faceret. Achaz cum Dei bonitatem grato animo amplecti, & signum petere oporteret, perfidia sua occupatus, noluit; hypocrisin insuper adiunxit, v. 12. *Non petam,* inquit, *& non tentabo Dominum:* Nec hoc, vt videri volebat, in Deum pietate, & reuerentia, sed odio, perfidiaque faciebat; Timebat enim ne si insigne aliquod miraculum Dominus ederet, populus Prophetæ crederet, atque ad Deum Patrum suorum conuerteretur. Totus igitur in eo erat, vt politicis artibus bellum, clademque auerteret; missis enim ad Theglathphalassar regem Assyriæ muneribus, auxilium petiuit, dicens. *Seruus tuus, & filius tuus ego sum; ascende, & salua me de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel.* Factum illud est, venit enim rex Assyriæ, cœpitque Damascum, & Achaz liberauit: verum mox ex patrono in hostem versus est. 2. Par. 28. 20. *adduxitque contra eum Theglathphalassar regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastauit. Igitur Achaz spoliata domo Domini, & domo regum, & principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.* Contempto igitur Domino, signisque repudiatis, credidit se tutum fore, si sese dederet potentiori, ideo Scriptura addit: *insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum ipse rex Achaz, immolauit diis Damasci.* Hanc illi impietatem, & pietatis simulationem Deus exprobrat, v. 13. *Audite ergo domus Dauid: Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Hebraice להלאות, quod est laboriosa, seu ærumnosa molestia fatigare. Non quod Deus fatigetur, sed vt fœditas hypocriseos ostendatur, vt Isai. 1. 11. *facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Hinc 70. vertunt παρέχειν ἀγῶνα, Sym. κοπεῖν, Aq. μοχθεῖν. Regi igitur dupliciter impio, qui & idola coleret, & Dei tamen aliquem timorem simularet, propheta hunc in modum loquitur. *Propter hoc dabit vobis Dominus ipse signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.*

Se sibi melius, quam Deum consulturum putabat.

Recedens à Deo tyranni fit mancipium.

Hypocrisis Deo molesta.

QVÆSTIO III.

An propter Achaz hypocrisin sit datum signum?

§.1. CVm ex sola misericordia, filium suum Deus miserit in hunc mundum, nec eum vlla hominum bona opera, nulla merita impulerint, mirum videri solet; tam molestæ, & fastidiosæ simulationi, tantum beneficium alicubi: & dici; *propter hoc dabit,* לכן propterea. Nemo tamen nõ facile occurret huic obiectioni, si consideret, signum Achazo nõ datum præsens, sed

Signum non datur ob impietatē, sed Dei ex fide.

sed promitti domui Dauidis, non propter Achazi improbitatem, sed Dei in fide promissisq; constantiam. Quia ergo Achaz Deum contemnit, signa salutis nulla desiderat, Dominus sua beneficentia illam tantam malitiam vincet. Quantumuis enim ingratis, non petentibus, non excipientibus mittet Saluatorem. Itaq; non indicatur causa incarnationis, sed diuini consilii immobile decretum, propter quod virgo concipiet. Vt explicatum est in Isaia.

QVÆSTIO IV.

An vere Virgo conceperit? & pepererit?

§. 1. APud prudentes, imo apud non contumaces, quæstio locum vix inuenit. Cum enim Spiritus sanctus id asserat, non est cur homo inficietur. Mihi verba ipsa perpendenda sunt, ne cauillationes Iudæorum speciem veri habere videantur. Etenim cum signi alicuius illustris, quodque nouitate, magnitudine, admirabilitate sui, animos etiam obstinatissimos ad veri inuestigationem mouere posset, optionem Deus Achazo dedisset, & ille contempsisset; signum tamen promittit, domui Dauid, conceptum, partumq; Virginis, signum magnum, omnium signorum fundamentum. Signum igitur est אות, quo verbo vtitur Propheta, cum iubet Achazum petere, & cum promittit Dominum daturum. Signum est à Domino, signum nouum, quia admirationis notam apponit: *Ecce virgo concipiet.* At vero si virgo non concepit, sed mulier, signum non est, sed vulgaris naturæ effectus. Ita de Christi humana natiuitate Basil. item Epiph. & ante eos Tertull. aduersum Iudæos. *Sed & virginem*, inquiunt, *parere natura non patitur, & tamen credendum est Prophetæ, & merito, præstruxit enim fidem incredibilitati, dicendo, quod signum esset futurum: propterea, inquit, dabitur vobis signum, Ecce virgo concipiet in vtero & pariet filium. Signum autem à Deo nisi nouitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur. Denique si quando ad deiiciendos aliquos ab hac diuina prædicatione, vel conuertere singulos simplices quosque gestitis, mentiri audetis quasi non Virginem sed iuuenculam concepturam Scriptura contineat. Hinc quoque reuincimini, quod nihil signi videri possit res quotidiana iuuenculæ scilicet prægnatus & partus.*

Nisi conceptus virginis esset, non esset signum.

Prouerbium: cum virgo pepererit.

Deinde quod Prouerbio dicebatur, vt de re mira, & incredibili Virginem parere, id Spiritus futurum ex omniporentis ordinatione prædixit. Quo etiam eorum proteruia retunditur, qui concedunt Virginem concepisse, sed concipiendo factam esse mulierem. Hoc enim nec miraculum est, & eliditur illa blasphemia, cum dicitur Virgo peperisse. Quæ vero ista est peruersitas, quod si hominem loqui audiant, qui dicat: Virginem peperisse; Mox ita sententiam accipiunt, vt dicere eum iudicent; Inuiolata virginitate peperisse: cum ipsi etiam rem quæ fieri nequeat exprimere volentes, dicunt; *cum Virgo pepererit*; ita se intelligi putent; quid est cur Spiritus sancti verba signum eximium proferentis, contra loquendi consuetudinem ita detorqueant, vt signum nullum esse videatur? Hebræus textus ita clarus est, vt alio flecti non possit. *Haghalma hara vaioleaed ben.* חעלמה הרה ויולדד בן *Virgo concipiens & pariens filium.* Quæ cum præsenti tempore dicantur, non admittunt aliam expositionē, quā illam, qua dicitur virgo pariens. Rectè igitur Irenæus l. 3. c. 24. Theodotionem, Aquilam, Iudæos, & Proselytas reprehendit, quod Virginem negarent: illi enim vt & Symmachus verterunt νεανίδα, *iuuenculam.* Alii contendunt etiam עלמה *Ghalma*, non integritatis, sed ætatis esse nomen. Quo ipso satis ostenditur, si fateantur virginem esse, de qua hic fit mentio; etiam conceptum, & partum virginis esse intelligendum.

Hebræi, virgo pariens.

§. 2. Falso Iudæi negant עלמה virginem semper dici, & ni nium illis addicti nonnulli Christiani. Nego enim עלמה aliter, quam pro virgine in Scripturis accipi, assentiorq; Hieronymo, ea voce *non modò virginem, sed etiam cum* δπι πάσι virginem absconditam indicare. Ita in Isa. & aduers. Iouinianum.

Alma, vel Halma, vel Ghalma semper virginem significat.

עלם *Ghalam* Hebræis est latere, celare, abscondere. עלם adolescens cœlebs & priuatus. 1. Reg. 17. 56. & 20 21. עלמה *Ghalma* vero adolescentula, non quælibet, sed quæ domi parentum diligenti cura asseruatur, ne vel iacturam integritatis faciat, vel in suspiciones, & dicteria maleuolorum incurrat. Summa vero laus verecundiæ est, nō videri. Tria sunt vero in hac re nomina Hebræorū, *Naghara, Bethula, Ghalma.* Primū est נערה *Naghara* Hebræis. νεᾶνις, iuuencula. Quod nomen est ætatis, cui e quo inter omnes conuenit. Clarum est exemplum. Deut. 22. 23. & v. 28. Iudic. 21. 12. vbi coniunguntur illa duo. נערה בתולה *Nahara bethulà*, puella virgo. quo satis ostenditur posse esse Naharam, quæ non sit Bethula. Alterum est בתולה *Bethula*, virginem hoc significat, idq; non modo eam quæ in ætate puellari est, sed quacunq; sit ætate. Bethulam non semper virginem significari multi arbitrantur, sed falluntur, non modo ſententia D. Hier. l. 1. c. 18. aduers. Iouinianum, sed etiam textu Scripturæ, locis iam citatis, vbi cum Nahara iungitur Bethula, idq; frustra, si aliud, quam virginem significat. Lex diuina conceptis verbis tradita hoc ipsum confirmat. Leuit. 20, 13. Pontifex summus vxorem ducere iubetur virginem, siue vt Hebræus בבתוליה *Bibthuleiach, in virginitatibus suis.* Et Deut. 22. 17. & v. 20. Signa virginitatis seu virginitates vocantur Bethulim, vbi 70. vertunt παρθενίαν *virginitatem*, & Deut. 22. 15. τὰ παρθένια. Iudic. 11. 37. κλαῦσαι τὰ παρθενεῖά μου. *Plorabo virginitatem meam.* Et Esther 2. 3. Nahara Bethula vertitur à 70. κοράσια ἄφθορα, *puellæ incorruptæ.* Quibus ex locis manifestum est, Bethulam virginem proprie significare.

Bethula semper virginem significat.

Cur quidam viri docti de muliere vocem interdum accipiant occasionem ex Ezech. 23. 3. & 8. item q; Ioel. 1. 8. habuerunt. Apud Ezechielem legimus עשו דדה בתוליהן vbi noster vertit, *vbi fractæ sunt mammæ pubertatis earum.* Alii vertunt, *mammas virginitatum earum.* Apud Ioelem non est Bethula, sed על-בעל נעוריה *super virum pueritiarum suarum.* Hoc est virum cui primo nupsit. Ex Ezechiele propositum probari potest, *frangi enim mammas virginitatum*, est virginitatem eripi, violari. quod verbum frangendi satis indicat; deinde etiā quia Propheta ait id factum in pueritiis, seu prima pubertate.

Bethula etiam apud Ezech. virgo est.

Tertium est עלמה, quod à Propheta positum est verbum. Quod simul est ætatis, & puritatis; est enim Ghalma neghara Bethula, *puella virgo*, non adulta, sed iuuencula virgo, vt etiam Rabbi Salomon notauit. nec simpliciter hoc loco Ghalma, sed Haghalma, illa certa virgo, à Deo θεοπρεπῶς constituta vocatur. Vere igitur monet Hieron. in hunc locum; *Et quantum pugno cum mea memoria, nunquam alma me in muliere nupta legisse, sed in ea quæ virgo est, & non solum virgo, sed virgo iuuenis ætatis, & in annis adolescentiæ.* Mihi verba Hieronymi l. 1. c. 18. aduers. Iouinianum apponere visum est. *Loquatur Isaias*, inquit, *loquatur Esaias*, spei vestræ fideiq; mysterium: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen eius Emmanuel Scio Iudæos opponere solere, in Hebræo verbum עלמה, non virginem sonare, sed adolescentulam. Et reuera virgo proprie Bethula appellatur, adolescentula autem vel puella, non Halma dicitur, sed Naara. Quid est igitur quod Ghalma significat Halmat? Absconditam virginem, id est, non solū virginē, sed cum δπι πάσι virginē: quia non omnis virgo abscondita est nec ab hominū fortuito separata cōspectu. Deniq; & Rebeccam in Genesi ob nimiā castitatem,

Ghalma virgo est & iuuencula.

» tatem, & Ecclesiæ typum, quem in sua virginitate si-
» gnabat, halma scribitur, non Bethula: sicut manife-
» stum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham, quos
» loquitur in Mesopotamia, & dicit: Domine Deus
» Domini mei Abraham. Situ dirigis viam meam, per
» quam ego ingredior, ecce dum stetero super fontem
» aquæ, virgo quæ egredietur, vt hauriat aquam, & dixe-
» ro ad eam: Da mihi pauxillum aquæ vt bibam de hy-
» dria tua, & responderit & tu bibe, & camelis tuis hau-
» riam. Hæc erit vxor, quam præparauit Dominus filio
» Domini mei. In eo enim loco, in quo ait: Virgo,
» quæ egredietur, vt hauriat aquam, in Hebraico scri-
» ptum est halma, id est, virgo secreta, & nimia parentum
» diligentia custodita. Aut certe ostendant mihi, vbi
» hoc verbo appellentur & nuptæ; & imperitiam con-
» fitebor.

§. 3. Iudæi dum omnia perquirunt, locum inuenire sibi visi sunt, vbi Ghalma vel Alma de corrupta dicatur. Prouerb. 30. 19. Via viri in adolescentula: quod de virgine intelligi posse pernegant.

Prouerb. 30. 19. explicatus.

Verumtamen quod eo loco habetur בעלמה, quidam vertunt: *In adolescentia.* Quod si tamen alter sensus teneatur; non erit intelligendum de adolescentula corrupta, ne sit parum verecunda dictio, neue falsa. Nam reuera non erit via viri in adolescentula hoc significatu sicut via aquilæ in cœlo. Nec tamen etiam, si ista obscenius exponantur, ideo עלמה virginē non significabit. Dici enim debet, esse viam viri in adolescentula, hoc est virgine, *sed frangentis*, vt Ezechiel loquitur, *mammas virginitatum eius.* De viro igitur amatore, & venereo aliquo nepote, virginem depereunte Salomon loquitur, cuius omnino via ignoratur, dum in amoris rotâ torquetur, dum curis, iris, induciis, cæterisq; amantium cruciatibus distrahitur. Amantes enim etsi non insaniunt, sunt tamen stultis non absimiles, & qui leuius ægrotant, ineptis. Amor autem negatâ tendens via, in virginem absconditam est ardentior, obuiarum voluptatum fastidiosus.

§. 4. Quidam aliud argumentum ex Chaldæo textu Libri Ruth accipiunt, ibi n. passim aiunt עלמתא pro puella accipi, cum de Ruth loquatur, quæ nupta fuit. Ita quidam, qui Lexicon Pagnini magnis commentariis non semper bonis oppleuit.

Verum mihi hoc loco tria occurrūt, quæ pro Christiana veritate contra Iudaicas fabulas faciunt. Primo nos loqui de Scripturæ Hebraææ vsu, & vocis Hebraææ significatione apud Hebræos: non de affini vocabulo Chaldæorum; potuerunt enim laxiore significatione vti Chaldæi. Deinde Chaldæa versio recentior est atque adeo in multis aberrat, non ig turau henticę Scripturæ vllo modo præiudicare debet; sed ad Hebræam normam dirigere versionem Interpretem oportuit. at vero in Hebræo textu toto Libro Ruth nusquam legitur Ghalma seu Alma. Quinquam si aliquando etiam de Ruth diceretur, non ideo non significaret virginem. Nam cum Booz c. 2. 5. quærit; *cuius est hæc puella?* Si vteretur voce עלמתא, non ideo de nupta interrogaret; iuuenculam enim ignotam, spicas legentem, merito, & more vulgi virginem diceret. Deniq; nego Ruth vocari vnquam toto illo Libro עלמתא sed רבא Ribba, quod iuuenculam significat, vt in Hebræo est Naghara. Caute igitur credendum est, nouatoribus plus æquo Iudæorum fallaci genti credentibus. Fateor עלם *Ghullem*, de iuuene Boozi dici, qui præerat Messoribus; pari quoque modo Ghullemeta, de puellis Boozi, verum & adolescentem illum cœlibem fuisse credo, & puellas illas innuptas & virgines, cum in Hebræo vocentur Nagharoth, quod ætatis est quidem, sed credibilius sane ancillis innuptis vsum fuisse, vt fere fieri solet. Nemo sane probarit in matrimonio fuisse. Immotum ergo fixumq; manet, עלמה Virginem duntaxat significare.

Ghalma nō est in Libro Ruth. & Chaldæa dictio, non nisi vuginē significat.

Virgo interdum dicitur, quæ esse putatur.

Rhuth non dicitur Alma vel Ghullemeta.

§. 5. Alia nobis obiiciunt, quæ tamen constitutis hisce facile dissoluuntur. *Iesus*, inquit, *non est vocatus Emanuel, Messias autem vocabitur Emanuel, nomen ergo non conuenit.* Hæc argutia si vim habet, non recte vel Ezechiæ, vel Isaiæ filio Prophetiam accommodant Iudæi; cum nemo eorum dictus sit Emanuel, nec alius, cui illa quæ de Messia dicuntur conueniant. Duobus modis & optimè quidem à nostris respondetur. Primo cū nomen aliquod alicui tribuitur, non esse necesse, vt eo perpetuo vocetur; satis est naturam, officium, munus, virtutemq; nomine designatam conuenire. Emanuel, vel Himmanuel, vel vt Syrus habet Hamanuil, est *nobiscum Deus.* Quod Christo conuenit, *cum verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Secundo consuetudine loquentiū, & Scribentium frequentissime Iesus Christus vocatur Emanuel. Mirum sanè id obiicere Iudæos ausos, cum quotidie illos Ecclesiæ consuetudo confutaret. Ita respondit Tertullian. l. aduers. Iudæos c. 9. *Porro inquiunt, iste qui venit neq; sub eiusmodi nomine est dictus, neq; re bellica functus. At nos è contrario, admonendos eos existimauimus, vti coharentia quoq; huius capituli recognoscant: subiuncta est enim & interpretatio Emmanuel, Nobiscum Deus, vti non solum sonum nominis exspectes, sed & sensum. Sonus enim Hebraicus, quod est Emmanuel, suæ gentis est. Sensus autem eius, quod est Deus Nobiscum, ex interpretatione communis est. Quæro ergo an ista vox, Nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde quo Christus illuxit, agitetur in Christo. & puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaismo credunt Christo, ex quo in eum credunt, Emmanuel cum volent dicere, nobiscum Deum esse significant: atq; ita constat, iam venisse illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel, venit, id est, Nobiscum Deus.* Respondet eodem modo Hier. in 7. Isa. *Quodque sequitur. Et vocabis nomen eius Emmanuel. & Lxx. & tres reliqui similiter transtulerunt: pro quo in Matthæo scriptum est, vocabunt, quod in Hebræo non habetur. Ergo iste puer, qui nascetur ex virgine, est domus Dauid, nunc à te appelletur Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quia rebus ipsis probabis à duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præsentem, & qui postea vocabitur Iesus, id est Saluator: eò quod vniuersum hominum genus saluaturus sit, nunc à te Emmanuelis appelletur vocabulo. Verbum* יקראת: *quod omnes interpretati sunt, & vocabis, potest intelligi, & vocabit: quod ipsa scilicet virgo, quæ concipiet & pariet, hoc Christum appellatura sit nomine. In multis testimoniis quæ Euangelistæ vel Apostoli de Libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Vnde & in præsenti loco, pro concipiet in vtero: Matthæus posuit in vtero habebit, & pro vocabis, vocabant.*

Christum quomodo Emanuel?

Quomodo Christus Emanuel.

Deus prescius, propterea Emanuel.

§. 6. Signū inueniri aiunt alii in eo, quod *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Hoc nonnulli ad Christum referunt, alii ad Schear Iaschub filium Isaiæ. Vbi quidem dubitare cogimur, *cur puerum dicat comedere butyrum & mel.* Deinde multo magis, quid cibus ille faciat ad reprobandum malum, & eligendum bonum. Sensus mihi perspicuus ille videtur; vt nomine mellis & butyri, pacifica, & facilis educatio significetur. Deinde vt particula vt, non causaliter accipiatur, sed consecutiue. Videlicet melle & butyro, cibis commodis educandum, ad id vsq; tempus, quo possit inter malum, & bonum discernere. Non quod in anima Christi vlla vnquam ignorantia fuerit; sed loquitur de eo tempore, quo solet esse illa discretio. Ita q; butyrum & mel comedet, donec eam ætatem attingat, quo solent pueri inter malum & bonum distinguere. Qui alio detorquent, vel ad Ezechiam, vel filium Isaiæ à vero longissimè aberrant. Id tamen faciunt Iudæi, vt est apud Euseb. l. 7. de demonst. Hieron. Epiph. hæres. 30. Nam hoc ipso tempore Ezechias complurium annorum erat;

Butyrum & mel edere.

In Christo nunquam ignorantia.

A haz

Achaz Ezechiæ repugnat, quo minus in eum Prophetia conueniat.

Achaz regnauit annos 16.
Ezechias initio regni sui erat annorum 25.
Initio igitur regni paterni annorum 9.

At vero hæc facta non sunt statim initio regni Achaz, sed tertio bello quod Achaz sustinuit, vt minimũ annorum duodecim fuerit Ezechias. Addo vero Ezechiam iam adultum fuisse, antequam *derelinqueretur terra à facie duorum Regum suorum.* Quod hunc in modum demonstro. Anno 3. Osee Regis Israël, regnare cœpit Ezechias Rex Iuda, tum erat viginti quinq; annorum 4 Reg. 18. 1. 2. erat igitur 22. annorum, cum Phacee occisus est. & annorum 28. cum Salmanasar occupauit Samariam. Itaq; falsum omnino est terram desolatam fuisse antequam puer Ezechias sciret nominare Patrem & matrem.

Eadẽ ratio est cur pertinere non possit ad Isaiæ filiũ שְׁאָר־יָשׁוּב *Schear-iaschub*, hoc est, *reliquum conuertetur.* Id enim filii nomen fuit, vel sane Iaschub solum, vt Schear sit idem, quod relictus, seu reliquus. Hic vero non nasciturus, sed natus erat; occurrebat enim Regi cum parente, nec de virgine natus, nec ortus eius erat signum.

§. 7. Virginis conceptus, & partus signum non erant, liberationis Achazi, cum post multa secula subsecutus sit: Quomodo igitur rei proximæ signum est res futura?

Varia signa.

Responsiones facilius fuerit recensere, quam alicui acquiescere. Alii signum memoratiuum, non Prognosticon. Alii signum domui Dauid, non Achazo. Alii signum non datum, sed rem ipsam, quæ tamen immensæ benignitatis Dei fuerit signum.

Achazo non est datum signũ.

Certissime constat Achazo signum datum non esse: nec hanc esse mentem Prophetæ. Signum enim ille respuebat; nec Deo causam committere voluit, vt clarum est ex ante dictis. Dicendum igitur duos esse hoc loco pueros; Primum, natum Virginis, qui primo momento nouit *reprobare malum, & eligere bonum.* Alterum vero, qui antequam id agere potuerit, incrementa exspectarit ætatis. Textus Prophetæ hoc indicat. *Et dices ad eum, vide vt sileas: noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin Regis Syriæ, & filii Romeliæ: eo quod consilium inierit contra te Syria in malum, Ephraim & filius Romeliæ, dicentes, ascendamus ad Iudam, & suscitemus eum, & auellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio eius filium Tabeel. Hæc dicit Dominus Deus, non stabit, & non erit istud: Sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin: & adhuc sexaginta & quinque anni, Et definet Ephraim esse populus: & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis.*

Achaz signum reiecit.

Cum enim hæc Achaz vana existimaret; non sine graui comminatione adiecit Dominus: *Si non credideritis, non permanebitis.* Deinde signum requirere impetrauit: quod cum Rex nollet. Prophetauit ille de signo summo, quoque salus omnium continebatur. Id vero ad consolationem eorum, qui exspectabant redemptionem Israelis: nec enim Achazo signum hoc offertur.

Tum vero vers. 16. ad institutum redit, & affirmat, Regem Samariæ & Regem Syriæ non capturos Ierosolymam, quod ille metuebat, sed populos eos mox in captiuitatem ituros. *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum Regum suorum.*

Mox vero etiam contra domum Dauid vaticinatur. vers. 17. *Adducet Dominus super te, & super populum tuum, & super domum Patris tui dies, qui non venerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda, cum Rege Assyriorum.*

Mox autem Rasin occisus est ab Rege Assyriorum, & Phacee ab Osee. Ita vt Achaz inimicorum mortes spectarit.

VERSVS 25.

Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.

QVÆSTIO I.

An particula Donec ostendat postea cognouisse?

§. 1. SVâ interpretatione id euincere conati sunt, Ebionitæ, Heluidiani, Iouinianus, Eunomiani, & generatim omnes Antidicomaritæ. Petulantissimè causam malam egit Heluidius, qui apud D. Hieronymum hunc in modum loquitur, vt omnino sibi demonstrasse videatur. *Deinde vult,* ait Hieronym. *docere, quod donec siue vsque, aduerbia, certum tempus significent; quo completo fiat id quod vsque ad illud temporis quod præscriptum est, non fiebat; velut in præsenti: & non cognoscebat eam, donec peperit filium. Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem filii tantum differebat generatio. Et ad hoc approbandum congerit exempla ex Scripturis quam plurima, more Andabatarum gladium in tenebris ventilans, & linguæ sonum ad confodienda sui tantum corporis membra concutiens.* Heluidius virginitatis inimicus.

Hoc argumentum ait Hieronymus *se Scripturæ auctoritate frangere.* Donec enim sæpe definitum, sæpe infinitum esse. Neque enim semper indicat, postea id futurum, quod esse, vel non esse ad certum terminum definitur. Sic Isaiæ 46. vers. 5. *Vsque ad senectam tur. ego ipse, & vsque ad canos ego portabo.* Nunquid post senectam non ipse? aut post canos non portabit? Sic Lucæ 22. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Sic 2. Regum 6. vers. 26. Psalm. 109. Deuteronom. 39. vers. 6. Psalm. 122. Isaiæ 22. vers. 14. *Si dimittitur vobis hæc iniquitas, donec moriamini.* Sane post mortem non remittetur. Matth. 5. capit. vers. decimo octauo. *Donec transeat cœlum, & terra, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Certe post non præteribunt. Idem vsus est verbi Græci ἕως, & Hebræi עַד *Ghad.* Nec aliud vsus loquentium exigit: non enim cum vsque ad reditum iubeo amicum valere, volo eundem post reditum meum ægrotare. Vnum tantum Græcæ dictionis, ἕως ponam exemplum. Matthæi 10. capit. ὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τ̃ Ἰσραὴλ ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τ̃ ἀνθρώπ. *Non consummabitis omnes ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.* Sane post eius aduentum non erant consummaturi. Donec vaid futurum accipiri.

Causa cur hac locutione Euangelista vtatur, non est, vt insinuet postea cognitam. Sed vt simpliciter Iosephi filium non esse Christum ostendat. Quamuis enim fieri potuerit, vt inuenta fuerit in vtero habens, potuit tamen quispiam suspicari errorem fuisse, vel suspicionem; ipsam vero ex Iosepho concepisse, & Christum Iosephi filium esse, quod fecerunt multi, contendere. Caluinus rem in medio relinquere videtur. *Nobis hoc vnum sufficit, stultè & perperam ex verbis Euangelistæ colligi quid post Christum natum contigerit? Vocatur primogenitus: sed non alia ratione nisi vt sciamus ex Virgine esse natum: Negatur Ioseph rem cum ea habuisse donec peperit: & hoc quoque ad idem tempus restringitur. quid causa præpostea secutum sit non indicat. Talem esse Scripturæ vsum sat uaricator. notum est. Et certe nemo vnquam hac de re quæstionem mouebit nisi curiosus: nemo vero pertinaciter insisteret nisi contentiosus rixator.* Omnino non sufficit Ecclesiæ, quæ Heluidium, aliosq; damnauit. Nec modò qui pertinaciter insisteret, contentiosus rixator est, sed hæreticus. Euangelistæ ostendit Christum non esse Iosephi filium. Caluinus Negator Marianæ virginitatis est hæreticus.

§. 2. Alte-

Primogenitus est qui quis primus nascitur.

§.2. Alterum Heluidii argumentum est, Christum vocari primogenitum, fratres igitur habuisse, alioqui futurum fuisse vnigenitum.

Hieronymi responsio est. Primogenitum etiam dici qui est vnigenitus; omnem vnigenitum esse primogenitum. Sic enim vocari eum, non modo post quem nati sunt fratres, sed etiam ante quem nullus est natus. Num. 18. 15. tota res definitur. *Quicquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis, quam offerunt Domino, siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita duntaxat, vt pro hominis primogenito precium accipias. Primogenitum autem bouis, & ouis non facies redimi.* Vocantur ergo primogeniti, כל פטר omnis apertio vuluæ, ideoque vt בכורים *vt primogenita*, vel offeruntur, vel redimuntur, non exspectato sequentium ortu. Ita & Christus in templo offertur, tanquam primogenitus. Quin & in Ægypto occisa sunt omnia primogenita, etiamsi vnigenita fuerint. Ex quo concludimus hanc etiam obiectionem ex Heluidiana imperitia natam esse.

CAPVT II.

Luc. 2. a. 7.

CVM ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, 2. dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. 3. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est,

Mich. 5. a 2. Ioan. 7. f. 42

& omnis Ierosolyma cum illo. 4. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. 5. At illi dixerunt ei, in Bethlehem Iuda: Sic enim scriptum est per Prophetam. 6. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. 7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. 8. & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. 9. Qui cum audissent Regem, abierunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat

Ps. 71. b. 10.

puer. 10. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde. 11. Et intrantes domum, inuenerunt puerum, cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. 12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. 13. Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum. 14. Qui consurgens accepit puerum &

Osee 11. a. 2.

matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. 15. & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. 16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in

Ier. 31. d. 5.

omnibus finibus eius à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis. 17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem. 18. Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. 19. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto. 20. dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri 21. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel. 22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. 23. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

IN CAPVT SECVNDVM

ARGVMENTVM.

Christi infantia domi vilis, foris inclaruit.

NAtus Emanuel, quamuis diuersorio exclusus inter animalia vilis & inglorius iaceret, maiestatem tamen suam variis indiciis effulgere voluit; Angelorum oracula, & cantus audiunt pastores, stella Magos ex Oriente ducit, cunæ vagientis Herodem exterrent, tota Ierosolyma rumore Messiæ nati conturbatur. Rex impius successori mortem intentat, non modo ingenti, sed inaudito scelere infantes trucidat, vt tot rebus Iudæorum Deus torporem excuteret, & fidem nostram firmaret. Magorum aduentum, acta cum Herode, adorationem Domini, abitum, Herodis elusi furias, fugam in Ægyptum Matthæus describit. Sunt quidem hoc loco variæ quæstiones, sed quarum in vtramque partem est libera definitio. Ideo paucioribus rem vniuersam comprehendam, paucis, quæ aduersum hæreses & mores faciunt expositis. A principio vsque ad Versum 13. legitur in Syra Ecclesia; ורמרטא וילרא ad vesperam natalitiorum.

Argumentum cap. 2.

Hinc ad Versum 19. Ad matutinam cædis infantum. Atque inde eadem die ad oblationem cædis infantum. Hoc est enim קורבא *Korcha.*

VERSVS

VERSVS 1.

Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda.

QVÆSTIO I.

Verène natus Christus?

Versio nostra defensa.

§. 1. QVod in Græco dicitur τοῦ δὲ Ἰησοῦ, noster rectè conuertit, *ergo*, non est enim δὲ aduersatiua hoc loco particula, neq; præcessit μὲν, *quidem*, sed orationem continuat. significatq; *ergo, porro, cæterum*. vt illud Xenoph. pæd. 4. μείνας δὲ ὁ Κῦρος μέτριον χρόνον αὖθις σὺν τῷ στρατεύματι. *Manens porro Cyrus mediocri tempore isthic cum exercitu.* Eodem etiam modo Syrus: בְּר *Quando autem* natus est.

§. 2. Iudæ pro Iudææ legendum olim monuit Hieronymus. atq; ita habet Syrus דיהודא *dihuda*. Quamuis autem in vnum vtraq; lectio concurrat, retinenda tamen est illa, quæ antiquitatis potiora testimonia produxit.

Verè natus est Christus.

§. 3. Vere de matre virgine, proprieq; natum Tertullia. contra Marcionem ostendit c. 1. de carne Christi. Introduxit Marcion. carnem Christi vt Tertul. loquitur *putatiuam, vt conceptus, & partus, & ipsius exinde infantis ordo τὸ δοκεῖν haberetur. Sed qui carnem*, inquit, *Christi putatiuam introduxit, æque potuit natiuitatis quoq; phantasmata confingere, vt & conceptus, & prægnatus, & partus virginis & ipsius exinde infantis ordo τὸ δοκεῖν haberetur. Eosdem oculos, eosdemque sensus fefellissent, quos carnis opinio inclusit. Plane natiuitas à Gabriele annuntiatur. Quid illi cum essentia creatoris & virginis vtero? Conceptus inducitur, quid illi cum essentia creatoris? Odit moras, qui subito Christum de cœlis deferebat. Auser hinc, inquit, molestos semper Cæsaris census, & diuersoria angusta & sordidos pannos & dura præsepia.*

Irrisiones Marcionis.

Viderit angelica multitudo Dominum suum noctibus honorans. Seruent potius pecora pastores: & Magi ne fatigentur de longinquo, donare illis aurum suum. Melior sit & Herodes ne Hieremias glorietur. Sed nec circumdatur infans, ne doleat: nec ad templum deferatur, ne parentes suos oneret sumptu oblationis: nec in manus tradatur Simeonis, ne senem morituum exinde contristet. Taceat & anus illa, ne fascinet puerum. His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi delero Martion ausus est, ne caro eius probaretur.

His consiliis ait tot originalia instrumenta Marcionem delere voluisse, ne caro eius probaretur. Quem contra Tertullianus Scripturam adfert, docetq; eum cum rescindit, quod erat traditum, rescidisse quod verum erat. Deinde insigni argumento vtitur; cur enim Deus natus videri, & homo videri voluisset, si homo esse noluisset? Sed ipsum ex hoc capite manifestationis Dominicæ disceptantem audiamus. Sic habet: c. 3. Necess. est quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, vt aut impossibilem, aut inconuenientem Deo existimaueris natiuitatē. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo voluerit nasci (quia si voluit, potuit, & natus est) consideremus. Ad compendium decurro. Si enim se nasci Deus noluisset, quacumq; de causa, nec hominem se videri prestitisset. Nam quis hominem videns, eum negaret natum? Itaq; quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentiæ etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest, vtrū sit quid, an non sit: si cum non sit, esse præsumitur. Plane interest illud, vt falsum nō patiatur, quod vere non est. Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. Viderint homines, si natum putabant, quia hominem videbant. Quanto ergo dignius, quantoq; constantius humanam sustinuisset existimationem vere natus, eandē existimationem etiam non natus subiturus, cum iniuria conscientiæ suæ, quam tu ad fiduciam reputas, vt non natus aduersus conscientiam suam natum se existimari sustineret. Quid tanti fuit, edoce, vt conscius Christus quid esset, esse se quod non erat, exhiberet? non potes dicere, si natus fuisset, & hominem vere induisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum assumit, quod non erat. Periculum status sui Deo nullum est.

Si nasci Deus noluisset, nec homine videri voluisset.

Insigne hoc argumentum est contra impios pro veritate carnis Christi. Simili nos vtimur pro veritate eiusdem in Eucharistiâ præsentis. Si enim non carnem suam dare, sed Symbolum instituere, cum Testamentum conderet, voluit. quare id tam manifestis verbis vltro indicauit? cur videri voluit esse corpus quod traditur, sanguinem qui funditur, si nec corpus, nec sanguis erat? Cur Apostolus clamat, manducantem indigne reum fore corporis & sanguinis, si nec corpus manducat, nec sanguinem bibit? Cur videri vult fieri, quod fieri nullo modo vult? Denique cur tantum errare Magos Deus voluit, vt è longinquo venientes, vbi est ille qui natus est? ὑπαχθείς; cur etiam Iudæos ex Prophetia errare iussit, vt dicerent in Bethlehem nascituum, si nascituus non erat. Cur errorem tot modis hominibus creator inculcauit, vt nisi errarent, infideles essent. Pari omnino fiduciâ de Eucharistiâ quæro; cur tantum, tam magnum, tam longum errorem Deus tot modis, suo verbo, Ecclesiæ vsu, miraculis, martyribus, ratum esse voluit, atque ab omnibus credi, si esse in Eucharistiâ noluit?

Si in Eucharistiâ esse noluit, debuit dicere se esse.

QVÆSTIO II.

Quales Magi fuerint?

§. 1. TRia præcipuè controuertuntur de Magis; Quenam eorum fuerit patria? an ex longinquo venerint Oriente, an ex Chaldæa, an Perside, an Arabia? Deinde quænam professio, Philosophi, an venefici, an vtrumq;? Tertio, an & Reges? Horum nihil magnopere certum est; quia tamen Caluinus & Beza aliiq; petulanter receptas sententias veterum exagitant. Breuiter illis respondendum est.

Caluini maledicentia.

§. 2. De loco, vnde venerunt, ita Caluinus. *Cæterum plusquam ridiculi sunt Papistæ, quod Reges sibi fabricarunt, quia alibi prædictum legebant, venturos Reges Tharsis & Insularum, & Saba, qui munera Domino offerrent. Ingeniosi artifices scilicet, qui vt nouam hominibus formam darent, à mundi conuersione cœperunt. Nam ex Meridie, & Occidente fecerunt Orientem. Nec vero dubium est, quin iustâ Dei vindictâ sic obstupefacti fuerint, vt omnium ludibrio pateret crassa eorum inscitia, quibus veritatem adulterare, & in mendacium vertere nulla religio fuit.*

Prisci Reges esse putarunt.

Nobis considerandum est primo quales illi sint, quibus tam atrociter maledicit. Deinde, quo iure id faciat, expendendum. Magnos viros, & sanctos virulenta illa lingua accusat: nam Iustinus contra Tryphonem ex Arabia venisse sensit. Tertull. l. contra Iudæos c. 9. vbi Magis Orientalibus accommodat verba Psal. 71. *Reges Arabum & Saba.* Cyprian. de operibus cardinalibus, siue ille, siue æqualis illi quispiam auctor est. *Nec multo post*, inquit, *Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari stella luminis cœleste numen nouis splendoribus indicauit.*

Persæ inter dū Arabes vocantur.

Epiphan. in compendio Doctrinæ. Eos multi secuti sunt, vt Genebrardus, Baronius, alii. Et merito, nam alii quoque idem senserunt. vt Cyrillus Alexand. lib. 4. in Isa. & Isidorus. Qui duo Persas & Arabas interdum confundi testantur, quod de Arabia sic intelligendum est, quæ ad oram sinus Persici illi contermina est. Atq; hac ratione conciliari possunt Clemens Alexan. l. Stromatum, Chrysost. hom. 6. in Matthæum, Theodor.

Theodor. lib. 5. histor. cap. 39. Leo Serm. 1. in Epiph. qui eos è Persida esse censent. Erant etiam Magi populi in Media, & Regio Magodia, quam tamen huc pertinere non arbitror. Vti neque quod habet Suidas in verbo *Magog, & Persæ*, quos eosdem esse ait. Nam Magorum nomine non nationem aliquam, sed professionem indicari nimis tum vsitatum erat. Et Magorum pro populo, nomẽ iam tum exoleuerat; nec enim sequentes Scriptores vsurparunt. Cum igitur Arabia felix sub Persidos fuerit regibus, eique confinis, poterant sanè de Persida, & Arabia venire. Aut aliqui horum esse Arabes, alii Persæ: cum enim non modo vestitus eorum diuersus à Beda describatur, sed color etiam vultusque, non est improbabile aliquo interuallo eos disiunctos habitasse, alios trans sinum Persicũ, alios cis illum eundem. Epiphanius non modo Arabas, sed etiam ex Cetura & Abrahamo oriundos, ait in Compen. dict. Quos constat orientem versus habitasse. Et nomen Sabæ conuenit.

Arabes ex Cetura.

Hos igitur diuina vindicta obstupefactos ludibrio patere, veritatem vertere in mendacium, nemo, nisi quem diu fugêre fides q; pudor q;, dixerit, cum omnes, si Tertullianum excipias, magna religionis & sanctitatis laude floruerint. Quibus adiungo Illyricum, & Danielem Tossanum, Lutheri, & Caluini discipulos. E quibus Illyricus,

Barbara gens Arabum dant mystica dona.

§. 3. At mundum conuertunt, Orientem in Meridiem & Occidentem verterunt.

Respondeo plerosq; eorum, multos è mundo cõuertisse, ipsum mundum fecisse meliorem: non Orientem in Meridiem & Occidentem vertisse, sed Occidentem in Orientem, ambulantes in tenebris ad lucẽ matutinam, pereuntes ad virum, *cuius Oriens nomen eius*. Quid enim? an Reges Tharsis, & Insulæ, Reges Arabum & Saba non sunt Reges Orientis? an in Magos Psal. 71. 10. verba non conueniunt?

Aliorum accusatione crassam inscitiam probant.

De Tharsis interdoctos quæstio est. alii Carthaginem, alii mare, alii Indiam significari putant. Insulæ vocari possunt tam Orientales, quam Occidentales. At vero Arabes & Sabæi sunt ad Orientem, & Meridiem, si Iudææ spectes. Tacitus hist. l. 5. *Terra finesq; [Iudææ] qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur*. Eius descriptio Ptolom. l. 5. c. 16. Plin. l. 5. 11. & l. 6. 28. Felix Arabia inter duos sinus, Arabicum & Persicum excurrit. In hac Saba est Thurifera, Strabo l. 16. Metraba dicta. Inde Sabæi populi, à Saba nepote Abraham; fuerunt autem Ceturæi separati à filio Isaac *ad Orientalem plagam*. Gen. 25. 4. ab hoc nati sunt, quibus

Solus est Thurea virga, Sabæi,

Arabia ad ortum est Iudææ.

Quos si ad Occidentem Caluinus collocat, contra omnium hominum scientiam id facit, & fidem in perpetuum sibi abrogat. Nam ex tabulis Ptolomæi, ac recentioribus, Arabia Felix, est ad ortum hybernum Bethlemæ vt meritò cum Christus natus esset, ab ortu venire dicerentur. Non igitur nos Dei vindicta obstupefecit, sed terrarum, matiumq; tractus, atq; adeo lapides pro nobis loquuntur.

§. 4. Altera quæstio est, Philosophi an venefici fuerint? Hic etiam sententiæ variant, multi artibus maleficis, & idololatriæ deditos fuisse arbitrantur; alii puriorem Philosophiam coluisse censent. Cum vero auctoritas docentium sit pene æqualis, rationes conferre conuenit.

Qui maleficos vocant, Magorum nomine id probant, quod fere in malam partem accipi solet. Qui Philosophos veros esse prædicant: Honoris causa Magos nominari contendunt, nec à veneficis D. Iam acceptum Testimonium.

Magi vox ambigua, crebrius in malam partem accipitur.

Ex nomine quod sumitur argumentum non infirmum est. Quo enim Syro vel Hebræo vsus sit Matthæus incertum est, noster Syrus habet מגושא megusche, quod idem est cum Latinæ & Græcæ, sola terminatione Syrum. Græcum & Latinũ Magi in vtramq; partem accipi solet: sed crebrius in malam. credo etiam apud Persas laudis fuisse Magiam, quam Plato in Alcibiade tribuit Horomazi Zoroastris filio, vocatq; τῶν θεῶν θεραπείαν, ἢ καὶ τὰ βασιλικὰ διδασκαλίαν, *diuinum cultum, & gubernandi doctrinam*. Cicero Libro de diuinatione vocat *Sapientes σοφούς*. Plinius lib. 30. c. 1. originem ad Persas refert.

Mihi quidem in confesso esse videtur Magos Persarum vere veneficos, maleficosq; fuisse, non modo Philosophos, eo modo quo patrum æuo Cornelius Agrippa à Nertesheim Magiam suam, & dæmonolatriã Philosophiæ nomine palliauit. Ratio est quod summa fuerit in illis vanitas; deinde impietas. Nam vanam medicinam, idololatriam cum dæmonum familiaritate, & futura noscendi scientiam coniunxerunt. Plinium audire præstat. *Magicas vanitates sæpius quidem antecedentis operis parte, vbicunq; causæ locusq; poscebant, coarguimus, detegemusq; etiamnum: in paucis tamen digna res est, de qua plura dicantur, vel eo ipso, quod fraudulentissima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimisq; seculis valuit. Authoritatem ei maximam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in vnam se redegit. Natam primum è medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse vel vt altiorem sanctioremq;; quam medicinam: ita blandissimis desideratissimisq; promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atq; vt hoc quoque suggesserit, miscuisse artes Mathematicas, nullo non auidò futura de se sciendi atq; ea è cœlo verissimè peti credente. Ita possessu hominum sensibus triplici vinculo, in tantum fastigii adoleuit, vt hodieq; etiam in magna parte gentium præualeat, & in Oriente Regum regibus imperet. Sine dubio illic orta in Persida à Zoroastre vt inter authores conuenit. sed vnus hic fuerit, an postea & alius, non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientiæ sectas clarissimam, vtilissimamque eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. Sic & Aristoteles. Hermippus qui de tota ea arte diligentissimè scripsit, & vicies centum millia versuum à Zoroastre condita indicibus quoque voluminum eius, positis explanauit; præceptorem, à quo institutum diceret, tradidit Azonacem; ipsum vero V. millibus annorum ante Troianum bellum fuisse.*

Magi Persarum fere erant venefici.

Magia totũ mundum tenuit.

Magis imposturis constat.

Miratur ille Homerum Troianis temporibus eius non meminisse. Quasi vero non omnia plena Magis illo tempore fuerint. Quid enim Calchas, non venefi us erat? qui bellum Regiæ filiæ sanguine inchoauit? qui toties Dæmone fallente futura prædixit? quid furtum Palladii, Palamedis interitus, Cassandræ furor, Chrysæ preces, & pestis, nonne ex Magis, & Magia? taceo deorum consilia, & discordias, Thetidos curam, Veneris vulnera, illa omnia Dæmonum erant spectra aut fingebantur? Fatetur hæc ex parte Plinius. *Siquidem Protea, & Sirenum cantus, apud eum non aliter intelligi volunt: Circe vtique & inferorum euocatione hoc solum agi.* Cum igitur quis gentium erant religiosissimi, sapientissimiq;, Magi essent, non oportet existimare Persarum sapientes, & Magos ab eo crimine fuisse immunes, nec modo Philosophiæ studiosos, sed etiam Dæmoniacæ, & maleficæ Magiæ. Si enim Philistæum habuerunt augures, si Ægyptii, si Chaldæi, quis putet sane solos Persarum Philosophos naturalium rerum scientia contentos, Magicarum rerum vanitates, impiasque superstitiones non adiunxisse? Quemadmodum igitur in Dei populo sapientes erant, & Prophetæ, ita in gentium cuiusque persione sapientes & Magi erant magno in precio, omnia oraculaplena maleficis erant. Magus q;. Cum Xerxe venit in Græciam Osthanes, sparso portentosæ artis semine, ad eius

Homerus plenus Magices.

Vide & de Thebano bello, Amphiarao, & Iuuenis.

Magi Persarum similes Magis aliarum gentium.

ad eius rabiem, non auiditatem modò Græciæ populos egit, vt testatur Plinius l. 30. 1. Nec miteris Magos ab auctoribus laudari. Non ideo malefici non erant, sed artis admiratio hoc faciebat. *Quanquam animaduerto, summam literarum claritatem, gloriamque ex ea scientia antiquitus, & PENE SEMPER petitã*, ait Plinius. Exemplo probat. *Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc discendam nauigauere, exilijs verius, quam peregrinationibus susceptis.* Hanc reuersi prædicauere, hanc in arcanis habuere. Fuisse autem maleficam magiam, ex vestigijs eius in duodecim tabulis, de quibus mentionem facit Plinius, constat. Anno vrbis Romanæ 657. Lentulo & Crass. Coss. *Senatusconsultum factum, ne homo immolaretur*; Palamque *in tempus illud sacra prodigiosa celebrata.* Gallias ea vesania possedit. Tiberij principatus Druidas sustulit. Britannia Plinij æuo tam attonite, tantis mysterijs celebrabat, vt dedisse Persis videri possit. Et scelerata erat tamen illa, non naturalis Magia, vel eo solum nomine, quod humanas hostias immolarent. De Iuliano, Porphyrio, & eius æui Philosophis historiæ produnt. Quin Plinius Romanum collaudat imperium, quod ea sacra sustulerit. *Non satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi vero saluberrimum.* Hoc ipso tempore viuebant Magi qui Thyridaten instruxerũt, qui post, Neronis principatu Romam venit. Persarum porro Magos fuisse maleficos ex eorum decretis & gestis, cæremonijsque discimus, carnes sacrificijs impositas tenuibus virgis adurebant, sacrificia mundo corporeo faciebant, solem adorabant. Danielis historia quoque satis indicat qui fuerint apud illos Magi, qui scilicet Nabuchodonosori explicationem somnij promittunt, cum hoc promittere non sit Philosophi, sed præstigiatoris. Deinde Magi Persici iure & lege improbâ incesta cum matribus & sororibus matrimonia celebrabant. Sacrificia albati peragebant, deorum colloquia simulabant. Pleriquè igitur eorum malefici erant, superstitiosi, & dæmonolatræ; nam illi qui Græcis Magiam dederunt tales fuerunt. Non ignoro duplex magorum genus à patribus constitui, quorum vnum vocatur sapientum, alterum τῶν γοητῶν præstigiatorum. Et vere docet Cœlius l. 9. c. 23. *Magiæ esse duo fastigia, alterum infame, & immundorum spirituum cõmercijs infame, reliquum fere non aliud, quam Philosophiæ naturalis apicem. Et Persarum lingua Magum non esse fere alium, quam diuinorum cultorem, & interpretem.* Verum si hoc quoque consideramus sacrorum impiorum cultores, interpretes esse aruspices, & vates, non possumus negare, etiam magos fuisse; nam ista talia magica sunt. Errat grauiter Cœlius dum ait: *Omnium placita legum Gætiã exterminare, Magiam festo plausu sapientissimũ quemque excipere, venerari, colere, vt quæ altior sit, sanctiorq; Philosophia, ex qua præsignis prosluat literarum claritas. Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem hanc quæsisse:* Nam eorum Magia fuit omnino impia, & damnata. Hinc Numæ libri, qui Pythagoricus fuit, Romæ à senatu exusti sunt. Val. l. 1. c. 1. Anno vrbis 615. Chaldæi pulsi vrbe. Imo circa hæc tempora Romæ exacti astrologi. Dio l. 47. τὰς ἀστρολόγους, καὶ τοὺς γόητας ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασεν. astrologos, & præstigiatores vrbe exegit; vt idem l. 56. de Augusto. Constat igitur Magos, ariolos, sapientes confuse dictos esse venefícos. Qui Græcis dicuntur ἐπαοιδοί Incantatores sunt. Hebræis fere חַרְטֻמִּים Chartummin. Magi apud Danielem אַשָּׁפִים quæ in solo Daniele vox reperitur. In Syro dicuntur hoc loco מַגְּרְשָׁה Magusche, est vero Megusum in Arabia oppidum apud Plinium. l. 6. ca. 28. quod inter ea recenset, quæ Gallus equestris diruit, antè non nominata ab auctoribus; quod si Magusæos quispiam magos nostros dicat, nec probem, nec refellam. Magos à professione dictos malo. Et tamen non honoris causa sic dictos, sed vt in vocatione maximorum peccatorum appareat humanitas & benignitas saluatoris nostri Dei. Cum enim Magi eo tempore infames essent. adeoque sapientes gentium ferme Magæ dediti, mihi quoque probabile est tales & hos fuisse. Non ignoro tamẽ inter eos fuisse viros bonos, sed raros. Daniel princeps horum constitutus est, ipse tamen Propheta, non magus erat. Daniel. 5. 11. *Et constituit eum Nabuchodonosor pater tuus principem Gazerin* גָּזְרִין *Caschdin* כַּשְׂדָּאִין *aschephin* אַשָּׁפִין, *Chartummin* חַרְטֻמִּין quæ ita noster vertit. Magorum, Incantatorum, Chaldæorum, aruspicum. Eosdem compendio rex v. 15. vocat Chaldaice חַבְרְמִיָּא אַשְׁפָּיָא *chockimaia aschphaia.* Sapientes, magos, vbi 70 adiungunt γαζαρηνοὺς, quorum non est in Chaldæo illo loco mẽtio. Horum igitur princeps Daniel, qui quandiu potuit eos in officio contineret, mala dedoceret. Si quis Magos nostros fuisse Danieli similes, aut sane Chaldæis dissimiles non pugnaro, meam sententiam propono. Nec indignum hoc est Euangelio, cum act. 19. 19. Magicorum librorum qui exusti fuerunt precium fuerit denariorum quinquaginta millium. Nam & Magis datur pœnitentia in salutem. Nullius igitur momenti est Illyrici cauillum, cum enim retudisset Iustini sententiam; qui Magos esse incantatores, & impios censuit. Eam non nisi stolido argumento refutat. *Vnde*, inquit, *liquet, quam infallibilis sit patrum scripturæ interpretatio. Sed viderint Colonienses.* Imo sane viderint. An ideo eorum sacra ossa honore despoliabunt, quia peccatores fuerunt. At sic nec Paulum honorarent, qui persecutus est Ecclesiam Dei. Sic nec Magdalenã, in ciuitate peccatricem. Errat ille, rigidus peccati alieni censor, sui non imputator. Cum hominem antè peccatorem diuina bonitas regenerauit, & Spiritus sancti templum constituit, nobis quoque honorabilem fecit. Quod enim Deus mundauit, homo immundum ne dixerit. Historia porrò corporum sacrorum Mediolano Coloniam aductorum, non publicam modo Scriptorum fidem, sed illius nobilissimæ Ecclesiæ etiam documenta habent. Nomina eorum Beda venerabilis recenset, & vere eum recensere credo. Dignum certè eum mundus iudicat, cui iniurato credatur potius, quam omnium apostatarum iuramentis.

§. 5. Nec minus controuersum est, an reges fuerint? Negant multi: affirmant plures. Caluinus stolidum figmentum arbitratur. Beza temere & omnino falso diu creditum esse asserit. Argumenta duo adhibet. Primo, non dissimulaturum id Euangelistam fuisse. Deinde si ab Arsacidis venissent, non admisisset Herodes iuratus Parthorum hostis. Priore argumento etiam nonnulli orthodoxi vtuntur, sed vt suã sententiam probabilem, non vt opinionem plurimorum in Ecclesia temerariam, & omnino falsam ostendunt. Illæ quidem rationes nullius momenti sunt, opinio vero multorum magnis nititur fundamentis. Tacuit Euangelista regum nomen, sed ita descripsit, vt reges facile credamus. Primo enim thesauros secum vehunt, eos aperiunt, & vt magno regi munera offerunt; hoc autem regum est, non priuatorum. Quanquam enim interdum priuati recondant thesauros, non tamen longo itinere secum vehere soliti sunt. Deinde aduentus eorum illustris fuit, ab Herode auditum, tota ciuitas turbatur, at si Persæ, aut Arabes Philosophi duntaxat, aut etiam vates priuati aduenissent, nequaquam tanta fuisset apud impium regem conturbatio. At horum dignitas, opes, comitatus ostendebat nihil fraudis nihil impostura subesse. Hanc ob causam Tossanus Caluinista *Illustres apud suos, & magnæ auctoritatis fuisse asserit*; atque hoc est, quod veteres

Magia honorata prisciis.

Romanum imperium magis aduersum.

Persarum magi improbi.

Duplices magi.

Philosophi Graci maleficimagi.

Tres magi videntur fuisse.

Magipœnitendo redduntur boni.

Bedæ historia multũ laudata

Magi reges.

Circumstantiæostendunt esse reges.

dixere suorum oppidorum, & prouinciolarum reges. Neque enim Arsacidis, aut Romanis eos regibus, adæquamus, sed minutioribus, qui sub magnis regibus viuebant. Magna erat eorum multitudo, vt ex Tigranis vita constat, quem regum minorum turba ambibat, vti nunc regem suum principes. Fuisse autem olim multos, & paruarum ditionum reges, tum alia docent, tum vero Ieremias 25. 19. vbi aduersa denunciat Pharaoni, deinde *cunctis regibus terræ Ausitidis, siue Hus, & cunctis regibus terræ Philistiim. Et cunctis regibus Tyri, & vniuersis regibus Sidonis, & regibus terræ Insularum quæ sunt trans mare. Et cunctis regibus Arabiæ.* Ecce quam multi reges in vna ditione aliqua. Sic *cuncti reges Arabiæ* Salomoni tributa offerunt. 3. Reg. 10. 15. & 2. Par. 9. 14. Denique eiusmodi reges fuisse antiqua est in Ecclesia traditio, siue existimatio, quam cum Nouatores inductam à Papistis nugantur, vetustissimos quoq; Papistas vocent necesse est.

Reges erãt instar mediocrium principum aut comitum.

At Herodes Persarum, aut Parthicos reges non excepisset. Hac ratione, si quid effici posset, nec ex Perside, nec alijs locis quæ Partho parebant, venire Magi ad Herodem potuissent, hostem experturi. At memin sse oportuit Bezam, hoc tempore cum Parthis pacem fuisse firmam, nec vllum tota Asia bellum, itaque & Parthi Romano in imperio tuti versabantur, & Herodi in fœderatos nihil permissum erat. Veniebant sanè ex omnibus regnis ad templum Ierosolymitanum eius sanctitate permoti, etiam ex Perside, quemadmodum videmus in actis apostolorum, & multæ hoc probant historiæ.

Parthi iã signa retulerunt.

§. 6. Occurrit Beza tamen. *Si Genebrardo Parisiensi Theologo creditur: Hæc est vetus Ecclesiæ traditio.* Cedo quibus testibus? Tertulliano, inquit, Augustino, Hilario, Hieronymo, opponit ille Chrysostomum, Theodoretum, Cyprianum, Nysseenum, Cyrillum, qui reges esse nec negant, asserunt. Nos quemadmodum asserentibus credere possumus, ita alios qui non negarunt contra affirmantes stare non putamus. Interim Tertullianus reges asserit, quia Psalmum 71. de regibus Arabiæ illis attribuit: & magos reges habuisse orientem cum multis scriptoribus affirmat. Verũ hic quoq; Beza Tertulliano insultat, quod dicat Damasco eos venisse: at nihil tale apud Tertullianum, *Damascum* ait, *deputatam Arabiæ, Christum accepisse spolia Damasci.* Arabia late inter duo Maria funditur, & Damascum attingit. Negat deinde Orientem magos fere habuisse reges. Sed quia omnium sententijs repugnat; concedit alijs verbis Magos fuisse reges Orientis; dum ait *Magiæ studiosos fuisse.* Imo verè scripsisse Ciceronem l. 3. de nat. Deorum. *Neminem esse potuisse Persarum regem, qui non antea Magorum scientiam & disciplinam percepisset.* Tuam fidem Beza; an studiosus Magiæ non videtur tibi magus esse, saltem iam initiatus malæ rei mysterijs, cum Magum faciat commercium dæmonis, & minima etiam infernalium τελετῶν & mysteriorum cognitio; an ne is quidem magus est, qui magorum scientiã & disciplinam percepit, retinet, propugnat. *At errat Tertullianus.* Hoc nondum probatum est: Hoc nobis satis est, Magos à Tertulliano dici reges, idque libro contra Iudæos, quo ostendit, communem eam esse sententiam Christianorum. Augustini l. 3. de mirabilibus scripturæ c. 3. variam lectionem esse non ignoro, imo nec Augustinum auctorem arbitror, aliud sensit Genebrardus. Apud Cyprianum historia Magorum non texitur, nisi auctor de cardinalibus operibus sit Cyprianus. Ille tamen magnos, & illustres viros fuisse significat cum ait. *Nec potuere Palæstinæ incolas latere tanti nominis persona.* In vrbe autem, vbi tot principes erant, & magnates; latere poterant, nisi ipsi principes & reges essent. Reges enim dynastas dicere scriptura solet.

Tertullianus ex cõsuetudine Ecclesiæ regibus Psalmum accommodat.

Beza sibi contradicit.

Notæ erant Israelitis personæ regum.

§. 7. Magi igitur, regesque fuerunt, & stellam cum viderunt, alia simul reuelatione Christum natum esse cognouerunt, atque ita itineri sese accinxerunt.

Etiam de numero disceptatur, de quo nihil aliud habeo dicere, quam esse hanc traditionem antiquissimam, nullo modo verum; quod ait Caluinus, esse figmentum Papistarum. *Papistas, inquit, vt tres fingerent, tio. puerilis error induxit, quia dicit Matthæus obtulisse aurum, thus, & myrrham, Quasi vero distincte singulis proprium munus assignet.* Addit apud auctorem operis imperfecti quatuordecim recenseri.

Tres reges fuisse antiquissimam, quam traditionem.

Mihi omnino placet à Papistis fictum dici. Nam Papistarum antiquitas, ac progenitores agnoscuntur ex hoc, quod figmentum esse fingit ipse. Augustinus serm. 1. de Epiph. *Ipsi enim magi, qui ad illa cœlestis pueri Tres reges cunabula, stellæ indicio peruenerunt, quid aliud expresserunt tria munera illis muneribus, nisi fidem nostram? In eo enim quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo vero quod Tres sunt, & gnificent, singuli singulæ offerunt, in Trinitate vnitas declaratur.* Secuti sunt eum alij, quos nominare opus non est. Augustinus itaque ex recepta sententia loquitur, quasi apud omnes in confesso esse, tres esse. Mysterium enim ternario indicari profitetur, quod omnino vanum esset, nisi & ille iudicaret esse tres, & hanc esse mentem Ecclesiæ, cui prædicabat, perspectum haberet.

VERSVS 2.

Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare.

QVÆSTIO I.

An hinc Genethliacorum errores firmentur?

§. 1. FAllax Mathematicorum, hoc est, Venefi- *Genethliacorum genus, damnatis artibus vndique cõ- ci vbique*
corum genus, damnatis artibus vndique cõ- *ci vbique*
mendationem, præsidiumque petiuit. Iam olim in *petunt in-*
martyrum Ecclesia stellam istam ad sua scita trahe- *famiatis-*
bant. Tertull. de Idololatr. c. 6. *De astrologis ne loquendũ gumenta.*
quidẽ est. *Sed quoniã quidam istis diebus prouocauit defendens*
sibi perseuerantiam professionis istius paucis vtar. Non allego Genethliaci
quod Idola honoret: quorum nomina cœlo inscripsit, quibus o- ci idolola-
mnem Dei potestatem addixit: quod propterea homines non pu- tra.
tant Deum requirendum præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi. Vnum propono, Angelos esse illos desertores Dei, amatores fœminarum, proditores etiam huius curiositatis, propterea quoque damnatos à Deo. O diuina sententia vsque ad terram pertinax, cui etiam ignorantes testimonium reddunt? Expelluntur Mathematici sicut Angeli eorum. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, sicut cœlum & Angelis eorum. Eadem pœna est exilij discipulis & magistris. Sed Magi & Astrologi ab oriente venerunt. Scimus Magiæ & Astrologiæ inter se societatem. Primi igitur stellarum interpretes natum Christũ annunciauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Christum (opinor) sibi obligauerunt. Quid tum? Ideo nunc & Mathematicis patrocinabitur illorum Magorum religio? De Christo scilicet est Mathesis hodie, stellas Christi, non Saturni & Martis, & cuiusque ex eodem ordine mortuorum obseruat, & prædicat. At enim scientia illa vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretetur. Hæc ille contra sui temporis Mathematicos historia sacra ad genesin abutentibus.

§. 2. Errorem illum falso Manichæi Catholicis *Manichæi*
imponebant; quasi dicerent, *stellam esse fatum pueri.* ita *calumnia-*
l. 1. contr. Faustum c. 1. Augustinus. *Inducit enim stellam ti Catholi-*
obijciebat Faustus, *quæ confirmaret Genesim.* Augusti- *cos.*
nus lib. 1. cap. 5. tam Mathematicorum errorem quam Fausti calumniam retundit. Calumniam

quidem

quidem hisce verbis. *Et nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male viuitur, propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus: quanto minus illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est aeternus vniuersorum creator & Dominus?* Itaq; *illa stella quam viderunt Magi, Christo secundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur: nec enim subijciebat imperio, sed indicabat obsequio. Proinde non ex illis erat hac stellis, quæ ab initio creatura itinerũ suorum ordinem sub creatoris lege custodiunt, sed nouo virginis partu nouum sidus apparuit, quod ministerium officij sui etiam ipsis magũ quærentibus Christum, cum ante faciem præiret, exhibuit, donec eos ad ipsum locum vbi Dei verbum infans erat, præeundo perduceret.*

Hæc stella ministra Christi erat, non fatum.

Quibus rationibus & veteres refutat, & nostros, dum arbitrij libertatem contra rigidos Caluinianos Manichæorum & Borboritarum progeniem tuetur.

Mathematicos hunc in modum argumentando conuincit. *Qui tandem astrologi ita constituerunt hominum nascentium fata sub stellis, vt aliquam stellarum homine aliquo nato, circuitus sui ordinem reliquisse, & ad eum qui natus esset perrexisse asseuerent? Sortem quippe nascentis, astrorum ordini colligari arbitrantur, non astrorum ordinem ob hominis nati diem posse mutari. Quapropter si stella illa ex ijs erat quæ in cælo peragunt ordines suos, quemodo poterat decernere, quod natus Christus acturus erat, qua nato Christo iussa est relinquere quod agebat? Si autem vt probabilius creditur, ad demonstrãdum Christum, qua non erat, exorta est, non ideo Christus natus est, quia illa extitit: sed illa noua exorta est, quia Christus natus est. Vnde si dici oporteret, non stellam Christo, sed Christũ stellæ fatum fuisse diceremus. Ipse quippe illi, non illa huic nascẽdi attulit causam. Si ergo sunt fata quæ à fando, id est, à dicendo appellata sunt; Quoniam Christus verbum Dei est, in quo antequam essent dicta, sunt omnia, non consortium siderum fatum Christi est, sed fatum etiam siderum Christus est, qui & ipsam carnem sub cælo creatam ea voluntate assumpsit, qua etiam cælum creauit, ea potestate deposuit & recepit, qua etiam sideribus imperauit.*

Non erat stella cælestis.

Christus sideribus imperat.

Plura de hoc genere Aug. l. 5. de ciuit. & serm. 6. de Epiph. Pessime igitur Priscillianistæ, qui naturali sagacitate ex stella ortum Messiæ coniectasse asserunt.

An stella Balaami.

§. 3. An ista stella fuerit, de qua olim Balaam vaticinatus est, Num. 24. 17. cõtroueisũ est. Affirmat Irenæus l. 3. aduers. hæreses, c. 9. *Vnus igitur & idem Deus, qui à Prophetis prædicatus est, &c. cuius & stellam Balaam quidem sic prophetauit: orietur stella ex Iacob & surget dux in Israel.* Eodẽ modo Cypr. de stella & magis, Origenes hom. 13. in Num. Basil. hom. de humana Christi generat. video multos recentiores in eadem sententia esse. Hoc tantummodo difficultatẽ adferre videtur, quod stella magorum dux non ex Iacob, sed ex oriente fuerit. At Balaam ex Iacob ortum prædixerat, multiq; Christum ipsum, qui ex Israele ortum habuit, stellæ nomine significatum arbitrantur. Mihi sane vtrunque probabile videtur; Christum nimirum vocari *stellam*, & *virgam* in Numeris, in eo enim cõsentiunt omnes. Deinde hanc etiam stellam eadem Prophetia Magis insinuatam. Nec abs re fuerit, si stellam dicamus ortam in Iudæa in orientem veniisse, aduocaturam Christo veros adoratores: nec enim dicunt, ortam in oriente stellam, sed visam.

Stella vnde initium habuit?

QVÆSTIO II.

An venerint adorare?

Latriã Christum adorarunt Magi.

§. 1. CVm duplex sit cultus; latria, quæ soli Deo, Dulia, quæ creaturæ vel ob naturæ, vel gratiæ dona defertur, magna constantia SS. PP. docuerunt, Magos diuinum Christo cultum exhibuisse. Tertull. Orig. Cyprian. Hieron. Augustin. omnes pene quorum recordor, adorationem hanc religiosam, & latriam interpretantur. Vbiq; legitur Iuuenis Presbyteri versus:

Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque
Dona ferunt

Et Sedulij:

Aurea nascenti fuderunt munera Regi.
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulchro.

Caluinus pietatem, & adorationem in ambitionẽ, & ciuilem honorem conuertit. *Quantum vero*, inquit, *ad ipsos spectat, non venerant ad exhibendum Christo pietatis cultum, qualis debetur Filio Dei. sed Perfico more volebant salutare, quasi præstantissimum Regem. Neq; enim de eo plus tenuisse probabile est, quam singulari potentia & dignitate fore præditum, vt populos omnes merito in sui admirationem & reuerentiam conuerteret. Fieri etiam potest vt captare voluerint eius gratiam ante tempus, quo sibi propitium & fauentem haberent, si forte contingeret Orientali imperio eum potiri.*

Caluinus magis amentes infideles.

Mirum non dixisse, illis sportulas esse exspectatas more Romano. Tria porro eius pronunciata sunt, quæ Arianis, alijsque impijs opportuna sunt. Venisse ad exhibendum regi, *non Dei filio cultum. Deinde non plus de eo tenuisse, quam singulari potentia & dignitate præditum fore. Tertio captasse gratiam, ante tempus, si forte contingeret eum orientali imperio potiri.* Taceo iam omnes interpretes aliud sentire. rem ipsam spectemus. Nõ est dubium quin venerint adoratum, vt Messiam, vt Christum, ac proinde vt mundi redemptorem, ac filium Dei, non ergo vt regem tantummodo, vel Monarchã, cui ciuilia obsequia præstarent. Hoc adeo perspicue contextus ac consequẽtia declarant, vt ambigere nefas sit. Quærunt enim vbi nasciturus sit ille rex Iudæorum, non quilibet, sed ille qui redempturus sit Israelem. Alioqui Herodem potius præsenti imperio fretum, aut Augustum, aliumue adorassent; nec gratiam infantis cum certo discrimine, & regnantium offensione quæsissent. Quod si potentia regem æstimarent, Augusti numen Ioue maius adorassent; at nunc fugientes prælustria potentissimorum limina, videntes stellam gauisi sunt magno gaudio, magno valde, humilemque casam subiere. Christum vero agnouisse, & quæsisse, Herodis gesta docent: conuocato enim consilio inquirit, *vbi Christus nasceretur?* & illo respondente, Bethlemam misit. De Christo igitur, humanique generis saluatore quærunt, qui filius altissimi vocabatur, qui cornu salutis erectum erat, qui omnium erat Dominus. Eum magi Iudæis notum, à Prophetis prædictum norant, adeo vt locum natiuitatis non ignorari certo sibi persuaderent. Quin & stellam eius esse iam Spiritu sancto doctore didicerant, Hunc filiũ Dauid, filium Dei adoratumibant; non igitur vt regẽ veneraturi, sed vt mũdi saluatorem adoraturi veniũt. Non ergo singulari tantum potentia, & dignitate regem, sed vt omnium redemptorem colebant. Fidem igitur illis derogat, si iudicat; eos putasse, fauorem eius ante tempus quærendum: *si forte contingeret eum orientali imperio potiri.* Miseros sane, si infantem certa in paupertate, incerta regni spe colebant; reges ipsos & rerum Dominos negligebant: ne hoc quidem in mentem illis venit, ante adultam ætatem, potentiamque regis, se decrepitos futuros, aut esse desituros? si per fauores regem Iudæorum Messiam intellexerunt, vt est apertissimum; impia est illa, & nuabunda cogitatio; *si forte contingeret eos orientali regno potiri.* Nec enim ignorabant eius imperium fore ad mare vsque ad fines orbis terrarum: verum de adoratione satis. Quæ vero Christo conueniat vt homini, alibi dicetur. Nunc hoc monitum cupio. Adorasse regem, vt iam in cunis honorem sibi delatum agnoscentem. Si enim infantem more communi spe futuræ potentiæ tantummodo adorassent, quam poterant olim exspectare remunerationem ex beneficio, quod non intelligenti contulerunt?

Cur huma. regis, se decrepitos futuros, aut esse desituros? si per nos fauores regem Iudæorum Messiam intellexerunt, vt est apertissimum; impia est illa, & nuabunda cogitatio; si forte contingeret eos orientali regno potiri. Nec enim ignorabant eius imperium fore ad mare vsque ad fines orbis terrarum: verum de adoratione satis. Quæ vero Christo conueniat vt homini, alibi dicetur. Nunc hoc monitum cupio. Adorasse regem, vt iam in cunis honorem sibi delatum agnoscentem. Si enim infantem more communi spe futuræ potentiæ tantummodo adorassent, quam poterant olim exspectare remunerationem ex beneficio, quod non intelligenti contulerunt?

Non Augustum, sed Christum. coluerunt.

Vt munera saluatorem adorant.

Christum putarunt honorem sibi delatũ intelligere.

lerunt? Concludo dictis Augustini. Serm. 3. de Epiph. *Quid denique Magi venientes dixerunt? vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Quid est hoc? Nonne tum multi antea Reges erant nati Iudæorum? Quid tantopere alienæ gentis Regem nosse, & adorare cupierunt? Vidimus enim, inquiunt, stellam eius in Oriente & venimus adorare eum. Nunquam hoc tanta deuotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent: nisi eum agnoscerent Regem Iudæorum, qui Rex est etiam seculorum.*

Et Sermone secundo, *Manifestatum esse his, qui prope, & hu qui longe. Manifestatus igitur nec illis doctis, nec istis iustis.* Et sermone 6. *Sed hodie de istis loquendum est, quos de remotis terris fides duxit ad Christum. Venerunt enim & quæsierunt eum dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Annunciant & interrogant, credunt & quærunt, tanquam significantes eos qui ambulant per fidem, & desiderant speciem.* Quod si Christum putabant ignarum eius, quod ageretur, videat Caluinus, ne forte causam suam matri eius commendarint, olim memorem beneficij, & aduocatam futuram.

Magi fide adorarunt, ergo Messiam agnouerunt.

VERSVS 4.

Et congregans omnes principes sacerdotum, & scribas populi sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur.

QVÆSTIO I.

Quale Concilium Herodes conuocat?

Terretur Herodes.

§. 1. HErodes diuinæ legis & promissionum omnium ex æquo contemptor; nouo magorum aduentu, & stellæ miraculo terretur. Sacerdotes vt legis gnaros, & scribas conuocat; non omnes sed principes seu primarios. Erant enim vices descriptæ per familias, & sui singulis principes. Scribæ olim regibus apparebant, eratque magna illorum dignitas, qualis

Scribæ.

nunc est secretariorum, syndicorum, Cancellariorum. 2. Reg. 9. 3. & 20. 25. & 4. Reg. 12. 10. & 22. 3. Fuerunt tamen alij minore dignitate: qui contractibus, testamentis, gestis scribendis operam impendebant; Quale nunc est notariorum munus. At hoc loco scribæ sunt quos νομικοὺς seu legisperitos appellant, populi Doctores. Quos Rabbini magnam partem è Simeonis tribu fuisse arbitrantur. Sed non est dubium ex omni tribu, præcipue tamen Leuitica Doctores gentis fuisse. Nam cùm decimis & oblationibus viuerent, & sacris ministerijs dicati essent, vocatio & facultas ad Dei legem considerandam impellebat. Genebrardus Pharisæis Theologos comparauit, *quia penitus mysteria scripturarum scrutabantur; scribis canonistas qui leges ciuiles, & Mosaicas secundum corticem curabant.*

Leuitæ doctores alijs gentis.

Quæ in re Doctores similes Pharisæis.

Hic insultat Beza, & omnia scribarum & Pharisæorum vitia in Catholicos transfisse arbitratur, nec ouum ouo tam simile, quam hos illis affirmat. At Genebrardus de ordine, vocatione, officio loquitur. Ipse Beza ait scribas populi, & selectos ex illo ordine nonnullos, qui primarijs sacerdotibus adiuncti, Ecclesiasticum cœtum explerent. Nonne idem Bezæ obijcere Genebrardus posset ipsum ex sacerdotum & scribarum cœtu consistorium Caluinianum exstruere; scimus super Cathedram Mosis illos sedisse, & nũc quoque regi scitanti Dei oracula recte respondisse, posteri illorum Christo docente in lapidem impegerunt, Ambitione & auaritia cœcati. Quod etiam Caluinus satis intellexit: cum ait; *nunc sincere respondisse: postea furiose scripturam corrumpere conatos.* Vbi tamen quia graviter aberrat sola vnius voculæ mutatione veri præconem facile eum effecero; nam ipsius synagogæ conuenit, quod in nos amarulente dicit. Ita ergo ille. *Sic omnes impij in generalibus principijs Deo facile subscribunt: sed vbi propius eos vrgere incipit Dei veritas, contumaciæ suæ virus euomunt. Cuius rei hodie illustre cernimus exemplum in Papistis, [vere Caluinistis,] Christum enim sine controuersia fatentur vnigenitum Dei Filium, carne nostra indutum, & in duabus naturis vnam Dei & hominis personam agnoscunt: sed vbi ventum est ad Christi virtutem & officium, mox ardet conflictus: quia in ordinem se cogi non sustinent, ac multo minus in nihilum redigi. In summa, quatenus nihil sibi decedere putabunt impij, Deo & scripturæ aliquid reuerentiæ concedent? Sed vbi consertis manibus cum ambitione, auaritia, fastu, peruersa fiducia, hypocrisi & fraudibus confligit Christus, tunc omnis modestiæ obliti in rabiem feruntur. Sciamus ergo hostibus veritatis præcipuam excæcationis causam esse prauos affectus, qui lucem in tenebras conuertunt.*

Caluinista in auctore virus euomunt.

Affectus excæcant hæreticos.

VERSVS 6.

Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

QVÆSTIO I.

Quæ lectio & interpretatio huius loci?

§. 1. MVltorum reprehensiones Matthæus incurrit citatione Michææ Prophetæ 5. 1. contrarium enim in testimonio, & in eius productore videtur dici. Dicit enim Propheta: *minima es*, Matthæus: *nequaquam minima*, Propheta, *in millibus*, Matthæus, *in principibus*. Textus Michææ ita habet. ואתה בית-לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל

Apparens repugnantia.

Vetus interpres ita reddidit: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Vbi duæ aliæ discrepantiæ, quod dicatur: *Ephratha*, & addatur, *Mihi*, non admodum graues sunt, vt ostendam. Septuaginta versio variat, ordinatia ita habet. καὶ σὺ οἶκος τοῦ βηθλεὲμ, τοῦ ἐφραθὰ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν ἰούδα, ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ ἰσραήλ. *Et tu domus Bethlemi* (viri nomen est) *Ephrathæ*, [& hoc viri nomen] *paruus es, vt sis in millibus Iuda, ex te exibit, vt sit in principem in Israel.* Vbi à Matthæo præter alia etiam differt, quod vocet domum Bethlehemi, & Ephratho, nam singulis proponit articulum τοῦ, vt virorum propria nomina indicet. Chaldæus interpres de Christo manifeste interpretatur.

Chaldæus de Messia manifestè interpretatur.

ואת בית-לחם אפרתה זעיר מהיותא לאתמנאה באלפיא דביהודה מנך קדמי יפק משיחא למהוי עבד שלטן על ישראל.

Et tu Bethlehem Ephrata, quæ parua fuisti ad numerandum in millibus domus Iudæ, ex te coram me egredietur Messias, vt sit exercens dominium super Israel. Ita Thargum Ionathæ. Vbi clarè ait, parua fuisse, quam nunc magnam prædicet. Deinde ducem, seu dominatorem, vocat Messiam, qui sit dominaturus. Denique Hebræum לי mihi, expositi, coram me. Syrus interpres cum Matthæo conuenit, nisi, quod pro & ponat אם etiam: pro, *minima*, בזעירה *angusta*, pro principibus, במלכא *in regibus*, pro duce מלכא rex.

Syrus cum Chaldæo de Messia interpretatur.

Hæc igitur verba sic apud Matth. leguntur. καὶ σὺ βηθλεὲμ γῆ ἰούδα οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν ἰούδα ἐκ σοῦ ἐξε-

ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ.

Hæc inter se concilianda sunt, vt vnum eundemque sensum efficiant, cum verborum diuersitas negari non possit.

§. 2. Septuaginta interpretum lectio variat, vt dixi. Quædam enim exemplaria habent, καὶ σὺ Βηθλεὲμ ὁ οἶκος Ἐφραθά. alij vt ante citaui, alij tantum: καὶ σὺ Βηθλεὲμ τῆ Ἐφραθά. Romana vero editio habet: καὶ σὺ Βηθλεὲμ Ἐφραθά. *Et tu Bethlehem* Ephrata. Quod vero positum est; ὀλίγος, *minima*, multa exemplaria habent, μὴ ὀλίγος, *non minima*. Atque ita citat Tertullianus l. contra Iudæos c. 13. Et Cyprian. l. 2. testim. aduersus Iudæos. Nec ex Matthæo citant; quia Tertullianus expresse Prophetam nominat. Et Cyprianus hoc modo. *Et tu Bethlehem domus Ephrata non exigua es, vt constituaris in millibus Iuda.* Prophetæ igitur verba recitans, negationem adiungit. Sic Orig. l. 1. contra Celsum, Euseb. l. 6. demonst. c. 13. Hinc tamen concludendum non est, veterem Hebræum textum, & nostram latinam versionem erroneam esse; potuerunt enim 70. mutare verba retento sensu, vt fecit Matthæus. Plurimi vero libri 70. negationem adiungunt; & probabile mihi videtur, ex Matthæo in veterem Græcum textum irrepsisse. Itaque non alteruter textus corrigendus, sed conciliandus est.

Olim etiã lectum est, non minima.

§. 3. Græcæ lectiones, quæ habent τῆ Βηθλεὲμ, & τῆ Ἐφραθά ad Hebræum, Latinum, Chaldæum, correctiora Græca exemplaria corrigendæ sunt. Ita enim conuenit, vt vnius linguæ discrepans versio ad prototypon, & alias versiones emendentur. Deinde cum Bethlehem non sit τῆ Ἐφραθά, hoc est, alicui us viri, qui eam condiderit, verum sit ipsa Ephratha, binominis enim fuit, vt Byzantium & Constantinopolis. Lutetiæ & Parisij. recte dicitur, *Bethleem Ephratha.* Sensus enim est; Et tu Bethleem, quæ olim Ephratha eras. Eandem vrbem esse docet Scriptura Gen. 35. 19. *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratham, hæc est Bethleem.* Et 48. 7. *Et ingrediebar Ephatam, & sepelius eam iuxta viam Ephratæ.* Propheta igitur cum in alia quoque in tribu Zabulonitide esset Bethleem, signanter hanc Iudææ expressit. Idque aptissimè Matthæus non verba singula, sed ipsam sententiam explicando reddit; γῆ Ἰούδα, *terra Iuda.* Etenim cum Herodes talium rerum esset incuriosus, obscurum erat illi nomen Ephratæ, certò autem mittendi erant Magi. Quòd admodum nunc, si Turcam Byzantium profic sci iuberes, incertum quo mitteretur, reddes. Ad institutum autem accommodate monuerunt Bethleem Iudææ esse, non aliam. Qui Ephratham, & Bethleem conditores existimant, incerta persequuntur. Qui enim 1. Par. 4. 4. vocantur Ephratha, & Bethlehem, non possunt esse conditores. *Chur*, inquit Scriptura, *primogenitus Ephratha, patris Bethleem.* Et c. 2. 20. *Salma est pater Bethlehem.* Iacob enim sic loquitur Gen. 48. 7. *Et sepelius eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Vetus igitur erat nomen Ephratha & Bethleem, posterius remansit, prius periit. Multo magis errant, qui ab אפרת *Ephrath* vxore Caleb dicta putant. 1. Par. 2. 24. *Ingressus est Caleb in Ephrata.* & 70. εἰσῆλθε Χαλεβ εἰς Ἐφραθά. Vbi textus Hebræus habet בכלב אפרתה *In Caleb Ephratha*, idq; absque sensu. quocirca etiam Iun. & Trem. Caluiniani mutant, ב in ב quod signum est, non vsquequaque Hebræum textum esse authenticum, vt nihil erroris contineat.

Græcæ lectiones mendosæ.

Bethlehem est Ephratha.

Euangelista pro nomine obsoleto clarã interpretationem posuit.

Hebræus textus non omnino purus.

§. 4. Conciliationis prima ratio est. Vt dicant sacerdotes vel errore, vel obliuione lapsos, vel etiam inuidentia. ita Glossa. Comm. Hieronymi, Canus l. 2. c. 14. de locis Theolog. Anselmus etiam, & D. Thomas. Atque ita Matthæus vere falsam eorum citationem retulisse dicendus esset.

Verum eam sententiam probare nunquam potui. Imo contrarium potius ex actis demõstratur; si enim obscurare oraculum voluissent, vocassent Bethlehem Ephratham, non terram Iuda; non enim est eius, qui abscondere voluerit sensum Prophetæ, clarioribus vti verbis. Deinde vere omnino respondent, & vero testimonio probant: cur igitur in re quæ nec illis prodesset, nec Herodi oberat, non sincere agerent? Nesciisse; vel memoria lapsos non crediderim. Nam tempore illo diligens studium scripturarum erat, & Hierosolymis centurię scholarum. Florebat Gamaliel, Simeon, Zacharias, omni sabbatho scripturæ in Synagoga legebantur; præcipue illa loca quæ de Messia agebant. Quis igitur fieri poterat vt locum tam nobilem, omnibus notum, alio sensu totum concilium proferret? Nec dubitare licet rege turbato, tota vrbe suspensa, illos libros consuluisse, in medio protuliisse. Alioqui cũ passim in manibus libri haberentur, nõ modo omniũ se ludibrio exposuissent, sed extremum quoque discrimen adiissent; si in re tam magna, seria, qua regni successio verteretur, Herodi fucum facere voluissent. Cur id dicerẽt de quo omnes mox coargui poterant? Norunt Herodem in causa regni in liberos sæuũ, qui nunquam tam paruum peccatum in causa Maiestatis esse putauit, quod non morte plectendum iudicaret. Cum ergo nullo suo commodo, vel inimicorum dãno illud regi potuissent; non est ratio, cur putemus eos infamiam, & periculũ subire voluisse, vel ex proposito; vel insigni negligentia. Nec firma est ratio, qua vtuntur, qui sic iudicant. Quia enim Herodes plerosque ex Concilio Sanedrin occidit, doctos quosque perijsse suspicantur. At inter tot millia æmulantium legem, totque occisorum collegas, & discipulos non fuisse, qui Prophetam recte legerent, non est credibile.

Sacerdotes non videntur pertuisse textum.

Non fuit causa cur testimoniũ celarent.

Sacerdotes libros conpassim fuluerunt.

Periculosum erat malecitare.

Post cædem Sanedrin supererant viri docti.

Alij suspicantur fieri potuisse, vt cum tot haberent, διπλοῦς, & commentarios, facile potuisse verba alicuius glossæ pro authenticis adferri: cum Christus ipse obijciat, *propter traditiones suas Dei mandata* neglexisse. Credi hoc posset, si vnus quispiam, obiter de memoria testimonium recitaret; at in publico concilio, omnes in vnum errorem consensisse; nec fuisse, qui errorem aduerteret, moneret, libũ aperiret, plãnè non est verisimile. Memini anno 1611. à Iudæo non imperito commentarium pro textu mihi oblatum fuisse; at id fieri ab integra synagoga haud facile deprehendas. Minime hoc tempore, & loco, vbi Herodes turbatus, timens, infestus, ideoque seipso sæuior. An his ille negligenter, aut fraudulenter agentibus parceret, qui infantum sanguine securitati suæ consulere voluit? Nec deerant in aula regis adulatores, atque ex ipsis scribis, qui Bibl. a reuoluere, & errorem, aut fraudem indicare possent.

Nec fraudo nec negligentia deliquerunt sacerdotes.

§. 5. Multorum illa est interpretatio, in Propheta partem aduersatiuam omitti, vt Psalm. 118. v. 141. & v. 157. vt sensus sit, *Paruula es in millibus, sed tamen magna.* Euangelista id quod ad rem faciebat, ponendum duxit. Magnitudinem scilicet ex Christo nascituro. Reuera enim sensum Prophetæ esse Bethlehem, paruula esse, sed magnam tamẽ, paruam ambitu, ciuibus, magnam alumno. Additur enim, *ex te enim exiet:* Quæ ratio, non paruam sed magnam ostendit vrbem. & præcipuæ claritatis. Est hæc plurimorum, & verissima interpretatio, verum Iudæorum cauillis non perinde libera. Particula enim causalis, quæ est in Matthæo, in Prophetæ textu desideratur.

Paruã Bethlehem sed magna.

§. 6. Erasmus Michæam censet dicere *paruulam* esse, at verò Matthæum, cum dicit, *non minimam esse*, idem asserere, sed hyperbolice, & intensa significatione, hoc modo: *Ne minima quidem in numeris*, seu non es in numero & catalogo vrbium, *minimarum*.

Non minimam esse, ne quidem

ne vltimo quidem loco, vt cum hominem vilissimũ negamus in numero hominum censeri. Sic etiam Apostolus ait, ea quæ valde sunt abiecta, *ea quæ non sunt*. Huic interpretationi obstant duo. Primum est, quod Bethlehem adeo abiectum oppidum non fuerit, siue antiquitatem spectes, siue terræ fœcunditatem, ob quam dicta est, *domus panis*, siue viros fortes, qui ex ea originem habuerunt, vt Abesan Iud. 12. 8. Booz, Dauidem, quin in ea erat statio Philistinorum 2. Reg. 23. 14. Roboam exstruxit, seu muniuit, vt alias vrbes in Iuda, 2. Par. 11. 6. Non adeo abiecta erat, vt non posset numerari, sed parua, nec ad magnarum vrbium opes, dignitatemque peruenit. Alterum quod obstat, est, quod Matthæi sententiam noua interpretatio destruit, Matthæus namque in latino, Græco, Syro textu causalem particulam *Enim* apponit. At non conuenit eam ideirco dici minimam, hoc est, ne vrbis quidem loco habendam, quod ex ea exiturus sit Messias; Hæc enim causa est, cur magna sit habenda, non è numero vrbium reijcienda.

Bth lehem non erat omnino abiecta.

§. 7. Osiander suæ sectæ homo l. 1. Harmon. in c. 10. Diuersum plane sensum efficit, atq; ita Euangelistam cum propheta conciliat. Vertit in hunc modum. *Et heus tu Bethlema Ephrata, parum est, vt sis inter chiliadas Iuda, Parum sane est, vt sit inter principes, cum sit ipsa princeps, & primaria ciuitas Messiæ, Itaque nõ gloriabitur quod in ea Salomon, Obed, Iesse, Dauid fuerint, & tot clarorum virorũ fuerit mater. Hoc enim parum est, sed quod ex ea nasciturus Messias.* Si igitur Propheta dicit, Parum est, vt sis inter principes, cum sis princeps: & Matthæus; Non minima es, sed eximia in principibus, optimè conuenient vtriusque dicta. Nec Hebræo textui repugnare putat; Illi enim pro neutro genere, quo carent, masculinũ & fœmininũ vsurpant. Masculinũ Gen. 12. 18. לאטור חירת האדם לברו

Osiandri cõciliatio.

Non bonus, id est, *non bonum, hominem esse solum.* Sic hoc loco, paruulos, id est, parum.

Huic interpretationi obstant omnium linguarum versiones, atque interpretationes, etiam recentiorum, & nouatorum. Locutionem iuuet igitur similem illi, quæ est Isa. 49. 6. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas, Ecce posui te in lucem gentium.* Confirmatur vero, nam Bethlehem & Ephrata vrbis nomina fœminini generis sunt, צעיר vero masculinum est, non ergo his substantiuis illud adiectiuum conuenit, sed dicendum esset, צעירת Zeghira, non Zaghir. Respondet ad hoc noster Ribera de vrbe, vt de homine Prophetam loqui, & consentaneum rationi est; quia cum vrbem alloquatur, intelligentem personam videtur eidem tribuere. Habet tamen illa responsio suam difficultatem; Vrbium enim & regionum nomina, cum sic vsurpantur, fœmininа esse solent, Virgines, & filiæ, non viri, aut filij dicuntur. Deinde repugnat Matthæus, qui de Bethlehem, vt de vrbe loquitur, γῆ Ἰούδα terra Iuda. Sic enim exprimere voluit vt clare loqueretur, solebat enim frequenter hoc adiungi. vt Iudic. 17. 7. *Bethlehem Iuda*, atque eodem modo 1. reg. 17. 12. Ruth. 1. 2. Hac igitur ratione maior inter Euangelistam, & Prophetam dissensio ostenderetur. Commodius itaq; respõderi posse arbitror, si id quod reuera factum est, perpendamus. Ciuitas illa in tribu Iudæ posita, sex à Ierosolyma milliaribus, dicebatur nomine compositõ, & scribitur à Propheta בית-לחם, hoc est domus-panis, בית Beth est generis masculini, ad hoc Prophetã respexit, & 70. qui ὀλύγος ὦ, non ὀλιγόστη verterunt, eos autem subaudiuisse οἶκος ex eo constat, quod in multis exemplaribus legatur adscriptum. Propheta igitur de Bethlehem loquitur, vt de domo panis eius, *qui de cœlo descendit.* Clarum fuerit, si pro domo panis legamus, locum panis, *Et tu loce panis* paruulus es.

Osiandri expositio contra omnes est.

Vrbes filiabus comparantur.

In בית respexit Prophetã genus nominis appellatiui.

Ex hisce perspicuum est, non esse certam aliquam rationem cur nouam versionem, nouamq; interpretationem comminisceretur Osiander. Nam vtcunq; verbum צעיר id significet, non tamẽ cætera permittunt. Si enim ad imitationem Isaiæ loquitur Michæas, oportet voces construere cum infinitiuo. Sic Isaias loquitur גקל מהיותך לי עבד, hoc est ad verbum; *Parum ad essendum, vel ad esse te mihi seruum.* quod verterunt latinius, *Parum est, vt sis.* Septuaginta tamen suæ linguæ idiotismum retinentes dixerunt, τῷ κληθῆναι, & τῷ εἶναι. Quod si hunc locũ eo modo explicemus, mutanda erit Syntaxis, dicendumq; in Hebræo: ראתך *Veothecha*, non *Veattha*, Et te Bethlehem Ephratha parum est ad existere vel esse in millibus, quod Osiander omnium censor, non perpendit. Deinde non est vsitata illa traiectio in Hebræa lingua. Et te Bethlehẽ Ephrata parum est ad esse in millibus, verbum enim præponitur, Parum est te Bethlehem, vti & in Germanica lingua. Nemo recte verterit locum Isaiæ. Das du mein Knecht bist/ ist ein geringes/ die geschlecht Jacob auffzurichten. Sed hoc modo. Ist ein geringes/ das du mein Knecht bist/ die geschlecht Jacob auffzurichte. Quæ ratio etiam in Hebræo valet, imo durior est traiectio, & exemplis carens.

Osiander Hebraum textum uertit.

§. 7. Facilima omnino mihi videtur, & Prophetæ conuenientissima expolitio, quæ non paucis nostro tempore placuit, vt apud Prophetam sit interrogatio ex earum genere quæ vehementius negant, quæ proinde rectissime sensu reddito per negationem addita sit expressa. ita Iansenius: clarius, Ludouicus Viues scholijs in Augustinum de ciuitate Dei in l. 18. c. 30. Ribera noster refert libros Gothicos S. Isidori. & Biblia item Gothica in Ecclesia Toletana habere, *Nunquid paruula es.* Nam reuera Propheta eius magnitudinem & dignitatem voluit ostendere, quod non modo clarorum virorum, & regum, sed Messiæ etiam genitrix futura esset, cuius exitus à diebus æternitatis. Nec refert particulam interrogatoriam non præponi, vultu enim, vocis sono, accentu ita interrogamus, vt facile appareat, non affirmationem, sed quæstionem esse. Alijs ironiam esse magis placet, vt est illa 3. Reg. vltimo: vbi Propheta Michæas loquitur. *Ascende & vade prospere, & tradet Dominus in manus regis.* Ita hic quoque dicere Prophetam, *Et tu Bethlehem parua es*, scilicet, vt vulgus arbitratur, *in millibus Iuda, cum ex te exitus sit Messias.* Atque hæc de Prophetæ & Euangelistæ conciliatione, de qua tamen Origenes l. 1. cõtra Celsum omnia carpentem non laborat, sed negationem adiungit Prophetæ verbis, vt dubium non sit hominem in lectione scripturæ, & versionibus diligentissimum, eam in veteribus libris legisse. Quia tamen video alios hac in re laborasse, nihil affirmare tale ausim.

Apud Prophetam negatiuè legendum est.

Interrogatio vultu magis quã verbis ostenditur.

§. 8. Quod Propheta in millibus, Matthæus in principibus dicit. In Propheta vetus interpres: in millibus, & LXX. & χιλιάσιν, ita quoque Chaldæus; at in nouo constanter habent ἐν ἡγεμόσιν, Syrus habet במלכא in regibus. Neque satis esse videtur אלפים & millia & principes significare, cum vnum ex alio non deducatur, videaturque, aut vetus, non noua scriptura erasse.

In millibus & in principibus.

Respondendum est igitur vtrumq; sensum in vtroque esse inclusum vtrunq; vero à Spiritu Sancto inclusum. Nã idem est esse *in millibus*, & esse *in principibus non minimã*. quod vt intelligatur notandũ est, אלף Eleph esse mille, אלפים alaphim millia. Deinde vocabulũ affine אלוף esse ducẽ, proprie millenariũ, seu chiliarchã, extendi tamen ad alios, itẽ Auctorẽ, doctorem, ita Gen. 36. 15. Zach. 9. 7. Verũ notandum & illud: omitti aliquãdo ו, vt Gen. 35. 30. ac tũ nõ differre quoad cõsonantes ab אלף. Sic loco citato אלפיהם Alphehem: duces

אלף dux & mille.

duces eorum. Hinc quod apud Prophetam ponitur באלפי Bealphe in regimine, si literas spectes vtrunq; designat, & *in millibus*, & *in ducib.* seu Chiliarchis. Licitũq; est vtroq; modo vertere. Eundẽ etiã sensum esse constat: Cum enim Israel in tribus, illæ per familias, & Chiliadas distributæ essent, singulis porro millibus præessent Chiliarchæ, confuse his loquebantur; ponendo familias pro cœtu & principibus, & principes ipsos, pro cœtu. Sic Iud. 6. 15. אלפי familia mea, seu Chilias mea. Sic Exod. 18. 21. Num. 1. 16. & 10. 4. Deut. 1. 15. 1. Reg. 8. 12. & 17. 18. Sensus igitur est, Bethlehem nequaquam minima est comparata tot Chiliarchis Iudæ; nam illa suam dignitatem eximiam habet; vel comparata millibus seu familiis Iudæ. Vtroque enim modo confertur millenariis, seu principibus. Nam Bethlem, hoc est princeps eius, & familia, comparatur principibus & principibus aliis. Si enim comparo Britannum regem Franco, aut Coronæ Coronam, aut regnum regno, eodem sensu intelligor, non enim personam personæ, sed reges quâ reges sunt, & regna confero.

§. 9. Causa adiungitur comparationis, non vetus, sed noua, & magna, *quia exiet dux*. Nempe Rex regum, Christus; Iudæi teste Chrysostomo, Theodor. Theophylact. in hunc locum, de Zorobabele interpretati sunt. Zorobabel enim filius Salathielis Babylone natus est; forte Bethlehem nunquam aut raro adiit. De nascituro non de mortuis quærit Herodes. Post Michææ vaticinium, nullus celebrium ducum natus est Bethlemæ. Nec Zorobabel tantus erat, nec proprie מושל dominator, sed Persæ obnoxius, & eius iussu regnans. Si igitur vrbs illa ab alumnorum aliquo prærogatiuam habitura erat in Israel, & ex Dauide eam habere poterat, aliisque qui in ea nati, Zorobabele maiores fuerunt. Denique non conuenit Zorobabeli, quod propheta adiunxit, *Egressus eius à diebus aeternitatis.*

Dux ille non est Zorobabel.

Pascere est regere.

Quod vero noster vertit ποιμανεῖ, pascet, aliaque non mutant, sed exponunt sententiam. Non enim solent verba annumerare Euangelistæ. Quo ipso ostendunt, quantum à vero abierint, qui scripturas perpetuo iactant, sensum eius vel non percipiunt, vel deprauant. Locum notare Euangelista voluit, sensum omnibus notum indicare, Vnde discimus in illa Ecclesia non modò scripturæ verba, sed sensum quoque fuisse. Omnium enim iudicio constabat, de Christo locum Prophetæ, non de alio quopiam rege vel duce intelligendum.

Ita frustra Messias in Bethlehem expectatur.

§. 10. Iudæos Tertullianus etiam hoc loco confutat; frustra eos Messiam exspectare de Bethlehem nasciturum, cum nemo in illa Iudæorum esse possit. aduersus Iudæos, c. 12. *Igitur quoniam filij Israel adfirmant nos errare recipiendo Christum, qui iam venit, præscribamus eis ex ipsis scripturis, iam venisse Christum, qui nunciabatur. Nasci enim eum oportuit in Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est in propheta: Et tu Bethlehem non minima es in ducibus Iuda. Ex te enim exiet dux qui pascat populum meum Israel: Si autem natus adhuc non est qui processurus dux de tribu Iuda ex Bethlehem nunciabatur, oportet enim eum de tribu Iuda & à Bethlehem procedere: animaduertimus autem tunc neminem de genere Israel in ciuitate Bethlehem remansisse, & exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius Regionis demoretur quisquam Iudæorum, vt hoc quoque esset adimpletum per prophetam: Terra vestra deserta, ciuitates vestræ igni exustæ, id est, quod belli tempore eis euenerit, regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, & deserta & subuersa erit à populis alienis. Et alio loco sic per Prophetam dicitur: Regem cum claritate videbitis, id est Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris, & oculi vestri videbunt terram de longinquo: quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Ierusalem, prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est. Anima, inquit, vestra meditabitur timorem, scilicet quo tempore excidium sui passi sunt. Quomodo igitur nascetur dux de Iudæa, & quatenus procedet de Bethlehem, sicut diuina Prophetarum volumina nunciant, cum nullus omnino sit illic in hodiernum derelictus ex Israel, cuius ex stirpe possit nasci Christus.*

Nemo est Iudæorũ in Bethlehẽ.

Efficax hoc tempore argumentum est, nemo enim domo Dauid aut supereſt, aut superesse sciri potest. Etsi enim forte ex regia familia aliquis supersit, nemo tamen est, qui id non modo probare valeat, sed ne quidem qui id falso iactare audeat. Non igitur testimonio vllo ostendere possunt Messiam suum esse de domo Dauid; perinde autem in hoc genere est, vel non esse vel non posse probari.

Nemo Iudæorũ genus suum probare nũc potest.

Documenta genealogiæ perierunt, postquam ille genitus est, propter quem olim seruabantur.

§. 11. Denique præterire non debeo Caluini errorem, vt qui pueriliter ipse labatur, aliis nihil ignoscat. *Et quia*, inquit, *Græce scribebat, receptam lectionem secutus est. Nam ex hoc loco, & similibus colligere promptum est, lingua Hebraicà non fuisse ab eo compositum Euangelium.*

Euangelista non est hic secutus 70.

An obsecro vnquam ille Græcam lectionem inspexit qui ita loquitur? Supra lectionem Septuaginta attuli, eiusque varietatem. Nulla est, quæ non æque à Matthæi lectione discrepet, atque Hebræa. Ad collationem contextus appello.

Quomodo igitur receptam lectionem secutus est? Quod si Caluinus Matthæum negat Hebraice scripsisse, quia verba Hebræa de verbo non exprimit; concludam ego pari ratione, ne Græce quidem scripsisse; quia Græcam lectionem non est secutus. Verum hac de re sat dictum in prologomenis.

QVÆSTIO II.

Rectene Hieronymum Erasmus hoc loco accuset?

§. 1. HIeronymus ad Pammachium de hoc loco, aliisque disputat, nec rem definit, sed nec opus erat definitione ad eius disputationis institutum. Hoc autem temere arrepto: Erasmus grauiter eum accusat, & Erasmi imitator Ludouicus Viues, in c. 30. l. 18. de ciuit. Summa in eo est, quod Hieronymus dicat Apostolos potuisse in hisce testimoniis proferendis errare. Verba Erasmi proponam, deinde respondebo. Quanquam autem dicta magni doctoris ad fidem pertineant; Quia tamen ferendum non est,

Per interpretes scriptura in illum alienæ temeritate in tam grauem suspicionem vocari, hac quasi digressiuncula eum defendendum suscepi: idque etiam Sectariorum causa, qui non modo Hieronymi accusandi occasionem arripiunt auidissima importunitate, sed etiam eleuandæ diuinarum literarum auctoritatis sumunt audaciam, vt ex Vorstio, aliisque docui alio in loco. Huic tanto flumini cohibendo, quo primum patrum sepes, limitesque obruantur; deinde Prophetarum, & Apostolorum fundi euertuntur ab omnibus mature obices ponendi sunt. Erasmum vero audiamus. Testimonium hoc sumptum est ex Michææ capite quinto. Diuus Hieronymus ingenue fatetur, id quod refertur à Matthæo, neque cum editione Septuaginta, neque cum Hebraica veritate per omnia conuenire: siue quia volue-

Non conuenit per omnia verbis, sed sendam opinionem, quod ipsi Euangelistæ testimonia huiusmodi non è libris deprompserint, sed memoriæ fidentes, ita vt fit, lapsi sint: quandoquidem deprehenditur aliquoties in sensibus quoque nonnulla di-

uersitas, vt verba prudentes neglexerint. Atque hic fane ne quis offendi possit infirmior, aut etiam morosior, non grauabor ipsa Hieronymi verba subscribere ex huius loci commentariis. Quod inquit, testimonium nec Hebraico, nec Septuaginta interpretibus conuenire, me quoque tacente perspicuum est, & arbitror Matthæum volentem arguere, scribarum & sacerdotum erga diuinæ scripturæ lectionem, negligentiam, sic etiam posuisse, vt ab eis dictum est. *Sunt autem qui asserunt, in omnibus pene testimoniis, quæ de veteri testamento sumuntur ejusmodi inesse errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba, & interdum sensus quoque diuersus sit, vel Apostolus, vel Euangelistæ, non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur.* Hactenus Hieronymi verba recensuimus. Apparet autem hoc loco virum eruditissimum magnis fuisse cõstrictum angustiis; vnde vix explicare sese potuerit. Nam prior illa ratio, quam suo nomine refert, vt cum sanctissimi viri pace dixerim, coactior videtur & affectatior. Primum enim id quod sequitur, sic enim scriptum est per Prophetam, non minus commode potest ad Euangelistæ quam ad Pharisæorum personam referri. Deinde nusquam repetire licet, Pharisæos & scribas in hoc natos, quod legem ignorarent, sed quod ambitione & auaritia corrupti, videntes non viderẽt. Etenim iurisperitus rogatus à Christo, quid legeret de magno mandato, respondet incontanter: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* & ille approbato illius responso: *Hoc fac*, inquit, *& vives*. Porro Saducæis dictum est, *Non intelligentes scripturas*. Arbitror autem eundem esse locum qui narratur Lucæ decimo, Matthæi vigesimo secundo, & Marci duodecimo: apud Lucam iurisperitus interrogãti Domino respõdet, apud Matthæum Dominus respõdet, quemadmodum & apud Marcũ. Sed ipse Marcus præbet ansam soluendæ dissonantiæ, apud hunc enim scriba repetit & approbans Domini responsum velut interpretatur. Apud Matthæum vero fit mentio, Pharisæorum qui per legisperitum proponunt quæstionem. Iam altera defensio, quam aliorum nomine recensẽt Hieronymus, aliquanto etiam est durior: Videlicet memoria lapsos Euangelistas, sæpenumero dissentire verbis ab Hebræo, nonnunquam & sensibus. Et hanc sententiam ita refert aliorum titulo, vt tamen non infectetur velut impiam. Notauit hunc locum idem Hieronymus in libello ad Pammachium de optimo genere interpretandi, palam ostendens Euangelistam non solum verbis dissidere à Prophetæ verbis, verum etiam sensum prorsus esse contrarium. Nam quod est in Hebræo, *Paruulus es in millibus Iuda*, & septuaginta verterunt: Modicus es vtis in millibus Iuda, Euangelista dixit: *Nequaquam minima es in millibus Iuda*. Et tamen Prophetæ sensum magis approbare videtur Hieronymus, ostendens eum consentire cum verbis Diui Pauli: Elegit infirma mundi Deus, vt confundat fortia. Atque hunc locum ita claudit Hieronymus: Hæc replico, non vt Euangelistas arguam falsitatis, hoc quippe impiorum est, Celsi, Porphyrij, Iuliani, sed vt reprehensores meos arguam imperitiæ, & impetrem ab eis veniam, vt concedãt mihi in simplici epistola, quod in scripturis sanctis, velint, nolint, Apostolis cõcessuri sunt. Hactenus Hieronymus. Certe Hieronymus non id postulat sibi concedi, vt sensum reddat contrarium, sed vt aliis verbis eandem efferat sententiam. At in Euangelista facetur sensum prorsus esse pugnantem cum sensu Prophetæ. Quod si conceditur Euangelistæ, multo magis ignoscendum sit Hieronymo. At falsitatis crimen abominatur in Euangelistis, τὸ μνημονικὸν ἁμάρτημα non item. Neque enim continuo forte vacillet totius scripturæ Sacræ authoritas, sicubi varient, vel in verbis, vel in sensu, modo summa constet earum rerũ, de quibus agitur, & vnde cardo pendet nostræ salutis. Vt enim spiritus ille diuinus mentium apostolicarum moderator, passus est suos ignorare quædam, & labi, errareque alicubi iudicio siue affectu, non solum nullo incommodo Euangelii, sed hunc etiam ipsum errorem vertit in adiumentũ nostræ fidei: ita fieri potuit, vt sic temperarit organum Apostolicæ memoriæ, vt etiam si quid humano more fugisset, id non solum non deroget fidei diuinæ scripturæ, verum etiam fidem arroget, apud eos, qui alioqui de composito scriptum calumniari poterant. Quod genus sit si nomen pro nomine sit positum, id quod alicubi factum fatetur Hieronymus, aut si quid non suo narretur ordine, in quo sæpenumero torquẽtur veteres interpretes: Et Hieronymus in præfatione commentariorum quos scripsit in Matthæum, testatur, *Marcum ea quæ audiuit à Petro iuxta fidem gestorum retul. isse potius quam ordine*. Spiritus ille cælestis totum hoc salutis nostræ mysterium arcanis consiliis & abstrusis humano ingenio rationibus moderatus est. Neque nostræ facultatis est, neque Christianæ modestiæ, quibus modis suum negotium temperarit præscribere. Solus Christus dictus est veritas, vnus ille caruit omni errore. Adfuit spiritus diuinus & Diuo Cypriano, vt est probabile, & tamẽ quædam illius reiiciuntur ab orthodoxis: adfuit & Hieronymo, reiiciuntur & huius nonnulla: adfuit Augustino, atq; ipse quædam sua recantauit. Prima quidem authoritas debetur Apostolis & Euangelistis. Sed fieri potuit, vt Christus occulto nobis consilio, quiddam humanum in his quoq; residere voluerit, perspiciens hoc ipsum ad humani generis restitutionem conducere. Poterat suos semel omni ignorantia, omni liberare errore, at iuxta Augustinum & post acceptum spiritum sanctũ deliquit Petrus, & ita deliquit, vt à Paulo meruerit aeriter obiurgari. Dissentit à Barnaba Paulus, quod fieri non potuit, nisi alterutro errante. Quod si prorsus existimemus labefactari scripturę totius authoritatem, si vel leuissimus error vsquam insit, certe plusquam probabile est, in omnibus exemplaribus, quibus nunc vtitur Ecclesia Catholica, nullum esse tãmendatum, cui non vel casus, vel studium alicuius, mendi nonnihil asperserit. Iam si placet superior ratiocinatio, aut hoc plane negandum est, vt labascet vniuersa fides scripturæ. Atq; hæc dixerim, optime lector, non quod huius sententiæ velim vel autor esse, vel patronus, sed si qui forte sunt, qui putẽt huiusmodi nodos, quos aliquot nectit Hieronymus, explicari non posse, ne protinus sic interpretentur, ob vnũ aut alterum verbulum, labefactandam totius scripturæ S. autoritatem, iniquiores erga sacros libros, quam erga prophanos. Grauis autor est Suetonius, etiãsi in vno, aut altero loco lapsus esse comperiatur. Quod suffugium si nõ recipitur, equidem malo credere, vel apud Hebræos, vel apud nos, locum esse deprauatum, aut si quid mutatum est diuino consilio in melius: aut denique scripturam quidem esse synceram, sed nostram imbecillitatem non allequi mysterium. Illud repetam si Hieronymo fuisset Euangelium Matthæi scriptum Hebraice, hoc sane loco testimonium illius adduxisset. Quanquam autem impudens videri possit, si nos conemur explicare nodum, quem Hieronymus ipse non explicat, explicaturus haud dubie, si potuisset: tamen illud secum perpendat velim lector pius, ac diligens, num hac ratione possit ex angustiis his emergi, vt dicamus, subito in medio sermone personam commutatam, quod aliàs quoq; factum animaduertimus in sacris literis. Imaginemurq; Prophetæ verba sic recitari, vel à Pharisæis, vel ab Euangelista, vt de suo nõ hihil admisceat, quod tamen haudquaquam aduersetur sensui prophetiæ. Siquidẽ cum propheta sentiret antea Bethleem humilẽ, contemptamq; fu. sse præ cæteris

Scribæ putat male protulisse.

Hieronymi verba.

Legẽ sciebant Pharisæi.

Durũ dicere, memoria lapsos Apostolos.

Accusatio Hieronymi.

Error non conciliat auctoritatem.

Error doctorum non est salutaris.

Nullus error in scriptura admittendus est.

teris Iudæ ciuitatibus, tamen futurum, vt eiusmodi partu edito, superet omnes felicitate, celebritateque: quod à Propheta dictum erat, tacuit Euangelista, quod sensit explicuit, non ad id tempus respiciens, quo hæc scripsit Propheta, sed ad sua tempora, quibus edito Iesu, desiit esse minima Bethleem, ac maxima cœpit esse, perinde quasi dixisset: Quod olim prædictum est à vate, fore vt ex omnium minima fieres omnium maxima, id iam contigit.

§. 2. Hæc quæ contra sanctum Hieronymum dicuntur, magna cum iniuria sancti viri proferuntur. Quod ad eius & veritatis defensionem omnino cognoscendum est.

Primo ait testimonium nec cum Hebraico, nec cum septuaginta interpretibus conuenire. Quod ideo fieri potest, quia verbis discrepare, sensu conuenire illa de quibus disputatur, ἐναλλαφανῆ possunt.

Deinde Euangelistas aut Sacros Scriptores, memoriâ lapsos non dixit Hieronymus, sed ita refert alios sensisse. Non esse illam Hieronymi sententiam ex ipso clare omnino doceo. Nam *Euangelistas non arguit falsitatis*, quod ait, *esse Celsi, Porphyrij*, &c. *Deinde sibi vult concedi, quod illis concessum est, & quidem in simplice Epistolâ, quod illis in Scripturis*; at nunquam sanctissimo viro in mentem venit, vt sibi concedi potestatem peruertendi sensum, aut contrario sensu vertendi, aut sane, vt de memoria fallente recitans falleret. In primis considerandæ est quæstio, quæ tum controuertebatur. Epistolam S. Epiphanij Hieronymus interpretatus est, æmuli calumniabantur, *verbum verbo eum non reddidisse*, ita enim ille l. de optimo genere interpretandi queritur. cap. 1. *Deditque aduersarius contra me latrandi occasionem, vt inter imperitos concionentur. Me falsarium, me verbum non expressisse de verbo.* Hoc genus interpretandi damnat. *Ita se B. Anthonium transposuisse, vt nihil desit ex sensu, desit ex verborum bis. Aliy syllabas aucupentur*, inquit, *& literas, tu quære sententias.* De ea igitur versione loquitur, qua integro sensu, verba variant.

Hieronymus in quo se defendat, non petu mendi venia.

Hieronymus sensum non verborum veritatem petit.

Neque obstat, quod dicere videatur, sensum esse contrarium; id enim de sensu, qui prima se fronte prodit, vt fieri soler in omnibus, quæ sunt ἐναλλαφανῆ apparent, quasi contraria, cum nullo modo talia sint: Verum ipsum audire præstat. *In eodem*, inquit, *Euangelista legimus, Herodem ad aduentum Magorum fuisse turbatum; scribisque & sacerdotibus congregatis, scisitatum ab eis, vbi Christus nasceretur, illosque respondisse, in Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est in Propheta: Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in ducibus Iuda: ex te enim egredietur dux, qui regat populum meum Israel. Hoc exemplum in vulgata editione sic scribitur: Et tu Bethlehem domus Ephrata, modicus es, vt sis in millibus Iuda: de te mihi egredietur, vt sit princeps in Israel. Quanta sit inter Mattheum, & Septuaginta verborum, ordinisque discordia, magis hoc admiraberis, si Hebraicum videas, in quo ita scriptum est: Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Considera gradatim, quæ ab Euangelista sint posita. Et tu Bethlehem terra Iuda. Pro terra Iuda, in Hebraico Ephrata habetur, in Septuaginta, domus Ephratæ. Et pro, Nequaquam minima es in ducibus Iuda: in Septuaginta legitur, Modicus es, vt sis in millibus Iuda. Sensusque contrarius est, Septuaginta sibi in hoc duntaxat loco, & Hebraico concordante. Euangelista enim dixit, quod non sit paruulus in ducibus Iuda, cum è regione sit positum, paruulus quidem es & modicus; Sed tamen de te mihi paruulo & modico egredietur Dux in Israel secundum illud Apostoli: Elegit infirma mundi Deus, vt confundat fortia. Porrò quod sequitur, qui regat, vel qui pascat populum meum Israel, aliter in Propheta esse perspicuum est. Hæc replico nō vt Euangelistas arguam falsitatis (hoc quippe impiorū est Celsi, Porphyrij, Iuliani) sed vt reprehensores meos arguam imperitiæ & impetrem ab eis veniam, vt concedat mihi in simplici Epistola, quod in Scripturis Sanctis, velint nolint, Apostolis concessum sunt.*

Contrarius sensus primæ speciei.

At nū re ipsa, sed sententiæ.

Non est instituti illius probare eundem sensum esse, nec conciliare loca Scripturæ, sed tantummodo demonstrare mirum nō esse, si auctoris & interpretis diuersæ sententiæ aliquando videantur. Adeo vero religiose hac in re iudicat, vt cum in vna Scriptura inuenit, quod in alia non est, nihil de alterutra definiat. *Legimus inquit iuxta Lxx. duntaxat interpretes, in Iesu Naue, vbi tribus Iudæ vrbes & oppida describuntur, inter cætera etiã hoc scriptum Theco & Ephratã, hæc est Bethlehem, & Phagor, & Aetham, & Culon, & Tatami & Soris, & Carem, & Gallim, & Bether, & Manocho ciuitates vndecim & viculi earum: quod nec in Hebraico, nec apud alium interpretem, & siue de veteribus libris erasum sit malitiâ Iudæorum, ne Christus de tribu Iudæ ortus videretur, siue à Lxx. additum, nequaquam liquido cognoscentes, certum quid nouimus.*

In obscuris intelligentiam Hieronymus cæpisset.

In eo igitur totus est, vt demonstret septuaginta & Apostolos verbum de verbo non reddidisse, sed sensum tenuisse. *Dies me, ait. c. 3, deficiet, si omnium, quæ ad sensum interpretati sunt, testimonia replicauero. Suffecit in præsenti nominasse Hilarium confessorem, qui Homilias in Iob, & in Psalmos, tractatus plurimos in Latinum vertit e Græco; nec assedit literæ dormitanti, & putidæ ruſticorum interpretationi se torsit; sed quasi captiuos sensus in suam linguam victoru iure transposuit. Nec hoc mirum in cæteris sæculi, videlicet, aut Ecclesiæ viris; cum septuaginta interpretes, & Euangelistæ, atq; Apostoli idem in sacris voluminibus fecerint.* In omnibus vero exemplis ostendit, *non sensuum esse pugnas, sed verborū.* vt Marci. 5. Zach. 11. Sed & in Hebræo, cum sensus idem sit, verba præpostera sunt, & pene diuersa. *Accusent*, inquit, *Apostolum falsitatis, quod nec cum Hebraico, nec Septuaginta congruat translatoribus, &, quod his maius est, erret in nomine: pro Zacharia quippe Ieremiam posuit, sed absit: hoc de Christi pedissequo dicere: cui curæ fuit, non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.* Hieronymus in eadem Epistola docet sæpius Euangelistas & Apostolos errare non posse. Nec tamen illa explicat, sed aduersariis conciliandæ relinquit, vt si illa quæ magis discrepare videntur ipsi conuenire doceant, eodem quoq; modo Hieronymum excusent, cuius verba verbis, non statim respondent, sed sensibus, sensus. Quinetiam in c. 1. Ezech. Theodotionem reprehendit, qui quod contrarium apparebat, omisit. *Quodq; sequitur: Et animalia currebant & euertebantur quasi species Berek: de editione Theodotionis in Lxx. additum est. Qui (ne contra priores duas sententias Propheta dicere videretur) hoc quod putabant esse contrarium, id est & animalia currebant & reuertebantur, silendum putauerunt, ne legenti scandalum facerent. Melius est autem in diuinis libris transferre, quod dictum est, licet non intelligas quare dictum sit: quam auferre quod nescias. Alioquin & multa alia quæ ineffabilia sunt, & humanus animus capere non potest, hac licentiâ delebuntur.*

Cur illo loco Hieronymus non conciliet illa pugnantia videntur.

Sensit Hieronymus, quod & Augustinus Epist. 96. Solis & omnibus libris Apostolicis fidem habendam. *Ego enim fateor caritati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didicisse hunc timorem, honoremq; deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. at si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati: nihil aliud quam vel mendosum esse codicē, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi libros tuos velle, tanquam Prophetarum & Apostolorum: de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.*

Nullus Canonicus scriptor erravit.

Nunc

Nunquam igitur, ne semel quidem admittendus est, nec linguæ lapsus vel memoriæ in Scriptore Sacro. Cum enim diuinæ literæ à Deo ad nos sint missæ, in Deum culpa turpitudoq; mendacii transscriberetur, quod si humanæ fragilitatis errores diuinæ veritati dicamus admistos; non potest nobis de authentica scripti fide constare, nisi quid sincere diuinum, quid hominum initio adulteratum sit, ostendatur. Hieronymus sane grauiter se excusat Augustino, ne officiosum mendacium defendere videatur. *Ego*, inquit, *imo alij ante me exposuerunt causam, quam putauerant, non officiosum mendacium defendentes, vt tu scribis, sed ostendentes honestam dispensationem, vt & Apostolorum prudentiam demonstrarent, & blasphemantis Porphyrij impudentiam coercerent.*

Nullum in sacris libris etiam officiosum mendacium.

§. 3. Rationes Erasmi nullius momenti sunt. Est Christus solus veritas, nec tamen Apostolorum Scripturæ mendaces, quia in illa loquitur veritas. Mentiri potuerunt & Apostoli, sed cùm Spiritu sancto agente locuti sunt, aut scripserunt, nec fallere, nec falli potuerunt. Dissensit à Barnaba Paulus; & errare hac in re potuit alteruter; at non in dogmatum expositione, sed re externa, de Marco vel assumendo vel relinquendo. Vtrique sua fuit ratio, cui melior, ille nouit, qui corda scrutatur & renes. Paulus respuit desertorem operis Dominici; Barnabas redeuntem amplectitur. at in Scriptura tradenda nec hic, nec ille aberrauit. Quod ad librorum menda attinet, non sunt illa Spiritus, vel Apostolorum, quæ ex aliis exemplaribus facile corriguntur: & ea pauca sunt, de plerisque certo constat.

Christus veritas in scripturâ Sacra vera loquitur.

VERSVS 11.

Et procidentes adorauerunt eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo adorauerunt?

§. 1. QVia dicuntur intrasse domum, plerique putarunt, hospitium Ioseph um interea quæsisse, dilapsis qui censi fuerant. Ita Maldonatus, aliiq;. Plures Hieronymum Epist. 17. & 18. sequuntur, & in spelunca adoratum aiunt. Res incerta est. Nam Hebræum בַּיִת quamuis habitationem significat. Ita Psal. 103. 19. vbi 70. ἕδρωσία ἡ κατοικία vbi erodii habitatio. Sic Psal. 84. 4. Nidum significat. 1. Reg. 7. 1. Sepulchrum. Exod. 12. 19. dicitur בַּיִת לֹא־שָׁם *domus* laci.

Domus dicitur omnis locus in quo quis habitat. Beth habbet.

§. 2. De errore Caluini, Piscatoris atque aliorum, qui ciuilem tantum adorationem Orientali more arbitrantur, supra dixi. Alter error grauior est Vbiquitariorum, qui carnem Christi nimium adorant, non vt Deo hypostatice tantum vnitam: sed vt diuinis attributis dotatam, æternam, omnipotentem, & humanitatem Deitati parem faciunt, naturarum proprietates confundentes. Hac de re ita orthodoxi sentiunt. Christum adorari eo cultu, qui vero Deo debetur; Deus enim est. Deinde cultum illum deriuari etiam quodammodo ad humanitatem, quæ diuinæ personæ hypostatice coniuncta est, non quod in eam terminetur, eamque vt obiectum habeat, sed improprie, quemadmodum vestis adorari dicitur, cum Rex adoratur, & corpus coadoratur, cum anima; quamuis in vtraq; similitudine aliqua dissimilitudo sit. Denique potest quispiam cogitatione atque animo solam in Christo humanam naturam spectare; eamque vt Deo gratam, omnibus creaturis maiorem, minore cultu adorare. Quemadmodum illi qui Christum in hac vita, ignari Deum esse, velut virum sanctum, & Prophetam adorabant. Non enim, si quis ita adorare velit, Deum esse negat, sed cum duæ sint naturæ, duo intellectus, & voluntates, humanitatem hyperdulia adorat. Hoc tamen nec facile faciendum iudico priuatim, & publice nunquam; ne illo modo adorationis diuinitatem negare videamur. Adoremus igitur Christum Deum, vt & Magos fecisse testatur S. Leo. Serm. de Epiphania. *Adorant magi in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum maiestatis.* Porro munera non tantummodo orientali ritu, sed mysterio, omnium iudicio obtuleruntt, Deum, hominem, regem professi.

Latria quomodo ad Christi humanitatem spectet.

VERSVS 12.

Et responso accepto in somnis.

QVÆSTIO II.

Rectene noster dixerit Responso?

§. 1. LEue est, non omittendum tamen, quod Beza nostrum interpretem carpit. χρηματισθέντες vertit ipse, *diuinitus admoniti. Vulgata*, inquit, *Responso, non satis proprie; quia percontantibus demum responsum datur. Erasmus, oraculo admoniti. Ego verò etsi religionem nullam statuo in vocabulis: tamen oraculum lubens refugio, veluti idolorum superstitione contaminatum.* Contemnerem ista, nisi viderem Bezam alioſque suis in commentariis solis istis se iactare. Critico igitur respondeamus. Græce est χρηματισθέντες, hoc est, oraculo admoniti, Syrus habet וְאִתְחֲוִי לְהוֹן בְּחֶלְמָא *& visum est illis in somno.* Recte vero noster *Responsum* vertit χρηματισμόν. Etsi enim facile concederemus, quod Beza asserit, *Responsum non nisi percontantibus dari*: non tamen nobis reuelatum est, Magos inter gaudia, precesque de itinere Deum non percontatos. Christum esse credebant, longo itinere venerant, adorarant; de reditu, omnique vitæ ratione in posterum agendæ instrui cupiuerunt. Nec dubito eos de reditu ad Herodem ancipites fuisse. Tyrannum viderunt, turbatum, cruentum, profanum, nullum mitti ab Herode, nullum à gente Iudæorum legatum. A Iosepho de statu Reipublicæ, & moribus Herodis edoceri potuerunt.

Beza iudicium captatur.

Magi de ratione itinerũ Deũ rogarunt.

Pii cuiusque est tali in loco ac tempore omnia diuinæ prouidentiæ enixius commendare, auxilium ab ea petere. Ad hæc ergo responsum acceperunt, irent per aliam viam in regionem suam. Responsum igitur est percontantibus datum. Quod si quispiam respondeat; interdum dari responsum ad ea, quæ χρηματισμὸν non rogabantur, sed rogari poterant: facile superstitiosam & cilioſam censuram excutiet. Certe respondere ad tempus dicitur creditor, qui non appellatus rem dissoluit. Responsa diuum vocantur, quæ rogati, vel non rogati effati sunt. Virg. 9.

respondere dicuntur non percontantibus.

Nil me fatalia terrent
Si qua Phryges pro se iactant responsa Deorum.

Sic cum *responsis diuûm* dicuntur *horrere Caspia regna.* Sane tum de Romanis nihil scitati erant Caspii.

§. 2. Iniuriâ etiam Erasmus reprehenditur, quod verterit *oraculum*, quasi vox ea contaminata sit. Primo quidem vetus interpres frequenter ea voce vtitur, tam pro propitiatorio, quam diuino responso. Cur autem diuina oracula non nominemus, etsi sint etiam oracula dæmonis? Augustinus cap. 6. de diuinatione Dæmonum ea voce vtitur liberrime. *Hac atque huiusmodi facultate multa Dæmones futura pranun-*

Oraculi vox non est insa-mis.

prænuntiant, audiunt vt prænuntient: & cum ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt neque falluntur: verissima enim sunt Angelica & prophetica oracula.

Augustinus oraculi voce vsus.

Et l. 16. de ciuitate Dei c. 36. *Accepit etiam Isaac oraculum tale, quale aliquoties pater eius acceperat, de quo oraculo sic scriptum est.*

Quod si vocem idololatria & aruspicina infamem homo pius fugiendam putauit: Multo magis χρησμὸς, & χρηματισμὸς fugere oportuit: illa enim etiam gentilibus in dæmonum responsis vsurpantur, atque adeo apud veteres vix aliter.

VERSVS 13.

Cum autem recessissent, apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph.

QVÆSTIO I.

Quando recessit?

Inter discessum Magorum, & fugam Iosephi spacium fuit.

§. 1. NOn continuo cum recesserunt; nam die quadragesimo in templo præsentatus est. Post purificationem profecti sunt in Nazareth Luc. 2. 39. ex quo constat grauem fuisse persecutionem; & perquisitionem quoq; Nazarethum fuisse venturam: nam ex censu cognosci potuit Iosephum eo venisse, regum quoque adoratio, & pastorum, simulque quæ Simeon, & Anna Prophetissa loquebatur, iam famam auxerant. Herodes quoque ex his omnibus cum animaduerteret se à Magis illusum omnes neruos intendit. Quam diu vero in Nazareth morati sint incertum est. Hoc certum est duplici modo errare Caluinum, incogitanter, & impie. *Probabile est*, inquit, *dominum Mariæ peperisse, donec ex puerperio conualuit, vt iter facere posset.* Incogitanter, quia iam venerat Ierosolymam, inde ierat Nazarethum, tandem iam dies erat quadragesimus, & supra, conualuisse igitur poterat, si labore pariendi fuisset infirmata.

Duplex Caluini error.

Impie vero quia partum cum dolore, & debilitate fingit, quod nemo piorum vnquam dixit. Verissime dixit Soarezius noster. T. 2. in 3. p. disp. 13. sect. 2. *Neminem qui Deiparam in partu virginem permansisse crediderunt, inuenî, qui asseruerit cum dolore peperisse.* Caluinus vtrunq; coniungere debet; dolor enim parientium ex vteri distensione, conuulsione q; oritur. Vt dolor sit corruptio virginitatis, & ea illibata nullus sit dolor: vt enim clauso ostio ingressus est ad discipulos, non læso, non comminuto ligno, ita quoque de thalamo processit ille gigas ad currendam viam, & nascendo matris virginitatem æternùm consecrauit. Nec lata erat illi lex quæ Gen. 3. *in dolore paries filios. Quæ sine peccati collusione Christum concepit.*

Virginis partus sine dolore est.

Concludam sententiâ S. Gregorii Nysseni orat. 1. de resurrectione. *Habes & Esaiam, qui gratiam hodiernam non parum illustrat. Ab ipso enim matrem innuptam, sine patre carnem, sine dolore puerperium, sine labe partum ante didicisti. Sic enim loquitur Propheta. Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emanuel, quæ vox significat, Nobiscum Deus. Etenim sine dolore partum extitisse, ipsa rei æquitas te docebit. Nam cum omnis voluptas dolorem coniunctum habeat, necesse est, vt in iis, quæ ita copulata sunt, cum vnum abest, alterum etiam absit. Itaque cum nulla concipiendi voluptas antecesserit, ne pariendi quidem dolor est consecutus. Hoc autem Prophetæ verbis etiam comprobatur, quæ sic habent: antequam veniret dolor partus eius, effugit, & peperit masculum. Aut, quemadmodum alius interpretatur, antequam dolores sentiret, peperit.*

Sine dolore peperit, quæ sine voluptate concipit.

Consulendus D. Thom. 3. p. q. 35. ar. 6. atque in eum locum Theologos, quos etiam plerique sectarum exceptis rigidioribus Caluinianis quibusdam sequuntur. Porro Caluini hic error alteri errori necessarius esse visus est, ne si in partu virgineo dolorem abesse, & illæsa virginitatis claustra fateretur, corporum mutuam penetrationem concedere cogeretur, & imaginationes suas de Eucharistiâ omittere.

VERSVS 15.

Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

QVÆSTIO I.

De quo Propheta dixit; Ex Aegypto vocaui filium meum?

De Israelitis hæc verba agere videntur.

§. 1. DE filiis Israel Propheta loqui videtur: idcirco Iudæi & gentiles, præcipue Iulianus, id Christianis obiecerunt. Disputat hæc de re Hieronym. de optimo Gen. Interp. ad Pammach. ad Algas. q. 2. & in hunc locum. Verba eius tanquam basin disputationis initio ponam. *Pro eo quod nos diximus. Ex Aegypto vocaui filium meum, Lxx. transtulerunt ex Aegypto vocauit filios eius, quod in Hebraico non habetur, nullique dubium est Matthæum de hoc loco sumpsisse testimonium iuxta Hebraicâ veritatem. Ergo qui detrahunt nostræ translationi videant scripturam, de qua Euangelista hoc testimonium sumpserit, & interpretatus est in Domino Saluatore: quando de Aegypto reductus est in terram Israel: & cum inuenire non quiuerint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare. Hunc locum in septimo volumine Iulianus Augustus, quod aduersum nos, id est, Christianos euomuit, calumniatur, & dicit, quod de Israel scriptum est, Matthæus Euangelista ad Christum transtulit, vt simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breuiter respondebimus: Primum Matthæum Euangelium Hebræis literis edidisse: quod non poterant legere, nisi hi qui ex Hebræis erant: ergo non propterea fecit, vt illuderet Ethnicis. Sin autem Hebræis illudere voluit, aut stultus, aut imperitus fuit. Stultus si apertum finxit mendacium: imperitus si non intellexit, de quo hæc dicerentur. Stultitiam ipsum volumen excusat, quod prudenter ordinateque compositum est: imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis scripturarum scientiam legis habuisse cognoscimus. Superest vt illud dicamus, quod ea quæ τυπικῶς præcedunt in aliis iuxta veritatem & adimpletionem referantur ad Christum, quod Apostolum in duobus Sina & Sion & in Sara & Agar fecisse cognouimus. Neque enim non est Sina mons, & non est Sion: non fuit Sara, & non fuit Agar: quia hæc Apostolus Paulus ad duo retulit Testamenta. Sic igitur hoc, quod scriptum est, Paruulus Israel, & dilexi eum: & ex Aegypto vocaui filium meum: dicitur quidem de populo Israel qui vocatur ex Aegypto, qui diligitur, qui eo tempore post errorum idololatriæ quasi infans & paruulus est vocatus, sed perfecte refertur ad Christum. Nam & Isaac in typo Christi fuit: quod futuræ mortis ligna sibi ipse portauerit: Et Iacob quia Liam dolentem oculos Rachel pulchram habuerit vxorem: in Lia quæ maior erat, tacitatem intelligimus Synagogæ, in Rachel pulchritudinem Ecclesiæ, & tamen qui ex parte typi fuerunt Domini Saluatoris, non omnia, quæ fecisse narrantur, in typo eius fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat, quod si totum præcedat in Typo, iam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est.*

In 70. alia lectio est.

Matthæus nec fallere voluit, nec imperitia deliquit.

§. 2. Hoc

§.2. Hoc factum ait, vt adimpleretur quod dictum est, &c. Verba Oseæ cap. 11. v. 1. & 2. ita habent. בשחר נרמיתו נרמיתמולך ישראל sicut mane transit, pertransit rex Israel. 70. ὀρθρᾳ ἀπερρίφη βασιλεὺς ἰσραὴλ. Deinde subiungit. כי נער ישראל ואהבתהו וממצרים קראתי לבני *Quia puer Israel & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum.* Septuaginta ita verterunt. Διότι νήπιος ἰσραὴλ, καγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ αἰγύπτου μετεκαλεσάμην τὰ τέκνα αὐτῶ. *Quia paruulus Israel, & ex Aegypto vocaui filios eius.* Chaldæus: Eos filios. Syrus nostram interpretationem sequitur. Quamuis Chaldæus ita loquatur, vt sensum alioqui indifferentem ad filios Israel constringat. *Quando puer erat Israel, dilexi eum, & ex Aegypto vocaui eos filios* לחזן בנין *Misi prophetas meos vt erudirent eos.*

Legi potest לבני *duobus modis* I. לבני *filium meū deinde* לבני *filios.*

§.3. Extra controuersiam multis videntur illa verba; *Ex Aegypto vocaui filium meum*, de populo Israelitico intelligenda esse. Nam ingratitudinem Iudæis exprobrat, qui ex dura illa seruitute quasi ex sepulchro educti, à Deo tamen abierunt, & simulachris immolarunt. Cum vero eos Deus eduxit, legem tulit; tabulæ factæ, adoptati sunt, Ego, inquit, *quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nesciebant, quod curarem eos.* Hac de re post dicam.

Vocatus ex Aegypto populus Dei videtur.

§. 4. Non minus certum vere fidelibus Christi esse debet. Eadem verba ad Christi ex Ægypto reditum pertinere. Itaque vt populum de Ægypto vocauit, sibique in deserto Ecclesiam desponsauit; sic etiam caput eius Christum dominum inde eduxit. Nec mirum Dei filium in Ægypto pueritiam egisse, cum totus populus ibi habitarit & creuerit. Quod vero Iulianus & alii obiecerunt ex 70. aliter legi, & Matthæum fraudis accusarunt, factum est ex ignoratione linguæ Hebrææ. Quanquam apud 70. varia est lectio, Romana editio habet ὀρθρᾳ ἀπερρίφησαν, ἀπερρίφη βασιλεὺς, & pro μετεκαλεσάμην, habet μετεκάλεσα. Quia tamen est, τὰ τέκνα αὐτῶ, filios eius; ea versione de Christo nihil probatur. Non tamen Christus excluditur; nam est & ille filius Israelis, vt quemadmodum alii, euocatus ex Ægypto, singulari tamen mysterio.

Ad Christum certissimo illa verba pertinent.

Matthæus sincere quod in Hebræo est citauit.

Porro Matthæum non dolo malo Prophetæ verba vsurpasse, satis etiam gentilibus ostendi potest; Cum enim Syriace suæ genti scripserit, Prophetam, vt in Synagoga exponebatur, fideliter citauit. At neque Græcos fefellit. Apud Hebræos enim inuenire potuerunt, quod ille scripsit, & suos potius habere suspectos libros debuerunt, quàm Euangelistæ fidem, quam prolatis Hebrææ gentis codicibus approbare promptum fuit.

Dicendum est itaque Oseæ prophetiam esse, & historiæ narrationem; historiam vero futuri typum fuisse.

§. 5. Inter auctores Christianos magna est disceptatio, Prophetæne literalis, an allegoricus de Christo sensus sit; quæ tamen controuersia si bene explicetur, contra impios fidem Christianam asserit, eorum cauilla elidit.

Allegoricus sensus de Christo multis videtur.

Qui literalem sensum de Israelitis, allegoricum de Christo esse arbitrantur multi sunt, imo præcipui quidam patrum. Ille enim sensus literalis est, quem verba præferunt, qui consequentibus & antecedentibus apte cohæret: id vero solum fieri potest in eo qui de Israelitis agit, non de aliis, siue alio. Antecedentia namque & consequentia non nisi de Israelis progenie dici possunt. Antecedentia sunt, c. 10. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, consurget tumultus in populo.* Consequentia vero, *sic vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum, Baalim immolabant.* Hæc de filiis Israel peccatoribus, & idololatris dicuntur, ergo & id quod in medio est; *Quia puer Israel est, & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum:* nec obstat numerorum commutatio. Nam paulo post, de Ephraim eodem modo loquitur: *Ego nutricius Ephraim, & portabam eos.*

Prophetæ derepente sensum à re transferre.

Hæc tamen ratio in libris Prophetarum firma est. Omnes enim interpretes crebro obseruant, prophetarum mentes subito interdum à re proposita ad noua mysteria abripi, & ea, quæ non videntur antecedentibus, & consequentibus consentanea, proferre. Quod fieri solet, cum grauibus minis, pœnis, & peccatorum exprobrationi, de salute & redemptione mentio interponitur. Sic exponunt illud in Isaia: *Ecce virgo concipiet.* Sic Gen. 49. 18. *Salutare tuum Domine exspectabo.* Sic igitur & hūc locū interpretari facile fuerit. Scelera eorum enumerat Deus, & pœnas minatur, inter illas reprehensiones, minasq; misericordiæ voces interponit; *nempe se Israelem dilexisse, & ex Aegypto vocasse.* vt eorum, quos pœniteret admissorum criminum, corda in spem erigeret salutis, ne metu diuinæ iracundiæ absorberentur. Cum enim minetur fore, *vt sicut mane transit, ita transeat,* & vt Hebræum verti potest, *succidatur rex Israel,* miserationis initium ostendit. *Quia puer Israel, dilexi eum, &c.* Hæc enim si verba abessent, sensus optime constaret, & satis apparet, his verbis potius videri seriem, & contextum narrationis interrumpi, quam connecti. Hunc igitur in modum, qui diuersum sentiunt, argumentantur.

Ratio qua filium suum Israelis redemptorem vocasse.

Sensus de Christo literalis extenditur.

§. 6. Qui literalem de Christo sensum esse aiunt, in duplici sunt differentia. Alii eorum vnum sensum literalem agnoscunt, alii duplicem. Cum enim in veteri testamento de aliqua persona agitur, & in nouo testamento prophetia clarius perfectiusque per aliquem expletur, de vtroque literaliter agi contendunt. Quod si tamen id de quo in veteri agitur typus est eius, quod in nouo impletur, allegoricum putant. Dictum est antiquis; *non obligabis os boui triturranti.* Literalis sensus vetat iumento in area triturranti os camo obligare: at sensus ille à spiritu sancto primario intentus non erat. Nunquid enim de bobus cura est Deo? Lex igitur ministris Ecclesiæ lata est, vt scilicet, *qui ministrat altari, de altari viuat.* Hac ratione facile auctores qui hac distinctione vtuntur, cum veteribus conciliantur; nam reuera sensus ille allegoricus est, aut allegorico plane similis: quia tamen de illo præcipue verba proponuntur, aliis literalis potius videtur.

Duplex sensus literalis apud nonnullos.

Sensus primarius, & allegoricus differunt.

Qui literalem vnum tantummodo, vnicumque existimant. Duas habent rationes: *Nam & allegorias negant habere vim probandi; & absurdum esse iudicant, vnius Christi typum esse innumeram Israelitici populi multitudinē.* Mihi tamen rationes illæ leues videntur. Paulus enim sensu mystico frequenter auctoritates citat, vel rei explicandæ causa, vel quod consensu Ecclesiæ sic intelligerentur. Vel certe quod ipse potestate Apostolica & αὐθεντίᾳ, ita intelligenda esse doceret. Altera ratio multo sane est etiam dilutior. Nam totus Israel Exod. 4. 23. vocatur filius primogenitus, cur non igitur primogeniti sit typus? Imo confert cum primogenito Pharaonis. *Hæc dicit dominus: Filius meus primogenitus Israel: Dixi tibi, dimitte filium meum, vt seruiat mihi. & noluisti dimittere eum: Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Sententia igitur prophetæ est; *quia puer est Israelis,* Christus scilicet, filius Abrahæ, Isaac, & Iacob, *puer,* inquam *à me constitutus super montem Sion,* quemadmodum Exod. c. 24. v. 5. dicuntur נערי בני ישראל *iuuenes filii Israelis*; ita quia hic est ille filius Israelis, *in quo mihi bene complacui, ideo dilexi eum, & quem ille dilexerit, diligo. Ideo & ex Aegypto vocaui,* cum & ob Iudæorum impietatem, torpore, ingratitudinem quasi in Ægyptum subductus sit, tamen eum reuocaui, & in populo meo constitui. Atque hoc fundamen-

Cur sit allegant Christo literalis.

Vsus allegoriæ.

Multi filium tuum primogenitum. Sententia est; quia puer est Israelis, Christus scilicet, filius Abrahæ, esse positus sunt.

damentum est, quo reliquiæ insistent, ne penitus pereant. In hac itaque expositione quisque quod visum fuerit, sequatur. Mihi illa expositio melior videtur, quæ literalis est de Christo, aut saltem sensu primario reditum eius complectitur.

QVÆSTIO II.

An in persecutione Christi exemplo fugere liceat?

§. 1. S. Cyprianus, Athanas. Augustinus exemplo Christi fugam in persecutione licitam esse docent. *Quæ enim*, inquit Athanasius, *humanitus de Salvatore scripta sunt, ita par est, ad communem genus hominum referri; nam & ille corpus nostrum gestauit, & humanam imbecillitatem ostendit.* Probat exemplo fugæ Christi in Ægyptum, in Nazareth, & similibus. Tertullianus tamen iam à fide alienus, ingenio suo, & æmulationi obsecutus fugæ præsidium infirmis abstulit, l. de fuga in persecut. c. 8. *Refugit & ipse vim interdum, sed eadem ratione qua Apostolis fugere præceperat, donec scilicet doctrinam suam impleret. Quâ consummata non dico stetit, sed nec auxilium à patre Angelorum exercitum desiderauit, increpito etiam Petri gladio. Professus quidem & ipse est: animam anxiam vsq; ad mortem & carnem infirmam, vt tibi ostenderet primo in se vtramque substantiam humanam fuisse ex proprietate anxietatis animæ & imbecillitatis carnis. ne aliam vt quidam nunc induxerunt, aut carnem aut animam Christi interpretaretis.* Vim itaque eludere sibi videtur argumenti, si dicat Christum fugisse, donec *doctrinam impleret*, & eâdem ratione fugere Apostolis permisisse. Verum magis se, & argumentum stringit. Fugere enim & cæteri eo modo possunt, donec impletis omnibus, legem manendi habere se agnoscant. Christus enim mortem, & carcerem fugit, donec veniret hora eius, discipulis quoque eius fuga licita est, donec causa grauis sit, vel ob scandalum, vel aliorum necessitatem patiendi.

Christus fugiens iuxta licere nobis ostendit.

Tertullianus fugam reuocat.

Fugere licet, donec lex aliqua stare iubeat.

§. 2. Dum ille fugit, Herodes sæuit, omnes infantes in Bethlehem, & finibus eius occiduntur. Quod vero signanter Herodes, *à bimatu & infra occisos voluit, secundum tempus quod exquisierat à magis*, quosdam monuit, vt stellam biennio ante natum Christum apparuisse, quosdam, vt biennio post natum Christum cædem factam existimarent. Verum alii stellam ante partum visam referunt. Imo Caluinus, *Stulte*, inquit, *pro confesso sumunt, stellam non apparuisse nisi post partum virginis*: quod cum tamen plerique sentiant, merito stultus videri potest, si quis omnes stultos iudicet. Mihi videtur Herodes suspicatus esse stellam diutius apparuisse, quam illis visa fuerit; nec enim, quemquam diem, qua primum eam videre potuerunt, indicare facile fuerit, affirmare promptum fuit, ante non fuisse; neque enim vel pluuio cœlo, vel alia de causa, mox stellam, vt emicuit, etiam videri necesse fuit. Deinde securitati vt consuleret, sæuitiam extendit: Nam quidam etiam menstrui infantes maiusculi sunt, & rudis miles in tam furioso facinore decipi non difficulter poterat, quibus vt Tyrannus occurreret, ne scelus perderet, omnes bimulos, quique infra eam ætatē essent, occidi imperauit. Atq; ita intelligendum est, quod ait καθὼ χρόνου *infra, secundum tempus quod exquisierat à magis*. Nam tempus illud exquisitum à magis referendum est, ad id quod dicit, *infra*. Nempe occidit eos, qui infra bimatum erant, non omnes, sed secundum tempus quod exquisierat à Magis, non erat, eos occidi necesse, qui post Magorum aduentum nati erant: de eorum enim ætate facile constare potuit qui infra erant, nores Christo, dum miles dubitat, & imperium timen exequitur, occisos. Quanquam mihi verisimile redditur, Herodem non adeo celeriter sæuiisse, dum enim Magos exspectat; deinde de abitu cognoscit, dubitatque an illi illusi fuerint, & pudore aliam viam sint ingressi, transit dies quadragesimus, dein perfectis omnibus secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Luc. 2. 39. Quamdiu ibi habitarint, incertum est. At certissimum est Caluinum falli, dum Iosephum in fugâ, in transitu Ierosolymæ ait functum pietatis officio, quod lege Domini præscriptum erat. Nam Lucas expressis verbis docet; Eos postquam omnia perfecissent, *reuersos in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Deinde Ioseph noctu fugam capessit, cum Maria & puerulo; instabat igitur periculum è proximo; quomodo in mediam flammam se daret? præsertim cum è Nazareth per Ierosolymam non sit iter in Ægyptum. *At in multitudine latere potuit.* Cur ergo rediens ex Ægypto, postquam audisset omnes defunctos, qui *quæsissent animam pueri*, non tamen in Iudæam est ire ausus, quod Archelaus regnaret? An in re præsenti minus Herodem timeret, quam sopita iam fama Archelaum?

Securitatis causa crudelis est.

Ἔτους quod exquisierat à Magis ad ti erant: de eorum ætate facile constare potuit qui infra erant, nores Christo, dum miles dubitat, & imperium timen exequitur, occisos.

Præsentatio Christi non est in fugâ facta.

At vero non latuisse, sed multis manifestatum constat, ex Luc. 2. 28. De illo enim Anna *loquebatur omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.* Prodere quidem hoc esset dominum, si eo tempore, quo nocte fugit Ioseph, in templo Ierosolymitano laudes eius celebrarent.

VERSVS 18.

Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.

QVÆSTIO I.

An hæc de Christo prædicta sint?

§. 1. Hieronymus hunc in locum monet, nec ex Hebræo, nec 70. transtulisse verba Matthæum. *Vox in excelso audita est, &c. Nec iuxta Hebraicum, nec iuxta Lxx. Matthæus sumpsit testimonium. Legimus enim in eo post descriptionem infantium necis: Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel flens filios suos: & noluit consolari, quia non sunt. Ex quo perspicuum est Euangelistas & Apostolos, nequaquam ex Hebræo interpretationem alicuius secutos, sed quasi Hebræos ex Hebræis quod legebant Hebraicè, suis sermonibus expressisse. Rachel mater Ioseph cum veniret Bethlehem, subito partus dolore correpta, peperit filium: quem obstetrix, quia moriebatur pariens, vocauit Benoni, hoc est, filius doloris mei. Pater autem Iacob mutauit vocabulum & appellauit eum Beniamin hoc est filius dextera. Quæritur itaq; quo modo Matthæus Euangelista testimonium Prophetæ ad interfectionem transtulerit paruulorum, cum perspicue de decem tribubus scriptum sit, quarum princeps non fuit Ephrata, & nequaquam sit in tribu Ephraim, sed in tribu Iuda: ipsa est enim & Bethlehem δυωνυμῶς, vnde & nomina vtriusque concordant. Bethlehem vocatur domus panis: Ephrata καρποφορία, quam nos vbertatem possumus dicere. Quia igitur Rachel in Ephrata hoc est in Bethlehem condita est: sicut & scriptura sancta & titulus sepulchri eius hodieque testantur: flere dicitur pueros, qui iuxta se, & in suis regionibus interfecti sunt. Quidam Iudæorum hunc locum sic interpretantur, quod capta Hierusalem sub Vespasiano, per hanc viam Gazam, & Alexandriam infinita millia captiuorum Romam directa sint: alij vero, quod vltima captiuitate sub Hadriano quando & vrbs Hierusalem subuersa est, innumerabilis populus diuersæ ætatis*

Matthæus suis verbis sensum retulit.

Quomodo ad Christū pertineat Prophetia.

Iudæorum expositiones.

ætatis & vtriusque sexus, in mercato terebinthi venundatus sit. Et idcirco execrabile esse Iudæi mercatum celeberrimum visere. Dicant illi, quod volunt: nos recte testimonium sumpsisse dicemus Euangelistam Matthæum pro loco in quo Rachel condita est: vt vicinarum in circuitu villarum filios quasi suos fleuerit, &c.

§. 2. Quod Iudæos attinet, non erat operæ precium de Tito, vel etiam Adriano nouas fabulas effingere, sub Tito in Galilæa, & Ierosolymis, vbi gentis caput erat, præcipue clades sæuiit, multo minus ad Adrianum pertinet. Ephraim eo tempore non miserabiliter, vt eius toties mentio instituatur: De Iuda & Beniamin agebatur. Nam Ephraim iam adeo diu defierat esse populus, vt patriæ & linguæ oblitus fuerit. Alio igitur illa referenda sunt. Verum primo textum consideremus, in quo etsi alia verba videantur, nihil tamen est repugnans.

Frequens mentio est in hoc loco apud Isaiã & Ephraim.

In Rama רמה, noster vertit: *in excelso*, 70. ῥαμᾶ, vt constet esse locum aliquem in finibus Bethlehem, latinis Excelsum. Ploratus נהי *Nehi.* θρῆνος, noster vertit lamentationem. Vlulatus בכי bechi fletus, κλαυθμός.

Textus cõsentientes sunt.

Multus תמרורים coniungendum est cum בכי, & sensus est, Bechi Thamrurim, *fletus amaritudinum*, quod bene vertitur ὀδυρμὸς πολύς. Est perseuerans tristitia.

Denique in Hebræo additur, super filios suos, hoc modo, *Et noluit consolari super filios suos.* quod nec in noſtra versione est, nec in 70. nec Matthæus recensuit. Chaldæus tamen adiunxit. Ex hisce igitur perspicuum est, non esse aliquam sententiarum inter Ieremiam, & Matthæum differentiam: licet verba non studiose annumerata sint.

§. 3. Iudæi ista omnia de dolore Rachelis interpretantur, qua inducitur lamentari filios Beniamin in captiuitatem abductos, & gaudere de reditu. Huic interpretationi oppono, totum Ieremiæ contextum, qui de Christo, & eius regno propheratur, non de Beniamitis. Quod vt ostendam, legendus est ipse Propheta. *In illo tempore dicit Dominus: Ero Deus vniuersis cognationibus Israel, & ipsi erunt mihi in populum.* Et v. 6. *Quia erit tempus, in quo clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.* Hoc non est factum soluta captiuitate Babylonica; nam Samaritæ infesti semper hostes Iudæorum fuerunt. Itemque v. 8. 9. 10. Clarissime v. 22. *Fœmina circumdabit virum.* & 11. 31. *Ecce venient dies, & feriam domui Israel pactum nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum,* & v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum. Et non docebit vir vltra proximum suum.*

Totum caput 31. est de Christo, & regno eius.

Ad reditũ ex Babylonia non pertinent ista.

Hæc non sunt facta post captiuitatem.

Denique ait in fine capitis, ciuitatem *ædificandam, & non destruendam vsque in perpetuum.* Hæc nullo modo conueniunt, & Iudæis ex Babylonia reducibus, & sub Persarum, Græcorum, Romanorum imperio gementibus; nec de tali igitur dolore, vel consolatione agitur: Sed Christo, Apostolis, Samariæ recipienti verbum Dei. Aut ostendant hæc aliquando acta, Iudæos à Septentrione reductos. Perspicuum igitur est, non conuenire ista liberationi per Cyrum concessæ, vt Iudæi interpretantur; neque enim Tribus Ephraim redijt, & expertus est eo tempore, quod dicitur, v. 20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, miserans miserebor eius.* Multo minus conuenit Ierosolymorum illa exstructio, quæ omnino postea vastata, vt non manserit lapis super lapidem. Hanc ob causam Rabbinorum nonnulli de aliqua veteris Testamenti historia agi, si dignota, fingunt. Verum hic quoque sine ratione fumos vendunt. Quamuis enim aliqua calamitas euenire filiis Rachel potuerit, quam aboleuerit temporis vetustas, non tamen tam insignium promissionum effectus in obscuro esse potuerunt, vt cuicunq;

Iudæorum statui post captiuitatem ista repugnãt.

quamuis obiter legenti constare possit. Deinde si de tribuum reditu agitur, & captiuitate, cur potius Rachel luget, quam Lia? Sane Læ filii redierunt, hoc est filii Iudæ, Beniamitæ pauci fuerunt, cæteræ tribus in dispersione manserunt. Imo Bethlehem ad Iudam pertinet, sed Rachel lugere inducitur, quia ibi sepulta est. Quid porro ad solos Bethlehemitas, omnium communis felicitas, aut clades?

§. 4. Opponunt tamen versum 18. *Hæc dicit Dominus, quiescat vox tua, & oculus tuus à lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Et reuertentur de terra inimici. Et est spes nouissimis, ait Dominus, & reuertentur filij tui ad terminos suos.* Respondeo tamen hanc ipsam promissionem non esse completam, nisi per Christum cum ad Rachelem seu Ecclesiam veri Israelitæ ex omni orbe redierunt. Neq; enim simpliciter reditus, sed cum ea felicitate, & nouitate promittitur, quæ nec Cyro regnante, nec deinceps fuit, si temporalia spectemus. addo quod de reditu Ephraim statim adiungitur falsum esse. Nullus enim eius reditus fuit, nisi ad Christum conuersio, nec iam populus vllus supereſt Ephraimitarum, qui redire possit.

Ephraim iam in dies felicitate, & nouitate promittitur, quæ nec Cyro regnante, nec deinceps fuit, si temporalia spectemus. est.

VERSVS 19.

Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

QVÆSTIO I.

An Christus animam habuerit?

§. 1. APud S. Athanasium in colloquio orthodoxi, & Macedoniani hinc probatur, Christum verum hominem, veram animam habuisse. *Non est hic vnus error vester, inquit ille, qui eiusdem cum patre essentiæ filium esse dicitis, sed quod Dominum incarnatum animam quoque habuisse asseritis.* Et paulo post fatetur Macedonianus, suos Christum exanimem dicere. Cui respondet Orthodoxus. *Quomodo ergo Angelum audies Iosepho dicentem: assumpto puero eiusque matre, fuge in Aegyptum: quæsituros est enim Herodes animam pueri: & iterum: Surge & vna cum puero, eiusque matre proficiscere in Israeliticam terram; mortui sunt enim, qui animam pueri quærebant ad necem.* Sane diuinitatem ad necem quæsitam Angelus non dixisset, nec Iosephus credidisset, sed eam animam, qua constabat vita humana.

Macedoniani Christum exanimẽ dicebant.

VERSVS 23.

Quoniam Nazaræus vocabitur.

QVÆSTIO I.

Vnde, & à quo vocatus Nazaræus, vel Nazarenus?

§. 1. MAtthæus non vnum Prophetam nominat, sed *per Prophetas* esse dictũ affirmat: Chrysostomus, aliiq; eum sequi soliti, à Prophetis dictum volunt. quorum scripta non extarent. Caluinus ait, *eum nodum, quem soluere non potuit, abscidisse. Nihil coloris habere eam responsionem, omnes enim libros qui Matthæi tempore fuerunt, etiam nunc superesse.*

Ex Prophetis qui non exstat ex eis vel traditione, vel citatione in alios libros tant.

Quamuis autem Chrysostomi solutionem non sequerer, non tamen Caluini rationem probare possem: cum enim tot veterum libri interierint, vt ostendit in Prolegomenis P. Serarius, nihil mirum est, si multa translata, seruari potuerint. Iudas vers. 14. citat

Prophe-

Prophetiam Henoch, quem ait *prophetasse septimum ab Adam*, & verba allegat. Quod signum est, vel traditione, vel scripto vaticinium vetustissimũ esse seruatum, pari ergo modo cum tot Prophetæ fuerint in populo Dei, tã pauci scripserint Prophetias, quid enim Elias, aut Helisæus scripsit? Non absre Chrysostomus existimauit, quoniam in Scriptũ ânusquã totidem verbis id inuenitur, quod Matthæus per Prophetas dictũ esse testatur, id ab aliquo, vel aliquibus dictum esse, quorum scripta non supereſſent, aut nulla fuissent, sed memoriâ Ecclesiæ continerentur. Non dissimilis aliorum sententia, qui putant à Prophetarum interpretib. dictum Nazarenum. Verum id minus probandũ est. Si enim Prophetæ dixerunt, appellandum Nazarenũm, quid opus est ad interpretes cõfugere? Prophetas enim citat Matthæus, & in illis sat auctoritatis est. Si Prophetæ sic eum non appellarunt, parum opis est in commentariis interpretum, nisi & ipsi Prophetica auctoritate pollebant.

Vaticinia multa memoriâ hominum cõtinebantur.

§. 2. Qui certum scripturæ locum designant veteres, & recentiores, tripliciter differunt. Alii enim Nazarenum dictum volunt, quasi separatum, Domino consecratum. vt Gen. 49. 26. Et in vertice *Nazarai inter fratres suos.* & Iud. 13. 7. *vbi Samson dicitur Nazaraeus* futurus Domino. Alii ad Isaiam referunt 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse*, & flos de radice eius ascẽdet, vbi in Hebræo est Nezer; alii vtrumq; locum coniungũt.

§. 3. Duo sunt apud Hebræos verba, eiusdem prolationis, sed diuersæ significationis נצר Natzar, & נזר Natzar, siue scribere malis Nadsar, & Natsar, quæ nos pronunciatione vix distinguimus, Iudæi Sibilo aliquo expressêrunt, vt facile iudicatu esset, quam vocẽm proferrent. Natsar per צ est *custodire, formare, plantare*, נצר *planta tenera, germen, flos*, quod accurate custodiatur. Huiusmodi surculus est Christus Dominus, de radice Dauid, de quo Angelis mandatum est, vt in manibus portent eum, ne forte offendat ad lapidem pedem suum. Altera dictio est נזר per Zain, quæ est *separare, sanctificare*, vnde נזיר Nazir, & Chaldæis נזירא *Nezira, Nazaraeus*, quales illi quorum Nazaræatus in lege describitur, qualis etiam Ioseph ob sanctitatem, & ex lege dicta Samson. Hoc quoq; in Dominum nostrum conuenire dubium non est; fuit enim multis modis, segregatus à peccatoribus, sanctificatus, & Deo dedicatus.

Natsar & Nadar nobis indistincta.

Vulgatissimum Nazareni nomen.

§. 4. Christum Nazarenum vocatum constat ex Sacris Euãgeliis, hoc loco Græce dicitur, Ναζωραῖος, Marci 1. 24. Ναζαρηνός, Luc. 4. 34. eodem modo; atque eodem modo aliis in locis, adeoq; nomẽ hoc notum fuit, vt omnes vterentur. Matt. 26. 71. Marc. 1. 24. & 16. 6. & 18. 37. Act. 2. 22. & 3. 6. & 6. 14. Quin ipse se ita appellat, Act. 22. 8. *Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris.* & 26. 9 Quin etiam hoc nomen in titulo positũ fuit, Ioan. 19. 19. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hinc etiam continuo vocatos videmus Christianos Nazarenos; nam Act. 24. 2. Accusator Pauli vocat eum, *auctorem seditionis sectæ Nazarenorum.* Sic deinde per contẽptum Christum, & Christianos vocarunt Iulianus, Porphyrius, hodieq; Iudæi. Elias Iudæus testatur nos ab illis vocari נוצרים Notserim, seu Nazarim. Dubitari solet tamen an à נצר dicatur, an vero à נזר. Verum hoc licet certissime non constet, omnino tamen probabile est, à נצר Natsar dici, vt florentinus quasi, seu floridus appelletur. Non est hoc omnino certũ: quia Nazareth, non inuenitur in sacris Bibliis, nisi in nouo Syrorum Testamento: omnis ergo certitudo etymologiæ nititur Syriaca versione, vbi semper per צ scribitur. Quanquam illæ quoq; gentes duas literas cõfundunt, cum eisdem instrumentis oris efferantur; nam supra vbi Hebræus habet צעיר Chaldæus legit זעיר per Zain; nec mirum has literas inter se commutari,

Christianis dicti Nazareni.

צ & ז permutant.

cum in ת & ט frequentissime mutentur. Quia tamen semper ita scribunt, & ipse Elias נצרית vocari dicit à suis נצר *virgultum seu florem, & Christianos quasi virgulta super truncum sacrosancti corporis Christi Iesu insita & radicata.* in Syro titulo crucis vocatur נצרויא Natsraia, vel vt alii pronunciant, Notsraio. Conuenit hæc etymologia Christo non modo, quia virgultum, & flos, sed quia seruator. Ita Exod. 34. 7. נוצר custodiens. Hoc nomen cum multis scandalo esset, Bethlehemitam enim non Nazarenum Christum esse oportere sciebãt omnes, hinc Euangelista causam cur ita appellatus sit, indicat; non q; in Nazareth natus, sed educatus esset. Metus igitur Iosephi Iudæam fugientis, Prophetic veritati seruiuit: Nam & in Bethlehem nasci, & ab educatione Nazarenum vocari oportuit, vtrunq; Matthæus factum probauit, Natiuitas in Bethlehem ex cẽsu Cæsaris, & adoratione Magorum constabat; de nomine Nazareni ex vsu vulgi. Quod igitur per contumeliam nomen imponebant Domino, id Euangelista à Prophetis prædictum esse asserit, eoq; probat ipsum esse Christum, argumentum in aduersarios retorquẽs. De tam vulgato nomine, tamquam multarum disputationum causa, prædixisse certi aliquid Prophetas nõ est dubium. Nam quod ad loca citata attinet, erãt Ioseph, & Samson typi Domini, sed alio nomine dicti Nazaræi. Quod ad Isaiæ verba, dicitur illis Christus נצר quod ait Elias esse nomen Hebræum vrbis Nazareth, veruntamen non videtur hoc satis expresse dictum pro Nazareni nomine probando. Indicat hoc satis Tertullianus l. 4. adu Marcion. c. 8. *Nazaraus vocari habebat secundum Prophetiam Christus creatoris. Vnde & ipso nomine Iudæi Nazaraos appellant per eum.* Vera igitur & expressa fuit eo tempore nota Prophetia aliqua creatoris, de hoc nomine. Sed Tertullianum porro audiamus. *Nam & sumus de quibus scriptum est, Nazarei exalbati sunt super niuem. Qui scilicet retro luridati delinquentia maculis, & nigrati ignorantiæ tenebris. Christo autem appellatio Nazarei competitura erat ex infantiæ latebris, ad quas apud Nazareth descendit, vitando Archelaum filium Herodis. Hoc propterea non omisi, quia Christum Marcionis oportuerat omne commercium eiurasse, etiam locorum familiarium Christi creatoris, habentem tanta Iudææ oppida non ita Christo creatoris per Prophetas emancipata. Cæterum Prophetarum erit Christus vbicunq; secundum Prophetas inuenitur.*

Clare Prophetas prædixisse hoc nomẽ valde probabile est.

Hieronymus putat fixum de scripturis testimonium non proferri. Merito; nam quamuis etymologia conueniat, vel ex sanctitate Nazaræum, vel à surculo & flore; hoc tamen est gentile nomẽ, ab vrbe deductum, ideoque ex patria, non ex alia re dicti nominis appellationem sumptam esse cõstat. Quo circa Chrysostomi sententiam veram arbitrorium ob causas ante allatas, tum quod videamus Prophetas plurimos, vel non scripsisse, vel eorum fragmenta recitari, quod etiam in aliis auctoribus vsu venit: extant enim integri libri ex fragmentis veterum auctorum. Prophetas plurimos fuisse constat, quia iam tum erat Zacharias, Simeon, Anna, alii. Neque igitur hæc sententia noua est, neque à recentioribus reiecta. Cur enim negemus alios Prophetas de Christo prophetasse, quamuis non scripserint, aut scripta excidisse, plurima tamen, vel memoriæ, vel commentariorum thesauro ad Christi tempora peruenisse, quæ nunc interciderunt? *Fieri enim potest in libris amissis clarius hoc exstitisse testimonium*, ait Aretius Calujno suo considerator discipulus. Hoc adjungere libet: Nazaræos hæreticos, qui alio quoque nomine Symmachiani appellati sunt, huc non pertinere: De illis Epiphan. Augustinus. alii.

Nazaret Hebræis Nezer dicitur.

Prophetarum fragmenta, vt aliorum auctorum fuerunt.

De Scriptura, quæ extet testimonium non fertur.

CAPVT III.

Mat.1.a.4. Luc.3.a.3 Isai.40.a.3. Mar.1.a.3. Luc.3.a.4. IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ. 2. Et dicens; Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. 3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem; Vox clamantis in deserto; Parate viam Domini; rectas facite semitas eius. 4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre. 5. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. 6. & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. 7. Io.8.c.39. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis. Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9. Et ne velitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidi- Mar.1.a.8. Luc.3.d.16 bus istis suscitare filios Abrahæ. 10. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ Io.1.d.26. non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœniten- Act.1.b.5. Mar.1.b.9. tiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos Luc.3.c.21. baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 12. Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo. 14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modo. sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. 16. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. 17. Et ecce vox de cœlis, dicens: Luc.9.c.21 2.Per.2.d. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

De Christo testimonium dat, qui Christus putabatur.

ANNOS pueritiæ & adolescentiæ Christi Matthæus silentio transmisit; ab anno autem trigesimo narrationem orsus, testimonium Ioannis initio posuit. Quodapud Iudæos & cum viueret, & deinceps summæ semper auctoritatis fuit. Porro ipsum quoque Ioannem præcursorem ex Propheta ostendit; simul ex habitatione, victu, vestitu, zelo, fructu concionum, fidem illi astruit. Nec modo Ioannis testimonio Iesus dictus est esse Christus, sed etiam patris cœlestis vox est audita idem contestans: quæ credentium fidem augeret, infidelibus excusationem auferret. Hoc caput in Syriaca Ecclesia legitur ipso festo Epiphaniæ: Hoc est enim ריאתא דרנחא Deghida dedancha, a רנח Denach, quod est ab oriente venire, oriri. In quibusdam libris malæ scribitur Renach. ob similitudinem literarum Dolath, & Risch, tam in Syro quam Hebræo. Cur vero eo die ista legantur, ratio est, quod eo die Dominum baptizatum arbitrentur Syri & Latini quoque & Græci, de quo postea.

VERSVS I.

In diebus autem illis, venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ.

QVÆSTIO I.

An Ioannes fuerit in deserto?

Iudæi suæ salutis incurij.

§. 1. IN diebus illis, quibus Nazarethi priuatim Dominus delituit, Iudæis nec pastorum præconio, nec Magorum aduentu, nec Simeonis & Annæ Prophetiâ, nec denique Herodis sæuitia excitatis, cum defecisse Dauidicam stirpem, & à Iuda translatum sceptrum cernerent, vt de Messia cogitationem susciperent: alia ergo agentibus, & vitiis suis secure indormientibus, derepente superintonat Baptista, veniens è deserto.

Diebus illis pro temporibus.

Leue est, quod magnum tamen Bezæ & Piscatori videtur, nempe interpretem latinum oportuisse vertere, *Temporibus illis*. nec memoratu dignum iudicarem; quia ita loqui constanter Hebræi solent; quia tamen non modo nostrum interpretem, sed Spiritus sancti sermonem corrigũt, tacere non debeo. Si enim noster interpres, *dierum* nomen vsurpare non debuit, sed *temporum*, ergo nec Matthæum ipsum, quem illi Græce scripsisse arbitrantur, dicere oportuit, ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, *In diebus illis*, sed ἐν δὲ τοῖς χρόνοις vel καιροῖς ἐκείνοις, *Temporibus illis*. Nam non est Græcis vsitatior in hac phrasi ἡμέρα, quam nobis, *Dies*. Cum ergo Spiritus sanctus Græce loquens, Hebraismum retinuerit, vt est etiam in Syro, *In illis autem diebus ipsis*, optime etiam noster latine eundem ipsum expressit.

Si male interpres, ergo & auctor.

§. 2. In deserto, seu loco solitario Ioannes habitauit. Ita hoc loco testatur Matthæus. & Luc. 1. v. vlt. καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις ἕως ἡμέρας τῆς ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. Et erat in desertis, vsque ad diem ostensionis suæ ad Israelem. Hæretici nonnulli desertum olim interpretati sunt Montana Iudææ, domum suburbanam Zachariæ: Caluinus, Bullingerus, Beza, cæteri, cum singularem videant in Ioanne austeritatem vitæ exprimi, in eo sunt, vt desertum concedant quidem incoluisse, non tamen solitarium egisse. Bullingerum omnium loco audire lubet. [Locum vero „ in quo prædicauit designãs; prædicabat, inquit, in de- „ serto Iudææ. Vbi non imaginaberis Ioannem instar A- „ nachoretæ, ac eremitæ cuiusdam vitã egisse extra ho- „ minũ cõsortium in syluis; & inter feras. Tametsi enim „ rib. sub- deser- „ urbanũ.

Ioannes in deserto.

desertum in sacris fere vsurpetur pro loco inculto, syl-
" uis ac vepribus aspero, & feris magis, quam hominib.
" ad habitandum apto, sumitur tamen in præsenti pro
" illa parte Iudææ, quæ in montes & pascua excurrens
" erat, non tamen absq; vrbibus, vicis & sine ha-
" bitatoribus ferarum lustrum erat. Ad eundem enim
" modum dicitur & Diua Virgo abiisse in montana Iu-
" dææ, venisseq; in domum Zachariæ ad cognatã suam
" Elizabeth. Sed & Ioab dicitur mortuus & sepultus in
" deserto, in domo sua, 3. Reg. 2. Appellatur item Idu-
" mæa desertum 4. Reg. 3. quam tamen constat longe
" cultissimam fuisse. Ita Gentiles quoq; scriptores Hel-
" uetiam non incultam tum quoq; terram, dixêre Ere-
" mum Heluetiorum. Infirmissimis itaq; fulcris structu-
" ram suam de Eremitis, vitâ monasticâ, ac sylvicolis
" quibusdam fratribus imposuerunt, quicũnq; huic ex-
" emplo Ioannis innixi, iactarunt monasticam vitam à
" Ioannis exemplo fuisse profectam, vt iam non com-
" memorem, quod Ioannes prædicasse, non demur-
" muraſſe Psalmos, neq; otio inerti se saginasse legitur.]

Desertum Metaphorice.

Calumnus desertum metaphorice positum imaginatur pro ruina populi, qualis exilii tempore fuit, *ipsam Ierosolymam*, ait, *ob confusionem hoc tempore desertum fuisse*, non tamen visibilis deserti aspectum negat, sed illo indicatam spiritalem solitudinem.

Montana Iudææ non sunt desertum Iudææ.

Nos primo constituimus Montana Iudææ, & desertum Iudææ non esse eadem loca; verum omnino dissita. Montana enim Iudææ erãt, vbi Hebron, aliæq; vrbes nobiles conditæ; desertum vero Iudææ; quod hoc loco ponitur, prope Iordanẽ, atq; adeo Iericho erat, de quo Ier. 52. 8. *Et apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est iuxta Iericho.* Nec dubito idem esse desertum, de quo Matth. 4. 1. Deinde Marci. 1. 3. *Fuit Ioannes in deserto baptizans.* ad hoc desertũ *ibant vt viderent eum*; Matt. 11. 7. Erant & alia deserta circa Iordanem, Matth. 15. 33. Baptizauit autem in Ænon, & Salim, Ioan. 3. 23. Itaq; quæ ab Antonio Aranda in descriptione Iudææ adferuntur c. 34. suspectæ fidei sunt.

Quædam loca in deserto inculta erãt.

Deinde deserta illis, quæ multa in Iudæa recensentur, non erant omnino inhabitata, vt omnes consentiunt, sed tamen erant in illis petræ, arenæ, aliaque loca, quæ solis ibicibus peruia erant, quæq; coli non poterant. Sic Christus erat in deserto non cum hominibus, sed cum bestiis; etsi igitur totus desertus illius tractus, non erat inhabitabilis, sibi tamen Christus locum inhabitabilem delegit; in quo cibus haberi aliter non poterat, nisi lapides isti panes fierent. In deserti loco vbi Ioannes degebat, locustæ, & mel siluestre inueniebatur, quod in loco, vbi Christus tentabatur non erat, poterat enim in necessitate eo vesci.

Ioannes in vna Eremo fuit.

§. 3. His constitutis facile est probare Ioannem in vera horridaq; eremo, ab hominum consuetudine segregatum vixisse. Cum enim domus patris eius fuerit in Montanis plus itinere bidui ab eo deserto in quo habitauit, non fuit causa, cur parentes iustos, prophetas, senio graues desereret, si in aliorum consortio, & quidem deteriorum victurus discessit. Tali in deserto homines egisse, & in eorum ædibus Ioannem versatũ nemo dixerit, & cibus ipse, vestisque aliud loquitur. Deinde eadem deserti species est, apud Isaiam c. 40. cum ait; *vox clamantis in deserto*, at illud verum, inuium, nec habitatum desertum erat; igitur & illud, quod Ioannes in habitabat. Deniq; quemadmodum cibus & vestis austeritatem vitæ summam habebant, vt nec edere, nec bibere diceretur, ita quoq; habitatio par erat, vt in ædibus non versaretur. *Veredictum antiquitus, namque quæ nomen tuum nouerint, vultum nesciant. Nam Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis. Viuebat in eremo, oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignaba-*

Ioannes Anachoreta.

tur aspicere. Vestis aspera, Zona pellicea, cibus locustæ, & mel syluestre, omnia virtuti & continentiæ præparata.

Consentiunt veteres; Origenes hom. 11. in Lucam Epiph. hæres. 63. Euseb. l. 9. demonst. Euang. c. 5. Hier. aduers. Lucifer. & Ep. 4. ad Rustic. Chrysost. hom. 10. in Matth. cæteriq; omnes, qui Ioannem in Eremo habitasse, & Monachalis fundamenta vitæ posuisse tradunt. Vide Canisium de corrupt. V. Dei.

§. 4. Fallunt igitur apostatæ Monachorum, cum negant Ioannem Eremiticam egisse vitam. Quorsum enim attinebat, monere, in deserto eum egisse, non in oppidis habitauit? Deinde cœliben, pauperemq; vitam egit, nec ante diem ostensionis suæ quicquam publice in Ecclesia administrauit. Vestitu etiam singulari vsus est. Verum hac in re nemo nisi contentiosus litem suscitarit. Cibus indicat abdicasse hominum consortia.

Vnus Deus qui prædixit Ioannẽ fore præcursorem, & quem ille præcessit.

§. 5. Irenæus l. 3. c. 9. Ex hoc loco concludit, vnum & eundem esse Deum veteris & noui Testamenti. *Vnus igitur & idẽ Deus est, pater Domini nostri, qui & præcursorem per prophetas missurum se promisit: & salutare suum, id est verbum suum visibile effecit omni fieri carni, incarnatum & ipsum, vt in omnibus manifestus fieret Rex eorum.*

Eum & contra Arianos olim vsurparunt patres. Si enim Ioannes vox, & is qui sequitur præcursorẽ, verbum est; Si præparat viam ante faciem Dei, *ante faciem meam* inquit, Deus igitur est, cuius est præcursor Ioannes. Et propterea, (Epiphan. hæres. 69.) *Ego vox clamantis in deserto, Vox est præparatiua auditus hominum. Primum enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamãtes, è longinquo vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, aures q; præparauerint, tunc is qui sonantem vocem emisit, de cætero distinguit sermonem, quem dicere voluit. Sic etiam Ioannes vox fuit, aures hominum præparans. Non enim erat ipse Verbum, sed post ipsum venit verbum, propter quod præparatiua vox fuit, siue facta est. Et propterea dicit, Vox clamantis in deserto præparate vias Domini. Vox enim præparat, Dominus autem ingreditur vias præparatas. Et vox loquitur, vt præbeant audientiam. Vbi vero auditus otium egerit, tunc sermo in aurem suscipientium mittitur. Nusquam igitur reprehendet Arius & eius complices Dei veritatem, semper illuminantem corda fidelium, vt ne euertantur à salute in verbo filio Dei in veritate incarnato, & semper genito.*

Dei præcursor est Ioannes, Christus ergo Deus.

VERSVS 2.

Et dicens: Pœnitentiam agite, quoniam appropinquat regnum cœlorum.

QVÆSTIO II.

An iusserit pœnitentiam agere?

Diabolus pœnitẽtiæ inimicus: quia non inuenit locum eius.

§. 1. NOn est ad Deum reditus peccatori, nisi per viam pœnitentiæ. Qui enim nocuit, reconciliari non potest, nisi retractet, factum nolit, atque emendet. Magno conatu nominis vim, ac deinde rem ipsam ex animis hominũ amouere diabolus conatur. Omnes Caluniani sedulam illi operam præstant, & ne pœnitentiæ nomine offendantur, Resipiscentiam substituunt, minore vocabuli damno, si non sensu etiam nouatores essent. Beza breuiter omnia complecti conatus est. Vulgata: [Pœnitentiam agite. Erasmus
" quoq; eodem modo: Sed addidit, vitæ prioris, quam
" interpretatione multas ob causas repudio, sed ob eam
" potissimum, quod multi imperiti occasionem ex hoc
" dicendi genere arripuerint falsarum opinionum de
" satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia. Cæterũ
" μετανοεῖν, quum est verbum absolutum, proprie signi-
" ficat, post factum sapere, & de errore admisso ita dole-

μετανοεῖν, post factũ sapere.

„ re, vt corrigas: quod latinis proprie significat Resipiscere. Itaq; proprie nunquam ponitur, nisi in bono: vt (meo quidem iudicio) Ausonius in illo suo epigrammate omnibus noto μεταμέλειαν potius, quam μετάνοιαν dicturus fuerit, si versus pentametri ratio permisisset: semper enim cum μετανοίᾳ cohæret ὀσωφρονισμὸς; Sicut hæc duo recte coniunguntur à Plutarcho in Dialogo πότερον τῶν ζώων φρονιμώτερον; At vero μεταμέλεσθαι declarat post rem aliquam factam sollicitum esse, & anxium: pro quo Latini dicunt, pœnitere: atq; id etiam vsurpari potest in vitio. Neque enim proprie completitur vitæ & consilii mutationem in melius (vt quidam tradunt,) sed simpliciter solicitudinem quandam, καὶ δυσαρέστησιν (id est displicentiam) exprimit, quæ facit vt rem factam, seu bona, seu mala sit, infectam esse velimus, etiam quum non est nouo consilio locus relictus. Plutarchus de discer. adul. (vbi etiam abutitur nomine μετανοίας pro μεταμελείας) δηγμὸν, id est, morsum vocat. Græci Theologi κατάνυξιν, quod animum saucier. Latini recentiores contritionẽ vocant, quæ si fuerit λύπη κατὰ θεὸν, tum gignit μετάνοιαν, (vt declarat Apost. 2. Cor. 7. 10.) Sin minus; itur est ad maximum quodq; scelus, & tãdem ad desperationem. Ita Matthæus de Iuda traditore loquens, μεταμεληθεὶς, inquit, ἀπέστρεψε, non μετενόησε: tristitiam significat à qua est absorptus. Sic etiam apud Paulum, 2. Cor. 7. 8. μεταμέλεσθαι, declarat dolorem capere ex eo quod factum erat: & Rom. 11. 29. Dona Dei dicuntur ἀμεταμέλητα, id est, eiusmodi vt non possint ipsi displicere, quum semel placuerunt: quod Hebræis declarat vocabulum נחם Nacham, quum μετανοεῖν potius significetur verbo שוב vnde תשובה Theschuba, id est, conuersio.]

Ausonius reprehẽsus.

Plutarcho μελάνοια est morsus.

Ex pœnitẽtia tollunt contritionem.

Non dissimilia sunt, quæ alii adferunt. adeo vt tandem definierint, *Pœnitentiam non esse nisi nouæ vitæ amorem, non detestationem veteris.* Ita Luther. ad Vicarium ordinis sui anno 1518. Vide nostrum Bellar. l. 1. c. 7. de pœnitentia.

Linguas mutant, vt errores doceant.

§. 2. Mihi in primis deploratæ causæ indicium esse certissimum videtur, verba omnium veterum Patrum mutare, quasi vel verbis idoneis vti non potuerint, vel vim eorum non intellexerint. *Pœnitentiam* enim vocabant, non *resipiscentiam.* Primus inter Christianos de pœnitentia librum scripsit Tertull. Vbi initio Ethnicos reprehendit, quod pœnitentiam optimis operibus irrogent, contra pœnitentiam malorum leuius iubent. Eam dicit *verrentem, radentem, foras abijcientem. Pœnitentiam initote*, ait dicere Ioannem. Pœnitentiæ igitur vocabulum retinendum, quia semper in Ecclesia fuit. Deinde non modo cõuersionem ad bonum, sed mali etiam detestationem continet, *Pœniteat errorum*, inquit Tert. *reperta veritate, pœniteat amasse, quæ Deus non amat.* Et c. 4. *Qui per delictorum pœnitentiam instituerat domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet.* Et c. 6. *Peccator ante veniam deflere se debet.* Eandem c. 9. describit, *cibo, potu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare.* Scripsit ergo contra Montanum Tertullian. Cyprianus de lapsis contra Nouatianum, & ad Nouatianum. Pacianus duas Epistolas de pœnitentia. Item Ambros. l. 2. de pœnitẽtia. Fulgentius l. 2. de remiss. pecc. Chrysostomus alii q; frequentissimam mentionem pœnitentiæ faciunt. Ex Cypriano, Augustino, quid opus testimonia adducere? Omnes libri pleni sunt, non nisi raro resipiscentes, semper pœnitentes, & pœnitentiam appellant, & non modo emendatione, sed dolore quoq; præteritorum definiunt. Hinc Augustinus ait, *Pœnitentiam esse sibi ipsi iratum. Quem pœnitet, eum secum rixari. Quem pœnitet, eum punire seipsum. Pœnitentiam esse crucem fidelium. In pœnitentia adesse accusatricem cogitationem, reum conscientiam, carnificem timorem.*

Pœnitẽtia vox semper in Ecclesia.

Natura pœnitẽtiæ.

Pœnitẽtia vox vsitata Ecclesijs.

Pœnitentiam certam non facere nisi odium peccati, & amorem Dei. Cyprianus quot epistolis de pœnitentia agit? dolorem tamen, gemitus, & lacrymas requirit. Cum igitur à Christo nato, Ecclesia latina semper *pœnitentia* nomine vtatur, cum omnia Concilia, Patres illo verbo vtantur, cum nemo illos reprehenderit; cur post mille quingentos annos linguam maternam mutare cogunt Nouatores?

§. 3. Causas tamen Bezæ audiamus. μετανοεῖν, *est proprie resipiscere, & ita dolere vt corrigas. pœnitere etiam in malo esse potest.*

Bona rei pœnitẽdicamus, peccati nos pœnitet, non boni operis. Tot iam noui exigimus.

Respondeo, nullum quidem esse periculum, ne cum pœnitentiam exigimus, bonæ rei pœnitentiam mille a Episcoporum, doctorumq; concionantium, & scribentium, non timuerunt, ne peruersam de bonis pœnitentiam docerent: quia pœnitendi vocabulo vtebantur, non resipiscendi.

Deinde etiam moneo potius vtendum vocabulo pœnitendi, quam resipiscendi; quia illud non modo voluntatis commutationem, sed etiam detestationem odiumq; continet vitiorum. Quod vero ait Ausonium μετάνοιαν *quæ facti, non factique pœnas exigit*, dici, id feciisse metri causa ridiculum est, virum doctum, ne malum versum faceret, malum mendacium proferre voluisse. Poteratne dicere.

Ausonius defensus.

Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas
Nempe vt pœniteas. μεταμέλειαν volo?

pro his verbis: *Sic μετάνοιαν vocor?* Melius è tribus breuibus vnam syllabam produxisset, quam in re nota mentiretur. Cur hoc Ausonius? quia norat, quid Christianis esset μετάνοια. Nempe quæ exigeret facti & non facti pœnas. Sic Tertull. l. de pœnit. c. 2. *Non tacet Ioannes, Pœnitentiam initote dicens, iam enim Salus nationibus appropinquabit Dominus, scilicet afferens secundum Dei promissum. Cui præministrans pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam, vti quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abiciens mundam pectoris domum superueniente Spiritu sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat. Horum bonorum vnus est titulus, salus hominis, criminum priscinorum abolitione præmissa.*

Pœnitẽtia animã purgatrix.

Nobis pœnitentiam veram describit ingeniosus exul.

Pœnitet, ô si quid miserorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cumque sit exilium magis est, mihi culpa dolori,
Estq; patipœnam quam meruisse minus.

Denique Beza μετάνοιαν esse, quando cum dolore corrigitur, ait tratur. Eum & Piscator hoc loco, Tria ad μετάνοιαν requirit, *displicentiam vitæ anteactæ, & innatæ nobis corruptionis; desiderium gratiæ, propositum emendationis*; at hæc omnia nobis melius pœnitentiæ, quam resipiscentiæ nomen indicat. Ille Resipiscite interpretatur, *dolentes de peccatis admissis, confugite ad gratiam Dei*, &c.

μετανοεῖν de bono & malo accipitur.

§. 4. Etiam Græca dictio μετάνοια, non modo consilii & voluntatis mutationem; Sed etiam de præteritis dolorem continet. Deinde quod vnicum est Bezæ præsidium, id debile est. ait ille μεταμέλειαν etiam esse cum boni operis pœnitet: μετάνοιαν cum mali. At vero cum μετανοεῖν sit, *post intelligere*, mutare sententiam, fieri potest, vt errore bona damnet, mala probet. ita sane Synes. ἐὰν μετανόσω, ἐφ' οἷς εὐπετοποιήκειν τὸν ἀνδρα. Non me pœnitebat benefecisse viro, cum negat se de bono præstito μετανοεῖν pœnitere, ostendit potuisse se pœnitere. Vbi ii vertere tentes; non resipiscebam me bene fecisse, literarum columen à S. Hieronymo audies.

Satis

Sarit hæsimus in tricis grammaticis, & grãde ignorantiæ Bezanæ supercilium tulimus; item dec dat Chrysostomus, & doceat μετάνοιαν curam, sollicitudinem, anxietatẽ habere. Plures i. l. Homilias de pœnitentia ad populum habuit; eam semper μετάνοιαν voc t; Eam doloris animi, contritione, corporis afflictionibus, emendatione morum definit. Hom 9. Eam ait πενθεῖαι μόνον ἐπὶ τῇ ἁμαρτίᾳ. Imo in omnibus pene κόπον, κατάνυξιν, δάκρυα, dolorem, contritionem, lachrymas requirit. Flere iubet. ita Hom. 4. in 2. c. Ep. 2. ad Cor. ἵνα συντρίβωμεν τὸν ἀξίνην πλημμελῶς, *sed conteramus animum qui peccauimus.* Et eodem loco de Dauidis pœnitentia. ἔκλαυσεν καὶ ὁ δαυὶδ. ἴδωμεν οὖν καὶ ἡμεῖς πῶς μετενόησε. Τρεῖς ἡμέρας ἐκάθισεν ἐπὶ τέφρας, &c. τὴν δὲ ἁμαρτίαν ἐτέρως ἀπέσμηχε, διὰ τῆς ταπεινοφροσύνης, συντρίβη καρδίας, κατανύξει ψυχῆς, καὶ μηκέτι πολὺ αὐτοῖς πρόσεστιν. τῷ μνήμῃ ἀδιαλείπτως αὐτῆς. *Peccauit & Dauid, videamus igitur quomodo ipsum pœnituerit;* μετενόησε. *Tres dies sedit super cinere, &c. at peccatum aliter abstersit, humilitate, contritione cordis, compunctione animæ, non in eadem incidendo, semper peccati memoriam recolendo. Denique concludit: cor enim contritum & humiliatum habuit, quod maxime peccatum abstergit.* Καὶ ὃ τοῦτο ἐξομολόγησις, τοῦτο μετάνοια. *Hoc est confessio, hoc pœnitentia.* Videmus igitur μετάνοιαν Chrysostomo docente, tota Græcia consentiente, nõ nudam animi mutationem, sed contritionem insuper, doloremque significare; quemadmodum & latinum verbum pœnitentia. Quin & Lactant. lib. 6. cap. 24. Idem respiscentiæ tribuit.

נחם Nahamnale exponit Beza.

§. 4. Quod Beza idem ait Hebræum נחם, esse μεταμέλεσθαι, non μετανοεῖν, iterum nos fallit. Nam septuaginta crebra vertunt μετανοεῖν. 1. Reg. 15. 29. Ier. 4. 28. & 8. 6. & 18. 8. & 18. 10. & 31. 19. Amos. 7. 3. 6. Ion. 3. 10. Zach. 8 14. Mihi satis est, in his Bezam eiusque admiratores à propheta corripi, dum ait Ierem. 18. v. 10. μετανοήσω περὶ ἀγαθῶν. Vbi vtitur verbo de boni pœnitentia.

Conuersio dolorem continet.

Significat quidem תשובה conuersionem & pœnitentiam, quamuis D. Petrus Act. 3. 19. coniunxerit, sed tamen illa conuersio non est simplex mutatio; sed qualem Dominus præcepit. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* In Syro est תוּבוּ. *Conuertimini, redite.* Sic תּוּבְרְתָּא *Thubertha* Isaiæ 17. & 57. *pœnitentia.* atque hoc modo vsurpant Hebræi frequentissime verbum שוּב Schub, pro reditu ad dominũ, qui si pœnitẽdo.

§. 5. Non fauit nouitio erroti, quod Tertullianus l. 2. aduers. Marcionem c. 24. monet. *In Græco sono pœnitentia nomen ex animi demutatione compositum est.*

Non obstat hoc illi quod nos diximus, nec Bezam adiuuat. Marcion cum legerit in scripturis Deum pœnitere; etiam delicti eum accusabat. *Sic & pœnitentiam apud illam praue interpretaris, quasi proinde mobilitate, vel improuidentiâ, imo iam ex delicti recordatione pœniteat. quoniam quidem dixerit; pœnituit, quod regem fecerim Saul præscribens scil. pœnitentiam confessionem sapere mali operis alicuius, vel erroris. Porro non semper. Euenit enim in bonis factis pœnitentia confessio ad inuidiã & exprobrationem eius qui beneficij ingratus extiterit.* Cui respõdet Tertullianus apud Deũ nec boni, nec mali esse pœnitentiã. *Nã & hoc tibi,* inquit, *eadem scriptura determinat, dicẽte Samuele Sauli. Et non conuertetur, neque pœnitentiam aget; quia non sicut homo est ad pœnitendum. Hæc igitur definitio in omnibus aliam formã diuinæ pœnitentiæ statuit. quæ neq; ex improuidentia, neq; ex leuitate, neque ex vlla boni, aut mali operis damnatione repetetur, sicut humana.* Deinde quærit: *Quis ergo erit mos pœnitentiæ diuinæ?* Respondet: *Iam reluctet; si non ad humanas conditiones eam referas. Nihil n. aliud intelligetur, quam simplex conuersio sententiæ prioris, quæ etiam sine eius reprehensione potuit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa.* Deinde hoc tẽde dici ostendit ex derivatione Græci nominis. *Nam & in Græco sono pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est, quam apud Deum pro rerum variantium sese occursura ostendimus.* Tertullianus igitur aliud non ostendit, quam μεταμέλειαν, vel μετάνοιαν esse ex vi nominis secundam curam, aut cogitationẽ, qua prior mutetur. & non opus vt damnationẽ prioris sententiæ contineat. Hoc nos quoque dicimus; nam generatim illa ita significant; quocirca & Deo tribuuntur; non tamen hoc voluit; hominum pœnitentiam talem esse, sed plane, vt supra ostendi, contrariũ. Si enim id o hominum pœnitentia solam conuersionem sine dolore, & detestatione peccati continet, quia Dei pœnitentia talis est: consequetur pari modo ratiocinationis. Hominem respicientem, ne mutare quidem sententiam, cum ad Deum conuertitur; quia Deus quamuis omnia mutet, facit tamen id decreto, sententiaque prorsus immutabili; rem non mentem mutat.

Dei pœnitentia est operis mutatio.

Hominum pœnitentia dissimilis.

§. 5. Porro quid significarit illud; μετανοεῖτε, nos Ioannes & praxis ipsa docet. Hoc enim fieri voluit, quod pœnitentes fecerunt; non solam autem conuersionem, sed etiam dolorem præteritæ culpæ ostenderunt. Primo enim *venerunt, vt baptizarentur*, atque ita à peccatis absoluerentur. Deinde *confitebantur peccata*, quæ confessio non erat historica narratio, sed cum animi contritione, ac dolore. Nullam enim piorum aliam confessionem scriptura agnoscit. Hi igitur verbo תּוּבוּ vel μετανοεῖτε, hæc omnia intelligebant. aquam ingrediebantur, & hybernis quidem solibus, peccata sua confitebantur, atque hæc ipsa Dei iussu Ioannes præstabat. Quid igitur alia nunc opus interpretatione, cum illa Ioannis Ecclesiola rectissime sententiam sui doctoris intellexerit?

Exemplo docent discipuli Ioannis, quid sit pœnitere.

QVÆSTIO II.

An pœnitentia sit prior, an posterior remissione peccatorum?

Pœnitẽtiæ vis tollitur, vt regnet sola fiducia.

§. 1. CVr adeo laborent, vt ne pœnitentia vertatur circa præterita delicta, ratio priscis hæreticis fuit, ne pœnitentiâ videretur peccata delere. Ideo sola fides laberetur è manibus. Hinc illa Rigidiorum Caluinianorum axiomata. *Homo non agit pœnitentiam, antequam iustificatus sit, adeoque ne potest quidẽ.* Sibrand. contra Vorst. pag. 99. Vorst. in eius errore 89. & errore 92. *Certissima regula est: bona opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum. Itaq; impossibile est, impium per pœnitentiam iustificari.* Caluinus hoc loco contendit. & l. 3. inst. c. 3. §. 2. Pœnitentiam præcipi, non vt ea ducamur ad regnum cœlorum, sed quia adsit regnum cœlorum, gratia, & salus; ideo ad pœnitentiam vocari. At sane finem proponit, & medium, finis est regnum cœlorum, iam iam patefaciendum; iter est pœnitentia.

Pœnitentia Dei donum est prius remissione peccatorũ.

Verum orthodoxa sententia est, veram pœnitentiam à Deo gratuito donari peccatoribus, eam autem operari remissionem peccatorum.

Remissio peccatorũ pœnitentiæ præmium.

Vere sime Chrysostomus hom. 5. de pœnitentia. ἀφέσεις τῶν ἁμαρτιῶν, τὴν σωτηρίας, καὶ ἔπαθλον μετανοίας: *Remissio peccatorum sons est salutis, & præmium pœnitentiæ.* Hinc vocat pœnitentiam φάρμακον εἰς σωτηρίαν, φάρμακον ἐξαλείφον, τὰ ἡμῶν πλημμελῆ. Medicinam in salutem, medicinam abstergentem nostra peccata. Opposuerunt se illis periculosis erroribus sectio Arminiani, alique prudentiores Caluiniani. Vorstius loco citato. [Et præterea omnibus in scripturæ locis refelli tur, vbi pœnitentia requiritur à iustificandis, tanquã conditio præuia, seu tanq medium assequẽdi remissio- "

„ nem peccatorum. Vide Esa. 1. Ezech. 18. &c. Act. 2. &
„ 3. &c. 1. Ioan. 1. &c. 2. Adde, quod præcipui Doctores
„ Eccl. siæ idem sentiunt, non veteres tantum, sed &
„ plerique neoterici: quorum aliquos supra citaui, i-
„ mo quorum aliqui non modo per pœnitentiam nos
„ iustificari docent; sed & illam remissionis peccatorũ
„ causam appellant. Vide in primis Bezam, Rollocum,
„ & Piscatorem, locis supra citatis. Et errore 92. Non
„ modo non possibile, sed necessarium esse, vt impius
„ iustificetur per pœnitentiam, non vt per meritum, sed
„ viam & conditionem.]

Quàm verò improbe venenum instillet, veris, aut verisimilibus mystum Caluinus, verba eius demon-
„ strant. l. 3. c. 3. §. 2. Christus, inquit, & Ioannes in suis
„ concionibus populum ad resipiscentiã primum hor-
„ tantur, deinde regnum cœlorũ appropinquasse sub-
„ iiciunt. Tale prædicandi mandatum accipiunt Apo-
„ stoli, talem ordinem secutus est Paulus, quemadmo-
„ dum Lucas refert. Atqui dum in syllabarum conte-
„ xtu superstitiosè hærent, non animaduertũt quo sen-
„ su inter se verba illa cohæreant. Nam dum in hunc
„ modum cõcionantur Christus Dominus & Ioannes,
„ Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum
„ cœlorum: an non resipiscendi causam ab ipsa gratia
„ & salutis promissione ducunt? Perinde ergo valent
„ eorum verba ac si dicerent, quoniam appropinqua-
„ uit regnum cœlorum, ideo resipiscite. Nã Matthæus,
„ vbi supra prædicasse Ioannem narrauit, impletum in
„ ipso fuisse Isaiæ vaticinium docet, de voce in deser-
„ to clamante; Parate viam Domini, rectas facite semi-
„ tas Dei nostri; verum apud Prophetam illa vox iube-
„ tur à consolatione & læto nuntio inchoare. Neque ta-
„ men cùm resipiscentiæ originem ad fidem referimus,
„ spatium aliquod temporis somniamus quo ipsam par-
„ turiat: sed ostendere volumus non posse hominem
„ pœnitentiæ serio studere, nisi se Dei esse nouerit. Dei
„ autẽ se esse nemo vere persuasus est, nisi qui eius gra-
„ tiam prius apprehenderit. Sed hæc dilucidius in ipsõ
„ progressu differentur.]

Caluini pœnitens se iustum esse nouit.

„ Hic, vt alia omittam, quàm contra scripturam pa-
tresque omnes, & rationem ipsam ratiocinatur? Ait pœnitentiæ originem ad fidem referri, non illam Catholicam, sed præsumptionem illorum specialẽ. Qua quis certo se credat esse Dei, esse iustum, cùm scriptura dolere, rogare, expectare iubeat. Deinde non esse spacium temporis quo fides pœnitentiam parturiat, sed non posse hominem serio pœnitentiæ studere nisi se Dei esse nouerit. Repugnat ista pœnitentiæ: vera fides, & spes fundamenta sunt pœnitentiæ, vana fiduciatio longissimè à pœnitentia recedit. Si enim illi qui baptizantur à Ioanne, confitentes peccata sua, iam ante sciebant ea remissa, seque iustos, quid opus erat pœnitẽtibus: quorsum medicina quærebatur sanis? quid opus naufragij tabulis, cum iam in portu consistant? Qui pœnitet veniam petit, nondum accepisse se nouit, timet, lacrymatur.

VERSVS 3.

Hic est enim qui dictus est per Prophetam Isaiam dicentem, vox clamãtis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

QVÆSTIO I.

Quis Ioannes?

Ioannes gratia an-

§. 1. ORigenes l. 5. in Ioan. c. 7. Angelum fuisse suspicatur, verum Angelus officio, sanctitate, non natura vocatur. Munus ipse suum describit, *esse se vocem clamantis in deserto*, præconem & præcursorem Eius aduentum Isaias c. 40. prædixit. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Hebraice מַסְלָה planate, dirigite, quod est γρέφετε, βλέπετε, ἑτοιμάζοιτε, ὁδοποιεῖτε, *vertite, videte, præparate, rectas facite*, ישרו *rectificate dirigite*, Semita מסלה dicitur, quasi via exaggerata strataque, principibus enim viæ æquabantur, sternebantur. *gelus non natura.*

§. 2. Iudæi ista falso de Cyri præconibus libertatem prædicantibus intellexerunt. Nam primo præcones regij non in deserto, sed in vrbibus frequentissimis clamabant, & locis nobilissimis edicta suspendebant. Deinde non redierunt illi in patriam, nisi durissima lege sub Persarum, Macedonumque imperijs, denique Romana Monarchia oppressi: non his itaq; conuenit tanta lætitia, & promissio, quanta est illa apud Isaiam, *Consolamini, consolamini.* Multo minus quod v. 9. & 10. dicitur, Super montem excelsum ascende, &c. Ecce Deus vester. Nam si reuera omnia spectemus, fere melior fuit eorum conditio qui Babylone remanserunt. *A Cyro non est data licitas, quã Isaias prædixit.*

VERSVS 4.

Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.

QVÆSTIO I.

Quis Ioannis vestitus?

§. 1. VEstem asperam fuisse veteres omnes fatentur, eorum sententias omitto recensere, tum quia passim obuiæ sunt, & ab interpretibus citantur. Causa cur adeo seuerè viuere præcursorem Deus voluerit, vt ostenderet felicitatem eorum, qui Deum religiosè colunt, non in delicijs, & corporum emolumentis consistere. Deinde voluit Deus ad Ioannem maximos concursus fieri, eum audiri, fidem concionanti haberi. Miraculum nullum fecit, quo auctoritatem dictis conciliaret, noua igitur, & inaudita seueritate viuendi tantam opinionem perstruxit, vt Christus putaretur. Mira enim est in exemplis ad virtutem potentia. Dei enim decretum fuit rara & miraculosa eum abstinentia celebrem facere, & dignum ostendere cui populus suus obediret. Interim fama Ioannis testimonio Christi seruiuit. *Seueritas Ioannis ostendit felicitatem non esse in terra.* *Seueritas famam Ioannis conciliauit.*

§. 2. De veste vero Baptistæ triplex est opinio. Nouatorum nonnulli vestem fuisse volunt communem, *vestem* Bullingerus *vestem quoque* ait *fuisse minime sumptuosam, nec tamen sordidam, sed parabilem.* Chyt eus plus illi indulget, *similem* ait *fuisse illi, quam hodie cameloten, sed vndulatam vocamus*, Kamelot, vel Schamlodt. *Non fuit inquit sordida vestis, neque etiam valde preciosa, sed mediocris,* & κόσμιος (*ornata,*) & *in illis locis* ἐντόπιος: Zonam pelliceam ait, *non rigentem auro, argento & gemmis, quales sunt Zonæ mulierc ularum in hac ora Balthica.* Quibus ex verbis constat, negare eum sumptum in vestem impẽsum, negare sordidam fuisse, aut valde preciosam, κόσμιον tamen, quæ ornaret, Zonæ luxum abfuisse: vno verbo, qualis moderatiorem ministrum verbi in nuptijs non dedeceret. Hos refutat ipsa scriptura, quæ tradit esse ex pilis camelorum, dura igitur & cilicina, non qualis è lana serico que, aut etiam lino conficitur. Quocirca cilicium plerique appellant. Deinde Chri- *Nouatorũ communis.*

stus

stus opponit mollibus vestibus, quales sunt etiam illæ, quæ sumptuosæ, & valde pretiosæ non sunt.

Denique veritate coacti Caluinus, Daniel Tossanus, alijque fratrum suorum mollitiem oppugnant. Caluinus enim *rusticano victu & vestitu contentum fuisse* ait. Tossanus ait fuisse *similem vestibus prophetarum*, 2. Reg.1. *vestitum* ait *eius fuisse minimè mollem, sed abiectum, vilem, austerum.* Imo monuit Cilicium fuisse. *Et cilicium habitum fuisse pœnitentium, ad testandum vel luctum, vel contritionem:* Vide Gen.37. Ier.4. asper ergo vestitus erat, non mollis, non mediocris, sed durus, abiectus.

Caluinus dutam vitam fuisse concedit.

Tertia opinio est; non è pilis cameli contextum; sed è pelle fuisse. Caluinus peritissimum eam sententiam Monachis tribuit. *Tandem*, inquit, *accessit nimia crassa insitia, quod ex pilis fecerunt integram pellem.* Non fecerũt illi pellẽ, sed vestem è pilis, hoc est villosa pelle nonnulli fuisse arbitrati sunt. Beza sanè non veritus est Caluini, quem tamen doctissimum interpretem vocare solet, censuram; ille enim ex pelle vestem fuisse existimat. *Ex pilis camelorum*, inquit, *villosum videlicet: cuiusmodi fuit prophetarum amictus, vt 2. Reg.1.8. & Zachar. 13.4. Auctor Epistolæ ad Hebræos vocat μηλωτὰς, & αἰγεια δέρματα, ex villis videlicet, & caprinis pellibus villosis confectam.* Heb.11.37. quo loco idem Beza, ait *Ioannem pro veste exuuias cameli gestasse. vocatq; viles & asperos amictus.* Porro mihi videtur probabilius, non è pelle, sed pilis vestem fuisse. Cum, quia pilorum non pellis mentio fit, cum tamen Zonam pelliceam fuisse memorat, de tota veste id non taciturus, si ex pelle confecta fuisset: Tum vero quia pellem camelinam rudem præsertim, & setis hispidam, portatu nimis grauem, & ob duritiem etiam ad gressum, motumq; incommodam existimo, vinciret enim & includeret membra, non modo tegeret.

an ex pelle, an pilis cameli?

Non fuit veste è pelle.

QVÆSTIO II.

Quis Ioannis victus?

Mellis in Palæstina copia.

§. 1. LOcustæ, & mel siluestre. De melle siluestri non est magna inter auctores controuersia: constat enim ex descriptoribus terræ sanctæ, adeoque ipsis sacris literis summam mellis copiam in Palæstina fuisse. 1. Reg. 14. 25. in arborum cauitatibus, petrarum scissuris, atque adeo in ipsa terra mellificabantur apes, præstabat id dierum serenitas, florum copia, fontium & quotidiani roris opportunitas. Nec mali saporis mel illud fuisse credidero, sed quia ex herbarum odore, & sapore nobilitatem habet, in eremo vero nõ erant illæ florum deliciæ, quæ locis cultis; ideo deterius domestico fuisse in confesso est.

§. 2. De locustis permagna est disputatio. Beza ita exponit: [Locustæ, ἀκρίδες. Laborant plurimi in huius nominis explicatione. Nonnulli enim existimarunt ita vocari summas olerum partes. Alii cancros interpretantur, quos ad Iordanis ripam, tanquam in Lege prohibitos, abiecerint piscatores. Sed hæc explicatio prorsus absurda est. Neque enim vllos cancros Græci vocant ἀκρίδας, sed squillas καρίδας dicunt. Vnde vero squillæ in Iordane, cum præsertim in mare non influat, sed arenis absorbeatur? Deinde nõ dubium est, quin Ioannes cibis in Lege prohibitis vesci nec debuerit, nec voluerit. Denique sunt, qui ex ἀκρίδας fecerint ἀγκρίδας, quo nomine Græci pira syluestria vocant: sed repugnat omnium Codicum consensus. Nos veterem interpretem sequi non dubitauimus. nam solitos fuisse in Oriente & apud Æthiopas quoque nonnullos populos fumo & sale duratis locustis vesci, ex Plinio, Strabone, & aliis liquet: & à Mose numerantur locustæ, vbi ciborum discrimen explicat, vt quidem omnes hebræum vocabulum אַרְבֶּה interpretantur. Vox autem Syriaca קַבְּצָא qua vtitur Syrus interpres, à verbo Hebræo deducitur quod colligere significat, sicut אַרְבֶּה à multitudine, & quod agminatim volitent, dicuntur eiusmodi bestiolæ: & reperitur ea significatione vocabulũ istud Syriacum Esa 40.22. & Nahum. 3. 15. & 17. Sed & in Græcia ἀκρίδας (quæcunque sit tandem huius nominis significatio) fuisse inter viliores cibos numeratas constat ex Aristophane in Acharnens: Et apud Plut. in Symposio Thales ita loquitur, γεωργὸς ὢν ἀκρίδας καὶ ὄρνιθας ἀντὶ πυρῶν καὶ κριθῶν συγκομίζειν ἐθέλοντες, ὃ δὲν Δαφέρει τύφλωνν, ἀνδρεποδῶν μᾶλλον ἄρχειν ἢ ἀνδρῶν βκλόμενον. Certum est autem significari hoc nomine tenuissimum victum & maximè parabilem. Annotat etiam Epiphanius κατ' Εβιωναίων, nonnullos Iudæos deprauatè pro ἀκρίδες legisse ἐγκρίδες, quod nomen declarat bellaria ex melle.]

Locustæ, seu ἀκρίδες. Herbarũ ἄκρα. Cancri. Squillæ. Pyra.

Orientales locustis vescebantur. Plin. l. 11. 29. Viles cibos fuisse constat, at nõ insalubres. Leuit. 11. 22. conceditur in cibum locusta. אַרְבֶּה לְמִינֵהוּ *locustam comedetis in specie sua*, hoc est, omnis illa species permissa est. Ἀκρὶς dicitur, ὅτι ἄλλεται βοτάνων ἐπ' ἄκρων, quod *super herbarum cacumina gradiatur.* Qui cancros finxerunt, sunt centuriatores l. 1. cent. 1. cap. 6. Verum nusquam ἀκρίδες vocantur cancri, nec sanè, quod illi voluerunt ita lautiorem facerent Ioannis victum. Cancri enim ne nunc quidem nisi bene pastis proponuntur, inutili mora esurientem detinerent. Quin cancrorum sine conditura insipida caro est; Ioannem autem eas delicias quæsisse, nequaquam dicendum est.

Locustæ cibus orientalium.

Locustæ nõ sunt cancri.

Cancri saturorum cibus est.

§. 3. Errant, qui Ioanni tenuem quidem, & frugalem, sed tamen communem victum attribuunt. Nam quamuis in Æthiopia locustis vescantur, vt ait Plin. l. 6. dicatque l. 11. c. 29. *eas apud Parthos in deliciis fuisse.* idemque testetur Hieronym. l. 2. ad Iouinianum: non tamen nisi pauperiores ita victitabant, & quod ad rem præsentem facit, aliis illi quoq; cibis vtebantur. Nunc cancri, fungi, limaces, alia in delicijs sunt; at sanè si cui illa sola darentur, misere se victitare non falso existimaret. Bullingerus ita diætam Ioannis describit. [Porro victus siue cibus Ioannis erat parabilis, & qualem ea loca suppeditabant. Nihil ille curabat peregrina vina & lautitias aliunde importatas, locustis & melle syluestri victitabat, hoc est, temperantissimè. Nam per speciem genus intellexit. Hoc ipsum significans etiam Christus apud Matthæum, Venit, inquit, Ioannes nec edens, nec bibens, id est, temperantissimè & sobrijssimè viuens.]

Sola locusta nõ sunt deliciæ.

Tandem concludit: non esse multis disputandum de locustis, & melle siluestri, *cum ista nominans tenuem intellexerit victum.* Mihi Bullingerus haud multum ab insania abfuisse videtur. Scriptura ait. Esca eius erant locustæ, & mel siluestre. *Hoc est*, inquit, *cibus erat parabilis, qualem illa loca suppeditabant.* At loca illa, vt supra ex Bullingero audiuimus, cum desertum Ioannis describeret, multas delicias suppeditabant: Plures quam vix vlla Germaniæ pars. Itaque per locustas & mel intelligit, non speciem huius escæ, sed genus, omnia nascentia è terra; deinde vitulos, aues, aliaque, quibus temperantissime vtebatur. Quid enim negat illi, cuius in laude ponit, vina peregrina, & lautitias aliunde importatas non curasse? an obsecro vinorum vsp iam, aut lautitiarum maior copia, quam in Palæstina, in Iudæa, *qua ligabat ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam? Lauabat in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum?* Non igitur illa laudantur in Ioanne, quæ sunt boni & frugalis patrisfamilias, dapibus inemptis vti; sed magna in victu asperitas significatur, non sola sobrietas. Quod quidem hoc ex loco clarissimè probatur; Nam ea seueritas in præcursore erat, vt Christus dicat, *Venit Ioannes* (Matth. 11. 16.) *neq;*

Bullingerus lautum Ioannem facit.

mandu-

manducans, neque bibens, & dicunt Dæmonium habet. Hoc est, non vtitur vsitato alijs cibo, solo melle & locustis, quæ licet cibi sint humani; non tamen ista sola vllus vnquam vsurpat. Si speciem pro genere posuit, quomodo improbi calumniabantur; Ioannem ope dæmonis, non autem humanis viribus posse tantam inopiam tolerare. Deinde elidit illam expositionem comparatio quam adducit Saluator, cum sibi illum confert. *Venit filius hominis manducans & bibens:* Temperatissimè, & sobrissime Christus vixit; nunquam ne latum vnguem quidem, vel lautitia ciborum, vel auiditate, vel copia vllam in partem à perfectissima temperantiæ norma recessit. Temperantia & sobrietate Ioannem superauit, Ioannes cum appetentia ciborum, alijsque vitiorum fomitibus, & affectibus depugnauit, in Christo omnia perfectissima fuere. Si Ioannis Ieiunium in parabili victu constitit, si in eo, laudatur quod vina peregrina & importatas lautitias non sequeretur, vt illis temperantissime vteretur, quæ domi nascebantur, ideoque dicitur, neque manducans, neque bibens. An ergo filius hominis manducans & bibens ideo dicitur, qui vina peregrina & lautitias importatas quærebat, nec illis temperatissime vtebatur? Absit ista de Ioanne, vel Christo sentire. Ioannes magno, imo miraculoso exemplo pœnitentiæ præiuit, Christus communi more victitauit, tantam Ioannis parsimoniam approbauit Christus, Dominum alio modo viuentem Ioannes odorauit.

Ioannes communi cibo non vsus est.

Ioannis temperantia non in solis fugiendis delicijs fuit

Qvæstio III.

An Ioannes ista austeritate peccarit, & an fuerit hæreticus?

§. 1. HOrrorem mouet illa quæstio; quomodo enim ille Angelus Dei, Propheta altissimi, alter Elias, quo nemo maior inter natos hominum fuit, tam grauiter præsente Domino deliquit? Hoc tamen nuper inter Iubilorum insanias defendere ausus est Wolffgangus Frantzius Academiæ Wittenbergensis professor, qui vt thesaurum Ecclesiæ tolleret, Baptistam graui censura incessit.

„ Ita thesi 191. insanit. [Porro opera supererogationis augere cupit Ioannis Baptistæ, 1. asperrima vita, „ de qua inter alia dicitur nos in scripturis ostendere nõ „ posse, vbi Deus istam asperitatem imperauerit. 2. ex „ eiusdem resipiscentia & vitæ nouitate, qua ipse, qui „ nunquam à Deo alienus fuit, nunquam indigu„ erit.

„ 192. Quod attinet ad historiam de asperitate vitæ „ Ioannis Baptistæ, ibi non est quæstio de facto, hoc enim concedimus, quia à sacris literis commemoratur, „ sed de iure, vtrum recte talem asperitatem æmulatus „ fuerit Ioannes.

Franzius accusat, defensore Christo.

„ 193. Non recte fecisse Ioannem, inde patet. 1. quia „ lex Mosis Ceremonialis tum nondum erat abrogata. „ Et lex illa plures admittebat cibos, quam quos solos „ Ioannes comedebat. Vnde Christus discipulos ad Iu„ dæos emittens dicit eis; Luc. 10. 7. Quicquid vobis „ apponitur, edite, nimirum non prohibitum lege Mo„ sis. 2. Quia illam rigiditatem Essæam & Pharisæam „ pariter Christus ipse carpit Matth. 9. 16. 17. Marc. 2. „ 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. 39. Vbi doctrinam Phari„ saicam, & Ioannis quoque de nimijs ieiunijs vocat „ vestimentum vetus vtres veteres. Legatur præ reliquis in hanc sententiam ista rectissime explicans Ia„ cobus Faber Stapulensis in commentarijs initiatorijs „ super 4. Euangelia.

194. Et istam prauam consuetudinem contrariam legi Dei, & à Christo tum improbatam, contraxerat Ioannes Baptista inter Essæos, siquidem tales fuisse mores Essæorum ex historicis liquet, nimirum gaudebant esse remoti à frequẽtia, secessuum & solitudinis cultores, habere victum herbarum, & fructus arborum, fugere cibos animales, sicut antea fecerunt Pythagorici.

Præcursor lege viuit, quæ fit Deilegi contraria.

Audiuimus tenebrionem contra Ioannem, qui erat teste Domino, lucerna lucens, & ardens, disputantem. Rationes eius perpendamus.

§. 2. Historiam igitur veram esse concedit, & suis collegis contradicit, qui austeritatem Ioannis suis moribus emollire sunt conati. Ille tamen istis nequior est; nam illi commodè, vrbane κοσμίως vestitum, & victitasse tradunt; hic vero flagitiose austeritatem esse sectatum asserit, & hæreseos accusat.

Franzius austeritatem Ioanni concedit.

Quid igitur peccauit? Non recte fecisse probat; *quia lex Mosis plures cibos admittebat, quam quos solos Ioannes comedebat.* Linguam ille non mentem habet, qui sic ratiocinatur. Lex plures cibos permittebat, peccauit igitur, qui plures non comedit. Nullumne inter imperium legis, & permissionem est discrimen? An lex Christiana, quæ permittit omnia, quæ in macello veneunt, & alia quorum precia maiora sunt, turdos, coturnices, perdices, ficedulas, attagenas, phasianos, etiam hisce vesci imperat? At sane hæc nominandi, quam edundi plerisque maior est copia. Nulla ne virtus est placitis abstinuisse bonis? nonne in regio mensarum apparatu rectius faciunt, qui vno alteroue ferculo famem pellunt? An Franzius locustas edere iubetur, quia non prohibetur?

Lex non cogit nos vesci cibis, quos permittit.

Bullingerus, vinis peregrinis & importatis lautitijs abstinuisse affirmat. At peregrina vina, & importatas lautitias, si cum sobrietate & gratiarum actione vtaris, non vetat lex Mosis: an ergo peccauit istis non vtendo?

At Christus discipulis suis plura permittit Luc. 1. 10. *Quidquid vobis apponitur, edite.* Esto sanè, illi hac potestate vsi sunt, Ioannes arctorem sibi abstinentiæ legem indixit, non ideo peccauit Ioannes iuri suo renunciando, quia discipuli bene fecerunt vtendo: Licuit Apostolo Paulo de Euangelio viuere, quemadmodum & cæteris Apostolis, sed maluit sine sumptu ponere Euangelium. De altari viuere poterat, nec illi trituranti os obturandum erat magis, quam fratribus Domini, & Cephæ, mori tamen mauult, quam eum cuari gloriam suam. Quod vero ait, Ioannis ieiunium à Christo reprehensum, calumnia est. Matth. 9. 16. & 17. Marc. 2. 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. non carpit id Christus. Non enim Ioannis nimia dicit ieiunia, nec vocat vtres veteres, aut vestimentum vetus. Sed discipulos suos tirones, infirmos, nondum ad noua, & grauia toleranda duratos. Excusat igitur suos, non accusat Ioannem. Quod ex hoc loco constat: nam dicit, non esse conueniens, *vt filij nuptiarum, aut thalami, quamdiu est cum ipsis sponsus, ieiunent*, fore, vt postea ieiunent, quod eos præstitisse eorum historiæ, & Epistolæ docent. Quod si vtres veteres, & vestimentum vetus vocantur ieiunia Ioannis, quid ergo est vter nouus, & vestimentum nouum? Deinde si vitiosum fuit Ioannis ieiunium, fuit ἐθελοθρησκεία, ab ipso male electum, non igitur verus Doctor Ioannes fuit, præsertim hæreticis, qui ἐθελοθρησκείαν idololatriæ comparant. Tertio, Ieiunium Ioannis Christus ipse laudauit, cum enim Matthæi 11. à v. 7. vsque ad 18. Ioannem laudasset: subiungit: *Venit Ioannes neque bibens, neque manducans, & dicunt, dæmonium habet: ideo similem* ait *generationem illam pueris dicentibus, cecinimus vobis & non saltastis, lamenta-*

Qui conceßis abstinet, supererogat.

Christus Ioannis ieiunium non reprehendit.

mentasimus & non planxisti. Tanta igitur asperitate pœnitentiæ, qua monstrabatur, non tantum docebatur vita æterna, oportebat eos excitari ad virtutem: & quia nec seueritate Ioannis, nec benignitate Domini conuersi sunt, exprobrat illis contumaciam.

Frustrazios Iudæorum probat accusationē.

At si contra legem Mosis fuisset illa vestitus, victusque asperitas, merito dixissent Iudæi, dæmonium habet, vt qui legem Dei violaret. At tam Lutherani, quam Caluiniani fatentur Iudæos impudentissimè, & calumnioßissimè tam Ioannem, quàm Christum sugillasse, quibus nunc succedit Academicus Wittenbergensis, qui vt Papam euertat, Ioannem Baptistam Christo opponit: vt vel hinc pateat, non esse hostes Papæ; nisi qui etiam sanctis inimici sunt.

Denique Ioannem Essæum vocat, eorum moribus imbutum, eorum discipulum. Essenos admodum laudant historiæ, liber Hebræorū, quem Iuchasin vocant, Essenos Nazaræos appellat, quos 70. nominare solent ἡγιασμένες, origo eorum ab Rechabitis, quidam eorum erant Κοινόβιοι, alij μονάζοντες, ita Iosephus alijque. Abraham Zachutz, *moribus optimis* ait *fuisse, odio habuisse lucrum, cauisse scortationes*, & Iosephus Καταφρονητὰς fuisse τῦ πλέτυ. & lib. 18. cap. 2. βελτίστες δὲ ἁπλῶς ἀνδρῶν τὸν τρόπον, *optimis moribus præditos, cœlibes, agricolas, deliciarum, vt vnctionis & ornatus exortes*: de fato, quod illud crediderunt, bonum sensum habere potest. Si Essēi viri boni, & sancti fuerunt; non docuerunt Ioannem consuetudines legi Dei contrarias; si hæretici, vt fere sentiunt nouatores: Ioannem quoque eorum discipulum, & imitatorem hæreticum faciant oportet, vt cuius vita tota fuerit diuinæ legi contraria, & à Christo improbata: cum tamen de eo dictum sit, & tu puer *Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare viasejus, ad dandam scientiam plebi in remissionem peccatorum eorum.* Quomodo ergo illa vox clamans hæretica fuit? quomodo baptizator Domini fuit infidelis?

Essēis quidā fuere.

Nobis meritò est hæreticus cui Ioannes est hæreticus.

Hæc generatim monere volui, ne quispiam tot calumnijs, quas plenis mendaciorum plaustris deuehunt, moueatur, cum videt, non modo Pontifices, & clerum, sed quod impium est, veteres martyres & eorum Ecclesias antichristianismi accersi, imo S. Ioannem Baptistam, impietatis, & erroris accusari. Id Deum rogamus ne vnquam illo ore laudemur, quo tam Sancti tam impudenter accusantur, quia non magis à nobis quam ab illis recesserunt.

Video alia, quæ improbam illam opinionem sequuntur. Ioannem scilicet in ea vita perseuerasse, Christo non paruisse monenti & reprehendenti, atque ita in sua infidelitate mortuum. Nihil enim credendum de eo quod non in Scriptura nulla loquitur. Excusatior etiam Herodes, qui hæreticum, cuius vita legi Dei contraria, licet non ea causa, occiderit.

VERSVS 6.

Et baptizabantur ab eo in Iordane; Confitentes peccata sua.

QVÆSTIO I.

Quomodo confessi sint peccata?

Confessio illa non erat sacramentalis.

§. 1. MAlevolè, non modo ridiculè operosi sunt, qui negant hoc ex loco probari confessionem Catholicorum. Non enim vllius memini, qui illo argumento vtatur; imo omnes docent nullo modo hanc confessionem fuisse sacramentalem. Legem enim nouam, eiusque sacramenta negamus initium à Ioanne dux sse. Iniuriam igitur faciunt Caluinus, Beza, Chyträus, qui vt insultandi occasionem nanciscantur, fingunt nos hæc verba ad auricularem confessionem detorquere.

Qualis ista confessio.

§. 2. Constat tamen eos qui baptizabantur, confessos cum dolore, quod indicat Caluinus, & alij. Chytræus confessionem esse ait *ex animo peccatum agnoscere, & deplorare, fateri nos reos esse, verè dolere nos Deum offendisse, petere veniam &c.* Hoc autem erat, quod Ioannes dixit, *agere pœnitentiam*: Falso Beza distinguit inter peccatorum ἐξομολόγησιν, & ἐξαγόρευσιν, hac contineri *enumerationem*, illa *confessionem*. Verbum ירה confessionem, & laudationem frequenter significat. Sed tamen crebro etiam est peccata singulatim profiteri. Leuit. 5. 5. & 16. 21. Num. 5. 7. Daniel. 9. 20. ἐπ᾽ ἐμῷ λαλοῦντος, καὶ ἐξαγορεύοντος τὰς ἁμαρτίας. *Adhuc me loquente & enunciante peccata.* Insigne igitur est erratum Bezæ cum ait Leuit. 16. 21. non esse ἐξαγόρευσιν peccatorum, cum 70. ita verterint. cum Num. 5. 7. Esdr. 10. 1. Nehem. 1. 6. Psal. 31. 6. eodem modo vertant. Verum monet Bezam frequentissimè cum de Hebræis agit fallere, vt qui alienis oculis, & fidei crediderit. Quàm vero illud absurdum, quamque scurrile, *A Cereris nos mysterijs confitendi morem didicisse.* Vnde igitur Iudæi morem did cerunt? Nam & Lutherani, & hoc loco Aretius docet; *Ioanni consilij causa peccata confessos*, idque etiam Lutherani sequuntur. Cur illi à Cereris mysterijs mutuati sint, cum in veteri testamento sint exempla? cum Christiani in actis Apostolorum veniant ἐξομολογούμενοι, καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν, *confitentes & annunciantes*, seu vt Beza vertit, *indicantes facta sua*, An Paulus eos Cereris mysterijs imbuebat? an in tia erant illa turpitudinum, & non potius Christianæ pietatis?

Confessio & enumeratio peccatorum.

Aliena bona iactat Beza. & bis fallit.

Ioanni cōsilij causa peccata cōfessos.

Exempla confitendi.

VERSVS 7.

Videns autem multos Phariſæorum & Saduccaorum venientes ad Baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis vobis monſtrauit fugere à venturâ irâ.

QVÆSTIO I.

Cur Phariſæi & Saduccæi progenies viperarum?

De sectis Iudæorum Nic. Serarius scripsit.

§. 1. PHariſæorum ethymon vel à פרש ſeparando, vel potius à פרשׁ exponendo legem dictos existimo, Saduccæos à suo principe Sadoc. De illis in manibus versantur doctissimi tractatus præceptoris mei Nicolai Serarij, Trihæresium, & Minerual. Hæc itaque omitto. Hoc loco progenies viperarum γεννήματα ἐχιδνῶν, appellantur, Syriacè ילדא דאפעא, generatio Echidnarum, ita Syra vox אפעא Achadna est à Græca. Duplex appellationis causa recensetur ab interpretibus. Ambr. l. 2. in Lucam c. 3. Laudari illos existimet, qui parentum vitia nequaquam imitentur, sed ad pœnitentiā veniant.

Viperæ vnde dictæ.

Sincerè

Sincère enim venisse constat, non ficte, fugere à ventura ita satagentes. Alij plerique sentiunt ex vitæ præteritæ malitia eos progeniem viperarum appellari. Nocentissimum est namque serpentum genus, vipera, leni morsu perimi. alij ita dictam, quod vi perimat, alij vero quasi Viuiperam; Aristoteles enim ait ἐχίδνας ζωοτοκεῖν ἐν ὑμέσιν, *in membranis viuum parere.*

Vipera effigies Pharisæorum.

Vipera proprium est, vt ait Plin. l. 11. c. 37. *dentes condigintus*, itaque innoxiæ videntur, cum tamen morsus sit immedicabilis: viua pharisaicæ hypocriseos, & calumniæ effigies.

§. 2. Causa cur adeo duriter agnoscentes peccata sua Ioannes excipiat, vt auctoritatem illis apud populum detrahat; Potentes etenim fuerunt, eosque populus audiebat, hinc crebro ab illis pericula, & seditiones, adeo vt regibus quoque timendi essent.

Ioannes reprehensione auctoritatem aufert Pharisæis.

Nam Saducæi fere magnatibus & regibus adhærebant, eorumque vitia fouebant, quibus ex opum abundantia Epicuræorum secta conuenientior erat. Adhoc Ioannes Hircanus Simonis Macchabæi filius dicitur defecisse. Alexander certe suo principatu Pharisæorum octingentos crucibus affixit, & in conspectu morientium cum aula pellicibusque epulatus est. Facinus inter barbaros etiam inusitatum. Vicissim se hodie, qui diuersas religiones sectantur, de Pharisaismo accusant. Interim omnibus dicitur. *Væ vobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt.*

QVÆSTIO II.

Quæ ventura ira?

Pharisæi ob superbiam, Saducæi ob atheismũ longissimè aberant à regno cælorum.

§. 1. Μέλλουσαν ὀργὴν appellat, æternas inferni pœnas, quas miratur illos fugere conatos, quod Pharisæos ingens teneret superbia, sanctosque se arbitrarentur, ideo omnes minas, omnesque calamitates à se abesse, quàm longissime. Saducæi vero, qui nec angelum, nec resurrectionem crederet, adeoque pro anilibus fabulis inferos, & manes haberent, nullo metu rerum post mortem tangebantur? Vtriq; itaque longe aberant à via ad salutẽ. Puerile est quod Beza monet, vertendum. *præmonstrauit*, Erasmus, *submonstrauit*, ὑποδεῖξαι est *demonstrare*, vt & ὑποδεῖξαι, vt conuertit etiam Syrus. Firmum contra eos argumentum qui pœnitentes iam fiducia speciali plenos aiunt. Nullam iram Dei timere. Si enim illi vere pœnitentes erant, & iram venturam fugiebant, non igitur certi erant iram Dei nullam superesse. Non enim vt venturum fugimus, quod desijsse nouimus.

Vnus noui & veteris testamẽti Deus.

§. 2. Irenæus aduersus hæreses, l. 3. c. 9. *Ex his omnibus probat vnum esse veteris, & noui testamenti Deum. Matthæus enim apostolus vnum & eundem sciens Deum qui promissionem fecerit Abrahæ facturum se semen eius, quasi stellas cœli, qui per filium suum Christum Iesum à lapidum cultura, in suam nos agnitionem vocauerit; vti fieret populus, qui non populus; & non dilecta, dilecta, ait Ioannem præparantem Christo viam, his qui in carnali quidem cognatione gloriabantur, varium autem, & omni malitia completum sensum habebant, eam pœnitentiam quæ à malitia reuocaret, annuntiantem dixisse: Progenies viperarum, quis vobis monstrauit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ? & nolite dicere in vobis ipsis, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus, ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Pœnitentiam igitur eis eam, quæ esset à malitiâ, præconabat; sed non alterum Deum annuntiabat, præter eum qui fecisset promissionem facere, ille præcursor Christi; de quo iterum ait Matthæus, similiter autem & Lucas. Hic enim est qui dictus est à Domino per Prophetam, Vox clamantis in deserto, parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt tortuosa in directa, & asperain vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei nostri. Vnus igitur, & idem Deus est, Pater Domini nostri, qui & Præcursorem per Prophetas missurum se promisit: & salutare suum, id est, verbum suum visibile effecit omni fieri carni, incarnatum & ipsum, vt in omnibus manifestus fieret rex eorum.*

VERSVS 8.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.

QVÆSTIO I.

Qui sint fructus digni pœnitentiæ?

§. 1. CAluinus, *re, non verbis præstare pœnitentiam* interpretatur; deinde ait, *bona opera dici fructus pœnitentiæ.* Beza vertit, *conuenientes pœnitentiæ*, non satis expressa vi verbi Græci, aliud est enim dignum, aliud vero conueniens esse. Parum vero illi est male vertere, nisi & interpretem nostrum calumnietur. *Sed certe dignos pœnitentia* (inquit) (vt vetus interpres conuertit) *vix aliter intelligi posset, quam contrario penitus sensu, digni videlicet, quorum aliquem pœniteat.* Non intelligit ille se imponere nostro, quasi dixerit, *dignos pœnitentiâ*, cum sit non modo in nostris libris, *pœnitentia*, sed etiam in Bezæ contextu. Deinde totum hoc quicquid est, etiam in Spiritum sanctum intorqueri potest. In Græco legimus: καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, quod eodem cauillo obnoxium est. Cur enim non dicet argutator: ἄξιον μετανοίας, vt θανάτου, πληγῶν, dignum morte, plagis? Sic enim dicitur 4. Reg. 4. 25. Esther 16. 5. Sap. 3. 5. Ierem. 10. 15. 2. Macc. 7. 27. & 15. 11. Luc 12. 48. Sic etiam ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράξαντες. & 1. Tim. 1. 15. ἄξιος ὁποδοχῆς. acceptione digaus. Sic Philipp. 1. μόνον ἀξίως τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθε. quin & olim ita locuti sunt Græci Thucyd. l. 7. Ἀναμαχόμενοι ἀξίως τοῦ τῶν πλήθους. Si non potest aliter intelligi locutio latina, ergo neque Græca. Imo minus Græca. Nam dignum aliquid latinâ lingua dicimus, quod vel præmio, vel pœna compensandum est; deinde quod conueniens est, seu consentaneum causæ, à qua originem ducit: sic dignum genere, patre, patria dicimus; nempe qui dignus sit, vt à talibus tantisque principium ducat. Sic Horatius l. 2. Sat. 3. Fac aliquid dignum promissis. Ita Balbus l. 8. Epist. ad Cicer. *Suscipe cogitationem dignissimam tuæ virtutis*; hoc est, quæ digna censeatur, vt à tua virtute proficiscatur: vti hoc loco; quæ digna sit, vt à vera pœnitentia procedat. Similia plane innumera sunt: vt mirum sit homini mediocriter docto in mentem istas venire argutias potuisse. Sed cum de fide, & antiquitate agitur; furor, iraque mentem præcipitant.

Cauillum Bezæ.

Beza in Spiritum sanctum iniurius.

Beza linguam latinam ignorat.

§. 2. Calùinus *hanc doctrinam fœde in papatu corruptam* ait. *ipsæ pœnitentiam ait esse interiorem hominis renouationem, quæ in externam vitam emergit, sicut ex se fructum producit arbor.* Nullo modo pœnitentia est ipsa renouatio, sed via ad renouationem, non enim dolor de peccato, est iustitia aut sanctitas, vt supra ostendi. Pœnitentiæ vnica, atque vna virtus est, pars renouationis, eius fructus, non modo externa vita, sed etiam interna. Præcipui enim fructus virtutum sunt, qui ex corde oriuntur, & sanctis voluntatibus perficiuntur. Sine charitate docet Augustinus fructus pœnitentiæ non esse. Et Serm. 66. de tempore. *Fructus dignus est pœnitentiæ, transacta deflere peccata, & eadem iterum non agere.* Pœnitentiam illam in animo esse decet.

Pœnitentia non est renouatio.

Et l. 21.

Etl. 21.c.27. de ciuitate Dei contra eos disputat, qui se dignos fructus pœnitentiæ agere putabant, si in scelerib⁹ permanentes facerent eleemosynas.

VERSVS 9.

Et ne velitis dicere intra vos Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis quoniam potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est.

QVÆSTIO I.

Quomodo Deus de lapidibus possit suscitare filios Abrahæ?

Maioribus fidebant Pharisæi, alios contemnebāt.

§. 1. DVo errores Pharisæorum eos à salute retrahebant. Postquam enim scelerum suorum conuicti, in conscientia nihil præsidii inueniebant, more veterum dicentium: *Templum Domini, templum Domini*, in proauos, & fœdus cum patribus ictum omnia reiiciebant. Inde securitatem sibi impunitatemque imaginabantur. Alter ex hoc sequebatur; aliarum scilicet gentium contemptus. Ioannes vtrumq; oppugnat. Nam Patrem Abrahamum ait nihil illis prodesse, nisi eius insistant vestigiis. Vere August. in Psal. 46. *Illi se dicebant filios Abrahæ, & ipse eos dicebat filios viperarum.* Non enim omnes Israelitæ, qui ex Israel, vt Apost. Rom. 2. & Aug. Psal. 73.

Ne vero existimarent Deo populum defuturum, nec gentes ad pœnitentiam admittendas ait, *Deum posse de istis lapidibus suscitare filios Abrahæ*, τῷ Ἀβραὰμ, qui scilicet fidem Abrahæ amplectantur. In Græco non sine ἐπιπλοκῇ dicitur, δύναται ὁ Θεὸς καὶ ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι. Potest Deus & ex lapidibus istis.

§. 2. Tertullianus contra Hermogenem ex hoc loco argumentatur, cap. 12. qui immutabiles animas fingebat. *Quæ enim malo deputantur, secundum mali statum computantur. Age nunc malam ac pessimam credamus esse materiam vtiq; naturâ: sicut Deum bonum & optimum credimus proindè naturâ. Porrò naturam certam & fixam haberi oportebit tam in malo perseuerantem apud materiam, quam in bono apud Deum inconuertibilem & immutabilem. Scilicet quâ si demutabitur natura in materia, de malo in bonum demutari poterit. & in Deo de bono in malum. Hoc loco dicet aliquis: Ergo de lapidibus filij Abrahæ non suscitabuntur, & gemmina viperarum non facient pœnitentiæ fructum, & filij ræ non sient filij pacis; si natura mutabilis non erit. Temerè ad ista exempla respicies ô homo! non enim competunt ad causam materiæ, quæ innata est, ea quæ nata sunt, lapides & viperæ, & homines. Horum enim natura habendo institutionem, habere poterit & cessationem. Materiam vero tene semel æternam determinatam, vt insectam, vt innatam: & ideo indemutabilis & incorruptibilis naturæ credendam, ex ipsius etiam sententiâ Hermogenis, quam opponit cum Deum negat ex semetipso facere potuisse: quia non demutetur quod sit æternum, amissurum scilicet quod fuerat, dum fit ex demutatione quod non erat si non esset æternum. Dominum vero aliud esse non posse, quam quod semper.*

Hermogeni materia immutabilis.

Optime sane concludit, si Deus materiam faciendo mutatus amisit, quod habuit, etiam mutando filios viperæ in filios Abrahæ eandem fore mutationem. Ex hac enim insania prognati sunt, vt naturas rerum putarent non posse mutari. Philosophiæ & sensibus omnibus ex æquo aduersi.

Et clarius de anima cap. 21. *Idem enim conuertibilem negant naturam, vt Trinitatem suam in singulis proprietatibus figant: quia arbor bona malos non ferat fructus, nec mala bonos, & nemo de spinis metat ficus, & de tribulis vuas. Ergo si ita est, neq; de lapidibus filios Abrahæ suscitare poterit Deus, nec gemmina viperarum facere pœnitentiæ fructus. Et erravit Apostolus scribens. Eratis & vos aliquando tenebræ, & fuimus & nos aliquando natura filij iræ, & in his vos quoq; fuistis, sed abluti estis. Sed nunquam discordabunt sententiæ sanctæ. Non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non inseratur: & bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filij Abrahæ sient, si in fidem Abrahæ formentur. Et gemmina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis gratiæ, potentior vtiq; natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrij potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur. quæ cum sit & ipsa naturalis atq; mutabilis, quoquo vertitur, natura conuertitur. Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, Iam & Marcioni ostendimus & Hermogeni.*

Naturas immutabiles fingunt Hermogeniani.

Liberum arbitrium agnoscit Tertullianus.

Imo Hermogenes Deum in materiam posse aliquid negabat. vt est apud Tertull. cap. 37. aduers. Hermogenem. *Atq; si mala natura fuisset, quare non potuerit à Deo conuerti, vt à potentiore, vt ab eo qui lapidum quoq; naturam conuertere valeat in filios Abrahæ? Nempe ergo non tantum comparas Dominum materiæ sed & subiicis à quo natura materiæ deuinci & edomari in melius non potuisset.*

Ita cum his hominum monstris iam in veteri Ecclesia luctati sunt. Nostri de arbitrio eadem referunt hæretici. Consecuti sunt hæreticos illos deinde Philosophi, qui magno conatu, seu mundi, seu materiæ æternitatem asseruerunt, quos contra veterum, recentiorumque accuratissimæ disputationes in manibus versantur.

§. 3. Eisdem ex verbis liberum Dei arbitrium contra Caluinum orthodoxi tractatores ostendunt: vt Bellarm. lib. 3. de gratia & lib. arb. c. 16. Caluinus enim *Deum aliud non posse facere, quam quod fecit, & facit, aut facturus est*, docet. At vero potuit de lapidibus illis facere filios Abrahæ; non fecit tamen quod potuit, sed nec facturus est. Ad facta igitur eius potentia restringi non debet. Porro inane est quod Pareus eodem loco Bellarmino obiicit. *Posse quidem Deum, si potentiam spectes, at nolle. Ideo non posse.* Non enim ita Caluinus defenditur, sed verbis ludit ur Spiritus sanctus. Non enim quisquam dixerit: Deum posse quicquam contra voluntatem facere. Sed posse facere, quod iam non vult facere, si voluerit facere, quod nolebat. Sic sane in sensu compositio (vt vocant) non potest facere, quod decreuit non facere, manet enim decretum irreuocabile. Caluinus autem de potentia Dei absoluta sermonem facit.

Caluino Deus liber non est.

Deus quod non vult, ex hypothesi non potest.

§. 4. Plerique fere nouatorum nobis & hoc impōnunt, nos fiducia patrum, & maiorum gloriari: Verum id facimus rectissimè, cum nostram & illorum fidem eandem esse ostendimus, cum ab illis nouatores discessionem fecisse demonstramus: cum gaudemus in nostro consortio tot myriadas martyrum, confessorumque inueniri. Nec tamen ignoramus non eos dici filios sanctorum, qui loca eorum obtinent, sed qui virtutes imitantur. Inter hos maxime Erasmus Sarcerius insurgit: *Nihil adiuuat Abraham suos, nec ergo Augustinus suos.*

De patribus gloriamur eorum tenendo fidē.

Nobis è contrario constat propter Abrahamum seruum suum, Deum multa contulisse filiis Israel, idq; Scripturâ teste. Verum id nunc extra aleam est. Aduersarii ratio stulta est. Etsi enim Abraham abdicat filios sceleratos, genimina viperarum, quibus veritas testimonium dat, *ex Patre Diabolo eos esse*: non ideo tamen non prodest filiis genuinis ex Abraham esse; nam & Deus improbos primum deferendo, deinde eruciando punit; nec ideo tamen non prodest bonis.

Multa Deus confert suis propter Patres.

Abdicato non prosunt paternæ opes,
sed hæredi.

VERSVS 10.

Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

QVÆSTIO I.

Quæ arbor? & quis illius finis?

§. 1. RAdix est Abraham, securis iustitia Dei vindex, & executrix. Excisio est euersio Synagogæ, & vniuscuiusq; reprobi, in ignem proiectio est damnatio. Fructus est bona opera, interna, externa.

Quâ ex sententiâ bona opera saluti necessaria esse conuincimus, & vehementer id monuit Aug. serm. 66. de tempore. Probat enim pœnitentiam sterilem esse non debere. Quo detestabilior est Lutheri error, qui Tom. 1. Witteb. edito scribit. *Dicere: Bona opera esse necessaria ad salutem; legem, & Euangelium confundit, tantâ quidem iacturâ & detrimento, quantum ratio humana neq; cõprehendere, neq; intelligere potest.* Et eodẽ loco. *Lubrica est oratio & vana sic pronunciare: fidem quidem operibus & meritis niti non debere, sed tamen necesse esse habere bona opera, tanquam necessaria ad salutem. Hoc totum nihil est. Si enim sunt necessaria ad salutem, salus sine ipsis venire non potest, & ergo non solâ fide saluamur: sed hoc falsum est, & ab vniuersâ Scripturâ dissentit.*

Bona opera necessaria ad salutem.

Ioannes pro necessitate operum pugnat.

Eam moribus noxiam, & blasphemam sic fulminat Ioannes, operum seu fructuum fidus exactor. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Manere in radice, & occupare terram arbor non sinitur, nisi fructus ferat; καρποφορία seu fructificatio arboris necessaria est, *vt ne excidatur, & in ignẽ mittatur*, similitudo arboris ergo requirit, vt bona opera homini necessaria dicamus, ne ille damnetur. Arbor sterilis & infructuosa igni terreno addicitur, homo sine operibus bonis infernali. Non de meritis aut causis agit Lutherus, & eum secuta Synodus Mansfeldica c. de operibus. Sed negant esse omnino necessaria, quia sola fides satis sit. Huic igitur penitus repugnat, quod Lutherus habet Tom. 7. p. 65. Witteb. *Nullum opus, nullum mandatum necessarium est Christiano ad salutem.* Quia fructus arboris necessarius est, ne exuratur. Quia hoc mandatum; Facite *fructus dignos pœnitentiæ, necessarium est.* Itaque à Lutheranis post mortem Luther. vehementer oppugnatus est ille error, & constat ex Synodo Islebica anno 1559. Islebij habita. Aiunt enim, *Primum in Academijs latuisse, deinde in suggestum erupisse sententiam de necessitate operum.* Erasmus Sarcerius negauit esse causas meritorias, asseruit esse conseruatrices, quod postea reuocauit. Imo Synodus adeo insanit, vt etiam speret damnatum iri hanc propositionem: *Opera bona opera sunt necessaria ad salutem, non quod bona opera non sint necessaria, sed quod ad salutem non sint necessaria.* Imo in confutatione arg. 7. *Nouitatem negant esse necessariam ad salutem.*

Opera nec vt causa, nec vt conditio necessaria quidã putant.

Mansfeldica Synodus infesta bonis operib.

Deniq; obiectionem 14. sic proponunt: *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, præciditur & in ignem proiicitur. Est autem necessarium ad salutem, vt quis in ignem non proiiciatur. Ergo facere bona opera est necessarium ad salutem.*

Respondent. Et hoc argumentum est vitiosum. Plus est enim in conclusione quam in præmissis. In maiore ponuntur bona opera pro fructibus fidei. In conclusione pro efficientibus & meritoris causis salutis.

Opera necessaria sunt, etsi merita non essent.

Verum in primis hæc saltem pars erroris illorũ conuincitur. *Opera non esse necessaria*, licet de meritis non agatur; atq; damnari Lutheri propositionẽ, quam supra citauimus. Deinde ipsi negant dicendum bona opera causam esse sine qua non. Quomodo vero hunc locum interpretantur, & alios? *Bona opera esse necessaria ad salutem, quia de fide testificantur, vel sequuntur.* Sic num. 26. Ita sensus erit. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Hoc est: *Omnis arbor, de qua non testificatur fructus bonus, excidetur.* Primo quidem futile est effugium; Non facit fructum, id est, fructus de arbore non testificatur. Deinde fuga sua se magis intricant. Si enim arbor, de qua non testificatur fructus, excidetur, ergo & illa, quæ non facit. Plus igitur exigunt quam Ioannes, ille fructum bonum, hi fructum bonum testificãtem. Testari de arboris bonitate non potest fructus, nisi quem arbor fecit. Dogma igitur eorum quod multi iam etiam ex illis damnant, Concio Ioannis planè euertit.

Arbor de qua non est testimonium fructus excidetur.

§. 2. Non modo Antinomorum quiq; illis fauent profanitatem hinc confutamus, sed etiam merita bonorum operum probamus. Securis ad radicem posita est, hæc arbor exciditur, illa relinquitur, rigatur, purgatur; cur id facit agricola? Quia illa bonos fructus facit, hæc nullos, vel malos. Pari modo cur hic cœlo infertur? ille gehennæ addicitur, quia hic facit vuas, ille labruscas, in hoc iustitia, in illo clamor est. Mala opera mereri pœnam illi concedunt. Bona, ex gratia & promissione Dei gratuita mereri mercedem, nos hic locus docet: quienim faciunt fructus dignos pœnitentiæ, non exciduntur. Salutis ergo seu gloriæ causæ partiales sunt, & subordinatæ. Cur arborem illam excidis? quia infructuosa est. Cur hanc relinquis? quia ecce onerata est pomis. Pomage rationem continent, cur non excidatur. at vnde sumitur ratio non damnandi, inde est causa saluandi. nec vis argumenti infringetur. Si dicas. Vitem non excido, quia producti botri de eius fœcunditate testantur. oleam excido, quia caret testibus fertilitatis suæ, oliuis: vtrinque ratio ex fructu sumitur, ratio moralis, quam patres nostri, & nos meritum appellamus.

Fructus retinetur, ne arbor excidatur.

Ob fructũ arbor non exciditur.

VERSVS 11.

Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam, qui autem post me vẽturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.

QVÆSTIO I.

Quæ distinctio baptismi Ioannis & Christi?

§. 1. MVltis modis agitata est nostris temporibus quæstio. Sancti Patres docent baptismum Ioannis & nostrum differre tanquam duos diuersos. Hæretici è contrario. Vnum eundemq; esse, sed in illo aliud facere Ioannem, aliud Dominum. Ioannis esse ministerium, Christi operationem gratiæ. Nunc igitur verba expendamus, & litem ex vero decidamus. Aduersariorum opinionem clarissime Bullingerus nobis produxit. Hæc eius verba sunt. [Concertatum est " multis ex huius loci occasione de differentia baptismi " Ioannis & Christi siue Apostolorum, verum si rem re- " ctè expendamus, inuenietemus externum baptismum " Ioannis, hoc est ipsam ceremoniã & baptizandi ritum, " imo & virtutẽ p. orsus nihil differre ab Apostolorũ ba- " ptismo. Ioannes n. aqua baptizat in nomine Domini, " & baptizat ad pœnitentiã & remissionẽ peccatorũ. Ad " eundẽ modũ baptizarunt ẽt Apostoli. Quod internã " baptismi virtutẽ attinet, vtrobiq; solus Deus operatur. " Ergo ꝙ Ioannes dixit, Ego quidem baptizo vos aqua, " qui post me veniet baptizabit Spiritu sancto, discre- " uit personas ministrorum à persona Christi, & exter- " num

Bullingerus ait: Nihil differre.

„ num baptismum ab interno, non vt baptismum, qui
„ vnicus est & indiuisibilis, diuideret ac laceraret, sed vt
„ elemento ac creaturæ non tribueret ceu proprium
„ quod solius creatoris proprium est, imo vt iustè po-
Diuersa signa & signata. „ tius vnicuique quod suum est tribueret. Nam peri-
„ culosum est in sacramentorum tractatione signum &
„ signatum confundere, internum & externum, atque
„ adeo ipsam potestatem cum ministerio commiscere.
„ Rursus consultissimũ & tutissimum est docere & cõsi-
„ teri è duobus constare sacramenta, è signo & re signa-
„ ta, è verbo seu promissione & ritu seu ceremonia, è re
„ externa & interna, è re visibili & inuisibili, è terrena &
„ cœlesti. Hæc aũt ita coire & cõnecti, vt discretas natu-
„ ras partiũ quælibet incommunicata proprietate (nisi
„ per idiomatum communicationem) retineat, institu-
„ tione & significatione cohæreant, non autem natura-
„ rum confusione permixta & corporaliter vnita sint:
Diuersus ministerio baptismus. „ Itaque & ministerio alium esse qui confert virtutem,
„ & alium qui administrat signum. In baptismo ergo
„ consideranda veniunt aqua, & quæ significantur per
„ aquam, ac quare aqua tingi voluerit Dominus, quid
„ agat minister, quid is cuius ille ministrũ agit. Baptizat
„ quidem aqua minister, & aqua illa aqua manet: sed
„ qui baptizare iussit aqua, non ideo vt corpora tantum
„ abluerentur baptizare iussit, sed magis vt exterius at-
„ testaretur, quid ipse inuisibili gratia operaretur inte-
„ rius. Ideo ministerium externæ rei ministri est, ipsa
„ potestas, ablutio & purificatio Domini solius, &
„ non sunt ista confundenda, vt quod Domini est vel si-
„ gno visibili, vel ministro tribuamus: rursus non sunt
„ illa sic separanda, vt nihil post signum nobis relinqua-
„ tur in sacramentis, quæ constant signo & re signata.
„ Id quod haud dubie rectius intelliges, si aliquot de
„ hisce loca ex S. Augustino Catholico & orthodoxo
„ doctore protulero. Is Tractatu in Ioannem 5. sic scri-
„ bit, Didicit Ioannes potestatem Dominici baptismi in
„ nullum hominem à Domino transituram, sed mini-
Augustinus de interno, & externo baptismo. „ sterii plane transiturũ, potestatẽ à Domino in neminẽ
„ ministrorum, ministeriũ & in bonos & in malos. Non
„ exhorreat columba (id est, pius & fidelis qui est mem-
„ brum Ecclesiæ) ministerium malorum, respiciat Do-
„ mini potestatem. Quid tibi facit malus minister, v-
„ bi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus
„ præco vbi benevolus est Iudex? Ioannes didicit per
„ columbam hoc. Quid est quod didicit? Ipse mihi di-
„ xit, ait, Super quem videris Spiritum descendentem
„ sicut columbam, & manentem super eum, hic est qui
Vnus officiũ est baptizare. „ baptizat in Spiritu sancto. Non ergo te decipiant, ô
„ columba, seductores qui dicunt, Nos baptizamus.
„ Columba agnosce, quod columba docuit, Hic est qui
„ baptizat in Spiritu sancto: per columbam discitur,
„ quia HIC EST, & tu eius potestate putas te bapti-
„ zari, cuius ministerio baptizaris? Si tu hoc putas, non-
„ dum es in corpore columbæ, & si nõ es in corpore co-
„ lumbæ, non mirandum quia simplicitatẽ non habes.
„ Simplicitas enim maximè per columbam demonstra-
„ tur. Per simplicitatem columbæ didicit Ioannes, quia
„ hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et iterum, Aliud,
„ inquit, est baptizare per ministerium, aliud baptizare
„ per potestatem. Potuisset Dominus noster Iesus Chri-
„ stus si voluisset, dare alicui seruo suo potestatem, vt
„ daret baptismum suum tanquam vice sua, & transfer-
„ ret à se baptizandi potestatem, & constitueret in ali-
„ quo seruo suo, & tantam vim daret baptismo transla-
„ to in seruum, quantam vim haberet baptismus datus
„ à Domino. Hoc NOLVIT ideo, vt in illo spes esset
„ baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. No-
„ luit ergo seruum spem ponere in seruo. Ideoque cla-
„ mabat Apostolus, cum videret homines volentes po-
„ nere spem in seipso, Nunquid Paulus pro vobis cruci-
„ fixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? baptiza-

uit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa „
potestas: baptizauit autem Dominus tanquam pote- „
stas. Intendite, potuisset hanc potestatem seruis dare, „
sed NOLVIT. Si enim daret hanc potestatem ser- „
uis, id est, vt & ipsorum esset quod Domini erat, tot „
essent baptismata quot serui, vt quomodo dictum est „
Baptisma Ioannis, sic diceretur Baptisma Petri, sic Ba- „
ptisma Pauli, sic Baptisma Iacobi, Baptisma Thomæ, „
Matthæi, Bartholomæi. Idem ferme tradit contra lite- „
ras Petiliani lib. 3. c. 49. vrgens maximè Dei solius esse „
abluere & mundare, vnde nemo id sibi arrogare de- „
beat quod Dei est. Rursus Epistola 166. Quare, inquit, *Augustinus aliud agere Dominum, aliud ministrum in baptismo.*
non verum dicimus & rectè sapimus, quia semper est
de illa gratia & Dei sacramentum, hominis autem so-
lum ministerium, qui si bonus est adhæret Deo, & o-
peratur cum Deo: si autem malus est, operatur per il-
lum Deus visibilem sacramenti formam: ipse autem
donat inuisibilem gratiam. Hoc sapiamus omnes, & „
non sint in nobis schismata. Idem Quæstionum lib. 3. „
in Leuit. Quæst. 83. Non, inquit, Moses sanctificat pro „
Domino, sed Moses visibilibus sacramentis per mini- „
sterium suum, Dominus autẽ inuisibili gratia per Spi- „
ritum sanctum, vbi est totus fructus etiam visibilium „
sacramentorum. Item lib. de Trinitate 15. c. 26. Quo- „
modo, inquit, Deus non est qui dat Spiritum sanctũ? „
imò quantus Deus est (Christus) qui dat Deum? Ne- „
que enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum „
sanctum. Orabant quippe vt veniret in eos quibus „
manum imponebant, nõ ipsi eum dabant: quem mo- „
remur suis præpositis etiam nunc seruat ecclesia. De- „
niq; & Simon Magus offerens Apostolis pecuniam, „
non ait, Date & mihi hanc potestatem vt dem Spiri- „
tum sanctum: sed, cuicunq;, inquit, imposuero manũ, „
vt accipiat Spiritum sanctum. Quia neq; Scriptura su- *Apostoli nõ dabant Spiritum sanctum.*
perius dixerat, videns autem Simon, quod Apostoli
darent Spiritum sanctum: sed dixerat, videns autem
quod per impositionem manuum Apostolorum dare-
tur Spiritus sanctus. Et mox, Nos accipere quidem „
hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere „
autem super alios non vtiq; possumus, sed vt hoc fiat „
Deum super ipsos, à quo hoc efficitur, inuocamus, &c. „
Hactenus Augustini verba adscripsimus: ex quibus „
opinor quilibet facile intelligit, quomodò Ioannes ac „
omnes ministri Domini aqua baptizent, & quomodo „
solus Dominus baptizet Spiritu sancto: Præterea opti- „
mam de sacramentis docendi rationem esse si ritè di- „
stinguamus, non omnia confundamus: ita tamen ne „
separemus quæ Dominus coniuncta esse voluit: item „
si Deo omnem gloriam, ministris ministerium tribua- „
mus, rectè & secundum regulam fidei ac gloriæ Dei „
eas loquutiones exponentes, quæ conuersionem, ab- „
lutionem & regenerationem videntur tribuere ho- „
minibus.] „

Eadem cum Bullingero Caluinus, Piscator, alii. *nolle Ioannẽ baptismata distinguere, sed Domini & serui personas distinguere.* Non tamen negat Caluinus opinionem inualuisse, Ioannis baptismum à nostro differre. Consi-derandum igitur est, an alius Christi, alius Ioannis baptismus, an vero vnus & idem, vt in quo Ioannes ritum externum, Christus internam ablutionem effecerit.

§. 2. In Baptismo spiritualis ablutionis, seu gratiæ causa est Deus, minister & sacramenti ritus solum instrumentum est, siue moraliter agere dicamus, siue diuinâ omnipotentiâ etiam Physicè, & efficienter. Atq; hoc est, quod S. Augustinus verbis à Bullingero citatis conficit, neq; orthodoxi dissentiunt.

§. 3. Ioannis Baptismus & Christi non erat vnus, *Ministerium & potestas in baptismo distinguitur.*
idemque; sed plane diuersus. Ioanne enim mortuo e-
ius baptismus cessauit, Christi successit. De vero igitur
huius loci sensu iudicem, quem mihi dederunt, acci-
pio, nempe S. Augustinum, & quæ cum illo commu-
nicauit

nicauit Ecclesiam. Libro de vnico baptismo c.7. contra Petilianum disputans, ait, *eos qui Ioannis baptismum acceperunt, Christi baptismum non habuisse.* Verum quasi præuidens Caluini errores iam olim refutauit l.2. contra literas Petiliani c.56. & de vnit. Eccl. c.11. accuratissime inter ista distinguit. *Cum tantum distaret inter Petrum & Iudam, nihil tamen distabat inter baptismum, qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Iudam: illud enim quod per eos dabatur, vnum erat, cum ipsi non essent vnum. Et illud Christi erat; illorum autem, vnus ad membra Christi alter ad partem Diaboli pertinebat. Cum vero Ioannes Baptista & Paulus Apostolus vnum essent, quia vterq; Sponsi amicus erat, tamen quia non erat vnus baptismus, qui dabatur à Ioanne, & qui dabatur à Paulo, iussit Paulus Christi baptismo baptizari eos, qui baptismo Ioannis fuerant baptizati. Itaq; ille baptismus Ioannis dictus est, qui autem per Paulum datus est, non est dictus baptismus Pauli, sed iussit eos inquit baptizari in Christo. Ecce vnum sunt Ioannes & Paulus, & non vnum dant. Ecce non sunt vnum Petrus & Iudas, & vnum dant. At vero Petrus & Paulus, & vnum sunt, & vnum dant.*

Non igitur vnus erat Ioannis & Christi baptismus ex S. Augustini sententia, quam tum fuisse totius Ecclesiæ videmus. Et Ep. 49. ad Vincentium. Eodem modo probat, non ideo rebaptizandos quod ab hæreticis essent baptizati, soluitq; argumentum Donatistarum & Rogatistarum, qui exemplo Pauli vtebantur, eos qui à Ioanne baptizati fuerant, rebaptizantis. *Si autem hoc dementissimum est, vel sentire, vel dicere; iam tuæ prudentiæ est considerare, quare post Ioannem Paulus Apostolus baptizauerit. Si enim post æqualem, omnes post vos baptizare debetis. Si post maiorem, debes & tu post Rogatum. Si post minorem, debuit post te Rogatus cum presbyter baptizasses. Si autem baptismus qui nunc datur, ideo pariter valet in eis quibus datur, quamuis sint imparis meriti, per quos datur, quia Christi est, non eorum à quibus ministratur: puto quod iam intelligas, ideo Paulum dedisse quibusdam baptismum Christi, quia Ioannis baptismo fuerant baptizati, non Christi. Ioannis quippe baptismus ille dictus est, sicut multis locis diuina Scriptura testatur, quod & ipse Dominus dicit: Baptismus Ioannis vnde erat, de cœlo, an ex hominibus? Baptismus autem, quem dedit Petrus, non erat Petri sed Christi.*

Hæc solutio deficit, si Ioannis baptisma erat Christi, sicut Petri erat Christi. Ille autem hoc serio vrget. *Nonne tibi videtur quasi intolerabiliter indignum, vt cum baptizatum fuerit post eum qui non sobrie vinum bibens, sed vinū omnino non bibens, regno Dei viam parauit, non baptizetur post ebriosum, qui regnum Dei non possidebit? Quid hic respondetur, nisi quia ille baptismus erat Ioannis, post quem Christi baptismo baptizauit Apostolus: iste autem baptismus Christi est, quo baptizauit ebriosus? inter Ioannem & ebriosum à contrario multum interest: inter baptismum Christi quem dedit Apostolus, & baptismum Christi, quem dedit ebriosus, nihil interest, &c.*

Noua legis conditor etiam sacramenta nouæ legis instituit.

§.4. Ratio est S. Augustini, & aliorum Patrum, quia Ioannes præcursor erat; non erat eius officium legem nouam condere, aut veterem abrogare. Ideo nec sacramenta noue legis instituere: cohærent enim ista. Vnus est enim legifer noster. Isa. 33. & Ioel. 2. Christus igitur qui nouam legem condidit, & morte firmauit, sacramenta etiam solus instituit. Sub lege enim vetere tenebantur concluſi, donec veniret filius.

Forma nostri baptismi & Ioannis diuersa.

Deinde, omnes, etiam hæretici vtuntur in baptismo inuocatione S. Trinitatis: baptizant enim *in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* At sanè in Ioannis baptismo neq; quam illa inuocatio adhibita fuit, qui enim eo fuerant baptizati, an esset Spiritus sanctus ignorabant. Act. 2. Quapropter disertè Ioannes suum baptisma aliud ostendit, à Christi baptismo. *Sein aqua baptizare,* postea venturum, *qui baptizet in Spiritu sancto.* Si erat vnus baptismus, secundum aquam, Ioannis, secundū Spiritum, Christi: quemadmodum erat, Baptismus Petri & Christi. Non oportebat dicere de Christo *Hic* baptizabit, sed iam me cum baptizat, dum ergo corpus abluo, ille animam. Quod est multo clarius apud Marc. 1.8. Ego baptizaui vos aquâ: ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. Alloquitur iam baptizatos à se, nondum à Christo; eos baptizandos: ait Spiritu sancto, non ergo Christi actionem in suo baptismo expressit. Baptismus igitur Ioannis in auctore suo desiit, vt Hieron. aduers. Lucifer. in. Chrys. hoc loco. Standū itaq; Concilii Trid. sententiâ Sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit. Testimonia alia Patrū omitto, quæ apud Bell. l.1. de bapt. c.21. apud Soarez. T.2. in 3.p. disput. 25. sect. 3.*

Similis Christi baptismo fuit baptismus Ioannis, non idem.

§.5. Hæretici inscitè multa adferunt similia, in vtroq; baptismo. Esse in aqua, in remissionem peccatorū. Verum nullo modo eandem esse probant, sed tantummodo similem. Omnia enim eadem esse oportet, vt sint res eædem. Dissimilis est forma, nec enim in Ioannis baptismo mentio Trinitatis, alius est status, non enim noua lex inducta, alia efficacia, non enim baptizabatur Spiritu sancto à Ioanne. Denique; *Ioannes baptizabat eis μετάνοιαν in pœnitentiam,* vt ad pœnitentiam incitaret, Christus in iustificationem, seu remissionem peccatorum. Ita enim Petrus Act. 2.38. in remissionem peccatorum. At apud Luc. 3.3. *Ioannes prædicat Baptismū pœnitentiæ in remissionem*: vt ostendat suum baptismum esse viam duntaxat ad pœnitentiam, vnde cōsequatur peccatorum remissio. Piscator. aliiq; hoc interpretantur in pœnitentiæ obligationē & obsignationē; quod quamuis absurdū sit, auctores tamen suos euertit. Sin. baptismus Ioannis ad pœnitentiā tantū obligabat, & eam obsignabat, siue sigillum erat pœnitētiæ, sanè diuersus à Christi baptismo fuerit necesse est; is enim erat in Spiritu sancto & igne, mundans, sanctificans, S. sanctū conferens, non nudum pœnitentiæ signaculū. Huius igitur loci contextⁿ indicat, vt ipse Ioannes erat præcursor, ita eius quoq; baptismum talem fuisse.

Ioannes baptizat in pœnitentiā.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christus baptizat in Spiritu sancto & igne?

Crucem inurebant hæretici.

§.1. SEleucus & Hermias signum crucis candenti ferro frontibus baptizatorū inurebant; August. hæres. 59. Idem Abyssini trans Ægyptum etiam factitant. Ecclesia eiusmodi lustrationes per ignem, adustioneſq; damnauit. Quanquam si quispiam verba vrgere contentiosè velit, cum dicitur Christus baptizare igni, posset ad elementum torqueri. Cur vero id fieri non deberet, nullam nobis causam facile dicent aduersarii, nisi quod hunc sensum Ecclesia respuerit. Quomodo enim Seleucum refutabunt? nam verba Scripturæ dicent illi esse clarissima. Hoc quidem loco aliud dici non potest; quam sensum Scripturæ ab Ecclesia, quę Scripturę custos est accipiendum esse. Quo minus tolerandа est hæreticorum proteruia, qui cum fateantur ab Ecclesia hæc loca esse exposita, nunc nouam fingunt interpretationem. Significatur igitur Spiritus sancti illustrissimus aduentus, qualem Prophera Ioel prædixit, & Petrus Actor. 2. 14. meminit. Quamuis enim vox ignis à quibusdam codicibus absit, error tamen exemplarium ille est.

Ecclesia de vero sensu Scripturæ iudicat.

§.2. Confertur ergo baptismus baptismo, & duo esse baptismi ostenduntur, Ioannis in aqua מים, hoc est aqua, vbi addenda est particula exclusiua in aqua tantum, Christi in Spiritu igneo, caritatis & gratię flamma cœlesti. Alioqui etiam Apostolorum baptismus fuisset in aqua tantum. Quòd Sebastianus Castellio, aliiq; verbum baptizandi refugerent, mallentque *lauare*, & *abluere*, merito à Beza reprehenduntur, *quod nec perpetuâ tot sæculorum auctoritate, nec consuetudine quotidianâ*

Ioannis baptizati in aquâ tantum.

quotidianâ permoueantur, vt licere Theologis velint, quod cæteris magistris, & professoribus omnes concedunt. Vtinam vero qui illa monent, omnium sæculorum auctoritate permoueantur, ne rem ipsam, seu fidem mutarent.

QVÆSTIO III.

Quomodo Ioannes indignus calceamenti corrigiam Christo soluere?

Omnia diuersitas Euangelistarum in verbis, non rebus est.

§. 1. S. Augustinus l. 2. c. 12. monet, diuersitatem in Euangelistis *videri, non esse.* Matthæus dixit. *Qui autem post me venturus est, fortior me est.* Lucas: *venit autem fortior me* Matthæus: *calceamenta portare.* Lucas: *soluere corrigiam calceamenti.* Marcus addit: *procumbens.* Ioannes: *qui post me venit, ante me factus est.* In his optimè monet Augustinus, *etsi aliquid varium sit in verbis, ab eâdem tamen sententiâ non recedi.* Deinde, non esse contrarios, etsi ordo verborum immutetur. Tertio, eandem rem pluribus vel paucioribus verbis explicari, nec esse contrarium si alius omittit, quod alius refert. Subiungit tandem: *Quid ergo in his quæ de narrationibus Euangelistarum collata proposui putandum est esse contrariũ? An quod alius dixit; Cuius non sum dignus calceamenta portare: alij verò Corrigiam calceamenti soluere? Non enim verbis aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis, sed etiam ipsa videtur aliud esse calceamẽta portare, aliud corrigiam calceamenti soluere. Merito ergo quæri potest, quid Ioannes dixerit non se dignum esse? vtrum calceamenta portare, an corrigiam calceamenti soluere. Si enim alterum horum dixit, ille verum videtur narrasse, qui hoc potuit narrare quod dixit. Qui autem aliud, & si non est mentitus, certè vel oblitus, aliud pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Euangelistis decet, non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam quæ obliuiscendo. Ita q; si ad rem pertinet, aliquid aliud intelligere ex eo quod dictum est, calceamenta portare: aliquid aliud ex eo quod dictum est, corrigiam calceamenti soluere: quid aliud accipiendum rectè existimaueris, nisi Ioannem vtrumque dixisse, siue aliud alio tempore siue contextim? Potuit enim sic dicere: Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere, nec calceamenta portare: vt vnus Euangelistarum hinc aliud, alij vero aliud, omnes tamẽ verum narrauerint. Si autem nihil intendit Ioannes cum de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam eius, & humilitatem suam, quodlibet horum dixerit, siue de soluenda corrigia calceamentorum, siue de portandis calceamentis eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expresserit, vnde ab eâdem voluntate non aberrauit. Vtilis igitur modus & memoria maximè commendandus, cum de conuenientia dicimus Euangelistarum, non esse mendacium, cum quis q; etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen eius hanc explicat, quam etiam ille qui eius verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum quam quid velit ille qui loquitur.*

Nihil in Euangelio falsum.

Calceamenta portare, & corrigiam soluere moralis significatio, eadem est.

Verissima est sententia Ioannem sæpius illa dixisse, Nam & Ioan. 1. 15. *Hic est, quem dixi,* ait. Et cum multi putarent illum esse Christum, sæpe inculcandum fuit, non se Christum esse, sed Christo multo minorem.

QVÆSTIO IV.

Quid sit, post me venit?

§. 1. NOtauit Beza, Ioannem non loqui de venturo, sed de eo, qui iam post eum, seu *pone veniat*, hoc est à tergo, *sitq; proximus, eum digito demonstratum.* Ideo etiam cum Ioannes ait, medius vestrum stetit, ἔστηκεν, Beza vertit: stat: vt iam præsens esse censeatur. Ego vero multis iam notaui Bezam nostri interpretis, & aliorum Aristarchum, solitum admodũ fallere, cum aliquid nouare instituit. Primo certè fallit, cum ait ὀπίσω, esse *ponè*, & idcirco Matthæum dixisse ὀπίσω μȣ̃, non μετ' ἐμȣ̃, *pone me*, seu, *à tergo*, non, *post me*, scilicet, tempore. Situs enim & locorum, non tempo-

Post me venit tempore, non loco.

poris significationem in dictione græcâ agnouit. Nam ὀπίσω vtrumq; significat. Eccles. 9. 3. ὀπίσω αὐτȣ̃ εἰς νεκρȣ̀ς. vbi Sym. τὰ τελȣ̀ τοῖς vertit. & Homer. Iliad. ζ

Τȣ́τῳ δ' ἔτ' ἀρνυῦ φρένες ἔμπεδοι, ἔτ' ἀρ ὀπίσω ἔσσονται.

Huic neq; nunc mentes constant, neq; in posterum constabunt.

& Odyss. ξ.

Πολλὰ δ' ὀπίσω

Λαγχάνον. *Multa in posterum.*

Non igitur ob Græci verbi significatum mutandi causa fuit. præsertim cum Græci Patres ita interpretentur, & Syrus רבתרי quod temporis est præcipuè. Ioannẽ vero de tempore loqui clarissimum est. Nam ὀπίσω μȣ̃, hic apud Matthæum accipitur, vt Ioan. 1. 30. at illo loco, est idem quod בתר, & tempus significat. Cum legati eum interrogassent; cur baptizaret, *si neq; Christus, neq; Elias, neq; Propheta esset.* Respondit, se in aqua baptizare, medium autem stetisse, hoc est, in Israele esse, quem illi nescirent, eum post se venire. Non aderat tũ Dominus: quia vers. 30. dicitur: ἐπαύριον *crastino die* venisse: & tum eum Ioannem digito monstrauit, & dixit: *Ecce agnus Dei.* Et, *hic est de quo dicebam.* Quando dicebat? diebus elapsis cum nondum è Galilæa Christus aduenisset. Imo tum cum nondum sciret eum, & *ego nesciebam eum*, inquit. Denique ὀπίσω, seu *post*, opponitur Ioan. 1. 30. τῷ ἔμπροσθεν, *ante, ante me factus est*, quod non de situ, & loco, sed tempore accipitur. Sic enim exponit: cum ait, ὅτι πρῶτός μȣ̃ ἦν. *Quia prior me erat.*

Ioannes de tempore loquitur.

Centuriatores Ioannis humilitatem malignè sunt interpretati; cum aiunt, illum conscium peccatorum suorum se indignum iudicasse, qui Christi calceamenta ferret. Quod tolerari posset, si de minoribus venialibus peccatis intelligerent, verum illi omnia mortalia esse fingunt. Nos fatemur: non modo Ioannem, atq; alium quemcunq; hominem, sed angelos etiam ipsos indignos esse, qui minimũ officiũ Creatori exhibeant.

VERSVS 12.

Cuius ventilabrum in manu suâ, & permundabit aream suam. & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

QVÆSTIO I.

Quod officium Christi in Ecclesiâ?

§. 1. DVo describuntur: Tritici collectio, palearũ exustio. Ventilabrum est πτύον, quod nonnulli palam interpretantur, quâ in altum fruges cum palea iactantur, vt grana sua grauitate subsidant, paleæ auferantur à vento. Tertull. de fuga in persecutione. c. 1. *Porro iudicium soli Deo competit. Hæc pala illa, quæ & nunc Dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans frumentum martyrum, & paleas negatorum.* Cyprianus. Epist. 57. Aug. in Psal. 92. de ventilabro agunt. Vannũ Græci λίκνον appellant. Est igitur ventilabrum iudicium Dei, agitatio per tribulationes, variaq; probationum genera. Area est Ecclesia, horreum regnum cœleste, in quod grana conduntur; ignis gehenna, qua paleæ vruntur.

Ventilabro Christus discernit triticum & paleas.

§. 2. Illustris hoc loco est de Christi diuinitate probatio. Nam & Tertullianus hoc soli Deo conuenire demonstrat, vt secernat hoc modo bonos à malis. Et August. indicat Ep. 255. ad Macrob. *Nec quisquam sibi, quod soli filio Pater tribuit, vindicarit, vt seputet aut aream ventilandam, & purgandam paleam, & ventilabrum etiam ferre posse, aut à frumento vniuersa Zizania humano iudicio separare. Superba est ista præsumptio, & sacrilega obstinatio, quam sibi furor prauus assumit, & dum sibi semper amplius a-*

Dei solius est paleas separare.

nicauit Ecclesiam. Libro de vnico baptismo c.7. contra Petilianum disputans, ait, *eos qui Ioannis baptismum acceperunt, Christi baptismum non habuisse.* Verum quasi præuidens Caluini errores iam olim refutauit l.2. contra literas Petiliani c.56. & de vnit. Eccl. c.11. accuratissime inter ista distinguit. *Cum tantum distaret inter Petrum & Iudam, nihil tamen distabat inter baptismum, qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Iudam: illud enim quod per eos dabatur, vnum erat, cum ipsi non essent vnum. Et illud Christi erat; illorum autem, vnus ad membra Christi alter ad partem Diaboli pertinebat. Cum vero Ioannes Baptista & Paulus Apostolus vnum essent, quia vterq; Sponsi amicus erat, tamen quia non erat vnus baptismus, qui dabatur à Ioanne, & qui dabatur à Paulo, iussit Paulus Christi baptismo baptizari eos, qui baptismo Ioannis fuerant baptizati. Itaq; ille baptismus Ioannis dictus est, qui autem per Paulum datus est, non est dictus baptismus Pauli, sed iussit eos inquit baptizari in Christo. Ecce vnum sunt Ioannes & Paulus, & non vnum dant. Ecce non sunt vnum Petrus & Iudas, & vnum dant. At vero Petrus & Paulus, & vnum sunt, & vnum dant.*

Non igitur vnus erat Ioannis & Christi baptismus ex S. Augustini sententia, quam tum fuisse totius Ecclesiæ videmus. Et Ep. 49. ad Vincentium. Eodem modo probat, non ideo rebaptizandos quod ab hæreticis essent baptizati, soluitq; argumentum Donatistarum & Rogatistarum, qui exemplo Pauli vtebantur, eos qui à Ioanne baptizati fuerant, rebaptizantis. *Si autem hoc dementissimum est, vel sentire, vel dicere; iam tuæ prudentiæ est considerare, quare post Ioannem Paulus Apostolus baptizauerit. Si enim post æqualem, omnes post vos baptizare debetis. Si post maiorem, debes & tu post Rogatum. Si post minorem, debuit post te Rogatus cum presbyter baptizasses. Si autem baptismus qui nunc datur, ideo pariter valet in eis quibus datur, quamuis sint imparis meriti, per quos datur, quia Christi est, non eorum à quibus ministratur: puto quod iam intelligas, ideo Paulum dedisse quibusdam baptismum Christi, quia Ioannis baptismo fuerant baptizati, non Christi. Ioannis quippe baptismus ille dictus est, sicut multis locis diuina Scriptura testatur, quod & ipse Dominus dicit: Baptismus Ioannis vnde erat, de cœlo, an ex hominibus? Baptismus autem, quem dedit Petrus, non erat Petri sed Christi.*

Hæc solutio deficit, si Ioannis baptisma erat Christi, sicut Petri erat Christi. Ille autem hoc serio vrget. *Nonne tibi videtur quasi intolerabiliter indignum, vt cum baptizatum fuerit post eum qui non sobrie vinum bibens, sed vinū omnino non bibens, regno Dei viam parauit, non baptizetur post ebriosum, qui regnum Dei non possidebit? Quid hic respondetur, nisi quia ille baptismus erat Ioannis, post quem Christi baptismo baptizauit Apostolus: iste autem baptismus Christi est, quo baptizauit ebriosus? inter Ioannem & ebriosum à contrario multum interest: inter baptismum Christi quem dedit Apostolus, & baptismum Christi, quem dedit ebriosus, nihil interest, &c.*

Noua legis conditor etiam sacramenta nouæ legis instituit.

§.4. Ratio est S. Augustini, & aliorum Patrum, quia Ioannes præcursor erat; non erat eius officium legem nouam condere, aut veterem abrogare. Ideo nec sacramenta noue legis instituere: cohærent enim ista. Vnus est enim legifer noster. Isa. 33. & Ioel. 2. Christus igitur qui nouam legem condidit, & morte firmauit, sacramenta etiam solus instituit. Sub lege enim vetere tenebantur concluſi, donec veniret filius.

Forma nostri baptismi & Ioannis diuersa.

Deinde, omnes, etiam hæretici vtuntur in baptismo inuocatione S. Trinitatis: baptizant enim *in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* At sanè in Ioannis baptismo neq; quam illa inuocatio adhibita fuit, qui enim eo fuerant baptizati, an esset Spiritus sanctus ignorabant. Act. 2. Quapropter disertè Ioannes suum baptisma aliud ostendit, à Christi baptismo. *Sein aqua baptizare,* postea venturum, *qui baptizet in Spiritu sancto.* Si erat vnus baptismus, secundum aquam, Ioannis, secundū Spiritum, Christi: quemadmodum erat, Baptismus Petri & Christi. Non oportebat dicere de Christo *Hic* baptizabit, sed iam me cum baptizat, dum ergo corpus abluo, ille animam. Quod est multo clarius apud Marc. 1.8. Ego baptizaui vos aquâ: ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. Alloquitur iam baptizatos à se, nondum à Christo; eos baptizandos: ait Spiritu sancto, non ergo Christi actionem in suo baptismo expressit. Baptismus igitur Ioannis in auctore suo desiit, vt Hieron. aduers. Lucifer. in. Chrys. hoc loco. Standū itaq; Concilii Trid. sententiâ Sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit. Testimonia alia Patrū omitto, quæ apud Bell. l.1. de bapt. c.21. apud Soarez. T.2. in 3.p. disput. 25. sect. 3.*

Similis Christi baptismo fuit baptismus Ioannis, non idem.

§.5. Hæretici inscitè multa adferunt similia, in vtroq; baptismo. Esse in aqua, in remissionem peccatorū. Verum nullo modo eandem esse probant, sed tantummodo similem. Omnia enim eadem esse oportet, vt sint res eædem. Dissimilis est forma, nec enim in Ioannis baptismo mentio Trinitatis, alius est status, non enim noua lex inducta, alia efficacia, non enim baptizabatur Spiritu sancto à Ioanne. Denique; *Ioannes baptizabat eis μετάνοιαν in pœnitentiam,* vt ad pœnitentiam incitaret, Christus in iustificationem, seu remissionem peccatorum. Ita enim Petrus Act. 2.38. in remissionem peccatorum. At apud Luc. 3.3. *Ioannes prædicat Baptismū pœnitentiæ in remissionem*: vt ostendat suum baptismum esse viam duntaxat ad pœnitentiam, vnde cōsequatur peccatorum remissio. Piscator. aliiq; hoc interpretantur in pœnitentiæ obligationē & obsignationē; quod quamuis absurdū sit, auctores tamen suos euertit. Sin. baptismus Ioannis ad pœnitentiā tantū obligabat, & eam obsignabat, siue sigillum erat pœnitētiæ, sanè diuersus à Christi baptismo fuerit necesse est; is enim erat in Spiritu sancto & igne, mundans, sanctificans, S. sanctū conferens, non nudum pœnitentiæ signaculū. Huius igitur loci contextⁿ indicat, vt ipse Ioannes erat præcursor, ita eius quoq; baptismum talem fuisse.

Ioannes baptizat in pœnitentiā.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christus baptizat in Spiritu sancto & igne?

Crucem inurebant hæretici.

§.1. SEleucus & Hermias signum crucis candenti ferro frontibus baptizatorū inurebant; August. hæres. 59. Idem Abyssini trans Ægyptum etiam factitant. Ecclesia eiusmodi lustrationes per ignem, adustioneſq; damnauit. Quanquam si quispiam verba vrgere contentiosè velit, cum dicitur Christus baptizare igni, posset ad elementum torqueri. Cur vero id fieri non deberet, nullam nobis causam facile dicent aduersarii, nisi quod hunc sensum Ecclesia respuerit. Quomodo enim Seleucum refutabunt? nam verba Scripturæ dicent illi esse clarissima. Hoc quidem loco aliud dici non potest; quam sensum Scripturæ ab Ecclesia, quę Scripturę custos est accipiendum esse. Quo minus tolerandа est hæreticorum proteruia, qui cum fateantur ab Ecclesia hæc loca esse exposita, nunc nouam fingunt interpretationem. Significatur igitur Spiritus sancti illustrissimus aduentus, qualem Prophera Ioel prædixit, & Petrus Actor. 2. 14. meminit. Quamuis enim vox ignis à quibusdam codicibus absit, error tamen exemplarium ille est.

Ecclesia de vero sensu Scripturæ iudicat.

§.2. Confertur ergo baptismus baptismo, & duo esse baptismi ostenduntur, Ioannis in aqua מים, hoc est aqua, vbi addenda est particula exclusiua in aqua tantum, Christi in Spiritu igneo, caritatis & gratię flamma cœlesti. Alioqui etiam Apostolorum baptismus fuisset in aqua tantum. Quòd Sebastianus Castellio, aliiq; verbum baptizandi refugerent, mallentque *lauare*, & *abluere*, merito à Beza reprehenduntur, *quod nec perpetuâ tot sæculorum auctoritate, nec consuetudine quotidianâ*

Ioannis baptizati in aquâ tantum.

quotidianâ permoueantur, vt licere Theologis velint, quod cæteris magistris, & professoribus omnes concedunt. Vtinam vero qui illa monent, omnium sæculorum auctoritate permoueantur, ne rem ipsam, seu fidem mutarent.

QVÆSTIO III.

Quomodo Ioannes indignus calceamenti corrigiam Christo soluere?

Omnia diuersitas Euangelistarum in verbis, non rebus est.

§. 1. S. Augustinus l. 2. c. 12. monet, diuersitatem in Euangelistis *videri, non esse.* Matthæus dixit. *Qui autem post me venturus est, fortior me est.* Lucas: *venit autem fortior me* Matthæus: *calceamenta portare.* Lucas: *soluere corrigiam calceamenti.* Marcus addit: *procumbens.* Ioannes: *qui post me venit, ante me factus est.* In his optimè monet Augustinus, *etsi aliquid varium sit in verbis, ab eâdem tamen sententiâ non recedi.* Deinde, non esse contrarios, etsi ordo verborum immutetur. Tertio, eandem rem pluribus vel paucioribus verbis explicari, nec esse contrarium si alius omittit, quod alius refert. Subiungit tandem: *Quid ergo in his quæ de narrationibus Euangelistarum collata proposui putandum est esse contrariũ? An quod alius dixit; Cuius non sum dignus calceamenta portare: alij verò Corrigiam calceamenti soluere? Non enim verbis aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis, sed etiam ipsa videtur aliud esse calceamẽta portare, aliud corrigiam calceamenti soluere. Merito ergo quæri potest, quid Ioannes dixerit non se dignum esse? vtrum calceamenta portare, an corrigiam calceamenti soluere. Si enim alterum horum dixit, ille verum videtur narrasse, qui hoc potuit narrare quod dixit. Qui autem aliud, & si non est mentitus, certè vel oblitus, aliud pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Euangelistis decet, non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam quæ obliuiscendo. Ita q; si ad rem pertinet, aliquid aliud intelligere ex eo quod dictum est, calceamenta portare: aliquid aliud ex eo quod dictum est, corrigiam calceamenti soluere: quid aliud accipiendum rectè existimaueris, nisi Ioannem vtrumque dixisse, siue aliud alio tempore siue contextim? Potuit enim sic dicere: Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere, nec calceamenta portare: vt vnus Euangelistarum hinc aliud, alij vero aliud, omnes tamẽ verum narrauerint. Si autem nihil intendit Ioannes cum de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam eius, & humilitatem suam, quodlibet horum dixerit, siue de soluenda corrigia calceamentorum, siue de portandis calceamentis eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expresserit, vnde ab eâdem voluntate non aberrauit. Vtilis igitur modus & memoria maximè commendandus, cum de conuenientia dicimus Euangelistarum, non esse mendacium, cum quis q; etiam dicens aliquid aliud, quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen eius hanc explicat, quam etiam ille qui eius verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum quam quid velit ille qui loquitur.*

Nihil in Euangelio falsum.

Calceamenta portare, & corrigiam soluere moralis significatio, eadem est.

Verissima est sententia Ioannem sæpius illa dixisse, Nam & Ioan. 1. 15. *Hic est, quem dixi,* ait. Et cum multi putarent illum esse Christum, sæpe inculcandum fuit, non se Christum esse, sed Christo multo minorem.

QVÆSTIO IV.

Quid sit, post me venit?

§. 1. NOtauit Beza, Ioannem non loqui de venturo, sed de eo, qui iam post eum, seu *pone veniat*, hoc est à tergo, *sitq; proximus, eum digito demonstratum.* Ideo etiam cum Ioannes ait, medius vestrum stetit, ἔστηκεν, Beza vertit: stat: vt iam præsens esse censeatur. Ego vero multis iam notaui Bezam nostri interpretis, & aliorum Aristarchum, solitum admodũ fallere, cum aliquid nouare instituit. Primo certè fallit, cum ait ὀπίσω, esse *ponè*, & idcirco Matthæum dixisse ὀπίσω μȣ̃, non μετ' ἐμȣ̃, *pone me*, seu, *à tergo*, non, *post me*, scilicet, tempore. Situs enim & locorum, non tempo-

Post me venit tempore, non loco.

poris significationem in dictione græcâ agnouit. Nam ὀπίσω vtrumq; significat. Eccles. 9. 3. ὀπίσω αὐτȣ̃ εἰς νεκρȣ̀ς. vbi Sym. τὰ τελȣ̀ τοῖς vertit. & Homer. Iliad. ζ

Τȣ́τῳ δ' ἔτ' ἀρνυῦ φρένες ἔμπεδοι, ἔτ' ἀρ ὀπίσω ἔσσονται.

Huic neq; nunc mentes constant, neq; in posterum constabunt.

& Odyss. ξ.

Πολλὰ δ' ὀπίσω

Λαγχάνον. *Multa in posterum.*

Non igitur ob Græci verbi significatum mutandi causa fuit. præsertim cum Græci Patres ita interpretentur, & Syrus רבתרי quod temporis est præcipuè. Ioannẽ vero de tempore loqui clarissimum est. Nam ὀπίσω μȣ̃, hic apud Matthæum accipitur, vt Ioan. 1. 30. at illo loco, est idem quod בתר, & tempus significat. Cum legati eum interrogassent; cur baptizaret, *si neq; Christus, neq; Elias, neq; Propheta esset.* Respondit, se in aqua baptizare, medium autem stetisse, hoc est, in Israele esse, quem illi nescirent, eum post se venire. Non aderat tũ Dominus: quia vers. 30. dicitur: ἐπαύριον *crastino die* venisse: & tum eum Ioannem digito monstrauit, & dixit: *Ecce agnus Dei.* Et, *hic est de quo dicebam.* Quando dicebat? diebus elapsis cum nondum è Galilæa Christus aduenisset. Imo tum cum nondum sciret eum, & *ego nesciebam eum*, inquit. Denique ὀπίσω, seu *post*, opponitur Ioan. 1. 30. τῷ ἔμπροσθεν, *ante, ante me factus est*, quod non de situ, & loco, sed tempore accipitur. Sic enim exponit: cum ait, ὅτι πρῶτός μȣ̃ ἦν. *Quia prior me erat.*

Ioannes de tempore loquitur.

Centuriatores Ioannis humilitatem malignè sunt interpretati; cum aiunt, illum conscium peccatorum suorum se indignum iudicasse, qui Christi calceamenta ferret. Quod tolerari posset, si de minoribus venialibus peccatis intelligerent, verum illi omnia mortalia esse fingunt. Nos fatemur: non modo Ioannem, atq; alium quemcunq; hominem, sed angelos etiam ipsos indignos esse, qui minimũ officiũ Creatori exhibeant.

VERSVS 12.

Cuius ventilabrum in manu suâ, & permundabit aream suam. & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

QVÆSTIO I.

Quod officium Christi in Ecclesiâ?

§. 1. DVo describuntur: Tritici collectio, palearũ exustio. Ventilabrum est πτύον, quod nonnulli palam interpretantur, quâ in altum fruges cum palea iactantur, vt grana sua grauitate subsidant, paleæ auferantur à vento. Tertull. de fuga in persecutione. c. 1. *Porro iudicium soli Deo competit. Hæc pala illa, quæ & nunc Dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans frumentum martyrum, & paleas negatorum.* Cyprianus. Epist. 57. Aug. in Psal. 92. de ventilabro agunt. Vannũ Græci λίκνον appellant. Est igitur ventilabrum iudicium Dei, agitatio per tribulationes, variaq; probationum genera. Area est Ecclesia, horreum regnum cœleste, in quod grana conduntur; ignis gehenna, qua paleæ vruntur.

Ventilabro Christus discernit triticum & paleas.

§. 2. Illustris hoc loco est de Christi diuinitate probatio. Nam & Tertullianus hoc soli Deo conuenire demonstrat, vt secernat hoc modo bonos à malis. Et August. indicat Ep. 255. ad Macrob. *Nec quisquam sibi, quod soli filio Pater tribuit, vindicarit, vt seputet aut aream ventilandam, & purgandam paleam, & ventilabrum etiam ferre posse, aut à frumento vniuersa Zizania humano iudicio separare. Superba est ista præsumptio, & sacrilega obstinatio, quam sibi furor prauus assumit, & dum sibi semper amplius a-*

Dei solius est paleas separare.

liquid quam mitis iustitiam deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt, & dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt.

Solus quippe Deus est, qui regnum æternum donat, quiq; æternùm reprobos cruciat. Quin de Christo vt de Domino rerum omnium loquitur, dum cœlum vocat horreum eius, non horreum alterius. Christus igitur Deus est.

In Ecclesiâ triticum, & paleæ.

§. 2. Testimonio de tritico & paleis creberrimè contra Donatistas vtitur S. August. Non enim ideo deserendam Ecclesiam, in qua est triticum & paleæ. Non enim ideo deserenda area: quia in ea sunt & paleæ: imo, quia maior est cumulus palearum, sed agendum hoc est, ne nos paleæ simus, & caritatis inanes, à vento rapiamur. Eadem nos quoq; ratione vtimur, vt infirmos contra scandala fidelium muniamus. Cum enim prædictum sit, fore in Ecclesia scandala, & multos improbos, non est quærenda Ecclesia, in qua omnes sine scandalo viuant.

§. 3. Ignem inextinguibilem vocat non modo, quia semper ardebit, sed etiam quia semper vret. Itaq; contra Originianos hunc locum SS. PP. semper vsurparunt.

VERSVS 16.

Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua. Et ecce cœli aperti sunt, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.

QVÆSTIO I.

Quæ hoc loco controuersa?

§. 1. ADmodum varia sunt, de quibus D. Thom. p. 3. q. 49. & in eum locum interpretes, verum, quia ad religionis dogmata non pertinent, prætermitto.

Christus dicitur vidisse columbam super se ascendentē.

§. 2. An Spiritum sanctum Christus an Ioannes vidisse dicatur, controuersia est: Græci aliquot Libri habent ἐφ' αὐτὸν, vel ἐφ' ἑαυτὸν *super ipsum* Dominum. Ad Christum igitur & Ioannē referri potest. Nam vterq; columbā vidit; videtur & populus spectasse, cum Luc. 3. 21. dicat columbam *corporali specie* descendisse. Potius tamen ad Christum: Marcus enim recensens historiā, καὶ εὐθέως, inquit ἀναβαίνων ἐκ τοῦ ὕδατος εἶδε σχιζομένους. *Et ascendens ex aquâ, vidit.* at Iesus erat qui ascendebat statim de aqua, ille igitur qui dicitur vidisse columbam super se ascendentem, quam lectionem etiam Augustinus agnoscit.

VERSVS 17.

Et ecce vox de cœlis dicens; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

QVÆSTIO I.

Quid dixerit Pater cœlestis?

Matth. Hic est filius. alij. Tu es filius.

§. 1. MAtthæus habet: *hic est filius*; alii. *Tu es filius meus.* Hinc calumniati sunt Euangelistas Iudæi, & gentiles. August. lib. 2. de consensu Euangel. Sic respondet. *Deinde sequitur Matthæus, Baptizatus autem confestim descendit de aquâ. Et ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se: & ecce vox de cœlis dicens, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Hoc & alij duo Marcus & Lucas similiter narrant. Sed de verbis vocis, quæ de cœlo facta est, variant locutionem, saluâ tamen sententiâ. Quod enim Matthæus ait dictum, Hic est filius meus dilectus: & alij duo dicunt, Tu es filius meus dilectus, ad eandem sententiam explicandam valet, sicut superius tractatum est. Vox enim cœlestis vnum horum dixit, sed Euangelista ostendere voluit ad id valere, quod dictum est, Hic est filius meus, vt illis potius qui audiebant, indicaretur, quod ipse esset filius Dei: atq; ita dictū referre voluit, Tu es filius meus: ac si diceretur illis: Hic est filius meus. Non enim Christo indicabatur quod sciebat, sed audiebant qui aderāt, propter quos etiam ipsa vox facta est. Iam vero quod alius dicit, In quo mihi complacui: alius, in te complacui: alius, in te complacuit mihi: si quæris quid horum in illâ voce sonuerit, quod libet accipe, dummodo intelligas eos qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam. Quæ diuersitas locutionum ad hoc etiam vtilis est, ne vno modo dictum minus intelligatur, & aliter quam res se habeat interpretetur. Quod enim dictum est, In quo mihi complacui: si velit quis ita intelligere, vt Deus in filio, sibi placuisse videatur, admonetur ex eo quod dictum est, in te complacui: Si rursus ex hoc vno intelligat quisque, in filio Patrem placuisse hominibus, admonetur ex eo quod dictum est, In te complacuit mihi: Ex quo satis apparet, quod quilibet Euangelistarum cœlestis vocis etiam verba tenuerit: alios ad eandem sententiam familiarius explicandam verba variasse: vt intelligatur hoc dictum esse ab omnibus, tanquam diceretur, In te placitum meum constitui: hoc est per te gerere quod mihi placet. Illud vero quod nonnulli codices habent secundum Lucam, hoc illâ voce sonuisse, quod in Psalmo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodiè genui te, quanquam in antiquioribus codicib. Græcis non inueniri perhibeatur, tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari posit, quid aliud quam vtrumq; intelligendum est quolibet verborum ordine de cœlo sonuisse?*

Vtrumque dixit Deus Pater vtrumque repetitâ.

Insinuat Augustinus, quod verissimum esse arbitror. Nempe vocem Patris primo filium appellasse; deinde Ioannem & astantes. Primo amorem in filium testatur, alterum addit, vt ad eum audiendum colendumq; excitet. Nec mirum est bis eandem sententiam diuersa forma prolatam, cum in veteri lege videamus toties eadem inculcando repeti. Itaq; & verba, & sensum ab Euangelistis relatum dicere malo. Quod si dicendum est, alios sensum, alios verba retulisse, verisimilius est eos sensum retulisse, qui in tertia persona locuti sunt. Fieri enim solet, vt cum narramus ea, quæ alii dixêre, aliâ personâ efferamus.

QVÆSTIO II.

An ex hoc loco Christi diuinitas ostendatur?

Patris testimonio filius Deus probatur.

§. 1. ITa consensu Patres docuerunt. Imprimis S. Athanasius Episcopus Alexandrinus l. 3. contra Arianos: *Atqui si iuxta Hæreticos res condita quidem aut opus esset, sed non tamen eiusmodi cuiusmodi sunt condita, ob suam præ cæteris excellentiam, oportuit id ipsum, quibusnam melior esset, ex comparatione à sacris literis indicari: quale est, si Archangelis maior dicatur, aut preciosior thronis, aut splendidior Sole & Luna, aut speciosior cœlo. Nunc autem ille ad istum modum nō describitur; sed filium eum sibi esse & solum, & proprium ostendit Pater, idq; his verbis,* Filius meus es tu: *& rursum.* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi congratulor. *Ideoq; inseruiebant illi Angeli, vt diuerso alienoq; ab illorum naturâ: & adoratur ab illis, non vt gloria maior, sed vt alius, discretus, seiunctusq; à conditione tum creaturarum reliquarum, tum etiam ipsorum Angelorum, Patri tantummodo æqualis filius secundum rationem substantiæ. Si enim ideò quia gloria sublimior est, adoraretur, par esset, vt omnia inferiora superioribus se in adorando inclinarent: sed id ita non est: creatura siquidē creaturā non adorat, sed quæ seruilis sunt conditionis Dominos: & quæ creaturæ sunt, Deum adorationib. colunt.*

Idem argumentum Heb. 1.

Fuisse antiquissimum huius loci vsum, & Patres Athanasio vetustiores hæc vsurpasse constat ex eodem Athanasio Epist. de Synod. Arimini, & Seleuciæ. *Vos igitur cum dicebatis filiū ex Deo esse, ex Patris substantiâ eū esse dicebatis: verum quoniam ante vos Dominum ipsa Scriptura*

Filium

Filius Dei, de substantia patris est.

Filium Patris nominauerunt, ante scripturam Pater dixit, Hic est Filius meus dilectus, & filius nihil est nisi fœtus patris, qui fieri posset, vt non videantur Patres recte pronunciasse, filium ex patris substantia esse, recte cogitantes idem esse, si dicas ex Deo esse, & ex eius substantia esse? Cetera omnia condita tametsi ex Deo suum esse habeant, non tamen eodem modo, quo filius ex Deo, sunt: non enim fœtus, sed opera secundum naturam existimanda sunt.

Tria porro sunt quæ filium proprie dictum ostendunt, primo dicitur ὁ υἱὸς filius ille proprius, & naturalis. Deinde ὁ ἀγαπητὸς natura sua infinitum amabil s. Denique ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo mihi complacui.* Cyprianus, *bene sensi*, Syrus צבך *placui, iucundus fui.* Est vero insignis locus S. Cyrilli Catech. 11. cum enim dixisset Christum esse φυσικὸν υἱὸν, ἀληθινὸν υἱὸν, naturalem & verum filium subiungit. Καὶ ἡμεῖς μὲν γεννώμεθα ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. οὐχ οὕτω δὲ ἐκεῖνος ἐκ πατρὸς ἐν τῷ καιρῷ τοῦ βαπτίσματος προφωνῶν, καὶ λέγων, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ἵνα δηλώσῃ, ὅτι καὶ πρὸ τοῦ βαπτίσματος ἐνεργείας υἱὸς ἦν, ὁ δὲ λόγος, λαληθείς, καὶ εἰς ἀέρα διαχυθείς, ἀποβλύπτει. *Et nos quidem nascimur ex aqua & spiritu. Non ita autem Christus Iesus ex patre natus est, tempore baptismatis clamante & dicente: Hic est filius meus. Non dixit, Hic nunc factus est filius meus: sed hic est filius meus, vt ostendat quod ante baptismatis operationem filius erat. Genuit pater filium, non sicut in hominibus mens generat verbum. Mens enim subsistens in nobis est: verbum autem prolatum, in aera sparsum, disperditur.*

Aliter nonnulli. Aliter Dei verbum nascitur.

Eodem modo Adrianus Papa, Concilium Francofurt. Legatur Soarez T. 2. in 3. p. disputatione 49.

CAPVT IV.

Mar. 1. b. 12. Luc. 4. a. 1.

TVnc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. 2. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. 3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. 4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo

Deut. 8. a. 3.

pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 5. Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, 6. & dixit ei. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad la-

Ps. 90. c. 11. Deut. 6.

pidem pedem tuum. 7. Ait illi Iesus: Rursus scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, 9. & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. 10. Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana: Scriptum

Deut. 6. b. 3. Marc. 1. c. 14. Luc. 4. c. 14. Ioan. 4. f. 43. Mat. 9. a. 1.

est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 11. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. 12. Cum autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: 13. & relicta ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon,

Mat. 4. c. 13.

& Nephthalim: 14. vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: 15. Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium. 16. populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. 17. Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere; Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. 18. Ambulans autem Iesus iuxta mare Gali-

Marc. 1. b. 15. Marc. 1. b. 16.

lææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores.) 19. & ait illis; Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. 20. At illi con-

Luc. 5. a. 1.

tinuo relictis retibus secuti sunt eum. 21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos. 22. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. 23. Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. 24. Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tor-

Marc. 3. a. 8. Luc. 9. c. 17.

mentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: 25. & secutæ sunt eum turbæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de trans Iordanem.

IN CAPVT QVARTVM

ARGVMENTVM.

Christus è deserto, non è mundo ad docendum procedit.

CHRISTVS à baptismo mox in desertum à spiritu agitur, ieiunat quadraginta dies, & totidem noctes, tentatur, vincit, atque inde egressus docet, Apostolos vocare incipit, varios languores sanat, à dæmone obsessos liberat. Nobis pœnitentiæ, luctæque contra diabolum exemplo præit, modumque vincendi præscribit. Ita S. Augustinus enarr. in Psalm. 60. *Modo legebatur in Euangelio, quia Dominus Iesus Christus in eremo tentabatur à diabolo. Prorsus Christus tentabatur à diabolo. In Christo enim tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem: de te sibi mortem, de se tibi vitam: de te sibi contumelias, de se tibi honores. Ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo nos diabolum superamus. Attendis quia Christus tentatus est, & non attendis, quia vicit? Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Poterat à se diabolum prohibere: sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non præberet.* Eodem quo apud nos tempore textus ille in Ecclesia Syriaca legitur, ex quo constat illos suam quadragesimam etiam habuisse. Titulus præfexus hoc indicat, & quidem bis legi consuetum. Nam primo legebatur ad introitum צומא *Zuma, ieiunii.* Deinde ad oblationem דארבעין *darbeghin*, hoc est quadragesimæ.

Nos in Christo tentati in Christo vincimus.

VERSVS 1.

Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.

QVÆSTIO I.

A quo spiritu ductus in desertum?

A Spiritu sancto ductus in desertum.

§. 1. AB eo, qui à primo incarnationis momento in eo habitauit, cum plenitudine diuinitatis, quique in eum aspectabili columbæ specie descenderat. Nam hoc est, quod Lucas ait c. 4. 1. *Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane: & agebatur in spiritu in desertum*, ἐις ἔρημον. Marcus ait, τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει, *eiecit eum spiritus*: quo verbo significatur efficacia spiritus sponte euntem incitantis, non enim humana opera, affectuque, sed diuina virtute in locum certaminis se contulit, itaque audiendi non sunt, qui à maligno eum spiritu in loca deserta abreptum arbitrati sunt. Multo rectius Cyprianus, siue quisquis est auctor l. de virtut. cardin. c. de tentat. Origen. in Luc. Ambros. lib. 4. in Luc. Chrys. hom. 13. Greg. hom. 16. comment. Hieron. Chrysol. Serm. 11.

Christus solitarie vixit.

Veretur hoc loco Illyricus, ne si in desertum sua sponte eat, *aliquis cum Monachis & fanatico sibi crucem attrahat: eodem facit vox deserti: ibi enim demum ieiunandum est, vbi Deus nos in desertum collocat, nosque omni ope humana priuat, non nos eâ vltro temere priuare debemus.*

Illyricus ibi ieiunandũ censet, vbi nihil esse potest.

Egregius sane pœnitentiæ præco; quasi vero non vltro ad crucẽ currere oporteat; quasi discipuli Ioannis non crucem attraxerint, & ablato sponso Apostoli. An tu obsecro tum demum ieiunabis, vbi Deus te in desertum collocarit? escamque ademerit? Lauta est igitur diuitum vita, regumque; ieiunare iubentur soli pauperes, quibus res angusta domi, quos atra fames cogit patulas absumere quadras. Graue igitur Christiani illi Antiocheni Act. 13. 3. delictum admiserunt: *ieiunantibus enim dixit Spiritus sanctus, segregate mihi, &c.* deinde *ieiunantes & orantes, dimiserunt Saulum, & Barnabam*, at in deserto non erant, sed in ciuitate opulentissima opulenti, vt qui eleemosynas etiam Ierosolymam mitterent, an tum *demum est ieiunandum cum Dominus nos omni ope humana priuat*? Quis nescit vel inuito ieiunandum, si vel in scopulos, vel desertam aliquam insulam naufragio quispiam eiiciatur? An hoc est ieiunium placitum Domino, quo multi quotidie miserabili necessitate intereunt, non laudabili abstinentia Domino deseruiunt? Imo si Christi exemplum spectamus, cum rerum omnium affluentia frui licet, ieiunandum est. Neque enim idcirco esuriem Christus tolerauit, quod cibo destitueretur, vtpote cuius erant iumenta in montibus, volucres cœli, qui vno nutu duodecim angelorum legiones pabulatum mittere poterat. An Daniel supremus Chaldæi regis præfectus in deserto erat, cum per tres hebdomadas ieiunauit? nec panem comedit? nec aquam bibit? Huic Apicio, qui ieiunium nullum agnoscit, nisi postquam decoxit, tota antiquitas opponitur. Mihi solius Basilii sufficit adhortatio, qui ieiunium abundantibus suadet. hom. de ieiunio. γενέσθω ἡ νηστεία ἀνάπαυσις ἐκ τῶν συνεχῶν πόνων, πᾶς ὅστις σὲ ὑπηρετεῖσθαι οἰκέτας. ἀνάπαυσον σὸν ἡνίοχον. δὸς ἄδειαν τῷ τραπεζοποιῷ. ἧσον τὴν χεῖρα τῷ οἰνοχόῳ. παυσάσθω ποτὲ ἡ τῶν ποικιλίας τῶν πεμμάτων ἐπιτηδεύων. καυχασάσθω ποτὲ καὶ ὁ οἶκος ὑπὸ τῶν μυελῶν βρύων, καὶ ἡ καπνὸς ἡ τῆς κνίσσης, καὶ τῶν ἄνω καὶ κάτω μαγειρευόντων, καὶ οἱονεὶ ἀπαρχόμενος τῆς γαστρὸς λειτουργούντων. πάντως ποτὲ καὶ οἱ φορολόγοι τοῖς ὑπὸχειρίοις ἐλεύθερόν τι μικρὸν ἐπιτρέπουσι. δότω τινὰ ὀκνηρίαν καὶ ἡ γαστὴρ τῷ σώματι.

Diuiti inter medias cupedias suadetur ieiunium.

ἀπεισάσθω ἡμῖν πενθημερεῖς σπονδὰς, ἡ ἀεὶ ἀπαιτοῦσα καὶ οὐδέποτε λήγουσα, ἡ λαμβάνουσα σήμερον, καὶ αὔριον ἐπιλαμβάνεται. [Sit ieiunium famulis requies à perpetuis laboribus qui tibi per totum annum inseruiunt. Dato respirationem coquo tuo, da ocium mensarum apparatori, quiescat manus pocillatoris, sit aliquando respiratio variorum bellariorum ac cupediarum architecto. Conquiescat tandem ipsa domus ab infinitis tumultibus, à fumo, à nidore, ab his qui sursum deorsum curritant, ac ventri velut imperiosæ dominæ ministrant. Prorsus etiam tributorum exactores sibi obnoxiis paulisper concedunt libertatem. Det aliquantum vacationis & venter ori, paciscatur nobiscum quinque dierum inducias, qui semper alioqui flagitat, nec vnquam desinit, dum quod accepit hodie, cras obliuiscitur.]

QVÆSTIO II.

Cur ductus in desertum?

Variæ causæ solitudinis sed vna refert scriptura.

§. 1. VAriæ causæ à variis adferuntur, quæ cum passim apud omnes interpretes inueniantur, vt nostrum Salmeronem, Maldonatum, Baradium, Vincentium, Soarez in q. 41. partis 3. Tom. 2. relinquo. Verum vnica est, quam scriptura adducit, causa. *Vt tentaretur à Diabolo.* Τὸ πειρασθῆναι, tentandi gratia, qua forma loquendi etiam vtitur Syrus נתנסא denethnasse.

Dare occasionem malum videtur.

Veruntamen rationem eam multi mirantur. Ire enim ex proposito & alteri offerre tentandi occasionem, malum esse videtur. Qui enim agit, vt homini offerat occasionem peccandi, eumque peccare desiderat iam sane peccat, nec igitur dæmoni occasio, seu incitamentum ad inferendam tentationem dari oportet. Velle enim alium peccare, peccatum est.

Deus non vult malũ non desinit.

Respondent facile Caluiniani: Deum velle, decreuisse, vrgere, iubere, armare dæmonem, vt tentet. Verum nobis de Deo pie sentiendum est, & loquendum; præsertim cum videamus moderatiores ab illis quoque recessisse, vt fecerunt Arminiani in Batauia, aliique in Britannia.

Deus tentationẽ Christi permittere voluit.

Nota est responsio S. Ambros. lib. 4. in Lucam. Chrysost. hom. 13. de permissione esse intelligendum. Decreuit enim tentationes Deus permittere, ob maius bonum, quo nec dæmonem incitat, nec prouocat. Hanc sequitur Tom. 2. 3. p. q. 41. sect. 1. Soarez, alii permulti. Alii tamen iussse in desertum, vt se tentandum præberet, & vinceret; Maldonatus aiit prouocasse dæmonem, vt in se insiliret. Diuersum illi finem, & intentionem esse iudicant. Nempe Christum vidisse diabolum tanquam leonem rugientem circumire, omnem nocendi occasionem quærere, in desertum autem profectum vt ibi singulari certamine superaret, non potentia, sed humilitate, & iustitia. Areti mali auctoris non mala est interpretatio. *Vt tentaretur, hoc est, tentatus declararet Satanæ, quid posset? quis esset? quid illi esset ab hoc Christo exspectandum?* Ita quoq; D. Thom. 3. p. q. 41. art. 2. ad 2. *Duplicem*, ait, *occasionem tentationis: Vnam ex parte hominis, cum aliquis peccato se propinquum facit, occasiones non euitans, aliam ex parte diaboli, qui semper inuidet ad meliora tendentibus*, vt ait Ambros. *& talem tentationem non vitandam.* Nam reuera ea occasio præstita nec plurium, nec grauiorum causa criminum est. Vt si quempiam capitalis inimicus absque intermissione infestet, clam, palam, mortem machinetur, non censebitur ille occasionem dare peccati, qui in apertum campum procedit armatus, vt pugnare liceat, & vincere; sic enim victoriam facilliorem, & spectatiorem sibi efficiet, & familiæ securitatem præstabit. Itaque cum eum Satanas tentare semper conaretur, deuere eum in deserto, Deo, ange-

Prouocauit vt in loco sibi idoneo vinceret.

Clam insidiantem non apertũ prouocatellum.

ângelis, inferis spectantibus statuit. Tentatus est autem à Lucifero principe dæmoniorum, qui hoc loco per antonomasiam vocatur Satanas, quem Syrus vocat, אבלקרצא *Achelkarza. calumniarum præconem*, vel *promulgatorem*.

VERSVS 2.

Et cum ieunasset quadraginta dies, & quadraginta noctes, postea esuriit. QVÆSTIO I.

An ex Christi ieiunio nostra quadragesima originem habeat? eaq; seruanda sit?

Plausibilis materia contra ieiunia dicere.

§. 1. MOlesta hæc est disputatio; quia venter aures non habet, eo molestior, quod venter hæreticorum omnino surdus, loquacissimus sit tamen, & scribere etiam de causa sua norit. Citaui supra Illyrici sententiam: *Tum demum ieiunandum, cum nos Deus in deserto collocat, nosque omni humana ope priuat*, qui aphorismus nullius, nisi abdominis esse potest.

§. 2. Ieiunium ciborum quorundam abstinentiâ, & vna per diem refectione Ecclesia definit. Caluinus eum in modum de ieiunio loquitur, vt non satis constet, quid illi sit ieiunare. l. 4. inst t.c.12.§.18. [Ne quis autem error sit, *inquit*, in nomine: definiamus quid sit ieiunium, non enim simpliciter continentiam ac parsimoniam in victu hic intelligimus, sed quiddã aliud. Piorum quidem vita frugalitate & sobrietate temperata esse debet, vt quandam ieiunii speciem, quoad fieri potest toto suo decursu præ se ferat. Sed est praterea ieiunium aliud temporale, cum aliquid ex consueta viuendi ratione retrahimus: vel ad diem vnum, vel ad certum tempus, & nobis continentiam indicimus in victu ordinariâ illâ arctiorem ac seueriorem. Hoc in tribus situm est, in tempore, in ciborum qualitate, & parsimonia. Tempus dico vt ieiunii defungamur iis actionibus, quarum causa instituitur ieiunium. Quemadmodum exempli causa, si ob solennem precationem quis ieiunet, vt eo inpransus accedat. Qualitas in eo sita est, vt absint omnes lautitiæ, ac plebeius vilioribusque cibis contenti, palatum delicatis non irritemus. Quantitatis ratio in hoc est, vt parcius ac leuius solito vescamur: tantum ad necessitatem non etiam ad voluptatem.]

Caluinus deiunio fabrice loquitur.

Ieiunium & sobrietas differunt.

Recte à sobrietate ieiunium distinguit, quod quidam eorum non fecere. Cum vero aliquid ex consueta viuendi ratione detrahere iubet, incertũ facit, quid & quantum detrahere velit. Tempus definit, vt ieiuni defungamur iis actionibus, quarum causa ieiunium est institutum. Iraq; si quis ieiunus in curiam, in scholam, in templum exire decreuerit, & negociis absolutis comedat, ieiunare censebitur. Qualitatem egregie, quasi in hortulis Epicuri æstimat. Omnes lautitias remouet, plebeios cibos admittit, quo fit, vt plebs raro ieiunet; raræ enim ad eam lautitiæ commigrant. Præclarum sane ieiunium, delicatis palatum non irritare. Quid enim si cui vitulina, agnina, & alia vulgaria non videantur delicata? Nonne inter hæc dicetur ieiunare? Quid denique, cum non ieiunaris, an tum delicatis palatum irritatis? Quantitatem minuit, sed molliter, ne lædat. Quid vero illud, *ad necessitatem, non voluptatem*, nonne semper necessitati, non voluptati seruiendum est? Si solo ieiunio excluditur voluptas, igitur extra ieiunii tempora tanquam finis admittitur, & qui ita docent, Viuunt, vt edant, non edunt vt viuant. Quanto facilius erat dicere, ieiunium esse, vt ita edatur, vt natura quidem sustentetur, famis tamen molestia maneat, sentiaturque? Nam Christus postquam esuriit, non continuo lapides in panem mutauit, nec escam petiuit, sed tentatori respondit, in pinnaculum templi, montemque esuriens ductus est, & absoluta omni tentatione comedit.

Tempus, quantitatẽ, qualitatem male definit Caluinus.

Ieiunii fames moleſtiam retinet.

Christus nõ statim famicessit.

§. 3. His de ieiunio in genere constitutis, quadragesimæ originem inquiramus. Primo quid illi sentiant audiamus. Caluinus lib. 4. instit. c. 12. §. 20. & 21. Bullingerus hunc in locum ista fere habent.

Hæretici de quadragesi-

1. *Quadragesimale ieiunium ex hoc deriuatum, idque superstitiosum, quod vulgus eximium aliquid se Deo in eo præstare existimaret. Pastores vero pro Christi sancta imitatione quadragesimam commendasse.*

2. *Non ideo Christum ieiunasse, vt aliis exemplum præberet, sed vt prædicationem auspicando ostenderet suam cœlestem esse doctrinam, ac mirum esse hominibus acuti iudicii, tam crassam hallucinationem obrepere potuisse.*

Caluino Eccleſiæ 15. ſæculorum craſſa hallucinatio obrepſit.

Nos quibus tam grande conuitium faciat consideremus: de quadragesima habemus Apostolorum canonem 68. Εἴτις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν πεσαρακοστὴν, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν νηστεύοι, καθηκόντως, ἐκτὸς, εἰ μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο, Εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω. i. e. *Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor sanctam Paschæ quadragesimam non ieiunat, vel quartum diem, vel parasceuen, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si sit autem laicus, segregetur.*

Citatur ille Canon à Clemente lib. 5. c. 13. aliisque. Deinde S. Ignatius Ep. 8. ad Philippenses: *Quadragesimale ieiunium, ne spernatis: continet enim exemplum conuersationis Dominicæ.*

Testis etiam est Syriæ & Palæstinæ Ecclesia, quæ titulum huic capiti præponit.

דהך בשבא רמעלי
צומא דקורבא לארבעין

Vnius in Sabbato introitus ieiunii, & oblatio quadragesimæ.

Dies ieiunii in Eccleſia.

Nec modo singuli testantur, verum etiam legem, & traditionem Apostolicam esse referunt. Tertullianus iam Montanista refert Catholicos putare *iam dies ieiuniorum in Euangelio determinatos*, carpit tamen quod alteram Montani quadragesimam contemnant. *Certè ieiunia rea in Euangelio illos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus iecta. ablatus est sponsus: & hos esse iam solos legitimos ieiuniorum Christianorũ abolitis legalibus, & propheticis vetustatibus. Vbi volunt enim, adgnoscunt quid sapiat; Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem.* Generale præceptum ieiunii Tertullianus agnoscit, de diebus vero singulatim quæstio postea sequetur.

Montani

Vbi calumniam Tertulliani refutat Baronius, satis vero constat, eo tempore ieiunium quadraginta dierum notum, & quasi legem fuisse seruatum. S. Athanasius Epist. in persecut. ad orthod. de persecutione. *Hæc autem sub Pascha, ante quadragesimam acta sunt, per quod tempus ieiuniis dediti erant.* Vide & Ambr. Serm. 36. & 34. Sic Hieron. ad Lætam: *In quadragesima continentia vela pandenda sunt.* & ad Eustoch. de virginit. seruanda. *Ieiunium totius anni æquale est, excepta quadragesima, in qua sola conceditur districtius viuere.* Et Epist. 54. ad Marcellam. *Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus: illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres pasci sint Saluatores, non quod per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat: sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate, munus offerre.*

Consuetũdo quadragesimæ vetusta.

Quadragesimæ traditio Apostolica.

Idem testatur Epiphanius adu. hæres. l. 3. *Porrò quadragesimam ante septem dies sancti Paschatis, similiter seruare solet eadem Ecclesia, in ieiuniis perseuerans, Dominicis vero omnino non, neque in ipsa quadragesima. Cæterum per sex dies ipsius Paschatis, omnes populi in siccorum esu perseuerant, pane, inquam, & sale & aqua tunc vtentes ad vesperam. Sed & pietatis studiosi duplas & triplas ac quadruplas transmittunt, & aliqui totã hebdomadam, vsq; ad gallicinium Dominica illucescentis, vigilias autẽ agunt per sex. Rursus vero cõmuniones perficiunt*

Varia ratio quadragesimæ.

ficiunt per easdem sex dies, & totam quadragesimam à nono vsque ad vesperam. In quibusdam vero locis quintam solum illucescentem vigilant in prosabbatum ac Dominicam. In aliis autem locis, cultus diuinus dispensationis mysterii in quinta fit, hora nona, & sic cessat, permanentibus ipsis in eodem siccorum esu. In aliis rursus locis non fit cultus diuinus dispensationis mysterii, nisi solum illucescente Dominica, quando ipsos dimittit circa gallicinium in resurrectionis die ac festiuitate, magna illa Paschatis dies, velut statutum est.

Falluntigitur qui Telesphorum faciunt auctorem, ille clericis aliquot dies adiecit, non instituit. Vide Hier.in Isa.58. Augustinus Serm.1.de mysterio ieiunii quadragesimalis. *Omne vitæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum & ad cœleste brauium tota vitute contendere. Sed hoc præcipue in quadragesimæ diebus impendendum est, qui abstinentia & ieiunio dedicati tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Est autem legitimus numerus iste ieiunii, & qui in Sanctis celebratur exemplis. Moyses legem accepturus à Deo, quadraginta dies ac noctes absque cibo potuque transegit, & ad suscipiendam voluntatem Domini, ieiunus præparatus est. Helias post quadraginta dierum ieiunia, curru igneo ad superna cœlorum de hoc mundo translatus est. Ipse quoque Dominus ac Saluator noster 40. diebus ieiunus de Diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationẽ Euangelii iam victor accederet. Merito vero & nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiuniis, quem per talia exempla legimus consecratum.*

Ieiunium quadragesimæ serio seruandum.

Quid igitur hac in causa, vel Episcopos posteriores, vel Theologos Scholasticos, Monachosque criminum arcessunt, lis illis est cum vetustissimis, & sanctissimis Christianæ fidei antistitibus, quos contra iudex cœlestis actionem non dabit. Et idem. *Sed & illa est in quadragesimæ diebus grandis vtilitas, quod dum & à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui non abstinemus nos à carnibus quibus aliis diebus vti licet: qui nos abstinemus à vino quo moderate vti licet: qui ergo ista vitamus quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus & à vitiis.*

Vitia in quadragesima vitanda sunt.

De Chrysostomo, aliisque taceo; atque in hunc modũ concludo. Patres antiquissimi de vsitato in Ecclesia ieiunio quadragesimæ obseruando loquuntur, ab Apostolis traditum affirmant, nemo retro vllo sæculo eos reprehendit. Hanc consuetudinem, & legem Ecclesiæ confirmat Cataphrygum seu Montani hæresis quæ anno 173. tempore Aurelii Imperatoris incepit, vt est apud Euseb.in Chron, at Epiph.hæres.48.ad annum 19. eius initium refert, eum omnes tum Episcopi, conciliaque, nouas quadragesimas imperantem damnauit, vnam solum se tenere tum orbis Catholicus agnouit. Ex quo consequitur, quicquid nunc de quadragesima contra Ecclesiam dicitur, contra primitiuam Ecclesiam, Martyres, Patres, Episcopos dici; nos enim quod illi semper tenuerunt, quod ab Apostolis traditum esse omnibus Ecclesiis tradiderunt, sequimur, quia insanum esse putamus dicere, omnes Episcopos, doctoresque sedecim sæculorum mendaces esse, & quidem nullo præmio; imo etiam non parua pœna, quam ieiuniorum soleat adferre molestia. Nemo certe Ignatium, aut Clementem l.5. constit. c.12. mendacii arguet, *μεθ' ἃς*, inquit, *ὑμῖν φυλακτέα νηστείαν τῆς πεσαρεσκοστῆς μνήμην ποιούμενοι τὴν ἐν κυρίῳ πολιτείας τε καὶ νομοθεσίας. Post quos dies seruandũ est vobis ieiuniũ quadragesimæ, quod vitæ Christi, & legu latæ recordationẽ cõtinet.*

Nemo patres ieiunii prædicantes reprehendit.

Montani nouæ quadragesimæ damnatæ.

Ignatius quadragesimam probat.

His adiunge Iren. Ep. ad Vict. apud Euseb.l.5.c.24. Telesphorum, Epist. ad vniuersos, quam postea citabo; ille enim ad Apostolos refert quadragesimam, factus Pontifex anno Christi 142. Anton. Pii anno tertio, potuitque Ioannem quia ad Traiani tempora peruenit, nouisse. Origenes hom. 10. in Leuit. *Habemus enim quadragesimæ dies te.unũ consecratos.*

Dionysius Alexand.Ep.ad Basilidem meminit quadragesimæ, cuius vltimos duos, aut tres dies multi Christiani sine vllo cibo transmitterent, alii quatuor, nonnulli ad sex vsque peruenirent. Euseb. Cæsarienſis c.16.lat.edit.sed 17.Græcæ. *ὡς ἀμφερόντως τὴν σωτηρίου πάθους ἑορτὴν, ἐν ἀσιτίαις, καὶ ἀγρυπνίαις ποιούμενοι, πρεσβεύσεως τε τῶν θείων λόγων ἐντελεῖν εἰωθαμεν*, i.e. *Quã potissimũ in festo salutaris Domini passionis, in ieiuniis, & vigiliis & attentione diuinarum scripturarum celebrare consueuimus.*

Hil.can.5.in Matth. Laodicen. Conc.can. 50. *οὐ δεῖ ἐν τῇ πεσαρεσκοστῇ τῇ ὑστεραιεδομάδι, τὴν πεμπτὴν λύειν, καὶ ὅλην τὴν πεσαρεσκοστὴν ἀτιμάζειν, ἀλλὰ δεῖ πᾶσαν τὴν πεσαρεσκοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας.* i. e. *Non oportet in Pentecoste vltima hebdomade, quinta die ieiunium soluere, & totam quadragesimam inhonorare, sed omnem quadragesimam ieiunare & aridis vesci.* S. Epiphanius in hæres. 75. Arianorum, vbi seueriſſimum Apostolorum ieiunium fuisse docet, item in compendiaria doctrina.

Seueritas priscæ ieiuniorum.

Claudam testimonio Concilii Niceni can. 5. *αἱ δὲ συνόδοι γινέσθωσαν, μίαν μὲν πρὸ τῆς πεσαρεσκοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης, τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ θεῷ δευτέρα δὲ πρὸ τοῦ θέρους καιρόν.* i e. *Concilia vero celebrentur, vnum quidem ante quadragesimam Paschæ; vt omni dissensione sublata, munus offeratur Deo purissimum: secundum vero circa tempus autumni.*

Quadragesimam Synodus auctoritate constituit.

Quis non animaduertit totum Concilium de quadragesima veluti de re notissima, qua omnes viuerent, loqui? Respondendũ igitur nouatoribus nostris, quod tum Aerio adhuc viuenti Epiphanius respondit. *Τίς δὲ μᾶλλον ἀπάτησε τοὺτων; ὁ ἄπιστος ἢ ἄνθρωπος, ὁ νυῦ ἐνδημήσας, καὶ ἕως νυῦ ἐν τῷ βίῳ πελῶν, ἢ οἱ πρὸ ἡμῶν μάρτυρες γενόμενοι, ἔχοντες πρὸ ἡμῶν τὴν παράδοσιν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας; καὶ ἅτινα παρειλήφοτες παρὰ τῶν αὐτῶν πατέρων, ὧν τε αὐτῶν πατέρων πάλιν μεμαθήκοτων παρὰ τῶν πρὸ αὐτῶν γενόντων πῶς ἡ ἐκκλησία παραλαβοῦσα παρὰ τῶν αὐτῆς πατέρων, ἄχρι καὶ τῆς δεῦρο κατέχει τὴν ἀληθινὴν πίστιν, καὶ τὰς παραδόσεις.* i. e. *Quis autem magis de his nouit, hicne seductus homo, qui etiam nunc superest, & hucusque in mundo versatur, aut qui ante nos testes fuerunt, habentes ante nos traditionem in Ecclesia, quiq; etiam à Patribus suis traditum acceperunt: quemadmodum etiam hi à suis Patribus didicerunt, qui ante ipsos fuerunt, quomodo Ecclesia acceptam à Patribus suis veram fidem vsque huc continet, itemque Traditiones.*

Ieiunii quadragesimalis traditio.

De ieiunio S. Episcopus loquitur, quod nec illi ab Aerio, nec nos à Caluino, sed veterum exemplo à vetustissimis accipimus.

Duo vero insignia aduersariorum flagitia hinc notare cuilibet promptum est; superbiam omnis Ecclesiæ veteris contemptricem. Deinde calumniam, qua quadragesimam & leges ieiuniorum in Romanos Pontifices, & Monachos, velut auctores conferunt.

§.4. Rationes porro quas tantæ auctoritati opponunt, infirmæ sunt. Caluinus l.4. instit. c.12. §.20.21. *Non enim sæpius ieiunat Christus (quod fieri oportuit, si anniuersarii ieiunii legem tradere vellet) sed semel tantum cum se ad Euangelii promulgationem accingit.*

Christus semel ieiunans nobis annuam quadragesimam sacrauit.

Respondeo, non magis necesse esse vt sæpius ieiunarit, quam vt semel natus fuerit, passus, mortuus, resurrexerit, cum tamen eorum nos mysteriorum annuam commemorationem colamus. Cõsequentiam igitur nẽgamus. Christus non ieiunauit singulis annis, nec ergo nobis ieiunandum. Causam ille reddit, quia non oportebat *filios sponsi*, seu nuptiarum *ieiunare*, multo minus ipsum sponsum, ablato sponsa Ecclesia ieiunat. Obiicit hic Dan el Tossanus. *Aliud est memoriam resurrectionis colere, aliud resurgere, nos memoriam ieiunii Dominici celebramus, quotidie.* Quam vellem ieiuni id potius, quam pransi, & lauti. In resurrectione Christi non annuè, sed semel olim similes erimus, exempla abstinentiæ, humilitatis, alarumque virtutum, & verbis celebranda, & moribus sunt exprimenda. Suos enim

enim ieiunaturos Dominus prædixit, ablato sponso, idque ad eum modum quo ex præceptoris præscripto discipuli Ioannis ieiunabant, ita discipuli Christi lege Christiana ieiunaturi erant, quæ etiam quadragesimam continet, vt iam ex Patribus docui.

§. 5. *Nec ieiunat humano more, vt par erat, si homines ad imitationem prouocare vellet: sed magis exemplum designat, quo in sui potius admirationem omnes rapiat, quam ad æmulandi studium omnes excitet.*

Christus vt homo Deus, nos vt homines ieiunamus.

Respondeo. Christum ieiunare vt hominem Deū, nos vt homines. Non ad æqualitatem, sed aliquam similitudinem. Eadem in via sed magno interuallo. Omnis imitatio ad cœlestem exemplar est vmbra quædā. Fidelium caritas, prudentia, castitas, fortitudo, illis ipsis redemptoris virtutibus collata, longius ab earum perfectione abest, quam abstinentia vnius diei, à ieiunio quadraginta dierum & noctium. Hic quoq; Tostatus insurgit, *nec præire eius verbum, & nos ea conari, quæ plane sunt inimitabilia.* Nec igitur eius imitanda Christi mansuetudo, modestia, perfectio. Omni enim creaturæ inimitabilis est perfectio creatoris. Iam olim Item illam decidit Nazianz. orat. 40. de Baptismo. ἐνήστευεν (χριστὸς) μικρὸν πρὸ τῆς πάθους, ἡμεῖς πρὸ δὲ πάθους τὸ μὲν τῶν νηστειῶν ἕν, ὁ μικρὸν ἢ ἀμφοτέρων τῶν καιρῶν τὸ ἄφθημα. i. *Christus paulo ante tentationem ieiunauit: nos ante Pascha: ieiunium vnum idemque est; at vtriusq; temporis non parua est differentia.* Et paulo post: καὶ ὁ μὲν νηστεύει πεσαρακονθημέρως· θεὸς γὰρ ὢν, ἡμεῖς ἢ τῇ δυνάμει τὸ σωζεμενον τεθνάμεν, &c. i.e. *Iam ille totos quadraginta dies à cibo abstinuit; vtpote Deus: nos autem ad virium nostrarum modulum ieiunium attemperauimus, &c.* Imitatio igitur ieiunii non eo tendit, vt pares Christo simus, quod esset stolidæ arrogantiæ, sed vt conformes filio Dei, castigantes corpus nostrum, & desideria carnis exstinguentes.

Sequimur Christum nostro more, vt ieiunio egentes, cum ille non egeat, nec suo, nec nostro: legem etiam Christi in carmine de silentio idem Nazianzenus agnoscit.

Ἡνίκα σάρκας ἔδησα, θεῷ θρεπτοῖς πεφέεσσι
Μύσιν ἄγων θυσίην, ὡς κε θάνω βιότῳ
Ἡμασι πεσαρήκοντα, νόμοις χρισθὲ βασιλῆος,
Εὖτε καθαιρομένοις σώμασιν ἐσπὶ ἄκος.

Ieiunium medicina.

Quando carnem vinxi, mysticam victimam eis quæ sunt secundum humanitatem passionibus Dei ferens, vt mundo morar quadraginta diebus legibus Christi Domini, mox mundatis corporibus medicina venit.

„ §. 6. Denique non alia est istius ieiunii ratio, quam
„ eius quo defunctus erat Moses, quum legem è manu
„ Domini acciperet. Nam quum illud in Mose editum
„ esset miraculum ad stabilendam legis authoritatem,
„ non debuit in Christo prætermitti: ne Legi Euangelium cedere videretur. Atqui ab eo tempore nemini
„ vnquam venit in mentem, prætextu imitationis Mo-
„ sis, talem ieiunii formam in populo Israelitico erige-
„ re. Nec vllus ex sanctis Prophetis & Patribus id se-
„ quutus est, cum tamen ad omnes pias exercitationes
„ satis animi ac zeli haberent.

Mosis ieiunium non sunt secuti Iudæi.

Respondeo. Hominis aut imperiti, aut maleuoli esse hoc argumentum. Quis enim id consequi iudicet. *Mosis in monte ieiunantis exemplum nō est secutus Israel, nec ergo nos Christi sequi oportet?* An igitur nos nulla in re sequi Christum possumus, nisi in qua Synagoga secuta est Mosen? an Mosis facta & Israelitarum, Ecclesiæ, & Christo leges præscribunt: Moses in domo Dei seruus erat, Christus filius, conseruorum insignia serui non gerunt, sed imperatoris; imperatorem sequimur milites, cuius mandatum tradit tota vetus Ecclesia, conseruus sua ieiunia non imposuit Israelitis. Christus quadraginta dierum ieiunium consecrauit.

§. 7. Diuersitas ieiunii fuit, inquit Caluinus, non ergo ab Apostolis, aut Christo: quin ipsum audire præstat: *Quanquam in modo ieiunii mira tunc erat diuersitas, vt refert Cassiodorus ex Socrate historiæ suæ libro nono. Romani enim, inquit, non nisi tres habebant septimanas: sed illis continuo erat ieiunium excepto die Dominico, & Sabbatho. Illyrici & Græci sex: alii septem: sed ieiunium per interualla. Nec minus in ciborum discrimine dissidebant, alii non nisi pane & aqua vescebantur, alii addebant olera; piscibus alii, & volatilibus non abhorrebant: alii nullum habebant in cibis discrimen. Huius etiam differentia meminit Augustinus posteriore epistola ad Ianuarium.* *Diuersitas ieiunantiū.*

Respondeo diuersitatem quadragesimæ ostendere, vere eam fuisse obseruatam. Augustin. Epist. 86. ad Casulanum. Iuniorum esse in Ecclesia varietatem, quia *non inuenimus certis diebus ieiunia præcepta*, addit vero, *In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, vel institutta maiorum pro lege tenenda sunt.* Epist. 119. *Quadragesima sane inquit ieiuniorum habet auctoritatem.* In diebus aliqua est & nunc varietas, atque etiam ciborū delectus. In quo illud Augustini seruandum Ep. 86. ab Ambrosio sumptum: *Ad quamcunq; Ecclesiam veneritis, eius morem seruate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Ita & Epiph. huius varietatis meminit in compendiaria doctrina. *Porro quadragesimam ante septem dies sancti Paschatis, similiter seruare solet eadem Ecclesia, in ieiuniis perseuerans, Dominicis vero omnino non, neque sitientia, in ipsa quadragesima. Cæterum per sex dies ipsius Paschatis, omnes populi in siccorum esu perseuerant, pane inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperam. Sed & pietatis studiosi duplas & triplas, ac quadruplas transmittunt, & aliqui totam hebdomada, vsque ad gallicinium Dominicæ illucescentis, vigilias autem agunt per sex.* *Austera veterum abstinentia.*

Magnam diuersitatem requirunt, regionum, ciborumque diuersæ vires, hominum temperaturæ, consuetudines quæ erant & quædam quorundam consuetudines non bonæ, eorum qui partem aliquam quadragesimæ ieiunabant, aliam minime. Quid iniusta aliqua lege soluti, alii legē præuaricantes. Chrys. hom. 16. ἔστε ἅπασιν ἐρωτᾶν χρὴ τὴν πεσαρακοστὴν, πόσας ἕκαστος ἑβδομάδας νήστευσε καὶ ἔστιν ἁπλοῦν τῶν μὲν, ὅτι δύο, τῶν δ' ὅτι τρεῖς, τῶν δ' ὅτι πάσας νήστευσαν ἑβδομάδας. Cōsuetudo omnibus est rogare per quadragesimā, quot quisq; septimanas ieiunarit, & audire licet, hos quidem duas, illos tres, alios vero omnes. *Cur ieiunii diuersitas sit?*

Faciebat hoc humana infirmitas sibi indulgens: quales illi, qui apud eundem Chrysostom. hom. 18. de ieiunio, fere finito gaudentes ita loquuntur. ἐνικήσαμεν, ἐκρατήσαμεν, ἐδαπανήθη τῆς νηστείας τὸ ἥμισυ. *Vicimus, superauimus, ieiunii dimidium absumptum est.*

§. 8. *Secuta sunt*, ait Caluinus, *deinde deteriora tempora, & ad præposterum vulgi studium accesit Episcoporum tum insciti, & ruditas, tum libido dominandi & tyrannicus rigor. Latæ sunt impiæ leges, quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt. Interdictus carnium esus, quasi hominem contaminaret. Additæ sacrilegæ opiniones aliæ super alias, donec in profundum omnium errorum ventum est.* *Episcopos doctos & sanctos damnat Caluinus.*

Respondeo. Quædā ex hisce per calumniam nobis imponi, quædam esse priuatorum errata. Hæc corrigere ad pastores pertinet, illæ mihi refutandæ sunt.

Calumnia est Episcoporum tyrannide latos de ieiunio leges, nisi Apostolos, Martyres, sanctissimosque viros tyrannidis accusare libeat, quemadmodū Franciscus quidā hæreseos Baptistam. Vnde nunc Ignatius, Irenæus, Athanasius, Concilium Nicenum, Basilius, Nazianzenus, Hieronymus, Augustinus, alii tyrannidis, & iniquæ determinationis accusantur, quos Ecclesiæ vt Patres, veneratæ sunt? Non esse tyrannidem Episcoporum vel inde liquet, quod antiquissimorum ieiunia seueriore disciplina seruata sunt, atq; vt in moribus sensim, & caritate, ita etiam in abstinentiæ rigore nonnihil laxatum est; donec omnia hæresis delecit. Quis Ambrosiū tyrannidis arguet Serm. 25. dicentem. *Calumniose sancti martyres, & Episcopi tyrannidis accusantur.*

Non

Episcopi de ieiunio remiserunt, potius quã strinxerũt.

Non enim fratres, leue peccatum est, fidelibus indictam Quadragesimam à Domino, non ieiunare, & ieiunia, consecrata ventris voracitate dissoluere. Scriptum est, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadragesimam ieiunauit, tu non vis Quadragesimam ieiunare, qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cum Christo pro te esuriente tu prandes. Cum Saluatore pro te ieiunante tu reficeris? Non igitur, sicut dixi, leue peccatum est, indictum violare ieiunium.

Et Sermone 36. *Deuotionem sanctæ Quadragesimæ prædicantes, sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum sed diuinitus consecratum: nec terrena cogitatione inuentum, sed cœlesti maiestate præceptum.* Ille igitur non humanæ libertatis, aut electionis, sed diuinæ præceptionis esse obseruantiam ieiunii quadragesimalis, consentiente totâ illa Ecclesia iud cauit.

Ne vna quidem ieiunii dies omittenda.

At Sermone 23. demonstrat crimen esse violare quad. agesimam. *Vna ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum ieiunare debere, vt quia totam Quadragesimam complecti non possumus solido & vno ieiunio, vel quotidianis eandem sine intermissione ieiuniis celebremus, vt si quisquam vnam diem abstinendo prætermiserit, totam Quadragesimam violarit & propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit.*

Non ergo libidine dominandi, sed conscientiâ, amore disciplinæ ieiunia Episcopi & seruarunt, & aliis prædicarunt.

Cibus non cõtaminat.

At interdictus carnium esus, quasi hominem contaminaret. Agnosco Iouinianum nouum, & veterem calumniatorem, cui iam olim respondit pro nobis Augustinus Serm. 65. de tempore. *Cessent lauacra, vina, vel carnes, non quod Dei creaturam iudicemus esse damnandam, sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies viuamus Domino.* Et l. 30. contra Faustum Manich. c. 5. *Christiani non heretici, edomandi corporis causa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum à carnibus verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper sicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam fere omnes, quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu potuerit.* Ex quo apparet, à delicatissimis. & succulentis fructibus quosdam in Africa abstinuisse.

Lautitiarum accusatio.

„ §. 9. Pergit Caluinus: [Ac ne quid prauitatis omitteretur ineptissimo abstinentiæ prætextu cum Deo lu-
„ dere cœperunt. Nam in exquisitissimis quibusque de-
„ litiis laus ieiunii quæritur. nullæ tunc lautitiæ suffi-
„ ciunt. nunquam maior ciborum vel copia vel varietas
„ vel suauitas. In tali ac tam splendido apparatu putant
„ se rite seruire Deo. Taceo quod nunquam fœdius se
„ ingurgitant, qui volunt habe i sanctissimi. In summa,
„ his summus est Dei cultus à carn bus abstinere, & illis
„ exceptis affluere omni genere lautitiarum. Rursum
„ hæc vltima est impietas, & vix morte expiabilis, si quis
„ m nimum laridi aut rancidæ carnis cum pane cibario

Calumnia.

„ gustauerit. Narrat Hieronymus iam suo sæculo quos-
„ dam extitisse, qui talibus ineptiis cum Deo luderent:
„ qui ne oleo vescerentur cibos delicatissimos vndique
„ aduehi sibi curabant: imo vt naturæ vim inferrent, ab
„ aquæ potu abstinebant. sed suaues sorbitiunculas hie-
„ ri sibi curabant, quas non ex calice hauriebant, sed
„ concha. Quod vitium tunc n paucis erat, hodie vul-
„ gare est inter omnes diuites: vt scilicet non alio fine
„ ieiunent, nisi vt l uutius n tidiusque epulentur. Sed
„ nolo multum verborum profundere in re non adeo
„ dubia. Hoc tantum dico, cum in ieiuniis tum in o-
„ mnibus aliis disciplinæ partibus adeo nihil recti, nihil
„ synceri, nihil bene compositi, ac ordinati habere Pa-
pistas, vt superbiendi occasionem vllam habeant; „
quasi aliquid reliquum sit apud illos laude dignum.] „

Catholica Ecclesia abusum lautitiarum semper damnat.

Respondeo. Abusum lautitiarum, qui in diuitibus est, omni nos tempore damnare. Si quis laudem ieiunii ex abstinentia, austeroque victu quærit, iam mercedem suam recepit; si ex lautis epulis, pœnam sibi geminat, dum eodem facto & gulosus est, & hypocrita. Si quis ieiunat, vt epuletur, non Domino, sed sibi ieiunat: portabitque ille, quisquis est, iudicium suum. Sobrietatem moderate conuiuantium non infamant cœnæ luxuriantium, quanto ergo minus esuriem ieiunantium? Nec ideo tollenda ieiunia; quia illorum occasione diuites aliqui ad crapulam abuntuntur; nec enim virtutes deserere iustus debet, quia easdem simulant iniusti. Multi diuitum sunt, qui graui ieiunio, vigilia, cil.cio corpora castigant, quos imitari præstat, quam ex aliorum abusu ieiuniorum memoriam ab Ecclesia tollere.

Carnibus abstinere bonum est, non summum virtutis opus.

Neque summum Dei cultum esse dicimus carnibus abstinere, nec vltimam impietatem fiustum rancidæ gustasse carnis. Hoc quisquis nobis imponit, de sua causa desperauit, quam non nisi mendacio defendi posse agnoscit. Credo vnum ex omnibus rerum Ecclesiasticarum tractatoribus, qui ista doceat: si nullum dare potest, re sorbendum est mendacium, quo apud imperitos nos inuidiosissime traducunt. Nec ad libros modo appello. Ex tot Catholicis doctis, indoctis, addo etiam improbis, vel vnum producant, qui hanc se fidem didi.isse fateatur.

§. 10. Bullingerus in hunc locum sicut & Aretius imitationem Christi valde oppugnant. [Stultum est, „ *Ieiunium histrionicum.*
inquit Aretius, id affectare quod ferre non possis, ad „
quod vocatus non sis, impium vero simulanter, & hy- „
pocritice id vt histrio quispiam ex triuio, imitari; quid „
enim ieiunium nostrum cum hoc Christi habet simile „
nisi histrionicam? prandemus vt cœna locum non re- „
ponat: piscibus instruimus mensas, vt ne Apicius quis- „
piam desideret carnes. „

Et Bulling. [Quod si respondetis prætulisse nobis „
dominum continentiæ abstinentiæue & sobrietatis „
exemplum, perplacet responsio; nam verum dicitis: „
at sobrietatem oportet nos præstare, non quadraginta „
duntaxat dies, sed per omnem vitam nostram atque „
singula vitæ nostræ momenta. Et hic velle omnibus „
regionibus & hominibus eandem ieiunii, id est, so- „
br etatis in ciborum & temporum delectu formam „
præscribere, est prorsus desipere. Nam pro ratione cœ- „
li diuersissime affecta sunt corpora hom num, & idem „ *Libera ieiunia quærunt.*
cibus diuersæ complexionis homines non ad eadem „
incendit studia. Piissimum ergo, commodissimum „
vtilissimumque fuerit Ecclesiæ, si omnes vbique do- „
ceant sobrietatem & abstinentiam, leges autem de ci- „
borum delectu, & de statis temporibus præscribant „
nullas, sed liberum cuilibet regioni ac homini permit- „
tant abstinere ab illis maxime, à quibus ipse sibi peri- „
culum integritati suæ imminere sentit, & eo præsertim „
tempore quo maxime insolescit caro. „

Diuersitas ieiuniorum est fidei vnitas.

Respondeo de imitatione iam supra dictum esse satis. Quod de ciborum delectu, hora cœnandi dicit, id confirmat; quod ante ostendi, esse in modo ieiunii diuersitatem: de qua tamen recte Iren. κρείττων ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. *Dissonantia ieiunii fidei concordiam coagmentat, commendat.* Quo in genere totum seruatur, *vt qui ieiunare non praualet, sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso, in domo sua præparet, quod accipiat, & illos, qui ieiunare praualent, non inuitet*, vt Augustin. Serm. 62. de temp.

§. 11. Bull ngerus de varietate perurget, vt ex vario liberum, ex libero sympositum faciat. [Quo acce- „
dit, *inquit*, quod prisc rum patrum sæculo tempora „
Apostolorum mox insecuto, nullas certas de ieiunio „

leges

leges latas esse constat. Nam Irenæus apud Eusebium in Ecclesiast. histor. lib. 5. cap. 24. Non solum, inquit, de die Paschæ agitur controuersia, sed & de ipsa specie ieiuniorum. Quidam enim putant vno tantum die obseruari debere ieiunium, alii duobus, alii vero pluribus, nonnulli etiam 40. ita vt horas diurnas nocturnasq; computantes statuant. Et quæ sequuntur. Scripsit autem hæc Irenæus anno à natiuitate Domini 199. sicut indicat Eusebius in Chronicis. Porro eandem diuersitatem dierum ieiunii durauisse in ecclesia adhuc Theodosii iunioris Imperio, qui Constantinopoli mortuus legitur anno Domini 453. testis est Socrates Constantinopolitanus historicus Ecclesiasticarum rerum Græcus, qui delectum quoque ciborum in ieiunando vt dierum disparem prorsus extitisse hisce verbis testatur: Sed etiam ciborum abstinentiam non similem habent, nam alii omnino ab animatis abstinent, alii ex animantibus pisces solummodo comedunt, quidam cum piscibus vescuntur & volatilibus, dicentes hæc secundum Mosen ex aqua habere substantiam. Alii vero etiam caulibus & ouis abstinere nosciuntur, quidam sicco tantummodo pane vescuntur. Alii neque hoc. Alii vsque ad nonam ieiunantes horam, sine discretione ciborum reficiuntur: & innumeræ consuetudines apud diuersos inueniuntur. Hæc legere est apud Epiphanium siue in Tripart. historiæ libro 9. cap. 38. Atque idem ille Socrates suam elegantem quidem & piam super hac diuersitate sententiam subiiciens dicit, Et quia lectio nulla de hoc inuenitur antiqua, puto Apostolos hoc singulorum reliquisse sententiæ, vt vnusquisque operetur non timore aut necessitate quod bonum est. Hæc Socrates. Proinde peccarunt in libertatem Christianam, quicunque tandem præceperunt & certis legibus circumscripserunt ieiunia Christianorum, quæ omnino debent esse libera non tamen licentiosa. Apollonius quidam scriptor vetustus & ecclesiasticus, in Montanum hæreticum scribens, Hic est, inquit, qui docuit nuptias solui, & qui ieiuniorum leges primus imposuit. Author Eusebius Ecclesiast. historiæ lib. 5. cap. 18. Vetustas itaq; voluit libera esse Ecclesiæ ieiunia. Eandem libertatem defendent reductam quicunque fuerint fideles Ecclesiæ ministri, reducere conabuntur vbi libertas illa leg. bus oppressa iacet.]

Varietas ieiuniorum.

Respondeo. Id conatum olim Aerium & Iouinianum, vt l bera, vel nulla essent ieiunia. Aerium sic loquentem Epiph. hæres. 75. inducit. *Sed neque ieiunium, inquit, erit ordinatum. Hæc enim Iudaica sunt, & sub iugo seruitutis. Iusto enim lex non est posita, sed patricidis & matricidis, & reliquis. Si vero omnino volo ieiunare, qualemcunque eligam diem à me ipso, & ieiunabo propter libertatem. Vnde apud ipsos studium est, vt potius in die Dominica ieiunent, quarta vero & prosabbato edant. Sæpe vero etiam quartaieiunant, non ex statuto, sed ex propria, vt inquit, voluntate. In diebus autem Paschatis quando apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones: ipsi à summo mane obsonantur, carneque ac vino venas suas explentes cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis Paschatis perficiunt.*

Vera nostrorum sectatorum descriptio.

Eum Epiphanius refutat ex Apostolica institutione. Augustinus hæres. 82. Iouinianum eadem de causa damnat. Et Sermone 62. hortatur ad ieiunium tanquam iussum. *Rogo vos, fratres charissimi, & admoneo, vt in isto legitimo ac sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi forte quem ieiunare infirmitas non permittit, quia aliis diebus ieiunare, remedium est, aut præmium: in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam: in quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam:*

Lege iussum esse ieiunii quadragesimæ.

Irenæus igitur non de dierum omnium, sed de continuatione ieiunii loquitur. Quidam existimant vnum diem oportere se ieiunare, quidam duas, quidam plures, quidam quadraginta horis diurnis & nocturnis metiuntur suum diem. Et nunc quoque manet similis discrepantia, quidam hora vndecima cœnant, vesperi abstinent, alii in vesperum ieiunia producunt.

Alia varietas ex eo fuit, quod Græci quinquagesimam, latini quadragesimam ieiunarent. Græci enim die Sabbati non ieiunabant, ideo vnam septimanam compensando ieiunio addebant. Sic intellig. Cass. coll. 21. c. 27. Amb. Serm. 34. Eodem modo Basilius dicit; *quinque dies ieiunandum*; scilicet in hebdomade quadragesimæ, quia Græci die Sabbati nō ieiunabant. *Quinquagesima Græcorum eadem, cum quadragesima Iudæorum.*

Ad Socratem quod attinet, Bellarm. lib. 2. de bonis oper. cap. 15. & Baron. T. 2. anno 75. fraudis eum accusant, Nouatianus enim & Aerianus, ieiunii osor de Romana Ecclesia falsa scripsit: quod constat testimonio aliorum scriptorum, vt Cassiani, Leonis, aliorum. Bellarminus tamen corruptum codicem arbitratur. *Socrati non credendum facile.*

§. 11. Alia, quæ adfert Caluinus, cæteriquè etiam, plus vanitatis habent. *Christum ieiunasse, non vt documentum temperantiæ daret, sed vt plus auctoritatis haberet*; ita Calu. hoc loco. *Scindi Euangelium, quia eius sigillum sit ieiunium.*

Respondeo. Christi ieiunii varias causas adferti. Vnam esse, vt nobis non modo sobrietatis, quæ omnibus hominibus semper tenenda est, sed etiam laboriosæ abstinentiæ documentum traderet. Quamuis enim non probem eorum opinionem, qui quadraginta dies esuriisse existimant, vt Caietanus docet; fuit tamen ipsum ieiunium abstinentiæ exemplum. Christus enim fame diuinitus sopita, edendi se voluptate priuauit, quam cibus allatus erat. Pars autem est temperantiæ, sponte se voluptate priuare. Deinde ante tentationem esuriit, & laborem ieiunii fortiter tulit. Non enim continuo comedit, sed tentatori obstitit, & in pinnaculo templi, & monte de illo triumphauit. Grauissimam vero famem fuisse facili argumento doceo. Diabolus enim extrema illius remedia proposuit, vt lapides in panem conuerteret: atque vt consensu docent Caluiniani, fidem eius oppugnaret, mes non ciuti se à Deo desertum fame moriturum Christus metueret. Hæc autem tentatio efficax non erat, si mediocris erat esuriei molestia, facilè enim itinere aliquot horarum in cultiorem deserti partem proficisci potuisset, cum solitudines illæ in Iudæa minime spaciosæ sint, & cultis oppidis hinc inde non infrequentes. Magnam igitur famem ferendo, qua ad desperationis occasionem Satan vtebatur, ieiunare nos docuit. *In Christi ieiunio exemplum abstinentiæ.* *Magna Christi fames non ciuti sedata.*

Quod vero ieiunium figillum Euangelii esse asserit, valde hallucinatur; nondum enim scriptum erat, nondum prædicatū Euangelium, nedum obsignatū.

§. 12. Denique peculiari modo nos Caluinus accusat, quod meritum ieiunio tribuamus, l. 4. inst. c. 12. §. 13. [Alterum malum huic affine summopere cauendum est, ne pro opere meritorio, aut specie diuini cultus censeatur. Nam quū sit res per se media, nec quicquam habeat momenti, nisi propter eos fines in quos respicere debet, pernicio sissima superstitio est, confundere cum operibus à Deo mandatis, & per se necessariis, non alio respectu. Tale fuit olim delirium Manichæorū: quos dum refellit Augustinus satis clare docet, ieiunium non nisi ab iis quos dixi finibus æstimandum, nec Deo aliter probari nisi eo referatur. Tertius error non adeo quidem impius, periculosus tamen, tanquam vnum ex præcipuis officiis morosius ac rigidius exigere, ac immodicis encomiis sic extollere, vt homines se aliquid eximium fecisse putent quum ieiunauerint.]

Respondeo. De bonorum operum merito, alios ieiunii alios esse, & ex aliis scripturis locos. Est enim hoc ieiunio cum meritum. *ieiunii aliud est*

cum aliis operibus commune. Vno verbo rem absolvam. *Sacrata virginitati nuptias coaquare, aut amore castigandi corporis, abstinentibus à vino, vel carnibus, nil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Iouiniani est.* August. de dogmat. Eccles. c. 67.

Ieiunium an cultus Dei sit? nec ne? forte si nos illi velint intelligere, controuersia finem habebit. Nam primo negat Caluinus, *esse opus à Deo præceptum:* nos in genere præceptum concedimus, vt August. Ep. 86. ad Casulanum. Caluinum ex ipso conuincimus. *Cæterum*, inquit, *de ieiuniis in genere non loquor, quorum vtinam frequentior inter nos vsus, (modo idem purus) foret.* Si optat vsum, igitur præceptum agnoscit: Nam vsus sine præcepto apud illos ἐθελοθρησκείας, voluntarius, & Deo ingratus censetur cultus. Ieiunium igitur ex sese ac natura res media est, vt est esus; Virtutis vero exercitium est, cum bonum finem habet, ad ieiunandum igitur à variis virtutibus impellimur. Temperantia, obedientia, religio, castitas, pœnitentia ieiunationem præscribunt. Si ieiunas, quia te voto obstrinxisti, cultus Dei est ieiunium, qu a persoluere votum est actus religionis. Si ieiunas, vt carnis libidinem exstinguas, castitatis opus est ieiunium, & cultus Dei, sed generatim sumptus, quemadmodum omnium virtutum opera Dei cultus sunt. Si ieiunas, quia Deus præcepit; obedientia est, insignis Dei cultus. Si ideo quia Magistratus, vel Ecclesiasticus, vel ciuilis mandauit: ita quoque obedientia est. Obediendum est magistratui, Rom. 13. 1. Insanit igitur quisquis verum & Christianum ieiunium Dei cultum negat: Cultum inquam, vel stricte acceptum, si ex religionis imperio, normaque procedit, vel in genere, si ab alia qualibet virtute ad corporis piam castigationem moueamur. Ita ergo à cibis abstinendum est, vt potiorem rationem vitæ spiritalis habeamus, qua de re eleganter, & neruose Chrysostomus passim disputat. Hom. 1. in Gen. & 3. ad populum Antioch. item hom. 4. 6. 10. 18. *Qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent; inprimis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus & à vitiis.*

Ieiunium ex sententia Caluini præceptum est, alioqui esset ἐθελοθρησκεία.

Ieiunium cultus Dei.

Virtus ieiunio sit comes.

Denique tertius error; scilicet, *morosius exigere ieiunia*, minor est illo, qui nulla exigit, nisi cum nihil quod edas, supereat, vt supra vidimus fecisse Illyricũ. Nec multum abesse videtur Melanchthon. Duplex ille ieiunium facit. *Primum cum sobrie sumitur cibus. Alterum cum nihil omnino, vel parum admodum sumitur.* Eius causas tres adfert: *Si deest cibus, si deest appetitus, si fastidium omnis cibi fecit mœror.* Quæ si rata sunt, verendum non est, ne Caluiniani in exigendo ieiunio sint morosi. Imo dolendum eos in deserendo ieiunio tam esse faciles.

Præstat rigidè exigere, quam nulla ieiunia.

VERSVS 3.

Et accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

QVÆSTIO I.

Quando tentator accesserit?

Tentator occasione vsus accedit.

§. 1. ORigenes hom. 29. in Lucam, totos quadraginta dies noctesque tentasse existimat. Plerique nunc primum accedere, opportunam sibi Christi famem arbitratum. Qua enim parte infirmum putabat Christum, irrupit, circumiecit dies omnes vt leo, aditum frustra scrutatus, nunc aduersa, periculosa, & malesuada fame, corporali specie accedens tentat, vt si homo sit, ad peccandum inducat, si Deus, id ipsum cognoscat. Audierat voce in post baptismum de eo testantem, tum spiritumque Ioannis, mirabatur tot dies sine fame transactos; at nunc vbi more hominum grassari famem, suctumque, & membrorum exinanitionem vidit, locum vulneri fore sperauit.

Tentatio daemonum.

§. 2. Argumento sane valido eum aggreditur. Si filius Dei es, quid fame cruciaris? vtere potentia, veracem ostende Baptistam. Panem ex lapidibus confice. Hoc si non potes, cum magna sit, nec diutius tolerari possit fames, moriendum est. Hoc enim minatum esse non obscure colligitur ex responso Christi. *Non in solo pane viuit homo.* Quod è diametro non opponitur nisi illi propositioni. *Solo pane iam viuere potes, alioqui inedia morieris.* Potuit sane luculentam sibi mensam versis in dapes saxis construere, verum sapientia, pietate, scriptura hostem vincere maluit. Fidem igitur Christi oppugnauit. Nec tamen hoc impedit, quo minus verum sit quod multi veterum dixerunt, etiam ad gulam incitasse Dominum. Falso igitur patres interpretes accusat Caluinus. *Hic etiam parum firmis argutiis luserunt veteres, primam enim tentationem dixerunt esse gulæ, alteram ambitionis, tertiam auaritiæ, sed ridiculum est ad gulæ intemperiem referre, si quis famelicus cibum appetit quo naturæ satisfaciat. Porro quæsin pane lautitias fingent, vt nimis delicatus censeri debeat, qui ficco pane, vt aiunt, contentus est.*

Fidē Christi, & fiducia tentauit.

Errat omnino Caluinus, dum existimat eadem occasione non nisi ad vnum crimen dæmonem posse impellere, de fide, & perfidia, de gula tentabat esurientem; imo vero id agebat, vt nimio escæ desiderio ad impatientiam, desperationem, numenque tentandum concitaret. At ridiculum est in pane gulam esse. Imo norat mille artifex, nimio appetitu lenticulæ Esau vendidisse primogenita: & in cibario etiam pane cupiditatis impetum extra orbitam ferri posse. Quod multi Patrum docuerunt, & magistrum suum Pareus docere posset. *Lenticulam coxit Iacob, vile legumen, vehemens eius desiderium habuit Esau, vt etiam nomen inde inueniret.* inquit in c. 25. Gen. v. 30. Pareus, & v. 34. *Peccat intemperantia gulæ, quod famis impatiens tam auide pulticulam rufam appetit, quasi in patris culina offulam habere non posset.* Cur non igitur Christum de gula, in appetitione panis in deserto tentaret, qui Esauum in opulenta domo, inter varia cibariorum genera in certamine de coctione rufa deiicit?

In vilibus cibis gula esse potest.

Nec obstat Christi responsio; nam de fide & spe in Deum respondere potuit; quia ad grauius malum perfidiæ, quam gulæ tentatio tendebat. Rectissime vero de gula tentantem reiicit. Quasi dicat. Nihil opus est hic Deum tentare, aut lapidum metamorphosi escam quærere, viuam de omni quod Deus decreuerit. Deo curæ erit mea temperantia, non sum moræ impatiens, nec profani imitator Esau. Eodem ergo clypeo vtrunque telum Christus reiicit: nam se in Deum sperare ostendit, cuius potentia non sit pani alligata, & superesse sibi tolerantiam ad inediæ æuitiem quam diu Deo visum fuerit, fortiter, hilareque ferendam. Itaque viuere hominem dicit ex omni verbo, על כל מוצא פי יהוה, *super omni quod egreditur de ore Dei*, hoc est, quocunque hominem Deus vitam propagare iusserit, id illi panis instar est, Deut. 8. 3. De omni homine scriptura loquitur. Non agitur hic de verbo Dei, seu doctrina sacra, sed decreto Dei, à cuius nutu vita pendet, & qui creaturas quas fecit, sustentat.

Christus exiens fide, & fiducia tentationem vincit.

§. 3. Hic etiam occasionem calumniandi Caluinus veritatis Satan arripit. [Vnde etiam colligimus, Papistas, quasi facta cum Satana pactione, animas crudeliter exponere eius libidini ad interitum, quum Scripturam maligne supprimentes, Dei populũ spoliant suis armis, quibus solis salutem suam tueri poterant. qui vero armaturam istam sponte abiiciunt, nec se in Dei schola assidue exercent, digni sunt qui singulis momentis à Satana iugulentur, qui se inermes produnt. Nec sane alia ratio est, cur tam impotenter grassetur Satan, & passim tam multos abripiat, nisi quia eorum

" eorum ignauiam & verbi sui contemptum Deus vlci-
" scitur.]

Debuit scripturarum impius interpolator, depra-
uator, & mutilator nobis hoc conuitium facere, vt
scripturam supprimere videremur, cum tamen eius
legitimus vsus sit apud nos solos.

Nos vero quomodo sumus scripturam *supprimen-
tes*? quam tot vbique modis proferimus & expli-
camus? Docemus quotidie ex scriptura pugnare cum
Satana. Monemus ne sua arma extorqueri sibi patian-
tur, vt quibus legi debebant, illis ipsis iugulentur,
dum arma tractare nesciunt. Tirones huius militiæ si-
ne campiductore, in aciem descendere periculosum
ducimus, nec suis auspiciis arma imperite mouere,
hoc suo proprio sensu scripturis abuti, permittimus.
quod nec improbare Caluinus potest, qui se *Bucerum
secutum esse profitetur* in Euangeliorum expositione, *&
hunc à veteribus adiutum.* Si igitur illi non suo sensu, sed
alieno adiuti hæc arma tractant, cur nobis idem non
liceat? Quod si de illis agamus, qui scripturas de fide-
liũ manibus excutiunt, haud facile pernicioſos æque
inueniemus, atque illi sunt, qui errorem sacris scripto-
ribus tribuunt, quique parum æstimant, *si modo pere-
grino* tractentur. Caluinus id parui facit, statuta Ge-
bennens. pag. 12. 13. edit. 1562. vitia ministrorum *into-
lerabilia* quædam recensent, *vt ludos, & choreas, alia tole-
rabilia, adhibita correctione fraterna*, qualia esse dicit: *pe-
regrinum scripturæ tractandæ modum*, qui scandalum pa-
riat. Hoc si in ministro tolerabile est vitium, quid erit
in idiota? Quomodo obuiam ibitur dæmoni, modo,
quo non est vsus Christus aut Ecclesia?

Peregrinus modus explicandi scripturam non statim contra dæmonem.

VERSVS 5.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei; Si filius Dei es mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus suis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

QVÆSTIO I.

An Christus reipsa fuerit in sublime euectus à Satana?

Indignum videri Christum à dæmone eu-ctum.

§. 1. EOdem argumento vtuntur, qui aiunt, quique negant. Indignum est Christi maiestate à Dæmone per aera vehi, indignius videtur Domini sensibus illudi, vt in eremo consistens; super templi pinnaculum, vel montis verticem sibi locatus videretur: Minus est enim à Satana ferri, quam eius præstigiis obnoxium fieri. Mihi omnino Christus & in mon-

Vel illusum,

tem, & super pinnaculum reipsa collocatus videtur: nec assentior auctori de virtutibus cardinalibus, qui aliter existimat. *A multis ambigitur vtrum fuerit hic translatio corporalis: & si de loco in locum Christus transferri permiserit, eo modo quo Abacuc de Iudæa in Chaldæam translatus est; & Philippus de Azoto in occursum Eunuchi, qui reuertens de Hierusalem, non intelligens Esaiam, codicem reuoluebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconueniens: quod humeris eius Saluator insederit, & pro vehiculo vsus sit quem præcipitatorem sciebat; vel ei ferendum se commiserit, cuius insidias agnoscebat. Suo itaq; spiritu eum credendum est ductum, & in desertum, & super templum, vt vtrobiq; eum diabolus assumeret ad tentandum. Et localiter quidem in deserto prima fuit tentatio; sed cæteras eo modo circumduxit*

Cur nõ corporaliter Christus translatus videatur.

tentatoris astutia, vel circumduci passa est patientia Saluatoris, quo modo Ezechiel cum super flumen Chobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu ciuitatem ædificat, & metitur, & muros, & templum instaurat. Hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu; sciens quid antispiritus affectaret, & hosti se de vana gloria pulsaturo opportunitatem parabat. Hæc ille vel Cyprianus, vel auctor sanè vetustus.

Primo mouet me verborum proprietas, vt reipsa translatum putem: dicit enim παραλαμβάνει, *suscipit.* & Luc. 4. 4. ἀναγαγὼν *ducens*, & v. 9. ἠγαγεν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἔστησεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον. *Et duxit illum in Ierusalem, & statuit supra pinnaculum templi.* Eodem modo & Syrus הֵבְרַת transtulit eum. Quæ omnia torquentur; si aliud aliquid significant, quam veram translationem. Si enim ista solum in sensu externo, vel imaginatione Dominus pertulit, cur non de ipso Satana, ieiunio, colloquio idem dicemus? non in somno, non in imaginatione, sed reuera illa peracta sunt. Quam vim porro tentatio habuit, si dæmon stanti in eremo dicebat: Mitte te deorsum. Vel enim putabat dæmon; Christi sensus, imaginationem que ita illusam, iunctamque, vt ratio, liberumque eius arbitrium, & circunstantiarum consideratio non constaret, vel putauit sensibus & imaginatrice potentia per præstigias occupatis, iudicium integrum esse, quo cognosceret se in plano, non in pinnaculo consistere: Non hæc disputo, quasi rationem Christi turbare dæmon potuerit; sed de mente eius qui tentabat, loquor. Si existimabat iudicium Christi illæsum esse, ridiculum se tentatorem exhibebat; quid enim hoc magnopere virum prudentem moueret; si in plano stanti diceret, *mitte te deorsum?* imo si ipsum templum intueretur, non modo si imaginatione duntaxat complecteretur, parum virium haberet illa tentatio. Quod si illum omnino sensibus alienatum, & mente inopem credebat; vti solent esse, qui excessum, aut somnia patiuntur, nihil profutura erat tentatio, cum somniantes, aut à mente alienati non peccent. Frustra sane cum eo disputaret, quem intelligentia nulla vti existimaret: aut sane debili, qualem somniantes interdum habent.

Proprietas verborum tenenda est.

Vis tentationis posita, si imaginationis fuit.

§. 2. Dicitur translatus, & locatus super pinnaculum πτερύγιον, Syriace בנפא, quod non est signum, quale nostris in turribus, cum plana tecta Palæstinorum ædes habeant. Vt vero huius tentationis occasio grauitasque intelligatur, historia & descriptio templi cognoscenda, quæ huic rei est necessaria. Altitudo templi erat 120. cubitorum Ioseph l. 8. c. 2. antiq. Deinde cochlea erat, qua in superiora ascendebatur, muri crassitudini inclusa, vt refert Iosephus eodem loco. Tectum erat è ligno, sed auro tecto. *In summo autem,* inquit Ioseph l. 6. c. 6. *aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur.* Huc igitur Christum deduxit Satan, vt vel eum vana gloria, ad Deum tentandum inducerent, aut ad desperationem adigeret. Erat enim in extremo periculo, humanitus loquendo Christus. Descendere per cochlea non poterat, seris, ferroque munitam. Si maneret, fame moriendum videbatur; si per ambitum seu peribolum prospiciens, illis qui in subiecta area versabantur se ostenderet, non minora se pericula offerebant: iudicio enim sistendus esset, vbi quæreretur; quis esset? quomodo conscendisset, quo fine, quo proposito? suspiciones incendiorum, furtorum, profanationis templi, minimum hoc effecissent, vt ad dirissimas quæstiones admoueretur. Si à diabolo se adductum fateretur, tanquam magus & veneficus cremaretur. Hæc omnia tum proponebantur, & ex se perspecta erant. Hinc tentator domino, vt putabat, in extremo discrimine posito, omnes neruos intendit, vt eo adigeret, vt sese præcipitem daret, vel à Deo seruandus, vel sane quæstionum tristissima vitaturus; vt eo modo ἀνυπόκριτος faceret.

Pinnaculũ templi perquale nostris in turribus.

Christũ in extremum periculum adducere dæmon voluit.

Quamuis hoc dissimulat, de sola fiducia in Deum verba faciens. Quasi illudat & dicat. Tantâ in Deum es fiducia, vt ex omni verbo Dei te viuere posse iactes, persta in ea sententia, & te præcipita; quia scriptum est. Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te. Tam poteris in lapsu sustineri ab angelis, quam absque cibo viuere: Et dura te necessitas cogit, hic manenti fames, & mors; illinc deprehenso examen, contumeliæ, cruciatus. Hæc erat futura, nisi Christus Deus fuisset, efficax tentatio, cum enim hominem anxium dæmon aggreditur, facile in partem aliquam trahit.

Periculum Christo manente & se præcipitante intentat.

§. 3. Mitte te deorsum, inquit, βάλε proiice, in hebræo est, animam tuam, sensum Euangelistæ reddidit. Insigne documentum, quomodo occurrendum illis sit, qui scripturâ ad perfidiam, aut scelera abutuntur. Psalmo 90. 11. *scriptum est. Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, &c.* Ex ea fideles concludunt, in vita nostra, prosperis, aduersisque in Deo sperandum, in eius nos tutela esse. At Satan aliud conficere satagit; in media pericula, in gladios, & ignes illa se præsumptione vnumquemque iactare posse. Pie igitur, pureque scriptura tractanda est; non minora namque praua eius interpretatio, quam ignoratio mala peperit. Nec audiendi hæretici in perniciem suam elogia Dei torquentes, sed ex vera scripturæ intelligentia respondendum est. Hanc confidentiam imitantur hæretici à tentatore mutuati, fatetur hoc ipsum Bullingerus in

Demon scriptura abutitur.

Ex eadem scriptura contrariæ conclusiones.

„ hunc locum. [Cæterum grauissima hac tentatione
„ multum hodie Ecclesiam vexat atque conturbat Sa-
„ tanas. Nam antequam illuxisset mundo Euangelium,
„ in Papismo vexauit maiores nostros ἀπιστίᾳ, nunc vbi
„ hæc per fulgorem euangelii dissipata est, posteros val-
„ de affligit infelicissima βεβαιότητι, quam & scripturis fir-
„ missime confirmare videtur, hoc ferme modo; si fi-
„ dem habes, filius Dei es, liberatus à peccato, morte &
„ diabolo, fide viues: ergo fidei confisus, non est quod
„ vlla cures bona opera, quibus neque eget Deus, neque
„ iis vitam æternam concedit. His addit multa euiden-
„ tia scripturæ loca, quæ vt maxime Dei bonitatem erga
„ nos commendant, quemadmodum & in Psal. 91. fieri
„ videmus. Interea tamen confidentiam non tradunt.
„ Huic tentationi similis est & illa, si electus es prædesti-
„ natione Dei æterna, certissime saluaberis, vtut te in
„ hisce terris geras: neque electionem illam vllis impe-
„ trabis operibus. His subiunguntur testimonia, Ego
„ cognosco oues meas, & has nemo rapiet de manu
„ mea. Non est volentis, neque currentis, sed Dei mise-
„ rentis. Hisce multos in eam securitatem inducit, vt de
„ sua salute nihil soliciti in vtramque aurem dormiant,
„ fideique libertate prorsus abutantur, non fideles iam,
„ sed homines prorsus confidentes, tandem & Epicuri
„ de grege porci.]

Cõfidentia per hæreses inducta mores corrumpit.

Hic fructus est noui Euangelii, quod ignorarunt Patres nostri. Par omnino est confidentia eius, qui se de angelorum adiutorio certus ex alto præcipitat, & illius, qui iustitiæ, iræ Dei, salutis securus sceleribus indulget. Imo grauior est fiduciariæ securitatis culpa: Sibi enim non modo ad flagitia animos facit, impunitatis πληροφορίᾳ, & certissima persuasione, sed magno etiam impetu alios trahit.

VERSVS 8. 9. 10.

Iterũ assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Tunc dicit ei Iesus, Vade Satana, scriptũ est enim, Dominum Deum tuum adorabis: & illi soli seruies.

QVÆSTIO I.

Quomodo ostendit?

§. 1. Difficultatis ratio ex Luca oritur: qui ait omnia ostensa ἐν στιγμῇ χρόνου, *in momento temporis*; quare putant vel imaginationi eius impressisse, vel oculis obiecisse, vt vno momento cuncta cerneret, nec regna modo, sed gloriam eorum: Caluinus factũ esse Dei dispensatione, vt Satan illi oculos stringeret, alii in speculo, alii alio modo factum arbitrantur.

Quomodo ostensa regna mundi.

Quod momentum seu στιγμὴν appellat Euangelista, non opus est de tempore indiuisibili Mathematica ἀκριβολογίᾳ & subtilitate accipere, sed morali breuitate, eaque quàm maxima. Sic enim latini loqui consueuerunt.

Quid enim? concurritur, horæ
Momento cita mors venit, aut victoriæ læta.

Momenti perbreue tempus significare solet.

Omnia regna mundi & plagas, & regna demonstrat, Hinc Romanum opes, classes, exercitus, hinc regnum Persicum Indicum, & quam paucissimis verbis exposuit, breui tempore.

Hæc promittit si cadens adoret, iam palam ad scelus hortatur, vt si faciat, Christum esse non credat: Si renuat, quasi telis suis inuulnerabilem deserat. Cui Dominus iam plane victor respondet: *Vade Satana*: alia exemplaria quæ habent; ὀπίσω μου, post me, incorrectiora sunt, aliunde huc translatum est.

QVÆSTIO II.

An illis verbis: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies, excludatur cultus sanctorum?

§. 1. Deut. 6. 13. Non est particula, μόνῳ *soli*, Christus interpretatus est in eum modum, vt perspicua esset refutatio. Hinc omnes, vt Caluinus l. 1. c. 12. §. 3. instit. *Et quum Christus Satanæ insultum repellit hoc clypeo, scriptum esse Dominum Deum tuum adorabis, non veniebat nominatim in mentem latria, Satan enim non nisi προσκύνησιν exigebat.*

Beza non nisi duplicem cultum agnoscit, ciuilem, & religiosum, neutrum conuenire sanctis.

Cultũ sanctorum negant aduersarii.

Res quidem clara est, & rem facile verba sequentur. Honor, cultus, adoratio, alia religiosa est, vni soli Deo, primo omnium principio, omnium fini vltimo conueniens, nulli creaturæ, quamtumuis insigni, conueniens. Is honor si cuicunque deferatur alteri, sceleris idololatriæ est: non damnatione modo, sed etiã morte temporaria plectendum. Alius honor, cultus, adoratio, est ciuilis, quæ viro forti, bene merito, patri, patrono, senatori, consuli, principi regi defertur, ob ciuilem aliquam, & in rebus humanis eminentiam. Et hac quidem in re inter nos cõuenit. Nos vero aliud genus honoris, cultus, adorationis agnoscimus, ab vtroque diuersum. Cum creaturam quampiam colimus, adoramus, honoramus non ob ciuilem aliquam excellentiam, sed ob gratias, & dona supernaturalia. Sic enim frequenter prophetas, & viros sanctos magno honore prosequimur, ob magnas Dei dotes, quas in illis relucere videmus. Honor ille diuinus non est, defertur enim vt creaturis, vt seruis Dei. Ciuilis non est; non enim in illo spectatur dignitas politica, sed spiritalis. Itaque si angelus alicui loquatur, honorare illum licebit, nec tamen honor est ciuilis, Dei vnius honorem λατρείαν vocamus, vt Aug. in Epist. ad Rom. aliũ vero Sanctis tribui solitum δουλείαν, & interdũ eius partem ὑπερδουλείαν; non quod nõ & λατρεύειν creaturis dicamus, & δουλεύειν Deo; sed quod ea sit in Ecclesia cõsuetudo

Cultus Dei nullis creaturis communicatur.

Cultus Dei gratiæ in sanctis maior est ciuili.

tudo loquẽdi, vt ex Augustino doceo in c. 1. ad Rom. Perspicuum igitur est: Veneratione sanctorum atque angelorum à nobis non peccari; quia nec adorationem Deo debitam, nec seruitutem sanctis exhibemus.

Adoratio à scriptura Deo & hominibus tribuitur.

Nec est *sophisticum commentum*, vt Caluinus obiicit: quia scriptura docet à sanctis & Deum, & homines adoratos, magna sine dubio differentia adorationis. Gen. 23. 7. & 27. 29. & 33. 3 & 49. 8. 2. Reg. 14. 4. & 16. 28. & 42. 21. & 3. Reg. 1. 16. aliter ergo scripturæ verba intelligenda sunt, cum dicit adoratum Deum, aliter, cum regem. Tam enim flagitium est, regum honorem tribuere Deo, quam Dei, egibus.

Obiicit tamen Caluinus. *Arqui friuola illa verborum distinctione reiecta Christus προσκύνησιν etiam vni Deo vendicat. quo commonemur, rei potius quam vocis rationem esse habendam quoties agitur de cultu Dei. Scripturâ Deum vnum coleretiubet.*

Verissimum est sane vnum Deum colendum, sed cultu religioso, seu cultu Dei; parentes, & magistratus & amicos Dei sanctos alio cultu afficimus.

Vni Deo cultus diuinus debetur.

Mihi vero ipso dæmone obstinatior Caluinus apparet, ille cessit, Caluinus constanter obnititur contra veritatem. Christus προσκύνησιν vni Deo vindicat, non omnem, sed eam, qua personæ adoratæ summum, independensque dominium agnoscimus. Talem sibi arrogabat diabolus, vel ipso Caluino teste. *Nam etsi omnia nostra præsidia, opes, commoda in Dei benedictione constituimus: titillant tamen nos subinde & pelliciunt sensus nostri ad quærenda Satanæ subsidia, ac si vnus Deus non sufficeret.*

Dæmon diuinos honores exigit.

Bona autem mundi pars Deo ius & imperium terræ abducans, Satanam sibi fingit bonorum omnium datorem. Vnde enim fit vt malis artibus, & rapinis & fraudibus fere omnes se addicant, nisi quod in Satanam transcribunt quod Dei proprium erat, sua benedictione ditare quos visum est? Ore quidem panem quotidianum dari sibi à Deo postulant, sed ore tenus: quia Satanam præficiunt distribuendis totius mundi diuitiis.

Satan igitur tanquam Deus προσκύνησιν adorationem postulabat, non vt seruus, non minorem latria, sed æqualem Deo, si Caluino credimus. At vero προσκύνησιν nõ soli Deo tribui, sicut nec Hebræum שחה atque in ea re grauissime Caluinum labi, mihi facile est docere, Gen. 19. 1. Lot προσεκύνησε pronus in terram. Gen. 23. 7. προσεκύνησε τῷ λαῷ & 37 6. & 3. Reg. 1. 16. & 2. Reg. 1. 2. & 14. 4. & 18. 21. & ibidem 28. & 24. 20. 1. Par. 21. 21. 2. Par. 24. 17. Illa vero προσκύνησις vetita non fuit, quia omnino alia fuit, ab hac, quam Luc. fer à Domino exigit. Hæc de vero sensu huius scripturæ Augustini sententiâ definienda relinquo. Is q. 61. in Gen. *Exurgens autem Abraham adorauit populum terræ. Quæritur quomodo scriptum sit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: cum Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret. Sed animaduertendum est in eodem præcepto, non dictum Dominum Deum tuum solum adorabis: sicut dictum est, Et illi soli seruies: quod est Grace λατρεύσεις. Talis enim seruitus non nisi Deo debetur. Vnde damnantur idololatræ: id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo.*

προσκύνησις non soli Deo conuenit.

Videatur idem de vera religione, c. vltimo.

§. 2. Duo Piscator his in verbis mouet; primum contra Pontificem, *quem ait esse filium diaboli, quia adoratur*, alterum contra adorationem carnis Christi, hoc ad Lutheranos præcipue pertinet.

Pontificis adoratio est vt serui Dei.

Ad pontificem quod attinet: Eius adoratio non est, quæ ad Deum possit referri, adoratur enim vt seruus Dei, vt Episcopus, vt Vicarius Christi: alioqui & Dauid, aliique filii diaboli essent, quia adorabantur.

„ Contra Lutheranos sic argumentatur. [Quum solus
„ Deus adorandus sit: falsum igitur docent, qui tra-
„ dunt, adorandam esse carnem Christi: quippe quum
„ certum sit, carnem Christi non esse Deum, licet sit ca-
„ ro Dei, nempe filii Dei, personaliter vnita. At perso-

nalis vnio diuinæ & humanæ naturæ in Christo, non tollit, aut confundit earum proprietates, sed saluas relinquit. Est autem adorabilitas non minus proprietas deitatis, quam omnis scientia, omnipotentia, omnipræsentia, æternitas. Adorandus est igitur Deus manifestatus in carne: sed caro eius adoranda nõ est. Sicut ciuiliter adoratur rex in capite gerens coronam vel diadema, nec sceptrum adoratur. Et pii tum demum Christum adorasse leguntur, quum cognouerunt eius deitatem: vt testantur hæc exempla: Cæci nati Ioh. 9. v. 35. 36. 37. 38. Petri, Luc. 5. v. 8. Illorũ qui viderant Iesum ambulantem super mare & illud tranquillantem, Matth. 14. v. 33. Sanctarum mulierum quæ ipsum quæsierant in sepulchro, Matth. 28. 9. Apostolorum congregatorum in monte, quum Christus eis valediceret, ibid. v. 17. Thomæ videntis eum post resurrectionem. Ioh. 20. v. 28.] « « «

QVÆSTIO I.

Quando, & cur secessit?

Ioannes nō statim in vincula cōiectus est.

§. 1. NOn continuo post victoriam de tentatione reportatam Ioannes coniectus est in vincula. Nam alia interfuisse constat ex Ioan. 1. 2. 3. 4. Venit enim ad eum Iesus, deinde accepto testimonio colligit discipulos, Andream, Petrum, Philippum, laudat Nathanaelem, interest nuptiis, ascendit Ierosolymam, vendentes eiicit, simul cum Ioanne docet, & per discipulos baptizat. Ioan. 3. 22. Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram; & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salim: nondum enim erat Ioannes missus in carcerem. Tum vero vel admiratione, vel æmulatione discipuli Ioannis monuerunt, *plures à Iesu baptizari, omnes ad eum venire.* Itaque tum demum Ioannes est coniectus in carcerem, cum Christo iam miraculis claro perfectum testimonium dedisset, neque est vlla Euangelistarum dissensio, vt accurate docet S. Augustinus lib. 2. de consens. Euangelistarum c. 17. & 44. & 45.

§. 2. Causa cur Christus secesserit Dominus, apud Ioannem exprimitur 4. 1. *Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes, (quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.*

Odium initio Christus vitat.

Causa igitur secedendi, fama apud Pharisæos vulgata, ex ea enim odium, inde calumniæ, & apud Herodem accusationes. Nam Ioannem oderant; dicebant enim, *dæmonium habet.* Cum vero Herodes falsum sæuitiæ suæ prætextum obtendisset; Ioannem idcirco cæsum, quod seditionem moueret, coitione populi ad se facta, facile poterat id crimen in Christum etiam torqueri, vt ad quem maior concursus fieret, itaque Christus non timore, sed prudentia cessit inuidiæ, ne occasione sumpta eum cum Ioanne conspirasse in regis perniciem calumniarentur, præsertim cum Ioannes dixisset; *oportere Christum crescere, se minui, Christum desursum esse, de cœlo venisse,* quæ apud Ioan. c. 3. v. 28. & seq. leguntur. Seditionis vero prætextum sceleri fuisse adhibitum constat ex Iosepho l. 18. ant. c. 7. post quam enim narrauit Herodis exercitum ab Areta internecione fuisse deletum: subiungit *Apud Iudæos autem fuit opinio, iusta vltione numinis, deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim tetrarcha necauit virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia, & in primis pietatis ac iustitiæ, simulque ad baptismi lauacrum: quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantum alteroue peccato abstineant, sed animū per iustitiam prius mundatis addant & puritatem corporis. Quumq; magni concursus fierent plebe talis doctrinæ auida, Herodes veritus, ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex eius consilio, iudicauit satius esse, prius, quam noui aliquid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis, seram pœnitentiam agere. itaque vinctum missum in Macheruntem supra dictam, illic occidi imperat, quod factum sequuta est Iudæorum existimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum.*

Ioannes prætextu seditionis occisus.

Herodis pœna ob Ioannis necem.

Falsum autem fuisse prætextum, hoc facile ostendit, quod Christum mirabilia facientem, & multo plures trahentem contempsit, nec insidiatus est, nec cum in potestate haberet, quicquam aduersi intulit, præter irrisionem. Vsitatum itaque olim erat artificium pios Dei fideleſque ministros, quorum vita, doctrinaque improbis moribus aduersabatur, cum aliter refutare non possent, tumultuum & maiestatis accusare. Quod vnicum telum est violentissimum contra innocentiam, & nouacula acuta, astu, & dolo sæuiens, qua hodie in Catholicos, maxime Societatem Iesu, sæuiunt.

VERSVS 14. 15.

Vt impleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam. Terra Zabulon & terra Nephthali via maris trans Iordanem, Galilæa gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.

QVÆSTIO I.

An recte citatus Isaias?

§. 1. MAgno impetu in nostrum veterem interpretem nouatores, & in Euangelistam infideles irruunt. Isaiæ 9. 1. ita est in vetere interprete. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem, Galilæa gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Verba ita apud 70. inueniuntur expressa, τὸ πρῶτον ἠχὺ πίε, ταχὺ ποιεῖ, χώρα Ζαβυλὼν, ἡ γῆ Νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ τὴν θαλάσσαν, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα, οἱ κατοικοῦντες ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς λάμψει ἐφ' ὑμᾶς. *Prophetæ verba & versione.*

Hoc primum velociter bibe, velociter fac, regio Zabulon, terra Nephthalim, & reliqui maritimam (habitantes,) & trans Iordanem Galilæa gentium.

Chaldæus Interpres omnino aliter, dum explicare rem studuit, inuoluit. *Primo tempore transmigrauerunt, cum terra Zabulon, & cum terra Nephthali; & qui remanserunt ex eis, rex fortis eos abducet in captiuitatem, eo quod non sint recordati potentiæ quæ facta est in mari rubro, & miraculorum quæ facta sunt in Iordane, & belli ciuitatum populorum. Populus domus Israel, qui ambulabat in Ægypto sicut in tenebris, egressi sunt vt viderent lumen magnum: Habitantibus in terra vmbræ mortis, lux orta est eis.*

§. 2. A nostro Interprete hodierna Hebræa differunt, quod verba capitis præcedentis, *Et non poterit auolare de angustia sua*, cum hoc capite connectant, quod tamen mouere nos minime debet. Latinus enim, Græcus, Chaldæus aliter distinxerunt, & olim notæ distinctionum nullæ erant. Vatablus ita vertit. *Tempore primo, ab eo qui alleuiare fecit terram Zabulon, & vltimo ab eo qui aggrauari fecit viam maris, trans Iordanem, fuum est Galilæi gentium.* Est quidem חסל alleuiauit, & חבביר *Nulla secundum uersio.* aggrauari fecit, non tamen difficulter mutatione punctorum, vel commoditate versionis, cum sensus idem sit, dicere noster potuit, *aggrauata est*, pro eo quod in hebræo est, *aggrauare* fecit, cum ille loquendi modus non sit in lingua latina, in qua hiphil non habemus.

§. 3. Cæteræ parui momenti sunt differentiæ. In propheta est ambulare in tenebris, apud Euangelistam sedere, eadem re commorationem Hebræi significant, & hoc quidem loco magnam calamitatem, in qua versabantur.

Via maris trans Iordanem, est via qua ex mari mediterraneo proficiscuntur ad mare Tiberiadis, quod nomine maris hic est intelligendū. *Trans Iordanem* Syrus vertit, *Transitus Iordanis.* Hebræum עבר, quemadmodum Græcum πέραν, quod hoc loco vsurpatur, *cis* & *vltra* significat, & in vtriusq; littoris regione Christus docuit, sed præcipue in ea parte, in qua Galilæa fuit. Loquitur

tamen

tamen Propheta veteri more, quo vsus est Moses. Ille enim ex Ægypto veniens terram filiis Israel promissam, semper ait esse *trans Iordanem*, cum loquendi posteri retinuerunt, vt cis Ebro terram suam dicerent *trans Iordanem*, cum tamen ipsis esset *cis Iordanem*. Eo plane modo quo Galli & Germani dicimus nos esse trans Alpes; quia olim Romani sui situs respectu has regiones trans Alpes, & Transalpinas esse dixerunt.

Testimonium non integrum ponit Euangelista.

§. 4. Euangelista Prophetæ testimonium non integrum protulit, sed quantum ad institutum erat necessarium. Propheta grauissimam affectionem significat, & solatium, vt solet, adiungit. Euangelista *alleuiatam*, & *aggrauatam esse terram* non dixit, sed terram duntaxat nominat; quia de illa priore aggrauatione, atque alleuiatione non attinebat eum loqui, qui de magna luce quæ illis effulsit dicere instituerat. Itaque omissis illis quæ sibi necessaria non putauit, alia solum posuit. Quâ quidem in re nulla est repugnantia; Omittere enim aliquid eorum quæ alter dixit, cuius sententiam refers, non est illi repugnare. Vsitatissimum namque est, summas atque præcipuas partes alienorum verborum instituto accommodatas recitare, cum testimonia petuntur, non integros textus adferre.

Ad Christū Prophetia pertinet.

§. 5. Non possunt ad liberationem Babylonicam referre Iudæi, neque eam quæ facta est à Sennacherib. Ratio enim præcedentium & consequentium manifestissimè declarat, ad Messiam pertinere Prophetiam. *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius non superauit, sicut in die Madiam*, vt dicitur v. 4. Nam sub Persarum, deinde sub Græcorum regibus, minime liberi, sed multis modis afflicti fuerunt. Et v. 6. Causam tot bonorum adducit: *Paruulus enim natus est nobis, cuius imperium super humerum eius*, etsi enim paruus, totius tamen orbis imperium secum fert. Quin paruulus ille Pater est futuri sæculi, quia caput Ecclesiæ triumphantis, ipse æternus, & beata æternitate omnes amicos munerans. & vers. 7. *Multiplicabitur imperium eius, & pacis non erit finis, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo, & vsque in sempiternum.* De luce igitur illa agitur, quam intulit Christus orbi, qua firmatum est imperium Dauidis in sempiternum, quæ omnia non nisi de Messia dici posse Iudæi fatenturi ipsimet, & textus demonstrat.

VERSVS 18.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres; Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores:) & ait illis; Venite, post me, & faciam nos fieri piscatores hominum.

QVÆSTIO I.

Quomodo de vocatione Apostolorum consentiant tres Euangelistæ?

§. 1. Matthæi narratio est breuior, & sine circumstantiis, non discrepans à cæteris, vocatos enim *relictis retibus secutos*, ait. At quæ apud Lucam sunt 5. 10. & Ioan. 1. 40. plus diuersitatis habere videntur. Lucas namque Petrum & Ioannem, & Iacobum post piscium capturam secutos ait. At Ioannes Andream primo Christum accessisse, deinde Petrum duxisse. v. 37. *Et conuersus Iesus vidit eos sequentes se, & quærentibus vbi habitaret, Respondit: Venite & videte: & manserunt die illâ apud illum, erat autem horâ quasi decima, inuenit autem Simonem Andreas, & adduxit ad Iesum.*

Euangelista concilian-tur.

Hæc vocatio non fuit propria, nec enim nisi illa die manserũt apud Iesum, sed altero die ad nauigia redierunt. actum ita vocati sunt, vt omnibus relictis sequerentur, ad relicta non redituri. Contigisse autem illud altera die constat. Nam accessus ad Iesum de quo Ioannes refert, factus est hora decima, circa diei finem, ea die non fuit Christi concio in naui Petri, & piscatio, tum quia tempus non patiebatur ista fieri, tum vero quia v. 39. *Manserunt illo die apud illum.* Itaq; sumptâ cœnâ ad nauiculas redierunt. Illa autem nocte tota laborauerunt, & nihil ceperunt, & mane cum concio finita esset, multitudinem piscium comprehenderunt. Id ex eo constat, quod eadem die Philippum vocauit, *In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum*; at Andreæ & Petri vocatio Philippi vocationem anteceſſit. Deniq; die tertio nuptiæ factæ in Cana Galilææ, in quibus fuit Iesus cum discipulis suis: ante tertium igitur diem vocati sunt.

Anabaptistæ non rebere contendunt.

§. 2. Anabaptistæ hoc argumento omnes Ecclesiæ doctores, & pastores renunciare cuncti rebus suis debere contendunt. Quod tamen Dominus non omnibus, sed Apostolis suis præcepit. Hoc ergo factum vim legis non habuit, sed in Apostolis necessitatem, cum in vnum Iesum mundum mittendi essent. Neq; enim Christianorum Ierosolymis omnia vendentium, & ad pedes Apostolorum deponentium exemplo cæteri se abdicare rebus suis coguntur, neq; Ecclesiastici Apostolorum. Verum hac de alio loco propria est ratio disputandi.

Qui renunciant omnibus.

VERSVS 24.

Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & Paralyticos. & sanauit eos.

QVÆSTIO I.

Quæ opera Christi, & eorum effectus?

Gloria Chri stilatè spargitur.

§. 1. Opinionẽ seu famam δόξαν ait emanasse per totam Syriam, in qua Palæstina, Idumæa, Syrophœnicia, Syria Damascena, Antiochena, Syria, Caua, pars Arabiæ, totæq; regiones fertilioris Asiæ: Nam ab Oriente terminum Euphratem; à Meridie Ægyptum & mare rubrum; ab Occidente mare mediterraneum; ab Æquilone Ciliciam habet. Magna in celebritate Christum fuisse, ostendit, vt simul doceat, neminem ex improbis excusatum, qui tanta miracula videret, & quam altè peccatis sepulti iacerent, qui tanta nouitate non excitarentur.

Sanitates miraculosæ.

§. 2. Inter eos quos sanitate donat sunt varii, vt constet omnem humanam facultatem excedere, omnem medicinæ opem, tam subitam omniũ malorum persanationẽ. Primo n. sunt κακῶς ἔχοντες ποικίλοις νόσοις, q̃ quoslibet morbus indicat; deinde βασάνοις quod acutos, & crudeles significat, q̃ Erasmus non rectè termina interpretatur; illud n. vsitatè vnum genus morbi est.

Energumeni non possunt cis sanari

Tertio loco sunt δαιμονιζόμενοι, q̃ nonnulli pessimè vertũt, furiosos, cũ significet eos quos dæmon obsidet, ni pharmaquos ἐνεργουμένους vocant scriptores Ecclesiastici: quorũ ingẽs in cœca gẽtilitate numer⁹ inueniebat. Beza rectè

culpat eos, qui furiosos seu μανιακὸς appellant, ne quispiam putet non esse aliud Diabolũ, quam μανίαν, aut humorum intemperiem, quæ Pharmacis sanari queat. Magno tamen & ille in errore est. ait enim: Veteres vocarunt ἐνεργουμένους: *qui tamen Christo nomen dederant, & inter Catechumenos censebantur: quibus in integrũ restituendis adhibebantur quos exorcistas vocabant, certis adiurationibus adhibitis, quæ iam olim magno errore, sicut & alia non pauca solis adultis conuenientia, in formulam baptismi puerorum irrepserunt.*

Christiani Ethnicos à dæmone liberabant.

Primus error est solos catechumenos, quos dæmon obsidebat, sanatos; omnium enim incolumitati etiam infidelium studebant exorcistæ, Hilarion è camelo dæmonem expulit, notissimo illo vsus dicto, *In camelo, & vulpeculâ idem es.* Tertull. in Apologetico. cap. 43. *Quantos habetis, non dico, qui iam de vobis dæmonia excutiant, non dico, qui iam pro vobis quoq; vero Deo preces sternant.* & c. 27. à Christianis subigi ait dæmones. Exemplo probat lib. ad Scapulam c. 4.

Verum constat passim dæmones Christianos timuisse, fugisse: ita vt frequenter obiiciant Christiani Ethnicis suâ operâ ipsos à dæmonibus liberari.

Exorcismus in baptismo probatur.

Alter error Bezæ est, exorcismi locum non esse in baptismo paruulorum, cui cum priscis patribus, & nostra Catholica Ecclesia resistunt etiam Lutherani. Si enim omnes nondum Christo per baptismum insiti, sunt obnoxii Diabolo, ad infantes etiam pertinet liberatio, ad quos pertinet captiuitas. Vniuerso orbe vetus Ecclesia exorcismum in baptismo vsurpauit. Gennad. de Eccles. dogmat. c. 30. *Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit non otioso contemplemur intuitu: cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum ab eis Spiritus immundus abigatur; vt tunc vere appareat quoniam princeps huius mundi mittatur foras, & quo modo prius alligetur fortis.*

Testis est etiam Cyrill. Catech. mystag 2. Nazianz. de baptismo. Amb. de sacram. lib. 1. c. 5. Chrys. hom. de Adam & Eua. Aug. lib. 2. c. 4. de peccato originali. Optatus l. 4. Insigne præterea quis testimonium est Cypr. Epist. ad Magnum quæ est 76. *Quod hodie etiam geritur, vt per exorcistas voce humanâ & potestate diuinâ flagelletur, & vratur, & torqueatur Diabolus: & cum exire se & homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudu exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem, atq; ad Baptismi sanctificationem venitur, scire debemus, & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuinâ indulgentiâ liberatur.*

De exorcismo Alcuinus, vt & aliis de ritibus scripsit. Græcorum exorcismorum forma habetur apud Seuerum Patriarcham Alexandrinum. Tertullianus lib. de præscript. aduersus hæreticos, cap. 14. Grauiter reprehendit mulieres apud hæreticos, quod tam *procaces sint, vt audeant, docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere.*

Exorcistæ dæmones eiiciunt.

§. 3. Hinc exorcistæ in Ecclesia eorum officium est; qui dæmonem adiurabant, & corporibus exigebant: meminit exorcismi suo tempore Epist. 2. ad Donatum Cyprianus. *Immundos & erraticos Spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere; vt recedant, duris verberibus vrgere; consilientes, eiulantes, gementes; incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur: Occulta plaga & pœna manifesta.* Hæc S. Cyprianus de re quæ tum vsitata, atq; in omnium oculis omnino, nec modo Christianos, sed infideles quoque liberabant.

Et ad Demetrianum. *O si audire eos velles & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritalibus flagris & verborum tormentis de obsessis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ, & potestate diuina flagella & verbera sentientes venturum iudicium confitentur, & c.*

Si de Christianis solis ageretur, merito reponeret Demetrianus persecutor impius in illis ex composito ista fieri, at in suis quoque eadem Christianorum beneficia experiebatur. Hæc de virtute seu dono eorum, qui dæmones pellebant.

Dæmones verâ fide eiiciuntur.

§. 4. Exultat in his contra inanes hæresum congregationes antiqua veritas. Christus dæmones eiecit, eam potestatem discipulis dedit, manstque in posteris, omnibus enim ætatibus mundi per Catholicos eiecti sunt dæmones, hodieq; eiiciuntur à multis, atq; locis plurimis. Nullæ eam potestatem hæresis consecuta est, paucissimi, sed infeliciter tentarunt. Sola igitur illa fides vera est, quæ dæmonibus dominatur, sola vera Ecclesia à qua portæ inferi conuelluntur. Non credo illi sectæ, cuius auctores vel sectatores nullus vnquam dæmonum horruit. De suis temporibus Scriptores singuli mentionem faciunt, Gentilibus insultant, nec modo æuo martyrum, sed posterioribus etiam temporibus. Hieronymus, Augustinus, alii referunt, nostro tempore plurimi viderunt; ita vt vel hac sola re sint inexcusabiles, qui cum in Catholica Ecclesia constanter eam potestatem manere priorum testimonio, præsentium experientia didicerint, in alias tamen sectas abeunt, quæ ne falso quidem præsumere, aut iactare audent aliquod in dæmones imperium. Verum de hoc genere adscribere libet, quæ doctissimus Pammelius in Cypriani Epistolam 76. annotat. *Vetustissimum vero esse Exorcizandi in Ecclesia morem, etiam Ethnici testantur. Vlpianus enim Iureconsultus Alexandri Imperat. (teste Lampridio) consiliarius & scriniy magister, ff. de Var. & extraord. cognit. libro. 1. §. Medicos: si incantauit (inquit) vel imprecatus est, vel (vt vulgari verbo imposterum vtar) si exorcizauit, non sunt ista medicinæ genera. Sic enim rectè legit Remundus Rufus lib. sæpè citato pro eo quod vulgo legitur:* In posterum. *Impostores enim Christianos vocabant, vndè & eodem respexisse videtur in Nerone Suetonius Adriani Imperat. Epistolarum magister, dum Christianos vocat genus hominum superstitionis nouæ & maleficæ. Neq; vero exorcismi duntaxat vsus fuit ad expulsionem dæmonum, in iis quos Energumenos vocabant, verum & in baptismo. Ad quem haud dubiè alludit dicta 2. Epistola auctor noster. Frequentissimè eiusdem meminit D. August. immo lib. 2. de gratia Dei & pecc. Orig. c. 40. ac lib. 2. de nupt. & concupisc. c. 29. antiquissimam Ecclesiæ traditionem dicit. D. etiam Chrysost. hom. de Adam & Eua, Opt. Milleui. lib. 4. contra Parmen. D. Nazianz. Orat. de baptismo. ac D. Dionysius, Areopag. Eccles. Hier. c. 1. dum exsufflationis in dæmonem meminit, quæ in exorcismis exerceri solet. Imò & ab Apostolis vsitatos exorcismos & à Christo ipso, manifestum fit. Act. 19. & Marc. 5. hic enim legitur:* ὁρκίζω σε τὸν θεὸν, *illic vero* ὁρκίζομέν ὑμᾶς τὸν Ἰησοῦν ὃν ὁ Παῦλος κηρύσσει. *Quod vocé Scripturæ vsitatè vertit interpres. Aduro te & adiuramus vos: quam & in Liuio alicubi vsitatam hac significatione volunt quidam. Potestatem quoq; eiiciendi dæmonia diserte verbis Apostolis suis Christus tribuit Matth. 10. & Luc. 10. Marc. 16. Eodem Act. c. Iudæorum Exorcistarum fit mentio, de quibus etiam illud Matth. 22. Filij vestri in quo eiiciunt, interpretatur D. Hieron. in Comment. ab illis igitur ad Christianos translatum est & nomen & ministerium. Nam Salomonem inuenisse modos coniurationum quibus effugantur dæmones, testis est Ioseph. lib. 8. Antiquit. & Rabanus Maurus c. 10. lib. 1. de Instituto Cleric. vbi & formam ordinationis eandem quæ hodie vtimur adfert ex Concil. Carthag. 4. Canon. 7.*

Exorcismi probantur à Lutheranis, damnant Caluinistæ.

§. 5. Exorcismus infantium à Caluinistis omnino reiicitur, à Lutheranis retinetur. Crellius Saxonis Electoris Consiliarius multos prædicantes persecutus est, & Patriâ expulit, quod Exorcismum dimittere recusarent; at Nicolaus Plumius in funebri oratione quâ post eius supplicium habuit, refert, se suo loco; in carcere

illi

illi dixisse: Non posse eam cerimoniam omitti bona conscientia, eos porro, qui omittunt, facere sese omnium abominationum reos. Atque eo loco quinque rationes adferunt, cur retinendus sit Exorcismus. Vide ista Crelliana, & concionem funebrem.

CAPVT V.

VIDENS autem Iesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli Luc.6 d 20
eius. 2. & aperies os suum docebat eos, dicens 3. Beati pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est Psal.36.a.11. Isai. 6.a.3.
regnum cœlorum. 4. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. 5. Beati qui lugent: quo- Psal.23.a.4.
niam ipsi consolabuntur. 6. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur, 2.Pet.2.d. 20.&3.ca.
7. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. 8. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum 34.&4.d. 14.
videbunt. 9. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. 10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iu- Mar.9.g.50
stitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. 11. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fue- Luc.14.g. 34.
rint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me. 12. gaudete, & exultate, quoniam mer- Mar. 4.c.21
ces vestra copiosa est in cœlis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. 13. Vos estis sal terræ. Luc.8.c.16. & 11.c.33.
Quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab ho- 1.Pet.2.c.12.
minibus. 14. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. 15. Neque accendunt Luc.16.d.17
lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. 16. Sic lu- Iab.2.b.10.
ceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis Luc.11.c.39
est. 17. Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas, non veni soluere, sed adimplere. 18. Amen Exod.20.c. 13.
quippe dico vobis, donec transeat cœlũ & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia Deut.5.b.
fiant 19. Qui ergo soluerit vnam de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in 17.
regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. 20 Dico enim vobis, Luc.12.g. 58.
quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlo- Exod.20.
rum. 21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. 22. Ego autem 14. Inf.18.b.9.
dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit Marc.9.g.
concilio Qui autem dixerit fatue: reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi re- 47. Deut.24.
cordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te. 24. Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade a.1.
prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. 25. Esto consentiens aduersario tuo cito dũ Inf.19.b.7.
es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. 26. Marc.14.a. 4.
Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. 27. Audistis quia dictum est antiquis. Luc.16.d.
Non mœchaberis. 28. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam 18.
mœchatus est eam in corde suo. 29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te: erue eum, & proiice abs te: ex- 1.Cor. 7. b. 10.
pedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Leuit.19.b. 11.
Vel si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnũ mem- Exod.20.b.
brorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam 31. Dictum est autem, Quicunq; dimiserit vxo- 7.
rem suam, det ei libellum repudii. 32. Ego autem dico vobis, Quia omnis qui dimiserit vxorem suam excepta Deut.3.b.11
fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. 31. Iterum audistis quia dictum Iac.5.c.11.
est antiquis. Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua 34. Ego autem dico vobis, non iurare o- Exod.21.d. 24.
mnino, neq; per cœlum, quia thronus Dei est. 35. neq; per terram, quia scabellum est pedum eius, neq; per Iero- Deut.19.d. 21.
solymam, qui ciuitas est magni regis. 36. neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album Leuit.24.d.
facere aut nigrum. 37 Sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem his abundantius est, à malo est. 38. 10.
Audistis quia dictum est. Oculum pro oculo, & dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non resistere ma- Luc.6.d.29
lo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. 40. & ei, qui vult tecum iudi- 2.Cor.6.b. 7.
cio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. 41. & quicunq; te angariauerit mille passus, Deut.15.b.
vade cum illo & alia duo 42. Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris. 43. Audistis quia 7. Leuit.19.d.
dictum est; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis; Diligite 18.
inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. 45. Vt sitis Luc.6.d.27 Rom.12.d.
filij patris vestri, qui in cœlis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniu- 20.
stos. 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Actor.7.g. 60.
47. Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? 48. Estote Luc.23.c.
ergo vos perfecti, sicut & pater cœlestis perfectus est. 34.

IN CAPVT QVINTVM

ARGVMENTVM.

IESVS CHRISTVS in montem conscendens optimis credendi viuendique præceptis discipulos imbuit. Quâ in re vita beata consistat, initio exponit. Deinde officii omnes admonet, legisq; perfectam obseruationem cunctis commendat. Lectiones duas signatas Syriacus textus habet. Primo Apostolorum & Patrum, in illorum enim memoriis legebantur omnia vsq; ad versum 21. Inde vsq; ad finem Matutinis tertiæ feriæ septimanæ, quæ ieiunium præcedit. *Concio Christi vitã Christianæ compendiũ continet.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quæ huius Concionis cum sequentibus sit connexio?

Hæc concio anordine temporis recẽseatur.

§. 1. SI quidem idem sit hic sermo cum illo, qui est apud D. Lucam c. 6. Multa enim, vel à Matthæo omissa, vel alio loco recensita, præcessisse dicendum est. Si diuersus est, nullo modo negãdum est, hic suo loco positum. Conuenientissime enim de vitâ beatâ, & fine hominis, deque legis obseruatione principiò tractatur: finem propositum omnibus esse certum, atque optimum oportet: Deinde de lege veram sententiam exprimere legislator, & legis abrogator debuit.

§. 2. Si eodem tempore hic sermo, & qui est Lucæ 6. habiti sunt; hæc præcesserunt.

Nuptiæ in Cana Ioan. 2.

Descensus Capernaum Ioan. 2.

Profectio ad Pascha, vendentium eiectio. ibid.

Institutio Nicodemi. Ioan. 3.

Coniectio Baptistæ in vincula: Matth. 14. Marc. 6. Luc. 3.

Reditus in Galilæam, Sichimitarum conuersio, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Secessus in desertum Marc. 1. Luc. 4.

Reprehensio trium sequi volentiũ Matth. 8. Luc. 9.

Tempestatis sedatio. Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

Legionis dæmoniũ eiectio Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

Paralytici sanatio Matth. 8. Marc. 2. Luc. 5.

Matthæi vocatio. Matth. 9. Marc. 2. Luc 3.

Suscitatio filiæ Iairi, & sanatio Hæmorrhoissæ, Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.

Illuminatio cœci, è muto dæmonis eiectio Matt. 9.

Reditus ad Pascha: ægri ad piscinam sanatio Ioan. 5.

Responsio Iudæis Ioan. 5.

Discipulorum spicas vellentium excusatio Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6.

QVÆSTIO II.

An eadem hæc, & Luc. c. 6. concio?

Conciones Christi de eisdem rebus pleræq;

§. 1. QVi ad diuersa tempora ista referunt, nullâ premuntur difficultate. Quamuis enim sint eadem hortamenta in vtraq; concione eademque doctrina; non est tamen necessarium eodem tempore omnia esse proposita. Crebro enim eadem in diuersis auditoribus proponenda, vel eisdem inculcanda fuerunt. Quod in Epistolis Apostolicis videmus; Romana præsertim, & Galatica. Nec caret hæc sententia veterum auctoritate. August. l. 2. de consensu Euangelist. aliorumque, adeo vt recentiores fermè in medio rem relinquant, nec desint, qui hanc ipsam concionem ex variis diuerso tempore sermonibus ab Euangelista, vt capita doctrinæ Christianæ in vnum colligeret, contexta arbitrantur.

Discrimen apud Lucam & Matthæũ.

§. 2. Qui eandem esse sentiunt, vt Chrys. hom. 15. Greg. hom. 9. alique, discrimina circumstantiarum sat difficulter exponunt, & Scripturarum calumniatoribus respondent. Porrò in circumstantiis ista discrimina sunt. Matthæus ait. *Videns turbas ascendit in montem.* Luc. cap. 6. 12. *Factum est autem illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos.* deinde v. 17. *descendit cum illis in locum campestrem.* Respondent auctores; August. lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 19. Cum Apostolos elegisset, apud eos sermonem habuisse, quem Matthæus interposuit. *Hic, inquit, potest intelligi cum in monte duodecim discipulos elegit ex pluribus, quos Apostolos nominauit, quod Matthæus prætermisit, tunc illum sermonem habuisse quem Matthæus interposuit, & Lucas tacuit, hoc est in monte. Ac deinde cum descendisset in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet: & vtrumq; sermonem eodem modo esse conclusum. Quod autem Matthæus isto sermone terminato sequitur & dicit: Et factum est cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius: potest videri discipulorum turbas dixisse, ex quibus duodecim illos Apostolos elegerat.*

Alia solutio est, locum campestrem esse montis planum aliquem locum. Alii concionem non omni populo, sed discipulis propositam, quod ita materia postulet, nec enim Euangelicam perfectionem omnibus propositam. Mihi sanè eo argumento satis probari videtur, diuerso tempore habitos sermones: Nam S. Augustinus apertè concedit, prius in monte Apostolis dictum, deinde in campæ turbis repetitum esse: non enim in monte, & in loco campestri habitus est eodem tempore. Nam Lucas apertè indicat Christum de monte descendisse, cum loqueretur ista, Matthæus montem ascendisse. Quanquam igitur locum campestrem esse non in aliqua planitie, sed sub montis fastigio dicamus, non tamen eo modo Euangelistas cõciliare possumus. Nam Matthæi sensus esse; Videns turbas, ascendi in montem, hoc est, in locum montis planum, qui erat subiectus summo fastigio. Lucæ vero; descendens de fastigio in locum planum illi subiectum. Non enim eodem tempore, & ascendit, & descendit Dominus.

Solutio non ita facilis, vt apparet.

Qui vero concionem negant plebi expositam satis à Scriptura testificantur. Nam non modo pleraq;, sed omnia prorsus in fideles conueniunt, vt illis explicandis ostendam. Et clare patet ex vers. 24. & sequentibus. & clarissime Luc. 7. 1. *Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis.* & Matth. cap. 7. 28. *Et factum est, cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius.* Sane eam, quam admirabantur, audierant. Hoc ergo admodum perspicuè sermonis diuersitatem ostendit. Cui etiam ipsa loquendi ratio adstipulatur: nam πέτρα πεδινὸς, vt & πεδίον, de planitie & campis, non montium aliqua æqualitate dicitur, & pari modo, quod est hoc loco in Syro מֵשְׁרָא; *Phishaghtha*, cum igitur de monte descendit in locum campestrem, non dicitur, in parte montis hærere. Nec satis illi respondent, qui auditores partim in loco æquo, partim montoso constitisse affirmant. De monte enim in locum campestrem descendit.

Hæc concio plebi exposita est.

Πεδίον non est pars montis.

VERSVS 3.

Beati pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

Qui sint pauperes Spiritu?

§. 1. TRes sunt interpretationes huius apud viros spiritales certissimi aphorismi, apud mundanos verò paradoxi. Multi enim pauperes Spiritu interpretantur humiles. Alii non addictos opibus, quamuis eas possideant. Optima est interpretatio, vt pauperum nomine veros pauperes intelligamus; sed eos qui non miserabili necessitate, sed laudabili voluntate diuitias abdicarunt, aut non sectantur. Hæc expositio duas priores continet; non enim modo illi affectum erga diuitias exuerunt, sed ipsas insuper opes, irritamenta affectuum, abiecerunt. Nec modo singulari modestia honores gloriamque fugerunt, sed instrumenta etiam, quibus ea bona ciũ & opti nanciscì possent, remouerunt. Quales Apostoli, ac multi

Pauperes humiles, pauperum contemptores, egent.

Supremus pauperum gradus est.

multi alii fuht, qui omnia quæ habuere, quæque sperare potuerunt, reliquêre. Non interim negamus etiam diuites auro, pauperes Spiritu esse, & beatos esse: *non enim census* vt monet Ambr. lib. 5. in Lucam, c. 6. *sed affectus in crimine est.*

Nyss. pauperes beati. Vere pauperes hoc loco intelligendos constat ex veterum interpretatione, Nyssenus orat. 1. de beatitudinibus. Etsi enim paupertatem de humilitate interpretatur, illam tamen humilitatem intelligere se ait, *qua Christo, qui propter nos egenus factus est, assimulamur.* Deinde expresse idem docet: Verba eius perspicua sunt. *Nec tamen alteram, frater, paupertatis rationem reiicias, quæ cœlestium diuitiarum conciliatrix est. Vende, inquit, omnes tuas facultates, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cœlis. Etenim eiusmodi paupertas non videtur mihi discrepare ab ea egestate, quæ beata iudicatur. Ecce omnibus, quæcunque habebamus, relictis, secuti sumus te, inquit, discipulus ad Dominum: quid igitur erit nobis? Et quod est responsum? Beati pauperes Spiritu quoniam eorum est regnum cœlorum. Vis intelligere quis pauper Spiritu sit? qui corporalem opulentiam animæ diuitiis permutat: qui propter Spiritum egenus est: qui terrenas diuitias veluti quoddam onus excussit, & abiecit, vt sublimis per aerem sursum rapiatur, vt inquit Apostolus, in nube, vnà cum Deo per cœlestia tendens.*

Nyssen. sententia.

Quæ verba eorum causâ retuli, qui Nyssenum pro priore sententiâ duntaxat, referunt: Quamuis enim Euangelicæ paupertatis fundamentum sit humilitas, potest tamen illa esse inter thesauros; perfecta autem est, cum amorem pomparum, cum ipsis excussit. Eadem etiam sententia D. Ambrosius lib. 5. in Luc. cap. 6. *Sed prius qua sunt ampliora videamus. Beati, (inquit) pauperes quoniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictionem hanc vterq; Euangelista posuit. Ordine enim prima est, & parens quadam generatioq; virtutum: quia qui contempserit sæcularia, merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.*

Basilius vere pauperes beatos dicit. Quamuis etiam eam paupertatem requiat, quæ est à vitiis, quæ non inflatur, quæ Metaphorica paupertas est, quam paupertati propriè dictæ adiungit. Sic Basilius in Psal. 33. *Non semper laudabilis est paupertas, sed quæ iuxta consilium Euangelicum, suscepta perficitur. Hos & Dominus beatos dicit; Beati inquit pauperes Spiritu, non qui pauperes sunt, hoc est inopes; sed qui paupertatem certâ animi destinatione elegerunt.* Sic & in Reg. breuioribus. *Hi sunt mendici Spiritu, qui non aliam vllam ob causam ad mendicitatem peruenerunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Si verò quis oblatam sibi etiam quomodocunque mendicitatem susceperit, & eam ad Dei voluntatem moderatus sit, vt Lazarus, neq; hic à beatitudine illâ excluditur.*

Nec de solâ humilitate Hilarius intelligendus est, can. 4. in Matthæum. Pauperem enim interpretatur humilem, qui nihil suum esse, nihil proprium existimet, qui omnibus bonus sit, qui omnia communia omnibus existimet, in quo nulla opum cupiditas.

Cur pauperes, non humiles? Chrysostomus etiam pauperes Spiritu humiles interpretatur, *qui non necessitate, sed voluntate tales sunt. Et quam ob causam non humiles voluit appellare, sed pauperes? Quia hoc illo vtiq, præstantius est.*

Augustinus Serm. de verbis Domini in monte pauperes humiles esse asserit, sed tamen l. 2. quæst. Euang. quæstio. 47. *Cupido rerum temporalium, & superbienti hos pauperes opponit,* Libro contra Adimantium: & lib. 4. contra Faustum cap. 1. proprie intelligit pauperes. Non aliter hæc intelligenda sunt, quam quod qui vere pauperes sunt, animo, etsi non sacculo pauperes sint; qui autem tales, summo in humilitatis fastigio consistant. Tertullian. de patientia lib. 9. rectè illa exponit. *Quos enim felices Dominus nisi patientes nuncupauit, dicendo: Beati pauperes Spiritu; illorum est enim regnum cœlorum, Nullus profectò Spiritu pauper nisi humilis.* Ille vero etiam de veris pauperibus accipit. *Quid enim dicis. Egebo. Sed felices egenos Dominus appellauit.*

Vere pauper est humilis.

§. 2. Res ipsa docet pauperes veros Spiritu nominari, quia illis opponit diuites, de quibus dicit; *Væ vobis diuitibus.* Vere pauperes sunt πτωχοὶ à πτώσσειν, quod est moueri, concuti, quod maxime pauperibus conuenit, qui ab alieno præsidio pendent. Eadem etiam vis est Syriacæ dictionis טיבחון למסכנא *Beatitudines pauperibus.* Nec aliter potest Beza explicare, si sibi constare velit. Nam ait, *esse eos, qui calamitatibus domiti, siue vltro peccatorum suorum sensu tacti, ab omni superbia remoti se Deo subiiciunt.* Cum tamen idem ille nomine paupertatis omnia illius incommoda complectatur, non potest negare, de vera paupertate hic agi. maxime de hisce dicitur שפלים רוח *Schephalm ruch*, contritos Spiritum. Isa. 57. 15.

Beza o- pertatis in- commoda hic intelligit.

§. 3. Nec modo textus hanc interpretationem requirit, & Patres approbant. Sed multi etiam aduersariorum. Extra disputationem cum aduersariis, (*inquit Bull.*) simplicissimum est hac sententia: Beati pauperes. Beati lugentes, &c. Sic exponere; Beati, id est, habentes rem bonam & Deo placentem. Qui pauper est, qui sustinet bona, & abrumpas, sciat se non propterea à Deo abiectum esse, sed habere rem bonam & Deo gratam. Lazarus etsi mendicus & pauper est, tamen propterea non displicet Deo, sed est beatus & Deo acceptus. De hac simplici explicatione commonefactus sum versione Lutheri qui in Psalmis vbique vocem אשרי quam Latinus interpres, vocabulo Beatus reddidit, interpretatus est wol dem/ ꝛc.

Paupertas res bona, & Deo grata.

Hanc sane versionem nimis dilutam esse merito semper duxi. Aliud sane est bene alicui esse, aliud beatum esse. Et nollem eiusmodi vertendi licentiam in Ecclesiam induci.

Et musculus. Lucas simpliciter habet Beati pauperes. Et in antithesi subiicit: Væ vobis diuitibus, quia habetis hic consolationem vestram, vnde apparet Christum de miseris & adflictis loqui, qui nullam hic consolationem habent, sed mala in hac vitâ recipiunt, quos Scriptura vocat עניים *Ghauanim*, quibus etiam iuxta vaticinium Esaiæ Euangelium prædicatur. Esaiæ 61. & Luc. 4. Item infra 11. Quod autem hic noster addit, Spiritu, ad hoc factum est, vt animum pauperum & afflictorum deiectum & humilem exprimat. Sunt enim illi plerumq; animo contrito & humiliato, qui nec insolescat, nec ferociat, nec magna de seipso sentiat, cum contraria in diuitibus inflatis & superbientibus reperiantur.

„Pauperes „humiles „esse solent.

Christus itaq; communi hominum errori cœleste decretum opponit. Beatum quippe dicebant Psal. 72. diuites. Quin beatos Latini diuites nuncupabant. Apud Xenophontem felicitas plane contrario modo definitur.

Diuites beati dicti prisci.

Εὐδαιμονία πολλὰ ἔχοντα καὶ δαπανᾶν.
Beatitudinem esse multa possidere, & impendere.

Omnium sane in ore erat illud Simonideum:

Τηλαύγειν μὲν ἄρετον ἀνδρὶ θνατῷ,
Λῶτερον ἢ φύσαν καλὸν γενέσθαι.
Τέλτον ἢ πλοῦτεῖν ἀδόλως.
Τέτραπται σωηφρόνως μετὰ τῶν φίλων.

Sanum esse, optimum est viro mortali. Secundum verò naturâ pulchrum esse natum. Tertium sine dolo ditescere. Quartum cum amicis adolescere. Hæc mundi philosophia stultitia est apud Deum; infirmi, afflicti, pauperes, exules beati prædicantur. Tantum abest, vt cuiquam paupertas probro sit, quod olim etiam visum est Hesiodo.

Paupertas nulli probrosa.

Μηδέποτ' ἐλεμψίλιν πενίην ἡμοφόρον ἀνδρὶ
Τεθλαθ' ὑπεδίζειν, μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων.

Non esse tegendũ vt homini qui animo æger est, pau-

perras

pertas velut probrum obiiciatur, cum sit donum æternorum deorum.

Qvæstio II.

An hoc loco Religiosorum votiua paupertas probetur?

Paupertas primitiuæ Ecclesiæ.

§. 1. ANtiquis nulla de hac quæstione dubium fuit, adeo vt Ecclesia Ierosolymitana tali paupertate bearetur. Deponebant enim rerum venditarum precia ad pedes Apostolorum. Verum ad hunc locum quod attinet, magnum præconium paupertati tribuit, vt ei primam beatitudinem quasi præmium proposuerit. Dum enim pauperes beatos prædicat, ad paupertatem hortatur; Quemadmodum id agere suadet, vt mites, vt mundi corde simus, easq; virtutes reipsa, & actione sectemur, ita quoque paupertatis fructu ostenso eam amplecti nos vult. Atque adeo non modo opes contemnere, sed etiam erogare, atque adeo largiter egenis succurrere, vt nos libera paupertate fruamur, beatum iudicat. Egregie hoc exposuit Nyssenus orat. 1. de beatit. *Ponderosa quædam res est aurum, onerosa res omnis, quæ diuitiarum causa expetitur: leuis vero res quædam & sublimia petens est virtus. Verum hæc sibi inuicem opposita sunt, ponderosum & leue. Ergo nulla ratione effici potest, vt leuis sit is, qui sese pondere materiæ affigit. Si igitur ad superna nos accedere opertet ab iis, quæ deorsum trahunt, inopes & egeni simus, vt in supernis versemur. Quis autem sit modus quo id efficiatur, præscribit Psalmodia, Dispersit, inquit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Qui pauperi impertitus fuerit, in partem eius, qui propter nos pauper fuit, seipsum constituet. Egenus fuit Dominus, ne tu quidem metuas egestatem. Verum regnum obtinet omnis creaturæ, qui propter nos egenus fuit: Ergo si cum eo, qui egenus fuit, vnà pauper eris, cum regnante quoque vnà regnabis. Beati enim pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: cuius etiam nos digni habemur per Christum Iesum Dominum nostrum cui gloria & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.*

Christus hortatur vt verè pauperes efficiamur.

§. 2. Friuola sunt, quæ obiectare solent, opum, & deliciarum suarum mancipia. Tentari Deum aiunt, dum vitæ præsidiis se quispiam spoliat, ociosos esse Monachos, liberales esse non posse, in communi opes possidere.

Defensa paupertas religiosorũ.

Verum omnia illa vana sunt. Qui monitu Domini, exemplo discipulorum omnia deserit, non tentat ille Deum, sed eius in se liberalitatem prolicit. Ocium omnium institutæ ordinum summo opere detestantur, & arcent. Quod si nondum omnibus locis excussum est. Emendanda est mala consuetudo, non tollenda religio. Liberalis animo esse potest, qui opibus destitutus est: Viduæ minutum acceptius est Deo; quam diuitum talenta. In communi opes habent, ex quibus velut eleemosynis viuunt. De quibus etiam pauperum aliorum necessitates subleuant.

Qvæstio III.

An ex hisce concludatur, non sola nos fide saluari?

§. 1. MAle sibi conscii Aduersarii ipsi quæstionem quoque mouerunt. [Tertio, inquit „ Bull. vsitata est aduersariorum obiectio refutanda. „ Beati mites, Beati pacifici. Ergo non sola fide sumus „ beati. Cum autem in aliis locis fidei tribuatur beatitudo, alibi vero operibus, disputant coniungenda es- „ se dicta de fide & operibus, & docendum esse, Homi- „ nem fide & operibus coniunctim iustificari & beatitudinem consequi.

Ad hanc speciosam obiectionem dissoluendam teneatur hæc firma & immota hypothesis, cum nec fieri possint bona opera, nec Deo placeant, sine fide, vt clare dicitur, omne quod non est ex fide peccatum est. Item, sine fide impossibile est Deo placere. Item, sine me nihil potestis facere: perspicuum est semper in dictis de operibus prælucere debere fidem accipientem remissionem peccatorum & reconciliationem gratis propter Christum. Itaq; hæc sententia: Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata propter Christum omnibus aliis dictis, quæ de operibus loquuntur præponi debet. Beati mites. Beati pacifici, scilicet, habentes remissionem peccatorum propter Christum, & studium colendæ mansuetudinis & tuendæ pacis, sunt beati, non propter mansuetudinẽ, aut istas virtutes, sed gratis propter solum Christum, sola fide, quæ tamen per has virtutes efficax est. Nam exclusiuæ particulæ, sola, gratis, sine operibus excludunt non ipsas virtutes ne adsint, sed causam iustificationis seu beatitudinis transferunt ab operibus in solum Christum, vt & Christo debitus honos tribuatur, & conscientiæ certam ac firmam consolationem retineant, quæ prorsus amitteretur, si fides partim Christo, partim nostris operibus niteretur. Sed hæc copiosius in doctrina de iustificatione explicantur.]

Respondeo. Verissimum esse, quod aduersarius ait; hæc bona paupertatis, mansuetudinis, ac similium virtutum opera, sine fide non esse, fide niti. Deinde falsum est, non propter has virtutes nos esse beatos. Etsi enim in solidum propter Christum omnis beatitudo in nos conferatur, ipse causa sit, non eo modo felicitatis, sed omnium etiam eorum quibus ad eam ducimur, auxiliorum, suam tamen habent etiam efficientiam, locumque virtutes. Sunt enim vnius rei diuersæ causæ, quarum suum quælibet locum obtinet. Quod alia occasione commodius explicabitur. Nam præsentem locum vrgeo. *Beati pauperes, mites, quoniam, (ὅτι) istorum est regnum cœlorum:* vti de fide dictum: *Beati qui crediderunt. Beata quæ credidisti.* Vt igitur fides, ita & aliæ virtutes sunt beatitudinis causæ. Nec ideo non in solum Christum omnia referuntur, ab eo enim virtutes ipsæ infunduntur. Non ideo æterno numini debitus negatur honos, si creaturis eius aliqua agendi facultas tribuatur; Hoc enim omnipotentiæ honorificentius est, non modo ipsam agere, sed aliis quoque agendi vim potestatemque inserere.

Christum eam beatitudinis, quam ad eam ducimur.

Agendiui creaturis insita non detrahit deo, imo omnipotentiæ.

Qvæstio III.

An hisce verbis Caluiniana fiducia probetur?

§. 1. ILli asserunt, nos contrarium demonstramus. Daniel Tossanus errare Maldonatum ait, qui neget hanc certitudinem ex beatitudine consequi. *Atqui quænam*, inquit, *obsecro esset illa beatitudo piorum, si perpetuo fluctuarent, & dubij essent? Licet ergo varia impedimenta nobis ab ipsa carne obiiciantur: certi sumus tamen, certitudine fidei & promissionis diuinæ, nos virtute Dei custodiri ad fruitionem illius salutis* 1. Petri 1. 2. Vis argumenti est. Qui dubitat, non est beatus. Pauperes, mites sunt beati, non igitur dubitant.

Respondeo. Beatitudinis æternæ participes, esse eius retinendæ certos; At eos, qui spe beati sunt, qui in via sunt, non esse certos. Sed cum tremore salutem operari, sollicitos ne excidantur.

Beati retinendi sunt, hoc cum tremore salutem operantur.

Inanem vero fiduciam hisce verbis facile excutipalam est. Nemo enim beatum à Christo se nuncupari nouit, aut horum in numero esse, nisi eidem

constet,

constet, se pauperem spiritu, mitem, misericordem, mundo corde esse. Hi enim beati pronunciantur. Qui tales non sunt, beatitudine excluduntur. At certa fide non est hoc nobis manifestum, nos esse mundo corde, mites, cæterisque virtutibus præditos: non ergo certa est fides beatitudinis, quia incerta est hypothesis ex qua illa pendet. Et fatentur illi, *certam ac firmam consolationem conscientiæ prorsus amitti, si fides partim Christo, partim nostris operibus niteretur.* Nulla ergo secundum eorum sententiam fiducia esse potest, si non aliter beati, nisi pauperes, mites, mundo corde, pacifici esse possunt.

Quod pendet à conditione incerta, non est certum.

VERSVS 4.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

QVÆSTIO I.

An mites terram possideant?

Terra spes, cœlestis.

§. 1. MVlti veterum terræ nomine regnum cœleste accipiunt. Ita Basil. in Psalmum 33. *Maxima omnium virtutum mansuetudo, eoque in beatitudinum numerum relata est; Beati, inquit, mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Illa enim terra cœlestis Hierusalem, non est bellatorum spolium, sed longanimiter & mansuetè omnia tolerantium sperata hæreditas.*

Eodem modo Cyrill. c. 58. in Isaia. Orig. hom. 26. in Numeros. Nam possessione huius terræ nemo Beatus dici potest, cum sit maledicta, & operibus dominos ac possessores suos fatiget. Alia igitur in terra beatitudo quærenda est.

Terra propriè accipitur.

§. 2. Augustinus tamen l. 1. de sermone Domini in monte, Chrysost. hoc loco, Euthymius. Theophylactus hanc nostram terram esse concedunt. Quam mites possidebunt, ארץ, Nirthun, & ex Græco κληρονομήσουσι, *hæreditate possidebunt.* Nec in nouo testamento aliquando desunt terrenorum promissiones, vt Marc. 10. 30. Imo centuplum hoc in mundo pijs promittitur, & vita æterna. Beati quoque hac possessione sunt; quia illa est pignus futuræ retributionis; quia mansuetudini datur; quamuis vero multæ sint tribulationes iustorum, datur tamen illis potius, quam impijs hæreditas terræ, quia eorum seruit vsibus, vti pro tritico, non lolio colitur ager.

Dicendum igitur terræ hæreditatem non callidis, violentis, iracundis pugnacibus, sed mansuetis promitti, quod Gentes olim irrisserunt, & historiæ repugnare nonnulli falso arbitrantur. Non feroces, & bellicosi hæreditate terram possederunt, sed qui mites, etiam in bello fuerunt. Crudeles & iracundi fere in campo sanguinem dederunt. Alexandri, Pompei, Cæsaris, aliorum gesta perpendantur, sæuijsse eos, sed cum stirpe interiisse videbimus. Vincunt aliquando, & tamen post multos labores concidunt.

§. 3. Occurrit hoc loco Caluinus. *Si hæreditatis iure cœlum possidemus, vbi sunt merita, quæ nonnulli iactant?*

Respondeo. Merita quæ iactantur nulla esse; ipsa enim iactatione merita esse desinunt. Merita vero sunt ipsa Dei beneficia gratuita, quæ hæredibus donantur, vt alio etiam titulo hæreditatem adeant, ita enim eos Deus cooptauit in Christo, vt operum conditione impleta promissiones accipiant. Nec in rebus humanis quicquam vetat hæredem se gerere, vt adoptionem mereatur, præsertim si gratuitæ promissionis pactum intercedat.

VERSVS 5.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

QVÆSTIO I.

Quinam hoc loco vocantur lugentes?

§. 1. Πενθοῦντες Græcis appellantur, qui in luctu & squalore versantur, idque fere ob eorum mortes. Verum ad alios quacunque ex causa ortos mœrores accommodari solet. Hoc loco lugentes vere proprieque omnes interpretantur, verum de causa lugendi non omnes conueniunt; non enim angi, mœrere lacrymari natura expetendum est, sed causa facit luctum commendabilem. Quidam itaque eos beatos aiunt, qui aliena, qui sua peccata deplorant. Alij eos qui afflicti, angustiati, & oppressi sunt propter iustitiam.

Priore in sententia est auctor regularum breuiorum interrog. 194. *Cuiusmodi est ille luctus, quem suscipere debemus, si beatitudinem illam, quam lugentibus paratam Dominus ait, consequi volumus?* Responsio: *Continetur quæstio ista in ea quæstione, quæ est de tristitia illa quæ est secundum Deum, quando videlicet propter admissa delicta lugemus: vel quod Deus contemnitur, cum per transgressionem legis contumelia afficiatur Deus, vel quod eorum periculum videmus, qui peccant. Anima enim quæ peccauerit, inquit, ipsa morietur, imitantes illum qui dixit, Et lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt.*

Plangenti misericordia tribuitur.

Ita quoque S. Cyprianus Ep. 52. *Quanto magis vnus ille & verus pater bonus, misericors & pius, nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lamentantibus pœnam comminatur, sed veniam magis & indulgentiam pollicetur. Vnde Dominus in Euangelio beatos dicit plangentes, quia qui plangit, misericordiam prouocat: qui peruicax & superbus est, iram sibi & pœnam iudicij venientis exaggerat.*

§. 2. Mihi dubium non est, & illos esse beatos, qui sua peccata, vel aliena lugent; sed hoc loco eos indicari, qui calamitatibus agitati ipsimet, ob Ecclesiam, tamen afflictam, aliaque dolent; qualem se nobis Apostolus Paulus frequenter describit, Consolationem vero recipiunt, adeo vt etiam glorientur in tribulationibus Rom. 5. 3.

VERSVS 6.

Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

QVÆSTIO I.

Quid sit esurire & sitire iustitiam?

Duplex fames, & sitis.

§. 1. MVlti famem, & sitim metaphoram interpretantur, pro magno iustitiæ desiderio. Quæ sententia duas habet partes. Vel enim desiderant homines iuste agere, & omnibus iustitiam administrari; vel se iustificari peroptant. Alij propriè accipiunt: nam apud Lucam est, c. 7. 21. *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* De his copiosè Maldonatus noster & alij.

Non est itaque anceps, sed fixum; de vera fame, & siti agi, qua pij affliguntur; quia per iniquitatem eorum res detinentur, vel quia, cum per

Vere famẽ & sitim pij tolerant.

fas, & nefas crescere possint, amore iustitiæ cum inopia conflictari malunt, quam iustitiam violare. Lucas etiam his esurientibus futuros opponit. Quod nõ recte Daniel Tossanus de illis interpretatur, qui de se præsumunt. Sic enim & illud: *saturabuntur*, posset exponi, De se præsument.

VERSVS 7.

Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.

QVÆSTIO I.

Qui misericordes?

Misericordia non ad solas Eleemosynas restringendae est.

§. 1. QVi ἐλεήμονας de solis in egenos liberalibus interpretantur, non sat s accuratè hunc locum interpretantur. Etenim ἔλεος primario apud Græcos significat tenerum miserationis affectum, quo aliorum malis indolemus. Hinc dicuntur esse νηλεῖ θυμῷ, & agere ἀνηλέως qui crudeles sunt, Plat. lib. 3. de legibus. Alterum significatum inde originem habet; quod in quibus ille affectus est, facile, promptèque egentibus auxilientur, ex quo ἐλεημοσύνη effectus miserationis appellatur. Stoici omnes affectus culpabant, de quo S. Augustinus lib. 9. de ciuit. c. 4. & 5. Qui non vt Stoici omnes affectus vitiosos, sed natu-

Misericordia Stoicis scelus erat.

ra inditos, & ad virtutem dirigendos, rationis imperio temperandos docet, in Noct bus Atticis Agellij atque Epicteti libro. Hunc vero affectum describit, c. 5. monetque in vsum virtutis conuerti. [Deo quippe,

Misericordia laudata.

„ *inquit*, illam ipsam mentem subijcit regendam & iuuandam, mentique Passiones ita moderandas atque firmandas, vt in vsum iustitiæ conuertantur. Denique in disciplina nostra non tam quæritur vtrum prius animus irascatur, sed quare irascatur; nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis: nec vtrum timet, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, vt corrigatur: contristari pro afflicto, vt liberetur: timere periclitanti, ne pereat: nescio vtrum quisquam sana consideratione reprehendat. Nam & misericordiam, stoicorum est solere culpare. Sed quanto honestius ille stoicus misericordia perturbaretur hominis liberandi, quam timore naufragij. Longe melius & humanius & piorum sensibus accommodatius Cicero in Cæsaris laude locutus est, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Quid est autem misericordia nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtiq; si possimus, subuenire compellimur? Seruit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, vt iustitia conseruetur: siue cũ indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pœnitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitauit appellare virtutem, quam stoicos inter vitia numerare non pudet: qui tamen, vt docuit liber Epicteti nobilissimi stoici, ex decretis Zenonis & Chrysippi, qui huius sectæ primas partes habuerunt, huiusmodi Passiones in animum sapientis admittunt, quem vitijs omnibus*

Stoici & Paripatetici verbis discrepantes.

liberum esse volunt. Vnde fit consequens, vt hæc ipsa non putent vitia, quando sapienti sic accidunt, vt cõtra virtutem mentis rationemque nihil possint, & vna sit eademque sententia Peripateticorum; vel etiam Platonicorum; & ipsorum stoicorum; Sed, vt ait Tullius, verbi controuersia iam diu torquet homines Græculos, contentionis cupidiores quam veritatis. Sed adhuc merito quæri potest, vtrum ad vitæ præsentis pertineat infirmitatem, etiam in quibusque bonis officijs huiusce modi perpeti affectus. Sancti vero Angeli cũ & sine ira puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miseris sine miseriæ compassione subueniant, & periclitantibus eis quos diligunt, sine timore opitulentur: tamen istarum nomina passionum cõsuetudine locutionis humanæ etiam in eos vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, nec tamen vlla passione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ vsurpauit effectus, non illius turbulentus affectus.] At in nobis est ratio à qua cognoscitur, & voluntas à qua concupiscitur effectus, deinde vtriusque potentiæ virtutem adiuuat passionis affectus.

Commiseratio fructuosa.

gratuita seruis.

§. 2. Deus quidem & Angeli his affectibus carent, à nobis tamen illi requiruntur, Rom. 12. *Flete cum flentibus*, nec modo beneficium miseris oblatum, est acceptum; sed multo magis miserendi affectus, quo contenti sunt miseri, cum liberandi deest facultas. Nam & natura hoc priscos docuit: Cicero pro Murena stoicos irridet: *Supplices*, inquit, *& calamitosi veniunt. Sceleratus, & nefarius fueris, si quicquam misericordiâ ductus feceris.* Hanc enim passionem naturæ Deus indidit, vt ea virtus caritatis vteretur. Itaque optime omnino Syrus conuertit. Beatitudines misericordibus, quia super eos misericordiæ רחמיא quod ex intimis visceribus manantem misericordiam significat.

§. 3. Misericordia ergo misericordibus tribuitur, vt Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.* At Dei misericordia in peccatorum ignoscendis, vel mitigãdis pœnis præcipue cernitur. Qui igitur vel eleemosynam dando, vel iniuriam remittẽdo misericors est, huic se vicissim Deus in delictorum pœnis condonandis misericordem fore promittit. Qua quidem ex re manifestissimè apparet, non sola fide sed aliarum etiam virtutum operibus Dei in nos misericordiam prouocari, & à peccatorum supplicijs nos liberari.

VERSVS 8.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

QVÆSTIO I.

Sintne aliqui mundo corde?

Mundi cordis finis.

§. 1. AVgustinus serm. 14. in festo omnium sanctorum mundi cordes vocat, & ait: *Hic est finis amoris nostri, finis, quo perficiamur, non quo consumamur: Finitur cibus finitur vestis. Cibus quia consumitur edendo, vestis quia perficitur texendo. Et illud finitur, & illud. Sed finis ille pertinet ad consumptionem, ille ad perfectionem.* Magna igitur perfectio cor mundum seu mundities cordis. Quã tamen non eodem modo interpretantur. Augustinus contra Cœlestium c. 15. de omni munditiei genere intelligit, vt sit virtus generalis, atque ita plerique Latinorum; quin etiam Pelagiani sic probabant; posse hominem esse absque vllo peccato, qui mundo corde esse potest. Sic Nyss. in beat. Hil. can. 4. Nec huic obstat, quod *gloriari* non liceat cuiquam, *se mundum habere cor.* Aliud est enim mundum corde esse: aliud vero de cognita munditia gloriari. Neque hæc mundities

Quæ mundities cordis hæc sit.

Pelagianæ puritatis est, sed Catholicæ, quã corda diuinæ gratiæ adiutorio à peccatis mortalibus purgantur, & quotidianis tamen venialium defectibus fordidantur, donec ad eam puritatem aspirent, in qua nec peccare volunt, nec possunt.

§. 2. Theophylactus puritatis & munditiæ nomine castitatem interpretatur. Tossanus ait; eum plerosque Pontificios sequi, quod nequaquam verum est. Etsi enim hac munditie castitatem quoque comprehendi existiment, paucissimi tamen ad eam solam virtutem restringunt. Errat tamen ille dum negat id verbo Græco κάγ-

co ἁγιασμῶ indicati. Etsi ἁγιάζειν de quauis sanctimonia vere dicitur, peculiariter tamen de castitate accipi solet, vt Heb. 12. Sectamini castitatem, sine qua nemo videbit Deum.

§. 3. Caluinus in hunc locum, mundos corde opponit vafris, & illis qui nectendis dolis ingenioſi sunt. Itaque mundos corde simplices arbitratur, quos mũdus irridet, & putat incautos. Verum καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, mundi corde, quamuis duplici corde non sunt, non versipelles, non veteratores; non tamen ob vnam duntaxat, vnicamque simplicitatem tales dicuntur.

Caluini sectator melius auctore suo.

„ [Qui sunt mundo corde, οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ. subaudi, ὄντες. ad verbum, Mundi seu pro corde: id est qui sunt animo casto prediti. Hanc cordis munditiem „ Paulus vocat ἁγιασμὸν sanctificationem seu sanctimoniam: cum ait, sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum, Hebr. 12. v. 14. Item 1. Thess. „ 4. v. 3. vbi ait, Hęc est voluntas Dei sanctificatio vestra, „ vt abstineatis à scortatione, potest tamen hoc verbum „ accipi generaliter de recta constitutione, qua ille vacuus est, tum à falsis opinionibus de Deo, tum à prauis „ Affectibus: quo sensu generali videtur accipi Psal. 24. „ v. 4. Deum videbunt, τὸν θεὸν ὄψονται. id est, Deum recte cognoscent, & eius contemplatione cum summa „ voluptate fruentur. Neque enim Deus oculis corporeis videri potest; sed videtur oculis mentis.] Ita Pis„ cator.

§. 4. Aretius Caluinista visus est etiam Catholicis rectè hunc locum interpretari, sed ambiguo decepit incautos. Verba eius apponam, & qua parte vemenum sit, ostendam. [Primo καθαροὶ τῇ καρδίᾳ di„ cuntur, qui carent peccato, qui cor liberum habent „ ab omni labe, & pollutione, ita sane nemo purus dici „ potest; solus Christus inter homines talis est. Tales „ beati Angeli, & inprimis Deus ipse puritatis fons, & „ author. Deinde puri corde dicũtur etiam illi, qui et„ iamsi peccatum habeant; non tamẽ fœna illi laxant, „ sed reprimunt, odio persequuntur vitia, virtutem a„ mant, hanc promouent, eiq; fouent, illa insectantur & „ opprimunt. Sic Iob mundus erat, tamen peccator, & „ Dauid post pœnitentiam mundus est, licet peccator. Mũdi sunt etiam quibus Deus sua remisit peccata, sic „ Ioan. 13. Christus Discipulos pronunciat mundos, nõ „ tamen omnes, & apud eundem 15. iam vos mundi e„ stis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Mũ„ di etiã sunt synceri, & alieni à dolo malo, à fraude qui „ simplices sunt, qualis Nathanael Ioan. 1. in quo dolus „ non erat. Tales hoc loco intelligo mundos, h. e. sim„ plices, qui duplici corde non vtuntur: sic Dauid petit. „ Cor mundum crea in me Domine. Hi Deũ videbunt; „ nam hi idonei præcipue sunt ad Dei contemplationẽ; „ non vagantur eorum cogitationes ad mala, non faci„ le se polluunt, conseruant sua corpora mundum tem„ plum, inhabitantis Dei Spiritus. Sunt igitur beati.

Mundi corde Caluiniani, qualis.

Fallit pijs in speciem verbis; dum ait habere peccata; sed frena illis non laxare, sed reprimere, &c. Non id docet, quod Catholici sol̃et; Habere quidem peccati fomitem, & cupiditatum ad peccata motiones; verũ illis non consentire, non delectari. Verum multo aliter illa ipsi interpretari solent. Habere nempe illã omnia, sed & interdum succumbere, consentire, facere; sed tamen odisse quæ facias non toto animo facere. Sentire dum in peccatum ruunt aliquam repugnãtiam, ita Beza in 1. Ioan. 1. & in colloq. Monpelgart. Et ipse Aretius in c. 1. Matth. id indicat. Postquam enim quæsiuit, quomodo nos Christus liberarit à peccato; respondet. [Primum quod dum meritis attinet, vt non „ amplius condemnare possit, electos. Hanc vim vene„ ni infregisse. Deinde liberasse à Dominio. Hærere ta„ men non modo in impijs, sed etiam in electis, & Dei

Munditia cordis Caluiniani est impudentissima

spiritu præditis peccata, vt in Dauide. Petro, alijsque. „ Manere infirmitatem carnis, manere calamitates, vt „ pœnas peccatorum, manere actiones peccati. Quę id„ circo monere oportuit, ne quis Caluiniano vel pieta„ tis verba imitanti credendum existimet.

Qvæstio II.

Quomodo Deum videbunt?

§. 1. HAc in vita similitudine se quadam Deus ostẽdit. Ita cum Moses, ita Stephanus Deũ intuitus est. Viderunt & seniores Israelis. Verum eo modo pauci, & forte hoc tempore nulli Deum vident. Alia igitur multo beatior, multoq; clarior illis visio ostenditur, qualis est Apoc. 22. & 1. Cor. 13. 12. Hac igitur sententia conuincitur error Armenorum Dei quandã virtutem, seu energiam videri: & Abailardi, qui etiam essentiam Dei videri negauit, sed splendorem quendam ex eo procedentem. Visio enim illa mentium est, non corporeorum oculorum, non igitur splendor aliquis obtenditur, sed Deus ipse ostenditur. Nã intellectus, in illa visione nullo modo errat; errãdo enim felix esse non potest; ergo si Dei aliquã similitudinem videret, non Deum ipsum; clare id quoque cognosceret; videret infinitis partibus esse inferius Deo, quod pro Deo videt: & ad ipsum Deum videndum accenderetur, non quiesceret.

Deum in hac vita, non nisi similitudine videtur.

§. 2. Vident autem Deum non naturali facultate intelligendi sed supernaturali illius adiutorio, vt contra Begardos definiit in Conc. Vienn. clem. 5. Cæterum de hac materia scripsit Amb. l. 1. super Luc. c. 1. & verba eius doctissime interpretatur Aug. Ep. 112. ad Paulinam, *De videndo Deo*, ad quam Lectorem remitto.

Deus naturaliter non videtur.

VERSVS 9.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Qvæstio I.

Qui pacifici, & quod eorum præmium?

§. 1. PAcificos appello eos, qui sedandis discordijs, constituendæq; paci studiose ob Dei amorem incumbunt, quamuis enim eos, qui cum Deo amicitiã tenent in conscientia quieti sunt, ita vocare possimus; huic loco tamen hæc interpretatio accommodatissima est: ideo namq; dicuntur εἰρηνοποιοὶ pacis factores, & in Syro עבדי שלמא operatores pacis. De singulari enim ista virtute agitur, non modo eorũ qui in corde suo; sed & inter fratres dissidentes pacem faciunt. *Aug. serm. 1. in monte.* Magnæ curæ semper Ecclesiæ fuit dissidentes inter se conciliare. Conc. Carthag. 4. c. 26. *Statuendum est Episcopis, vt dissidentes siue Episcopos, siue clericos siue Laicos, ad pacem magis, quam ad iudicium cohortentur.* Fuit etiã apud Gentiles, qui dictus εἰρηνάρχης, sed alio modo, vt habet Vlpian. & est in π. l. munerum.

Pacifici, qui pacem conciliant.

§. 2. Filij porro Dei nominantur, quia Deus est Deus pacis, summa est etiam inter tres personas concordia, itaque maxime Deum imitantur pacifici. Ideo nemo hæreticorum & schismaticorum filius Dei esse potest, qui sunt ἐριστικοὶ litigatores, pacis inimici. de quib. Iren. l. 4. c. 26. *Iudicabit eos Deus, qui schismata operantur, & nõ habentes Dei dilectionem, suamque vtilitatem, & gloriam potius considerantes, quam vnitatem Ecclesiæ, propter modicas, & quaslibet causas gloriosum Christi corpus conscindunt.* Nulla certe ab eis tanta fieri potest correctio, quãta est schismatis pernicies. Hinc fieri passim videmus, vt hæretici, qui pacifici esse desierunt, in multas sectas distrahantur.

Deus est Deus pacis.

* *
*

VERSVS 10.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

An Beati, qui persecutionem patiuntur?

Persecutionis iusta est causa.

§. 1. PRimum in persecutionis fructu est iustitia causæ. Qui enim sine iusta causa patitur, occidi potest, coronari non potest. Deinde latissimò patet persecutio. Non enim mortes duntaxat, exilia, & bonorum expilationes eo pertinent; sed calumniæ etiam, odia, irrisionesque, & hostium, & domesticorum.

§. 2. Gloriabantur olim Donatistæ persecutionem se pati, & nostro tempore præcipuè Anabaptistæ, & Caluiniani. Verum patiebantur illi vt fures, vt homicidæ, vt adulteri, vt Blasphemi, quemadmodũ & nostro tempore, quos nominaui. *Apud eos non est veritas martyrij, quia non est veritas Christi, vt verissime.* Apollinarius. Hanc iustam esse persecutionem seu potius executionem legitimique magistratus officium, etiam hunc in locum tum alij sectarij, tum Chytræus notauit. Et olim præclare docuit Epist. 50. ad Bonifacium comitem S. Augustin. *Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta, quam faciunt impij Ecclesiæ Christi, & est iusta persecutio, quam faciunt impijs Ecclesiæ Christi. Ista itaq; beata est, quæ persecutionem patitur propter iustitiam: illi vero miseri qui persecutionẽ patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæuiendo. Ista vt corrigat, illi vt euertant. Ista vt reuocet ab errore, illi vt præcipitent in errorem. Deniq; ista persequitur inimicos, & comprehendit, donec deficiant in vanitate, & in veritate proficiant. Illi autem retribuentes mala pro bonis quia eis consulimus ad æternam vitam, salutem etiam temporalem nobis conantur auferre: sic amantes homicidia, vt in se ipsis ea perficiant, quando in alijs perpetrare non possunt.*

Impios iuste Ecclesia persequitur.

§. 3. Tertullianus docte & neruose hoc loco contra Gnosticos & Valentinianos vtitur l. aduers. Gnosticos. Dissuadebant illi martyria, & tepidis, trepidisque facile persuadebant. Dementiam esse *pro Deo mori. Semel Christum pro nobis obijsse, vicem non repetere*, &c. c. 10. Quibus ille respondet c. 9. *Superest ne antiquitas suum forte habuerit Sacramentum, nouitatem Christianam recensere, quasi & de Deo aliam, ac proinde disciplina quoque æmulam, cuius sophia Filios suos iugulare non norit. Planè alia in Christo & diuinitas & voluntas & schola, & martyria, aut nulla in totum, aut aliter intelligenda mandarit, qui neminem ad huiusmodi discrimen hortetur, qui pro eo passus nihil repromittat, quia pati eos nolit. Et ideo præceptorum principia deducens, Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur ob iustitiam; quoniam illorum est regnum cœlorum. Hoc quidem absolute ad omnes, de hinc proprie ad Apostolos ipsos: Beati eritis cum vos dedecorauerint, & persecuti fuerint, & dixerint aduersus vos omnia mala propter me: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra plurima est in cœlo. Sic enim faciebant & Prophetis patres eorum: vt etiam prophetaret quod & ipsi occidi deberent ad exemplum Prophetarum. Quanquam & si omnem hanc persecutionem conditionabilem in solos tunc Apostolos destinassent, vtique per illos cum toto sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus sancti, in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ disciplina, vt in Hæreditarios discipulos, & Apostolici seminis frutices.*

Deus martyria exigit.

Eodem loco vtitur Cyprian. l. de exhort. ad martyr. cap. 6. 11. 12. & libr. 3. ad Quirin. de bono martyrij.

Fugere in persecutione licitum.

§. 4. Idem nihilominus Tertullianus iam Montani hæresi infectus ex eisdem verbis colligit, in persecution fugam esse prohibitam. l. de fuga in persecutione, cap. 7. *Aut pati enim nos voluit persecutionem, aut fugere. Si fugere quomodo pati? Si pati, quomodo fugere? Iam vero quanta inæqualitas sententiarum iubentis fugere, & inuitantis ad passionem contrariam fugæ? Qui confessus fuerit in me, & ego confitebor in illo, coram patre meo. Quomodo confitebitur fugiens, quomodo fugiet confitens? qui me confusus fuerit, & ego confundam eum coram patre. Si deuito passionem, confundo confessionem. Fœlices qui persecutionem passi fuerint causa nominis mei. Infœlices ergo, qui fugiendo, ex præcepto non erunt passi. Qui sustinuerit in finem iste saluabitur. Quid ergo me iubes fugere, vis in finem sustinere tanta diuersitas sententiarum. si non congruit diuinæ grauitati, apparet ex hu quoque præceptum fugæ suam nunc habuisse rationem quam ostendimus.*

Pati nos aliquando Deus vult, aliquando fugere.

Huic ratiocinationi facile respondeti potest. Pati nos voluit, & fugere. Non enim sunt illa pugnantia. Fugere enim, exulare, possessionibus excuti, pati est. Pati stantes voluit, cum id eius gloria, exemplum Ecclesiæ requirit, constantia patientis admittit. Pati fugientes cum ad diuinam gloriam Ecclesiæ, & fugientium vtilitatem est conducibilius. Iuuitat ad passionem, vel vt cruces, aut rogos ascendant, vel si illa infirmiter exhorrescunt, fuga anteuertant, & amissis vitæ solatijs leniorem, sed diuturniorem persecutionem patiantur. At quomodo confitebitur fugiens? An non ille Deum confitetur; quia domum, vxorem, liberos, patriam, & quod persecutoribus omnibus maius videtur, opes & voluptates deserit, vt fidem seruet? vt pluribus prædicare possit? Gloriosa fuga est, qua longissimæ persecutionis atrocitas toleratur.

Nec sequitur, infelices esse fugientes, si beati sunt persecutionem patientes: Nam vt dixi, in fuga etiam est persecutionis tolerantia. Si enim negare Christum vellet, fuga opus non esset. Infelices igitur sunt, quia contra Dei præceptum vel vera negando, vel falsa asserendo, vel idololatricos cultus exhibendo, id agunt, ne persecutionem patiantur. Vrget tamen ille. *Primo si à Deo est persecutio; quale est vt idem eam fugiendam mandet, qui & infert. Quam si euadi vellet, non immitteret, ne voluntatem suam alia voluntate præuaricari videretur.*

Mala à Deo immissa fugere licet.

Hoc quidem verbis speciosum, reuera impium est. Persecutionem Deus immittit permittendo Satanæ vt per instrumenta sua sæuire queat. Persecutionis immissæ portiones ita temperat, vt non eadem omnes patiantur; alijs celeri morte defungi permittitur, alij per singula corporis membra diutissime, acerbissimeque cruciantur, alij deportantur, alij vel dignitatibus deijciuntur; aut patrimonio multantur. Omnes mandatum vnum habent, vt omnia potius patiantur, quam in Deum peccent. Nulli mandatum est, ne fuga cruciatus declinet. Quod si mala à Deo immissa fugere non licet: nec igitur cum terra mouet, cum mare exundat, fugere concessum est, nec contagio vitanda, nec belluarum, aut serpentium incursus; ne imbres quidem, & immodicos solis æstus, tecto, vel vmbra defendere liceret.

VER-

VERSVS 11.

Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. 12. Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.

QVÆSTIO I.

Quænam horum beatitudo?

Mersus calumniæ acerbissimæ.

§. 1. PArs est grauissima persecutionis calumniæ contra innocentes. Calumnia enim conturbat sapientem. Quis enim dubitet S. Athanasio grauiores fuisse criminationes, quam exilia? Singulari igitur modo contra calumniatores, falsarios, & improbos accusatores munirendi erant Apostoli eorumque successores. Ideo non modo regnum cœlorum, sed in eo copiosam mercedem pollicetur, morte etenim grauius est, premi calumnijs.

Pij ab impijs semper prisi calumnijs.

§. 2. Calumniarum virus semper ante effuderunt persecutores, antequam sæuirent, vt iustas habere causas viderentur. ita Nero cum vrbem ipse incendisset, *subdidit reos*, nempe Christianos. Et nunc quoque videmus optimos quosque ab sectarijs crudelissimè proscindi. Magno hoc solatio nostræ Societati est, cum præ omnibus hominibus se infidelibus exosam animaduertit, cum in se omnium seditionum, bellorum causas conferri, cum à perduellibus, & augustæ maiestatis læsę reis accusatur regicidiorum, cum fanda omnia, atque infanda illi imponuntur, sed ab ijs, qui ambitione victi barbaræ Turcarum genti patriam mancipare cogitarunt. Suis illa alumnis dicit. *Gaudete & exultate; quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Olim vsitatum fuit, vt de martyribus omnia verba mala dicerentur, quæ tamen miraculis aliquando Deus confutauit. Illustre est exemplum S. Blandinæ Eus. lib. 5. cap. 1. cum enim illa inter cruciatus diceret: apud nos nihil admittitur sceleris, dolores intermittebant. Fere enim Deus etiam in hac mortali vita sanctos suos famæ restituit. Quemadmodum & hisce diebus euulgata Cancellaria Anhaltina omnium Catholicorum innocentia ita probata est, vt in omnem æternitatem fidem habitura sit, aduersarijs vero nemo creditur.

Cancellaria Anhaltina Calumniatum aperit.

QVÆSTIO II.

An merces copiosa merito respondeat?

§. 1. Mercedem non definit, vel modo, vel magnitudine, vel certe genere ipso, sed magnam fore pollicetur. Magnam in cœlis, terra enim puncti instar, non est tantę magnitudinis capax. Mercedem ait seruatam in futurum. Impij enim sunt, qui ita loquuntur apud D. Chrysost. δὸς μοι τὴν σήμερον, καὶ λαβὲ τὴν ἄυριον. *Mihi hodiernam diem concede, crastinam tibi habeto.*

§. 2. De operum mercede, licet non sine calumnia in orthodoxos, non omnino male hoc loco Wolffgangus Musculus. [Primum nemo pius, *inquit*, negat, esse mercedem bonis operibus, & patientiæ ac sinceritati Christianæ repositam in cœlis. Nã de hac multi sunt scripturæ loci, è quibus hic vnus est. Quibus sane luculenter docemur futuram esse remunerationẽ eorum quæ Dei nomine vel bona fiunt, vel mala feruntur. Non enim est iniustus Deus, inquit Apostolus, vt obliuiscatur laboris vestri. Et infra cap. 10. Qui dederit vni ex minimis meis potum aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quis enim dicet eum, regem esse iustum, & suorum amantem, qui nullam habeat eorum rationem, à quibus colitur & amatur, & quos habet, etiamsi non perfectè per omnia, tamen aliquousque mandatis suis obtemperantes, & à se sinceta fiducia pendentes.

Quidam, solarij merita concedunt.

Accipienda ista sunt, & merita mercedibus componenda. Nam & in Græco est, μισθὸς, & in Syro ראגרבן dagrechun, quod proprie significat mercedem. Multo clarius Chytræus. [Vocatur itaque vita æterna merces, quia donatur à Christo & propter Christum gratis. Rom. 6. & quia compensat bona opera, & quia est res debita pijs propter promissionem, non propter nostra merita, sicut & Thomas ait, Quæst. 3. in 23. distinct. libri 2. Sentent. Deum ex promisso debitorem nobis fieri, quod ipse bene agentibus præmium promisit, vt mereri dicamur, quoniam promisit: Et Augustinus in Euchiridio: Vita æterna merces est bonorum operum. Nunquid autem merces propter opera datur? Minimè gentium, Datur quidem operibus, verum propter Christum, qui viuens & habitans in nobis, operatur ea &c.]

Merita sunt ex gratia, nulla sine gratia & pacto.

Quæ idcirco notanda sunt, quia alij nos calumniari nondum desierunt, quasi meritum ex sola operum dignitate absque promissione statuamus. Cum nos meritum in bono opere collocemus ex gratia facto, cuius initium, progressus, adiutorium in mera gratia fundatur, cui non modo cœlum, sed ne minima terræ quidem portio debeatur, si promissionem Dei gratuitam auferas. Postquam autem tali operi mercedem Deus promisit, factus est debitor promittendo, & homo meretur faciendo, non sua dignitate, sed diuina dignatione. Hinc rectè Musculus, *Non est*, inquit, *Deus iniustus vt obliuiscatur operis vestri.* Ex iustitia igitur compensat, futurus iniustus mercedem detinendo, quia pacto non staret.

Deus iniustus esset, si mercedẽ negaret.

§. 3. Falso itaque Caluinus hunc in locum scribens, negat mutuam esse relationem inter mercedem & meritum. Nam Dominus clarissime relationem proponit, cum ex operibus illos beatos affirmat. Mihi multo potior est Nysseni expositio, qui mercedem fructui comparat, & tristia eius causam affirmat ex Heb. 12. Deinde afflictionem vocat florem, quem ait propter fructum esse decerpendum.

At nullum opus Deus inueniet mercede dignum. Esto sane: Idcirco libertima gratia mercedem promittit, vt quod ex se dignum non erat, de gratia acciperet dignitatem, & iustam mercedem ex pacto.

VERSVS 13.

Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

QVÆSTIO I.

Quid sal, & quæ eius infatuatio?

Salis natura.

§. 1. SAlis natura est è calidi, & sicci temperatura, siue ille gignatur, vt in lacu Tarentino, monte Oromeno, Carthis Arabiæ oppido, siue arte fiat, aqua salsa excoctus. Acer & siccus à putredine conseruat, & saporem cibis conciliat. [Ergo, *inquit Plin.*

l. 30. c. 7. Hercule vita humana sine sale nequit degere: adeoque necessarium elementum est, vt transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sale appellantur: omnisque vitæ lepos, & hilaritas, laborumque requies, non alio magis vocabulo constat. *Salis præstantia, vsus.* Honoribus etiam militiæque interponitur, salarijs inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, si ut apparet ex nomine salariæ viæ, quoniam illa sal in Sabinos portari consuerat.

Hac ex similitudine Apostoli, ac sinceri Doctores sal terræ appellantur; quia homines vitiorum vetustate veteraſcentes, & condiunt ad salutem, & à putredine & corruptione conseruant.

Sal fatuũ mali pastores. §. 2. Sal infatuari dicitur, cum acrimonia eius, siccandi, incidendi, penetrandi efficacia diluitur, ita enim intelligendum est, quod dicitur μωρανθῆναι. Syrus תפכחי Thephchahi, hinc Luc. 19. Sycomorus dicitur תחה פכיחתא Thita Phachaihatha. ficus fatua. Infatuantur autem Pontifices, Episcopi, sacerdotes doctores, Religiosi, cum ad conseruandam Ecclesiam nihil conferunt, sed potius obsunt, cum vel à veritate Doctrinæ deficiunt, vel dissolutis vitæ moribus doctrinam infamant. Tota illa turba, si nec verbo, nec exemplo iuuat, insipida est, ad nihilum valet vltro: alia enim putrefacta cum insterquilinio perierint ad lætificandos agros vtilia, sal fatuum terræ fœcunditatem exhaurit, & germinum radices erodit: sic quidem reliquæ partes Reipublicæ, etiam cum infatuatæ fuerint, quasdam obire functiones possunt. Improbus dux, aut comes, bello interdum vtilis, nobilis infatuatus vtiliter pro patria pugnat, & moritur; *Pastores mali semper noxij.* rustici, ciues, opifices crimino si lucro possunt esse ciuitati: dum ita puniuntur, vt fodiant metalla, remos trahant, domos struant. At Doctor infatuatus, etiam hisce applicitus offensioni cæteris esse cognoscitur, & quocunque pedem infert, sterilitatem inducit aut enim prauis moribus, aut doctrina nocet. Quocirca grauissimè peccant Episcopi & prælati, cum ad Ecclesiasticas dignitates, curataque beneficia salem infatuatum admittunt, hoc est, imperitos, impuros, ebriosos, auaros pastores populis imponunt. Nec excusantur, quasi desit copia bonorum; nam si non promoueantur mali, bonorum copia aderit. Deinde sal infatuatus non modo non prodest, sed etiam obest. Præstaretque raros & bonos, quam multos, & malos esse sacerdotes.

§. 3. Caluinus non supra verum modò, sed etiam supra modum Episcopos, & pastores calumniatur. Verba eius lib. 4. instit. c. 5. §. 14. adducam, Catholicorum & hæreticorum causa, imprimis vero Clericorum. Hi enim facile intelligent, quam sancte viuendum sit, quibus tam maledicus calumniator appositus est. Catholici cauebunt, ne quicquam illi vnquam credant, quem tam impudenter mentiri deprehenderint. Hæretici quoque in hanc rem inquirent, & vbi falsam agnouerint, vt est reuera falsissima, in reliquis etiam fidem illis detra-
Immanis, Calumniator Caluinus. hant. [Quid si ad mores, inquit Caluinus lib. 4. cap. 5. §. 14. descendamus? vbi erit illa lux mundi quam Christus requirit? Vbi sal terræ? Vbi illa sanctitas, quæ velut perpetua censura esse possit? Nullus hodie est hominum ordo magis infamis luxu, mollitie, delicijs, omni denique genere libidinum, nullo ex genere aptiores aut peritiores omnis impostura, fraudis, proditionis, perfidiæ Magistri. Nusquam tantum ad nocendum vel solertiæ, vel audaciæ. Taceo fastum, superbiam, rapacitatem, fœuitiam. Taceo dissolutam in omnibus vitæ partibus licentiam. Quibus ferendis ita fatigatus est mundus, vt verendum non sit, ne quid nimium exaggerare videat. Vnum dico quod inficiari ne ipsi quidem poterunt: Ex Episcopis fere nullum: Ex parochiarum præfectis non esse centesimum quemque, cuius si de moribus ferenda sit secundum Canones sententia, non sit vel excommunicandus, vel minimum à munere abdicandus. Videor aliquid incredibile dicere, adeo prisca illa disciplina, quæ exactiorem censuram de moribus Cleri fieri præcipiebat, obsoleuit: Sed omnino res ita se habet. Eant nunc qui sub Romanæ sedis vexillis & auspicijs militant, & de sacerdotali apud se ordine glorientur. Certe quem habent, neque à Christo, neque ab eius Apostolis, neque à Patribus, neque ab Ecclesia veteri esse constat.]

Mihi videtur nullo in ordine tanta esse impudentia, quanta est in Caluino: sunt enim multa millia sanctorum Episcoporum, parochorumque, vti planum est.

Immanis calumniandi audacia. Caluini immanis est superbia, qui alijs calumniandis stigmatum suorum aboleri infamiam posse putat. Quomodo enim ille omnium Episcoporum, & parochorum conscientias nouit? An homo vnus tantum ab re sua ocij habuit, vt omnium in Episcoporum pastorumque acta inquireret?

Verum ista mittamus. Calumniatori ne Deus quidem satisfecit vnquam. Et improbos hoc esse ingenio videmus, vt potius aliorum insectatione, quam vitæ suæ emendatione dedecora sua se abolere posse arbitrentur.

VERSVS 14.

Vos estis lux mundi.

QVÆSTIO I.

Quæ lux mundi?

Christus lux primogenia, Apostoli radij. §. 1. VEra lux est, primogenia & supercœlestis, ipse Christus, nec alius quisquam eo sensu lux dicitur: imo Ioan. 1. 9. Christus *lux esse* asseritur, Ioannes negatur esse. Eodemque modo apud Prophetas, Isa. 60. & Euangelistas, Ioan. 3. 19. 8. 12. & 9. 5. Ioannes tamen Baptista dicitur *Lucerna ardens*: Ioan. 5. 35. itemque Ecclesiæ Doctores, Philipp. 2. 15. Ephes. 5. 8. mutuam enim lucem ab increata luce acceperunt; non sunt naturâ lux, sed tenebræ, gratia vero, vocatione officio docendi, *noua lux in Domino*, lux externo ministerio illuminans, non intimæ animorum menti illucens; Hoc enim facit sola lux creatrix & recreatrix, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hos ergo lucem appellat, quia verbo, & opere viam demonstrant, præcuntque. Græcè dicitur τὸ φῶς, illa lux, quasi sol orbis sit, qui solus tenebras Spirituales excludit. Hinc & baptismus apud Græcos, quo ad lucem filiorum admittuntur, φωτισμὸς dicitur, *Illuminatio.* *Apostoli lux mutu.*

§. 2. Hæc de Apostolis, eorumque discipulis, & successoribus intelligenda esse, non modo Catholici, sed Sectarij quoque docent. Nunquam enim, nec mundus corporali, nec Ecclesia spirituali luce destituitur. Hinc Caluinus optime iudicat, l. 4. instit. c. 3. §. 2. & 3. [Hoc ministerium esse præcipuum neruum, quo fideles cohæreant, ministris Christum adesse: neq; Solis lumen ac calorem,

vel

" vel cibum ac potum, tam præsenti vitæ necessarium
" esse, quam est conseruandæ in terris Ecclesiæ Apo-
" stolicum ac pastorale munus; atque huc referri
" quod Apostolos vocet salem, & lucem.] Quod cum
Lux Ecclesiam posse abscondi. certissimum sit, merito Catholici docemus, nec lucem hanc vnquam defecisse, sed in celso semper, ne abscondi posset fulsisse, neque nunc Ecclesiæ per præsides & pastores suos docenti esse detrahendam Apostolicam auctoritatem. Etenim in tenebris errantes ad lucem publicam mundi inuitat: ad Apostolos, quos loco suo audiendos esse voluit: nec ignorauit hoc Caluinus; nam l. 4. c. 8. §. 4. Orthodoxorum hoc argumentum recenset. Sed respondet. *Oportere eos, si legati sunt, mandata eius à quo missi bona fide proferre.* Ex quo concludit, non esse Ecclesiæ potestatem infinitam, sed subiectam verbo Domini, & in eo quasi inclusam. Verum ille docet; si recte eius verba, non illius sensu accipiantur. Ecclesia enim non aliud verbum prædicat, quam quod à Domino traditum est. Non est autem verbum illud solis inclusum literis, sed etiam voce, & traditione in posteros transfusum. Hanc legem Christus ipse recepit, ad quem Caluinus appellat. Is enim Ioan. 7. v. 16. *Doctrina mea*, inquit, *non est mea; Sed eius qui misit me, patris.*

Ecclesia nō solis literis, sed etiam voce instituit.

Non autem solis Prophetarum Scripturis vsus est, sed alia quoque instituit, quæ audierat à patre. Imo vero nec à Christo Apostoli scriptum de prædicando, & baptizando; sed ore pronunciatum acceperunt; nec ab Apostolis nisi sero, & particulatim vini Apostolici scriptum acceperunt verbum. Continet vero ipsa promissio: Vos estis lux mundi, hanc ipsam securitatem, qua certi sumus; Ecclesiam non aliud, quam mandatum, aut mandato consentiens verbum proferre. Si enim lux sunt Apostoli, tenebras spargere non possunt, ideo nihil verbo Dei contrarium docere. Si eadem auctoritas in Ecclesia manet, non potest illa non esse in luce, & lucem à se diffundere.

Christus non solis Scripturis vsus est.

§. 3. Hisce verbis etiam vsus est contra S. Basilium Eunomius, vt est apud Nyssenum orat. 11. contra Eunomium. *Hic enim portionem tenebrarum filio Dei assignabat, vt filium quidem concederet esse lumen de lumine, sed eo modo quo Apostoli lux dicuntur*; magnum itaque discrimen lucis esse, vt creatricis, & creatæ; ita quoque Ingenitæ, & genitæ: cum vera inter patrem & filium sit distinctio, vt inter ingenitum, & genitum, etiam eandem inter lucem esse argumentabatur, qualis inter lucem, quæ erant Apostoli, & quæ Christus.

Eunomius filium Dei creatam lucem dixit.

Respondet Greg. Nyssenus: In patre & filio non esse lucem eo modo diuersam. Vna est enim vnius lucis essentia. In filio autem esse lucem sine mistione tenebrarum. Quæ multis cùm ille prosequatur, eo lectorem remitto.

VERSVS 14.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

QVÆSTIO I.

Quænam illa ciuitas?

Ecclesia ciuitas Dei. §. 1. CIuitas est cœtus seu Ecclesia fidelium. ita S. Augustin. contra Faustum Manichæum l. 16. *Sicut enim Petra Christus, ita & mons Christus: Petra humilis fortitudo, mons eminens magnitudo, quia sicut Apostolus ait, Petra erat Christus: ita ipse Dominus: Non potest ciuitas abscondi super montem constituta, se scilicet montem, fideles autem suos in sui nominis gloria fundatos asserens ciuitatem.*

Christus igitur mons est, in eo vertices, & primariæ partes Apostoli, seu fundamenta secundaria ciuitatis, reliqui fideles ædificia. Atque idem Augustin. c. 18. contra Fulgentium Donatistam: ostendit Ecclesiam abscondi non posse. *Ecclesia abscondi non potest.*

§. 2. Hinc clarissime probant Catholici, Ecclesiam Christi esse aspectabilem, nullo modo, vt aduersarii volunt, inuisibilem. Cum enim in monte ædificata sit, abscondi non potest, cum vero semper in monte steterit, non per occultos calles eò aliquando deducta, haud latuit; verum in luce & conspectu semper fuit. Sunt ergo Apostoli lux mundi, & Ecclesia super montem posita, vt ad eos sit perpetuus accessus. Veriſſime Bas. Moral. cap. 8. ὡς φῶς ἐν κόσμῳ, ὥστε αὐτὰς εἶναι ἀνεπιδέκτους κακίας, καὶ τὰς πολιτιζούσας αὐτοῖς φωτίζειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, πρὸς τὸ γένεσθαι, ὃ δεῖ, ἢ ἐλέγχειν, ὃ ἐστιν. *Vt lux in mundo, vt ipsi à malitia incontaminati sint, & eos qui ad ipsos accedunt, ad cognitionem veritatis illuminent. vt vel tales euadant, quales oportet; vel ostendant, quod sunt.* Vide plura hoc loco apud Salmeronem nostrum. *Ciuitas quæ abscondi non potest. inuisibilis esse nō potest.*

VERSVS 15.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.

QVÆSTIO I.

Quænam sit lucerna?

§. 1. VIx ambigi potest, quin Apostoli sint lucerna; ab alio enim lumen accipiunt, prius ardent, deinde lucent. Non ponuntur *sub modio*, aut vase, vt Luc. 8. *Sed super candelabrum*, hoc est, loco conspicuo, vt omnibus luceant. Candelabrum dici potest etiam Ecclesia, quæ ab Apostolis instruitur. Sunt enim illi fundamenta, quæ lucem continent; candelabris imponuntur, quia illuminent. Hortatur Apostolos, omnesque Euangelii præcones, vt memores se loco conspectissimo positos, vita, moribus, doctrina alios instruere oportere. Eo enim pertinet, quod additur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* *Apostoli lucernæ.*

VERSVS 17.

Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere, sed adimplere.

QVÆSTIO I.

An legem Christus abrogauerit?

§. 1. PHarisæorum illa erat calumnia, *non esse ipsum Christum à Deo*, qui *Sabbatum non seruaret.* Occasionem captabant, ex eo, quod eorum traditiones, *legibus* aequas legi anteponebant, negligeret; & quod legem aliter, quàm ipsi, interpretaretur. De hisce *Christus de solutis legibus accusatus.*

querelis c.7.c.15.Ioan.9. Hinc etiam concludebant: disciplinam, & seueritatem morum per Christum solut: cum tamen solus Christus legem perfectissime seruaret.

Musculi calumnia. Porro iniqua est querela Wolffgangi Musculi; *suis doctoribus tale quid accidere, cum docent non esse credenda, quæ vel per Pontificum decreta, vel Conciliorum sanctiones, vel Monachorum somnia sunt inducta.* Iniqua inquam est ista querela. Neque enim vllum damnamus, quod Monachorum somniis non credat; neque solum hæreticos accusamus, quod Pontificum & Conciliorum sanctionibus non acquiescant: Sed insuper eos accusamus tanquam diuinæ legis violatores; nec hoc modo, verum etiam dicimus, eos doctrina impia diuinæ legis auctoritatem tollere. Docent enim eos, qui vere credunt, legis violatione, pœnam non incurrere, vt in Epistolam ad Romanos ostendi. At Christus peccatoribus iudicium, Concilium, inferos minatur. Cum autem se, quamuis irascantur, taka, aut fatue dicant fratribus, negent reos fieri, sane legem ipsam auferunt: cum pœnam, quæ sancita est, non agnoscunt.

Hæretici legem violant, & docendo soluunt.

Legem infringit, qui legis pœnas tollit.

§. 2. Praua vero est, & Libertinis fauet aduersarium hæresis, vt ex Caluino constat, l.2.instit.c.7.§.15.

„ [Quæ vero de maledictione dicuntur à Paulo, non
„ ad institutionem ipsam pertinere, sed solum constrin-
„ gendæ conscientiæ vigorem, constat. Non enim so-
„ lum docet Lex, sed imperitare exigit quod mandat.
„ Si non exhibeatur, imo si qua in parte ab officio ces-
„ setur, maledictionis fulmen stringit. Hac ratione dicit
„ Apostolus, omnes qui sunt ex operibus legis, esse exe-
„ crationi obnoxios, quia scriptum sit, Execrabilis o-
„ mnis qui non complet omnia.]

Hæc in explicatione Pauli refutani. Hoc solum moneo, ab eo legem tolli, qui conscientiæ constringendæ vigorem ab ea tollit. Nisi sit lex mere pœnalis; quamuis & illa suo modo conscientiam obliget. Hac enim in parte differunt leges, & exhortationes. Itaque falsa veris miscet Caluin. l.2.cap.7.§.14. [Nuncergo (*inquit*) quoniam vim exhortationis erga fideles habet Lex, non quæ eorum conscientias maledictione liget, sed quæ pigritiam subinde instando excutiat, & imperfectionem vellicet: multi dum volunt significare hanc ab illius maledictione liberationem, dicunt abrogatam esse legem fidelibus (de morali adhuc loquor) non quod amplius illis non iubeat, quod rectum est, sed duntaxat ne sit illis, quod antea erat, hoc est, ne eorum conscientias perterrendo & confundendo, damnet ac perdat. Et sane talem legis abrogationem non obscure docet Paulus. A Domino quoq; fuisse prædicatam ex eo apparet, quod opinionem illam de Lege à se dissipanda non refutasset, nisi inualuisset inter Iudæos. Quum autem non potuerit tamen sine vllo prætextu emergere: credibile est ab eius doctrinæ falsa interpretatione fuisse natam: quaniter cuncti fere errores occasionem à veritate sumere consueuerunt. Nos vero ne ad eundem impingamus lapidem, accurate distinguamus quid in lege sit abrogatum, quid firmum adhuc maneat. Quum testatur Dominus se non venisse ad legem abolendam, sed adimplendam: nec præteriturum donec cœlum ac terra transeant, apicem ex Lege, quin omnia fiant: nihil de obseruantia Legis per suum aduentum detractum iri satis confirmat. Et merito: quando in hunc finem potius venit, vt eius transgressionibus veniret. Manet igitur per Christum inuiolabilis Legis doctrina, quæ nos docendo, admonendo, obiurgando, corrigendo ad omne opus bonum formet ac comparet.]

Lex omnis conscientiam stringit.

Paulus non liberat à lege conscientias.

Addendū est manere legem, non modo docendo, admonēdo, obiurgando, corrigendo, sed cōscientiam constringendo, transgressoribus iram Dei, atq; pœnas inferendo. Qui enim dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

§. 3. Christus legem seruauit, adeoque perfectissime impleuit. Legem enim animo, verbis, opere sine vlla exceptione consummauit. Maxime vero per caritatem perfectissimam, vt monet Tract. 7. in Ioannem S. Augustinus, *Venerat autem tempus vt impleretur Lex per dilectionem, quia à Iudæis non poterat impleri per timorem. Vnde Dominus dicit: Non veni soluere Legem, sed adimplere.*

Lex caritate optime seruatur.

Deinde promissiones exhibuit. Omnis enim Lex, omnisque Prophetia hunc ad scopum tendebat. Denique quod in lege erat imperfectum, sustulit, ornamenta adiecit. Gratiam attulit, qua seruari posset, bene interpretatus est, ne præpostere seruaretur.

§. 4. Magnus est, & damnabilis error Caluini, l. 4.instit.c.13.§.12. Omnia mandata esse, quæ Christus dixit nulla consilia duxaxat. [Age, *inquit*, calumniam „esse dicant, quod antea tradidi, non esse contentos „præscripta à Deo regula. Atqui etiamsi taceam, ipsi „plus satis se accusant. aperte enim docent se plus oneris suscipere, quam suis Christus imposuerit, quoniam „scilicet Euangelica consilia de diligendis inimicis, de „non appetenda vindicta, de non iurando, &c. se seruaturos promittant: quibus non sunt communiter astricti Christiani. In eo quam nobis antiquitatem obtendent? Nulli vnquam veterum hoc venit in mentem: omnes vna voce clamant, nullam penitus vo„culam à Christo emissam, cui non sit necessario obtemperandum. Et hæc ipsa nominatim, quæ isti boni „interpreteres Christum consuluisse duntaxat nugantur, iussa esse, nulla dubitatione vbique docent. Sed „quia hunc pestilentissimum errorem esse supra docuimus, satis hic sit breuiter notasse, ea opinione „fundatum esse monachismum qui nunc est, quam „merito pii omnes execrari debent: vt scilicet fingatur aliqua esse perfectior viuendi regula, quam ista „communis vniuersæ Ecclesiæ à Deo tradita. Huic „fundamento quicquid superstruitur, non nisi abominabile esse potest.]

Quadam mandata, quadam consilia Christi tradidit.

Perfectio māndatorū & consiliorum est tractanda.

Fraudem hoc loco, & hæresin reprehendo. Fraudem quidem; quod exempla consiliorum ponit illa, quæ in ista nos quoque dicimus. Diligere enim inimicos, illis offensam remittere præcepti est; non consilii. Vindictam sibi præstare damnabile est, iurare vt Christus prohibuit, nunquam licet; Lex enim iurandi temeritatem, leuitatem & periuria vetat. non omne iurandum. Hæresin vero; omni vocula à Christo emissæ necessario obtemperandum esse. Solum enim de voce imperante, non de consulente, & suæ quemque libertati relinquente accipiendum est. In primitiua Ecclesia, venditis patrimoniis pecuniam deponebant ad pedes Apostolorum, perfectior illa erat viuendi ratio, quam aliorum, qui suis facultatibus vtebantur; nec mandatum tamen vendendi, & deponendi acceperant, sed Consilio id faciebant.

Quod libertū Christus esse voluit, non præcepit.

§. 5. Non modo hæreticos Catholici hisce verbis refutant, verum etiam limet alios sectarios conuincunt, nempe Anomos, & Antinomos, de quibus l.5. Polit. de legibus tractans egi. Hoc loco Dauidis Chytræi verba ponere consultum duxi: vt appareat eos iuxta confutare socias sectas, vt tamen etiam ipsi à veritate longissime abeant. [Ideo constanter (*inquit*) explodendus est furor Antinomorum, qui fingunt legem in Ecclesia non amplius prædicandam esse. Cum enim in Ecclesia necesse sit agnosci peccatum, & iram Dei, perspicuum est, ministerio legis opus esse; Rom. 3. Per legem agnitio peccati. Item, Lex iram efficit. Rom. 7. Peccatum nō cognoui nisi per legem. Quod autem disputant Antinomi magnitudinem peccati & iræ Dei, nulla alia re illustrius conspici, quam in morte

Sectarum sunt pertractare.

„ morte fili, ideoque prædicatione legis nihil opus es-
„ se, hæc quam sit futilis consequentia, hæc grauissima
Lex subla- „ ratio demonstrat. Quod sine leg non potest agno-
tura nou „ sci, aut cognitari causa, propter quam filius Dei mor-
quo mor- „ tem subiuit, & pro nobis maledictum factus est, nec
te Chri- „ magnitudo beneficii Christi, qui nos liberauit à male-
sti. „ dictione legis, factus pro nobis maledictum, potest
„ intelligi. Sed refutatio Antinomorum maxime illu-
„ stris est hæc concio Christi in monte, Comprehensa
„ 5.6.7. capite Matthæi, in qua expressis verbis adseue-
„ rat, se nullo modo abolere Legem, sed implere. Quæ
„ sententia vt studiosis illustrior fiat, cogitent Christum
„ his quatuor modis implere Legem. I. Quia ipse pro
„ sua persona est conformis normę Legis diuinæ, & per-
„ fecte est talis, & præstat talem obedientiam, qualem
Christus „ lex flagitat. II. Quia satisfacit pro nobis, deriuat in se
legem „ iram Dei aduersus peccata omnium hominũ, & per-
implent. „ soluit sufficiens λύτρον, propter quod nobis donatur
„ & imputatur iustitia, perinde ac si Legi fati feciſſemus.
„ III. Quia restituit legem in nobis. Effundit enim in
„ pectora credentium suum Spiritum, qui obedientiam
„ & conformitatem cum Lege Dei in hac vita inchoat,
„ & posteà consummabit, vt Ierem. 13. dicitur, Dabo le-
„ gem meam in corde eorum. IIII. Quia sancit & cõ-
„ firmat doctrinam Legis & docendo veram ac genui-
Nemo „ nam Legis sententiam illustrat, detersis opinionibus
damnatus „ falsis Pharisæorum, & Monachorum, qui finxerunt
putat ex- „ Legi Dei satisfieri externa disciplina, & hanc mereri
terna di- „ remissionem peccatorum, & esse iustitiam coram
sciplina „ Deo, & meritum Vitæ æternæ.
legi satis- „ Contra hos errores docet in hac concione Chri-
fieri. „ stus, Legi Dei nequaquam satisfieri externa disci-
„ plina, præcepta Decalogi postulare obedientiam non
„ solum in externo opere, sed in mente, voluntate, &
„ corde integram conformitatem cum hac norma.
„ Sunt q; hæ Conciones Christi veræ & propriæ senten-
„ tiæ iudicii diuini aduersus peccata in genere humano
„ propositæ, vt agnoscamus peccatum, & iram Dei, &
„ agamus pœnitentiam, & confugiamus ad Christum
„ Mediatorem.

„ Hanc commonefactionem initio recitaui, vt con-
„ siderent studiosi, Ministerium Legis arguens peccatũ,
„ necessario in Ecclesia retinẽdum esse: & totam expli-
„ cationem doctrinæ de Lege Dei, quam in locis insti-
„ tuimus, ad hoc caput illustrandum referri posse: & vt
„ cogitent accuratissimis limitibus discernenda esse ge-
„ nera doctrinæ, Legem & Euangelion: hanc concionẽ
„ Christi, quæ tribus sequentibus capitibus continetur,
„ nequaquam esse vocẽ Euangelii seu Christi propriam,
„ sed esse doctrinam Legis, ac ad Decalogum pertinere.

§. 6. Multa contra hæc l. 17. & 18. apud S. Augustinum à Fausto Manichæo hic obiiciuntur. Nam primo. *Dixisse hoc Christum negat*: quia Ioannes, qui in monte fuit, eius non meminit, Matthæus vero, qui tum nondum erat Apostolus, recenset. *Deinde ideo solui esse legem, quia nihil tale eo faciente Iudæi non suspicarentur.* Tertio, *nihil detrahi, nihil addi Deus legi patitur*, Deut. 5. 32. Et l. 18. *Iam nec se nec Augustinum seruare legem, ideo Christum abrogasse.* Se quidem non credere, hæc dixisse Christum, Augustino vel seruandam legem, vel Christum abnegandum.

Matthæus vera scripsit de illis, quibus non adfuit.

Quæ etiam l. 19. amplius vrget idem Faustus. Respondet S. Augustinus ad primũ. Matthæum potuisse vera de Christo scribere etsi non adfuit, alioqui nec Manichæo credendum, vt qui nõ adfuit, cum à Christo ista dicerentur. *Nos autem*, inquit, *non propterea dicimus non credendum Manichæo; quia dictis factisque Christi non interfuit, & longe post natus est: Sed quia de Christo contra Christi discipulos loquitur, & contra Euangelium, quod eorum auctoritate firmatum est.*

Ad alterum respondet. *Iam illud quam sit infirmum quis non videt, quod ait, non eum dicere potuisse, Nolite putare, quia veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere sed adimplere: nisi aliquid tale iam fecisset, vt in hanc suspicionem posset venire: quasi nos negemus Iudæis non intelligentibus videri potuisse Christum destructorem legis & Prophetarum: Sed hoc ipsum est, cur ille verax & veritas non potuerit de aliâ lege, & de aliis Prophetis dicere, quod eos non solueret, nisi de ijs, quos illi eum soluere suspicabantur. Quod hinc etiam satis cõfirmatur, quia ibi sequitur & dicit: Amen dico vobis, donec transeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non transiet de lege, donec omnia fiant.* Christus non soluit legem.

Ad tertium libro 18. & 19. respondet. Abrogatam nõ esse legem cærimonialem, sed potius abrogatione perfectam. *Ea Christiani ex lege, & Prophetis non faciunt, quibus significata sunt ista, quæ faciunt. Illæ quippe erant figuræ futurorum, quas rebus ipsis per Christum reuelatis & præsentatis auferri oportebat, vt eo quoq; ipso, quo hæc ablata sunt, lex & Prophetæ implerentur. Ibi quippe & hoc scriptum est, daturum Deum testamentum nouum, non quale dedi, inquit, patribus eorum. Populus enim ille pro suo corde lapideo, multa præcepta magis sibi congrua, quam bona acceperat, quibus tamen figurarentur & prophetarentur futura: Sed tunc à non intelligentibus celebrabantur, cum autem venerunt & patefactæ sunt, quæ illis significabantur, non iam illa iubentur facienda, sed leguntur intelligenda.* Lex cærimonialis per veritatem impleta est.

Vnde nec vanæ superstitioni succũbimus, nec illud Euangelij capit falsum esse dicimus, nec Christi discipulos nos negamus: quia ea ratione veritatis, quam pro meis viribus toties exposui, non aliam legem, nec alios Prophetas, quam eos quos Catholica tenet authoritas, non venit soluere, sed adimplere.

Deinde libro decimonono plurib. exponit. Quomodo Christus implêrit legem caritate; quodq; nihil contra Dei præceptum addiderit.

QVÆSTIO II.

An Christus, cum suam legem confert ei, quæ dicta est antiquis, nouam omnino condat?

§. 1. MAgna est inter auctores, & viros doctos controuersia. An legi veteri Deus aliquid addiderit, an vero falsas Pharisæorum traditiones, interpretationesq; excluserit. Nouatores contendunt, tantum veterum legum corruptiones correxisse. Ita Caluinus l. 2. inst. c. 8. §. 7. [Hunc *(inquit)* quum esse Legis sensum dicimus, non nouam ex nobis interpretationem ingerimus, sed Christum sequimur, optimũ Legis interpretem. Quum enim Pharisæi peruersa opinione populũ imbuissent, Legem perficere, qui externo opere nihil aduersus legem perpetrassent: hunc periculosissimũ errorem arguit: & impudicũ mulieris aspectum, scortationẽ esse pronuntiat: homicidas testatur, quicunq; fratrẽ oderint. facit enim reos iudicio, qui vel irã animo conceperint, reos cõsilio, qui murmurando aut fremendo aliquam offensi animi significationem dederint; reos gehennæ ignis, qui conuiciis & maledicentia in apertam iram prosilierint. *An legi additio facta.*

Eodem sensu Bullingerus: [Et hinc claret duplicẽ esse iustitiam, aliam quidẽ Pharisaicã, ac falsam; aliam veram Christianã, ac veram, Pharisaica iustitia oriri videtur ex vitiato & adulterino legis sensu. Hærebant Pharisæi in cortice & externo opere legis, ad medullã non penetrabant, neq; spiritum, & ipsum legis ingenium germanũ capiebant. Idcirco iustos sese esse arbitrabãtur, & legẽ implesse, si neminẽ occidissent gladio, si neminem perrapinam, & vim publicã spoliassent suis facultatib. si concubitu adulterino alienas vxores non polluissent; breuiter si Legem secundum literæ tenorẽ præstitissent: interea vero nullã habebant rationem fidei: sinẽ & spiritum legis prorsus ignorabant, mente, & animo coinquinatissimi erãt. Ergo qua se præditos putabãt iustitia, nõ erat iustitia, sed hypocrisis potius; nãin 23. c. apud Matthæũ Dominus væ vobis, ait, scribæ &

Pharisæi multi in externo opere iustiam collocabant.

„ bæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris
„ dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus
„ vero plena sunt ossibus mortuorum, omnique spur-
„ citiâ. Sic & vos foris apparetis quidem hominibus iu-
„ sti, intus autem pleni estis fictione, & iniquitate.

Christus noua quædam addidit.

§. 2. Mihi certissimum videtur, quædam ex vetere lege Christum tollere, & noua eorum loco reponere. Quædam vero à Pharisæorum corruptelis vendicare, & recte interpretari, & sua declaratione mentem legislatoris ostendere. Itaq; quidam duntaxat responsionem adferunt, à vero sensu aberrant; quod eo magis miror, quod iam olim inter Augustinum & Faustum Manichæum tribus libris disputata sit illa quæstio.

Manichæi Mosis legē destructā.

Vrgebat l. 19. Faustus. *Aut Christum non dixisse: Non veni soluere legem, &c. aut si hoc dixisset: Debere Augustinum seruare legem, nec soluere, quam non soluisset Christus, aut si id nollet, non esse discipulum Christi.* Addit Faustus. *Christum locutum de præceptis, quæ per Enoch & Seth & cæteros iustos promulgata fuerunt. Vt non occides, &c. hæc Christum adimplere, cum dicit: ne iracamini.* Alia: *vt dentem pro dente,* destruere. Itaque illa quæ Mosis sunt, destructa, quæ veterum iustorum, impleta.

Respondet Augustinus de Cæremoniis, vt supra dictum. Non seruare eas Christianos, quia iam Christus, quem venturum nuncia bant, aduenit. *Vnde,* inquit, *quid mirum est, quid absurdum, imo quid non congruum & consentaneum, si post eius cessarit aduentum, quicquid ideo fiebat, vt eius prænunciaret aduentum? Figura igitur rerum, quæ ad hoc obseruabantur, vt ipsa earum obseruatione venturus Christus prophetaretur, vsque adeo non debent propterea putari per Christi aduentum non impletæ, quia illo veniente non obseruantur, vt nisi iam per aduentum Christi implerentur, adhuc obseruarentur.*

Denique has adeo non obseruari à Christianis, quia eadem Christus impleuit, nec promittuntur amplius. Itaque illa ait non soluta, sed impleta.

Præcepta moralia non soluta.

De præceptis morum ità respondet. Illa præcepta Non occides, & similia, non esse per nouam additionem adimpleta. Ita cap. 20. *Proinde primum ab his quæro, vtrum illi antiqui iusti, Enoch & Seth, hos enim potissimum Faustus commemorat, & si qui alij, non solum ante Moysen, sed & si qui ante Abraham fuerunt, irati sint fratri sine causa, aut dixerint fratri fatue. Si enim non dixerunt, cur non & talia docuerunt? Quod si & talia docuerunt, quæro quemadmodum vel eorum iustitiam doctrinamque Christus adimpleuerit, addendo, Ego autem dico vobis, si quis irascitur fratri suo, aut si quis dicit racha, aut si quis dicit fatue, reus erit vel iudicij, vel consilij, vel gehennæ ignis: quandoquidem & illi eodem modo viuebant, eodem modo viuendum monebant? An ignorabant illi iusti frenandam esse iracundiam, nec petulanti conuitio fratrem esse lacessendum: aut nouerant quidem, sed ab hu se abstinere non poterant? Ergo rei erant gehennæ: quomodo igitur iusti? Profecto enim nec imperitam rerum ad suum officium pertinentium, nec intemperantem audes dicere eorum fuisse iustitiam, in tantum vt eos faceret reos gehennæ. Cur ergo illam legem, secundum quam viuebant antiqui iusti, hac addendo Christus impleret, cum eorum quoque iustitia sine istis esse non posset? An dicturus es, quod præceps iracundia & lingua improba, ex quo venit Christus, cæpit ad iniquitatem pertinere, antea vero non erat iniquum, vel corde vel ore ista committere? Sicut in quibusdam rebus pro temporum proprietatibus institutis, inuenimus nunc aliquid non licere, quod ante licuerit: vel quod ante non licuerit, nunc licere. Non vsque adeo desipis, vt hoc dicas, sed etiam si dicas respondebitur tibi, quod secundum istum intellectum Christus non adimplere venerit, quod legi antiquæ defuit, sed legem instituere quæ non fuit: si dicere fratri fatue eum apud antiquos iustos non fuisset iniustum: nunc ita iniustum esse Christus voluit, vt quisquis hoc dixerit, reus sit gehennæ.*

Legi naturali veteres obnoxij fuerunt.

Sententia igitur Augustini est, hic in illis nouam legem non esse latam. Sed errorem eorum confutatum, qui homicidium, *non nisi humani corporis interemptionem, intelligebant.* Dominus enim omnem voluntarium motum ad nocendum proximo prohibet.

Quædam noua addita.

In repudio vxoris, noua lex est lata, seu potius antiquissima reposita. Nam prima lex erat; *vxorem non dimittere.* At dispensationem, seu priuilegium Deus interposuit propter duritiam cordium Iudaicorum: quod priuilegium Christus sustulit, & legem redintegrauit, non dissoluit.

§. 3. Ex S. Augustino itaque de recentium disputationibus iudicandum est. Quod enim quidam aiunt, Christum se opponere antiquis, & Mosaicis. Id quidem Fausto, non autem Augustino probabatur. Quam enim Faustus dicebat adimpletionem aliquo additamento factam, eam Augustinus negat. Sed ait veteribus quoq; ipsam additionem fuisse mandatam. At nunc audiebant à Pharisæis discipuli, *Non occides,* & hoc antiquis dictum esse. At Christus monet, calumniose se traduci, quasi legem soluat, cum non modo manum à cæde continere iubeat, sed linguam quoq; à conuitio, & animum à consensu. Existimant nonnulli illa quidem vetita in veteri lege, atque adeo ipsam concupiscentiam, sed minus expresse. Verum miror hæc à iuris doctis adferri. Vt enim taceam expressissima mandata, *non concupisces,* in veteribus tabulis fuisse, constat sane D. Paulum, Rom. 7. 7. legi tribuere cognitionem concupiscentiæ. Eadem etiam lex impudicos aspectus prohibebat. Nec desunt Scripturæ verba quæ eas peccata esse demonstrent. Addo deniq; dilectionem Dei ita præceptam, vt addi nihil possit. Iubet enim lex ex toto corde diligere.

Expresse vetita quædam. Veteres leges deprauationem Merito ergo benedictus, quia & fidelis: merito fidelis, quia & corrigi patiens. Ita fides patientia illuminata, quum in nationes seminaretur, per semen Abrahæ, quod est Christus, & gratiam legi superduceret, ampliandæ adimplendæque legi aduitricem suam patientiam præfecit, quod ea sola ad iustitiæ doctrinam retro defuisset. Nam olim & oculum pro oculo, & dentem pro dente repetebant, & malum malo fœnerabant: nondum enim patientia in terris, quia nec fides: Scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat absente Domino patientiæ & Magistro. Qui postquam superuenit, & gratiam fidei patientiæ composuit, iam nec verbo quidem lacessere, nec fatue quidem dicere sine iudicij periculo licet. Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum plus lex quam amisit, inuenit: dicente Christo: Diligite inimicos vestros, & maledicentibus benedicite: & orate pro persecutoribus vestris, vt filij sitis Patris vestri cœlestis.

Lex patientiam fuit, sed patientiam defuisse, legis aduitricem, non enim tanta gratia fuit, quantam præsentia Christi attulit.

Non ait Tertullianus patientiæ legem non fuisse; sed patientiam defuisse, legis aduitricem, non enim tanta gratia fuit, quantam præsentia Christi attulit. Ille sane præceptum datum Abrahamo ostendit patientiæ. *Tale præceptum quod nec Domino petenti placuit, & patientia patienter audiuit, & si Dominus voluisset, implesset.* Atq; hoc *defuit.* est quod monet Augustinus l. 19. c. 27. contra Faustū. *Vides quam sit aliter intelligendum, quod ait, Non se venisse legem soluere, sed adimplere, scilicet vt non quasi semiplena istis verbis integraretur, sed vt quod litera iubente propter superborum præsumptionem non poterat, suadente gratia propter humilium confessionem impleretur opere factorum, non adiectione verborum. Fides enim, sicut Apostolus ait, per dilectionem operatur. Vnde idem dicit, Qui enim diligit alterum, legem impleuit. Istam charitatem quia veniens Christus, per Spiritum Sanctum, quem promissum misit, in manifestatione donauit, quæ sola charitate iustitia Legis posset impleri: propterea dixit, Non veni soluere Legem, sed adimplere.*

Lex per gratiam impletur.

Hoc

Hoc est nouum Testamentum, quo huic dilectioni hæreditas Regni cœlorum promittitur, quod in figuris veteris Testamenti pro temporum distributione tegebatur. Vnde idem dicit, Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis.

Et am Epiphan. hæres. 33. contra Ptolomaitas eâdem in sententia. Ait enim in hisce verbis, *Oculum pro oculo, non esse implicationem, vt Ptolomæus conabatur ostendere, sed eandem ipsam legislationem, quæ idem efficeret, quod mandatum Domini. Si quis te percusserit, præbe ei & alteram.*

Christus legem extendit.

Nec aliud sensit Iren. l. 4. c. 27. Qui contra Marcionem probat, Christum non dissoluisse veterem legem, *sed impleuisse, dilatasse, extendisse.* Primo fidem expl catiorem tradidisse. Deinde docuisse facere, non tantum dicere, at Iudæi dicebant tantum. Tertio modum præscribi etiam, vt nempe non veluti serui, sed vt liberi legem seruent, debere autem maiorem, & operosiorem esse libertatis operationem, & pleniorem erga liberatorem nostrum infixam nobis subjectionem. Et demum addit. *Quia igitur naturalia omnia præcepta communia sunt nobis & illis, in illis quidem initium & ortum habuerunt, in nobis augmentum & adimpletionem perceperunt. Assentire enim Deo, & sequi eius verbum, & super omnia diligere eum, & proximum sicut seipsum, (homo autem homini proximus) & abstinere ab omni mala operatione, & quæcunque talia communia vtrisque sunt, vnum & eundem ostendunt DEVM.*

Communio Lex in nouo & veteri Testamento ostendit vnum Deum.

Non igitur in præceptis naturalibus diuersitatem facit: Sed in nobis maiorem gratiam, qua illa seruentur, caritatemque cognoscit.

Legũ violatores verba eius venerantur.

Nec aliud Chrysost. hom. 16. in Matth. qui tres modos, quo legem Christus impleuit, recenset, Tertium modum, ait, augmentum, & complementum fuisse. Sed vt malignam suspicionem à se amoueret, quasi legem destrueret. Ait enim Iudæos cum præuaricarentur legem quotidie, verba tamen immobiliter tenuisse.

Exponit etiam hæc S. Aug. Serm. 10. in monte c. 8. *In hac sententiâ sensus duplex est, secundum vtrumque tractandum est. Nam quod dicit, non veni soluere legem, sed adimplere: aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet. Illud ergo prius consideremus, quod primo posui. Nam qui addit quod minus habet, non vtique soluit quod inuenit, sed magis perficiendo confirmat.*

Cum vero addit aliquid, non semper præceptum est, sed consilium, vt singulis locis explicabo.

QVÆSTIO I.

An nullus apex, aut Iota transibit à Lege?

Apex pars litera est.

§. 1. IOta seu יוד Iod, minima litera est, apex, seu κεραία, quæ hoc loco Syris dicitur סרטא *Sertha* non est punctum quale latini supra Iod scribunt, sed literæ membrum seu pars. Κεραία cornu, antenna, cuiusuis rei eminentia dicitur. Syrum dicitur vel quod superfluat, hoc est, emineat, aut sane quasi סריטא quod lineam significat, ac si dicat, nulla alicuius literæ lineola, seu ductus peribit. Ceuallerius Caluinianus hoc ex loco probare nititur olim puncta

Olim non fuere puncta Hebræorum.

fuisse in vsu. Cui repugnant Hebræi, qui per apicem intelligunt literarum fastigia, & eminentias. Minus vere alii literarum abbreuiationes, aut lineas literis superpositas; nam & illa sunt inuenta nouitia. Elias in præf. Masoreth. ait inuenta annis 436. à vastatione templi, constat D. Hieronymi tempore nondum vsitata fuisse. Mihi certum est, hoc ex loco nihil de punctis posse probari. Nusquam enim illa puncta, seu apices dicuntur Græcè κεραίαι cornua, sed σημεῖα, multo minus סרטא Sertha Syris vocantur puncta, sed lineolæ potius, & ductus: aut sane exemplum detur, vbi pro punctis Hebræos vocalibus accipiatur. Omnia enim huius verbi ad lineas pertinent; nam סריט Sarith est lineas ducere, סריטא Saritha, linea, סרטא Sertha, apex & שרטא sertum seu corona.

Valentinianorum deliria.

§. 2. Perridicula est de hoc loco Valentinianorum insania. Per Iota decem Æonas significari. ἀπὸ δὲ τῶν φερομένων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ δύο γραμμάτων. τῷ τε ἰῶτα, καὶ τῷ τῦ, τὰς δεκαοκτὼ αἰῶνας εὐσήμως μηνύεσθαι. *Ad hæc per duas primas nominis ipsius literas hoc est iota, & eta octodecim Æonas significanter indicari*, eodemque modo decem Æonas per literam Iota, quæ in ipsius nomine locum primum obtinet, significari aiunt. atque huc spectasse Saluatorem cum dixit; *Vnum Iota, aut vnus apex non præteribit à lege.*

Magis aduersantur legi Christi hæretici nostri, quã veteres.

Hæc referre libuit, non vt refutarem; nec enim obsoletæ, & ridiculæ hæreses refutatione indigent; verum vt appareat, dæmonem in peruertendis Scripturis semper sibi esse similẽ. Nam minus repugnãtia verbis Christi Anomi, Antinomi, Caluiniani docent. Legẽ iam nõ obligare cõscientiam, eius pœnas electis non timendas. Si enim nihil de lege præterit, totus ergo vigor legis manet, tota obligatio, pœnæque cum reatu eas violantium: non enim de literis & apicibus, sed mandatorum immutabili firmitudine, & vi Christus loquitur, apices enim quotidie truncantur, & pereunt.

§. 3. Quod adiungit: Donec omnia fiant. Duplicem habere sensum possunt. Nam alii ad legem referunt; eam semper stabilem manere, alii ad legis præstationem; nempe fore vt omnia quæ legibus præscripta sunt, ab aliquibus seruentur, vsque ad mundi finem.

Lex stabilis est, & semper ab aliquibus perficitur.

Prior expositio in quibusdam legibus facile intelligitur. Promissiones enim legis & minæ omnino complentur. Fidelis est enim Deus, & promissor immobilis. Seuerus etiam & iustus, & cum lata est sententia inexorabilis. In Cærimonialibus, quia omnium figuris veritas successit, nullus apex periit, sed rebus ipsis & veritate perfectus est. Quemadmodum exspectatio non dicitur perisse, cum omnia quæ petebantur, & exspectabantur, aduenerunt.

De lege morali, & naturali omnes nouatores interpretantur. Donec omnia fiant. [Sed quid est omnia legis fieri, *inquit Caluinus*, vsque ad minimum apicem? videmus enim quantum à perfectâ Legis obseruatione distent homines, etiam qui Spiritu Dei sunt regeniti. Respondeo, istud Fieri, non referri ad hominum vitam, sed ad solitam doctrinæ veritatem, ac si diceret. Nihil esse fluxum in lege, nihil temere positum: ideo fieri non posse, vt inde vna litera euanescat.]

Legis firmitas ex obedientiâ ostẽditur.

Non recte Caluinus. Quamuis enim Christus ostendat legis stabilitatem; eam tamen probat à consequentibus; nam vsque ad mundi finem fideles hac normâ, vitæque regula vtentur, atque ex gratia cordibus infusa, quæ legis sunt facient, cum eas Iudæi præuaricentur. Firma autem lex est, cui se omnes fideles, vsque ad consummationem sæculi accommodant. Nam quis ille sensus est. Iota vnum, aut apex non præteribit, donec omnia fiant. ἕως ἂν πάντα γένηται. Quæ sunt illa, quæ fient? Non est lex ipsa; illa enim iam à principio lata est. Legis igitur impletio est. Quod si sensus est. Non tolletur apex de lege, donec omnia fiant, hoc est, lex firma manebit; nihil ad rem facit. Si vero dicit. Donec omnia fiant, hoc est, præmia conferantur, & pœnæ irrogentur, vt Daniel Tostanus interpretatur, minus quidem absurde exponitur textus, non tamen sufficienter, cum Christus indicet, penes legem manere obligationem, directionem, vigorem. Hunc in modum Chrys. hom. 16. in Matth. explicat. *Quod dicit, eiusmodi est; Impossibile est, legis decreta non perfici. Nam minimum quoq; eius oportet impleri: quod certe fecit ipse, omni illam diligentia, curaq;*

Si lex manet ergo omnis eius vigor.

seruan-

seruando. Nec vero id ipsum simpliciter posuit, sed vt auditorem excitaret, atque ostenderet, perfectiorem se introducere disciplinam. De lege igitur impletione vsque ad finem loquitur, cuius nulla pars est, quæ non aliquando ab aliquo perfecte seruata sit, semperque vsque ad finem sæculi seruanda.

VERSVS 20.

Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

QVÆSTIO I.

An hinc recte concludant Sectarii nullum esse peccatum veniale?

§. 1. RESpondi de hoc loco in defens. Bellarm. l. 1. c. 12. contra Pareum, libro quem merito de crudelitate Caluinisticâ appellaui. Verum ob aliorum obiectiones vberius hoc loco respondendum est. Omnium quidem illa est argumentatio. Violatio minimi mandati excludit regno cœlorum; minima igitur peccata sunt mortalia. Ita Caluinus l. 2. c. 8.

Minima peccata an mortalia?

„ §. 59. [Vtinam (*inquit*) reputarent quid sibi velit illud „ Christi dictum, qui transgressus fuerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, nullus habebitur in regno Cœlorũ. An ex eo numero non sunt, „ dum legis transgressionem ita extenuare audent, ac si „ digna morte non esset? Atqui oportuerat considerare, non simpliciter quid præcipiatur, sed quisnam sit „ ille qui præcipit, quia in qualicunque mandatæ ab eo „ Legis transgressiunculâ eius authoritati derogatur. „ An illis parum est Dei Maiestatem vllâ in re violari? „ Deinde si suam in Lege voluntatem exposuit Deus, „ quicquid Legi contrarium est, illi displicet.] Atque hæc hunc in modum Calu. hoc loco insinuat. Daniel Tossan. alii. Respondet Bellarmin. & Patrum auctoritate responsionem firmauerat. Non dicit, *qui soluerit*, sed; *qui soluerit & docuerit sic homines*, non excluditur qui otiosum verbum dixerit, sed qui negarit esse peccatum, ociosa loqui. Ita Hieronymus, & Augustinus de Sermone Domini in monte l. 1. Altera eorundem solutio, minima vocari, non quorum violatio minimi sit criminis, sed quæ seruata minimè perficiant, vt non adulterabis, & cætera de genere horum, perfectiora enim tradidit Dominus. Tertia D. Chrysostomi, minima vocari modestiæ causa à Christo, illa quæ ipse adiecit. Denique illa non irasci, non raca, non fatue dicere esse eiusdem mandati gradus. Hic sensus Bellarminianæ responsionis.

Dei maiestati quicquid displicet, magnum est malum.

Minima peccata negare esse peccata, magnum est peccatum.

„ Illi obiicit Pareus pag. 152. [Primo. Etsi præcipue „ falsis doctoribus, legis diuinæ deprauatoribus ibi minetur, eandem tamen pœnam deinceps ad quosuis „ legis transgressores extendit, non dicit: *nisi abundauerit doctrina vestra, sed iustitia vestra*, ergo non solis deprauatoribus, sed violatoribus exclusionem minatur. „ 2. Insulsum est, *minima vocari non occides*, & similia, „ nam etiam illud: *non concupisces*, huc pertinet. 3. Alia „ glossa est absurdior, quia Christus non addidit noua „ mandata, sed vetera vindicauit à corruptelis. *Minima „ vero mandata* vocat quadam mimesi, nam Mosaicam „ Legem suis δευτερώσεσι, postponebat. 4. De gradibus „ nodum astringit, non soluit: Totum enim mandatum violatores regno cœlorum excludit, ergo & omnes gradus. Totum enim mandatum prohibet genus homicidii, gradus mandati prohibent species homicidii, omne autem homicidium tam in genere, quam in specie excludit.] „ „ „

sit e argumento contineant, nihil est quod respondeamus. Duo errores eius huc pertinēt. Nam primus, cum dicit: *Ex mandatis veteris Legis, est etiam illud: Non concupisces. Ergo etiam qui soluit mandatum concupiscentiæ inordinatis motibus subitis, vel deliberatis, minimus erit in regno cœlorum:* Ille, inquam, iam supra refutatus est.

Alter error de legibus nouis à Christo non latis, à Vorstio, aliisq; refutatur & alterius disceptationis est.

Species homicidij nō sunt gradus.

Ad 4. Quis sit *gradus*, non intelligit. *Species* homicidii non sunt *gradus*, absit, gradus enim sunt quibus eo peruenitur, suggestio, motus primus, deliberatio, ira, indignatio verbo expressa, contumelia, nutans voluntatis in cædem acclinatio, plena consensio, occasionis cura, cædes. Itaque tota ratiocinatio quam imperitia fecit, d scussa est.

Verum in illa expositione vt solidissima persisto. Agi de illis qui ita mandatum minimum soluunt, vt soluendum esse doceant. Qui enim ociosum verbum dixerit: non ille ideo æternùm damnabitur, sed si quis ociosum verbum ita dixerit, vt peccatum esse neget: ille enim hæreticus est. Atque hoc est, quod Nazianz. dixit, *ὃ μικρὸν ἐν βίῳ τὸ πρὸς μικρόν.*

§. 3. Aliam solutionem ex Caluini commenta-
„ rio deducere haud difficulter possumus. [Porro mi-
„ nima legis mandata vocat ex sensu hominum: nam
Nullum peccatū paruū, quod ex Decanemptu formali committitur.
„ etsi non idem omnibus inest pondus, sed, dum inter
„ se conferuntur, alia aliis minora sunt: nihil tamen
„ minutum censere fas est, de quo præcipere dignatus
„ est cælestis Legislator. quantum enim sacrilegium
„ est quicquam contemptim accipere, quod ex sa-
„ cro eius ore prodierit? Nam hoc modo in ordi-
„ nem cogitur eius Maiestas: quare vbi minuta præ-
„ cepta vocat Christus, species est concessionis.]

Sine dubio sacrilegum est, contemptim accipere, quod ex sacro Dei ore prodierit. At vero non contemnimus ea mandata, quorum violatione minima peccata patrari dicimus; sed mortalia, & sempiternorum ignium rea negamus. Itaque si sensus est. Qui soluerit, id est, contemptim acceperit minima Dei mandata, minimus erit in regno cœlorum, non erit inter nos pugna. Si quis enim exigua se culpa astringi existimet, ocioſe loquendo, aut immoderate ridendo, in Dei æterni contemptum, iam mortale crimen est, non actionum ipsarum turpitudo, sed impietas, qua Numen spernitur. Imo adiaphora, si quis ad Dei contemptum referat, vt studia literarum, ambulationem, cantum, mortalis delicti reus est. Quod si igitur quispiam ista diuelle te conetur, non tamen inde confecerit, soluere minima mandata crimen esse, sed cum superbo & profano Dei contemptu soluere, id demum esse damnabile.

VERSVS 21.

Dico enim vobis, nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

Quæ sit iustitia Pharisæorum?

Iustitia Pharisæorum falsa.

§. 1. VEram iustitiam non fuisse Pharisæorum ostendit è regno cœlorum exclusio. Quis quis enim vere iustus est, in regnum cœlorum admittitur.

Itaque non indicat eiusdem generis esse iustitias Apostolorum, & Pharisæorum, gradu distinctas; sed omnino diuersas; Analogiâ quadam similes, vti sunt res veræ, & vmbraticæ. Atque ita accipiendum περισσεύσῃ; dicitur enim de eo quod redundat, & supereſt, Ecclesiast c. 3. τί ἐπερίσσευσεν ὁ ἄνθρωπος περὶ τοῦ κτήνους, quid amplius habet homo præ iumento? Περισσὸς est egregius, excellens. ὁ ὢν περὶ πάντων, qui præstat aliis, quod idem indicat Syrum תיתר Thithar, ab Hebræo יתר Iether.

§. 2. Considerat Pareus argumentationem, & concludit priore versu de doctrinâ & operibus agi disiunctim; nempe hanc partem eo pertinere, vt ostendat, si quis minimam legem violet, minimum esse vocandum in regno cœlorum. de violatione igitur agitur non de doctrinâ.

Iustitia Pharisæorum cœlo excluditur.

Verum res ipsa clamat aliud. Dixerat, eum qui vnum ex minimis violauerit, & sic docuerit, minimum vocandum in regno cœlorum. Hinc deducit Pharisæos non intraturos, quoniam soluerent minima, & sic homines docerent: ac consequenter nec ipsos Apostolos intraturos, nisi eorum iustitia esset præstantior iustitiâ Pharisæorum. Quæ iustitia erat operum externorum, non animi; deinde docebat quædam impia, vt non honorandos parentes, decimandam mentam & anetum, & relinquenda grauiora legis. Verum ex his etiam contra Pareum docent eius collegæ, de doctrina, non modo operibus Pharisæorum Christum loqui.

[Nempe Aretius comment. in cap. 5. Matth. v-
“ trumque coniungit. Censuram Christi iam audi:
“ duas habes iustitiæ species & duplicia mandata, di-
“ uersum & nouum, imo inauditum Christi iudicium
“ est. Magna magnis debentur, Phatisæorum iustitia
“ non habebit magnam compensationem, imo nullam
“ habet: ergo magna non est ista iustitia, & quia nullam
“ habet laudem, sed comminationem pœnarum, vera
“ non est, iacet ergo opinio magnæ iustitiæ, & eo cau-
“ Pharisæi
“ satur iudicium ipsorum de magnis mandatis, & par-
“ magna
“ uis, conuincuntur mali Doctores, ex malis opera-
“ mandata
“ toribus: mali vero operatores ex destitutione præ-
“ æstima-
“ mii. Quæ igitur parua docuerunt esse, illa reuera
“ bant
“ magna sunt, & quæ magna prædicarunt, illa reuera
“ parui-
“ parua sunt; Imo etiam pugnantia cum mente legis-
“ latoris.]
“

Imo ipse Caluinus iam ante Pareum confutarat. Verba eius huc in locū ita habent. [Perstringit Pha-
“ risæos, *inquit*, qui maculam Euangelii doctrinæ aspergere molebantur, quasi esset legis dissipatio. Hac de
“ re quidem non disputat, sed tantum breuiter osten-
“ dit, nihil minus in eorum animis regnare quam legis
“ zelum. ac si dixisset, mihi se infestos esse simulant,
“ quia nolint violari legem: atqui ex eorum vita ap-
“ Doctrinā
“ paret quam frigide legem colant: imo quam secure
“ magis
“ illudant Deo, dum se laruatā ac fictitia iustitia apud
“ quam
“ homines venditant. Sic plerique interpretes. Sed vi-
“ mores
“ de annon vitiosum docendi genus magis insimulet,
“ repre-
“ quo populum imbuerant Pharisæi & Scribæ. Nam
“ hendit-
“ cum legem Dei restringerent tantum ad externa of-
“ ficia, discipulos suos, quasi Simias, ad hypocrisin for-
“ mabant. Non inficior æque perperam, imo deterius
“ vixisse quam docebant. Ideo libenter fucosam fal-
“ sæ iustitiæ ostentationem cum peruersa doctrina
“ complector. Quod tamen præcipue in hanc inue-
“ hatur Christus, ex sequentibus facile patet, vbi le-
“ gem repurgans à prauis eorum commentis, suæ pu-
“ ritati restituit. in summa, quod illi à scribis inique ob-
“ iectum fuisse diximus, in ipsos valide retorquet. Vi-
“ dete, inquit, quam dextri sint ac idonei legis inter-
“ pretes: Iustitiam enim fabricant, quæ ianuam cœlo-
“ rum præcludat suis cultoribus.

§. 2. His ex verbis solide demonstrat Bellarminus “
l. 3. de iustit. c. 12. Neminem sine speciali reuelatio- “

Salus ex operibus dependet.

ne de prædestinatione certum esse. Nam cum dicitur; *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, ostendit pendere salutem à conditione operum. At concedunt aduersarii non esse vllam certitudinem, si pendeat salus à conditione operum: non igitur certa est. Non agit vero hic de sola iustitia imputatiua; Sed illâ quæ criminibus sit opposita, & vt ait Wolfg. Musculus, *quæ sit cuique propria.* Sine iustitia vero, & operibus bonis neminem induci in regnum cœlorum docet ex hisce verbis S. Augustinus, de fide & operibus c. 26. de ciuitate Dei l. 2. c. 9. contra Faustum l. 17. c. 5. Contra literas Petiliani l. 2. c. 61. Ex quo omnino certissime constat, opera ad salutem requiri, nec esse maiorem salutis, quam operum certitudinem.

Non potest esse certitudo salutis, vbi incerta est iustitia.

Huic argumento respondet Pareus varie lectione 282. anno 1614.

1. Calumniam Bellarmini esse, cum dicit, Caluinistas confidenter affirmare se de salute, & vita æterna esse certissimos. *Neque enim Confidenter affirmamus, nos esse certissimos (quo modo nos omni tentationum & dubitationum aleâ exemptos præsumeremus,) sed fidenter affirmamus, nos & quosuis fideles, ex fide promissionis gratiæ, diuinâ Spiritus Sancti virtute posse ac debere esse certissimos salutis æternæ, quantumuis hæc certitudo infirmitatibus carnis sæpe perturbata vacillet.*

Non confidenter, sed fidenter certus est Caluinianus.

Verum nescio, quomodo fidenter affirment, & non confidenter, nec enim hic aliam significationem inuenio: neque enim Bellarminus ait ita eos esse confidentes, vt non tententur. Bellarminus ex Caluino didicerat, præsertim l. 2. c. 2. §. 24. *Non debere nos dubitare, non posse alternare spem, & metum non esse fiduciam, quæ desperationi cedit.* Fatetur tamen *fidei interruptiones fieri.* Mihi hic quærere fas est. An tum cum dubitationi, timori, interruptioni fiduciæ certissimæ certitudo cedit, adhuc maneat certitudo in dubitante? Nam de desperante non loquor, cum satis superque dubitatione fiducia frangatur. Deinde docet Pareus ad Rom. pag. 691. b. 1009. B. & alibi, ἀπορίαν Papisticam *esse desperationis officinam, & barathrum inferni. Esse argumentum Antichristi.* pag. 744. a. & esse *vestibulum inferni, cum fide non posse consistere.* pag. 1073. Si igitur in Caluinistis non est vlla ἀπορία, hoc est, animi hæsitatio, quæ assensum continet, quo vacillat, & vt inquit Caluinus fides interrumpitur, summa est confidentia. Ista quidem eorum dicta non cohærent; verumtamen vere Bellarminus Caluinianos confidenter affirmare; se esse certissimos, cum non modo dubitationem, sed ἀπορίαν excludant, dicantque esse inferni barathrum?

Certitudo in dubitãte non est.

Dubitans Pareo est in barathro inferni.

§. 4. Negat tandem Pareus: Prædestinationem pendere à conditione operum, itemque salutem; quod prædestinatio non sit facta propter opera, & salus non detur propter opera.

Verum ad hunc locum nihil ille, nisi hoc: *Christus non suspendit regnum cœlorum à conditione operum sed Pharisæorum hypocriticam iustitiam damnat, discipulis meliorem in Euangelio reuelatam commendat.* Ita falsò ille. Nam præter hæc etiam ostendit salutem ab operib. pendere. *Nisi iustitia vestra*, inquit Christus, *superabundauerit, non intrabitis.* Non modo illis iustitiam commendat; sed ita commendat, vt dicat æternam vitam pendere à iustitia, quæ abundet plusquam Pharisæorum & scribarum. Nec hic quæritur; an pendeat, aut quomodo pendeat prædestinatio ab operibus. Sed an pendeat certitudo salutis, à certitudine operum? Hoc Bellarminus disputat: hoc Pareus dissimulat. Tantum asserit *ordinem viæ esse, opera ad coronam, non causam. Coronam non pendere à conditione operum, sed ea ante se præ requirere.* At vero hoc Bellarmino vel nimium est. Sic enim vrgebit. Corona ante se opera præ requirit, sed an opera præcedant, non est certum; ergo nec an secutura sit corona? Corona enim pendens ab incerto præ requisito, non est certa. Bona autem opera esse necessaria ad salutem non efficiendam, sed non impediendam concedit Pareus lectione 283.

Christus salutem aut pendere à iustitiâ.

Victoriâ

pendens non est certa corona.

§. 5. Tandem ad hunc Syllogismum Bellarmini, quem ipse Pareus format in hunc modum: *Qui non potest certo statuere se facturum omnia opera illa, quæ Christus fieri iubet, is sine reuelatione suâ certus esse non potest. At nemo potest illud. Igitur nec istud,* respondere conatur.

[Negat enim maiorem, tum quia non omnia illa « bona opera, quæ Christus fieri iubet, omnibus sunt « necessaria; alia siquidem sunt propria aliquorum, alia « communia, de quo suo loco, tum quia certitudo sa- « lutis & electionis non ab operibus, sed ab operum « causa, hoc est, à fide promissionum diuinarum pẽder. « Iam fides stabit quidem omnia præcepta facere; si ve- « ro in opere aliquo vel aliquibus deficiat, (in multis « quidem labimur omnes) veniam delictorum à Deo « promissam petit in Christo, certòque impetrat. Si igi- « tur fides incertitudine salutis ob defectum alicuius « vel aliquorũ operum nõ vacillat, vel salem potest, & « debet non vacillare. Atq; sic aduersarius ex data hypo- « thesi euidenter, non concludit quod ad certo minabatur. «

Salus pẽdet à fide.

At vero improbâ responsione argumentũ admirabiliter corroborat: Nõ enim dicit Bellarminus omnibus omnia facienda. Sed vis argumenti est, in his verbis Bellarmini. Cum nemo, ipsis etiam aduersariis testibus certo statuere possit, se facturum illa omnia bona opera, quæ Christus fieri iubet, non posse certum esse de salute. Hic fraudem euulgo: Pareus omisit illa verba ipsis etiam aduersariis testibus. Nam reuera argumentum aduersariorum est, quo probant ex operibus neminem de electione certum esse. Nemo enim scit, an omnia opera facturus sit, quæ Christus fieri iubet ab ipso de cuius certitudine agitur. Hac enim restrictione propositio intelligenda est. Stolidum enim erit; si dicam, nõ posse me certum esse ab operibus de salute, nisi statuere possim, me omnia facturum, quæ Christus fieri à me, aliisq; iubet: Quæ enim opera aliis, non mihi Deus imperat, ea ad meam mihi salutem non sunt necessaria, nec omissa eam impediunt. Atq; ille sensus est Caluiniani dogmatis, non posse nos de operibus esse certos, quæ nobis imperata sunt.

Quod à fide dependet, ab opere dependet.

§. 6. Cum vero ipsum conscientia coargueret effugium hoc nullius esse momenti, aliam responsionem adiungit, multo nequiorem. Hoc quidem loco, secum, & cum veritate depugnat. Secum quidem: Quia si à fide dependet certitudo, ergo à fide actuali, non habituali, iuxta Pareum. Si à fide actuali, ergo ab opere. Fides enim est opus, vt spes, vt caritas actualis. Est etiam illa opus à Deo præceptum. Itaque redit eadem difficultate argumentum. Qui non potest certo statuere se fidem promissionum semper retenturum, qua semper bonis operibus studeat, & omnia præcepta facere studeat, si vero labatur, se veniam delictorum à Deo petiturum in Christo, & impetraturum, nec ob operum aliquorum, vel alicuius defectum fide vacillaturam, is non potest certo statuere, se esse ex electorum numero. At nemo potest illud: ergo. Maior est aduersariorum. Nam certitudo salutis & prædestinationis pendet à fide, deinde à fide, quæ est operum causa, à fide qua veniam petimus. Hæc enim omnia complectitur aduersarius. Minor vero euidens est. Si enim certitudo pẽdet à fide operum causa præceptorumq; faciendorum studiosa, in delictis veniam petente: ergo non potest esse certus, nisi certus sit se habere fidem hæc omnia nunc operantem, & semper operaturam. Ergo non potest esse certus de salute, nisi pariter certus sit, de operibus. Altera igitur manu dat, quod altera negat.

De fide manet eadem incertitudo.

Cum

Cum veritate etiam pugnat. Aitenim: Certitudo salutis pendet à fide promissionum diuinarum. Ita vero? Quæ sunt illæ promissiones? Æstimo, quibus salutem credentibus Deus pollicetur. Quid illa fides? Aiunt illi. Certam fiduciam vitæ æternæ. Illa igitur certitudo, qua se quispiam electum esse statuit, est fides promissionum. Fides ergo promissionum pendet à fide promissionum. Vnde admirabiliter eadem res pendet à semetipsa. Et Caluinianus de electione certus est, quia certus est. At profecto aliud Christus indicauit, dum comminatur exitium æternum, nisi eorum iustitia sit abundantior, quam scribarum & Pharisæorum.

Fides Patris pendet à fide Patris.

Atque hoc argumentum ex Piscatore Caluiniano confirmatur. [Loquitur, *inquit*, hic Dominus proprie de iustitia inhærente, quæ consistit in bonis operibus: vt patet tum ex collatione, cum iustitia Pharisæorum, tum ex sequente declaratione præceptorum Decalogi. Quare non putandum, hic haberi sermonem de iustitia imputata, qua consistimus in iudicio Dei.

Non agitur de imputata.

Et deinde in obseruatione; [Etsi nemo per iustitiam inhærentem siue per bona opera meteri potest vitam æternam: tamen illam nemo consequetur, nisi qui vero illius iustitiæ, & quidem veræ, studio fuerit prædituς. Vera autem iustitia inhærens est, quæ conformis est Legi Dei recte intellectæ, ac proinde quæ non est contenta operibus externis, sed studet puritati internæ, vt scilicet cor purum sit à prauis concupiscentiis, & contrà imbutum sincera dilectione Dei & proximi: sicut colligitur ex declaratione præceptorum decalogi, quam hoc loco Christus tradit.

Studium virtutis futurum est incertum.

Vbi omnia effugia excludit, cum ait: Neminem cõsecuturum vitam æternam, nisi veræ iustitiæ studio fuerit præditus. Ex quo consequitur, non posse esse in quopiam certitudinem electionis, nisi in quo certitudo illius studii fuerit, sed cum inter multos, & horribiles lapsus, hoc studium elanguerit, cum omnia futura in incerto sint; non potest quisquam sine reuelatione Dei constituere, se habere semperque habiturum studium seruandorum Dei mandatorum. Quod in adultero Caluiniano, & latrone dum cupiditate inflammatus agitur, intelligi non potest, nedum esse.

Claudam insigni sententia D. Augustini, qui iustitiam Pharisæorum à nostra magno interuallo dispescit. lib. de fide & operibus c. 26. *Qui enim dixit: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum: ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. De illis quippe ait: Scribæ & Pharisæi super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.*

Pharisæorum iustitia, dicere, non facere.

Dicunt enim, & non faciunt. Ergo iustitia eorum est dicere & non facere: ac per hoc nostram esse voluit abundantem super illorum, dicere & facere:

Quin & in eundem sensum Bullingerus, nondum omnes nequitiæ sinus arteſq; edoctus. [Simul autem per fidem datur nobis Spiritus Christi quo regeneramur. Regenerati vero operantur opera filiorum Dei, ambulantes in caritate, quæ legis est perfectio: non iã foris & externe simulantes religionem, nam quæ faciunt, ex animo faciunt, & sciunt Deum ipsum cor, spiritum, & intima hominis requirere. Ergo ex animo Deo seruiunt. Et talis quidẽ est iustitia Christianorũ.]

Christianorum iustitia ex animo fiunt.

Quid vero alia quærimus, ipse nostræ interpretationis litem diuidat Augustinus l. de Baptismo cap. 21. contra Donatistas. *Sicut autẽ bono catechumeno baptismus deest ad capessendum regnum cœlorum sic male baptizato vera conuersio. Qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum: ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Nam q, ne secura esset iustitia Catechumeni, dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Rursus ne percepto baptismo secura esset iniquitas baptizatorum, dictum est, Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, nõ intrabitis in regnum cœlorum. Alterum sine altero parum est, vtrumq, perficit illius possessionis haredem.* Sine iustitia ergo nõ est salus, multo minus certitudo salutis.

VERSVS 22. 23.

Audistis, quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis; quia qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

QVÆSTIO I.

Quanam ira hoc loco prohibeatur?

Irascitur temere.

§. 1. IN Græcis plerisque est: qui irascitur temere εἰκῆ, sine causa. quod etiam Syrus interpretatus est; nempe חִנָּם *Ikæ*, apud Chrysostomum legitur, & Augustinum in Serm. de hisce verbis. Hieronymus tamen negat in melioribus libris haberi. Atque ita S. Augustinus l. 1. retract. c. 19. *Illud etiam melius intelleximus postea, quod scriptum est, Qui irascitur fratri suo. Codices enim Græci non habent sine causa, sicut hic positum est: quamuis idem ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo, quoniam non fratri irascitur qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.*

Negat ergo in Græcorum libris haberi, vti & Hieronymus. De sensu tamen conueniunt. Itaq; probandi non sunt nouatores, qui suis libris allinunt. vt Chytræus, Beza, Pistorius alii. Neque enim vetustiora, neq; meliora exemplas habuerunt, quam Hieronymus, & Augustinus. Facile autem ex glossa marginali in textum irrepere potuit.

Non omnis ira tollitur.

§. 2. Non tollitur omnis ira, sed vt ait D. Chrysostomus, intempestiua. Neque enim ira, aut aliæ passiones, vt stoici docuerunt, malæ sunt. Est vt odium, ita & ira quædam perfecta, Psal. 138. *Perfecto odio oderam eos.* Deo ira sæpe tribuitur, & Christus circumspexit iratus. Itaque ira illa qua Dei zelo, & iustitiæ causa irascimur, quaq; vitia nõ homines odimus, nõ prohibetur. Sed cupiditas iniqua vindictæ, alienatioq; à persona: *Ira venia.*

§. 3. Duplex autem ira potest hoc loco intelligi, *le peccatũ* Venialis & mortalis. Multi mortalem interpretantur. *& aliquãdo mortale* Multi Venialem, idque auctore S. Chrysostomo. Hanc interpretationem Bellarminus sequitur l. 1. de amissione gratiæ & statu peccati. *Quod attinet ad primũ. Triplex in Matthæi quinto. sic legimus: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui dixerit raca, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Hoc loco non respicit Dominus prædestinationem, neq, discutit, quid possit, aut velit diuina misericordia; Sed res ipsas diiudicat, & peccatorum mensuram. Facit autem tres gradus iracundiæ, vnum eius, quæ ita leuis est, vt in vocem nullam erumpat: Alterum eius, quæ paulo grauior est, non tamen peruenit vsq, ad apertum conuitium: Tertium eius, quæ grauissima est, & manifestum conuitium parit. Quamuis enim possit interdum iracundia interior esse grauissima, & tamen dissimulari exterius: nihilominus ordinarie, quo est maior, eo se magis prodit, & ideo Dominus leuissimam iracundiam vocat eam, quæ non manifestatur vllo signo exteriore.*

Huic interpretationi se Pareus opposuit sect. 28. Concedit veniale non dici respectu prædestinationis, sed relatione ad misericordiam Dei. ad Bellarmini verba sic respondet:

[Nec relatione ad misericordiam Dei? Hoc blasphemum est, quia tollit misericordiam Dei, absq; qua

Peccatū veniale vnde esse negent.

„ ne cœli quidem, vel Angeli satis mundi: nedum hominis peccatum veniale. Misericordia Domini quod „ non consumti sumus: exclamat Propheta: Extra mi„ sericordias igitur, quid nisi consumtio, peccatum cō„ sumens? *Pergit*: nec relatione ad statum renatorum: „ Et hoc falsum: extra regenerationem enim nulla fi„ des. Sine fide quicquid fit, peccatum est, mortale est. „ Nihil igitur veniale extra statum renatorum. sine fide „ impossibile placere Deo. Ergo sine fide impossibile „ est, peccatum veniam consequi. Probationem polli„ cetur Primum ex Scripturis. Tum ex definitionibus „ Ecclesiasticis. Deinde ex doctrina Patrum. Postremo „ ex ratione:

„ Enthymema igitur Parei hoc modo conficitur. *Si peccata essent venialia sine relatione ad misericordiam Dei, Deus non esset misericors.* Secundo. *Sine misericordia Dei nec cæli, nec Angeli satis mundi sunt, ergo nullum peccatum hominum est sine relatione ad misericordiam Dei veniale.*

Veniale peccatum est sine respectu misericordiæ.

Responsione opus non est alia, quam negatione consequentiæ; nam sequentibus satis probat Bellarminus natura sua esse venialia. Deinde quomodo Dei misericordia tolleretur, si quędam natura sua absq; ea essent venialia? An non manet diuinæ misericordiæ ingens ignoscendi materies, cumulus maximus, quæ indies committuntur mortalium? Tertio, Non agnoscis misericordiam præseruantem à Mortalibus & venialibus? Quarto, An non ipsis venialibus natura sua elucet misericordia condonantis, etsi enim natura sua venialia sunt, vt pœnam æternam non mereantur, sine misericordia tamen nō remittuntur, cœlestis enim pater non modo cùm enormium delictorum æterna supplicia condonat, verum etiam cum minusculis filiorum erratis clementer indulget, misericors est.

At absq; misericordia Dei, nec cœli, nec Angeli mundi sunt.

An hinc sequitur nullum hominum peccatum esse naturâ veniale? Quid cælorum & Angelorum maculæ, ad hominum peccata vel venialia, vel Mortalia?

Angeli quomodo non mundi coram Deo?

An hoc vis dicere, cęlorum & angelorum omnia peccata sunt mortalia. (nam cęlorum nulla sunt peccata) an ideo non possunt hominum esse aliqua venialia? Sed non loquitur de peccatis dæmonum Scriptura, sed Angelos negat esse mundos in cōspectu eius, Angelos, in quam Sanctos. An ergo Angeli peccata habēt mortalia, ne miseris hominibus vllum sit veniale? An dicemus beatorum Angelorum peccata secundum iustitiam mortalia; Secundum misericordiam venialia? Alia in his connexio fingi non potest. Quæ igitur mens Scripturæ est? Nullam vel cœlorum, vel Angelorum esse mundiciem, si ad immensam puritatem cōferatur, multo minus humanæ naturæ, etiam in primæuæ iustitiæ innocentia degentis, nec tamen cæli, Angeli, primi parentes, egebant misericordia peccata non imputante. Itaque illa dicuntur non munda, vt dicuntur non esse. Ad id enim collata, quod est ens per essentiam, ens infinitæ perfectionis, sunt omnia, quasi non sint: & omnia, mundissima, quasi non munda, nec tamen ideo naturarum istarum immunditia, vel culpa arguitur, sed immensum, quo à munditie creatrice distant, interuallum ostenditur.

Omnia nihil Deo cōparata.

Extra regenerationem nulla fides, at sine fide impossibile est placere Deo; rectè sanè; Quid tum? Ergo sine regeneratione non condonantur peccata. Esto. Ergo nulla sunt natura venialia. Negatur consequentia. Natura venialia, nec tamen natura, sed Dei misericordia, & pœnitentia regeniti remittuntur. Expendamus illud: sine fide est impossibile placere Deo. An sine actuali, an habituali? Sine fide actuali impossibile est placere, ergo semper opus actuali fide, displicebis, quocunq; momento deieris actualiter fiduciari. An sine habituali? Ergo ex antithesi habitualis fides sufficit, vt placeas Deo, ergo est fides iustificans.

Deinde quicquid sine fide est, peccatum est. An sine actuali? vt si quis egeno largitione pecuniæ subueniat, nec actualem fidentiam habeat, peccet mortaliter? At hoc absurdum est. Si quicquid sine fide habituali peccatum est, ergo quod cum ea fit, si ex se opus bonum sit, non est peccatum? Ergo fides habitualis imputatur ad iustitiam. Nullo ergo effugio euadere possunt, vt illæ ipsæ Scripturæ, & tabulæ, quas in subsidium proferunt, non sint sui sauctoribus aduersæ.

§. 4. Argumentum Bellarmini in hunc modum concludit. *Manifestum conuitium facit reum gehennæ ignis, Dum conuicio per hoc peccatum mortale. Iracundia sono vocis expressa, sed fulitur ad malum conuitii non pertingens, facit reum Concilij, id est, peccatum non constat, an mereatur gehennam. Quorsum enim cogeretur sit dignum Concilium ad discernendum, num aliqua culpa, gehennâ ignis gehenna, puniendæ essent, nisi quædam peccata leuiora essent. quam vt talem pœnam mereantur? Rursus iracundia, quæ nullo signo externo foras erumpit, non facit reum Concilio, sed iudicio, hoc esse ostenditur. est, non constat an mereatur aliquam pœnam. an nullam. Leuiores autem illæ pœnæ cum non sint gehenna ignis, consequitur temporarias esse.*

Cauillantur aduersarii, & Pareus imprimis. Depraua versione vti Bellarminum. Verum iam ante ostendi Græca olim ita habuisse; Deinde Caluinus in commentario nostra versione vsus est: atque adeo etiam Lutherus omisit εἰκῇ. Quod vero ait barbarum esse, *reus iudicio*, Legat Valentinum Gentilem, de latinitate veteris versionis, tam facile interpretem nostrum more Græco loquentem, ἔνοχος τῇ κρίσει ex-cusabit, quam suam inertiam accusabit.

Vetus vocabo defensa.

Pergit ille. 3. *Anima quæ peccauerit morietur. Ezech.* 18. 4. *Omne ergo mortale.*

4. *Matth.* 5. *v.* 25. *Homicida reus est iudicij, id est, mortalis delicti: ergo iudicium indicat grauem pœnam.*

5. *Ob omne iracundiæ genus reconciliationem ab aduersario quærere iubemur, secus æterno carcere multandi, ergo omnes illi gradus mortales.*

Ad quæ respondeo. ad 3. Ezechiel de grauibus peccatis agit, quæ v. 6. 7. 8. & seq. enumerat. Sensus ergo *Anima* qua mo- *cat*
anima quæ morte dignum crimē admiserit morietur. *taliter pe-*

Ad 4. Non eodem modo accipi iudicium in Scri- *cat, mori-*
ptura constat, aliquando mortis pœnam, aliquando *tur.*
iuridicialem disceptationē, cuius finis tam absolutio, quam damnatio rei. v. 22. ita accipiendum docent cætera duo membra, diuersissimas pœnas habentia.

Ad 5. Non omne genus iracundiæ reconciliationem cū aduersario requirit. Verba v. 25. sunt: *Esto cōsentiens aduersario tuo, εὐνοῶν, vel συνεὼν*; vt noster legisse videtur, & probat Beza, qui interpretatur; *redi in gratiā, & fac vt sis amicus. Nec monet* (inquit) *tantū, vt animo bene velimus aduersario, sed vt cū eo trāsigamus: quod fiet si cū ipso colloquti reconciliemur.* Ex quo loco sic aduersariū cōuinco.

Versu 25. aduersarius comprehendi vult omne genus iracundiæ, & ideo dignū esse carcere, h. e. damnatione æterna. At Christus quoddam iracundiæ genus excludit, ergo illud non pertinet necessario ad carcerem æternum. Assumptum probatur. Tantum intelligitur illud iracundiæ genus, quod requirit amicitiæ *Non omne* per collocutionem, & transactionem, cum aduersa- *iracundio* rio redintegrationem. At non omne genus iracundiæ *ciliationē* talem reconciliationem exigit. Quis enim si subita ef- *cum tran-* feruescentia exarserit, si minima iræ cogitatione pul- *actione.* satus fuerit, si leuissimo verbulo quasi offenderit, ad *exigit.* transactionem sub æternæ damnationis pœna renetur? Non omnis igitur huc pertinet iracundia. Superest de רשע ראה ראקא Raschagh, ragha, reka dicere, sed monitus à suis errorem Beza correxit, correctum exemplar defuit Bellarmino; priore enim vsus est, & quod inuenit vitii, non tacuit.

§. 5. Etiam

§. 5. Etiam singula carpit. *Reum esse Consilij, græce συνεδρίου Synedrij, seu consessus diuini non potest esse pœnam ambiguam mereri. Quid enim absurdius, quam Deo iudici ambiguum esse, quod peccatum, quam pœnam mereatur?*

Deus nihil ambiguè, nisi cum more humano loquitur.

Respondeo. Ambigua profecto non est calumnia aduersarii, quamuis absurda. Non dixit Bellarminus. *Ambiguam pœnam mereri*, non dixit Deo iudici ambiguum esse. Et tamen hoc si diceret, culpari non posset. Cum toties Scriptura ἀνθρωποπαθῶς Deum quærentem, disputantem, consultantem inducat. Non quod omniscia natura, cui rerum ordinatissima series ad motum vsque pulusculi præsens est, dubia hæsitatione de iure, vel euentu deliberet, sed vt nostra nos peccata æstimare & discernere valeamus. Attentos ergo nos esse illa ciuilium iudiciorum à Christo proposita imitatio monet. Conuitium docet esse mortale: Si verbo leuiore insonuit iracundia, iam omnino quidem peccatum est, sed non continuo mortale, quale vero, Concilium æternæ sapientiæ discutit. Si tacita fuit ira, iudicium Dei vel leuem vel grauem, vel etiam nullam esse culpam decernit. Hoc ergo iudicio stat, caditque reus. Si rationem occupans motus, nullum crimen erit, alias magis minusue pro deliberationis maturitate, & vindictæ, quæ appetitur, grauitate.

Distinctio peccatorum.

Aduersarius idem sentit, & dicit, sed furore cæcus, qui omnia Bellarminiana carpere obstinauit, dictæ à se aliquando veritatis eum pœnitet. Pag. 94. *Esse varios gehennæ cruciatus, de quibus frustra Concilium non habetur. Humanitus loquitur Dominus de Dei iudicio.* Cur non retorqueat Bellarminus: *Quid absurdius quam Deo iudici ambiguum esse quod peccatum mortale, quos gehennæ cruciatus mereatur.* Quod responderet Bellarmino, sibi responsum putet.

Constat ergo iudicio Dei, sed diuinitus loquendo, non constat humanitus loquendo. Constat Deo, sed quasi non constet, loquitur, vt cõstet & nobis. Quorsum tandem hæc? Vt sic verba Domini ex glossa Caluiniana explicemus. Reus erit iudicii, id est, gehennæ, reus erit Concilii, id est, gehennæ, reus erit gehennæ ignis, id est, gehennæ grauissimæ. Quasi vero cum graui pĕccato attribuit gehennam, in leuioribus, aliam pœnam nominando, non eam negauerit, quæ soli grauiori decernitur. Cur enim non vno verbo, omnia minima parua, mediocria, magna, maxima, inferis delegauit?

Sunt diuersæ gehennæ ignis: quia conuitium illo igne punitur, & sine dubio homicidium, quod est grauius conuitio. Non tamen de ira simplice id Dominus asserit. Si enim nullum est peccatum non dignum gehenna ignis, cur eam soli dicenti; fatue, delegauit? De Raca, & Gehenna, quia alius locus est proprius, agere nunc superuacuum est. De Concilio, Synedrio, vide Maldonatum nostrum, & Baronium.

QVÆSTIO II.

An illo præcepto, Non occides gladii vsus magistratui inhibeatur?

Caluinus inuidè, non magistratuum exactiones petantur.

§. 1. ITa quidem Anabaptistæ, sed eos omnis antiquitas orthodoxa, & hæresco nouitas simul condemnauit. Occidere enim propria auctoritate nemo potest. Magistratus à Deo gladium accepit. Et legislator, qui dixit: *non occides*, etiam dixit: *Maledicos non sines viuere*; ille adulteros lapidari, homicidæ sanguinem fundi imperauit.

VERSVS 24.25.26.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.

QVÆSTIO I.

Quænam sit reconciliationis obligatio?

Ignorantis non est opus se excusare.

§. 1. OPtime sensum expressit Syrus; si recordatus fueris, fratrem habere contra te inimicitiam aliquam. Hæc igitur reconciliatio non est necessario quærenda, cum frater iniuria se affectum nescit, posset enim exasperari. Deinde non hic agitur de condonanda iniuria, sed de satisfaciendo offensis: quamuis eadem sit lex condonandi iniuriam sibi illatam, & satisfaciendi læsis.

Difficilis reconciliatio.

Lex igitur est posita vniuersis. Iniuriæ veniam petere. *Meæ est potestatis*, inquit Hier. l. 2. contra Pelag. c. 4. *vt non habeam aliquid contra fratrem meum, vt autem ille aduersus me habeat, aut non habeat, in illius voluntate consistit. Quid ergo faciam si ille reconciliari noluerit? obsecrem? flectam genua? sed audire contemnet. An obtorto collo nolentem in ius amicitia traham? Ecquæ est maior iniquitia, quam amicitias necessitate sociare? neque enim dixit: roga eum vt tibi concilietur: Sed reconciliare primum fratri tuo; & sic offeres munus tuum ad altare, non quod impossibilia Deus præceperit: Sed in tantum patientiæ culmen ascendit, vt prope impossibilia pro difficultate nimia præcepisse videatur, ad destruendam sententiam tuam, qua scribis facilia esse Dei mandata.* Hoc vero omnibus sacrificiis & holocaustis est præstantius. Ideo sacrificium ad tempus est omittendum, vt caritas sanciatur.

Obligatio reconciliationis est naturalis.

§. 2. Lex illa naturalis est; Nam si rerum, famæ, corporis detrimentum intulit, compensare tenetur. Si conuitium dixit, retractare, veniam petere: quæ quidem res vt necessaria est, ita humanæ arrogantiæ ardua, quæ odisse, quos læsit, constanter assolet; Nam inimicos æstimat, ideoque vltores, quocirca non esse expetit.

Iniuriâ scholastici accusantur.

§. 3. Nec modo qui iniuriam attulit, reconciliationem petere; sed etiam qui passus est, ignoscere petenti tenetur. Ita non modò sancti patres, sed etiam Scholastici doctores constanter asseuerant, vt appareat grauissimam esse calumniam, qua nos accusant, quasi externis operibus intenti, animorum sanitatem negligamus.

Hæc vero sunt nostrorum decreta.

Inimici diligendi.

1. Inimicos, qui nos odio prosequuntur, tenemur ex caritate diligere. Ita D. Thom. 2 2. q. 25. art. 8. & 9. Ex Aug. l. 1. de doctr. Christ. c. 22. Vide omnes in D. Th. interpretes. Proximorum enim nomine comprehenduntur.

Inimicis benefaciendum.

2. Inimicis proinde beneficia, & amorem re ipsa exhibendum.

Inimicus non semper salutandus.

3. Si inimicus occurrat, non tenetur quem ille odit, alloqui aut salutare: Nam hoc tale signum est caritatis, quod omnibus proximis non solet exhiberi: nec ergo tenetur inimico.

Inimicus sæpe salutandus.

4. Multæ tamen occurrunt circumstantiæ, quibus illa caritatis non fictæ indicia sunt demonstrãda.

Vt si id inimici dignitas, Dei gloria, proximi instructio exigit. Nam reuera, si amicum ante alloquio excipiebas, si salutationem anteuertebas, nunc postquam inimicus factus est, nihil horum facis, te ipse vlciscéris. Genus enim vindictæ est, oculis auersari, alloquio non dignari.

Imo grauis est, sed vera sententia Sylueſtri, verbo, *Caritas*. Mortale crimen esse, si inimicus cum aliis, qui amici sunt occurrat, illo prætérito, cæteros salutare. Nam & scandalum est, & causa inimicitiæ roborandæ noua exoritur, & vindicta grauis sumitur.

Mortale aliquando, non salutare inimicum.

5. Si Reipublicæ beneficia conferantur, cuius membrum est inimicus, non debet ille excludi. Tum quia offendit hoc alios, tum quia ius habet bonorum communium; atque adeo excludere eum est vlcisci.

Excludi communibus beneficijs non debet.

6. Pari constantia docent inimici pœnitentis, factumque nolentis & deprecantis satisfactionem accipiendam esse.

Pœnitenti ignoscendum.

Nam reuera mandatum est naturale serio & sincere veniam postulanti ignoscere. cum enim voluntas hominum mutabilis sit, cum indies peccet, & eum peccati pœniteat, non posset societas humana conseruari, nisi lædentibus mutuo læsi ignoscant. Ita Sylueſt. verbo caritas. *Bannes* in q. 26. Valentia. cæteri. Hinc pulcherrimus est Fabiani canon. d. 90. *Vt si quis ob iniuriam illatam contristatus oblatam satisfactionem noluerit admittere, grauissimis ad id pœnis adigatur.*

§. 4. Potest tamen etiam, qui ignouit, ius suum persequi, non vindictæ, sed iustitiæ studio, vt si quis infamauit proximum, delicto ignoscere, famam reposcere oportet. Famam enim qui negligit, crudelis est. Quin ille qui infamauit, etiam non reposcenti, non concio restituere tenetur.

Ignoscens ius suum persequi potest.

Quod si omni modo satisfactionem offerat læso, ille qui fecit iniuriam, actionem iniuriarum intendere non potest iniuria affectus: quia quicquid imperio iudicis facturus est, id sponte faciet, maiore pœnitudine, & caritate. Hoc autem caritas exigit, ne sine causa litem intendas. Improbi enim hominis est, debitum per lites recipere, quam vltro oblatum malle.

Lis satisfacienti non est intendenda.

Id solum video controuerti inter aliquos, an læsus post satisfactionem à lædente acceptam à iudice petere valeat, vt qui læsit, puniatur. Eorum qui id licere arbitrantur, ratio est. Qui læsit iniuste non personam modo, sed Rempublicam etiam læsit. Caius enim dum Titium vulnerat, non modo Titio obnoxius est, verum etiam Magistratui, & Reipublicæ, cuius leges violauit, scandalum ciuibus obtulit: Cum vero iure merito possit à magistratu puniri, imo ob pacem & concordiam publicam, eum Magistratus punire teneatur; non videtur delinquere, Titius, si id quod iustum, & Reipublicæ est vtile procuret. Quod etiam alteri cuilibet concessum est. Alioqui improborum malitia licentiose optimum quemque premeret, veniæ secura, & certa impunitatis.

Pœnam pœnitentis an petere à magistratu liceat.

Alii fieri posse negant; nam omnino satisfactum est Titio, reconciliatio enim plena est: amare igitur Caium, ei consulere, non accusare debet. Nec Respublica aliter, quam in Titio læsa est, cui cum satisfactum sit, etiam Reipublicæ satisfactum censeri debet. Denique id videtur pœnitentiæ deberi, vt qui arbitrio læsi sese subiecit, ne ab alio magistratu multetur.

Mihi videtur aliquando eiusmodi accusatio concedi posse, vt Metaphysice & speculatiue, non sit cõtra caritatem, communiter vero periculosam esse iudico.

Accusatio pœnitentis periculosa.

Fundamentum est notum, & consensu omnium firmum. Priuatorum iniurias ad Rempublicam pertinere. Eas posse à Republica puniri, quamuis priuati omnia remiserint, accepta satisfactione.

Etsi enim in Titio solo læsa est, vere tamen ad leges, ipsamque societatem iniuria pertinet, cui per exempla pœnarum eundum est obuiam.

Hinc cum suo iure sancte, pieque respublica vtatur, non video, cur non id petere possit Titius, si modo sincero animo agat, nullo odio, aut alienatione, seu cupiditate vindictæ, si nullum scandalum in Cato, aliisque consequatur, si pure iustitiam, tranquillitatem, Reip. emendationem Cai, ob oculos ponat, quæ cum non nisi in perfectissimos conueniant, ordinarie periculosa, illa censetur accusatio, & argumentum esse solet, non bona fide in gratiam rediisse. Priuatis enim affectibus publicum bonum obtendi solet.

§. 5. Hæc omnia non modo calumnias hæreticorum abolent; verumetiam impiam de certitudine & operibus hæresin eliduntur. Si enim Deus hominis iniuriosi sacrificium ne ad aram quidem admittat, nisi eo ad altare relicto, eat, & reconcilietur fratri suo, certe pendet à reconciliatione sacrificii acceptatio, ergo & salus eius, qui sese reconciliat; Sacrificium enim iniurioſi ob odium personæ repudiatur, nec nisi persona grata reddatur, admittitur. At illa sine reconciliatione cum fratre, non potest Deo reconciliari, ergo nec ad regnum admitti, quomodo enim in adoptionem, & hæreditatem acciperetur, cuius munus ab altari repellitur?

Certitudo hinc colligitur.

Quis enim dubitet in cœlum admitti volentem, oportere reconciliari fratri suo?

Hinc eodem modo de incertitudine salutis constat. Nemini enim de fide constat, nisi peculiari reuelatione, se nulli iniuriam facturum, aut statim se reconciliaturum, nec sine ea tamen conditione adiri potest regnum cœlorum. Quomodo igitur sola fide salus acquiritur, si à sacrificio repellitur, qui iniuriæ non satisfecit?

Commendat igitur caritatem, & necessitatem reconciliationis imponit, vt monet D. Chrys. *Duo sunt, vt certe ego arbitror, quæ per ista & designat & conficit. Vnum quidem, quod vtique iam dixi, ostendere scilicet volens quod honoret maxime charitatem, & hanc acceptissimum esse sacrificium ducat: absque ista vero nec illud profectò suscipiat. Aliud vero, quo irrefutabilem quandam necessitatem reconciliationis imponat. Qui enim iussus est non prius munus offerre quam reconcilietur offenso: etiamsi non ob proximi charitatem, saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum iubet, inimicitiasque dissoluere. Propterea & differte cuncta memorauit, terrens illum videlicet ac suscitans. Cum enim dicitur, relinque munus tuum: non ibi restitit: Sed intulit, ante altare, rursus ab ipso etiam loco horrorem injiciens: & Vade: nec tantum dixit Vade: sed adiunxit: prius: & tunc veniens offer munus tuum: per omnia ista significans, quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant hi qui sacris certe mysteriis initiati, cum inimicitijs ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi qui nondum initiati sunt. Nam ad ipsos quoque habet aliquid sermo iste commune. Offerunt namque & ipsi munus & hostiam, orationem dico & eleemosynam.* Quod si nec ad altare, nec Eucharistiam sumendam accedendum est, nisi reconciliatione facta, penderque fructuosa sacramenti sumptio, ex reconciliatione, multo magis æterna Dei fruitio, charitasque fratris charitatem, pacemque requirit.

Necessitas reconciliationis imponitur.

§. 5. De animo vero illa reconciliatio est accipienda, si accedi fratrem iusta causa prohibet, vt August. l. 1. Serm. Domini in monte cap. 10. *Iubemur ergo illaturi munus ad altare, si recordati fuerimus aliquid adversum nos fratrem nostrum habere, ibi munus nostrum relinquere, & prius ire reconciliari fratri, & tunc venientes munus offerre.* Non enim ait, si ipse habet, sed si frater tuus habet aliquid adversum te, quia nimirum ille offendit, qui offensus est.

Animus reconciliandi.

uersum nos habere fratrẽ, munus ante altare reliquere, & pergere ac reconciliari fratri, deinde venire & munus offerre. Quod si accipiatur ad literam, fortassis aliquis credat ita fieri oportere, si præsens frater sit. Non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare iubearis. Si ergo de absente, & quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquẽdum, quod post terras & maria perrerrata offeras Deo. Et ideo prorsus intrò ad spiritualia refugere cogimur, vt hoc quod dictum est sine absurditate possit intelligi.

VERSVS 26. 27.

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in viâ cum eo; ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.

QVÆSTIO I.

Quis aduersarius sit?

§. 1. Hieronymus, deinde Maldonatus, & Bellarminus varias interpretationes referũt. Orig. hom. 35. in Luc. Itemque Ambr. Euthym. & Theophyl. in 12. Luc. Hier. Ep. 8. diabolum esse interpretantur, quod miror sensisse Græcos cum sit εὐνοῶν benenolus. nunquam autem cum dæmone amicitia ineunda sit. Veruntamen interpretatio fuit, etiam apud Tert. l. de anima. Eodem modo refelluntur, qui carnem, vt Athanas. q. 62. & Iuuencus, aut peccatum intelligunt.

Aduersarium est demon, quia opus est illi esse εὐνοοῦντες, benenolos.

Alij aduersarium esse Dei legem, cui consentire necesse sit. Ita Aug. hom. 1. de verbis Dom. in monte, hom. 3. in libro 50. homil. Eam quoque habent Hier. Bonauent. Bern. serm. 85. in Cantica.

Mihi verissima videtur, quæ est Amb. l. 7. in Lucam & Hilarij can. 4. Aduersarium esse, quem læsimus, qui nobis litem intendit, quo cum pacem inire iubemur, dum in via huius vitæ ambulantes ad iudicem tendimus. Paulo aliter auctor reg. breuiorum interrog. 222. *Quis est aduersarius vniuscuiusque nostrum quomodone cũ eo consentientes erimus. Responsio. Præcise hoc in loco Dominus aduersarium illum appellat, qui aliquid nobis conatur adimere eorum, quæ ad ius nostrum pertinent. Porro illi consentientes sumus, si præceptum Domini illud seruamus. Qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & in omni huiusmodi re ad eundem modum.*

Aduersarius est, qui litem intendit.

Qui bonum Angelum interpretantur non longe ab hac sententia abeunt; ille enim eum quem commissum habet, ab iniuria vendicat. Causa cur hanc veram putem est contextus & verba. Contextus, quia quemadmodum eum qui deteriorem causam habet, præstat paciſci, & componere litem, ante iud cis sententiam, ita quoque qui fratrem læsit, eumque accusatorem sibi apposuit, siue vere vindictam poscat, siue factum ipsum, & iniuria clamet vltionem, dum viuit, satisfacere debet, siue grandis sit, siue parua iniuria, imo omnino abunde & largiter satisfacere; ne ad extremum quadrantem cogatur.

Cuius causa est deterior, pacisci tur.

Verba idem indicant; nam vocatur ἀντίδικος quod proprie de eo dicitur qui nobiscum litigat. Syrus vocat בַּעַל רִיבָךְ, Bihel Dinach *Dominum litis tuæ*, seu, *habentem litem tuam*. Cui Græcus nos vult esse εὐνοοῦντας benenolos. Syrus ait, sis מְרֻעֲיָא, Mathaue *desiderabilis* cum aduersario. Iubemur autem proximum diligere, iniurijs satisfacere, alia exemplaria habent συνεύνοων, consentiens.

QVÆSTIO II.

Quid sit vltimus quadrans, & vbi soluatur?

§. 1. Quadrantem Græcus vocat κοδράντην, nomine latino in Graium vsum translato. Lucas *minutum* vocat. Quarta pars assis est, teruncius, vel triuncius dictus, ita Beda, Franciscus Lucas alij. Syrus interpres octauam vocat, שְׁמִירָא *Schemona*. Græcorum hæc est computatio, Drachma est obolorum 4. obolus 4. quadrantum, πεντημορίων. Quadrans continet duos Chalcos, Chalcus duos minuta. Itaq; quadrans octo minuta habet. At Syrus obolum diuidunt in octo minuta, & octauam partem vocant assir, quæ minima est, & indiuisibilis; nam dimidiam hordeacei grani partem pondere adæquat. Hoc ergo indicat ad minimum teruncium omnia persoluenda, nihil remittendum.

Quid quadrans, drachma, obolus, Chalcus.

§. 2. Duplex verò de solutione est interpretatio. Quidam enim de illis qui apud inferos æternas pendunt pœnas accipiunt, qui non sunt exituri donec soluant extremum quadrantem, quem quia nunquã soluent, nunquam egredientur. Qua quidem in sententia est Augustinus, & nonnulli recentiores.

Plerique tamen de minuti peccatis, quę in purgatorio expiantur, explicuere. Eorum expositionem Bellarm. amplectitur l. 1. de purgatorio c. 7. Tert. l. de anima. c. 17. Cyp. l. 4. Ep. 2. Orig. 35. hom. in Luc. Euseb. Emyssenus hom. 3. de Epiphan. Amb. in c. 12. Luc. Hier. hoc loco. Bern. de obitu Humberti. Theodor. Decum. in commentario. multique alij, ex quo probatur, eos omnes cum hunc locum de purgatorio acciperent, purgatorium esse credidisse.

§. 3. Hanc interpretationem confirmat, non modo auctoritas tantorum virorum, sed etiam contextus, adeoque ipsum argumentum. Nam cum ponitur particula Donec, duo semper adduntur, quorum alterutrum fieri necesse est. Vt cum dicimus: *Et non sciebat eum donec peperit primogenitum*. Quamuis non sequatur, postea *cognouisse*, hoc saltem conficitur, *peperisse primogenitum* aliquando. Sic & illud: Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Non ideò postquam inimici positi fuerint, non sedebit, sed tamen sequitur, fore vt inimici sub pedibus ponantur. Ita hoc loco, licet ex particula donec immediatè non colligatur exiturum aliquando, alterum tamẽ consequitur necessario, fore vt soluat vltimum quadrãtem, κοδράντην ἔχαπον. seu vt Syrus, octauum vltimum. Est enim comparatio illius, qui in purgatorio dissoluit debitum cum eo, qui in carcere detinetur, vltimum soluturus quadrantem. Augustinus sermone in monte illa ita disserit, vt neget se adimere diligentiorem tractationem.

Donec ostendit aliquid futuri.

Nos duo hinc certò pro fide antiqua colligimus. Primum dogma illud de purgatorio fuisse antiquissimum in Ecclesia, à nullo Catholico vllo vnquam tẽpore reprehensum. Deinde improbam esse Caluini, Danielis Tossani in mentiendo audaciam, qui dogma illud recentioribus imputant. Sed ipsam bestiam audiamus.

Ex hac interpretatione purgatorium discimus olim cognitum.

§. 4. Caluinus hunc in modum in Catholicos inuehitur. [Cæterum plusquam ridiculi sunt Papistæ, qui in perpetua loci huius allegoria purgatorium suũ fabricant. Nihil apertius est quam Christum de benevolentia inter homines colenda disserere. Illis nulla religio est sine pudore verba eius peruertere, & in sen-

"*Patruus hæc est, si qua, culpa est.*

„ sum prorsus extraneum torquere, modo indoctis fu-
„ cum faciant. Sed quoniam longa refutatione indigni
„ sunt, vno tantum verbo ostendam quam pudenda sit
„ eorum inscitia. Aduersarium fingunt esse diabolum.
„ Atqui fideles suos ei beneuolos esse Christus iubet.
„ Ergo vt Purgatorium suum muniant Papistæ, diabo-
„ licos amicos & fratres esse oportet. Quadrantem esse
„ quartam partem assis notum est. Hic autem pro terū-
„ cio vel minuta alia pecunia capitur, quemadmodum
„ etiam ex Luca patet. Iam si cauillis agere libeat, hinc
„ quoq; refellitur insulsitas Papistarum; nam si Purga-
„ torium semel ingressus, nunquam inde exibit donec
„ soluerit vltimum quadrantem, sequitur irrita esse quę
„ vocant pro mortuis viuorum suffragia. Neq; enim a-
„ lios admittit Christus qui satisfactione sua debitorem
„ absoluant, sed diserte ab vno quoque solutionem eius
„ quod debet exigit. Quod si inutiles sunt Missæ & re-
„ liquæ piacula, quantumuis ferueat ignis purgatorius,
„ frigebunt tamen sacerdotum & Monachorū culinę,
„ quorum in gratiam tanto studij ardore pro illo pu-
„ gnant.]

Nobis quidem satis esse merito poterat tantorum patrum doctorumq; consensus, vt huius expositionis seu laudem, seu culpam penes veteres esse ostenderemus. Sed tamen vt appareat inanis, cum maleuola insectatione, iactantia, rem videamus.

In Papistas accusat martyres

Respondeo igitur primum, vt malam causam pessime agat, personas eum mutare, timet scilicet, ne cōtra Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum actionem non recipiant populi. Cum vero Papistas nominat, necesse est eum patres à Bellarmino citatos inter Papistas recensere, illis impudentiā peruertendi verba Christi, & purgatorij fabricandi affingere.

Respondeo deinde. Interpretationem, quę aduersarium fingit diabolum, non esse Papistarum recentium, sed Tertulliani, nec illum tamen asserere oportere beneuolos fieri diabolo, multo enim aliter interpretatur l. de anima c. 35.

Nemo iubet nos amicos esse diabolo.

Tum si in diabolum transfertur aduersarij mentio ex obseruatione, comitante, cum illo quoq; moneris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conuentione: pactus es enim renitiare ipsi, & pompæ, & Angelis eius. Conuenit inter vos de ipso. Hæc erit amicitia obseruatio sponsioni, ne quid eius postea resumas ex his quæ ei ieraasti, quæ illi reddidisti, ne te vt fraudatorē vt pacti transgressorem iudici Deo obiciat, (sicut eum legimus alibi sanctorum criminatorem, & de ipso etiam nomine diaboli delatorem) & iudex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. Quid his sensibus aptius? Quid his interpretationibus verius? Caterum apud Carpocratem si omnium facinorum debitrix anima est, quia erit inimicus & aduersarius eius intelligendus? Credo mens melior, quæ illam in aliquid innocentiæ impegerit, adigendam rursus, ac rursus in corpus, donec in nullo rea deprehendatur bonæ vitæ. Hoc est ex malis fructibus bonum arborem intelligi, id est. expeßimus præceptis doctrinam veritatis agnosci. Spero huiusmodi Hæreticos Heliæ quoque inuadere exemplum tanquam in Ioanne sic representati, vt metempsychosi patrocinetur pronuntiatio Domini: Helias iam venit, & non cognouerunt eum. Et alibi: Et si vultis audire, hic est Helias qui venturus est. Nunquid ergo & Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem, Tu es Helias, & non ex prædicatione diuina: Et ecce mittam vobis Heliam Thesbiten.

Respondeo denique, valere preces, eleemosynas, sacrificia, quia soluitur per hæc debitum, creditor pro captiuo alienam solutionem accipit. Nec enim ait, nisi de suo ipse soluerit; *Sed donec soluerit*; Siue de suo, siue de amicorum auxilio. Censeat ipse facere, quod facit per suos. Denique respondeo multo minus mirari me Caluini maledicentiam tot patrum, martyrumque damnatricem, quam Parei effrontem impudentiam: ille enim ne degeneraret à Magistro in 1. Cor. 3. [Manet ergo, inquit, purgatorium ignem esse monasticum figmentum; Patribus incognitum, quod etiam Græcæ Ecclesiæ in Concilio Florentino improbarunt, & in hodiernum diem non recipiunt. Et. Opinio vero de pœnis Purgatorij recens est, à Monachis excogitata, vel certe ex Æneide Virgilij & Platonis Gorgia extructa, stipula est igitur.]

Parei Calumniator.

Quolibet pignore depolito certare paratus sum, hominem impudentius mendacem esse neminem.

Quomodo *manet illud* Parei, cum Zanchius ingenue fateatur antiquum, eius scripta Pareus legit, & tamen post eum hæc scribit. Quid igitur Zanchius Parei Doctor. L. 4. c. 4. q. 5. de natura Dei. [Verum enim vero, inquit, quando, vbi, & per quos primum, nondum potui certi aliquid reperire. Est tamen antiqua consuetudo & doctrina. Nā Tertullianus de eis precibus pro defunctis mentionē fecit, in lib. de cor. mil. Christ. pag. 449. Sed aperte inter ea numerat, quæ ex sola consuetudine fluxerunt minime autē ex scripturis desumpta sunt. De eadem re scribit lib. de monogamia pag. 578. item oblationum pro defunctis mentionē facit, lib. de exhortatione ad castitatē, pag. 564. Nunquam vero docet vel innuit, preces illas vel oblationes fuisse ex verbo Dei, aut etiam ex Apostolica traditione. Dyonisius, qui Areopagita dicitur, in lib. de Eccl. Hierarch. c. vlt. & alibi. Cyprian. Epist. l. 13. ep. 6. item lib. 4. epist. 15. & alibi sępe. Ambr. T. 3. in orat. fun. de obitu Theodosij. item altera de obitu Valentiniani. & in orat. de obitu fratris sui Satyri Chrysost. in Liturgia & alibi. August. T. 1. Confess. lib. 9. cap. 12. 13. rogat Deum, vt peccata matris defunctæ remittat. item lib. de Cura pro mortuis agenda. cap. 4. ait, non esse omittendas supplicationes pro spiritibus defunctorum, Item. Tom. 4. in 8. q. ad Dulcitium. quæst. 2. & alibi.]

Testimonio Calumniatorum de Patrum doctrina purgatorio est antiquissima.

Hæc cum illi doceant, vetustissimi, alijque qui cum illis vixerunt, cum id asseruerit libro de cura pro mortuis habenda Augustinus. alijque non potest non esse grauissima calumnia, cum impudentissimo mendacio coniuncta, purgatorium esse patribus incognitum figmentum monasticum.

Exemplum calumnios mendacij.

Cum igitur non illi modo, sed posteri quoque ita senserint, impudens est nouitium commentum dicere. Tu vide Aug. in Enchir. c. 69. Ps. 36. l. 21. de ciuit. c. 26. Paulinum Nolanum in Psal. 1. Hier. in fine comm. in Isaiam. Amb. in Psal. 118. serm. 10. Maximū in Dradochum. Eustratium de operatione animæ post mortem. Gennadiumque lib. de purgatorio.

§. 5. Carpocrates μετεμψύχωσιν hinc probabat, carcerem enim esse corpus, in quod toties anima detruderetur, donec delicta sua expiaret. Contra hæreses itaque sui temporis eo modo, quo Bellarminus verba Christi interpretatus est de purgatorio, & Tertullianum secutus Cyprianus Ep. 52.

Carpocrates carcerem esse corpus sine exitu.

Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat, nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Aliud est, ad veniam stare: aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatuū emundari, & purgari diu igne: & aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in die iudicij ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.

Cyprianus purgari, & exire posse die iudicij.

Distinguit fidelium statum post hanc vitam. Alij mox perueniunt ad gloriam, alij stant ad veniam, alij statim accipiunt fidei, & virtutis mercedem, alij missi in carcerem non exeunt inde donec reddant nouissimum quadrantem, & pro peccatis longo dolore

Creditor non tenetur de suo soluere.

lore cruciatuum purgantur diu igne: alij passione purgari sunt.

QVÆSTIO III.

An Deus exigens nouissimum quadrantem puniat citra condignum?

§. 1. EA de re dubitatum est à sancto Augustino, lib. 2. de ciuit. Dei c. 24. alijsque, interim qui id negant, hoc loco vtuntur, nullus enim quadrans remittitur. Verum quadrans ille de constituta per sententiam pœna intelligitur, quod enim iudicatum est, hoc soluendum est; iudicari tamen mitius potuit. Deo enim libertatem pœnæ mitigandæ concedimus, nec eum dicimus necessario punire peccata, & naturaliter, quemadmodum naturaliter odit. Qua de re tum alij, tum Vorstius in 100. erroribus Sibrandi.

Quadrans vltimus soluipotest, vt sit pœna citra indignum.

QVÆSTIO IIII.

Quale debitum sit quadrans vltimus?

§. 1. BEllarminus l. 1. de amissione gratiæ & statu peccati. c. 10. Veniale peccatũ ex Orig. hom. 35. & Tertull. l. 1. de anima c. 17. interpretatur. Addo & Augustin. in Enchiridio c. 69. 70. 71. vbi minima aliter deleri, & in hac & in alia vita ostendit, quam magna, docet. Pareus vehementer in Bellarminum insurgit: quidam, inquit, patrum fuere Platonici. 2. Minuta dicunt collatione ad maiora. 3. Origeni carcer non est purgatorium hom. in 5. Matth.

Nõ est minimum delictum, cui eterna pœna tribuitur.

Cui respondeo 1. Non sunt hæc Platonica, nec veterum vllus, tanquam Platonis scitis contradixit. 2. Minuta non vocarent, nec culpas leuissimas, si tam attrocium tormentorum reos constituerent, vt argumentatur Cardinalis. 3. Purgatorium in eorum verbis cognoscitur. *Si qui parum debet non egreditur nisi soluat minutum quadrantem: vtiq; qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum sæcula numerabuntur.* Cum ergo locum nominet carcerem, ex quo datur exitus, dubium non est, quin venialia delicta, & pœnam temporariam esse iudicet, cum innumera illi sæcula non tribuat in pœnam.

Aduersarius de sententia Hieronymi, de furto Adami, mendacia, quæ deuorare coactus est, regurgitat. Verum & Hieronymi, & hic Augustini verba sine ambiguitate continent Bellarmini sententiam.

§. 2. Recte pergit Bellatminus. S. Augustinus, inquit, de Spiritu & litera, c. 36. *Vocat leuiora & peccata hominis ex fide viuentis.* Et Enchir. cap. 71. *quotidiana, breuia, leuia.* Sermon. 41. de Sanctis. *transitorio in igne mundari, illis non occidi animam, esse pustulas seu scabiem.*

Cui obijcit Pareus 1. [Non dicit natura venialia. » 2. Delentur misericordia, & deprecatione. Imo iniu» stus esset Deus, si quæ in se veniam merentur, in cen» sum minimum vocaret, vel temporaliter puniret. 3. » Sermo ille non videtur Augustini, Causa prima, » quia ignem purgatorium hic asserit, alibi dubitat. Se» cunda, quia phrasis etsi in multis est similis, in alijs est » dissimilis. Tertia, quia ibi docet peccata redimi bonis » operibus, alibi docet oratione id fieri. Quarta, Capi» talia peccata docet redimi lacrymis, rugitu, gemitu, ie» iunijs, quæ neq; sacræ scripturæ, neque doctrinæ Au» gustini satis conueniunt. Quinta, etsi fuerit Augusti» ni, non tamen sensit, quod sensisse eum vult aduersa» rius; Nam non vocat venialia, minima vero dicit in » collatione, scabiem appellat mortalem. Motus vero » subitos à nobis haberi pro venialibus, mentitus est » Bellarminus.]

Responsio: O peruersa fortuositas, quanto labore te magis intricas? rem videamus.

Ad 1. Imo vero natura Venialia sunt illa dicta ab Augustino, quia breuia, leuia, minima, non occidentia, si enim millies, millies inferos merentur, imò totius mundi interitum, cur leuia, breuia, minima? 2. Iustitiam iusti non tollunt, nec vitam spiritalem, non sunt ergo mortalia. 3. Eleemosynis delentur, & bonis operibus, quibus mortalia non expiantur. 4. Transitorio igne purgantur, ergo venialia. 5. quia aduersarius, post ambages tandem in Augustini accusationem vertitur, dicitque *esse stipulam.* Senfit ergo hæc Augustinus, stipulam enim vocat in eo errorem quem purat.

Non est leue quod millies interitus merentur. 2. Iustitiam iusti non tollunt.

Ad 2. Contra tuam calumniam, non Bellarminum argumentaris. Non dixit ille peccatum *mereri veniam, sed pœnam,* & pœnam temporalem, an pro pœna temporali auertenda non opus est misericordia Dei, & oratione nostra? Cur quotidie tot mala deprecamur?

Ad 3. vt euertat veritatem, testimonia supprimit sed incassum. Rationes expendamus. 1. *Asserit hic purgatorium, alibi dubitat, ergo sermo non est Augustini.* De igne materiali ab illo, & alijs dubitatum, non de pœna. Nunquam de purgatorio dubitauit, alia loca sunt, quibus illud asserit. Magis ingenue Hieronymus Zanchius, cuius verba ante repræsentaui, vt in conspectu etiam tuo mendacium tuum sit, tu illud in retortis oculis intuearis.

Augustinus de purgatorio nunquam, de igne aliquando dubitauit.

Certe illa Magistro tuo authentica sunt, suspecta habes? an & lib. 2. contra Manichæos suspectus est? Causam habes, nam c. 22. purgatorium asserit, hisce verbis. *Si quis forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ, & in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgatorium, vel vitam æternam.*

Causam alteram ipse agnoscit ludicram esse, cum phrasin esse Augustinianam fateatur in multis, & pauculas Afris peculiares recitat, vt; *peccata nimium plura,* ignarus Augustinum in sermone populari, vulgi & verbis & sententijs frequenter vti.

§. 3. Tertia causa, *quia hic lacrymis, alibi oratione deleri peccata docet.* Respondeo, non pugnare lacrymis, eleemosynis, oratione deleri peccata, conueniunt hæc omnia & conspirant amicè, non igitur illa est causa iusta suspicionum: præsertim cum doceat Catholicos Spiritus Sanctus; *Bona est Oratio cum eleemosyna & ieiunio*: Nusquam vero hæc tria dicat esse peccata natura mortalia. Verum vbi docet de oratione excludente lacrymas, rugitum, gemitum, ieiunium? Nam orationis illud esse officium, non est dubium, de exclusiua quærimus.

Perseuerãtibus in synas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis misserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. De quotidianis autem breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus, hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere. Pater noster qui es in cœlis; *qui iam patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu Sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum*

culpa non condonantur peccata leuibus satisfacit.

Citatio marginalis hæc est: Ench. cap. 7. 1. suspicor esse 71. Legamus in Augustino, oratione, non lacrymis, non ieiunio fieri abolitionem culparum, vt sermo 41. ne sit Augustini. Verba hæc sunt cap. 70. *Sane cauendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina,* Qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, *quotidie perpetranda, & Eleemosynis quotidie redimenda. in melius quippe, est vita mundanda, & per Eleemo-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

modum veraciter dicitur; dimitte nobis debita nostra: *quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur*, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: *id est, (si) fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere. cap. 72. Ac per hoc ad omnia quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait*; Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Non solum autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti consilium, & quod cuiquam necessarium est indigenti: Verum etiam, & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere in quem potestas datur, & coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius, quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, & orat vt ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati; quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici, ac amici vero eorum potius illi quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata.* & de ciuit. Dei lib. 21. cap. 17.

VERSVS 27.28.

Audistis quia dictum est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

QVÆSTIO I.

Quæ concupiscentia à Christo vetetur?

Omnis libido prohibetur.

§. 1. HEbræum נאף *Naaph*, proprie est adulterare: Verum damnatur omnis generaliter carnis libido, siue ipso facto expleatur, siue cogitationibus, verbis, tactibus. Atque in eo consentiunt omnes interpretes. Duas vero partes continet illud: Ad concupiscendum eam. Nam qui aspicit, vt eam concupiscat, & concupita fruatur, mœchatus est eam in corde suo. Et qui aspicit, vt concupiscat, hoc est motum concupiscentiæ in se concitet, & illecebrosa cogitatione animum contaminet, ille quoque motosa delectatione mœchatus est eam. De oculis mentionem facit, quod illi sint præcipui in amore duces, alioqui qui vocem audiuerit, alloquutus fuerit, tetigerit, osculum dederit, in eandem legem commisit; posuit enim Christus quod leuissimum hominibus videtur; Ex illecebrosæ formæ aspectu adulterium animo committere.

Caluino omnis motus est peccatū.

§. 2. Inter nos & Sectarios grauis est quæstio. Quænam concupiscentia sit peccatum? Caluinus omnem damnari hisce verbis asserit. [Quo etiam docemur adulteros censeri coram Deo, non tantum qui fixo consensu scortationem in animis concipiunt, sed qui admittunt quasuis punctiones. Quare nimis erassa est & supina Papistarum hypocrisis, qui concupiscentiam negant peccatum esse, donec totum cor assentiatur. Sed nihil mirum est ita exeruari ab illis peccatum, quando socordes, & prorsus stupidos in vitijs suis reputandis esse oportet, qui iustitiam operum meritis adscribunt.] "

Omnis motus peccatum impropriè.

Respondeo. Partim calumniam esse, partim errorem Caluini grauem in illa redargutione. Calumnia. Nostum demum concupiscentiam dicere peccatum, cum totum cor assentitur. Nam Concupiscentiæ quasuis punctiones dicimus peccata; quia ortæ sunt ex peccatis, ducunt ad peccata, sunt tamen peccata Metaphoricè, vt in cap. 7. Rom. docui. Deinde veri nominis peccatum dicimus, cum animus tardus, & mollis est ad delectationes cogitationum, & lenocinia excutienda, quamuis ad rem perpetrandam nullo modo, ad exstinguendum gliscentem ignem parum fortiter consentiat, ac elaboret.

Ante consensum opus præcipitur sæpe negligentia excusatur.

Porro hæresis est, & quidem pernicioſissima, quæ omnibus passionibus, πτοαῖς εἰων, atque adeo naturalibus concupiscendi potentijs peccatum imponit: imo eas peccatum facit. Ideo vero est hæresis exitiabilis, quia nomine sanctitatis, & puritatis, summam profanitatem & spurcitiem inducit. Vt sancti videantur, atque toto animo peccata abominari. Non modo factorum, dictorumque, sed minimarum etiam inuitis & reluctantibus obrepentium cogitationum motiones peccata vera, & æterna pœna digna esse aiunt. Bezæ sententia in 1. Ioan. cap. 5. 16. horrenda auditu est. *Peccata*, inquit, *omnia hactenus paria sunt, vt vel minima minimi peccati cogitatio mortem æternam millies mereatur*: negat crudeles esse, *qui pro minimis peccatis commouentur*. Hic sese iactant, & sanctimoniæ se causam tueri profitentur. Verum dum omnia hæc, quæ vitari non possunt, tam grauiter censent, in illis hæsisse viros sanctos affirmant, nullum peccatum horribile tandem iudicant, cum omnia si non stoicè paria, æternis tamen ignibus obnoxia dicant. Omnia inquam reproborum, nulla electorum. Ita enim loco citato Beza. Itaque reprobi minimi peccati minima cogitatio, ad-do ex alio illorum principio. Optima optimi operis feruentissima voluntas millies inferos meretur. Millies millena scelera electorum venialia sunt, nec iustitiam auferunt, nec iræ diuinæ obnoxium reddunt; Hucdenique omnia redeunt, vt si quis in album ciuium cœlestium inscriptus sit; Nullum peccatum mortale suspicetur, à se committi posse.

Absurditas maxima.

Nullum peccatum venialiter fit.

Peccatū voluntatem antecedentibus motibus, voluntatis assensu definiamus, non sunt.

§. 3. Quod porro peccatum non subitis & voluntatem antecedentibus motibus, sed consensu, vel in factum, vel delectationem definiamus, non deest nostri stuporis, sed veteris orthodoxiæ. Augustini, Chrysostomi, omniumque patrum. Verba Augustini l. 1. Serm. Domini in monte, c. 12. adferam, vt Caluinus intelligat quantos viros, sub nostro nomine stuporis & hæreseos incusset. *Iustitia ergo minor est*, inquit, *Regni DEI, non mœchari in corde. Multo facilius est ne mœchetur in corpore, quicquid non mœchatur in corde. Illud ergo confirmauit, quo hoc præcepit, non enim venit legem soluere, sed implere. Sanè considerandum est quod non dixit omnis qui concupierit mulierem. Sed qui viderit mulierem ad concupiscendam eam: id est, hoc fine, & hoc animo attenderit, vt eam concupiscat, quod iam non est titillari delectatione carnis, sed plene consentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus. Sed si facultas data fuerit, satiatur. Nam tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, & consensione. Suggestio siue per memoriam fit, siue per corporis sensus, cum aliquid videmus, aut audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectauerit, delectatio illicita refrænanda est.*

Suggestio. delectatio. consensio.

Perspicue igitur Augustinus illa distinguit, nec omnem concupiscentiam, sed voluntarie, & ex proposito

sito libidinosam damnandam censet: pergit ostendere sola consensione peccatum perfici.

VERSVS 29. & 30.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proÿce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proÿce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

QVÆSTIO I.

An oculi eruendi, aut abscindendæ manus, ne illis scandalizemur?

§. 1. DVplex esse potest sensus. Primus est, vt parabolica sit oculorum & manuum acceptio, vt oculus dexter sit mens, sinister corpus; manus dextra voluntas; sinistra appetitus inferior. Vel manus, mulier amica, & vt Chrys. hom. 17. alij oculorum & manuum nomine cognationes, & necessitudines intelligunt. Ath. q. 70. Hil. can. 4. Cyrill. l. 12. in Ioan. Theophyl. alij. Verissima est illa sententia, amici enim relinquendi, affectus refrænandi sunt.

Manuũ & oculorum variæ acceptiones.

Amici manus.

Amicos oculos & pedes dici, alioqui in scriptura vsitatum est. Nec minus apud externos scriptores: Nam apud Persas erat, qui dicebatur oculus regis; hinc nemo nescit, longas regibus esse manus. Recte & illud dictum.

Ἀλλοίοισι χέρες, καὶ ὄμματα, καὶ πόδες ὦμεν.
Mutuo nobis manus, & oculi, & pedes simus.

§. 2. Mihi tamen planior, & neruosior Christi sententia videtur, si proprie oculos, & manus interpretemur. Quod fieri duobus modis potest. Primo, vt non sit præceptum faciendi, sed patiendi, vti nempe oculorum, & manuum potius iacturam patiaris, quã illis retentis, delinquas. Quod martyrum exercitus fecisse videmus. Occidi enim quam peccare maluerunt. Altero vt præceptum sit, vt nos ipsi oculos eruamus, manus abscindamus, si aliter peccatum effugere non possimus. Perinde ac si dicat, si duorũ alterũ faciendum sit, aut oculus eruendus, aut peccatum faciendum, potius membri qualiscunque iacturam faciendam, quam totum corpus perdendum. Atque hoc est quod ait inf. a c. 18. 8. bonum est tibi vnam manum vel pedem habentem ingredi in regnum cœlorum, quam duas manus, aut pedes habentem intrare in gehennã. Nec est inusitatum hoc in genere vti exemplis quæ vel nunquam, vel raro fieri possunt. Ita Apost. Gal. 4. 15. Quod si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Plurimis sane peccandi occasionem oculi præbuerunt. optime Eurypid. de Helena.

Membrorũ damna quando facienda sint.

ὁρᾷν δὲ τύνδε, φεῦγε μὴ σ' ἕλκηδ' ὁρᾶν.
Αἰρεῖ γὰρ ὄμματ' ἀνδρῶν, ἐξαιρεῖ πόλεις.
Videns vero istam, fuge, ne te desiderio capiat. Capit vero oculos viri, euertit autem vrbes. Vide Prouerb. 2. Eccl. 33. Ps. 118. Prouerb. 6.

§. 3. Crudeles & improbi sunt, qui hinc castrationem, & membrorum mutilationem induxerunt. Origenes ea de causa damnatus est. Non enim castitati opus est membrorum excisione, sed eum gratia Dei sensuum bona custodia, corporis maceratione, labore, occasionum fuga. Nec membrorum mutilatio libidinem eximit, sed accendit.

Verum ista iam olim hæresis exisa est. Nostrorum errores ita ista sententia fulminat, vt sit mirum vllum esse tam surdum, vt hoc tonitru non audiat, ita diabolo malitia obbrutuisse, vt non sentiat. Quid enim Dominus? *Si oculus, manus, pes scandalizat te, erue, abscinde.* Quibus hæc dicit? Fidelibus; qui iam eo loco sunt, vt nisi horum aliquid scandalizet, in regnum cœlorum *Fideles pereire possunt.* ituri sunt. Quomodo igitur sola fides sufficit, si oculus eruendus, ne scandalizet? Quomodo fidelium nullum peccatum est mortale, si periculum est ne proijciantur in gehennam?

Nonne si Caluino Dominus dicat: *Si oculus scandalizatte, erue.* Mox respondebit. Electus sum, quicquid agat oculus, in omnes libidines vagetur, manus omni rapina implcantur, pedes veloces sint ad fundendum sanguinem, non est tamen metus gehennę, mea, enim vt electi, flagitia venialia sunt. Papistica sunt illa terriculamenta. Quocirca merito Musculus contra suos inclamat. [Sed væ væ pestilentissimæ præsentis sæculi negligentiæ, ne dicam temeritati? Quotusquisque est, qui vero ac serio cælestis regni ac vitæ studio teneatur? Altissimum stertitur fere ab omnibus: vt crediderim, vix vnquam fuisse verbi Dei ministros, qui cum tanta molestia pariter ac fastidio regnum Dei annunciarint, atque hi, qui nouissimis istis temporibus, in quibus mirum in modum pietatis studium friget, regnum Christi & iustitiam eius prædicant: modo tales sint, qui & Christum & Ecclesiam eius ex animo diligant.]

Improbitas Caluinianorum.

Mores Caluiniani.

Sed quid tragœdias agis Muscule, & in cucurbita montes parturis? Cur studeant bene viuere, quibus satis est credere? Cur non stertant, quibus iam puluinar securitatis suppositum est? Cur se Ministri molestia macerant, cum satis sit, omnes credere se electos esse? Verum quid ministros vtar, non est obscurum. Postquam populus non in spem vitæ, sed in omnem securitatem, & licentiam effusus est, ipsos ministros contemnere cœpit. Hinc non pietati, sed sibi timere didicerunt. Nec enim alio remedio opus habent, quã vt peccantes credant, nihil peccatorum sibi imputari.

VERSVS 31. 32.

Dictum est autem: Quicunque dimiserit vxorem suam det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit vxorem suam facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.

QVÆSTIO I.

An Iudæis licuerit vxores dimittere?

§. 1. DEut. 24. in tio capitis lex his ee verbis perscribitur. *Si acceperit homo vxorẽ, & habuerit eã, & non inuenerit gratiã ante oculos eius propter aliquam fœditatem: Scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimi-* *Lex repudij*

dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino: ne peccare facias Terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.

Vti considerandum est, non sine causa posse dimitti. Nam ait, *& inuenerit in ea fœditatem aliquam* ערות דבר, *Gheruath dabar*, nuditatem verbi, seu opprobrium alicuius rei, vbi 70. verterunt ἄσχημον πρᾶγμα rem turpem, seu indecoram. Libellus repudij vocatur à Matthæo ἀποστάσιον repudium, in Deut. סֵפֶר כְּרִיתֻת *Sepher cerithuth*: libellus excidij. Syrus vocat בתבא דרולא Kethaba dedulela. Scripturam repudij. Hac de lege controuersia est: An liceo vxorem ob aliquam causam abominanti ius fuerit datum eam dimittendi, vt nec ipse dimittendo, nec verque alias nuptias celebrando peccaret? An vero lex fuerit iudicialis, seu permissio, qua solum repudiator id consequeretur, ne lege in eum ageretur.

An lex permittens solum, an sine peccato permittens.

Multi sunt etiam Catholici, qui negant sine peccato repudia permissa, licet sine pœna, quam respublica exigeret. Ita Franciscus Lucas hoc loco. ita Magist. l. 4. d. 33. Bonauent. Richardus. Dominicus Soto Quos ferè hæretici sequuntur, & plerique negant licitum fuisse. Caluinus. [Summa autem est. Quamuis Lex diuortia non puniat, quæ à prima Dei institutione dissident, adulterum tamen esse, qui reiecta vxore alteram sibi accipit. Neque enim est in hominis arbitrio, coniugij fidem soluere quam Dominus ratam manere vult. Itaque pellex est, quæ legitimæ vxoris torum occupat.]

Repudium malum, sed non puniri.

Augustinus l. de bono coniugali c. 8. Exprobrationem potius repudij; quam approbationem esse docet. *Caterum*, inquit, *aliter se habere iura gentilium quis ignorat vbi interposito repudio sine reatu aliquo vltionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit. Cui consuetudini simile aliquid propter Israelitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello repudij. Quâ in re exprobratio diuortij magis apparet, quam approbatio.*

Post repudia erant vera matrimonia.

Quem tamen ita interpretor, vt potius reprehendi duritiem ab eo putem, quam vt neget, fuisse vera coniugia post datum libellum, cum Polygamiam veterum sine peccato fuisse ille consenserit. Mihi S. Thom. Scoti. Durandi, Paludani, aliorumque in 4. Sent. 33. sententia probatur. Non peccasse qui dimissas ducerent & fuisse libera matrimonia. Nam primo de viris non erat difficultas, quibus concessa erat Polygamia, poterant ergo & retinere, & alias ducere, multo magis dimissis alijs. Durissima igitur fuisset in fœminas illa lex, qua viris per multa matrimonia voluntatis, ipsæ perpetua continentia astringerentur.

Deinde verba legis id indicant, quæ omnino permittunt, duci, cum tamen seuere non modo adulteria, sed etiam fornicationes prohibeant.

Tertio repudiata est, alteri nupta non poterat ad priorem redire maritum. Non ergo amplius erat matrimonium, sed vinculum sublatum.

Denique polluta est, abominabilis est coram Domino, quia publice reiecta est & velut indigna matrimonio habita.

QVÆSTIO II.

An Christiano fas sit vxorem dimittere?

Matrimonium Christianum insolubile.

§. 1. COntrouersia Catholicos inter & hæreticos agitatur. Orthodoxa enim fides nos docet: Habitatione & toro posse separari coniuges, verum ipsum matrimonij vinculum in Ecclesia Christiana insolubile esse, sola morte rumpi. Hæretici multas dimissionis causas adferunt, quibus ipse Matrimonij contractus dissoluatur, & nouarum nuptiarum facultas concedatur. Iurisperiti repudium non modo vxoris, sed & sponsæ esse asserunt. Diuortium de sola vxore vsurpant. De toro solo aliquãdo, de vinculo sæpius loquuntur. Itaque nec Luth. l. de capt. Bab. c. de Matrim. Melanchton in locis. Gemnit. in 2. part. exam. separationem tori à solutione vinculi distinguunt.

Duplex disiunctio coniugum. separatio tori solum. vinculi.

De vinculi autem solutione Lutherus primum dubitauit, in capt. Babylo. cuperet tamen rem definiri, & fornicationis causæ addi absentiam coniugis. At in 1. Cor. c. 7. alias causas adfert, si Ethnicus sit, vel falsus Christianus coniux, si rixosus, impellat ad peccatum, diu absit, & de causis matrimonialibus, si pauperem diuitem duxerit, quem retinere non potuerit. Bucerus in c. 19. Matth. diuortium permittit, si alter coniugum, alteri seminus commodum præstet, aut sibi displiceant. Melanchton fornicationem & desertionem admittit solas: nouum coniugium nocẽti pariter & innocenti permittit. Caluinus l. 1. inst. c. 19. §. vlt. In adulterio permittit. Kemnitius eodem modo, sed tantum innocenti alias nuptias concedit.

Causæ repudij. Hæreticæ.

Disputata est hæc quæstio lib. 2. ab Augustino de adulterinis coniugijs, ad Pollentium, vbi sic statum quæstionis exponit. l. 1. c. 6. *Verum hoc interest, quod nos, quando coniuges ambo Christiani sunt, mulieri si à viro fornicante discesserit, dicimus non licere alteri nubere, à viro autem non fornicante non licere omnino discedere. Tu vero dicis, si mulier à viro non fornicante discesserit, non ei licere alteri nubere, propter præceptum; si autem à fornicante discesserit, non ei expedire nubere, propter opprobrium, Mulierem itaque non nupturam discedere à viro siue fornicante, siue non fornicante, permittis.*

Statum quæstionis.

At hæretici non agnoscunt vllum, nisi soluto vinculo, repudium. Græci quidem vxores dimitti posse docent, libereque dimittunt. Conc. Flor. sess. vlt. Eras. in 1. Cor. 7. anno 1515. docuit posse dimitti. Deinde Caietanus, & eius expositor Cathar. rinus l. 5. annot. in Caietanum. Qui tamen non tam rem ipsam, quãmodum definit. *Non posse, ait, ex Scriptura probari diuortia esse illicita, sed tamen ob multas causas, non posse dimitti.*

Hæretici dissentiũt.

Nec est hæreticorum inter se concordia. Kemnitius 2. part. eam negat habitationis & thori seiunctionem, nisi ob solam fornicationem.

Ad perfectam horum verborum intelligentiam adiungenda sunt ex alijs locis similia aut pene eadem. vt c. 19. cum Pharisæi quærerent, an liceret dimittere vxorem quacunque ex causa. Respondet v. 9. Dominus. *Dico autem vobis, quia quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur: & qui dimissam duxerit mœchatur.*

Marci 10. 11. *Et dixit illis: Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Luc. 16. 18. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & aliam ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit: mœchatur.*

Sine exceptione. Et exceptione. cunda nu- ptiæ prohibentur.

Hic aperte sine exceptione vlla adulterij damnatur, qui dimiserit, & aliam duxerit.

Vnde non modo male Matthæum intelligunt, sed Marco, & Lucæ ex proposito contradicunt, quicunque matrimonij vinculum dissoluunt. Nec adeo facit, quod ex Matthæo interponunt, *Exceptâ fornicationis causâ.*

Id enim non addendum fuisse constat, cum Lucas & Marcus absolute Euangelia scripserint, quæ sunt simile illa additione, vera, quod si generalis illa sententia Marci & Lucæ falsa est, lectores deceperunt, cum vetant vllum dimittere vxorem, & adulterum pronunciant, quicunque vel aliam duxerit, si licet ob fornicationem dimittere.

Luca & Marco non addenda exceptio.

§. 2. In-

§. 2. Instant tamen, & carni præsidia quærunt. Lucas & Marcus aiunt. Omnis qui dimiserit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur. at Matthæus ait. Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Ex hac colligitur illa particularis: Non omnis qui dimittit vxorem suam, facit eam mœchari: Exceptio enim facit ex vniuersali singularē: quæ si in Marco & Luca non est subaudienda, contradicunt sibi Euangelistæ. Nam c. 19. & omnis, &c. mœchatur. &, non omnis mœchatur, contradictoria sunt. Verumtamen apparens est illa, non vera cōtradictio. Fatetur Augustinus Matthæi verba obscuriora esse l. 1. de adulterin. coniug. cap. 11. sed clara apud alios. *Sed quod minus intelligitur apud Matthæum, apud alios Euangelistas intelligi potest. Quapropter cum legerimus in Euangelio secundum Matthæum: Quicunq; dimiserit vxorem nisi ob fornicationem: vel hoc quod magis in Græco legitur, præter causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: non debemus continuo putare illum non mœchari, qui propter causam fornicationis dimiserit, & aliam duxerit: sed adhuc ambigere, donec Euangelium secundum alios Euangelistas à quibus hoc narratum est, consulamus. Quid si enim secundum Matthæum, non quidē quod ad hanc rem pertinet, dictum est totum, sed ita pars dicta est, vt intelligeretur à parte totum, quod tanquam explanantes Marcus & Lucas, vt clareret plena sententia, totum dicere maluerunt? Cunq; ita primum non dubitantes, verum esse quod apud Matthæum legitur, Quicunq; dimiserit vxorem suam præter causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur; quæsierimus, vtrum tantum iste mœchetur ducendo alteram vxorē, qui præter causam fornicationis priorem dimiserit; an omnis qui dimissa vxore alteram duxerit, vt ibi fit etiam ille qui fornicantem dimiserit; nonne secundum Matthæum respondebitur nobis: Quid quæritis, vtrum ille sit mœchus, & ille non sit? Quicunq; dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit. Nonne etiam secundum Lucam dicetur nobis: Quid ambigitis vtrum ille qui propter causam fornicationis vxorem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchetur? Omnis qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram, mœchatur. Ac per hoc quoniam fas non est, vt Euangelistas, quamuis diuersis verbis de vna re loquentes, ab vno sensu eademq; sententia dissentire dicamus, restat vt Matthæum intelligamus à parte totum significare voluisse; eandem tamen tenuisse sententiam, non quidem vt dimittens vxorem & alteram ducens, quidam mœchetur, id est, qui præter fornicationem dimiserit, quidam verò non mœchetur, id est, qui propter fornicationem dimiserit, sed omnis qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram, mœchari minimè dubitetur.*

Matthæi expositio ex Augustino.

Matthæus ex parte totum intellexit.

§. 3. Matthæum igitur exponunt, primò vt sit sensus. Qui dimiserit vxorem suam, alia de causa quam fornicationis, facit eam mœchari, auctor est, vt illa dimissa fornicetur, si verò fornicationis causa eam dimittat, non facit ipse eam mœchari, cum iam ante sit mœcha, & si dimissa in eodem crimine perseuerarit, non imputabitur causa marito dimittenti, sed vxori dimissæ, non quod ob alias causas dimitti non possit, sed quod hæc sola sit matrimonialis, aliæ sint omni societati communes, vt si vitæ insidietur, &c. Porro agitur de separatione à thoro & cohabitatione, non autem iure alteri nubendi.

Fornicari dicitur qui auctor est, & causa fornicationis.

Qui dimissam duxerit. Non est sensus, qui dimissam ob aliam causam v.g. aliquam fœditatem, vel quācumque aliam duxerit, mœchatur, & qui fornicationis causa dimissam duxerit, non mœchatur. Sed alius omnino: qui dimissam ex quacunq; causa duxerit, mœchatur, quia manet prius matrimonium. Ratio est, vxor dimitti poterat, si v.g. anhelitus illi grauis, si ex labore, vel morbo forma periisset, deinde si adultera esset, olim sic licebat inire nouas nuptias, nunc ex lege Christi, si fornicariæ coneeduntur, negantur autem probæ, sed miseræ. quæ est æquitas legislatoris? Si vir importunus probam vxorem dom[illegible]pellat, improbam superinducat, non licebit innocenti quærere nouas nuptias, adulteræ liceat?

Triqua lex si more se-

ctariorum accipiatur.

Resoluenda enim non sunt verba hoc modo. Quicunq; dimiserit, id est. Qui dimiserit vxorem ob aliam causam quam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur, sed si dimiserit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Et quicunq; duxerit dimissam ob aliā causam quam fornicationem, mœchatur, sed qui dimissam ob fornicationem duxerit, nō mœchatur. Sed hoc modo. Qui ob aliam causam, quam fornicationē dimiserit, mœchatur, quia vt c. 5. 32. facit eam mœchāri. Si autem ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, etiam mœchatur, ducendo, non dimittendo. Itaq; mœchari est adulterii reum esse, vel faciendo, vel occasionem dando. Itaq; ex heb. dialecto relatiuum repetendum est, ac si dictum esset. Quicunq; vxorem dimiserit excepta fornicationis causa mœchatur, & qui aliam duxerit mœchatur, & quicunq; ex quacunque causa dimissam duxerit, mœchatur.

Piscator sic quoq; interpretatur. [Non statim innocens est coram Deo, cui aliquid indulgetur ac permittitur à legibus ciuilibus. Etenim repudiatio vxoris seruanti fidem coniugalem, indulta quidem ac permissa fuit à Deo per legem ciuilem Mosaicam: at non propterea fuit à Deo approbata. quippe Christus talem repudiatorem affirmat esse authorem adulterii: idq; trifariam, primum scil. in se ipso, maximè si duxerit aliam vxorem viuente adhuc repudiata illa, inf. 19. 9. deinde vxore repudiata, quam facit mœchari, quatenus illi facit facultatem & præbet occasionem nubendi alteri, ipso adhuc viuente: tum etiam in illo altero qui repudiatam duxerit. Similiter lex ciuilis permittit lites forenses: at non propterea Deo placet, qui mauult litigando ius suum persequi, quam ex charitate de iure suo concedere.] Triplicis igitur adulterii ream facit.

Triplicitèr dimissor mœchatur.

Vno igitur verbo res exponitur. Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, ille mœchatur, hoc est, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur, ducta aliena. Nec veteres modo, sed ipse Piscator interpretatur sic. Vel negatiuè. Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, id est, quod fieri non potest, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, etiamsi ob fornicationem dimiserit, mœchatur.

§. 4. Cōfirmat hāc interpretationē perpetua Ecclesiæ consuetudo, definitionesque & sententiæ, quæ est certa intelligendę Scripturæ regula. Ita Can. Apost. 48. Iustinus in Apolog. ad Anton. itaq; Athenagoras. Clemens Alex. l. 2. Strom. Tertul. l. 1. in Marc. Orig. in c. 19. Matth. Conc. Elibert. c. 9. Amb. in 16. Luc. Hier. ad Ocean. & Amandum. Chrys. hom. 17. in Matth. Concil. Mileuit. Can. 17. Conc. Afric. can. 69. Innoc. I. Ep. 3. ad Exup. Can. 6. Aug. de adulterinis coniugiis. Primas. in 1. Cor. c. 7. Isid. l. 2. de diuinis officiis c. 19. Beda in 10. Marci. Concil. Forolulense Can. 10. Nanetense sub Arnulpho Can. 12. Ansel. D. Thom. in 4. distinct. 35. D. August. l. octogintatrium quæstionum q. 83. *Si Dominus dimittendæ coniugis solam causam fornicationis admittit, & paganum coniugium dimitti prohibet, consequens est, vt paganismus fornicatio non deputetur. Solam autem fornicationis causam exceptam facere Dominum cum de dimittenda coniuge loquitur in Euangelio manifestum est. Paganum ergo coniugium hinc non prohibetur dimitti, quia cum Apostolus de hac re consilium daret, vt fidelis volentem secum esse coniugem infidelem non dimittat, ait. Ego dico, non Dominus, vt Dominus intelligatur non quidem iubere vt dimittatur, ne contra iussum eius consilium dare videretur Apostolus, sed tamen permittere, vt nemo in ea re iussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate liberè faciat, verumtamen si quisquam asserit solam illam fornicationem Dominum admittere ad causam relinquendæ coniugis, quæ vulgo dicitur fornicatio, id est, qua concubitus illicito perpe-*

Ecclesia diuortium nō admittit.

tratur: hoc potest dicere, Dominum cum de hac re loqueretur, de vtroque fideli dixisse, & marito, & vxore, vt si ambo fideles sint, neutri liceat alterum relinquere, nisi causa fornicationis: vbi non potest paganismus intelligi quia vterq; fidelis est. Sic enim & Apostolus videtur distinguere cum ait: His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si recesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Vbi etiam intelligitur, quod si vna illa causa, qua sola relictio coniugij permittitur, mulier à viro recesserit, innupta perseuerare debet: aut si se non continet, viro potius reconciliari, vel correcto, vel certè tolerando, quam alteri nubere. Sequitur autem. Et dicit: Et vir vxorem non dimittat, breuiter eandem formam intimans in viro, quam præcipiebat in fœmina. Quibus ex præcepto Domini insinuatis ita sequitur: Cæteris autem ego dico, non Dominus: si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & mulier si habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illâ, non dimittat virum. Vbi datur intelligi Dominum de his locutum, vt neuter alterum dimitteret, si fideles ambo essent.

Etiam dimissa ob fornicationem non debet nubere.

Adulteris interdum post viri mortem prohibita nuptiæ.

Cum interdum Concilia permittunt adulteram nubere, intelligendi sunt post mortem mariti. Nam in pœnam interdum inhibebantur illis etiam post viri mortem nuptiæ, vt iniustæ libidinis pœnas darent.

Quid igitur viro conceditur? vt liberetur adultera? non vt ducat aliam. Nam hoc ipsum est quod difficile etiam Apostolis visum est. Ideo frustra his Christo respondent. Nam re uera si valeat dimissio, plura nocumenta sequentur, calumniæ, aliaq;. Quotidie, vt monet Hier. appeterent nuptias, fingerent adulteria. Pudor sanè est Christianos hac de re queri, cum Romæ 600. annis nullum diuortium fuerit. Tertull. Apol. c. 6. Antiquitas igitur sic locum interpretata est, & eos secuti orthodoxi posteri, Origenes ait suo tempore quosdam antistites permisisse, vt refert Grat. 31. q. 1. c. si qua mulier. Sed altera sententia semper vt dixi in Ecclesia retenta est. Sed Canon Apost. 47. vtriq; negat. Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβάλλων, ἑτέραν λαβὴ, ἢ παρ' ἄλλου λαμβάνων, ἀφορίζέσθω. *Si quis laicus suam vxorem eiciens, aliam ducit, vel ab alio repudiatam, excommunicetur.*

Deinde ratio Christi in omni causa valet. *Est enim vna caro, & Deus coniunxit.* Quia hoc ipso quod libellum repudii sustulit propter duritiam datum, etiam ipsum repudium vetuit. L. bello enim dabatur potestas nubendi alteri.

Dimissam ducens adulter est, quia adhuc est vxor dimittentis.

Augustinus lib. 1. c. 11. l. 3. c. 9. grauissimum dimittere non adulteram. Insigni etiam argumento vsus est l. 1. de Adulterinis coniugiis c. 12. *Nam & illud quod etiam secundum Lucam sequitur. Qui dimissam à viro ducit, mœchatur, quomodo est verum? Quomodo mœchatur, nisi quia illa quam duxit, eo viuente, à quo dimissa est, adhuc vxor aliena est? Si enim iam suæ non alienæ miscetur vxori, vtiq; non mœchatur. Mœchatur autem, Aliena est ergo, cui miscetur. Porrò si aliena est, hoc est, eius à quo dimissa est, etiam si propter fornicationis causam dimissa est, nondum dimittentis vxor esse cessauit. Si autem illius esse cessauit: iam huius est cui alteri nupsit. Etsi huius est, non mœchus iudicandus est, sed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, sed mœchum, adhuc illa illius est, à quo etiam causa fornicationis abiecta est. Et ideo quamcumque etiam ipse illâ dimissâ ducit vxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera est. Vnde autem fieri potest, vt adulter etiam ipse non sit, cum constet adulterare quam duxit? Si enim est non vxor, cur alius adulter est?* Denique vt verbo dicam: Matrimonium est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Aug. de bono coniugali c. 7. 15. & 18. & 24.

In diuortio occasio calumniarũ.

Magno etiam incommodo proles afficeretur, dum nouerca, & vitrico premitur. vt Ambr. in c. 16. Lucæ. Imo & sceleribus via aperietur. Quid enim si vir exosus vxorem, adulteretur, & dimitti possit, aliamq; vxorem ducere. Non enim lex est, quæ vetet nocenti nuptias? contra Melanchthonem alii scribunt ex eisdem sectis. Ipse Caluinus alias causas negat idoneas.

Olim quædam diuortia permissa.

§. 6. Origenes quidem Tractat. 7. in Matth. ait, ab Episcopo nuptias post diuortium adultero permissas contra Scripturam, non sine causa. Respondeo. Illum dicere rem illicitam permisisse; minus malam, vt magis malam vitarent. Itaq; non Origenis, sed errantium quorundam erat illa sententia. Alia citant, sed in cassum, veluti Concil. Neocæsariense Can. 7. Secundas nuptias illud aiunt permisisse: at non viuente marito, sed mortuo, aliquam tamen pœnitentiam, quod intemperantiæ notarent eas, imposuerunt. Seuera prorsus disciplina.

Augustini tempore non erat in Concilio definitum. Ipse lib. de fide & operibus c. p. 19. venialiter falli, qui ob Scripturæ obscuritatem existiment non esse adulterum, qui dimissa vxore, causa fornicationis aliam ducit. Post grauius & maturius statuit, vt ex dictis constat.

Obiicit Caietanus. Cur addidit nisi ob fornicationem? cur non est generaliter locutus? Respondet Bellar. Dominũ locutum vt tempus & locus postulabant; qtærebant illi, an posset dimittere ex quacunq; causa? Domini mens est ad eam quæstionem respondere præcise. Quærunt. An liceat quacunque ex causa dimittere? Respondet, non licere. Quia non nisi ob fornicationem licet. An verò quoad vinculum, non addit. Nam occasionem calumniarum dare noluit: & iam ante ostenderat sententiam de ea re suam. Addo etiam, noluisse Dominum alias causas proponere; quia matrimoniales non erant, sed ad societatem communẽ pertinebant: Itaq; alias causas non sustulit.

Habitatio ne separati possint.

§. 7. Seiunctio thori coniugibus licita est. Ita enim Paulus docet. 1. Cor. 7. 5. Deinde etiam habitationis. Matt. 19. Omnis qui reliquerit vxorem. Tertio ob adulterium, hæresin, importunitatem, quæ ad crimen impellat. Quod si marit⁹ crudelis sit, si veneno grassetur, & toxica misceat marito vxor malefica; si venefica sit, si liberis mortem intentet, certè nemo vel maritum cogere potest, vt cum Lamia habitet, nemo vxorem vt tam atrocem tyrannum sustineat. Et hac quidem in causa nobis & aliis conuenit. Par est vero vxoris & mariti libertas. Quod sine ratione negant contra Apostolum nonnulli.

Par vtriq; lex.

§. 8. Eandem autem viri & mulieris causam esse ipse testatur Augst. lib. 1. de adult. coniug. c. 8. *Illud ergo quæ commodo Dominus, non quidem in sermone ipso qui exponebatur à quibusdam nobis, sed tamen alibi ait. Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ex causa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: non videtur in hac causa par forma esse mariti & vxoris: quandoquidem mulier etiam si causa fornicationis discesserit à viro, & alij nupserit, mœchatur; vir autẽ si eadem causa dimiserit, & aliã duxerit, non mœchatur. At si par forma est in vtroq;, vterq; mœchatur si se alteri iunxerit; etiam cum se à fornicante disiunxerit. Parem verò esse formam in hac causa viri atq; mulieris, ibi ostendit Apostolus, quod sæpè commemorandum est, vbi cum dixisset. Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; adiecit, atq; ait: Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.*

Vxor facilius dimittitur.

Fateor tamen vxorem adulteram à viris facilè; virum haud sanè facilè dimitti. Quia politicè turpius vxoris, quam viri adulterium censetur. Augustinus contra Faustum videtur insinuare non dimittendam lib. 19. c. 26. Verum ille ostendit omni modo concordiam tentandam fuisse, nec alienato animo dimittendam.

§. 9 Ad suam opinionem Kemnitius verba Christi detorquet. Ille enim solam fornicationem excipit, non ergo nos alias diuortiorum causas addere fas est.

Respondeo. Hoc argumentum in eius hæresi momentum habet. Nihil enim credunt, nisi quod Scri-

pturis

peris est expressum. Veritati autē obesse non potest; Christus non etsi solam fornicationē excipit, alias tamen causas nō reiicit, vt qui c. 19. relinquenti vxorē centuplū promittat. Cur vero solam fornicationē nominauit. Augustinus lib. 1. Serm. Domini in monte cap. 26. 27. 28. per fornicationem alia peccata etiam intellexit, sed lib. 1. retract. cap. 19. Lectorem ad sua & aliorum scripta remittit, ob fornicationem enim quæ in stupris committitur, concedit dimitti posse; de alia fornicatione latebrosissimam esse quæstionem ait. Constat autem ob alia quælibet peccata vxorem non posse dimitti: nisi ea, quæ passim à doctoribus talia censentur, & à magistratu iudicantur, vt merito coniuges separare debeant.

Alia causa separationis.

Illa Dominus non nominauit; quia communia sunt talis etiam coniunctionibus, & conuersationibus. Idque leges & iura decernunt. Si enim vi, prece, promissis maritus vxorem ad idololatriam inducere conatur, si eam prostituere satagit, non minus fugere potest, quam filia, aut serua à Lenone Domino, vel parente. Deinde Christus agit de perpetua separatione, quæ perseuerat, etiam post pœnitentiam fornicantis: at si discessio facta sit ob alia crimina, vt crudelitatem, scandalum, ad emendatum coniugem redeundū est.

Ob fornicationem dimissa est in periculo.

Vrget tamen iniquam causam Kemnitius. Christus dimissionem prohibet; quia obiicit illa pericula adulterii.

Verum ea ratio, si quicquam probaret, id etiam conficeret. Ne ob fornicationem quidem esse dimittendam. Nam illa sic vaga vretur, adulterabitur. Mauis sanè fornicationis periculum est in libertate illius, quæ habens potestatem honestę voluptatis, intemperantia libidinis quæsiuit illicitam, quam in dimissione illius, quæ non libidine, sed alio modo in maritum peccauit. Itaque qui iusta causa vxorem separat, vtens suo iure, non censetur auctor criminum, quorum occasionem ex dimissione vxor arripit. Illa enim si peccat, id liberè factura est. Nec imputabit illi, qui suæ famæ, vel securitati consuluit. Cur enim Caius insidiatricem Caiam, vel veneficam domi foueat, ne illa forte ejecta fornicetur? Iniquum est, vt malitia aliena tantum præiudicium adducat innocenti.

Tostani mēdacia.

§. 10. Pro coronide adiungo tria perspicua Danielis Tostani mendacia. *Totum*, inquit, *hunc locum Maldonatus & alij aliquot Pontificij plane deprauarunt contra Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi, & veteris glossæ sententiam.*

Ambrosij vera sententia.

In cap. 19. Matth. Ambros. verbain 16. Luc. sunt ista; prorsus Notitiis doctoribus contraria. *Sed non solum hic cœleste præceptum, sed quoddam etiam opus Dei soluitur. Paterne ore liberos tuos viuente te esse sub vitrico? aut incolumi matre degere sub nouerca? Pone, si repudiata non nubat. Et huic viro tibi potuit displicere, cui adultero fidem seruat? Pone, si nubat: necessitas illius tuum crimen est; & coniugium quod putas, adulterium est. Quid enim refert, vtrum aperta criminis confessione, an mariti specie adulteriam admittas? nisi quod grauius est, legem criminis fecisse, quam furtum. Sed fortasse dicit aliquis, Quomodo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere vxorem? Qui hoc dicit, Iudæus est: qui hoc dicit Christianus nō est. Et ideo qui hoc obiicit, obiectū est Domino, respondeat ei Dominus, Ad duritiā, inquit, cordis vestri permisit vobis Moyses dare libellum repudij, & dimittere vxores; ab initio autem non fuit sic. Moyses permisit, inquam, non Deus iussit. Ab initio autem Dei lex est. Quæ est lex Dei? Relinquet homo Patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt ambo in carne vna. Ergo qui dimittit vxorem, carnem suam scindit, diuidit corpus. Ostendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non à Deo scripta. Vnde & Apostolus, Denuntio, inquit, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere.*

Quis probat libellum repudij Christianus non est.

Ambrosius contradicit sibiipsi.

Hieronymo etiam iniuriam facit. Nam si commentarios in Matth. illius esse asserat, mendacii sui locuple-

tem testem adducit. *Sola fornicatio est; quæ vxoris vincat affectū: imò cum illa vnam carnē in aliā diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, non debet teneri, ne virū quoq; sub maledicto faciat, dicente Scriptura: Qui adulterā tenet, stultus & impius est. Vbicunq; est igitur fornicatio & fornicationis suspicio, libere vxor dimittitur. Et quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam primā viuente non habeat. Quod enim dicit, tale est: Si non propter libidinem, sed propter iniuriam dimittis vxorem: quare expertus infelices priores nuptias, nouarum te immittis periculo? Nec non quia poterat euenire, vt iuxta eandem legem, vxor quoq; marito daret repudium: eadem cautela præcipitur, ne secundū accipiat virū. Et quia meretrix, & quæ semel fuerat adultera, opprobriū non timebat: secundo præcipitur viro, quod si talem duxerit, sub adulterij sit crimine.*

Hieronymus etiam innocenti prohibita ait secundas nuptias.

Si eius de Fabiola sententiam quæras, hunc in modum legit. *Et quia statim in principio quasi scopulus quidam, & procella mihi obtrectatorum eius opponitur, quod secundum sortita matrimonium, primum reliquerit: non laudabo conuersam, nisi prius ream absoluero. Tanta prior maritus vitia habuisse narratur, vt ne scortum quidem, & vile mancipium ea sustinere posset. quæsi voluero dicere, perdam virtutem feminæ: quæ maluit culpam subire diuidij, quam corporis sui infamare partem, & maculas eius detegere. hoc solum proferam, quod verecundæ matronæ & Christianæ satis est. Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris iubetur, hoc cōsequenter redundat in fœminas. neq; enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. Si qui meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo, & quæ scortatori impuro q; sociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. apud illos viris impudicitiæ frena laxantur; & solo stupro ato; adulterio cōdemnato, passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur; quasi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos, quod non licet fœminis, æque non licet viris; & eadem seruitus pari conditione censetur. Dimisit ergo, vt aiunt, vitiosum: dimisit illius & illius criminū noxium: dimisit penè dixi, quod, clamante vicinia, vxor sola non prodidit. Sin autem arguitur, quare repudiato marito, non innupta permanserit: facile culpam fatebor, dum tamen refero necessitatem. Melius est, inquit Apostolus, nubere, quam vri. Adolescentula erat, viduitatem suam seruare non poterat, videbat aliam legem in membris suis repugnantem legimentis suæ & se vinctam, & captiuam ad coitum trahi. melius arbitrata est, aperte confiteri imbecillitatem suam, & vmbram quandam miserabilis subire coniugij, quam sub gloria viduitæ operæ exercere meretricum. Idem Apostolus vult viduas adolescentulas nubere, filios procreare, nullam dare occasionem aduersario maledicti gratia: & protinus, cur hoc velit, exponit. Iam enim quadam abierunt retro post Satanam. Igitur & Fabiola quia persuaserat sibi, & putabat à se virum iure dimissum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuersa causatio, viuentibus viris, fœminis amputatur; dum multa diaboli vitat vulnera, vnū incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cuius pœnitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet, vt post mortem secundi viri in semetipsam reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso agere se liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios, saccum indueret; vt errorem publice fateretur; & totâ vrbe spectante Romanâ ante diem Paschæ in Basilicâ quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium. Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant? Et deinde, postquam illam Petro, & Dauide, pœnitentibus comparasset. Et: Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem fiens Roma conspexit. Disputa habuit latera, nudum*

Secundæ nuptiæ Fabiolæ vmbra miserabilis coniugij.

Pœnitentia de secundis nuptiis viuente priore marito.

nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini; sed extra castra cum Maria sorore Moysi, separata consedit; vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalciatis pedibus, transiuit fluenta lachrymarum. Sedit super carbones ignis. hi ei fuere in adiutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, sic dolebat, quasi adulterium commisisset; & multis impensis medicaminum vnum vulnus sanare cupiebat.

De secundo viro dolor.

Quædam Fabiolæ patrocinia.

Quædam Hieronymi verba videntur excusare Fabiolæ secundas nuptias, viuente priore marito. Verum illa intelligere ex aliis, quæ aperte illas damnant, oportet. Primo ait se ream absoluere. Deinde eam ius habuisse viri dimittendi. Tertio, necessitatem secundi coniugii fuisse asserit. Hisce opponoalia eiusdē Hieronymi. nam facilè fatebor culpam, inquit. Culpam igitur in secundo matrimonio agnoscit, & pœnitentiam eius laudat. Eam comparat Dauidi, & Petro. Deinde ait, eam Euangelii vigorem nescisse. Eum verò ipse nouit esse, vt non possit nubere. *Nam vniuersa causatio nubendi amputatur.* Tertio vnum vulnus incauta accepit. Quartò aperuit cunctis vulnus suum. Quinto receptam ait ad Ecclesiæ communionem. Ea igitur de causa excommunicata fuerat, quam si Hieronymus iniquam iudicauit, cur eam non defendit? Sexto: Post naufragium ait noluisse iterum tentare pericula nauigandi. Naufragium igitur in secundis nuptiis agnoscit, & Hieronymus, & tota Roma, quæ de eius peccato non dubitauit. Quomodo igitur eam Hieronymus absoluit ream? Quia persuaserat sibi se rectè facere, quia Euangelii vigorem non nouerat, quia adolescentula affectu victa est. Infirmitate, ignorantiaque, non meritricio animo peccauit. Hæc summa est excusationis. At Hieronymus refert necessitatem, quæ est omnibus consideranda.

Peccatum Fabiolæ.

Necessitas secundi matrimonij.

Respondeo. Necessitatem visam fuisse talem Fabiolæ, non absolutam, sed quia difficilis, & grauis adolescentulæ continentia videbatur. Cum ergo legitimum matrimonium esse putaret, noluit se fornicandi occasionibus obiicere. Non fuisse necessitatem pœnitentiâ sua docuit; qua demonstrauit, se non necessitate, sed voluntate peccasse. Nam post mortem secundi mariti, facile feruore fidei necessitatem vicit, vt desc ibit Hieronymus. Porrò Caluinus, qui solam fornicationem causam repudii admittit, pro nobis solis respondit, ne vllum putemus esse in vlla necessitate secundarum nuptiarum. [Additur autem, *inquit*, exceptio, quia mulier scortando, se quasi putridum membrum à viro rescindens, eum liberat. Qui alias causas excogitant; quia supra magistratum cœlestem sapere volunt, meritò sunt repudiandi. Elephantiasin volunt iustam repudii causam esse, quia morbi contagio non modo ad maritum, sed & ad liberos perueniat. Ego autem sicuti pio viro consulo, vt Elephantiacam vxorem non attingat, ita eius repudiandæ licentiam non permitto. Si quis obiiciat, opus habere remedio, qui cœlibes viuere nequeunt, ne vrantur: dico remedium non esse, quod extra Dei verbum quæritur, addo etiam, nunquam illis defore continentiæ donum, si Domino se regendos tradant: quia sequuntur quod ille præscripsit. Obrepet alicui vxoris fastidium, vt congredi cum ea non sustineat: an huic malo polygamia medebitur? Alterius vxor in paralysin, vel apoplexiam incidet, & alio incurabili morbo laborabit: an maritus incontinentiæ præteritum illam reficiet? Atqui scimus Spiritus auxilio nunquam destitui, qui in viis suis ambulant. Scortationis vitandæ causa, inquit Paulus, quisque vxorem ducat. Hoc qui fecit, licet non succedat ex voto, suis partibus defunctus est. Ergo si quid desit, Dei subsidio sarcietur. Vltra progredi, nihil aliud est quam Deum tentare.]

Caluinus consulit, ne secundæ nuptiæ ineantur viuente priore cōiuge.

§. 12. Chrysostomi etiam est consentiens Hieronymo authoritas. homil. 17. in Matth. *Ille enim*, inquit, *etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex coniuge; hic verò accipiendo alienam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulsa quoque vxor esse eius qui eam expulit perseuerat. Deinde ne totum in eiicientem referens, magis superbam faceret vxorem, ipsi ne alius postea eam suscipiat, ianuam claudit, dicendo: qui autem dimissam duxerit, adulterat. Per quod certè mulierem facit nolentem pudicam, ad omnes illi aditum claudens, neque permittens vt aliqua viro impatientiæ occasio ministretur. Cum enim didicerit mulier, quod omnimodo necesse sit, aut eum habere quem ab initio sortita sit, aut illius semel eiectam domo, nullum se iam aliud inuenturam esse suffugium, etiam nolens coniugem suum amare, cogetur.*

Chrysostomus viros monij negat posse solui.

Quamuis autem homil. 19. in 1. Corinth. 7. dicat: πάλιν ἐκεῖ μὲν μὴ πλὴ πορνείαν, ὁ ἀνὴρ οὐκ ἔστιν ἀνὴρ, ἐντεῦθεν δὲ καὶ εἰδωλολατρείας ἡ γυνὴ, & ἀνδρὸς τὸ δίκαιον οὐκ ἀπόλυται. *Præterea autem illis quidem post fornicationem maritus non est maritus, illic verò etsi idololatrica sit mulier, mariti ius non amittitur.* Quamuis, inquam, verba appareant esse de solutione vinculi; non tamen indicat, virum iam non esse virum eius, aut ius mariti perdidisse, sic enim retinere, & condonare adulteræ se corrigenti non posset, nec si vir adulter sit, ideo vxor ius amisit vxoris, sed hoc indicat; Adulteram dum alteri se sociauit, Ex proposito & nequitia marito factis renunciasse, eum abiecisse, non tamen solutum esse vinculum matrimonii. Id paulo ante explicuit, cum ait, fornicatione solui matrimonium, vt merito scilicet expelli mœcha possit. Aliis in causis non idem esse iuris.

VERSVS 34.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis. Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino; neque per cœlum, quia thronus Dei est; neq; per terram, quia scabellum est pedum eius; neq; per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. sit sermo autem vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.

QVÆSTIO I.

An omne iuramentum sit prohibitum?

§. 1. Ita olim hæresis Pelagianorum quorundam in Sicilia docuit, Ep. 89. q. 5. apud Augustinum. Secuti sunt & Wiclefitæ, nostro tempore Anabaptistæ. Qui verba redemptoris simpliciter, rectissimeque sequi se arbitrantur. Cum vero duplex iuramentum sit, vt est apud Thom. in 2. 2. q. 89. art. 1. Est duplex etiam ἐπορκία, *periurium*. Nempe iuramentum assertorium, quo ad veritatis alicuius confirmationem Deus in testimonium vocatur. Et promissorium; quo aliquid se facturum, aut non facturum, cum

Iuramentum

Duplex iuramenti

diuini

diuini numinis conteſtatione iurator pollicetur', vtrumque illi negant, magis tamen aſſertorium, eo quod promiſſorium cum voto habeat aliquam affinitatem.

§. 2. Argumentum horum in ipſis verbis eſſe fundatum, ac proinde ſpecioſum videtur. Leuitici 19. 11. & Exodi 20. 7. In Leuitico quidem. ולא תשבעו בשמי לשקר Et non iurabitis in nomine meo mendacium. In Exodo autem.

לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא

Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum. Eadem Deuteronom. 5. 11. Domino autem reddi iuramenta iubentur. Ἀποδώσεις, inquit, τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους 68. *Caute*, inquit Cicero, *vota reddunto*; vt quæ Dei nomine interpoſito concipiantur. Lex illa eſt Num. 30. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum: ſed omne quod promiſit, implebit.* Præſtandum eſt igitur, quicquid iuratum eſt. Quidam hoc interpretantur, vt dicant; ſenſum eſſe. Ne idolorum nomina, ſed Dei in iureiurando vſurpent: ſed prior ſententia tam noſtro, quam Numerorum textui conuenit. Periuria igitur prohibebantur, iuramenta vero permittebantur. At Chriſtus omnino legem illam reformat. *Ego autem dico vobis non iurare omnino.* Ὅλως, quod ad omnia iuramenta pertinet, vt & Syrum ܟܠ *Sach. prorſus*, non igitur vnum genus, ſed omnia prohibentur. Et ſatis indicat verſ. 37. *ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non. quod autem his abundantius eſt à malo eſt.*

Iuramenta Domino reddenda.

Hoctam claro dogmate, vt putant, adducti Anabaptiſtæ iuſiurandum fugiunt omne, ac damnant. Olim hac ex cauſa Manichæi vetus Teſtamentum repudiabant, quod iuramenta permitteret, quæ Chriſtus ſuſtulit. Videntur aliquando & quidam Patrum iuramenta, *in totum*, ita Cyprianus loquitur, improbare. Ita Chryſ. hom. 15. in Gen. *Iuramenta quoq; omnibus modis fugiat: audiens ſententiam Chriſti, quæ dixit, dictum eſt antiquis, non peierabis: Ego autem dico vobis non iurandum omnino. Ne igitur dicat aliquis, in re iuſtâ iuro, neque enim in re iuſtâ, neque iniuſtâ iurare licet. Purum igitur ſeruemus à iuramentis os.*

Chryſoſtomum eo modo quo Chriſti verba interpretamur.

Verum ille cum dicat, non iurandum omnino, non vtitur alio loquendi modo, quam Chriſtus ipſe; quod ſi ergo Chriſti verba ſic exponimus, vt legitima iuramenta illis repugnare negemus, cur non eadem moderatio cadat in verba Chryſoſtomi? neque enim dicemus eum alio ſenſu locutum, quam ipſum Dominum. Quin ipſe dum temeritatem iurandi in concionibus reprehendit, ſatis oſtendit, quæ iuramenta illicita cenſeat. Theophylactum minus excuſare poſſum. Porro, inquit. *ſi dixeris legem Moſis malam ſore; quia iurare iubeat, Diſce tum malum non fuiſſe, poſt Chriſtum malum eſſe, ſicut & circumcidi, & in ſumma quicquid Iudaicum eſt. Sugere enim puero conuenit, viro minime.* Verum errat ille, quod Iudaicam cærimoniam putat eſſe iuramentum, cum Abraham, & alii Patriarchæ, Deus ipſe, & deinde Apoſtoli iurauerint. Orta eſt hæc ſententia, & Patrum quorundam locutiones ex vehementi zelo, cum audirent periurio nomen Dei quotidie blaſphemari. Et ſane quotidie multa millia periuriorum in minimis contractibus audimus. Vt quamuis non ſint Priſcillianiſtæ qui periuria licita dicebant. vt eſt apud Auguſtin. de hæreſ. cap. 70. ita tamen peierant, quaſi peccare ſe non crederent.

Theophylactus videtur iuramenta vetuiſſe.

Multitudo periuriorũ infamat iuramenta.

§. 3. Horum igitur verborum intelligentia ſollicite exquiritur: & inſigni documento nobis eſt, non nuda Scripturæ verba, ſed eius fidei analogiam, Eccleſiæque interpretationem ſpectandam. Etenim etſi Chriſtus dixit: μὴ ὀμόσαι ὅλως, *non iurare omnino*. Fides tamen, quam ille tradidit, non modo quædam licita, ſed nonnulla etiam neceſſaria iuramenta eſſe demonſtrat. Certo igitur ſtatuendum eſt, ita iuramenta prohiberi, vt tamen quædam legitima admittantur, alia etiam præcipiantur.

Nudo Scripturæ verbis non ſemper inhærendũ ſed ſenſui.

Hac igitur in re multorum ingenia elaborarunt. Multi iuramenta vetita affirmarunt; Non quia ipſa ex ſe mala eſſent, ſed quia conſuetudo iurandi, quæ ad periuria deducit, vitanda eſt. Monet Eccleſiaſtic. 23. 9. & 12. ita Clemens Alexand. 7. Strom. Chryſoſtom. homil. 17. in Matth. Ambroſ. ſerm. 14. in Pſal. 118. Auguſtin. lib. 1. Serm. Domini in monte. quam vitandam idem Auguſtinus docet, vt in eius vita Poſſidonius habet, quod tamen eſſe difficilimum alibi aſſerit. Eo vſque vero inualuerat, vt *corruptiſſimis moribus ſeruaretur antiquis, non vt à ſceleribus metu religionis prohiberentur, ſed vt periuria cæteris ſceleribus adderentur.* Sanè notiſſima eſt Auguſtini ſententia. *Ideo prohibet hominem à iurando, ne in periurium prolabatur. Et homo tanto longius erit à periurio, quanto longius à iurando. Et propinquat falſæ iurationi, qui verum iurat.*

In iureiurando periculum periurij.

Sancta prorſus eſt eorum conſuetudo, qui iuramenta vitant, non tamen hoc loco προπέτειαν ſeu iurandi procliuitatem Dominus reprehendit. Cauſas enim reddit; cur non ſit iurandum per cœlum, quia thronus Dei eſt, non quia periculum periurii eſt. atque ita in cæteris nulla prauæ conſuetudinis mentio habetur.

Non prohibetur his iurandi procliuitas.

§. 4. Auguſtinus lib. de mendacio. cap. 15. *Intelligendum eſt illud, quod poſitum eſt, OMNINO, ad hoc poſitum, vt quantum in te eſt, non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliquâ delectatione appetas iuramentum.* Senſus igitur eſt; Nolite iuſiurandum velut rem laudabilem amare, nolite omnino, quantum quidem in vobis eſt, iurare. Quod ſi iurandi cauſam rationabilem vobis aliena incredulitas, aut infirmitas adfert, non prohibemini iurare. Sana eſt & amplectenda illa doctrina; quæ modum iurandi præſcribit, & mallet omnino nullam eſſe iuramenti cauſam, quæ eſt ex diffidentiâ. Et hanc & ſuperiorem rationem Auguſtinus Epiſt. 90. complexus eſt. *Iurationem caue quantum potes. Melius quippe nec verum iuratur, quam iurandi conſuetudine, & in periurium ſæpè caditur, & ſemper periurio propinquatur. Sed illi, quantum aliquos eorum audiui, quid ſit iurare prorſus ignorant: Putant enim ſe non iurare, quando in ore habent, Scit Deus: & Teſtis eſt Deus: &, teſtem Deum inuoco ſuper animam meam: quia non dicitur, per Deum: & quia talia reperiuntur in Apoſtolo Paulo. Sed etiam illa ibi contra eos inuenta eſt, quam non confitentur eſſe iurationem, vbi ait Apoſtolus; Quotidie morior, per veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In Græcis enim codicibus reperitur omnium eſſe hanc iurationem, ne quis in Latinâ linguâ hoc ſic intelligat dictum. Per veſtram gloriam quomodo dictum eſt, per meum aduentum iterum ad vos, & multa ſimilia, vbi dicitur per aliquid, & non eſt iuratio. Sed non ideo quia in ſuis literis iurauit Apoſtolus, vir in veritate firmiſſimus, ludus nobis debet eſſe iuratio. Multo enim tutius, vt dixi, quantum ad nos attinet, nunquam iuramus: vt ſit in ore noſtro; Eſt, eſt, non, non: ſicut Dominus monet. Non quia peccatum eſt verum iurare: ſed quia grauiſſimum peccatum eſt falſum iurare: quo citius cadit, qui conſuetuit iurare.*

Non iurabis, quantũ in te eſt.

Iurant etiam, qui nõ vtuntur verbo per Deum.

Et Serm. in monte lib. 1. *Quapropter qui intelligit, non in bonis ſed in neceſſariis iurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt, vt non ea vtatur, niſi neceſſitate: cum videt pigros eſſe homines ad credendum, quod eis vtile eſt credere, niſi iuratione firmentur. Ad hoc itaque pertinet quod ſic dicitur. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, non, non. Hoc bonum eſt, & appetendum, quod autem amplius eſt, à malo eſt: id eſt, ſi iurare cogeris. ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades.*

Non prohibetur iuramentum, sed forma & modus iurandi.

§. 5. Multorum est expositio, particulam OMNINO referendam non ad genus, sed ad formam iuramenti. Vt sensus sit: nolite iurare omnino, vel per cœlum, vel per terram, aliamve creaturam. Non autem vetari quo minus iuretur per creatorem. Multi hoc tempore hanc interpretationem sequuntur. Sed tamen videtur repugnare altera sententia. *Sit sermo vester est, est, non, non*: Nam si per Deum iuretur, etiam ille sermo additionem accipit: non est enim est, est, non, non. Sed est, est, est, per Deum. Et non, non, per Deum. Verum huic occurrunt obiectiones. Nihil addendum, iurando per creaturas, aut sine reuerentiâ assumendo creaturas.

Iurare, & sine reuerentiâ iurare est prohibitum.

§. 6. Mihi duo certa sunt. Primum est: In veteri Testamento non modo periurium, sed etiam leuitatem, & irreuerentiam vera iurantium fuisse prohibitum. Reuera enim peccatum est, Deum in re leui, sine causa in testem vocare. Id enim etiam terrena maiestas sibi indecorum arbitratur. Alterum est, Iudæos frequenter per cœlum, terram, aliasque creaturas sine veritate, necessitate, reuerentia iurare consuetos.

Iudæorum in iureiurando abusus.

Nec illis iuramentis obligari sese existimabant, vt constat est capite vigesimo tertio. *Qui iurat per templum nihil est*, &c.

Ex quibus manifestè consequitur Christum vt in aliis fecit, Pharisæorum & Scribarum errores corrigere, vt facit cap. 23. & quidem multo expressius. Nec hic statui ab illo legem aliquam cærimonialem, sed naturalem reduci, quam Scribæ deprauatâ interpretatione obscurarant. Illi igitur ita interpretabantur legem, vt dicerent cauendum periurium in assertorio iuramento, & in promissorio præstandum, quod iuratum esset, idque cum per Dei nomen iuratum esset. Hoc Christus probat, & firmat. Alterum erat in quo errabant, quod iurarent temerè per creaturas, atque ea iuramenta nihili facerent. Huic vitio, quod hodie non quidem docetur, sed regnat tamen, Christus medetur, dum ait, omnino his modis non iurandum, neque per cœlum, neque per terram, eo modo scilicet, quo Iudæi iurabant, temerè, leuiter, cum diu ni nominis indirectâ profanatione: imo etiam periurio; cum dicerent: qui iurat per templum, nihil esse. Sensus igitur est. Omnino nolo vos per cœlum vel terram more vobis consueto iurare, existimatis enim mei nominis gloriam illa vanitate non assumi in vanum, quod falsum est. Vt Christus ipse exposuit cap. 23. vers. 16. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis.*

Error Pharisæorum.

Iuramentis per creaturas putabant se non obligari.

Quicunq; iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt. & quicunq; iurauerit in templo, iurat in illo & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.

Ex quo apparet doctrinam Pharisæorum hoc in articulo hæreticam fuisse, quod existimarent: Iurantes per creaturas, non iurare per Deum nec obligari iureiurando, ideo semper eo iuramento, etiam si verè iurarent, grauiter peccabant. Ideo Christus non omnia iuramenta absolutè, neque omnia per creaturas prohibuit. Sed omnia, de quibus ipsi cum Scribis erat controuersia. Eodem modo accipienda sunt illa verba: *Sit sermo vester, est, est; non, non.* Scilicet apertus, sincerus, sine iuramenti culpabilis adiectione, quod enim his *amplius est, à malo est.* Siue scilicet per cœlum, siue per terram, alioque creaturam vestro ritu iuretis. Huc pertinet quod Theophylactus & Pseudohieronymus in hoc loco, item Hilarius Canon. 4. Chrysostomus homil. 17. in hoc caput. Cyrillus lib. 5. in Isai. cap. 65. obseruant, Iudæis per creaturas licuisse iurare, ne per Deum iurarent. Ita enim Scribæ asserebant; ignari contemptum illum temerarii iuramenti, in diuinam maiestatem redundare. Obliqua ergo iuramenta & periuria Dominus reprehendit, qui vera iuramenta reddi Domino imperat. Hinc genera illa iurandi vsitatissima recenset, ne quis inscitiam causari posset.

Non putabant se teneri iureiurando per creaturas.

Id sanè differe indicat Augustinus lib. de Serm. in monte. *Quæri potest*, inquit, *cum diceretur, non iurare omnino, cur additum sit, neque per cœlum, neq; per terram, &c. credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri iureiurando, si per ista iurassent. Et quoniam audierant, reddes autem Domino iusiurandum tuum, non se putabant Domino debere iusiurandum, si per cœlum aut terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum iurarent.*

§. 7. Causa cur verba illa veteres sic intelligenda docerent, vt leges timis iuramentis sit locus, est illa, quod ex Scripturis manifestum iurare non esse peccatum. Multa enim in Scripturâ tum Dei ipsius, tum sanctorum iuramenta legimus. Roman. 1. vers. 9. 2. Corinth. 1. vers. 23. Philpp. 1. vers. 8. 1. Thessal. 5. v. 10. Apocalyp. 10. vers. 6. Quæ, vt alia, suis locis exponentur. Ratio verò est; quia Deum in testem veritatis cum necessitate & reuerentia, atque ita eius inuocatam, immutabilemque veritatem, & omniscientiam iurando profiteri, cultus est religiosus, sanctusque, nec, nisi aliquâ circumstantiâ vitietur, in reprehensionem venit. Recte Augustin. lib. de mendac. ad Consentium c. 15. Multis aliis locis hac de re Augustinus disputat, atq; ex D. Thom. 2. 2. q. 89. & 98. gi*osus.* atque eum in locum auctores.

Iuramenti cultus rei

§. 8. Omnes igitur, etiam hæretici in Anabaptistas hoc loco insurgunt. In primis Caluinus. [Quare v- *Anabaptistas exag*
na cum rixandi libidine crassam inscitiam anabapti- *gitant*
stæ produnt, dum vocem vnam morosè vrgendo *merun*
totum sermonis tenorem clausis oculis prætereunt.] "
Et Pescator Caluinianus, [Cauendus error, *inquit*, "
Anabaptistarum, qui omne iuramentum damnant, "
eo quod Christus dixit. Ne iuretis omnino. At fal- "
luntur ex eo, quod verbis præcise inhærentes non at- "
tendunt ad mentem Christi: quam ex toto hoc de "
iuramento sermone apparet diligi non contra quod- "
uis iuramentum, sed tantùm contra iuramentum temerarium "
& fallax. quare quum dicit, *Ne iuretis omnino*, intelligit, "
nullo modo iurandum esse temerè aut fallaciter: neq; di- "
rectè, neq; omnino: h. e. siue exprimant nomen Dei, si- "
ue nomen alicuius creaturæ, sicut liquet partim ex sco- "
po loquentis, partim ex formulis quas recitat. Erranti- "
gitur Anabaptistæ, quum quod Christus dixit κατὰ τι, "
secundum aliquid & de certo genere: id accipiunt "
tanquam dictum καθόλου simpliciter ac de genere vni- "
uerso. Quod autem Christus non omni iuramento "
interdixerit, ex eo manifestum est: quod non venit vt "
Legem dissolueret, sed vt impleret: in lege autem, & "
quidem Morali quæ perpetua est, continetur quoque "
præceptum de iureiurando, & quidem tanquam de "
singulari cultu Dei, vt Deuter. 6. v. 13. *Iehouam Deum* "
tuum timeto, & ipsum colito: ac per nomen eius iurato. quod "
præceptum repetitur eiusdem lib. c. 10. v. 20. atq; adeo "
iuramentum præcipitur specialiter ei, qui litigat co- "
ram iudice. Exod. 22. vers. 10. & 11. Et certe nisi in nouo "
quoque testamento licitum, imo si tempestiuè adhi- "
beatur, sanctum esse iuramentum iudicasset Paulus: "
nunquam iurasset, iurauit autem non semel vt videre: "
est Rom. 9. v. 1. 2. Cor. 1. v. 23. & c. 11. v. 10. & cap. 12. v. 2. "
Galat. 1. v. 20.] "

Scribæ iurando per creaturas semper peccabant.

§. 9. Qua

Waldenſes partes Caluiniſtarum iuramenti ſeruent illicitum.

§. 9. Qui quidem in re miror eos eſſe in Anabaptiſtas iam vehementes, cum idem error fuerit Waldenſium; dixerunt enim, *omne iuramentum Chriſtianis eſſe illicitum*, ſiue illis diſtinctionibus, quas vel Patres, vel etiam Caluiniani adhibent, vide. Caſtr. verbo, iuramentum. Sanderum, Prat. alios. at Waldenſium ſe poſteros gloriantur. Beza in vita Caluini fratrum eos nomine dignatur. Imo in Iconibus illuſtrium virorum, quas Ioannes Laonius edidit Genuæ anno 1580. magnis eos laudibus proſequitur. Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ, & purioris ſemen appellat, teſtatiſſima ait eorum vitæ innocentiam, nunc etiam habere inſignes Eccleſias religionis puritate, & omnium Chriſtianarum virtutum exemplis. Quomodo igitur Anabaptiſtæ rixandi libidinem & inſcitiam produnt, cum tam ſint Waldenſibus ſimiles, quos à puritate doctrinæ Beza commendat? Cur igitur in Anabaptiſtis errorem perſequuntur, quem in Waldenſibus, ne notandum quidem duxerunt?

Maneat ergo iuramenti religioſus vſus, quod Deus ſæpe vſurpauit, & infirmitati neceſſarium eſt. De quo aurea eſt ſententia D. Baſilii in Pſalm. 14. *Sic itaque in hoc loco contentus abit propheta iuramento quod iuſtum ſit ac rectum. Dominus vero vel occaſionem ipſam reſecat periurii. Qui enim vel recte iurat, ſorte & is poſſit interdum falli: qui vero non iurat, periculum vitauit periurii. Nominat i em propheta multis adeo locis iuramentum immutabilem firmamque rei ac propoſiti cuiuslibet confirmationem, vt eſt illud: Iurauit & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Item, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Non quod Deum ad teſtimonium dictorum fidemque dubietati faciendam induxerit, ſed quod is immutabili ac firmo decreto gratiam promiſſionis Dauidi confirmauit. Sic & hic dictum eſſe poteſt, illud. Qui iurat proximo & non decipit, hoc eſt qui promiſſa affirmat proximo & non decipit, vt cum Seruatoris dicto conueniat: ſit ſermo veſter eſt eſt, non non. De eiuſmodi rebus dum adſtruis & affirmas, annue: de his vero quæ non ita ſe habent, & ſi omnes homines adhortarentur & obſecrarent, nunquam vllo pacto inducaris, vt contra naturæ veritatem affirmes. Non facta eſt res? negatio ſequatur, facta eſt? conſenſu firmetur. Citra vllam verborum implicationem ad aliud reſpiciens ipſam per ſe veritatem ſtudeto exprimere ſimplici ac nudaruſus aſſenſione. Qui vero affirmanti minime ſic crediderit, ipſe viderit: damnum ſentiet incredulitatis. Turpe enim & omnino ſtultum, ſeſe vt fide indignum accuſare, & ad iuramenti ſecuritatem confugere.*

Ita iurandum per iuramentum non tollitur.

QVÆSTIO II.

An per creaturas iurare liceat?

Per creaturas iurare vt in illa maiestatis diuina relucet.

§. 1. DIſputat quæſtionem illam D. Thomas 2. 2. q. 8. art. 6. Atque in hæc verba definit: *Et ſimiliter iuramentum principaliter refertur ad ipſum Deum, cuius teſtimonium inuocat. Secundario autem aſſumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ, non ſecundum ſe, ſed in quantum in eis veritas diuina relucet.*

Duplici igitur modo iuramentum fieri per creaturas poteſt. Primo vt creaturæ veluti dii in teſtimonium conſcientiæ vocentur, atque ita illis numen, ſeu diuinitas aliqua tribuatur. Et hoc quidem iuramentum omnino idololatricum eſt, ideo vetitum, vt Chryſoſtom. homil. 17. Cyrillus lib. 5. in Iſa. cap. 65. Pſeudohieron. Hilar. can. 4. ita 22. quæſt. 1. cap. clericum. Vereque affirmat Innocentius III. *Chriſtum prohibuiſſe iuramentum per creaturas, non per creatorem, ne per eiuſmodi iuramentum transferretur ad creaturam honorificentia creatoris.* Huc pertinet iuramenta per dæmones, & Deos falſos, de quibus Auguſtin. Epiſt. 104. Et hæc de re nulla eſt apud Chriſtianos quæſtio.

§. 2. Alia ratio eſt, vt per creaturam iuremus, non vt in illa ſiſtamus, ſed ad Deum omnia referamus, creaturæ autem mentio fit, vti ad Deum refertur, & in ea Deus relucet, eiuſque ſcientia, & iuſtitia. Nec recens illa eſt diſtinctio, ſed olim reipſa inter Chriſtianos martyres vſitata. Etenim per genium Cæſaris vt iurarent, nullis tormentis adduci poterant, per ſalutem eius iurare licitum ſibi ducebant. Ita Tertull. Apolog. c. 31. *Sed & iuramus ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis. Neſcitis genios Dæmonas dicit, & inde diminutiua voce Dæmonia? Nos iudicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus qui gentibus illos præfecit. Id ineis eſſe ſcimus, quod Deus voluit: ideoque & ſaluum volumus eſſe quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. Cæterum Dæmonas, id eſt genios adiurare conſueuimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* Chriſtiani per ſalutem Cæſaris, nō genium iurabant.

Per genios non iurabant; quia dæmoni tribuerent honorem Deo ſoli debitum. Per ſalutem iurabant, quia in ea ſeruanda diuina miſericordia laudabatur. Quamuis hoc iurandi genus multi reges improbarunt, & nunc inuſitatum. Refert doctiſſimus Pamelius in Tertull. hunc locum, legibus Clodouæi, Childeberti, Clotarii ſanctri, vt nullus præſumat, per vitam regis, & filiorum eius iurare. Per regum ſalutem iurare Francis prohibitum.

§. 3. Iuramenta quæ per creaturam fiunt vera ſunt iuramenta; non quia creaturæ aſſumuntur ad teſtificationem veritatis, ſed quia obliquè, ſeu indirectè Deus in teſtem vocatur. Itaque honor qui creaturæ in illa iuratione exhibetur, nec eſt reſ gioſus, nec honor niſi æquiuoce, tendente in Deum principali intentione, quamuis aliquando vere & proprie etiam honoretur creatura, ſed tum honor ille admodum diuerſus eſt ab eo, quo Deus colitur. Si enim quiſpiam ita iuret: In iuramento creaturam Deus inuocatur in teſtem.

Et cœlos, & conſcia ſidera teſtor.

Si proprie loquitur, ſi non per proſopopœiam, cœlum alloquitur, idololatria eſt. Creaturas enim mutas in teſtimonium vocat. Si vero dicat alia forma: per cœlum, & ſidera iuro. Impius eſſe ſenſus poteſt, modo explicato; & pius, ſi Deus in teſtimonium vocetur cum mentione creaturæ, vt creaturæ nullus honos niſi Dei intuitu tribuatur, itaque eo modo improprie dicitur honorari creatura. Cum tamen iuratur per creaturam rationis compotem, ideoque veri honoris capacem, non eſt dubium proprie illam honorari, vt cum dicitur:

Per caput hoc iuro, per quod pater ante ſolebat.

Creatura rationalis cū per eam iuratur vere honorat.

Quis non videt amoris & honoris ſignum eſſe, iurationem per caput filii? ſic & reges ſuos honorant, qui per ſalutem eorum iurant.

Hoc tamen certo ſtatuendum eſt, cum per creaturas iuratur, ſi iuriſiurandi naturam ſpectes, eam proprie ad Deum pertinere, creaturam autem iungi, ad explicationem aſſertionis. Vt cum iurat Aſcanius.

Per caput hoc iuro per quod pater ante ſolebat.
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus.

Deum, ait, in teſtem voco tam vere & ſincere, quam cupio me ſaluum eſſe. Aut Deum teſtor, tibi apud me præmia repoſita fore; ita ſim ſaluus. Si vero per cœlum iurat, aut templum. Senſus eſt; Deum teſtor hoc ita verum eſſe, quam verum eſt cœlum eſſe, templum eſſe ſanctum. Hoc etiam notandum cum per caput, per animam, per ſalutem ſuam iurat quiſpiam tacitam execrationem contineri.

§. 4. Quapropter errat hoc loco Beza, Piscator, Daniel Tossanus, & alii, qui negant, has formulas fuisse licitas, nec Christum approbasse. Atque hinc nullo modo probari sanctorum inuocationem, vel iurationem per sanctos, cum tamen Bellarminus, & Maldonatus, id probent, ex formulis iurandi. Idem iam ante de Sanctis Caluinus professus erat comm. in hunc locum. Basilius in Psalm. 14. non putat has formas esse vera iuramenta. *Sunt autem sermones quidam, iuramentorum quidem figuram habentes, non tamen iuramenta omnino existentes, sed remedia potius persuadendi, vt Ioseph Aegyptium familiarem sibi reddere cupiens, per sanitatem iurauit Pharaonis. Et Apostolus charitatem suam erga Corinthios ostendere volens, ait: Per gloriam vestri quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Non enim euangelicæ doctrinæ immorigerus fuit & inobediens is cui concreditum erat Euangelium, sed simplici sermone sub forma iuramenti reddito, gloriationem quam in ipsis habebat, omnium sibi pretiosissimam esse hoc verborum tropo vsus ostendit.*

Iuramentũ cum creatura assumitur, eius respectu non est proprie iuramentũ sed Dei.

Hæc sententia ita vera est, vt non negandum sit, in formulis quas Christus protulit verum esse iuramentum, dicit enim: *per cœlum iurare eos, & per eum, qui est in cœlo.* Sed tantum iuramentum quoad suam propriam essentiam in Dei inuocatione consistit, ex creatura vel precatio, vel execratio, vel comparatio sumitur, sine quibus tamen est integrum iuramentum. Piscator in hunc locum partim iuramenta concedit, partim repudiat, ita enim notis in hunc locum suæ sententiæ dubius, loquitur.

„ [Quæritur, an liceat iurare per creaturam. Ratio
„ dubitandi est: quia Christus videtur hoc loco conce-
„ dere iuramenta per creaturas facta, dummodo non
„ fiant fallaciter aut temere. Hæc enim duo, ac præci-
„ pue posterius, videtur hoc loco reprehendere: non
„ autem ipsas illas iurandi formulas. Contra autem Lex
„ præcipit, vt per solum Deum iuretur. Etenim præce-
„ ptum illud de iurando per Deum, Christus interpre-
„ tatur addita particula Solus, supra 4. vers. 10. Respon-
„ deo: per solum Deum iurare licet: quia Deus solus
„ intuetur iurantis animum, & solus potens est ad pu-
„ niendum fallentem, & denique quia iuramentum est
„ cultus Dei. Quod autem Christus hoc loco non re-
„ prehendit illas ipsas iurandi formulas, ex eo non po-
„ test inferri quod eas approbet. Attamen sancti viden-
„ tur iurasse per creaturas: vt Ioseph per vitam Pharao-
„ nis Genes. 42. viuit Pharao. Hanna per vitam Eli.
„ 1. Samuel. 1. viuit anima tua. Dauid per vitam Iona-
„ thæ, 1. Samuel. 20. viuit Iehoua, & viuit anima tua.
„ Abigail per vitam Dauidis, 1. Samuel. 25. viuit Iehо-
„ ua, & viuit anima tua. Respondeo: hæ locutiones non
„ sunt proprie iuramenta: sed assеuerationes per colla-
„ tionem rei alicuius certæ & manifestæ: vt sententia
„ earum sit; ea quæ asseuerantur, tam esse certa, quam
„ certo viuit Pharao, Eli, Ionathas, Dauid. Interim as-
„ seueratio illa Iosephi non videtur carere vitio, & qui-
„ dem gemino, vno quod illam adhibuit simulatè: al-
„ tero, quod vsurpauit formulam Ægyptiorum qua illi
„ nimium tribuerunt Regi, tanquam si immortalis es-
„ set. Porro contestationis qua Moses contra filios I-
„ srael contestatus cœlum & terram, Deuteronom. 4.
„ versicul. 26. paulum diuersa est ratio. significat enim
„ ὑπερβολικῶς, illas quoque creaturas, quantumuis in-
„ animas & intelligentiæ expertes, tamen quodam mo-
„ do audire quæ ipse coram illis loquatur, ac proinde
„ testes fore in iudicio Dei contra filios Israel, ne pos-
„ sint ad se excusandum prætendere, sibi non esse à quo-
„ quam indicatum quid sui esset officii seu quomodo
„ Deus à se coli vellet. Nec tamen Moses dicendo,
„ Contestor contra vos cœlum & terram, iurat per illas
„ creaturas: sed tantum asseuerat, se illis creaturis quasi
„ conscriis proposuisse Israelitis euentura mala nisi pa-
„ truerint legi Dei. Quare ista exempla Sanctorum ni- «
„ hil iuuant Pontificios, qui putant licitum esse iurare «
„ per sanctos defunctos: atque etiam id faciunt.] «

Ad argumentum non opus est noua responsione; non enim ita per creaturas iuratur, vt veluti conscię cogitationum in testimonium vocentur. Verum Piscatori præstat opponere Magistrum eius Caluinum aliter sentientem, cuius ista sunt.

[Falluntur qui exponunt has iurandi formas à « Cur lici-
Christo corrigi quasi vitiosas, eo quod per solum « tum sit
Deum iurandum sit. rationes enim quas adducit, ma- « per cre-
gis in contrariam partem inclinant, quod scilicet tunc « aturas iu-
quoque iuretur per nomen Dei quum cœlum & terra « rare.
nominantur: quia nulla est pars mundi cui Deus non «
insculpserit gloriæ suæ notam. Videtur tamen hæc «
sententia non congruere cum legis præcepto, vbi «
Deus per nomen suum iurare diserte iubet: item cum «
tot scripturæ locis, vbi conqueritur, iniuriam sibi fieri «
quoties iuratur per creaturas. Respondeo corruptelã «
esse idololatriæ affinem, quum vel iudicii potestas, «
vel testimonii probandi authoritas illis defertur. spe- «
ctandus est enim ipse iurandi finis, quod scilicet ho- «
mines appellant Deum perfidiæ vltorem & veritatis «
præsidem. Hic honor alio transferri nequit, quin « Caluinus
violetur eius maiestas. Hac ratione dicit Apostolus « sanctis-
non rite iurari nisi per maiorem; & hoc soli Deo esse « simũ.
proprium, vt per seipsum iuret. Ita quisquis olim per «
Moloch vel per aliud idolum iurabat, tantundem «
minuebat ex iure Dei, quod alium eius loco substi- «
tueret cordium cognitorem & iudicem in animas. Et «
hodie qui per angelos vel sanctos mortuos iurant, «
spoliato Deo, inane illis numen affingunt. Diuersa «
autem ratio est, quum per cœlum & terram iuratur i- «
psius opificis intuitu. Neque enim in creaturis sub- «
sistit iurisiurandi religio: sed Deus ipse solus aduoca- «
tur in testem, productis in medium gloriæ eius sym- «
bolis. Porro cœlum scriptura Dei solium vocat, non «
quod illic sit inclusus, sed vt discant homines sursum «
mentes attollere quoties de ipso cogitant, nec quic- «
quam terrenum vel humile de ipso imaginentur. I- «
mo terra, scabellum pedum eius ideo vocatur vt scia- «
mus ipsum vbique diffusum nullis locorum spatiis ca- «
pi. Hierosolymæ sanctitas ex promissione pendebat. «
Sancta ergo fuit, quod eam Dominus in sedem ac do- «
micilium elegerat sui Imperii. Quum iurant homi- «
nes per caput suum, vitam suam, quæ singulare est «
Dei donum, tanquam bonæ fidei pignus, in medium «
adducunt.] «

Fallitur igitur Piscator, Beza, aliique iudice Caluino. Quin & ipse fallitur. Cum ait, *Et hodie qui per angelos, vel sanctos mortuos iurant, spoliato Deo inane illis numen affingunt.* Cui facile ex ipso est respondere: Per sanctos enim & angelos non minus iuramus i- *Per sanctos iuramus.*
psius opificis, & sanctificatoris intuitu, quam per cœ-
lum, quod est domicilium Dei & sanctorum, cum ipsi *quia mem-*
sint templum Dei, imo & membra, multoque magis *bra in his*
in his diuina maiestas, quam in corporata machina *diuina ma-*
mundi relucet. Sunt igitur sancti & angeli diuinæ *iestas relu-*
gloriæ symbola, effectusque. Quod si quispiam per *cet.*
angelos, sanctosque velut numina, cordium cogni-
tores, & iustitiæ vindices iuret: dubio procul cum di-
uinum honorem creaturæ deferat, ab idololatriæ cri-
mine non excusabitur.

§. 5. Hinc manifestum est, creaturæ ad Deum re- *Creatura*
latæ, seu vt Caluinus loquitur opificis intuitu, & vt in *ad Deum*
ea diuina gloria velut in Symbolo relucet, maiorem *relata ma-*
honorem posse tribui, quam in se, & natura sua soli- *iorem ho-*
tarie spectatæ. Priore enim modo per eam iurare fas *norem*
est, posteriore nefas. Immerito igitur Maldon. & Bel- *quam soli-*
larminus à Daniele Tossano reprehenduntur. Te- *tarie exi-*
mere enim aut falso per cœlum non est iurandum; *stata.*

quia

quia thronus Dei, nec per terram; quia scabellum pedum eius, cuius causa non nisi legitime per ea iurandum est. Nec per caput nostrum, vt illud scilicet denouemus; quia non est in nostra potestate, sed Dei, non ergo de salute ludendum est, aut deierationibus malum accersendum.

Nihil sermoni addendum eorum quæ sequuntur.

§. 6. Cum sermonem nostrum iubet esse, *Est, est, non, non.* *Et quod amplius est, à malo esse* dicit, ex analogia superiorum interpretationum intelligendus est. Et primo quidem quod legimus, ἔστω δὲ, Erasmus vertit; *erit vero*, ac si legerit: ἔσται δὲ, quod et am est in Syro ארא תהוה ara the heue *igitur erit.* Græca tamen constanter retinent ἔστω, vt Chrysostom. etiam, aliique.

Caluinus quidem candorem animi tantum exigi existimat. Quasi dicat, quod affirmandum est, affirmate, quod negandum negate. Verum ex superioribus constat, additiones iuratorias prohiberi, ne affirmationi adiungant iuramenta siue causa, siue per cœlum, siue per terram. Verat enim τὸ περισσὸν, quod superfluum est; hoc enim à malo est, ὅτι ἐκ πονηροῦ à diabolo.

Geminatur et sit, nam, nam. Quæritautem solet cur geminarit particulas ναὶ, ναὶ: οὒ, οὔ; Quidam respondent id factum emphaseos causa; malle enim vt affirmationem, negationemue bis repetant, quam vt iurent.

Alii primam particulam esse interrogantis, alteram respondentis hunc in modum. *Sermo vester sit* ναὶ; Est? si interroges. sit ναὶ, *Est*; si respondeas. itaque sic distinguunt. Est? Est. Non? non. Verum nec in Græco, nec in Syro apparet ista distinctio, & nota interrogationis, nec apud Patres. Syrus cum nostro conuenit, nisi quod copulam interponit. ait enim ארין ולא לא *In, In*, & *ve la la. Etiam, etiam*, & la la, non, non. Manet igitur sensus, si affirmandum est; dicamus, Est; si negandum, Non, vt sit nuda sine iureiurando vel affirmatio, vel negatio, vt rei veritas exigit. Non arbitror contineri affirmationis aliquam vehementiam & intensionem his præceptis, vt cum dicimus certè, sanè, profectò. Nam Mehercule, Medius Fidius, ex prima origine iurationem idololatricam continent, ab ignorantibus tamen vt aduerbia interdum vsurpantur.

Repetitio vehementiã indicat. Quod vero ad repetitionem attinet, illa omni fere in lingua, cum vehementius negamus, vel affirmamus locum habet. In hebræo exemplum est, 4. Reg. 10.15. vbi Iehu interroganti ex Ionadab, *estne anima tua mecum?* respondet ille magno affectu, וישׁ וישׁ Ieschvaiesch *est, & est.* Verum hoc dubium est: nam וישׁ ad Iehu potius referendum, vt faciunt 70. & Chaldæus, sed hoc suo loco explicandum.

Non necessaria iuramenta addit malo. §. 7. *Quod vero amplius est*, περισσὸν, *quod redundat*, loquitur enim de iuramento non necessario, id à malo est. Variæ interpretationes. 1. à malo alterius non credentis nisi iuranti. 2. à mala consuetudine iurantis. 3. à malo quo concessum Iudæis iurare per creaturas. 4. à malo, quo Iudæi iurabant sine reuerentia & veritate per creaturas. 5. à dæmone, qui per antonomasiam vocatur πονηρὸς malus. Ille enim iurandi consuetudinem, & periuria inducit. Atque hæc posterior vera est, & literalis expositio. Syrus habet מן בישא הו Men bischa hu. *à malo illud.* Est vero Bischa vt πονηρὸς insignitè malus, & in flagitiis exercitatus.

VERSVS 38.

Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. & quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei; & volenti mutuare à te, ne auertaris.

QVÆSTIO VI.

An lex talionis sublata sit, & iudicia Christianis prohibita?

Lex talionis est communis. §. 1. ÆQuissima semper visa est lex Talionis; nam & in 12. tabulis habebatur, *si membrum meum rupit, ex pacto talio esto.* Et probat Aristoteles 5. moral. ad Nicomachum. Gellius lib. 22. aliique. Deus ea de re legem tulit. Exod. 21. 23. *Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore, &c.*

Et Leuitici 24. 19. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.*

Et Deut. 19. 19. *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.*

Talio non semper necessaria, nec iustus. §. 2. Non tamen lex illa perpetua est, nec semper necessaria, imo esse quandoque posset iniusta. Neque nude sine circumstantiis est accipienda. Primum manifestum est; nam Exod. 21. 26. si seruum Dominus percusserit, oculum, aut dentem excusserit, non petitur oculus pro oculo, dens pro dente, sed seruo libertas parata est. Itaque nihil opus est eam in republica seruari, cum iuridicialis, & illi populo accommodata fuerit.

Iniusta fuerit in magna personarum inæqualitate. Non enim si quis regi alapam infregerit, ipse quoque alapa recepta defungetur, sed morte multabitur. Nec Semei maledictionem, aut calumnias Dauid verbis, sed gladio puniet; nam testamento mortem eius decernet.

Talione nõ semper satisfit læso. Aliæ quoque circumstantiæ requiruntur vt talionis pœna sit legitima. Satisfaciendum est enim iniuriam passo, damnumque sarciendum, quod talione non fit semper, sed alia ratione. Si enim Titium Caius excæcauit, non adiuuatur paupertas Titii mutua Caji cæcitate, quam ille quidem sustinebit, vt meritas pœnas Reipublicæ pendat, Titio tamen alimenta præstabit.

§. 3. Hanc Dei legem Christus non sustulit, est enim

nim naturalis æquitatis, sed quæ erant additamenta Pharisæorum reiecit. Existimabant illi contra iniuriosum licere statim insurgere, & sese vindicare.

His vero sententiam suam exponit.

Primo, non resistendum malo, μὴ ἀνθιστῆναι, *non violenter obsistere*, vel vt Syrus לא תקומון dela Thecumun, non insurgendum contra malum. Quorum verborum non est sensus, non esse iniuriæ resistendum, mala vicissim inferendo, vt τῷ πονηρῷ sit instrumentum, sed non esse resistendum iniuriæ, vel iniurioso, illatis vicissim damnis, & pensata iniuria. Quod Scribæ permittebant.

Nõ resistendum malo.

§. 4. Duo præcipue hominum genera fidem Christianam ex hoc loco arguebant. Gentiles & Christiani nomine solo, hoc est, Manichæi. Gentiles quidem calumniabantur euerti Rempublicam, si omnes iniuriam acciperent, nemo repelleret. Manichæi Deum veteris Testamenti malum esse, & sæuum vindicem, ideo eius leges à Christo corrigi. Vtrunque refellit S. Augustinus, & Gentes quidem Epist. 5.

Lex caritatis nõ euertit Rempublicam.

§. 5. Marcellinus Ethnicorum causationem hunc in modum proponit. [Tum deinde quod eius præ- « dicatio atque doctrina, Reipubl. moribus nulla ex « parte conueniat: vtpote, sicut à multis dicitur, cuius « hoc constet præceptum, vt nulli malum pro malo red- « dere debeamus, & percutienti aliam præbere maxil- « lam, & pallium dare persistenti tunicam tollere, & « cum eo qui nos angariare voluerit, ire debere spacio « itineris duplicato: quæ omnia reipubl. moribus asse- « rit esse contraria. Nam quis tolli sibi ab hoste aliquid « patiatur, vel Romanæ prouinciæ deprædatori non « mala velit belli iure reponere: & cætera quæ dici ad « rem posse, intelligit venerabilitas tua.] Hæc Marcellinus Gentilium pulsatus quæstionibus, & Epistolas Augustini eliciens.

Respondet Augustinus, etiam principes gentium ignouisse, Cæsaremque à Cicerone laudatum, quod obliuisceretur iniurias, ciuitatem non nisi concordiâ factam esse. Deinde, *hoc quippe fit*, ait, *vt vincatur bono malus, imo in homine malo vincatur bono malum, & homo liberetur à malo, non exteriore & alieno, sed intimo ac suo, quo grauius & perniciosius, quam cuiuslibet hostis extrinsecus immanitate vastatur. Qui ergo vincit bono malum, patienter amittit temporalia commoda, vt doceat quam pro fide atque iustitia contemnenda sint, quæ ille nimis amando fit malus: ac sic iniurioso ab eo ipso cui fecit iniuriam, discat qualia sint propter quæ fecit atque in concordiam, qua nihil est vtilius ciuitati, pœnitens acquiratur, victus non sæuientis viribus, sed beneuolentia patientis. Tunc enim recte fit, cum videtur ei profuturum esse propter quem fit, ad operandam in eo correctionem, atque concordiam. Hoc certe animo faciendum est, etiam si alius exitus consequatur, nec corrigi velit atque pacari, propter quem corrigendum atque pacandum, velut curandum & sanandum adhibita est ista medicina.*

Omni Reipub. necessarium delictis ignoscere.

Ignoscendũ est, cum sic malus emendatur.

Primo hoc recte fieri censet, cum speratur correctio malum inferentis. Tunc enim recte fit, cum videtur ei profuturũ esse. Et sane si recte consideremus, vt plurimum prodest improbo patientia tolerantis iniuriam, si non omnem humanitatem excusserit.

Secundo patientiam exhibendam, vt numerus potius crescat bonorum, non vt pari malitia se quoque addat numero malorum.

Tertio: Hæc in præparatione animi consistere. *Denique ista præcepta magis ad præparationem cordis quæ intus est pertinere, quam ad opus quod in aperto fit, vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia: in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus, hinc liquido ostenditur, quod ipse Dominus Iesus exemplum singulare patientiæ cum percuteretur in faciem, respondit: Si male dixi, exprobra de malo: si autem bene, quid me cædis? Nequaquam igitur præceptum suum, si verba intueamur, impleuit. Neque enim præbuit percutienti alteram partem, sed potius prohibuit, ne qui fecerat iniuriam augeret: & tamen paratus venerat, non solum in faciem percuti, verum etiam pro his quoque, à quibus hæc patiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Nec Paulus Apostolus præceptum Domini & magistri sui videtur implesse, vbi etiam ipse percussus in faciem dixit principi sacerdotum; Percutiet te Deus paries dealbate: sedes iudicans me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.*

Beneuolentia in animo retinenda.

Christus & Apostolus altera maxillam non præbuerunt.

§. 6. Ita ista ergo præcepta sunt in præparatione animi tenenda: vt aliquando vetitum sit, opere externo implere: ne irritatione aduersariorum, peccata eorum augeamus. Interdum vero cum eorum speratur emendatio, faciendum omnino, vt altera præbeatur maxilla, pallium dimittatur, duplex via eatur. Falso itaque Caluinus, Beza, Bullingerus ista negant. Desipere eos ait hoc loco Bullingerus, qui secundum literam intelligunt. [Quod autem alii literæ inhæ- « rent, loquutionumque scripturæ ignari contendunt « spretum esse Domini præceptum, nisi protinus & pa- « lam obuertas percutienti vtramque maxillam, stolide « accipiunt literaliter desipiunt. Dominus enim loquutio- « nibus istis Hyperbolicis, & quodammodo paraboli- « cis, non aliud voluit quam summam patientiam ani- « mique moderationem docere, vtque tantum abs- « mus à cupiditate vindictæ, vt vltro parati simus alte- « tam potius iniuriam admittere, quam malum malo « pensare. Alioqui enim ne dominus ipse quidem in « dextram percussus à ministro pontificis alteram mox « obuertit.] «

Aliquando non licet vti facilitate.

Verum non est insipientia summæ patientiæ exemplo hostem lucrari. Quod fieri potest, lege secundum literam obseruatâ.

§. 7. Non obstare autem Reipublicæ, mansuetudinis præcepta ex eo constat, quod priuatæ vindictæ, & impatientiæ, odiisque frenos iniiciunt. Princeps & iudex ex officio gladium portat, ei curæ est salus ac defensio ciuium: cui tamen in ipsa pœna animi tranquillitas præcipitur. Qua de re optime Augustinus. *Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda: ipsaque beneuolentia ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem multa, etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius vtilitati consulendum est, quam voluntati, quod in principe ciuitatis luculentissime illorum literæ laudauerunt. Nam in corripiendo filio quamlibet asperè, nunquam profecto amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit & doleat, qui etiam inuitus videtur dolore sanandus. Ac per hoc si terrena ista respublica præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine beneuolentia non gerentur, vt ad pietatis iustitiæque pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

Priuatæ hæ sunt vltio mandata, sed cum animo moderato.

Beneficium est magis legitime puniri.

§. 8. Hisce igitur verbis prohibetur, priuatorum vindicta, odium ac impatientia. Vt nec ipsi læsi inuadant, nec cupiditate vindictæ sæuientes à iudice vltionem impetrent. Dei enim hoc munus est; *mihi vindictam, & ego retribuam.* Deinde vt potius maiorem iniuriam sustineamus, quam minorem vlciscamur. Tertio, vt cum gloria Dei, & salus proximorum id exigit, de nostro iure lubentes remittamus.

Nullo modo autem prohibetur inculpatæ tutelæ defensio, aut sui iuris legitima prosecutio. Modo animi moderatio, æquitasque seruetur. Suadetur tamen vt quamuis vel saluti proximorum, vel Dei gloriæ ne-

Iniuria propter eorum conceditur, vltionis ardor extinguatur.

itiæ necessarium non sit, humilitatis tamen, & mortificationis causa iniuriam feramus. Et hac quidem in re nobiscum consentiunt etiam sectarii, & anabaptistas confutant, vt Piscator in notis.

[*Ne resistatis malo.* vindicta priuata est illicita. Conferr Romanor. 12. versic. 19. *Non vosmetipsi vlciscentes, &c.* Leuit. 19. versic. 18. *Ne vlciscitor.* Deuteron. 32. versic. 35. *Mea est vltio, ait Iehoua.* quasi dicat: Non autem tua. Adhunc enim modum ex illo dicto ratiocinatur Paulus loco modo citato. Ex iisdem verbis cauendus hoc loco error Anabaptistarum: qui statuunt, administrationem iuris Christianis esse illicitam. Itaque iudicia & actiones forenses simpliciter damnant. At, inquam, non attendunt ad mentem Christi: Nihil enim aliud his verbis prohibere voluit Christus, quam vindictam priuatam & iniuriæ acceptæ retaliationem, cum quis par pari refert, & malum pro malo reddit. Publicam autem vindictam quæ fit per magistratum aperte stabilit Spiritus S. per os Pauli Rom. 13.]

Addendum est etiam publicam vindictam prohiberi quæ cupiditate vlciscendi, ira odioque, non zelo iustitiæ, correctionis, & publicæ tranquillitatis appetitur. Hanc animi præparationem etiam in bellorum tumultibus Augustinus requisiit, lib. 22. c. 75. & 76. contra Faustum.

§. 9. Quod vero Faustus contendebat bella Mosis crudelia, vel non iussa à Deo: vel si iussa essent, Deum illum bonum non esse, qui tam crudelia iuberet: aut sane eum non esse, qui nunc vetat malo resistere. Augustinus lib. 22. cap. 76. dissoluit. Hæc esse in animi præparatione. Interim cap. 75. illud sanctis non obesse, cum Deo auctore bellum geritur. & cap. 74. Mosen in illis non sæuientem, sed obedientem fuisse. Nec Deus, inquit, qui iubebat ista, sæuiebat; sed dona dignis retribuebat, & dignos terrebat. Narrat vero ex Manichæorum libris seu historiam, seu fabulam, quæ huc pertinet, cap. 79. *Ibi tamen legunt Apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum conuiuio peregrinus & prorsus incognitus, à quodam ministro palma percussum, imprecatum fuisse homini conuiuium sæuamque vindictam. Nam cum egressus fuisset ad fontem, vnde aquam conuiuantibus ministraret, eum leo irruens interemit, manumque eius, qua caput Apostoli leui ictu percusserat, à corpore auulsam, secundum verbum eiusdem Apostoli id optantis atque imprecantis, cani intulit mensis, in quibus ipse discumbebat Apostolus. Quid hoc videri crudelius potest? Verum quia ibi, nisi tamen fallor, hoc etiam scriptum est, quod ei veniam in seculo futuro petiuerit, facta est compensatio beneficii maioris: vt & Apostolus quam charus Deo esset, per hunc timorem commendaretur ignotis: & illi post hanc vitam quandoque finiendam, in æternum consuleretur. Vtrum illa vera sit, aut conficta narratio, nihil mea nunc interest. Certe enim Manichæi, à quibus illæ scripturæ, quas Canon ecclesiasticus respuit, tanquam veræ atque sinceræ acceptantur, saltem hinc coguntur fateri, virtutem illam patientiæ, quam docet Dominus, dicens:* Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & sinistram: *posse esse in præparatione cordis, etiamsi non exhibeatur gestu corporis, & expressione verborum: quandoquidem Apostolus palma percussus, potius Deum rogauit, vt iniurioso homini in futuro seculo parceretur, in præsenti autem illa iniuria non inulta relinqueretur, quam vel præbuit ferienti alteram partem, aut vt iterum ferret, admonuit. Tenebat certe interius dilectionis affectum, & exterius requirebat correctionis exemplum. Siue hoc verum sit, siue confictum, cur nolunt credere tali animo famulum Dei Moysen idoli fabricatores & adoratores gladio prostrauisse: cum & in eius verbis satis appareat, ita huiusmodi peccato eum veniam deprecatum, vt nisi impetraret, deleri se vellet de libro Dei.*

D. Thomã vindicasse & moderate dicebant Manichæi.

Bella licita est.

§. 10. Quin & illud optime dictum ab Augustino, lib. 19. contra Faustum c. 25. cum dicitur: Oculum pro oculo; non fomitem, sed limitem esse furoris. *Iam vero illud quod antiquis dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente: quomodo contrarium habet quod ait Dominus, Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis percusserit te in maxillam tuam dexteram, præbe illi & alteram, &c. Quandoquidem & illud antiquum ad reprimendas flammas odiorum, sæuientiumque immoderatos animos refrænandos, ita præceptum est. Quis enim tantundem facile contentus est reponere vindictæ, quantum accepit iniuriæ? Nonne videmus homines leuiter læsos moliri eadem, sitire sanguinem? vixque inuenire in malis inimici vnde satientur? Quis pugno percussus, non aut iudicia concitat in damnationem eius qui percusserit, aut si ipse repercutere velit, totum grauius in hominem, si non etiam telo aliquo arrepto, pugnis calcibusque sto contundit? Huic igitur immoderatæ, ac per hoc iniustæ vltioni, lex iustum modum figens pœnam talionis instituit: hoc est, vt qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pendat. Proinde oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est: non vt id quod sopitum erat hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat, vltra extenderetur. Imposita est enim quædam iusta vindicta, iusteque debetur ei, qui fueris passus iniuriam.*

Vltra talionem progredi vetat.

Plerique vlciscuntur.

VERSVS 43.

Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

Vers. 44. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos:

Vers. 45. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filii patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

QVÆSTIO I.

An veteri lege licuerit odisse inimicos?

§. 1. MAndatas Iudæis inimicitias quarundam gentium, vetita fœdera ex scriptura nouimus, vt Deut. 25. Exod. 23. Toties iubentur Chananæos occidere, non habitare inter eos. Hinc eo deuenerunt, vt existimarent, odia earum gentium sibi mandata. Et tandem illud: *Diliges proximum tuum,* restrinxerunt ad eum, qui beneuolus esset: Id enim ex eo constat, quia additur, *Et odio habebis inimicum tuum.* Quocirca Christus monet, non solos amicos, sed etiam inimicos diligendos. Hoc igitur caritatis præceptum, quod totum genus humanum amore mutuo deuincit, peruersa interpretatione ad sui generis homines, deinde ad amicos restringebant Phariſæi. At in lege dilectionis omnis homo habendus est pro proximo. Nam si nos in Turcas & barbaros incidamus, vel bello capti, vel naufragio eiecti, homines ab hominibus officia humanitatis exposcimus, quod ergo exhiberi nobis optamus, id præstare aliis debemus. Itaque nec regionis interuallum, nec idiomatis diuersitas, nec aliud quicquam efficit, vt non sit homo homini proximus. Imo natura gentes edocet, maxime esse detestabilem immanitatem, quæ in peregrinos & hospites sæuit.

Bella in Chananæos Iudæis mãdata sunt.

Omnis homo hominis proximus.

§. 2. Cum

Etiam in bello iusto odium est vetitum.

§. 2. Cum decernitur bellum in gentem aliquam, imo mandatur bellum internecinum, quale mandatum est Mosi in Madianitas, Chananæos, aliisque regibus contra eos, qui naturæ iura omnia violant; non tamen odium permissum est. Ratio firma, & ex natura rei ducta est. Inimici enim emendationem, ac felicitatem optare omnes tenentur, non interitum; quia eiusdem sunt consortes naturæ, & creaturæ Dei. Itaq; quem ob facinora iudex per omnia, quæ in natura sunt tristia, excarnificat, non tamen odisse debet, nec iræ suæ & sæuitiæ, sed bono publ co, iustitiæque fontium vitam impendere. Amare & eum debet miles, quem occidit, sed dolere, non posse nisi tam acerbo pharmaco desperatum malum tolli. Si enim in bellis, & iudiciis non ratio, & iustitia tantum regnent, sed odio quoque locus detur, nullus erit sæuiendi finis. Excruciare igitur & occidere hominem sæpe licet, imo aliquando necesse est, odisse, quem tormentis exagitas, grauissimum delictum est: nam & officina hippocratica per amicam medici manum interdum sæuit, & pie sæuiendo amorem approbat, alioqui in lege etiam veteri imperata est inimicorum dilectio. Deut. 25. 19.

§. 3. Odium inimici Iudæis permissum putat Augustinus lib. 1. Serm. in monte c. 21. Quæ permissio non ita intelligenda est, vt sine peccato odisse licitum putemus; nam reuera non est adiaphorum, sed ex se, & natura malum odisse proximum. Vel igitur odium

Odisse vitia, amare personam oportet.

hoc explicandum est, vt sit vitiorum, non personæ, vt docet Augustin. lib. 19. contra Faustum c. 24. Vel sane vt externa signa fuerint, quasi odientium, internus vero affectus diligentis. Nam quod Augustinus serm. 59. de odio diaboli interpretatur, morale est. Odisse ergo inimicum potes, qua iniquus est, amare qua homo est, oportet. Si ex officio damna inferas, animus sit amicus, vt etiam verbera sint diligentis.

§. 4. Dilectio itaque inimicorum à Deo præcepta est. Nam Christus iubet diligere, vt simus filii patris nostri qui in cœlis est, non est igitur filius Dei, nisi qui diligit etiam inimicum. Sententia est Aug. Serm. in monte. in 1. Ioan. tract. 8. in Psalm. 7. & lib. 1. de doctr. Christ. c. 22. Quin hoc præceptum esse naturale constat. In Euangelio enim de moribus naturalia non cærimonialia præcepta traduntur, ita 1. 2. q. 108. ar. 2. Est sane præceptum maxime naturale; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quod vobis vultis facere homines, & vos faciteillis.* At vero odio esse alteri nemo desiderat, nec licitum est alienum odium appetere.

QVÆSTIO II.

An Theologi Scholastici doceant inimicorum dilectionem non esse præceptam?

Immanis „ calumnia „ in doctores ortho- „ doxos.

§. 1. „ *Caluin. lib. 2. c. 8. §. 56.* [Quapropter pestilentissimæ vel ignorantiæ vel malitiæ fuit, quod „ Scholastici ex præceptis de non appetenda vindicta, „ de diligendis inimicis, quæ & omnibus olim Iudæis „ tradita fuerunt, & tum omnibus in commune Christianis tradebantur, consilia fecerunt, quibus parere, „ vel non parere liberum esset. Eorum autem necessariam obedientiam ad monachos relegarunt: qui vel „ hoc vno simplicibus Christianis essent iustiores, quod „ vltro se seruandis consiliis obstringerent. Et rationem assignant cur ea non recipiant pro legibus: Quod „ onerosa nimium & grauia videantur, Christianis præsertim qui sub lege gratiæ. Itane Legem Dei æternam „ de diligendo proximo refigere audent? An tale in aliqua Leg s pagina discrimen extat: ac non magis passim illic occurrunt mandata quæ inimicorum dilectionem à nobis seuerissime exigant? Quale enim est istud, quod esurientem iubemur inimicum pascere? eius boues & asinos errantes in viam dirigere, aut oneribus succumbentes subleuare? Belluisne in eius gratiam benefaciemus, nulla in ipsum beneuolentia. Quid? An non æternum est verbum Domini, *Mihi vindictam, & ego rependam?* Quod alibi quoque explicatius habetur, *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Aut hæc obliterent ex lege, aut Dominum legislatorem fuisse agnoscant, non consiliarium fuisse mentiantur.

§. 57. Et quid quæso, hæc sibi volunt, quæ ausi sunt insulso glossemate illudere? *Diligite inimicos vestros: benefacite iis qui oderunt vos: orate pro persequentibus vos: benedicite iis qui vos execrantur: vt sitis filii Patris vestri qui est in cœlis.* Quis non hic cum Chrysostomo ratiocinetur, ex tam necessaria causa probe constare, non esse exhortationes, sed præceptiones? Quid nobis amplius restat, vbi expungimur è numero filiorum Dei? At secundum eos filii Patris cœlestis erunt soli monachi, soli Deum Patrem audebunt inuocare.]

Et com. in hunc locum: difficultatem huius præcepti ait fuisse, *causam monachis*, vt negarent præceptum esse. [Hæc quidem Monachis & similibus fabulis causa fuit, vt fingerent hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, quod hominum vitiis metiebantur, quid Deo & legi ipsius debeant. Interim vero non puduit Monachos perfectionem sibi arrogare, quod seruandis consiliis vltro se obstringerent. Quam fideliter præstent quod titulo tenus vsurpant, nunc dicere omitto. Quam vero de consiliis præposterum sit insulsumque commentum, primo inde patet, quia non sine Christi iniuria dicitur suasisse ipsum discipulis, non pro imperio mandasse quod rectum erat. Deinde plus quam insulsum est libera facere charitatis officia quæ ex lege pendent. Tertio, dicendi verbum quod denunciare vel præcipere hoc loco significat, perperam pro consulere exponitur. Postremo diserte sanciri quod necessario præstandum est, nullo negotio ex Christi verbis probatur, dum addit continuo post.]

Quam iuste Scholasticos ille accuset videamus.

Theologi docent præceptum de inimicis diligendis.

§. 4. D. Th. 2. 2. q. 25. 8. Inimicos diligendos ait, quia Dominus dicit: *diligite inimicos vestros.* Non tamen diligendos, vt sunt inimici, hoc est, non est eorum inimicitia diligenda, hoc enim malum est. Diligendos quoad naturam in vniuersali, nec enim eum, qui Deum & proximum diligit, posse excludere inimicum.

[Tertio, *inquit*, potest considerari, dilectio inimicorum in speciali moueatur motu dilectionis ad inimicum. Et istud non est de necessitate charitatis absolute: quia nec etiam moueri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, vt scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, sine necessitas occurreret: sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, vt diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis.]

Doctrina Scholast. corum.

Ita & 3. dist. 30. a. 1. & opus. 4. c. 8. addo Caietanum, aliosque Scholast. cos omnes, ne vno quidem excepto. Quorum concors sentent a est. Inimici inimic tiam, vtpote rem malam non diligendam, Inimicum ita amandum, vt nunquam od o habeatur, siue quoad naturalia dona, siue supernaturalia, siue personam. Imo ne dæmones quidem vt naturæ quædam sunt, & res Dei, in quibus eius potentia & iustitia refulget odio habendos. Non esse tamen opus vt speciali caritatis motu in illos feramur: nam id ne quidem

quidem in aliis diligendis requiritur. Omnes enim homines amo generali dilectione, plerosque ignoro, itaque actu specialiter illos non diligo. Cum tamen id necessitas inimici requirit, singulariter eum diligendum, adiuuandumque. Cum vero ea necessitas non adest, vnumquemque ita animo comparatum esse oportere, vt necessitatibus & miseriis inimici velit succurrere. Sine hoc animo neminem posse saluari. Hoc cum omnes doceant, nemo prorsus dissentiat, manifestè est calumniator Caluini, qua orthodoxam religionem & doctores traducit. Mihi quidem perfacile foret Scholasticorum innumera multitudine id probare, verùm inter manifesta, quid opus est testibus? Proponam duntaxat, quæ doctissimus noster Gregorius de Valentia habet in 2.2. disput. 3. de obiectis caritatis, q. 3. puncto 2. *Secundo quæritur de circumstantia inimicitiæ, an scilicet ob odium & inimicitiam, quam proximus erga nos gerat, excusemur, quo minus teneamur illum ex charitate diligere. Et respondendum est etiam negatiue cum D. Thoma hic art. 8. & 9. & D. Augustino libro 1. de doctrina Christiana cap. 22. & tract. 8. in primam Epistolam Ioannis, & aliis Patribus ac Theologis communiter. Nam debemus ergà inimicos etiam sic esse affecti, vt neque vnquam illos odio vero prosequamur, & cum necesse fuerit, actu quoque eos diligamus, eisque ex charitate benefaciamus: sed hoc ipsum est teneri nos ad eos ex charitate diligendos: Ergo tenemur illos ex charitate diligere. Minor patet ex dicto puncto præcedenti in fundamento secundo.*

Maior quoad priorem partem probatur ex scriptura. Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filii Patris vestri, &c. Ex quibus postremis verbis apparet, in ea Christi sententia esse vim præcepti. Nam ex præcepto necessarium est, quod est necessarium, vt per gratiam simus Dei filii. Sicut etiam idem præceptum patet ex eo, quod ibidem ait: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Pharisæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum cœlorum. Inter cæteras namque peruersas traditiones Pharisæorum erat illa, quam Christus ibi corrigit, inquiens: Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, &c. Item patet hoc ipsum ad Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes. Et 1. Pet. 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis.

Nemo saluus esse potest, nisi diligat inimicum.

Quoad alteram vero partem, scilicet quod teneamur diligere inimicos, & eis benefacere tempore necessitatis, probatur quoque eadem maior ex scriptura. Prouerb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, & si sitierit, potum da illi. Quod præceptum repetit etiam D. Paulus ad Rom. 12. Item ex prima epistola Petri, cap. 3. vbi iubemur etiam benedicere è contrario inimicis, sicut paulo ante citaui.

Benefaciendum inimicis.

Præterea probatur eadem maior, quoad vtramque partem, ratione: Nam omnis proximus, vt sæpe dictum est, est ex charitate diligendus: sed inimicus est etiam proximus, cum habeat capacitatem ad beatitudinem, atque adeo etiam ordinem quendam ad diuinam bonitatem, quæ est obiectum formale charitatis: Ergo inimicus etiam est ex charitate diligendus.

Sed cum dicimus, inimicos esse etiam actu diligendos tempore necessitatis, atque adeo in præparatione quadam animi, vt D. Thom. inquit art. 9. obseruandum est, dupliciter incidere posse tempus illud necessitatis; Vno modo per se, quantum est ex natura ipsius charitatis, scilicet cum ipse inimicus indiget ope nostra & beneficio; Altero modo per accidens, ratione videlicet scandali, aut ipsius inimici, aut aliorum, si quo casu ob eo ne scandalum concurrentes circumstantias tale scandalum secuturum videatur, nisi inimicum aliquibus beneuolentiæ aut charitatis argumentis prosequamur. Et vtroque necessitatis tempore sine dubio ex charitate inimicus diligendus est etiam actu.

Benefaciendum inimicis, ne scandalum oriatur.

Hæc pauca ex grauissimo Theologo, cui cæteri similia scribunt. Vt appareat nulla conscientia, aut religione scripturas à sectariis tractari, sed in omnem calumniandi occasionem intentos, hoc vnum agere, vt populum teneant, & doctores veritatis reddant exosos. Interim ad libros prouoco, & probationem tam iniquæ accusationis coram Deo hominibusque expoſco.

VERSVS 45.

Vt sitis filii patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

QVÆSTIO I.

An non sit filius Dei, qui non amat inimicum?

§. 1. ARgumentatio Christi est; non esse filios genuinos, & veros Dei, nisi quos dilectio inimicorum patri similes facit. ὅπως γένησθε, vt sitis, seu fiatis. Ille enim & amicis, & inimicis bene facit. Egregiè hunc in locum Caluinus commentatur. [Quum diserte pronunciet, non aliter quenquam fore Dei filium, nisi qui osores suos diliget, quis iam dicere audeat nulla huius doctrinæ seruandæ necessitate nos obstringi? Perinde enim est, ac si dixisset, Quisquis censeri volet Christianus, inimicos diligat. Horribile sane portentum, quod mundus tam densis tenebris per tria vel quatuor secula obrutus fuerit, vt non videret diserte iuberi, quod quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur.]

Filius Dei non est, qui non amat inimicum.

Mihi horrendum sane portentum videtur Caluinum ita tenebris obrutum; vt non videret ad salutem esse necessariam dilectionem; nec magis se vitæ æternæ certum esse, quam sit dilectionis. Nisi enim immutabili fide sibi persuadeat; Inimicos se diligere; eosque vsque ad extremum spiritum esse amaturum, non potest certus esse de salute; quæ sine hac conditione nulli contingit. Si enim hanc legem negligit, de numero filiorum Dei, vt ipse ait, expungitur. Christum ait, *ab effectu probare non alios esse Dei filios, nisi qui ipsum mansuetudine & clementia referunt.* Si ratio Christi efficax est, vt est sane efficacissima, vox æternæ veritatis; nos quoque eodem modo iudicare oportet. Hic quæro primum, cum neget Caluinus ex operibus nos reddi certiores de electione, cur Christus hic ostendat, non posse nos sine operibus de nostra salute constituere? Deinde vnde certus sit, futurum, vt mansuetudine & clementia semper Christum referat? Denique cum fateantur Caluiniani se quotidie Dei præcepta transgredi, experientia etiam doceat, eos odiis indulgere, cædes facere, rebellare. An etiam tales certi sint inimicos se diligere? Cum etiam amicos fallant, deprædentur, prodant, occidant.

Salus ex dilectione inimicorum pendet, ergo ex opere.

VERSVS 46.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

QVÆSTIO I.

Quæ sit dilectio publicanorum?

§. 1. SOla amicorum dilectione negat eos habituros mercedem; rationem dat; Quia publicani, & peccatores etiam amicos diligunt, nec mercedem habent. Loquitur igitur Dominus de naturali amicorum

Dilectio publicanorum mercedis expers est.

rum amore, siue ille sit amicitiæ, siue concupiscentiæ, qui vera supernaturali, & diuina caritate non nititur. Quicunque enim ita amicos amat, vt inimicos oderit, caritatem non habet, ideo nec mercedem exspectare potest à Deo; non enim diligit propter Deum.

§. 2. Non est dubium non modo mercedem operibus promissi, sed etiam fideles à Christo ad bene agendum intuitu mercedis excitari. Publicani ex amore amicorum mercedem non habent, nec vos habituri estis, si inimicos non diligatis; quod frustra diceretur, nisi inimicorum dilectioni mercedem destinatam significaret. Syrus: quæ merces vos manet? Verum tum alii, tum vero consulatur hunc in locum Chrysostomus. *Quemadmodum igitur, respondeo quæso, videbimus regnum futurum? Quemadmodum sacrum illud merebimur adire vestibulum, qui nec publicanis quidem ipsis inuenimur meliores? Id enim signauit dicendo, Nonne & publicani hoc faciunt? Quod vero vel præcipue doctrinam eius admirabilem facit, vbique cum multo etiam cumulo præmia ponit bonorum, vt est Deum videre, regnum accipere cœlorum, & in Dei filios adoptari, & Deo similes fieri, & misericordiam consequi, & consolationem mereri, & mercedem recipere copiosam.*

Christiani quidam ne amicos quidem diligunt.

Naturaliter fieri potest, opus ciuiliter bonum.

§. 3. Non omittendum etiam quod Bellarm. lib. 5. cap. 9. de gratia, & libero arbit. demonstrat; naturaliter quædam bona opera agi posse, vt est salutare fratres, & amicos.

Quam friuolum porro sit, quod obiicit Bellarmino Pareus, facile ex eius verbis apparet. [Respondeo, *inquit*, de opere externe bono datur totum: de bono simpliciter assumtio est falsa. Dominus enim nihil nisi externum salutationis opus ceu humanitatis officium tribuit publicanis, idque laudat vt suo genere bonum. Vult vero suos, vt recte obseruat Bellarminus non contraria, sed maiora facere, hoc est, vera charitatis officia aliis præstare.] Sensus est, externum opus in publicanis solum est.

Publicani non solum salutabant, sed etiam diligebant.

Falsa responsio & Domini pronunciato repugnans est. Dicit enim Christus, *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* nonne & publicani hoc faciunt? Quid faciunt: Diligunt diligentes se. Non tantum externum opus salutationis impendunt. Imo si salutationis opus externum bonum est, opus est, vt ab interno bono procedat, ἀσπασμὸς siue salutationem, siue complexum vertas, nisi ex amore prodeat, simulatus est, non in genere suo bonus, nec à Christo laudandus. Quod si tamen hoc bonum externum effici potest opus, quod Christi laudationem mereatur, potest etiam internum peragi, imo externum sine interno non est bonum. Si enim signum amicitiæ exhibere bonum est: Igitur & velle hoc bonum, etiam bonum est. Quin potest ille, qui beneuolentiæ signum ostendit, etiam ipsam velle beneuolentiam. Non est opus hoc simpliciter bonum, vitæ æternæ vtile, est tamen naturali, & humano modo bonum. Quod probandum erat Bellarmino.

Ἀσπασμὸς omni salutationi cõmune.

Quod vero hoc loco plerique ἀσπάζεσθαι vertunt, *complecti*, cum tamen Beza fateatur in Epistolis Pauli aliter se vertere mitor. Ait ille earum gentium salutationes osculo & complexu factam; quod vt aliquando factum fuisse concedam, ita semper nego. Plures enim salutationes verbis constabant solis. Neque enim omnes, quod ineptus ille faciebat. Totam basiare Romam, nec Ierosolymam solebant. Erat salutatio etiam dextra data Il. ω.

Τοὶ δὲ χαίροντες
Δεξίη ἠσπάζοντο.

Etiam absentium.

Hi vero læti dextra salutabant. Verum constat etiam absentes ἀσπάζεσθαι, salutari. & Syrus hoc loco non amplexum vertit, sed salutationem, quæ verbis constat, ita enim habet שאלימהון בשלמא דאחיבון Schalithun baschelama dachichun. Postulaueritis pacem fratribus vestris. Erat vero illa vsitata salutatio שלום לכ Schalom lecha. Pax tibi.

VERSVS 48.

Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.

QVÆSTIO I.

Quænam hic perfectio præcipiatur?

Perfectio summum bonum.

§. 1. MAgnam dignitatem fidelium ostendi Cyprianus de bono patientiæ existimat. *Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit & docuit cœlesti natiuitate reparatos; si patientia Dei patris maneat in nobis, si similitudo diuina quam peccato Adam perdiderat, manifestetur & luceat in actibus nostris. Quæ gloria est similem Deo fieri, qualis & quanta felicitas habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari?*

Æquari sine dubio intelligit, assimulari. Nam dixerat Deo similem fieri.

§. 2. Olim illo loco abusi sunt Pelagiani, vt est multis locis apud Augustinum, & apud Bellarminum lib. 1. de amissione gratiæ, & statu peccati, c. 5.

Obiectio Pelagianorum. *Deut.* 18. *Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo, Matth.* 5. *Estote perfecti, sicut pater vester, &c. possumus ergo esse sine omni peccato.* Responsio Bellarmini. *Triplex est perfectio. Prima, Deum semper actu diligentium, vt beatorum; hæc excludit omne peccatum. Secunda. Dei causa omnia deserentium, seque illis deuouentium; hæc est consilii, non præcepti perfectio. Tertia, omnia deserere paratorum potius quam Deum offendere, hæc præcepti est. Nec secunda, nec tertia excludit omne peccatum, sed tantum crimen quod caritati ita aduersatur, vt cum ea nequeat consistere.* Hanc patres, & orthodoxi perfectionem omnes approbant.

Triplex perfectio.

Satis responsum fuerat Pelagianis, nisi omnium turbatrix noua hæresis accederet. Pareus enim licet cum Bellarmino Pelagianos oppugnet, ipsos tamen à Bellarmino vinci dolet: Verum ipsum audiamus.

§. 3. [Quæstionem hanc prorsus ἀμεθόδως admiscet, vt liber excrescat. Hic de statu peccati disputatur, quæstio de perfectione Sanctorum aliorsum spectat. Argumentum tale est. Perfectus est, cui nihil deest, proinde est sine peccato, sancti debent & possunt esse perfecti in hac vita. Ergo sancti in hac vita possunt esse sine peccato. In solutione Bellarmini obscura, frigida, diluta omnia. Tu dic esse fallaciam à secundum quid, vt simpliciter in argumento. Propositio loquitur de perfectis simpliciter & omni modo, quo Deus, angeli, &c. perfecti sunt. assumptio de perfectis secundum quid, qualis perfectio cadere potest in viatores, & dicitur perfectio imputationis, & inchoationis, & pag. 50. Eodem redit distinctio graduum, & partium. Maior est vera de perfectione graduum, minor de perfectione partium. Sunt igitur quatuor termini.] Hactenus Pareus, nec se, nec Bellarminum intelligens.

In statu peccati an aliquis sit perpetuo.

Ecce autem iterum nugas idioticas. An non ad statum peccati pertinet quærere; an sancti in vita sint sine omni, an sine mortali peccato? Quam perfectionem admittat, quam excludat status peccati? Pelagius statum hominis sancti sine omni peccato, Catholici sine mortali, sectarii cum omni *genere scelerum esse plene beatificatum docent.* Laudo ingeniosam memoriam, reprehendit enim Bellarmini responsionem, deinde eam ipse contra Pelagianos vt suam adducit, secundo callide totum dat, vt partem teneat.

Optimam clarissimamque esse solutionem Bellarmini ipse probat. Nam assumptioni: *Sancti debent esse per-*

Aliis verbis idem docet, quod reprehenderat.

esse perfecti in hac vita, respondet. *Intelligendum de perfectione secundum quid, qualis cadere potest in viatores, non quomodo Deus, angeli sunt perfecti.* Hæc ille: Bellarminus; Qua in re perfectio illa consistat, ostendit; *Scilicet vt actu Deum semper diligant, omnia actu in ipsum* creaturæ *referant.* Adiungit deinde: *sed hæc perfectio propria beatorum est, neque nobis à Domino in hac vita imperatur.* Itaque Apostolus de hoc perfectionis gradu loquens in Epistola ad Philippenses c. 3. ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si comprehendam.*

§. 3. Interim aduersarius vt tenui vulnere stringere Cardinalem possit, letalem Caluinismo plagam infligit. Assumptio in obiectione Pelagii hæc est: *Sancti debent, & possunt esse perfecti in hac vita.* Probat: *id enim præcipit Deus. Quod vero præcipit Deus id debent sancti præstare, & quia non frustra præcipit, possunt.* Responsio Patrei. *Intelligenda assumptionem de perfectione secundum quid.* Deinde ait: *præcipitur quidem perfectio absoluta, ad quam velut ad scopum indies contendamus, sed non sequitur, quia præcipitur, quod in hac fragilitate obtineamus.* Argumentum hinc solidum in Caluinistas ducitur. Cum sancti in hac vita debere & posse perfecti esse dicuntur, intelligitur perfectio secundum quid, eaque præcipitur, non prima illa; quæ est angelorum & beatorum, solum enim præcipitur vt ad illam contendamus, non vt hic possideamus. N si dicat etiam multos ea causa damnari, quia non sint perfecti sicut angeli, & beati. Non igitur proprie præcipitur, ne sit vlla concupiscentia, ne vllus delicti motus inuitus obrepat, ne vnquam mens ab actuali Dei dilectione deflectat, sed illa vt scopus ostenduntur. Non ergo illæ sunt ἀνομίαι, quia non contra τὸν νόμον, aliud enim non exigit νόμος quam perfectionem secundum quid. Aût igitur Pelagii argumentum non soluit, aut soluendo suam hæresin destruit.

Perfectio secundum quid præstare possumus, ergo legem seruare.

Confirmat & Caluinus: *Perfectio*, ait, *hæc non aqualitatem sonat, sed tantum ad similitudinem refertur. Quantumuis ergo distemus à Deo dicimur perfecti esse sicut ipse est, dum ad eundem scopum tendimus, quem in se nobis proponit.*

Neque vero illud parum momenti habet, quod adiungit de perfectione graduum & partium. *Maior est, inquit, vera de perfectione graduum, Minor de perfectione partium.* Itaque hæc vera est. Sancti debent & possunt esse perfecti, perfectione partium, non perfectione graduum. Quid vero est perfectio partium? quid perfectio graduum? Catechismus eius quæst. 117. docet: *Perfectio graduum est perfectus obedientiæ gradus quem lex requirit. Perfectio partium est initium obedientiæ, & opponitur hypocrisi.* Quid igitur sanctis in hac vita præcipitur? Perfectio partium, hoc est, fuga hypocriseos, & inchoatio obedientiæ. Quid non præcipitur? Perfectus obedientiæ gradus, quem lex requirit. Hæc sane cum illis existere non possunt, quæ de minimis peccatis æternùm damnandis, de impossibilitate legis, de omnibus operibus naturâ malis iactare cõsueuerunt. Si enim non præcipitur perfectio graduum, nec sancti debent ea perfectione perfecti esse. Non est igitur ea perfectio, quam lex requirit, perfectio graduum. Si enim illam perfectionem lex requirit, ergo præcepta est sanctis. Quod enim lex à nobis non requiritur, id non præcipit. Neque enim lege à nobis requiritur, quod lege præceptum non est. Si non præcipitur nobis perfectio simpliciter, sed perfectio graduum, *vt in hac imbecillitate eam obtineamus*, non igitur eam lex requirit à nobis. Si non debent sancti esse perfecti perfectione graduum, vt quid hoc lex requirit? Lex ergo est, & lex non est, sed prodit ille religionem Pelagianis, dum bonas solutiones inscitia sua contaminat.

Perfectio partium & graduum.

Perfectionem lex nõ requirit, nisi quam præcipit.

Contradicit sibi Pareus.

* *
*

CAPVT VI.

ATtendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. 2. Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 3. Te autem faciente eleemosynam. nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. 4. Vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 5. Et cum oratis, non eritis, sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus; Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem, nolite multum loqui sicut ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. 8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum. 10. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. 16. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. 17. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua. 18. Ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? 24. Nemo potest duobus dominis seruire: aut vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. 25. Idco dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est

Luc. 11. a 2. Inf. 18. a. 33. Marc. 11. c. 25. Eccl. 28. a. 3. 4. 5.

Luc. 12. c. 33. 1. Tim. 6. d. 19.

Luc. 15. c. 34.

Luc. 16. c. 13

Luc. 12. c. 22. 1. Pet. 5. b 7. Ps. 54. d. 25. Phil. 4. b. 6. 1. Tim. b. 7.

quam esca: & corpus plus quam vestimentum? 26. Respicite volatilia cœli: quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? 28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. 29. Dico autem vobis, quoniam & Salomon in omni gloria sua non coopertus est, sicut vnum ex istis. 30. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? 31. Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. 34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.

IN CAPVT SEXTVM

ARGVMENTVM.

Pharisæorũ falsæ interpretationes.

PHARISÆORVM & Scribarum in legis diuinæ interpretatione errores Saluator correxit, nunc operum quoque bonorum, quæ in ipsis elucebant ordinem, rationemque reprehendit. Etenim cum tria sint eorum genera; Eleemosyna, oratio, ieiunium, atque in his magna laude hypocritæ illi versati viderentur, totam simulatæ pietatis, abstinentiæ, liberalitatis scenam Christus reducit, ac reuelat. In aliis quidem eorum operibus iniquitas se prodebat, in his superbia efficiebat, vt opera bona perirent. Imo ne bona essent, vt quæ vanitati seruirent. Monet igitur vt Deo, non inani gloriæ virtutum labor impendatur. Deinde vt seposita vitæ anxia sollicitudine in Dei prouidentiam, bonitatemque securi recumbamus. Breui complexus est illud Augustinus tractatu 51. in Ioan. *Ministrant ergo Iesu Christo qui non sua quærunt, sed quæ Iesu Christi. Hoc est enim; me sequatur, vias ambulet meas, non suas: Sicut alibi scriptum est, qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulauit ille, & ipse ambulare. Debet etiam si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de iactantia: non aliud ibi quærere quam opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextra, id est, vt alienetur intentio cupiditatis, ab opere charitatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat.*

Superbia bonorum operum venenum.

In Syriaca Ecclesia caput hoc diuisum est in lectiones tres nam à principio vsque ad versum 16. legitur in matutinis 4. feriæ Septimanæ antecedentis ieiunium. Hinc ad 25. versum. secunda feria septimanæ secundæ ieiunii. Inde ad finem; feria tertia septimanæ præcedentis ieiunii. Obseruandum autem sollennem fuisse illis præparationem ad ieiunium, atque ex ea hebdomadem appellatam. Vocabant ergo hebdomadem קדמיתא רבתא Kadmitha dezuma. ante ieiunium. Græci vocabant τὴν παρέισδυσιν introitum, vocant & hebdomadam προφάγον, & Rutheni βσπροφάγον. Athiopes eodem modo sed diuerso tempore celebrabant, incipiebant enim à sexagesima, alii à quinquagesima.

VERSVS 1.

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cœlis est.

QVÆSTIO I.

Quæ lectio sit melior?

§. 1. QVOD noster vertit; *attendite*, græce est; προσέχετε, quod est animum aduertere, serio considerare. Augustinus vertit, *cauete*. Syrus autem, הזרו *ghuru, videte*. Merito cautionis admonet: Latenter enim boni operis venenum, nec aspectabili vulnere velut aspis adrepit; inde vt Chrysost. ait, *rabies ac furor*. Nec omittendum in Syro esse titulum huic capiti præfixum. *Matutinis quartæ feriæ septimanæ præcedentis ieiunium*. Quo ostenditur, & illa in Ecclesia ieiunium fuisse ordinarium, statumque. Et ad illud rite peragendum Euangelica lectione & explicatione populum institutum, ac præparatum; quo etiam ostenditur, quantum nó modo ab Romanæ, sed etiam Palæstinæ Ecclesiæ moribus abierint, qui ordinaria Ecclesiæ ieiunia violant, sua, & extra ordiné populis imponunt.

Superbia corrupit bona opera.

§. 2. Varietas lectionis non exigua est hoc initio. Latinus interpres habet. *Ne iustitiam vestram faciatis*, atque ita constanter habet, & interpretes sequuntur, ita Augustin. Hil. Hieronym. Quare mihi nostra lectio potior videtur. Quod etiam ex eo constat, quia græci codices admodum variatunt. Origenes, cui fides hac in re haberi potest, hom. 2. in Exod. legit δικαιοσύνην *iustitiam*, non ἐλεημοσύνην Eleemosynam. *Vides, inquit, si non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iustitiam nostram coram hominibus faciamus.*

Alii διϰαιοσύνην alii ἐλεημοσύνην legunt.

Origenes alii legunt διϰαιοσύνην.

Quamuis igitur D. Chrys. & eum compendio tradentes Theophylactus, & Euthymius legant ἐλεημοσύνην, tamen constat veterem lectionem tempore Origenis fuisse, δικαιοσύνην, *iustitiam*. Consentit etiam Syra editio, quæ habet צדקתא *Tsedketha*, quod proprie, generatimque iustitiam significat, quamuis interdum pro Eleemosyna accipi soleat. Imo hoc loco ita poni ab interprete manifestum est. Nam in consequentibus, vbi noster habet Eleemosynam, ille retinet *Tsedketha*. Nec dubium est, quin eodem modo acciperit. Denique Beza duorum vetustissimorum codicum auctoritate ductus, veterem interpretem sequitur, atq; etiam Iunius & Tremellius Caluiniani, Daniel Toss. in medio rem rel nquit. Editio Francofurdiana hæredum Andreæ Wecheli, hanc notã adiungit. *Manuscripti duo codices, vetus interpres, & plerique patrum legunt* δικαιοσύνην. Genuenses in postrema editione ἐλεημοσύνην retinent. Drusius Caluinianus lib. 2. q. Hebraicarum, cap. 81. nostram lectionem approbat, cuius verba apponere visum est propter sciolos, qui lectionem nostram reprehendere consueuerunt.

[Digna

[Digna sane res quæstione est, quid causæ habuerit interpres vetus latinus haud paullo melior quam vulgo existimant, cur Matth. 6. 1. verterit, Ne faciatis iustitiam vestram; quod in græcis exemplaribus habetur τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν. Ad hanc quæstionem sic respondeo.

Non est dubitandum, quin legerit τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν. Sic enim habent vetusta quædam exemplaria: nec male. Nam sic licet Ebræos passim vocabulo iustitiæ abuti pro eleemosyna, hoc est, pro stipe, quæ in pauperum vsus erogatur. Elias Leuita Thesbite:

Solent nostri Magistri quod pauperibus datur Sedaca nuncupare.

Hinc Cuppha sel Sedaca, id est, cistella siue arcula eleemosynæ. Sed & caput extat in libro παιδείας titulo Al Sedaca, in quo de eleemosyna pauperum. Cæterum huius vocis primam S. Sadic, Syri mutant in Zai. Scribunt enim Zedca; non Sedaca.

Hoc verum: tamen autores sunt qui iustitiæ vocabulum hic latius accipiunt, nempe pro eo, quod Syri זכותא vocant. Nos probitatem diceremus. Si vere, quis dubitabit, quin vera lectio sit quæ habet τὴν δικαιοσύνην. Ac suspicari libet initio ita scriptum fuisse: deinde, vt fit, scholion accessisse in margine τὴν ἐλεημοσύνην, quod postea in contextum irrepserit: cui rei occasionem potuit præbuisse versus proxime sequens, quod incipit. Quum igitur facis eleemosynam. Scire autē licet Syrum interpretem vtrobique זדקתא Zedketha posuisse, ac vsum ea voce pro eleemosyna: quod valde roborat scripturam, quæ vulgata libris græcis.]

Ita ille vt merito pudere eos debeat suæ temeritatis, dum celeres sunt ad veterem interpretem reprehendendum, scripturamque mutandam, tardi autem ad intelligendam, eiusque præscripto obtemperandum.

§. 3. Iustitia igitur hic legi potest, & si veteres sequimur, necesse est. Frequenter iustitia pro misericordia ponitur apud Hebræos posteriores. Quin 70. vertunt hebræum חסד interdum δικαιοσύνην, licet proprie sit ἔλεος. Ita Gen. 19. 19. ἐμεγάλυνας τὴν δικαιοσύνην & 20. 13. & 21. 23. Exod. 15. 13. & 34. 7. Prouerb. 20. 28. Isa. 63. 7.

Piscator olim hanc sententiam probarat; vt recte iustitiam verti, & ita in Græco esse existimaret, postea mutauit. Verum obseruandum est etiam si legamus δικαιοσύνην, duplici modo intelligi posse. Primo vt δικαιοσύνη & consequenter iustitia accipiatur proprie, pro virtute qua absolute iusti dicuntur, seu operibus quæ iustus facit, sic multi orthodoxi & Beza interpretantur. Vt primo generatim iubeat, ne opera iustitiæ fiant ad ostentationem; deinde speciatim ad eleemosynam, orationem, ieiunium descendat. Altero vero vt δικαιοσύνη & iustitia hoc loco accipiantur pro חסד seu eleemosyna, quem sensum esse in Syro ante diximus. Priorem expositionem, ac ipsam etiam versionem Piscator impugnat: [Cæterum Beza hic malult legere δικαιοσύνην pro ἐλεημοσύνην, & intelligere generaliter de iustitia, seu pietate erga Deum, & proximum exercenda: quod genus deinceps per tres species declaratur, videl. eleemosynam, precationem & ieiunium. Et hanc expositionem confirmat ex vsu phrasis Hebraicæ, quæ est facere iustitiam: pro eo quod latine dicitur, iustitiam exercere. Ac mihi quidem sane ista appositio prima fronte arrisit propter elegantiam methodi seu ordinis sententiarum. Verumtamen vt in illa non possim acquiescere, sed recepram lectionem, & expositionem magis probem: facit primum quod (vt ex versione correcta D. Bezæ colligitur) in illis exemplaribus non habetur ποιεῖν δικαιοσύνην, facere iustitiam: sed ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν, facere iustitiam vestram. at phrasis Hebræis vsitata (pro exercere iustitiam) illa est, non ista.]

Fundamentum ergo Piscatoris est. Ποιεῖν δικαιοσύνην, *est exercere iustitiam*: at libri Bezæ habent; ποιεῖν δικαιοσύνην ὑμῶν, *facere iustitiam vestram*, quod non est phrasi hebræa, exercere iustitiam, sed facere eleemosynam. At vero hic de Græca locutione potius agendum est, quæ cum dicat absolute; *facere iustitiam*, non video cur non etiam dicat; *Facere iustitiam suam*, seu, *exercere suam iustitiam*. non enim mutatur modus loquendi appositione pronominis. Imo Genes. 32. 10. *Minor sum*, inquit, *omnibus miserationibus tuis & veritate tuæ quam explesisti seruo tuo*. Vbi in hebr. & græco est absolutum, vt appareat, *facere*, seu ποιεῖν δικαιοσύνην, etiam esse, exhibere misericordiam. & Genes. 21. 23. iuxta misericordiam חסד, 70. δικαιοσύνην, *quam feci tecum*. Porro hæc phrasis, *facere iustitias suas*, ποιεῖν τὰς δικαιοσύνας αὐτοῦ, pro *exercere suam iustitiam*, vsitata est Græcis, & Hebræis Ezech. 3. 20. & 18. 24. πᾶσαι αἱ δικίαι αὐτοῦ ἃς ἐποίησε, vt in hebræo est כל צדקתו אשר עשה *omnes iustitiæ eius, quas fecit*, vbi dicitur facere iustitias suas, sensus enim est. Fecisse eum iustitias. Nec quicquam obstat, quo minus diceret: *omnes iniustitiæ vestræ quas feci stis*. Concidit igitur illa distinctio; tam enim, *iustitiam vestram facere*, quam absolute, *iustitiam facere*, pro *exercere iustitiam* accipitur.

Discrepantia inter facite iustitiã, & facite vestram iustitiam.

Ea discrepantia tollitur.

Alioqui mercedem non habebitis.

QVÆSTIO II.

An his verbis meritum & merces probetur?

§. 1. SI Domini verbis standum est, iam res definita est. Non enim dubitari potest, quin sit promissa merces. Hæc enim inter se connexa sunt. Merces & opus, cui merces soluitur, præmium & labos. Deterret eos à vana gloria: si enim, inquit, ideo opera facitis, vt videamini ab hominibus mercedem non habebitis. Bonæ enim voluntati operantis, non operi merces redditur. at inde sane consequitur, fore vt merces detur facienti iustitiam suam, vt Dei gloriæ seruiat. Deinde cum vers. 2. dicit: Receperunt mercedem suam: satis indicat eos qui sincero animo eleemosynam dederunt, non recepisse, ideoque adhuc exspectare. Denique cum toties asserit fore vt pater reddat, ἀποδώσῃ, quis dubitat Christum hortari ad bona opera, vt mercedem accipiant? Verba ipsa μισθός, & Syrum אגרא mercedem propriam significant, operum & præmii est manifesta collatio. Operanti vt spectetur ab hominibus, nil Deus reddit; quia non Deo, sed vanitati laborem impendit. Ideo si laudem ab hominibus consecutus est, ἀπέχει τὸν μισθόν, accepit, abit, ἀποχὴν dedit, nil illi debetur amplius. Vanitas ergo præmium abstulit, quod manet eum, qui eam in virtutis officio non spectauit. Merces igitur est, quæ intuitu operis à Deo donatur. Pulchre S. Basilius: Τὸ δὲ μὴ διὰ τὴν πρὸς θεὸν ἀγάπην, ἀλλὰ διὰ τὸν πρὸς τῶν ἀνθρώπων, ἔπαινον γινόμενον, οἷον ἂν ἡ οὐ θεοσεβείας ἔπαινον ἐνέλοιτο, ἀλλ' ἀνθρωπαρεσκείας, ἢ φιλονεικίας, ἢ φθόνος ἢ πινὸς τοιαύτης αἰτίας ἔχει τὸ κέρδος: διὸ καὶ ἀδικίας ἔργον τὸ τοιοῦτο ὁ κύριος ὠνόμαζε. *Quod enim non ex caritate Dei, sed ob humanam gloriam agitur; qualecunque sit non habet laudem pietatis, sed desiderii hominibus placendi, vel contentionis, vel inuidiæ, vel similis causæ condemnationem; quocirca & opus iniustitiæ Dominus vocauit.*

Christi verba simpliciter accepta mercedem dari ostendunt.

Bonum opus ex malo fine damnabile.

§. 2. Veritate victi aduersarii, mercedem, & præ-

mium dari concedunt; verum Beza, aliique καταχρηστικῶς accipi volunt. Bullingerus moderatius agit.

Merces operi datur.

„ [Tunc vero pater cœlestis, qui sobrio & pio delectatur affectu, in propatulo abundantissime, inquam, palam, & in ipsa die iudicii, in magno illo cœtu, & theatro totius mundi & omnium mortalium, rependet tibi tuam beneficentiam. Id quod ei opposuit quod dixerat, Amen dico vobis, habent mercedem suam. Cui autem vacat, conferat inuicem præmium quod accipitur ab hominibus, & quod piis cultoribus confertur à domino. Testatur item hic locus bono operi suum esse præmium paratum, quod quidem ipsum S. Augustinus rel gioſe appellauit gratiam.]

Meritum ex gratia, promisso, & bono opere.

Verum nos quoque in mercede gratiam, & ipsam mercedem gratuitam dicimus: sed tamen ex debito, non vi operis boni, sed voluntate Dei pollicentis. Is supra omne meritum, sponte gratuita misericordia promittens, mercedem constituit, vt ex pacto esset debita, idque faciendo, etiam meritum fecit; quod sine promissione nullum erat.

VERSVS 2.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

QVÆSTIO I.

An tubâ canerent hypocritæ?

Tuba populi conuocabamur.

§. 1. INdicari & reprehendi in illis inanis gloriæ studium existimat Chrysostomus, non quod reuera tubâ cecinerint, sed quod ita eleemosynas darent, vt omnibus ebuccinarent liberalitatem. Videtur autem prouerbio dici. Ad tubam facere, vel tuba edicere. Solebant tubâ populum conuocare, castra mouere. Num. 10. 2. & seq. ita ergo hypocritas facere aliarbitrantur Euthym. Lyran. Strabus, Franciscus Lucas, alii recentiores. Non enim sensus est; histriones theatricos tuba conuocare populum, id non faciendum esse illis, qui eleemosynas faciunt. Per hypocritas enim intelligit non comœdos, aut tragœdos, sed Pharisæos, aliosque qui superante auaritiam superbia, pauperes tuba conuocabant, prætextu liberalitatis, sed reuera ostentatione, & gloriæ studio. Id eis in more positum fuisse, inde colligo; quod Christus eos hoc agere dicat; quemadmodum enim in angulis plateārum stabant orantes, & facies exterminabant, vt viderentur hominibus ieiunantes; ita hic quoque tuba canunt. Nec enim vim exemplorum enumeratio haberet, nisi crebro in omnium oculos incurrissent. Deinde agebant illi ista, vt viderentur, & vt hoc versu dicitur ὅπως δοξασθῶσιν, honorificentur ab hominibus, quod in histriones theatrales non conuenit, ucrum illi spectabant; contemtos enim se esse non ignorabant. Optime ista congruunt cum S. Augustin expositione, l. 2. serm. in monte. *Noli, inquit, sic velle innotescere vt hypocritæ. Manifestum est autem, hypocritas, non quod oculis pratendant hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores tanquam pronuntiatores personarum alienarum sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in Tragœdia, verbi gratia, siue alicuius alterius, ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, vere ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesiâ, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri, quod non est, hypocrita est. Simulat enim iustum, & non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis, Deo mercedem non capiunt, nisi fallaciæ supplicium. Ab hominibus autem, inquit, perceperunt mercedem suam.*

Hypocritæ Pharisæi.

Hypocritæ aliud agit, aliud cogitat.

§. 2. Pro tuba in Syro est קַרְנָא *Karna*, cornu seu buccina. In Græco est σάλπιξειν, quod est tuba canere. Nam σάλπιγξ tuba est ex ære, argentoue. Verum omnia consideranti, non modo tuba, & buccina apud Latinos, sed etiam κέρατα, & σάλπιγγες apud Græcos confunduntur. Nam quod buccinam ex cornu, tubas & cornua ex ære, vel metallo factas putant, quod Apuleius l. 3. Tubam esse buccina significatu longinquiorem refert, nescio an omnibus probetur. Veg. l. 3. c. 5. *Tuba, quæ directa est appellatur: Buccina quæ in semetipsam æreo circulo reflectitur.* Et 1. Metamorph. *Buccina sumitur, qua Littora voce replet, sub vtroque iacentia Phœbo.*

Tuba & Buccina differunt, confunduntur.

Verum clarissime confundit Sidonius in Narbone.

Tandem murmure buccinæ strepentis,
Suspensas tubicen vocans quadrigas,
Effudit celeres in arua currus.

Tubam quoque æneam fuisse dubium non est, apud Poetam enim

Tuba commissos medio canit aggere ludos.

Ex more Romano loquitur. Æneatores fuisse constat ex Ep. 84. Senecæ. Cauea æneatoribus cincta est. Sic & κέρατα Græci vsurpant, & latini cornua. Ouid.

Hebræa cornua.

Non tuba directi, non æris cornua flexi. Non nego distingui, imo iungi aliquando. Tacit. l. 2. occanere cornua, tubasque. & Athen. lib. 4. Τυρρηνῶν δὲ ἐστιν εὕρημα κερατά τε καὶ σάλπιγγες. *Tyrrenorum inuentum est, cornua, tubæque.* Ita inter se quoque conferuntur Hebræa שופרות *Schopharoth*, quæ erant è cornu. Ios. 6. & חצוצרות, quæ erant è metallo, Num. 10. 2. at שופר græci frequentissime vertunt σάλπιγγα, Exod. 19. 16. Leuitic. 25. 9. Psalm. 46. 5. & 150. 3. multisq; aliis locis. Sæpe etiam κερατίνην. at vero חצוצרות non memini vspiam aliter, quam σάλπιγγα verti à septuaginta. Chald. etiam retinet idem vocabulum, qui tamen Daniel. 4. vbi textus est antiquus Chaldæi idiomatis in edicto regis Tubam semper vocat קַרְנָא *Karna*, cornu: æneas tubas nihilominus fuisse puto.

§. 3. Ne hic quidem locus sugillatione sectariorum caruit. Bullingerus ita calumniatur. [Non absimili figura hodie quoque dicimus ebuccinare laudes, pro eo quod est large prædicare, & amplissime efferre alicuius laudes. Inuenit & sacerdotum auaritia, & populi stulta arrogantia modum etiam nostro sæculo, quo liberalitas palam celebraretur in Ecclesia. Nam si quis strenue rapuisset, fraudasset, atque oppressisset innoxios, is demum benigne, ac liberaliter donabat Ecclesiæ amplissimas ædes, fundos vberes, ac magna auri & argenti talenta.]

Malitiosa calumnia Bullingeri.

Furta non recipit Ecclesia.

Respondemus; ad donationes Ecclesiarum non posse admitti rapinas, aut furta; omnia enim antiquis dominis, aut hæredibus esse restituenda. Eorum vero liberalitatem, qui vel scholis, vel Ecclesiis instituendis, vel xenodochiis alendis opes impenderunt, inuidè deprimere, nec esse ingenuum, nec hominis grati. Quamuis enim illi ista non donarint, vt laudarentur, virtutem tamen laudare alienam magnæ virtutis est, optimique exempli. Nam & in aliorum bona vita laudatur is, cuius ille templum est, & laudantibus vtilis est alienæ virtutis admiratio. Non enim Dominus prohibuit, ne recte fiat coram hominibus, sed ne ob id recte fiat, vt videamur ab iis.

Laudi cauendum.

Laus

Laus enim humana non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem: *vt illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant, non vt hic putet aliquid sibi prodesse, quod laudant.* Augustinus serm. in monte lib. 2. cap. 2. Interim Ecclesiarum fundatores reges, & Principes multa virtute claros fuisse ex omni antiquitate constat; qui vere iniusti, raptoresque fuerunt, ne ab Ecclesiarum quidem opibus manus abstinuerunt.

VERSVS 3.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

4. Vt sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

QVÆSTIO I.

Quomodo nesciet sinistra, quid fecerit dextera?

Dextra & sinistra varie exponuntur.

§. 1. VAriæ expositiones ab interpretibus adferuntur. 1. Dextra est recta ratio; sinistra autem viciata affectibus. 2. Dextra est pergratiam agens voluntas; Sinistra inferior appetitus. 3 Dextra, Christianus; Sinistra, Gentilis. 4. Dextra, ipse qui eleemosynas largitur; Sinistra, vxor, domestici. Porro hæc exquirere nihil est necesse. Christi sententia ex textu perspicua est: Non modo non esse tuba canendum, vt famam liberalitatis conciliet; sed ita omnia occulte administranda, vt nemo, ne intimus quidem, non etiam socia manus norit, quid altera dederit, ita vt non alios modo, sed re ipse quoque celes: Eo modo loqui aliquando homines solent: si chlamidem meam scire mihi constaret; exurerem. Tantum ergo secretum in eleemosynis requirit Dominus, ne vllo modo fructum laus humana decerpat; quam contemnere, non est facile. Itaq; Augustinus sinistram putat esse appetitionem laudis, quæ misceri non debet dexteræ; hoc est rectæ intentioni. Hyperbole igitur est, & Metaphora, qua manibus tribuitur intellectus actionum, & studium se mutuo sua facta celandi.

Oculitissime bene faciendum.

VERSVS 5.

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem suam.

QVÆSTIO I.

Liceatne orare in publico?

Orare sicut est videri, non vt videamur.

§. 1. MIrum videri posset, quosdam rem ipsam tollere, cum abusum quem hominum vitia addunt, Christus reprehendat: itaque non est vetitum in publico, in Synagoga, in templo, in campo, in plateis orare nisi, vt videaris ab hominibus, vti nec malum est dare eleemosynam publicè nisi, vt videaris ab hominibus. *Neq; hic*, inquit Augustinus, *videri ab hominibus nefas est, sed ideo hoc agere, vt videaris ab hominibus.*

Nec aliò pertinet Domini præceptum, cum iubet intrare in cubiculum, ταμεῖον, conclaue; quod non modo cubiculum cordis est, sed etiam locus conclusus, & solus. Non enim omnes orationes extra cubiculum improbat, sed omnes eas quæ sunt ex ambitione, & vana gloria.

Orationes publicas Anabaptistæ, & olim Waldenses noluerunt. Imo apud Bellarm. l. 3. de cultu sanctorum c. 4. alii quoque Waldenses, & Anabaptistæ veterunt. hæretici, quos inter Marloratus, obiiciunt: Templum non vidi in ea. In eo pleriq; conueniebant olim, non esse melius vno in loco quam alio orare: imo locum occlusum esse præferendum.

§. 2. Erigi templa, domosq; ad orationes publicas

Verum multis ibidem probat Bellarminus rectè eos facere, qui publicè in templo orant, & id vsurpant etiam nostrates Caluinistæ cum alicuius præsertim facinoris in Catholicos concepti, rebellionis, aut proditionis à Deo successum postulant. Quibus ne mea responsione molestus sim, malo eos suum audire Prophetam, tum solum aliquando, cum contra suos loquitur, veracem. Is est Daniel Thossanus, qui hæc verba rectè saneque interpretatur. [Quod autem "Hæretici à Christus, *inquit*, reprehenso errore præcipit, vt oraturi "*suis refu-* intrent conclaue suum, & occluso ostio orent, non ha- "*tantur.* bet hunc sensum, ac si publicæ preces in conuentu Ec- " clesiæ prohiberentur, quæ potius laudantur Matt. 18. " & vsitatæ fuerunt in veteri, & N. T. vide 1. Reg. 8. Psal. " 26. Actor. 6. & c. 3. Et rectè scribit Cyprianus, nos & in " abscondito & publico orare, vt sciamus, Deum vbiq; " præsentem esse. Et habent publicæ preces triplicem " vsum, 1. fouent communionem sanctorum. 2. Acuunt "*Publicæ* nos & feruentiores reddunt in orando. 3. Cedunt ad "*orationis* Dei gloriam, cum à multis vno quasi ore inuocatur, & "*vtilitas.* quodammodo magis vrgetur ad nobis benefaciendum. Nec sunt preces alligatæ ad cubicula aut certa " loca, Ioh. 4. Sed præcipit hic Christus fugam ostenta- " tionis, & sinceritatem orationis. Nam is sincerè orat, " qui ad Dei gloriam tantum respiciens vbicunq; orat, " ostio clauso orat, quod in primis ambitioni & vanita- " ti claudi debet. Interim habent preces priuatæ & in se- " cessum suum vsum, vt scil. liberius, & sine auocamento, gemitus nostros, & nostra soliloquia coram Do- " mino effundamus.] "

Hoc ergo sibi responsum habeant à suo, qui omnia orthodoxorum calumniantur, & Sophismatis deputant.

Stantes, an genu flexi orarint in plateis Pharisæi, *Pharisæi* disputant Maldonatus, Vincentius, Franciscus Lucas, *stantes ora-* alii. Vtrique probabiles causas habent. Mihi stetisse *bant.* videntur.

QVÆSTIO II.

An oratio esse possit meritoria?

§. 1. CAluini est ratiocinatio, qua probare conatur, vbicunque merces vocatur, accipi improprie pro munere gratuito. *Quum dicit Christus mercedem reddi precibus nostris, satis declarat, quicquid mercedis* *An in men-* *promittit passim Scriptura, non tanquam debitum solui, sed dicatione sit* *meritum?* *gratuitum esse.* Et Caluini Parasyllogismum vehementius Pareus asserit in Rom. 2. dubio 8. *Ac vt maxime in eleemosyna, & ieiunio aliqua esset meriti species: tamen in precatione absq; absurditate fingi nulla ratione potest. Cum enim precamur mendicamus à Deo. Quid vero absurdius, quam in mendicatione meritum? Ex verbo igitur* λογεύεσθαι, *reddet, meritum stabiliri non potest.* Eadem alii chordâ obe rant, sed plane à veritatis harmonia abertant. Hoc enim loco Dominus ait, fore, vt orantem

in abscondito Deus videat, & reddat in propatulo, ἐν τῷ φανερῷ, & vt est in Syro בגלויא *Bigelia*, hoc est, in totius mundi theatro in iudicio extremo. Qui vero in plateis orant, eos recepisse mercedem orationis, atque ita nihil in propatulo accepturos. Et quanquam illud: Ἐν φανερῷ, in propatulo tempore Augustini & Hieronymi fuerit in Latinis, non in Græcis, & Hieronymus omiserit in versione Latinâ, nunc tamen est in plerisque Græcis, non Latinis, & Beza quoque fatetur in vetustissimo Græco abesse. Testatur Franciscus Lucas vnum Parisiensem codicem habere, *in palam*, sed eum vel seruasse Scripturam veterem quam Hieronymus emendauit, vel Græco textui accommodatum fuisse. Quanquam vero hoc detur, non tamen vis argumenti perit. Nam vt in eleemosyna & ieiunio, ita in oratione est promissio mercedis.

In manifesto, abest à Latinis.

Mendicando mereamur.

Deus enim se debitorẽ constituit.

Respondendum igitur nos precando, mendicandoque à Domino reuera mereri. Quamuis enim mera ac gratuita bonitate pollicitus sit, se exauditurum legitimè mendicantes, tamen postquam id est præstitum, quod exegit, debitor est vi promissionis suæ. Oratio est gratiæ testificatio, vt est apud Augustinum Epistol. 105. At postquam oratum est, debitorem Deum constituit. Si enim homo homini gratuito promittat, se mendicanti eleemosynam daturum, nemo ambigit eum fidelitate promissionis teneri, si alter mendicarit; neque desinit esse gratia, quia gratis promissa est. Deus vero & gratis promisit, & orandi gratiam donauit. Non est sanè absurdus Chrysostomus cuius est hæc nostra solutio. *Non ait donabit tibi: sed reddet, inquit. Debitorem tibi se quippe constituit, teque magno pro hac etiam honore donauit.* Et paulo ante dixerat: *Illi vero eam quæ ab hominibus est*, (mercedem) *requirentes, nequaquam ab illo merentur accipere, propter quem omnino nihil fecerunt. Tu vero misericordiam Dei cum admiratione considera, qui pro his quoque, quæ à Deo rogantur, bonis mercedem se daturum pollicetur.* Oratio igitur meritum habet in gratia & promissione Dei fundatum: nam & impetrat, quod rectè petit, & peculiare præmium, tanquam opus sanctum, accipit.

Oratio impetrat, & meretur.

VERSVS 7.

Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

QVÆSTIO I.

Quodnam multiloquium orationis prohibeatur?

§. 1. QVod noster vertit; *Nolite multum loqui*, Græcè est; μὴ βαττολογήσητε, *non battologabitis*. Constat autẽ Christũ eo verbo vsum non esse, quid enim illi cum Batto? In Syro est מפקקין Mussitantes, פקק est obturare, obmutescere, perforare vilipendere, & in piel פקק balbutire, mussitare, vt qui tremunt, nam & timere significat. Id Græcus expressit verbo βαττολογεῖν, vel à Batto poeta, qui in hymnis deorum quos composuit inutili repetitione vsus, deridiculo fuit, vel putat Suidas, vel à Batto Cyrenarum Principe, cuius balbuties in Prouerbium abierit. Aut sanè à rustico Nelei filio, equarum custode, quem fabellæ aiunt Mercurio promisisse silentium furti; deinde eidem alia forma occurrenti, prodidisse.

βαττολογεῖν.

Batti tres.

At senior postquam est mercede gemmata, sub illo
Montibus, inquit erant; & erant sub montibus illo.
Risit Atlantiades; & me mihi perfide prodis?
Me mihi prodis? ait.

Qua ex re apparet notari proprie eiusdem rei inutilem repetitionem: Christus generatim de multiloquio, seu πολυλογίᾳ loquitur, quæ sine Battica repetitione esse potest. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

§. 2. Battologiam & polylogiam Ecclesiæ Catholicæ omnino iniurioſe obiiciunt sectarii pietatis & deuotionis irrisores. Ita Piscator in Obseruat. post Bullingerum, Bezam, Caluinum alios. In precibus, inquit, cauenda est ambitiosa ostentatio, & battologia, « seu inanis multorum verborum d blateratio, aut « demurmuratio: ac imprimis opinio meriti, quasi « scilicet preces à Deo exaudiantur propter illam verborum multiplicationem. Quæ vitia omnia in papatu regnant.

Battologia non probatur ab Ecclesia.

Illyricus etiam fingit, nos fidere orationibus, his quasi ex opere operato aliquid conferant.

§. 3. Nos primo loco statuimus non reprehendi longas orationes, neque eas, quæ eandem rem sæpius repetunt. Christus totas noctes orauit. Luc. 18. vers. 1. 1. Thessal. 5. vers. 17. Colos. 4. 2. imperantur orationes perpetuæ; sic Anna prophetissa *non recedebat de templo*, Lucæ 3. Quin in veteri templo, si ordinem sacerdotum & Leuitarum canentium spectemus, longissimas orationes fuisse perspicuum fiet. Quin historia actuum Apostolorum ostendit fideles in oratione fuisse perseuerantes. Adeo vero orationi instabant fideles vt inde orti sint Massaliani, siue εὐχῖται, qui semper orandum docebant. Epiphan. hæres. 80. Et tales erant de quibus Augustinus de hæresibus meminit cap. 7. Monachi in Africa. & lib. 2. retract. capit. 1. Improbè quidem illi, & ignauè, sed tamen ex orationis, quæ apud fideles in vsu fuit, assiduitate, prætextum nequitiæ suæ quærebant.

Non longæ orationes, nec repetitiones sunt prohibitæ.

Breuiaria & rosaria defensa.

§. 3. Cum ergo à nobis quærunt, vbi sint rosaria, & breuiaria, & horæ canonicæ? Respondendum est Bezæ, similibusque calumniatoribus, in templo olim Salomonio breuiaria inchoata, nunc perfecta; rosatiorum quoque angelos esse auctores, in his nos hoc conari, *vt semper oremus, & nunquam deficiamus.* Noctes & dies, non solidos, sed constituta tempora orationi impendere, vt quantum humana infirmitas patitur, curaq; corpori necessaria, simus in oratione perseuerantes.

Non enim prolixas orationes culpat ille, qui noctes in oratione posuit, sed aliunde vitiatas. Per interualla itaque horarum oramus, vt illis ipsis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. *Quæ cum ita sint*, inquit Augustinus Ep. 121. cap. 10. *etiam cum diu orare vacat, id est, cum alia bonarum & necessariarum actionum non impediuntur officia, quamuis & in eis, vt dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Nequeenim vt nonnulli putant hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctauerit in orando, & quod prolixius orauerit: vbiquid aliud quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus.*

Cur per interualla rerum signis nos admoneamus.

§. 4. Quid igitur Christus prohibet? Non longam orationem, non crebram eiusdem rei repetitionem: Verum Ethnicam battologiam & polylogiam; sicut inquit Ethnici faciunt, quos Syrus vocat הגמא *Camphe*, profanos. In Gentilium orationibus varii errores erant. Nam primò Diis suis necessitates suas explicandas arbitrabantur, ideo & longas, & elegan-

Ethnica battologia vetatur.

tes

componebant, vt apparet apud Cicerones, cum Verres actiones concludit. Quin non putabant se nisi precatos, nisi multis aliquis verba prorsus.

Non audire Deos suos arbitrabantur, ideo Prophetæ Baalitici altius clamare iubentur, si forte Baal dormiret, aut in diuersorio ageret. Addebant & alia, vt tranquillitent altare, lanceolis se concidirent, 3. Reg. 18. vers. 27. Hinc tot cærimoniæ, circuitus, reditus, odæ, epodæ, quibus moueri Deos suspicabantur, vt preces exaudirent. Porro Deos ignorare, & occupatos non posse audire preces, communis erat opinio.

Absentes Dij putabant, sicut viri non posse.

> *Flebat, opemque tuam frustra Phillyrius heros*
> *Delphice poscebat, nec iam rescindere magni*
> *Iussa Iouis poteras; nec si rescindere posses,*
> *Tunc aderas: Elim, Messeniaq; arua colebas.*

Vt in eadem fabella recitat Naso. Superstitionum etiam Gentilium callentissimus Augustinus eandem rationem attulit, iubet nos esse oratores, non narratores. Et lib. 2. Serm. in monte gentium errores describit. *Sicut*, ait, *hypocritarum est, prædere se spectandos in oratione, quorum fructus est, placere hominibus; ita Ethnicorum, id est, gentilium in multiloquio suo se putare exaudiri. Et reuera omne multiloquium, à gentibus venit, qui exercendæ linguæ potius quam mundando animo dant operam. Et hoc nugatorij studij genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur: arbitrantes Deum sicut hominem iudicem verbis adduci in sententiam.*

Oratio ad Deum, qua ignorantiæ blasphema.

Idem ipse versus 8. indicat: *Nolite ergo assimilari eis: Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Quo non prohibet orationem, sed eam qua Deum ignorans de causa nostra edoceri putatur. Si rei ergo naturam pensemus, & Domini propositum; potius concludemus repetitionem nobis mandari. Etenim frequenter, *orare, sine intermissione, & non deficere præceptum est.* Hic vero breuem orationis formam tradit, qua semper vti optimum, cæteroquin eandem iterare sanctissimum est, si enim noctem in oratione transigere quispiam statuerit, quis est ille, qui vetet

Orationem dominicam repetere, nõ iniustum.

eam orationem, quam Dominus docuit, repetere sæpius? aut quæ Scriptura docet, semel duntaxat proferre, nunciandam? Verum obstruet illis os aduersarius plorum Propheta Bullingerus. [Ergo, *inquit*, Dominus nobis commendauit perpetuum & ardens precandi studium, quod in Anna filia Phanuel Lucæ 2. commendatur, quæ non discedebat de templo, ieiuniis, ac deprecationibus seruiens nocte & die non quod nihil aliud fecerit, sed quod illud potissimum fecerit, nam habuit interea & corporis curam. Sancti ergo sine intermissione orant, cum frequenter colloquuntur cum Deo. Et S. Augustinus ad Probam Epistola 121. In ipsa, inquit, fide, spe & charitate continuo desiderio semper oramus. *Et deinde.* Ad

Exempla longarum orationum.

posteriorem hic respondeo, Dominus plane, non prohibet orare prolixius, sed fiduciam damnat multiloquio innixam, qua denique credis de hoc citius audiendum, quo oras prolixius. Hac fiducia inani sublata, nihil peccant qui prolixe orant. Nam de Domino nostro scriptum est, quod pernoctarit in precibus. Neque peccant qui easdem preculas subinde iterant, quo scilicet animum excitent ad ardorem flagrantiorem. Nam ipse quoque Dominus in monte Oliuarum eadem verba semel atque iterum & tertio denique repetiit, idem subinde à Patre postulans. Sanctissime ergo & verissime S. Augustinus inter multum loqui & multum precari distinguens dicit, Multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum quem precamur diurna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus perficitur. Et iterum non est improbum, inquit, vel inutile, cum vacat, orare prolixius. Nam de ipso Domino nostro scriptum est, quod pernoctarit in orando, quod prolixius orauerit: vbi quid aliud quam nobis præbebat exemplum? Ad Probam Epistola 121. Quod si quis nauseam ex prolixitate oriri senserit, interspiret paululum, & ad labores honestaq; studia redeat, deinde vero animum denuo tentet: vt si non prolixe, saltem crebrius orare liceat.] «

Notauit, & D. Basilius aliam etiam Polylogiam cum res externas, & aliquando nocituras nimia sollicitudine rogantur, in moral. Regum 56. cap. 3. ὅτι οὐ δεῖ βαττολογεῖν ἐν τῷ φθάρτα αἰτεῖν, &c. Non oportere Battologare in rerum corruptibilium & temporalium postulationibus. Vereor vt crebro id fiat, dum opes, honores, aliaque petuntur, quod si accedat etiam polylogia, studiumque Deo persuadendi, id vtile esse nobis, iam plane profana oratio fuerit. Qualem describit Ouidius lib. 2. Metam. in Sole & Phaeronte:

> *Finierat monitus: dictis tamen ille repugnat;*
> *Propositum premit flagrat q; cupidine currus.*

§. 6. Absit ergo ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio: si feruens perseuerat intentio. Itaque non est precatio, sed irrisio, cum vel paululum horas suas sine attentione demurmurat, vel in templo reboat; qui enim ipse se non audit, in alia effusus; quomodo eum Deus audiet? Qua de re lib. 6. politicorum à me satis actum est, quo lectorem remitto. *Multa sit oratio, etsi pauca loquutio.*

Deniq; hoc consigno totam hanc controuersiam documento. Diu multumque orat, qui magno orat affectu. Clauso cubiculo orat, qui solius Dei intuitu orat: quod si intra conclane se recipit, vt solus orare videatur in abscondito, cubiculum illi forum est. *Veræ orationis conditiones.*

VERSVS 8.

Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

QVÆSTIO I.

Cur Deum oremus omnia scientem?

§. 1. PRoposita est à sancto Chrysostomo homil. 19. ab Epistola 121. ad Probam quæstio, breuiterque decisa. Nobis verba necessaria sunt, quibus commoneamur, & inspiciamus quid petamus. Grauissimè vero Sermon. in monte. lib. 2: *Si verba multa ad id proferuntur, vt instruatur & doceatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium cognitorem, cui omnia quæ sunt eo ipso quo sunt loquuntur, seseque indicant facta: & ea quæ futura sunt eius artem sapientiamque non latent, in qua sunt & quæ transierunt, & quæ transitura sunt omnia, præsentia & non transeuntia? Sed quoniam quamuis pauca tamen verba & ipse dicturus est, quibus nos doceat orare, quari potest cur vel his verbis paucis opus sit ad eum, quia scit omnia antequam fiant, & no-* *Verba nos docent, non Deum.*

& nouit, vt dictum est, quid nobis sit necesse antequam petamus ab eo? Primò hic respondetur, non verbis nos agere debere apud DEVM, vt impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, & intentione cogitationis cum dilectione pura & simplici affectu. Sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordaremur. Sed rursus quæri potest, siue rebus siue verbis orandum sit, si quid opus sit ipsa oratione, si Deus iam nouit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciusq; efficit ad excipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus nobis dare suam lucem, non visibilem sed intelligibilem & spiritalem. Sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conuersio cordis ad eum qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit: & in ipsa conuersione, purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, vt acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem diuinitus sine vllo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre sed etiam manere in illa, non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere ac sinceriter beata vita perficitur.

Verba animum serenant.

§. 2. Eo maxime Deus exigit orationem, vt sine ea dare nolit, illa quæ nobis præparauit; vt scilicet eum verum omnium datorem, seruatoremque cognoscamus, ab eo omni in re pendeamus: sciamus omnes omnino, & pauperes, & reges regum altam illam portam pulsare mendicos. Modestiam nos docet illa oratio, timore salubri nos admonet mortalitatis, deuotionem accendit.

VERSVS 9.

Sic ergo vos orabitis, Pater noster qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum.

QVÆSTIO I.

An bis orare docuit Christus?

Sæpius orationē hanc inculcasse videtur.

§. 1. LVcæ 11. 12. Rogatum à discipulis ait; itaque bis explicuisse orandi modum nonnulli censent. Primum discipulis; deinde plebi. Alii discipulos quæstionem interposuisse; hoc omittere Matthæum, credibile est, vt eadem in concionibus, ita hîc quoque repetiuisse. Orationem enim omnibus semper vsitatam sæpius inculcatam fuisse, non est mirum. Verum parui momenti est illa difficultas: nam siue semel duntaxat, siue crebrius, docuerit eam orationem, non magnopere vel ad sensum, vel fructum nostrum facit. Explicatur autem à S. Augustino, Cypriano, aliis.

QVÆSTIO II.

An verbis illis (Pater noster) prohibeatur oratio quâ Sancti rogantur?

Deus solus cultu religioso oratur.

§. 1. ARgumentum est centuriatorum Magdeburgensium cent. 1. lib. 1. cap. 4. Christus cum modum orandi suos docet, Deum inuocare docet, non sanctos. non ergo inuocandi. Respondit olim Bellarminus; Christum hoc loco ostendere, quæ sint petenda: non agere de illis à quibus petenda sint. Et vero in materia orationis omnino versatur. Potest alia quoque dari, & quidem perspicua solutio. Interrogatum esse dominum de modo orandi Deum, de cultu religioso, de materia orationis, non autem de eo qui sanctis defertur. A sanctis enim nihil, nisi intercessio petitur. Eadem precum est vtrobique materia. Neque enim ad hæc verba omnino astringere nos Deus voluit. Aliæ enim orationes Christianorum exauditæ sunt, aliis conceptæ verbis. vt Actor. 4. 24. & 7. v. penult. & 8. 15. 16. 17. voluit enim tantum ostendere quas res petere oporteret. Nulla ergo creatura inuocanda est oratione religiosâ, sed aliâ rogati potest, siue viuat in hoc sæculo, siue cum Deo in cœlis coniuncta, per eum nostras necessitates agnoscat.

A sanctis intercessio petitur.

QVÆSTIO III.

An illis verbis (qui es in cœlis) immensitas Dei tollatur?

Deus non in cœlo tantum est.

§. 1. VOrstius nouarum hæreseōn inuentor, pag. 125. Deum ratione substantiæ suæ tantum esse in cœlo asserit. Itaque non esse simpliciter actu infinitum. Quod tamen timidè omnino defendit. & subterfugia quærit, *in Paraseue ad amicam collationem cum clarissimo viro Ioanne Piscatore.* Vbi tamen immensitatem, immutabilitatemque Dei alio modo, ac viâ impugnat. Quæritur enim *modum illum specialem, à Scholasticis doctoribus extra Dei verbum satis audacter ac curiose definitum à Piscatore prorsus omitti. Quo scilicet totam Dei essentiam, seu totam S. Trinitatem, instar atomi, seu puncti, non modo rebus omnibus, sed & singulis etiam vilissimis, fœdissimis, ac minimis realiter immixtam, intimeque præsentem esse; & simul tamen prorsus infinitam, & simpliciter illocalem, extra q; res omnes vbiq; diffusam esse statuunt,* &c.

Omnino immensitatem Dei vt Vorstius.

Quo loco negat apertè diuinitatem vbiq; præsentem, multis locis ac rebus abesse censet. Deinde noua hæresi ita Dei immensitatem aliquam fatetur, vt tamen in puncto neget esse totam. Quasi alibi possit esse diuinitas, vbi tota non sit; ideoque partes aliquas habeat. Quæsi concedantur; iam Deus ipse negabitur.

Disputauit ille cum orthodoxis, & suis etiam, quæstiones illas; & multas Scripturas esse arbitratur, quæ Deum in cœlo supremo habitare testentur. nec hoc modo vt in cœlo sit tantum, sed etiam vt neget esse in terra. nam in collat. cum notis Piscat. *Imò*, inquit, *locus à te citatus non obscurè negat, Deum in terrâ verè habitare: sicut vel ex sola interrogandi formula patet, qua Salomon hic vtitur: Num Deus habitaret in terra? quasi dicat: Non habitabit in terrâ, quo quidem modo in cœlo habitare solet.* Hoc ille secundum substantiam intelligit. Hoc quidem orationis dominicæ exordium nihil ad eam hæresin astruendam facit. In cœlis Deus esse dicitur, non quod non & in terra, & vbique, sed quod eo loquendi modo maiestatem illius ex palatii dignitate demonstrare Scripturâ soleat. Non quod cœlis includatur. nam cœli cœlorum eum non capiunt, nedum templum Hierosolymitanum, aut terra. In cœlis Patrem nostrum habitare monuit, vt ibi esse hæreditatem nostram, ad quam per adoptionem ius habemus, ostendat. Interim Piscator ipse in notis contra Vorstium Dei non modo immensitatem, sed immutabilitatem, si rem spectas, negat. Hypothesis Vorstiana est. *Deum ita substantialiter esse immensum, vt tota substantia sua vbique rebus infusus sit: vtque non modo coniunctum in rebus omnibus, præsens sit, sed & eorum in singulis, etiam minimis & vilissimis,* &c. *Immo totam S. Trinitatem, instar atomi vbiq; rebus omnibus, & singulis, essentialiter immixtam esse,* &c.

Cœlum quasi templum Dei.

Piscator iam immensitatem negat.

Hanc hypothesin, inquit ille, *tanquam curiosam & temerariam omittendam iudico.* Verum de immensitate, & quæ

& quæ inde sequitur in omnibus rebus præsentiâ, vide D. Thom. 1. pag. quæstio. 8. atque in eam q. Nostrum de Valentia, Vasquez, Soarez. aliosque. Nullo modo Caluinianos, qui ita immensitatem verbo concedunt, vt re ipsa negent: Si enim Deus non est in omnibus rebus, non est immensus, imo ne adesse quidem posset, accedendo enim mutaretur. Vbi enim Deus non est aliquando, ibi esse nunquam potest. Vbi non est totus, ibi omnino nihil est.

VERSVS 10.

Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terrâ.

QVÆSTIO I.

Quod regnum, quæ Dei voluntas?

§. 1. DE regno Dei facilis est responsio. Vt enim ipse regnet per gratiam in animis nostris, non regnet peccatum in nostro mortali corpore, oramus. Quin et amad cœleste regnum suspiramus, perimusque dissolui, & esse cum Christo. Denique hoc petimus, vt Christi regnum, quo in æternum regnaturus est, perficiatur; & dæmon qui est rector, & Princeps tenebrarum harum, penitus dometur: S. Augustinus Serm. in monte, de manifestatione regni interpretatur, quamuis etiam de regno cœlesti intelligat. *Regnum gratiæ, & gloriæ.*

§. 2. Voluntatem Dei fieri petimus, non modo vt nos per omnia illi obediamus, sed vt nobis omnia contingant, quæ Deo statuere visum fuerit. Quemadmodum Christus orabat, non mea, sed tua voluntas fiat. ita Augustinus Serm. in monte. lib. 2. Chrysostomus. homil. 20. Præcipuè tamen agitur de voluntate signi, seu præceptis, vt quemadmodum in cœlo omnes summa voluntate Deo parent, ita quoque nos faciamus, non carni, sed Deo seruientes ex animo. Mundi voluntatem abdicemus, diuinam sequamur; cum alioqui natura libertatis auida, diuinam voluntatem ad nostram attrahere, nobisq; conformare studeamus. Nam 2. Timoth. 2. v. 26. captiuos improbos tenet dæmon ad suam voluntatem. Voluntas autem Dei est sanctificatio nostra. 1. Thess. 4. 3. *Voluntas Dei in nobis, & circa nos vt fiat petimus.*

§. 3. Hinc apparet grauissimè eos errare, qui Dei voluntatem & præceptum interdum pugnare affirmant, & præcipere Deum, quæ fieri nolit. Disputatur illa quæstio à Vorstio & Piscatore in collat: Thessalonic. 14. Vorstiana est. [Quæ autem à nobis fieri vult (Deus) voluntate inabsolutâ, ea sæpissimè non fiunt: nempè, quoties præcepta ipsius contemnuntur: quippe quæ sicà nobis seruari vult, vt simul tamen velit aliter euenire posse. Quo sensu rectè dicitur, Deum ordinariè conuersionem, & pietatem nostram, optare & desiderare; non autem vt sic dixerim, necessitare. Vide Deut. 5. v. 29. Psal. 81. v. 14. Esa. 84. v. 18. Ezech. 33. v. 11. & alibi passim. *Dei voluntas non cum gratia præceptiua.*

Caluinistæ Opponit & regerit Piscator. [Hîc primum confunduntur 1. præcepta Dei, cum voluntate ipsius. Deinde implicatur contradictio. Nam si Deus vult (proprièquidem loquendo) à nobis seruari præcepta, fieri aliter non potest, quin illa seruemus; ac proinde Deus non potest simul velle, aliter euenire posse. Tum quod hic dicitur de Dei desiderio, si propriè intelligatur, Deum omnipotentem in hominem impotentem transformat: quasi Deus aliquid desideret, aut velit, quod tamen effectum dare non possit. *Dei aliud, præcipere, aliud velle, sentire.*

In locis autem hic allegatis, tale desiderium Deo tribuitur per ἀνθρωποπάθειαν: Excepto loco Ezechielis, qui quidem ad propositum probandum nihil facit. Neque enim ibi dicitur, Deum velle, vt conuertatur impius: sed dicitur, Deum delectari, quum conuertitur impius.]

Equidem grauissimas in his blasphemias contineri Vorstius ostendit, deinde Arminiani, Lutherani & Catholici, adeo vt Vorstius idem queratur iustam occasionem dari Lutheranis & Pontificiis Deum Caluinianum traducendi. Omnino sanè. Si enim præcepta nobis proponit cum voluntate sua pugnantia, non ergo vult nos id facere, quod facere imperat. Cur enim id præcipit, quod fieri nullo modo vult? Præcepta igitur cum voluntate conueniunt: qui enim dixit: Non occides, noluit nos occidere. Sed ita noluit, vt tamen vellet, nos idem liberè nolle. Non enim necessitatem imposuit, sed legem. Itaque non sequitur: Deus præcepta sua vult à nobis seruari, necessariò ergo illa seruamus. Nam liberè à nobis seruari vult, ideo violare possumus: ita enim vult, vt si nos quoq; velimus. Quod per voluntatem conditionatam optimè Vorstius exponit, hac quidem in re Catholicis consentiens. *Deus vult nos obedire præceptis, sed libere.*

Quod ad desiderium, cuius mentionem facit Piscator, attinet, aliud non est, quam voluntas Dei inefficax, & conditionata. Non quia Deus potens non sit, vt id efficiat, quod desiderio optare dicitur: sed quia potentia, & vi irresistibili vt illi vocant, non tenuocat à peccando, vel impellit ad bene agendum. Sed ita gratia instruit, vt naturam non destruat, voluntatem autem, & ingenuam hominis liberi obedientiam requirat. Si enim cœco motu, & violento voluntates aguntur, nec præmium habet boni operis indeclinabilis necessitas, nec pœnam, peccati ineuitabilis coactio. Bruti enim instar voluntas ducitur, & trahitur. *Desiderium Dei quid sit.*

§. 4. Piscator in comment. huius loci, voluntatem Dei nobis ait vel generaliter, & indefinite, vel specialiter ac definitè reuelari. Generaliter per legem, & Euangelium. Specialiter per euentus, & reuelationes certis hominibus factas. Deinde grauem quæstionem proponit. [Sed grauior exurgit difficultas ex eo, quod Deus in lege sua vetuit omnis generis scelera & flagitia, ac proinde significauit se illa fieri nolle: & tamen illa fieri permittit: permittit autem vtique non nolens, sed volens: nam si simpliciter ac planè nollet, fieri non permitteret: Cum sit omnipotens ac proinde impedire illa possit. Hinc videri posset, Deum vnam, eandemque rem (puta scelus aliquod) & nolle & velle.] *Quæstio Caluiniana.*

Huic quæstioni respondet sceleratissimè. [Etsi Deus scelera omnia permittit & quidem volens: tamen scelus nullum vult seu approbat, coue delectatur: sed scelera omnia odit ac detestatur. Deinde licet absque impietate dici posse videatur, Deum velle scelera per accidens, & propter aliud, quatenus nimirum inseruiunt ipsius gloriæ illustrandæ: tamen dici pie non potest Deum scelera velle per se & simpliciter, quatenus scelera sunt. Vult enim Deus Angelis & hominibus innotescere & ab illis prædicari suam iustitiam in sceleratorum pœnis: Ergo hoc respectu & hactenus vult quoq; scelera ab istis patrari: licet interim ipsa scelera abominetur. Sicut ægrotus quispiam à pharmaco aliquo amaro hauriendo, per se quidem abhorret, sed tamen propter aliud, videlicet ob recuperandam sanitatem, bibere illud vult ac bibit. In illo tamen simili hoc est dissimile, quod ægrotus aliâ ratione sanitatem recuperare non potest aut saltem posse non videtur: at Deus gloriam suæ iustitiæ patefacere posset alia ratione: sed hac ratione *Deus Caluinistarii vult scelera, vt puniat,*

patefa-

„ patefacere illam ei placuit, teste Apostolo Roman. 9. „ vers. 22.

Cui respondet sect. 102. rectè Vorstius. Malum, etiam malum esse, cum bonus finis eius fingitur. Aliud sanè est, malle potionem amaram sumere, quam mori, quia non est in sumendo pharmaco peccatum: aliud est peccatũ malle, quam mori; nam potius moriendum est, quam peccandum. Itaque vere Vorstius. [Exceptio tua nihil, *inquit*, contra hanc veritatem agit: quia simile ipsum quod affers, de ægroto, & potu amaro, &c. Plane dissimile est. Non enim ægrotus „ hunc potum absolutâ & primariâ voluntate, seu primò & per se, vel intendit, vel procurat, &c. Multo minus ipsum morbum absolutè vnquam vult; aut idcirco eundem voluit, vt deinde potum hunc bibere posset. Sed odio potius ac tædio morbi incitatus, quum aliter ab eo liberari se non posse videat, potum ipsum consequenter, & quasi conditionaliter, seu planè per accidens, bibere vult; & tandem quasi nolens volens bibit, ad maius scilicet malum euitandum, &c. At si hæc omnia Deo applicanda sint, infinitis absurdis implicari te videbis. Nam vt alia nunc taceamus, tu ipse nullam in Deo consequentem, aut conditionatam, voluntatem agnoscis: Contraq; sic Deum peccata fieri velle statuis, vt ipse nos ad ea destinet: imo ipse ea procuret; & quidem propter ipsum æternum exitium, pleriſq; hominibus iam ante absolutè decretum, &c. Neq; illud negari potest indignum Deo esse, si ad eas interdum angustias redigi dicatur, vt nolens volens aliquid faciat, aut quasi ex impotentiâ, seu mauis indigentiâ, certis mediis alligatus sit: & speciatim vt peccato, tanquam sibi necessario opus habeat, vel ad gloriã suam patefaciendã, vel ad salutem suorum procurandam, &c. Vide Eccles. 15. v. 11. & seqq. Vt quidem ægrotus circa potum amarum, circaq; morbum, sese habere solet. Cætera tibi ipsi, & cordato Lectori, cogitanda relinquo.

Quod si Piscator respondeat, Deum per se nõ delectari peccato, sed decernere ad exercendam iustitiam, non soluit, sed stringit nodum. Nam gloriam suam ostendere vult in iustitiâ puniendi, & ideo ne pœna sit iniusta decernit homini exitium, & vult eum peccare, impellit, cogit, satanæ tradit, vt ipsi aiunt. Durius est hoc, quam si quasi summo iure vtens perderet innocentem: nunc enim & perdit, & vt iure factum sit, cogit esse nocentem.

Mala ex se, nunquam bene fiunt.

Horribilis Deus Caluinistarum.

Deus Caluinistarum durius agit, quam si puniret innocentes.

§. 5. Non igitur orare possunt Caluiniani; Fiat voluntas tua. Nam non possunt orare, vt fiat voluntas sigui, seu mandata eius perficiantur; negat enim Piscator, confundenda mandata, & voluntatem. Non vt fiat voluntas beneplaciti, sic enim orarent, vt velint etiam peccata & pœnas: Nam plurima peccata fieri constat, & Deo volente fieri.

Caluiniani orare non possunt, fiat voluntas tua.

§. 6. Quin alia ex causa Vorstius ostendit Caluinianos rigidos orare non posse. Verba eius. *Si quicquid vult Deus, fit in mundo, cur igitur precari iubemur, vt voluntas Dei fiat in terra, sicut in cœlo?* Caluinistas ergo orare non posse docent ipsorum, doctores. Et reuera antagonista Vorstii, F. Broeckerus sic respondet, vt facile appareat eum orare non posse. Verba eius. *Resp. Negatur consequentia maioris. Nam diximus illa, quæ fiunt in mundo, fieri duplici modo: simpliciter enim, & secundum quid. Quicquid fit simpliciter, illud diximus Deum velle, quoniam bonum est, & omne bonum vult Deus. Quod autem fit secundum quid, malè nempe, hoc non vult Deus, quia malè, & propterea recte precamur fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic etiam in terra.* Non, inquam, quisquis id dicat, orare potest. Nam primo nihil petimus, vt fiat eo sum, quæ Deus simpliciter vult iuxta hanc responsionem. Hæc enim Deus definiuit, hæc vult, hæc fient. Vt ergo nõ petimus à Deo, nisi stultè, vt sit omnipotẽs, ita nec vt illa voluntas fiat, nam omnino de decreto fiet vt ille ait, simpliciter fit, nec panem nostrum petimus, quia ex illis est, quæ simpliciter fiunt, bonum enim est; nec vitam æternam, quia magnum bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: non ergo petimus, vt nos regat, tueatur, &c. Sed nec de eo quod fit secundum quid. Nam vt non fiat actus peccati, quâ actus est, sed ures bona, non petimus, hoc enim vult Deus, & cum fit, iam fit voluntas Dei, & semper fit.

Cur orare non possint Caluiniani.

Quid ergo petimus? ne fiant mala, qua mala sunt, restringitur igitur mirum in modum illa orationis dominicæ petitio. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, sic etiã in terra. Sensus enim est, ne fiant mala, qua mala sunt. Sed ne hoc quidem manet reliquum vt petamus. 1. Deus decreto suo efficaci & absoluto vult fieri actum malum, vt opus est, verbi gratia, odium suæ bonitatis, at fieri non potest, vt cum hoc fit à creatura intelligenter, & liberè agente, separetur ab eo malitia. Stulte igitur oramus vt fiat, quod fieri non potest. 2. Deus vult malum, vt causam damnationis, malum igitur vt malum. Quem enim ad exitium destinauit, eum ad certos omnibus circumstantiis definitos cruciatus destinauit, respondentes certis, eodem decreto definitis peccatis; hæc ergo voluit. 3. Omnia bona, inquit, quæ fiunt, Deus voluit, mala vt mala non vult; Et quid est, non vult? Respondeo de Caluini sententia. *Non vult voluntate reuelata; nam prohibet, non vult voluntate signi, nam significat se nolle. vult tamen voluntate arcanâ & omnia eo ordine disposuit, vt necessariò fiant.* Quid igitur petitis, cum dicitis. *Fiat voluntas tua*: &c. Vel enim hic sensus est, fiat voluntas tua reuelata; at hoc stolidum, nam semper vetat quod vetat. Vel fiat voluntas arcana; illa enim contraria est in malis reuelatæ, at illa etiam semper fit. Fruſtra ergo petunt, vt fiat voluntas. Quæ tota non modo necessaria est semper, sed etiam omnium actionum bonarum, & malarum necessitatrix.]

Impietas Caluinana.

VERSVS II.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

QVÆSTIO I.

Quem panem petimus?

§. 1. DVplex interpretatio. Prima peti panem nostrum spiritalem, sacram Eucharistiam. Tert. de orat. Cyprian. de oratione dominica. Ambrosius lib. 5. de Sacrament. cap. 4. Marius Vict. lib. 3. aduers. Arianos. Athanasius de incarnatione. Hier. in 2. c. ad Titum. Cyrill. Catech. 5.

Altera, esse panem hunc quo vitam ducimus; Augustinus lib. 1. de locut. ad Gen. Chrysost. homil. 20. Theodoretus & plerique Theologi: Nec alii id negare videntur, sed spiritaliter interpretari, & ampliare petitionem. vt Augustin. lib. 2. de temp. voluntatem Dei interpretatur panem. Imo Cyprianus vtramque expositionem habet in expositione orationis dominicæ. *Quod potest & spiritaliter, & simpliciter intelligi: quia & vterq; intellectus vtilitate diuina proficit ad salutem. Nam panis vita Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium & credentiũ Pater est: sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster (qui corpus eius contigimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus. intercedente*

cedente aliquo grauiore delicto, dum abstinentes, & non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.

Panem corporis petimus.

Dicendum est tamen Christum, infirmitatis rationem ducere, vt sciamus non nostræ industriæ esse opes parare, aut vitam tolerare, sed diuinæ benignitatis. Ideoque panem, & vitæ necessaria petere voluisse.

Panis supersubstantialis.

§. 2. Panis porro noster ἐπιούσιος, *quotidianus*. Syriace רסוקנן *Indigentiæ nostræ*. Vt de sacra Eucharistia interpretarentur aliqui, causa ex eo fuit, quod ἐπιούσιος, quasi supernaturalis, seu supersubstantialis vocetur. Vetus interpres habuit, *Quotidianus*. Hieronymus, habita ratione etymologiæ vocauit, *supersubstantialem*, inde est, quod oratio, qua vtimur, à versione discrepat. Oratio vetus mansit, versio mutata est. Maldonatus noster interpretatur, panē substantiæ nostræ alendæ accommodatum, qui scilicet sit. Ità Francisc. Lucas & alij. Licet ille etiam vocet panem cibarium, quod si de simplice & communi intelligat, non est satis amplè dictum, omne enim cibi genus, etiam medicinas, & quicquid corpori necessarium est, petimus.

Panis substantiam sibi accommodatus.

Alij interpretantur panem ἐπιούσιον, ab ἐπειμι, *succedo, sequor*; nam ἐπιοῦσα ἡμέρα dicitur dies insequens, seu succedens; & vsitatum est dicere ἐν τῇ ἐπιούσῃ, tacito nomine, ἡμέρᾳ. *Sequenti*, quemadmodum dicimus, *Crastina veniet*, subaudito *die*. Itaque hoc significato ἐπιούσιος est ἄρτος τῆς ἐπιούσης ἡμέρας, diei succedentis, hoc est hodierni, qui hesterno succedit. Hinc Hebræum Euangelium habuit מחר *Machar* crastinus, vt testatur Hieronymus. Ex quo constat, non illud fuisse olim, quod nunc circumfertur, habet enim תמיד *Thamith semper*, non מחר *Machar*. Mihi nullo modo probabilis hæc expositio videtur. Nam ἐπειμι est inuadere, venire post, succedere. Non solet autem de re præsenti dici. Nam Græci cum dicunt τῇ ἐπιούσῃ diem crastinum semper intelligunt, nunquā hodiernum. Sic dicere solent: ἐπιοῦσης ὥρας: *sequente hora*. ἐπιόντος ἔτους, *sequenti anno*, cui opponunt, ἐνιόντος ἐνιαυτῷ *præsenti anno*. Sic Demosthenes vocat ἐπιόντα μῆνα *mensem instantem*. Plato ἐπιόντα χρόνον. Et de futuro accipit Plutarchus in Solone. ἔπεισι γάρ ἑκάστῳ πικίλον ἐξ ἀδήλου μέλλον, *Imminet cuique ex occulto, quod futurum est*. Perinde esset, ac si panem rogaret in diem crastinam, seu sequentem, quod Christum noluisse constat, cum iubeat crastinum sibi esse sollicitum. Sufficit enim ἐφήμερος τροφή, vt ait Iacob. 2. *diurnum alimentum*. Ita quoque scholium Græcum. ἄρτον ἀπὸ τῶν καθ' ἡμῶν ἐπιοῦσαν ἐπαρκέντα vocat; panem ad substantiam nostram sufficientem. Ita quoque Basilius in Asceticis: & talis describitur Prou. 30. 8. לחם חקי, *panem præscripti, seu demensi* mei. Apud 70. legimus Σύνταξον δὲ μοι τὰ δέοντα, καὶ τὰ αὐτάρκη. *Constitue mihi quæ opus sunt, quæque sufficiunt*. Sym. vocat διαταγὴν ἱκανήν. Aq. ἄρτον ἀκριβασμῶν μου. Hoc est, *panem exquisitionum mearum, seu, accurationum mearum*. Contentos etiam nos quotidiano cibo esse iubet. vt 1. Tim. 6. 8. Philipp. 4. 11. 12. 13. Luc. 12. 15.

Dies crastina.

Non est autem repetitio inanis, cum petimus, vt panis quotidianus, seu quotidie nobis necessarius detur hodie. Singulatim enim nos de Crastino sollicitos non esse ostendimus.

* *
*

VERSVS 12.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

QVÆSTIO I.

Verene an humiliter tantum orent sancti, dimitte nobis debita?

Pelagiani non orabant pro se. Dimitte nobis.

§. 1. IMpia fuit Pelagij, & Cœlestij præsumptuosa hæresis, quod dicerent sanctos non pro se, sed alijs orare: *dimitte nobis debita nostra*. Ita enim apud S. Augustinum de peccat. meritis & remissione l. 2. c. 10. loquuntur. Quia etsi orabant, inquiunt, non pro se, sed alijs orabant.

Qui se peccatum habere negat, perit.

Probat errare eos Augustinus exemplo Danielis, & Iobi, multisque testimonijs scripturæ. & l. 2. de bono perseuerantiæ c. 5. Ex Cypriano probat eandē expositionem. *Et operæ pretium &c. Cum enim locum ipsum Dominicæ orationis exponeret, ait inter cætera: Quam necessariè autem, quam prouidēter & salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur; vt dum indulgentiā de Deo petitur, conscientia sua animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in epistola sua ponens dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est.*

Nō est humilitas mentiri se peccatorem esse.

De his & Epist. 108. agit, & in Euchiridio cap. 73. August. Inuictum sanè contra Pelagianos est argumentum. Nemo enim est qui non verissimè orationem dominicam, adeoque hæc ipsa verba recitet. Nemo igitur non peccator. Quia debitor, debita enim sunt peccata. Nec quisquam humiliter illa dicit, nisi etiam veraciter, impia est mentientium humilitas. Nec enim simulando tundunt pectora, nec simulata humilitate Deum fallunt, dum superba opinione se non putant peccatores, & ficta humilitate se mentiuntur peccatores, errante conscientia bis sacrilegi.

QVÆSTIO II.

An nunquam iustus vllus sine peccato esse possit?

Quadripartita quæstio.

§. 1. NOn est noua illa quæstio, sed olim à S. Augustino proposita, hodieque à multis hæreticis actitata. S. Augustinus l. 2. de peccatorum meritis, & remissione quadripartitam facit quæstionem. *An homo possit esse sine peccato*. Respondet: Posse libero arbitrio per gratiam adiuto; potest enim nolle peccare, nec impossibile est Deo adiuuare ne peccet.

Altera quæstio est: *An sit sine peccato aliquis?* siue an Dei gratia adiutus ad eam perfectionem quis venerit, vt esset sine omni prorsus peccato. Id negat factum. Causam dat, quia nolunt. Nemo tantum vult, quantum res exigit. Atque hoc respondet ad tertiam quæstionem; *Cur non sint, cum esse possint?* Quartam denique quæstionem mouet; *An sit homo aliquis qui nunquam vllum habuerit peccatum*. Cui respondet, nullum fuisse, esse, futurum, excepto solo Christo, cum in peccato nati sint omnes. At hæc quidem in confesso sunt. At quæstionem quintam adiungendam censeo ex eodem Augustino. An scilicet aliquis breuissimo tempore sit, vel fuerit sine peccato?

An ad mentum

§. 2. Hoc sentire Augustinum constat. Nam Epistola 50. recensens hæresin Pelagianam, qui sine pecca-

quis possit esse sine peccato.

peccato se audebant iactare in hac vita, seque esse in Ecclesia, quæ non habet maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi: addit ipse: *Nescientes hoc modo in eis compleri, qui vel post baptismum continuo, vel dimissis debitis, quæ dimittenda in oratione poscuntur, de hoc exeunt corpore: In tota Ecclesia tunc futurum, cum dicendum erit: Vbi est mors victoria tua?* Nec modo hoc fieri potest, sed interdum etiam solet. Infantes baptizati sine vllo sunt peccato. Nam originali liberi sunt, actuale rationis defectu patrare non possunt. Ita quoque non video cur non Cornelius baptizatus, aut Eunuchus Candacis reginæ, illo momento sine vllo peccato fuerint; & breuissimo tempore diuinâ gratia permanserint. Non enim causa vlla apparet, cur tanta fide, & caritate baptismo mundati, & Spiritu sancto donati, primo statim momento peccarint.

Breuissimo tempore potest esse sine peccato aliquis.

Verum obiiciunt hæretici. Eos contradicere orationi dominicæ, vt Augustinus l. 4. contra duas Epist. c. 10. l. de Ecclesiast. dogm. c. 48. & 49. qui tamen Gennadij est, non Augustini. Argumentum Augustini & Epist. 89. ad Hilarium. *Omnibus enim necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit, vt vnusquisque Deo dicat; Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato viuere pronunciandus est. Quales si aliquos futuros Dominus præuideret, meliores vtique quam extiterunt eius Apostoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti sibi peccata, quibus in baptismo fuerunt omnia iam dimissa.*

Qui sine peccato est, non eget oratione Dominica.

Hic Augustinus ita intelligendus est, vt non neget aliquem aliquando tempore breuissimo sine peccato esse, aut fuisse. Id enim ante clarissimè dixit. Et in hac etiam Epist. insinuat. *Sed plane qui misericordia Dei adiutus & gratia, se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata sine quibus non hic viuitur mundare operibus misericordiæ & pijs orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamuis cum hic viueret habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia, quibus purgarentur, affuerunt.*

Postquam enim remedio peccatum purgauit, iam sine peccato erat. Verum tamen quantumcunque vigilet intellectus, sitque accensa voluntas, etsi hoc aut illud peccatum vitet, celerrime tamè in alia prolabitur, etiam iustus. Ideo semper dicit: *dimitte nobis debita nostra*, peccatum scilicet, & pœnam peccati, nec æstimat, si forte breuissimo momento libet peccato fuit, aut non obnoxius pœnæ: quia non nouit sed statim non peccasse, & an aliquo momento, sic omnium præter rorum acceperit veniam, vt noua non addiderit, scire non potest.

Nemo scit an omnia ita remissa sint, vt nec culpæ, nec pœnæ quicquam superſit.

Certe Augustinus arbitratur, posse aliquem impetrata venia sine peccato mori, quod indicat, in ipsa veniæ impetratione non semper nouum committi peccatum. Moraliter igitur ista accipienda sunt, non ad momenta Mathematica redigenda. Ita viuere nō possumus nisi spiritum aeremve ducamus, nisi cibo vires reparentur, minimo tamen tempore spiritu intercluso, longiusculo sine cibo viuimus. Hinc apparet, quantum à vero aberrent, qui vt semper orare possint, *& dimitte nobis debita nostra*, ipsas potentias, & subitos animi motus peccata esse volunt.

QVÆSTIO III.

Quæ peccata petamus dimitti?

Omnium remissionē petimus.

§. 1. BEllarminus in explicatione orationis dominicæ, & venialium & mortalium remissionē nos petere asserit. Et: de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 8. Idem Bellarminus probat esse aliqua peccata venialia, non ideo quia non imputantur, sed quia facile condonantur.

Doctrinam suam ex Augustino sumpsit Bellarminus. Ille Ep. 108. Enchir. c. 73. l. 21. c. 22. & 27. de ciuitate Dei. de fide & operibus c. 26. contra Parmen. Epist. l. 2. c. 10. Contra Cresconium Grammaticum. l. 2. c. 38. de bono perseuerant. l. 2. c. 5. in Psal. 142. serm. 34. c. 6. de diuersis. Hæc verba exponit, & multis, de peccator. meritis & remissione, c. 4. & 10. In plerisque fere locis peccata vocat leuia, breuia, minima, quotidiana, sine quibus hæc vita non ducitur. Excipiunt tamen obtrectatores Bellarmini, hostes veritatis, Augustinum *ne nominare quidem venialia*, deinde hæc oratione deleri, non ergo natura esse venialia; denique misericordia Dei condonari, non igitur esse natura venialia.

Lutherus.

Augustinus.

De mente Augustini si nobiscum disputant, eius sententia stare oportet. l. 80. quæstionum, q. 26. *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia contraria est sapientiæ, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur nouit quid sit virtus & sapientia Dei, potest existimare quæ sint peccata venialia.*

Ex virtute igitur & sapientia Dei peccata ait venialia, quia scilicet sapientia Dei non constituit illis pœnam æternam, quod iudicaret ea pœna non esse digna. Deinde Augustinus non modo l. his citatis, sed etiam l. 14. de ciuit. cap. 9. & l. 2. cap. 25. & l. 21. c. 27. docet *esse in valde iusto, nec iustitiam* tollere, *non esse crimina, esse parua.* illis *non infernum, sed pœnas purgatorij deberi.* Sermon. 41. de Sanctis; *non illis occidi animam.* Non autem hanc distinctionem more Caluiniano in solam Dei voluntatem, aut imputationem referunt; nam adulterium Dauidis, & cædem mortalia iudicat. Quod si millies inferos merentur, & vt Beza docet, millies millies totius mundi interitum, quomodo leuia, minima, non occidentia animam, quomodo cum iustitia consistunt?

Beza.

tronsen-tentia.

§. 2. Eodem pertinet, quod concupiscentiam ex hac petitione Lutherus probare contendit, esse vere propriéque peccatum. [*Sola inquit art.* 3. oratio dominica nonne omnes concludit sub peccatum, *concupiscendum* omnibus quantumlibet sanctis mandat orare: *sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum* Fiat voluntas tua? Quid confitetur, qui petit fieri voluntatem Dei nisi se nondum *Plene* facere voluntatem Dei, ac per hoc esse inobedientem Deo, neque enim fictis hic verbis oratur: Hoc solo saluus, quod agnoscit & deprecatur suam inobediētiam, ac in quātum orat & agnoscit, tantum facit voluntatem Dei, id est, in spiritu: sed in carne, contra quam sic orat, nondum facit. Ita qui petit sanctificari nomen Domini, nonne fatetur nomen Domini adhuc in se pollui *Ex Parte*? quod dolens deprecatur, & impletur illud in eo Rom. 7. Quod nolo malum, hoc facio, quod volo bonum, non facio. Sic qui aduenire regnum Dei petit, certum seruum Diaboli se ex parte confitetur cum Apostolo dicens: Video aliam legem in membris meis captiuantem me in legem peccati.]

centum esse peccatum.

non dare dominica

Respondet Bellarminus l. 5. c. 11. de amissione gratiæ, & statu peccati. Ex interpretatione Cypriani, Petere nos vt perseueranter id faciamus; vt regnum cœleste aduenias, vt omnes, etiam infideles voluntatem Dei faciant. Quin & Christum Dominum orasse, vt fieret Dei voluntas, nec tamen peccatum habuisse. Augustinus consentit, qui censet pro concupiscentia non orandum, si non consentiamus. Firma est illa, & quæ hæreticum facile confundat, responsio. Nec est dubium cœlestes Spiritus eadem quotidie orare, vt qui sint ministri facientes

volun-

Angelus nomen Dei sanctificant.

voluntatem eius. Illi imprimis nomen eius sanctificant, dum puris mentibus sine intermissione canunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* nec ideo tamen concupiscentia premuntur, quæ originale sit peccatum. Itaque non ex illis modo petitionibus, sed ne ex hac quidem dimitte nobis, consequitur, concupiscentiam in nobis peccatum esse.

§. 3. Occurrunt hic quoque aduersarij vt omnino veritatem pessumdent. [Primo, *ait Pareus*, Cyprianũ » non præiudicare alijs interpretibus. Secundo. Non » pugnat cum Luthero: sed consentit. Quod enim Cy» prianus dicit, nos in baptismo sanctificari cœpisse: id » Lutherus nos voluntatem Dei nondũ PLENE facere, » nomẽ Dei in nobis adhuc pollui ex PARTE, &c. Ter» tio. Pro Luthero contra aduersarium dicit Cyprianus: » Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione vt qui » quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione » assidua repurgemus: Et postea: Sed quia nobis à dia» bolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus » atq; actus Deo obsequatur, oramus & petimus, vt fiat » in nobis voluntas Dei. Et postea: Prouidenter & sa» lubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro » peccatis rogare compellimur, vt cum indulgentia de » Deo petitur conscientiæ suæ animus recordetur. Impia igitur & Pelagiana vox est aduersarij, qua hunc lo» cum claudit: nobis hanc orationem dominicam: Di» mitte nobis debita nostra: non esse necessariam, si nul» lum aliud haberemus nisi originale peccatũ: Falsum » est, hæc esse verba Augustini: & tu piter sibi aduersa» rius repugnat. Quid enim hoc est aliud, quam dicere, » peccatum originale, quia pro eo non est necessarium » orare, non esse proprie peccatum: quod supra ad ra» uim vsque contendit lib. 4. c. 2. 3.]

Peccatum originale non eodem modo, quo actualia, est peccatũ.

Sitne proprie peccatum, originale alio loco disputatur, Bellarminus negat peccatum eiusdem rationis esse cum actuali, cum diuersa ratione sit voluntarium.

Respondeo autem: Non hoc agi, vt Cyprianus alijs præiudicet, sed vt quandoquidem multos habet eiusdem sententiæ, eum nos, alios que Lutheri interpretationi obijciamus, quo constet, cum Cypriano martyre, non tantum nobiscum illis esse negocium.

Quod vero Cyprianum Caluinianum aut Lutheranum facere conatur, id stolidæ imperitiæ argumentum est. Verba Cypriani sunt. *Post subsidium cibi petitur & venia delicti; vt qui à Deo pascitur, in Deo viuat: nec tantum præsenti & temporali vita, sed & æternæ consulatur, ad quam venire potest, si peccata donentur: quæ debita Dominus appellat, sicut in Euangelio suo dicit. Dimisi tibi omne debitum quia me rogasti. Quam necessarie autem, quam prouidenter, & salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgentia de Deo petitur conscientia suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat: instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare.*

Cyprianus non dicit concupiscentiam esse peccatum.

Hinc nihil pro Luthero fingi potest. Nam nulla sequela est: *Peccatores sumus, ergo ipsa concupiscentia peccatum est*, non enim ipsa, sed obedientia præstita desiderijs eius, peccatum est. Deinde post baptismum, & toties iteratas preces, iam condonatum esset, si quod in ea peccatum fingi posset.

Porro Commentario in illa verba, *Sanctificetur nomen tuum*, plane aliud Cyprianus, & aliud Lutherus docet. *Post hoc dicimus Sanctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo vt sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Caterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prædicat dicens: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Hæc sanctificatio maneat, vt in nobis permaneat oramus: & quia Dominus & iudex noster sanato à se & iustificato comminatur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio quæ de Dei gratia sumitur ipsius protectione seruetur.* Vide Augustin. lib. 2. de bono perseuerant. cap. 3.

Rogamus vt sanctificatio

Non probat concupiscentiam esse peccarum, quia dicit nos quotidie delinquere: de actibus enim peccati, non de potentia peccandi agit: nec conuenit Luthero, quod ait, delicta assidua sanctificatione purgari, manet enim concupiscentia ad mortem vsque. Multo minus illud vel contra Bellarminum, vel pro Luthero est. *Sed quia nobis à Diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus vt in nobis fiat voluntas Dei.* Non enim quia diabolus obsistit, aut quia animus, & actus Deo non obsequuntur, idcirco concupiscentia, sed mala desideria, actionesque sunt peccata.

Denique non est Pelagianum, sed Augustinianum, si peccatum Originale solum inesset, non opus esse hac oratione. Verba Augustini sunt. *Incipit autem homo secundum gratiam in interiori homine renouari, vt mente agat quod amat, nec carni consentiat agenti, quod odit, id est, vt non omnino non concupiscat, sed vt post concupiscentias suas non eat. Quod quidem tam magnum est, vt si omnimodo non fieret, & quamuis insint, dum tamen in hoc corpore mortis huius, desideria peccati, nulli tamen eorum adhiberemus assensum, non esset, vnde diceremus patri nostro, qui est in cœlis, Dimitte nobis debita nostra.* Augustin. Epistola. 200.

Augustinus non oportet pro concupiscentia nisi consentiamus.

Hæc omnino contra sectarios efficacia sunt: illi enim manere in iustis aiunt peccatum originale, & peccatum originale esse ipsam concupiscentiam. At vero Augustinus negat pro desiderijs orandum, nisi consentiamus, ipsa igitur desideria negat esse peccata, multo magis ipsam concupiscentiam vnde illa oriuntur. Non quod Bellarmin. vel Augustinus concupiscentiam, vel potentiam veri nominis peccatum appellent: sed negant orandum esse pro peccato originali dimittendo, quale sibi Lutherus finxit.

QVÆSTIO III.

An remissio repugnet satisfactionibus?

§. 1. IAm remissio, [*inquit Caluinus*, quam hic nobis fieri optamus, satisfactionibus repugnat, quibus se mundus redimere conatur. Neque enim remittere dicitur creditor, quia accepta solutione nihil amplius exigit, sed qui vltro & liberaliter iure suo cedens, absoluit debitorem. Neque hic locum habet vulgaris illa culpæ & pœnæ distinctio, nec enim dubium est, quin debita, pœnæ reatum significent. Hic si nobis gratis remittitur, compensationes omnes euanescere oportet. Nec alius sensus est Lucæ, quamuis peccata nominet, quia eorum veniam non aliter indulget Deus, quam reatum tollendo.]

Liberaliter Deus condonat, & tamen satisfactionibus suus est locus.

Respondeo. Remissionem esse prorsus liberalem Dei condonationem, non modo culpæ, verum etiam pœnæ, nec tamen satisfactiones euanescere, sed consistere. Ac primo quidem grauiter errat Caluinus, cum debitorum nomine pœnæ reatum intelligit tantum. Etenim Christi ore concitur; quia apud Lucam *peccata*, nominat. Deinde vers. 15. se Christus explicat, & vocat παραπτώματα *peccata*. Denique quamuis deprecemur, maiore tamen animo reatum culpæ detestamur, & pro reconciliatione obsecramus, vt qui Dei iram multo magis, quam paternam vindicantis manum timeamus. Improbe igitur ad pœnæ reatum orationem fidelium restringit. Multo aliter Cyprian. loco antea citato. Augustinus & alij. Quin etiam Pelagianis fauet illa expositio.

Peccati culpa condonatur, & pœnæ pars.

Facile enim illi dicerent; Peccata se non habere, orare tamen debita remitti, hoc est, pœnas, quas quotidie experiebantur, nec eo opus fuisset confugere, vt dicerent, se pro sese orare. Sic quoque Caluinistæ Daniel Tossanus, Aretius interpretantur.

Respondeo deinde; Pœnam etiam remitti eâdem, Dei & gratuita misericordia; nam cum primum peccatum ipsum remittitur æterna, pœna mortalium, & magna pars temporalium pœnarum in venialibus remittitur, & in mortalibus.

Satisfactio tantũ est pœnarũ temporalium.

Respondeo tertio. Satisfactiones ad solas pœnas quasdam temporarias adhiberi, quas disciplinæ causa Deus imponit. Easdem tamen mera Dei & sola misericordia niti; cum quia ex gratia & caritate, quæ Dei munera sunt, ortum progressumque habent: tum vero, quia non nisi gratuita Dei beneuolentia acceptantur. Potuit enim ille pro vno peccato, cuius æternam pœnam remisit, multorum annorum supplicia exigere. Gratiam igitur præstat, cum oratione, ieiunio, eleemosyna tantam pœnarum acerbitatem redimi patitur.

§. 2. Docta est etiam & elegans S. Chrysostomi disputatio contra Nouatianos, qui peccata post baptismum facta negabant remitti. Loquitur enim hic discipulis, & baptizatis: quibus veniam peccatorum pollicetur.

QVÆSTIO IIII.

An conditio remittendorum peccatorum addita nos obliget?

Conditio est, vt remittas, si remitti velis.

§. 1. CLatissimam rem obscurare hæretici nituntur. nam vers. 14. &15. diserte dicit. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Nec recens illa lex est, sed antiqua Ecclesiast. cap. 28. à versu 1. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruat iram, & à DEO quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à DEO? quis exorabit pro delictis illius?*

August. hom. 24. pactum, placitum, firmumque Chirographum vocat, vt qui dimittere se dicit, & hoc fallaciter, is dicat inaniter, dimitte. Eadem Cyprianus Chrysost. Chrysologus serm. 71. Augustinus tonitruum appellat. Enchir. cap. 74. *Mentiri veritas non potest, si non dimiseritis peccata hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Et tamen potens est etiam Deus mortuos resuscitare.*

Hac de re quædam pia, quædam impia docent Sectarij. Pium est, quod ait Caluinus. *Non alia lege nos ad veniam admitti, nisi fratribus ignoscamus, quicquid in nos peccarint. Se igitur vltro quasi deuotis animis exitio addicunt, & data opera Deum sibi reddunt implacabilem, qui illatas sibi iniurias obliuisci nolunt.* Egregiè sanè & consentaneè Ecclesiæ doctoribus orthodoxis. Sic illi quos citaui, sic Basilius. ὅτι οὐ δεῖ χρηστὸν μνησικακεῖν, ἀλλ' ὅτῳ καρδίας ἀφιέναι τοῖς εἰς αὐτὸν ἡμαρτηκόσιν. *Non oportere Christianum esse memorem iniuriæ, sed ex corde remittere illis, qui in ipsum peccarint.*

§. 2. Hæc cum doceant, facile animaduertunt totum imputatitiæ iustificationis pegma dissolui, ac labascere. Si enim non remittuntur peccata, antequam proximo remittas, si in odio, & cupiditate vindictæ perseuerantibus Deus manet implacabilis, ab operibus ergo nostris pendet remissio peccatorum, ergo iustificatio. Nemo ergo qui inimico irascitur, qui in vltionem exsurgit, venia donatur, nisi animum vindicandi deponat. Quomodo igitur dicunt.

Vleiscentes se Caluinianos, latrocinantesque non perdere iustitiam? Quomodo dicunt credentibus se prædestinatos nulla peccata imputari, non præterita, non præsentia, non futura? At hic nulli nisi alijs remittenti remittuntur. Si non remittuntur, imputantur. Dauidem in adulterio meditando, & peragendo, in crimine homicidij iustum mansisse aiunt; credidit enim sibi non imputanda illa scelera. Multo ergo facilius maneret iustus, si non ignosceret vel Sauli, vel Nabali. Minus est crimen crudeli inimico non ignoscere, quam innocentes, fidosque duces occidere. Quid igitur: si Caluinus nolit ignoscere inimico, an Deus ignoscet illi: Negat ille. Non ergo tum iustus est. Non illi Deus placatus. Hoc est enim Christi pronunciatum. vers. 15.

Quomodo ergo sese expediet? Verbum Christi facit irritum, vt verbum suum hominis stabiliat. [Neque tamen veniam, *inquit*, quam nobis dari petimus ab ea, quam præstamus alijs, dependere: sed hoc modo ad remittendas omnes offensas hortari nos Christus voluit & simul absolutionis nostræ fiduciam quasi impresso sigillo melius ratam facere. Nec obstat quod apud Lucam habetur particula γάρ, quæ tantùdem valet, ac siquidem, vel Etenim: quia Christi consilium non fuit causam notare: sed tantum monere, qualem erga fratres animum afferre oporteat dum cupimus Deo reconciliari.]

Impudentiore voce Daniel Tossanus. [Quæritur cur addatur; Sicut & nos remittimus? Respon. 1. Non id poni vt regulam, ad quam Deus se conformet. Nam ille pro sua εὐδοκίᾳ est nobis ab æterno propitius in Christo. Et male nobiscum ageretur, si ad nostrum exemplum se conformaret, & ita maligne remitteret, vt nos remittere solemus.]

Christo igitur obijcit Tossanus: [Non est hæc regula, qua nobiscum Deus agit. Ille nobis propitius ab æterno, nec mutat εὐδοκίαν, ergo semper nobis remittit, quicquid nos agamus.] Et Caluinus, [Non dependet venia quam peto, ab ea quam præsto alijs. Si venia igitur alijs præstita, veniam dat Deus. Nec maligne vt nos solemus.] Cur igitur dicit Christus γάρ, Etenim (apud Lucam) si non remiseritis, non remittet? Caluinus respondit, *Hortari nos voluit.* Hortari tantum? Imo legem dedit,

dedit, vt remittamus. Cur autem hortari? *vt absolutionem nostræ fiduciam, quasi impresso sigillo melius ratam faceret.* Remissio igitur facta fratribus ad hoc solum confert, vt fiducia melius sit rata, non vt simpliciter rata sit. Quia venia, quæ à Deo conceditur, non pendet ab ea, quam nos concedimus. Quamuis Aretius vocet antecedens remissionem, an tamen serio exigat, nesco. Ex quibus omnino colligimus, Caluinianos quidem tonitruum hoc audisse, ideo mortuos non esse, vt illi apud Augustinū, sed deprauare tamen, & eludere, quod indicium est, eos longe deterius mortuos esse.

§. 3. Exhortationem hanc & legem seriam esse Caluiniani non agnoscunt, sed tantum ad occasionem puniendi malos propositam.

Atque hoc est quod horridiores Caluiniani docent; Peccata fieri Deo procurante, & omnia sic volente. Ita Piscator Thes. 52. Monuit eum sect. 17. valde serio Vorstius, cuius admonitionem, & argumenta proponam, ne quis omnes Caluinianos eodem in Barbarismo voluari suspicetur. [Hic iterum, *inquit*, „ aperte prodis, quam periculosa sit doctrina tua, de „ absoluta, siue inconditionata Dei prædestinatione: „ cuius hic fructum plane pestiferum nobis proponis. „ Considera enim, te quæso, in vero timore Domini, „ quanta hæc, quamque aperta blasphemia sit, statuere, „ peccata fieri Deo procurante, & omnino sic volente. „ Item, quam euidens contradictio sit negare, Deum „ esse causam peccatorum, (quod alibi sæpe facis, idq; „ iure optimo) quum tamen ipso procurante, & omnino sic volente, eadem fieri hic alibique affirmes. Cui tandem cordato, & animum aduertenti, persuasurum te putas, neque illic veram blasphemiam esse? neque hic implicitam latere contradictionem? Quis enim nisi præiudicio impeditus, non videat, eum reuera esse peccatorum auctorem, aut saltem procuratorem, hoc est, qualemcumque fautorem, ac cooperarium, „ qui peccata ipse procurat? & prout illa fiunt, fluant „ ex eiusdem decreto quodam absoluto, æterno, immutabili, & ita efficaci, vt nulla ratione ei resisti possit? Qualem tu, & procurationem, & voluntatem „ Dei, sine dubio hic intelligis. An nondum vides, quãtum virus, ac periculum, sub hac sententia tua delitescat? Quid autem prodest, verbis alicubi negare, Deũ esse causam peccatorum, quum reipsa idipsum hic affirmes? Nolo nunc a ijs complur bus absurdis eãdem „ sententiam tuam onerare: quod alioqui procliue admodum foret. Tantum te oro, vt de eadem vel tempestiue reuocanda, vel lenioribus saltem verbis mitiganda, seriò in posterum cogites: ne alioqui manifestæ blasphemiæ fauere, ac certe hæresi patrocinari videaris.]

Miserum Caluinianorum somnium.

Negant auctorē Deum, affirmat procuratorem peccatorum.

Nihil prosunt admonitio apud obstinatum.

Quid vero tam seria hortatione effecit Vorstius? vt scilicet aduersarium ex stulto insanum faceret. Negat enim blasphemiam esse, *licet humanæ rationi videatur, quæ non maiorem in Deo, quam homine potestatem considerat.* Itane vero? maior Dei potestas ad hoc extollitur, vt ea ad impulsum, coactionem, procurationem, tentationem peccatorum abutatur? Non est Dei maior, quam hominis potestas, nisi illi liceat inducere in tentationem, quod homini non licet? Intelligi tamen hoc non posse fatetur. Non est inquit rei auctor, id est, effector, qui eam ab alio effici procurat. At fane qui procurat inducendo, tentando, agendo, non minus moraliter effector est, quam Physice agentes. Imo ordinarie grauius delinquit. Non minus homicida fuit Dauid, cum manu filiorum Ammon occideret Vriam, quam cum ipse adulterio vxorem eius pollueret. Similitudine rem explicat ille: Nam qui male agenti cooperatur male operatur, duo carnifices vnum hominem excruciare possunt, vnus crudelitate, alter amore iustitiæ. At ista similitudo vt in pœna facile intelligitur, ita in tentatione nequaquam, sed blasphemiam in Deum continet. Deus enim procurat peccata, vt puniat, tentat vt laborat, vt lapsum conterat, quod non potest fieri nisi animo crudeli. Quemadmodum in præfatione in librum parentis sui Arminij nouem liberi orphani ostendunt exemplo Tiberianæ crudelitatis; cum enim virginem vestalem viuam defodi voluisset, iussit eam per carnificem constuprari, vitiata enim defodi debuit.

Impulsor adjutor & procurator est etiam auctor.

Denique quid in Deo fiduciæ reponemus, sic sic creaturæ illudit? Non volo vt pecces, vt malum est peccatum, sed vt mea iudicia exequare. Nolo fureris, vt furto fruatis, sed volo, vt suspendaris. Tento, impello, cogo te ad latrocinia, non quatenus illa mala sunt, sed vt te ex tio dedam, vt iuste puniam.

Caluini doctrina est desperationis barathrũ.

§. 4. Augustinus oratione illa refutat Pelagianos, & gratiæ necessitatem ostendit omnibus, de natura, & gratia cap. 58. vt enim diabolo resistamus poscendum est adiutorium. Isti autem (Pelagiani) tantam tribuunt potestatem voluntati, vt pietati auferant orationem: nam vtique vt diabolo resistamus, & fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, & ne nos inferas in tentationem. Idem Cyprianus docet, & ex eo Augustinus l. 4. cap. 9. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium.

Tentationes vero illi vocabant calamitates, & res aduersas, non diaboli impugnationes, contra quas se suis viribus sat firmos esse arbitrabantur. Aug. Ep. 94. Bell. l. 5. c. 7. de gratia & libero arbitrio.

§. 5. Inferre, vel inducere in tentationem, non est concupiscentiæ fomitem habere, aut quosuis motus sentire, sed id petimus, vt nos Deus tueatur, ne succumbamus. Ita etiam Caluinus: [Petimus tamen ne tentationibus nos subijciat, aut obrui patiatur.] Hoc recte; at impie quod subijcit. [Sed quia Deus non modo Satanæ libidini nos permittit, vt ignem concupiscentiæ accendat, sed eo vtitur ità suæ ministro, quoties vult homines in exitium præcipites agere ipse quoque suo modo in tentationem inducit. Quo sensu dicitur Spiritus Dei malus arripuisse Saulem: & eodem tendunt complures scripturæ loci, neque tamen propterea Deum vocabimus malorum authorẽ: quoniam homines mittendo in sensum reprobum, nõ confusam tyrannidem exercet, sed iusta sua iudicia, licet arcana exequitur.]

Deus inducit in tentationem est obrui.

Ita ille suo more: nec aliud dicit, quam Deum cum præcipites in exitium agere vult homines satanæ ministerio vti. Id iudicium a canum vocat. Non est hoc arcanum Dei iudicium, sed manifesta calumnia. Mouet Deus, impellit, Satanæ libidini tradit, cogit, latronem cruci, infernique iam addictum, sine culpa destinatum, vt necessario occidat, & ideo cogit, vt pœnam mereatur, vt iræ sit obiectum & iustitiæ. Destinat exitio, omnipotenti & irresistibili vi, in crimen adigit, vt nolle non possit, velle malum, durũ telum necessitas cogat, sic decreto, præscientia absoluta, motione, coactione miseram creaturam, & imbecillem, postquam in facinus impulit, etiam nolentem, etiam renitentem, etiam repentina vitiosæ naturę titillatione præuentam, immani tyrannide doloribus excruciat sempiternis. Qui cogit igitur inuitos in crimen, vt puniat, ille auctor est criminis, non quem inualidum infinitæ potẽtiæ vis irresistibilis rapuit. Deus Caluini cogit inuitos, auctor igitur criminis. Propositio ex aduersarij responso constat. Assumptio probatur: Omnis cuiuscunque flagitij inuitis obrepens impulsus, peccatum est mortale Pareo, ad hunc autem Deus impellit & cogit, & cogit inuitos. Quod enim nolunt, hoc faciunt. An non cogebat inuitum eum, qui vel mortem pro illa molestia optabat pacisci? Vnde motus ille rationem sceleris sortitur: & gehen-

Deus Caluinistarũ vim irresistibilis eos cogit in crimen.

næ reatum? Non ab infirmitate hominis contra voluntatem impulsi, ergo à violentissimi impulsoris coactu.

§. 3. Alias duas hæreses hoc loco refutant SS. Patres. Iouinianistarum; Sanctos Baptizatos non posse peccare. & aliorum dicentium: Ignoscentibus omnia ignoscì. Sic & illud interpretantur apud August. Enchir. ad Laurent. cap. 74. *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quos ille frustra sibi blandiri pronunciat. Omnia enim alia præstanda affirmat, quæ requiruntur. Et sunt illæ quidem hæreses & absurditate sua, & tempore abolitæ, similimæ tamen ex trunco adoleuerunt; nostri enim sectarij, cum similia de fide legunt eam solam neglectis alijs amplexantur, & saluti sufficere iactant, quo ipso fidem amittunt.

VERSVS 13.

Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo. Amen.

QVÆSTIO I.

An Deus inducat in tentationem?

§. 1. TErtullianus & Cyprianus; *ne nos patiaris induci*, Augustinus, *ne nos inferas.* monet suo tempore codices habuisse; *ne nos inferas, aut importes*, alios, *ne inducas*, l. 2. Serm. in monte. Illyricus & alij Lutherani interpretantur, *Permittas.* Caluinistæ aiunt Deum inducere, impellendo ad peccatum. Tossanus queritur diabolicum esse sarcasmũ, quo id illis Maldonatus; & huncimitati vbiquitarij tribuunt. Consideranda ergo sunt quæ hac de re ipsi docent. Nec moueri nos oportet, si negent, se Deum peccatorum auctorem facere. Idem dicebat Quintinus, vt refert Caluinus Epist. ad Rotomagenses. Zwinglij quidem verba sunt, iam millies citata. Deus *mouet latronem ad occidendum*, &c. *permitto coactum esse.* Ad eum modum Caluinus l. 1. instit. c. 17. §. 11.

Caluinistæ faciunt Deum peccati auctorem.

§. 2. Alij vt eudant aiunt Deum tentare, s. ut inducere in tentationem, non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, pœnæ, probationes: ita Pareus contra Bellarminum l. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati. cap. 8. ita Sommarus, Sibrandus, contra Vorstium, Francisc. Brockerus, Dontelockius, alij, qui contra Arminianos agunt. Hoc modo cum hac oratio e verba Iacobi 1. 13. concilient, si hoc est conciliare, verba pueris dare, & scripturas sacras, in blasphemos sensus trahere. Verba S. Iacobi sunt. *Nemo cum tentatur, dicat quoniã à Deo tentatur: Deus enim intentator malorũ est: Ipse autẽ neminem tentat. Vnusquisq; autem tentatur à sua concupiscentia abstractus, & illectus.* Obseruandũ in illis verbis est. Quod noster vertit. *Intentator malorum est*, in Græco haberi, ἀπείραστος κακῶν, quod actiuam habet, & passiuam significationem. Nouatores plerique passiue accipiunt, vt significet, *Permittit à malis motibus non tentari.* Verum vtrouis modo intelligas, idoneum hinc sumitur argumentum. Nam Deus neminem tentat, seu impellit ad actus peccati, etiam qua sua iudicia sunt. Nam neque concupiscentia & Diabolus ad peccata vt peccata, sed vt bona quædam alliciunt. Profecto si DEVS Dauidem in libidinem concitat, aut ad sua iudicia, non minus tentatur is à Deo, quam à sua concupiscentia. Deus neminem tentat, hoc est, ad iram, latrocinia, adulteria, furta, vt irresistibili incitat, & occulto funetrahit, sed non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, vt quos iam ante peccata præuisa exosos habuit. iure damnet, vt merito possit odisse. Et nonne Sathan eandem tentationis causam habet constitutam. Exposuit verba illa varijs locis D. Augustinus Epist. 146. ad Consentium, l. 1. q. super Genes. *Tentatio, inquit, illa de qua Iacobus loquitur, non intelligitur, nisi quisque peccato implicatur.* Libro 2. de consensu Euangelistarum. *Illa* (de qua Iacobus) *Seductionis est, illa* (*Deut.* 13. 3.) *Probationis.* Libro de Sermone Domini in monte, lib. 2. de dono perseuerantiæ. *DEVS neminem tentat, tentatione scilicet noxia, nam est & vtilis tentatio, qua non decipimur, vel opprimimur, sed probamur.* item tract. 43. in Ioan. & de verbis Domini in Matthæũ serm. 11. Ex his totidem argumenta ducimus. 1. *Tentatio de qua loquitur Apostolus Iacobus, non intelligitur, nisi qua quis peccato implicatur.* Sed tentatione qua quis ad peccatum incitatur, vt iusto Dei iudicio damnetur, homo peccato implicatur, non igitur illa tentatio est à Deo. 2. Deus non tentat tentatione seductionis, sed impulsus ad scelera, vt Dei iudicia, vt merita damnationis, est tentatio seductionis: non igitur à Deo. Minor clara. Si ad furtum iudex inciter quempiam, vt iure furcæ addicatur, magis eum seducit, quam si de solo furto tentet. 3. Deus neminem tentat tentatione noxia, qua decipiatur vel opprimatur. At cum quispiam incitatur ad actus scelerum, vt in eo iudex, iustã torquendi causam inueniat, non modo noxia tentatione, sed miserabiliter etiam deceptione tentatur. Si contra Augustinum excipit aduersarius, audiat saltem fratrem suum Aretium. *Deus neminem tentat ad tentati subuersionem, sed prodit euersos iam per propriam malitiam.* At si tentat, vt tentatus actum sceleris perficiat, atque ita in iudicium iustæ damnationis incidat, negare non possumus, quin maxime ad tentati subuersionem faciat, tam maligna tentatio, itaque Iacobo, Augustino, suis, vno Spiritu contradicit Caluinista. Alter locus est Ecclesiast. 15. 11. *Ne dixeris per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanauit. Non enim necessarij sunt ei homines impij.* Noster legit ὄπωσι, scilicet ἡ σοφία, de qua egerat, alia exemplaria habent ἁπῇ, *defici.* Interpretatio Caluiniana. Per Deum stetit, vt deficerem, non qua peccatum est ἀποστασία, sed qua medium sententiæ damnatoriæ iuste à Deo proferendæ. Decepit me, ἐπλάνησε, non vt culpæ; quatenus culpa est, inuoluerer, sed vt actum peccati faciens mea culpa perirem. Non sunt ei necessarij homines impij vt impij, sed necessarij sunt impij, vt iustitiæ instrumenta, & obiecta, ideoque sunt necessarij impij vt impij, nam vt impij, sic iustitiæ sunt correlatiui. Audiamus & hic Drusium Caluinianum, vtcunque suorum scelera damnantem. Nam verba de illis interpretatus; *qui Deum auctorem faciunt nequitiæ suæ, qui se credunt ab eo creatos ad scelera perpetranda*, at hoc credit Pareus, & Beza, ad pœnas & scelera ordinatos, creatos reprobos, illos ergo Dei Spiritus arguit. Idem Drusius: in illa verba: *Non indiget Deus homine improbo: Deus, inquit, non eget homine improbo, quasi non posset absque illo facere, quod vult, aut opera eius indigeat. Si dici non est eorum similis, qui homines corrumpunt, vt eorum postea operâ vtantur ad faciendum quod in animo habent.* Beza vero opus fuisse, oportuisse hominem labi, deinde ideo eodem decreto ad finem & media destinari, vt Deus illo vtatur ad sua iudicia, ad faciendum quod in animo habet.

Aiunt, Deum non velle peccata vt peccata sunt.

Si impij ad peccata vt sunt Dei iudicia impelluntur, sine culpa sunt.

Crudelis Deus, si cogit ad scelera, vt punit.

Finis Diuinationi.

§. 3. Tertullianus l. de fuga in persecutione, ostendit, dæmonem in nos sine Dei permissu nullam habere potestatem. *Sed in legitimâ oratione eum discimus ad patrem: Ne nos inducas in tentationem, (quæ autem maior tentatio, quam persecutio?) ab eo illam professimur accidere, à quo veniam eius deprecamur. Hoc est enim quod sequitur: Sed erue nos à malo, id est, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cum illo*

Quis, & quando diabolo potestas tentandi concedatur.

dedit, vt remittamus. Cur autem hortari? *vt absolutionem nostræ fiduciam, quasi impresso sigillo melius ratam faceret.* Remissio igitur facta fratribus ad hoc solum confert, vt fiducia melius sit rata, non vt simpliciter rata sit. Quia venia, quæ à Deo conceditur, non pendet ab ea, quam nos concedimus. Quamuis Aretius vocet antecedens remissionem, an tamen serio exigat, nesco. Ex quibus omnino colligimus, Caluinianos quidem tonitruum hoc audisse, ideo mortuos non esse, vt illi apud Augustinū, sed deprauare tamen, & eludere, quod indicium est, eos longe deterius mortuos esse.

§. 3. Exhortationem hanc & legem seriam esse Caluiniani non agnoscunt, sed tantum ad occasionem puniendi malos propositam.

Atque hoc est quod horridiores Caluiniani docent; Peccata fieri Deo procurante, & omnia sic volente. Ita Piscator Thes. 52. Monuit eum sect. 17. valde serio Vorstius, cuius admonitionem, & argumenta proponam, ne quis omnes Caluinianos eodem in Barbarismo voluari suspicetur. [Hic iterum, *inquit*, „ aperte prodis, quam periculosa sit doctrina tua, de „ absoluta, siue inconditionata Dei prædestinatione: „ cuius hic fructum plane pestiferum nobis proponis. „ Considera enim, te quæso, in vero timore Domini, „ quanta hæc, quamque aperta blasphemia sit, statuere, „ peccata fieri Deo procurante, & omnino sic volente. „ Item, quam euidens contradictio sit negare, Deum „ esse causam peccatorum, (quod alibi sæpe facis, idq; „ iure optimo) quum tamen ipso procurante, & omnino sic volente, eadem fieri hic alibique affirmes. Cui tandem cordato, & animum aduertenti, persuasurum te putas, neque illic veram blasphemiam esse? neque hic implicitam latere contradictionem? Quis enim nisi præiudicio impeditus, non videat, eum reuera esse peccatorum auctorem, aut saltem procuratorem, hoc est, qualemcumque fautorem, ac cooperarium, „ qui peccata ipse procurat? & prout illa fiunt, fluant „ ex eiusdem decreto quodam absoluto, æterno, immutabili, & ita efficaci, vt nulla ratione ei resisti possit? Qualem tu, & procurationem, & voluntatem „ Dei, sine dubio hic intelligis. An nondum vides, quãtum virus, ac periculum, sub hac sententia tua delitescat? Quid autem prodest, verbis alicubi negare, Deũ esse causam peccatorum, quum reipsa idipsum hic affirmes? Nolo nunc a ijs complur bus absurdis eãdem „ sententiam tuam onerare: quod alioqui procliue admodum foret. Tantum te oro, vt de eadem vel tempestiue reuocanda, vel lenioribus saltem verbis mitiganda, seriò in posterum cogites: ne alioqui manifestæ blasphemiæ fauere, ac certe hæresi patrocinari videaris.]

Miserum Caluinianorum somnium.

Negant auctorē Deum, affirmat procuratorem peccatorum.

Nihil prosunt admonitio apud obstinatum.

Quid vero tam seria hortatione effecit Vorstius? vt scilicet aduersarium ex stulto insanum faceret. Negat enim blasphemiam esse, *licet humanæ rationi videatur, quæ non maiorem in Deo, quam homine potestatem considerat.* Itane vero? maior Dei potestas ad hoc extollitur, vt ea ad impulsum, coactionem, procurationem, tentationem peccatorum abutatur? Non est Dei maior, quam hominis potestas, nisi illi liceat inducere in tentationem, quod homini non licet? Intelligi tamen hoc non posse fatetur. Non est inquit rei auctor, id est, effector, qui eam ab alio effici procurat. At fane qui procurat inducendo, tentando, agendo, non minus moraliter effector est, quam Physice agentes. Imo ordinarie grauius delinquit. Non minus homicida fuit Dauid, cum manu filiorum Ammon occideret Vriam, quam cum ipse adulterio vxorem eius pollueret. Similitudine rem explicat ille: Nam qui male agenti cooperatur male operatur, duo carnifices vnum hominem excruciare possunt, vnus crudelitate, alter amore iustitiæ. At ista similitudo vt in pœna facile intelligitur, ita in tentatione nequaquam, sed blasphemiam in Deum continet. Deus enim procurat peccata, vt puniat, tentat vt laborat, vt lapsum conterat, quod non potest fieri nisi animo crudeli. Quemadmodum in præfatione in librum parentis sui Arminij nouem liberi orphani ostendunt exemplo Tiberianæ crudelitatis; cum enim virginem vestalem viuam defodi voluisset, iussit eam per carnificem constuprari, vitiata enim defodi debuit.

Impulsor adjutor & procurator est etiam auctor.

Denique quid in Deo fiduciæ reponemus, sic sic creaturæ illudit? Non volo vt pecces, vt malum est peccatum, sed vt mea iudicia exequare. Nolo fureris, vt furto fruatis, sed volo, vt suspendaris. Tento, impello, cogo te ad latrocinia, non quatenus illa mala sunt, sed vt te ex tio dedam, vt iuste puniam.

Caluini doctrina est desperationis barathrũ.

§. 4. Augustinus oratione illa refutat Pelagianos, & gratiæ necessitatem ostendit omnibus, de natura, & gratia cap. 58. vt enim diabolo resistamus poscendum est adiutorium. Isti autem (Pelagiani) tantam tribuunt potestatem voluntati, vt pietati auferant orationem: nam vtique vt diabolo resistamus, & fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, & ne nos inferas in tentationem. Idem Cyprianus docet, & ex eo Augustinus l. 4. cap. 9. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifacium.

Tentationes vero illi vocabant calamitates, & res aduersas, non diaboli impugnationes, contra quas se suis viribus sat firmos esse arbitrabantur. Aug. Ep. 94. Bell. l. 5. c. 7. de gratia & libero arbitrio.

§. 5. Inferre, vel inducere in tentationem, non est concupiscentiæ fomitem habere, aut quosuis motus sentire, sed id petimus, vt nos Deus tueatur, ne succumbamus. Ita etiam Caluinus: [Petimus tamen ne tentationibus nos subijciat, aut obrui patiatur.] Hoc recte; at impie quod subijcit. [Sed quia Deus non modo Satanæ libidini nos permittit, vt ignem concupiscentiæ accendat, sed eo vtitur ità suæ ministro, quoties vult homines in exitium præcipites agere ipse quoque suo modo in tentationem inducit. Quo sensu dicitur Spiritus Dei malus arripuisse Saulem: & eodem tendunt complures scripturæ loci, neque tamen propterea Deum vocabimus malorum authorẽ: quoniam homines mittendo in sensum reprobum, nõ confusam tyrannidem exercet, sed iusta sua iudicia, licet arcana exequitur.]

Deus inducit in tentationem est obrui.

Ita ille suo more: nec aliud dicit, quam Deum cum præcipites in exitium agere vult homines satanæ ministerio vti. Id iudicium a canum vocat. Non est hoc arcanum Dei iudicium, sed manifesta calumnia. Mouet Deus, impellit, Satanæ libidini tradit, cogit, latronem cruci, infernique iam addictum, sine culpa destinatum, vt necessario occidat, & ideo cogit, vt pœnam mereatur, vt iræ sit obiectum & iustitiæ. Destinat exitio, omnipotenti & irresistibili vi, in crimen adigit, vt nolle non possit, velle malum, durũ telum necessitas cogat, sic decreto, præscientia absoluta, motione, coactione miseram creaturam, & imbecillem, postquam in facinus impulit, etiam nolentem, etiam renitentem, etiam repentina vitiosæ naturę titillatione præuentam, immani tyrannide doloribus excruciat sempiternis. Qui cogit igitur inuitos in crimen, vt puniat, ille auctor est criminis, non quem inualidum infinitæ potẽtiæ vis irresistibilis rapuit. Deus Caluini cogit inuitos, auctor igitur criminis. Propositio ex aduersarij responso constat. Assumptio probatur: Omnis cuiuscunque flagitij inuitis obrepens impulsus, peccatum est mortale Pareo, ad hunc autem Deus impellit & cogit, & cogit inuitos. Quod enim nolunt, hoc faciunt. An non cogebat inuitum eum, qui vel mortem pro illa molestia optabat pacisci? Vnde motus ille rationem sceleris sortitur: & gehen-

Deus Caluinistarũ vim irresistibilis eos cogit in crimen.

næ reatum? Non ab infirmitate hominis contra voluntatem impulsi, ergo à violentissimi impulsoris coactu.

§. 3. Alias duas hæreses hoc loco refutant SS. Patres. Iouinianistarum; Sanctos Baptizatos non posse peccare. & aliorum dicentium: Ignoscentibus omnia ignoscì. Sic & illud interpretantur apud August. Enchir. ad Laurent. cap. 74. *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quos ille frustra sibi blandiri pronunciat. Omnia enim alia præstanda affirmat, quæ requiruntur. Et sunt illæ quidem hæreses & absurditate sua, & tempore abolitæ, similimæ tamen ex trunco adoleuerunt; nostri enim sectarij, cum similia de fide legunt eam solam neglectis alijs amplexantur, & saluti sufficere iactant, quo ipso fidem amittunt.

VERSVS 13.

Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo. Amen.

QVÆSTIO I.

An Deus inducat in tentationem?

§. 1. TErtullianus & Cyprianus; *ne nos patiaris induci*, Augustinus, *ne nos inferas.* monet suo tempore codices habuisse; *ne nos inferas, aut importes*, alios, *ne inducas*, l. 2. Serm. in monte. Illyricus & alij Lutherani interpretantur, *Permittas.* Caluinistæ aiunt Deum inducere, impellendo ad peccatum. Tossanus queritur diabolicum esse sarcasmũ, quo id illis Maldonatus; & huncimitati vbiquitarij tribuunt. Consideranda ergo sunt quæ hac de re ipsi docent. Nec moueri nos oportet, si negent, se Deum peccatorum auctorem facere. Idem dicebat Quintinus, vt refert Caluinus Epist. ad Rotomagenses. Zwinglij quidem verba sunt, iam millies citata. Deus *mouet latronem ad occidendum*, &c. *permitto coactum esse.* Ad eum modum Caluinus l. 1. instit. c. 17. §. 11.

Caluinistæ faciunt Deum peccati auctorem.

§. 2. Alij vt eudant aiunt Deum tentare, s. ut inducere in tentationem, non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, pœnæ, probationes: ita Pareus contra Bellarminum l. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati. cap. 8. ita Sommarus, Sibrandus, contra Vorstium, Francisc. Brockerus, Dontelockius, alij, qui contra Arminianos agunt. Hoc modo cum hac oratio e verba Iacobi 1. 13. concilient, si hoc est conciliare, verba pueris dare, & scripturas sacras, in blasphemos sensus trahere. Verba S. Iacobi sunt. *Nemo cum tentatur, dicat quoniã à Deo tentatur: Deus enim intentator malorũ est: Ipse autẽ neminem tentat. Vnusquisq; autem tentatur à sua concupiscentia abstractus, & illectus.* Obseruandũ in illis verbis est. Quod noster vertit. *Intentator malorum est*, in Græco haberi, ἀπείραστος κακῶν, quod actiuam habet, & passiuam significationem. Nouatores plerique passiue accipiunt, vt significet, *Permittit à malis motibus non tentari.* Verum vtrouis modo intelligas, idoneum hinc sumitur argumentum. Nam Deus neminem tentat, seu impellit ad actus peccati, etiam qua sua iudicia sunt. Nam neque concupiscentia & Diabolus ad peccata vt peccata, sed vt bona quædam alliciunt. Profecto si DEVS Dauidem in libidinem concitat, aut ad sua iudicia, non minus tentatur is à Deo, quam à sua concupiscentia. Deus neminem tentat, hoc est, ad iram, latrocinia, adulteria, furta, vt irresistibili incitat, & occulto funetrahit, sed non vt peccata sunt, sed vt sua iudicia, vt quos iam ante peccata præuisa exosos habuit. iure damnet, vt merito possit odisse. Et nonne Sathan eandem tentationis causam habet constitutam. Exposuit verba illa varijs locis D. Augustinus Epist. 146. ad Consentium, l. 1. q. super Genes. *Tentatio, inquit, illa de qua Iacobus loquitur, non intelligitur, nisi quisque peccato implicatur.* Libro 2. de consensu Euangelistarum. *Illa* (de qua Iacobus) *Seductionis est, illa* (*Deut.* 13. 3.) *Probationis.* Libro de Sermone Domini in monte, lib. 2. de dono perseuerantiæ. *DEVS neminem tentat, tentatione scilicet noxia, nam est & vtilis tentatio, qua non decipimur, vel opprimimur, sed probamur.* item tract. 43. in Ioan. & de verbis Domini in Matthæũ serm. 11. Ex his totidem argumenta ducimus. 1. *Tentatio de qua loquitur Apostolus Iacobus, non intelligitur, nisi qua quis peccato implicatur.* Sed tentatione qua quis ad peccatum incitatur, vt iusto Dei iudicio damnetur, homo peccato implicatur, non igitur illa tentatio est à Deo. 2. Deus non tentat tentatione seductionis, sed impulsus ad scelera, vt Dei iudicia, vt merita damnationis, est tentatio seductionis: non igitur à Deo. Minor clara. Si ad furtum iudex inciter quempiam, vt iure furcæ addicatur, magis eum seducit, quam si de solo furto tentet. 3. Deus neminem tentat tentatione noxia, qua decipiatur vel opprimatur. At cum quispiam incitatur ad actus scelerum, vt in eo iudex, iustã torquendi causam inueniat, non modo noxia tentatione, sed miserabiliter etiam deceptione tentatur. Si contra Augustinum excipit aduersarius, audiat saltem fratrem suum Aretium. *Deus neminem tentat ad tentati subuersionem, sed prodit euersos iam per propriam malitiam.* At si tentat, vt tentatus actum sceleris perficiat, atque ita in iudicium iustæ damnationis incidat, negare non possumus, quin maxime ad tentati subuersionem faciat, tam maligna tentatio, itaque Iacobo, Augustino, suis, vno Spiritu contradicit Caluinista. Alter locus est Ecclesiast. 15. 11. *Ne dixeris per Deum abest: quæ enim odit ne feceris. Non dicas ille me implanauit. Non enim necessarij sunt ei homines impij.* Noster legit ὄπωσι, scilicet ἡ σοφία, de qua egerat, alia exemplaria habent ἁπῇ, *defici.* Interpretatio Caluiniana. Per Deum stetit, vt deficerem, non qua peccatum est ἀποστασία, sed qua medium sententiæ damnatoriæ iuste à Deo proferendæ. Decepit me, ἐπλάνησε, non vt culpæ; quatenus culpa est, inuoluerer, sed vt actum peccati faciens mea culpa perirem. Non sunt ei necessarij homines impij vt impij, sed necessarij sunt impij, vt iustitiæ instrumenta, & obiecta, ideoque sunt necessarij impij vt impij, nam vt impij, sic iustitiæ sunt correlatiui. Audiamus & hic Drusium Caluinianum, vtcunque suorum scelera damnantem. Nam verba de illis interpretatus; *qui Deum auctorem faciunt nequitiæ suæ, qui se credunt ab eo creatos ad scelera perpetranda*, at hoc credit Pareus, & Beza, ad pœnas & scelera ordinatos, creatos reprobos, illos ergo Dei Spiritus arguit. Idem Drusius: in illa verba: *Non indiget Deus homine improbo: Deus, inquit, non eget homine improbo, quasi non posset absque illo facere, quod vult, aut opera eius indigeat. Si dici non est eorum similis, qui homines corrumpunt, vt eorum postea operâ vtantur ad faciendum quod in animo habent.* Beza vero opus fuisse, oportuisse hominem labi, deinde ideo eodem decreto ad finem & media destinari, vt Deus illo vtatur ad sua iudicia, ad faciendum quod in animo habet.

Aiunt, Deum non velle peccata vt peccata sunt.

Si impij ad peccata vt sunt Dei iudicia impelluntur, sine culpa sunt.

Crudelis Deus, si cogit ad scelera, vt punit.

Finis Diuinationi.

§. 3. Tertullianus l. de fuga in persecutione, ostendit, dæmonem in nos sine Dei permissu nullam habere potestatem. *Sed in legitimâ oratione eum discimus ad patrem: Ne nos inducas in tentationem, (quæ autem maior tentatio, quam persecutio?) ab eo illam professimur accidere, à quo veniam eius deprecamur. Hoc est enim quod sequitur: Sed erue nos à malo, id est, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cum illo*

Quis, & quando diabolo potestas tentandi concedatur.

illo non tradimur in tentationem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset, tantum abest vt in oues Dei habeat. Possum dicere porcorum quoque setas tunc numeratas apud Deum fuisse; nedum capillos sanctorum. Habere videtur diabolus propriam iam potestatem, si forte in eos qui ad Deum non pertinent, semel in stillam situlæ, & in puluerem areæ, & in Saluam Nationibus deputatis à Deo, ac per hoc diabolo expositis in vacuam quodammodo possessionem. Cæterum in domesticos Dei nihil illis licet ex propria potestate; quia quando liceat, id est, ex quibus causis, exempla in Scripturis signata demonstrant. Aut enim ex causa probationis, conceditur ei ius tentationis prouocato vel prouocanti, vt in superioribus; Aut ex causa reprobationis traditur ei peccator quasi carnifici in pœnam, vt Saul: & abscessit, inquit, Spiritus Domini à Saule, & concutiebat eum Spiritus nequam à Domino, & suffocabat eum. Aut ex causa cohibitionis, vt Apostolus refert datum sibi fudem Angelum satanæ, vt colaphizetur: (Nec hanc speciem permitti diabolo in Sanctos humiliandos per carnis vexationem.) Simul vt & virtus tolerantiæ scilicet in infirmitate perfici possit. nam & ipse Apostolus Phigellum & Hermogenem tradidit Satanæ vti emendentur, nè blasphement. Videsiam & à seruis Dei facilius diabolum accipere potestatem, tantum abest vt eam ex proprietate possideat.

VERSVS 13.

Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula.

QVÆSTIO I.

An hæc sit pars Sacræ Scripturæ?

§. 1. BEllarminus l. 2. c. 7. de Scriptura Sacra seu Verbo Dei. *Constat etiam quædam in omnibus Græcis codicibus inueniri, quæ non sunt partes diuinæ Scripturæ.* vt Matth. 6. orationi Dominicæ additur. *Quia tuum est regnum & potentia, & gloria, in sæcula. Quæ verba non esse de textu, sed addita à Græcis, ex duobus intelligi potest, primo ex eo quod Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus orationem Dominicam exponunt, & tamen nullam horum verborum mentionem faciunt, cum omnes isti Græce bene nouerint. Secundo ex eo quod Græci in sua Liturgia recitant quidem hæc verba, sed non continuant cum oratione Dominica.*

Nõn est pars Scripturæ: Tuum est, &c.

Imperitia vehemens est malum.

Iracunde hoc hæreticorum imperitiores excepere; Hunnius sceleratius esse ait, Danæus impurum & blasphemum, quo nihil sit impurius, vel blasphemius. Alii mitius agunt, probant tamen additionem.

§. 2. Non est pars Scripturæ, sed ex Liturgia Græca addita sententia, vt Bellarminus, Maldonatus, Lucas Brugensis alii docent. Nam in sua Liturgia Græci seiungunt ab oratione Dominica. Solent enim talia quædam addi, vt apud nos illa δοξολογία: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.* Rationem adducit Erasmus

Erasmi sententia.

» hoc loco. [Hanc coronidem in omnibus Græcorum
» exemplaribus adiectam comperio ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασι-
» λεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν;
» id est, Quoniam tuum est regnum & potestas, & glo-
» ria in sæcula, Amen. Verum quando nec in vllis Lati-
» norum exemplaribus ascriptum visitur nec exponi-
» tur ab Hieronymo, aut vllo prorsus interpretum,
» præter Chrysostomum & huius abbreuiatorem re-
» centem Theophylactum, apparet ex solenni consue-
» tudine, sic additum, vt Angelicæ salutationi quædam
» adiecerunt nec ab Angelo dicta, nec à quopiam alio.
» Nam benedicta tu in mulieribus Elizabeth verba
» sunt. Et: Quia peperisti seruatorem animarum no-
» stratum, à nemine dictum est. Consimili studio ad-
» iectum est in fine Psalmorum. Gloria Patri. Proinde

non est cur Laurentius Valla stomachetur bonam precationis Dominicæ partem fuisse decurtatã: Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti sint, tam diuinæ precationi suas nugas assuere. Nugas enim iure dixerim ad diuinam doctrinam, quicquid ab hominibus profectum fuerit: Præsertim si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum authorem conferatur. Quod si quis contendat, hoc ab ipso Christo fuisse additum, necesse est vt fateatur omnes nostros ac totam Romanam Ecclesiam, hactenus fugisse, bonam partem Dominicæ precationis omisisse. Ac ne Africanam quidem recte legisse. Nam Cyprianus enarrans peculiari libello locum hunc Euangelii, nec verbo quidem agnoscit hanc coronidem. Porro qui ideo putant ab Euangelista fuisse additam, quod Chrysostomus interpretetur, leui nituntur argumento. Siquidem interpretatur ille quod solemnis vsus Ecclesiæ Græcanicæ, quotidie sonabat: perinde quasi quis enarrans Psalmos, interpretaretur solenem illam coronidem. Gloria Patri & Filio. Nec mirum si hoc dignatus est facere Chrysostomus, cum in Homiliis diligenter exponat Hymnum, quo Monachi quidem soliti sunt consecrare conuiuium suum. In aurea Catena hoc modo citatur Chrysostomus. Quia vero sollicitos nos fecerat inimici memoria, in hoc quod dixerat, Libera nos à malo, rursum audaciam præbet per hoc, quod in quibusdam libris subditur, Quia tuum est regnum, &c. Quod vnde sumptum sit, nescio. Nam hæc verba non reperiuntur in Chrysostomi commentariis. Qui contendunt hanc Coronidem asscriptam fuisse ab Euangelistâ, iidemque confirmant hanc editionem, aut esse Hieronymi, aut certe ab illo castigatam, velim vt explicent nobis, cur ille tantam Sacræ præcationis partem ausus sit omittere, qui nè in commentariis quidem vllam huius fecerit mentionem. Hæc cum sint dilucidiora, quam vt argumentis egeant, tamen non defuerunt, qui mihi ex hoc quoque loco grauem struerent calumniam. Cæterum Amen, quod Aquila interpretatur fideliter, & hic simili modo videri poterat adiectum, Hieronymus admonet, orationis Dominicæ esse signaculum.]

Cur omittendum illud: Regnum tuum, &c.

Lucas Brugensis, Maldonatus, alii eisdem vtuntur testimoniis, Lucas Brugensis notis in Græcum Testamentum. *Porro Græcis libris qui addunt, suffragantur enarratores Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & similes Græcus, siue Latinus fuerit, Auctor operis in Matthæum imperfecti; Denique Syricus Interpres Latinis libris omittentibus adstipulantur Latini tractatores, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, libris quinto & sexto De Sacramentis, Augustinus, & posteriores; Denique modus ipse recitandi orationem Dominicam in Ecclesia Latina, iam inde ab Apostolorum, credo, temporibus continuus.*

Consentiunt Veteres nouiores interpreti.

Beza non reprehendit Catholicorum sententiam. [Vulgata, addit particulam Amen, quæ tamen in Græcis quibusdam non legitur, nec etiam est apud Augustin. lib. De Sermone Domini in monte. 2. Notum est autem Christianos sic preces sacras omnes claudere consueuisse: ex qua etiam consuetudine non desunt, qui existiment totam istam coronidem, quia tuum est regnum, &c. In contextum irrepisse, magnificam quidem illam & longe sanctissimam, sed quæ tamen in vetustissimis aliquibus cod. Græcis desit, & à Cypr. Augustino & Chrysostomo non explicetur, etiam vbi ex professo totam hanc precationem, interpretantur. Extat tamen apud Syrum interpretem, & in plerisque Græcis aliis legitur.]

In vetustissimis non legitur.

Tossanus igitur sine causa iniuriæ accusat Maldonatum, quod additam clausulam ex consuetudine Græcorum arbitretur, cum enim tot Latini & vetustissimi Græci codices omittant, non magis iniurius

Cur hic sonatus Maldonatus accusatur,

nemo aliorum. est in Græcos, qui ait irrepsisse ex consuetudine, quam in Latinos, qui eos omisisse existimat. Caluinus solum miratur Latinos omisisse, cum apte quadret; *Lucas Euangelista illa omittit verba.* qui eâdem opera mirari poterat, cur D. Lucas omittat; neque enim ibi non apte quadrabat.

§. 5. Hunnius ait esse partem c. 29. l. 1. Paralip. Verum eo loco habetur: *Tua est Domine magnificentia & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus.* Deinde optime respondet Doctissimus noster Gretserus defensione Bellarm. 2. de verbo Dei cap. 7. *Non quæritur, vtrum verba illa sint pars diuinæ Scripturæ simpliciter, sed vtrum sint pars Scripturæ nouæ Græcæ; & quidem capitis sexti apud D. Matthæum; & Græci illius textus. Nam si propterea pars Scripturæ Sanctæ nouæ existimari deberent; quia ex libro Paralipomenon translata eo fuissent; non ab alio quo Apostolo, aut Euangelista; Sed vel ab incuria; vel inobseruantia; vel à quouis alio priuato, nulla ad id Spiritus Sancti peculiari vi adacto; tum Hunnius pro sua solertia, Euangelia quotidie, multis partibus augere posset, transcriptis ex Genesi, aut alio quopiam antiqui testamenti libro in Euangelia quotquot luberet partibus. Num propterea veræ partes nouæ Scripturæ diuinæ essent?*

Non ideo est pars noua Scripturæ, si veteris est.

VERSVS 16.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam.

QVÆSTIO I.

An ieiunia commendata, & in illis humilitas?

§. 1. HYpocritæ erant σκυθρωποὶ, hoc est, vultu tetrico, moroso, non φαιδρῷ καὶ ἱλαρῷ, non sereno, renidente & hilari. Xenophon opponit hilari. ἱλαροὶ δὲ ἀνδὶ σκυθρώπων ἥσων, *Hilares pro tetricis erant.* σκυθρωθῆναι quidem irasci est, sed tamen frequentius pro tristibus accipitur σκυθρωπὸς, ita etiam Genes. 40. τί ὅτι τὰ πρόσωπα ὑμῶν σκυθρωπὰ σήμερον; *Cur tristior est solito hodie facies vestra?* Vbi in Hebræo est רעים malæ, tristes, dejectæ. Syrus ait במירא *atrati*, quod nonnulli de pullis vestibus accipiunt, hinc במרין sacerdotes idolorũ, & Hebraice במרים 2. Reg. 23. 45. vel sacerdotes, vel æditui. Mihi potius ab incendendo videntur dici. Quod thus adolerent, victimas exurerent. Porro במר etiam est, comoueri, Gen. 43. 10. θορυβεῖσθαι turbari, 3. Reg. 3 26. & perturbari Ose. 11. 9. & ἀθυμηρεῖν irritare Ose. 10. 6. Itaque & sensus esse posset in Syro, nolite esse vultu perturbato, irato, quali sunt, quos aliquis irritauit. Tali vultu erant, vt omnibus ostenderent, graui ieiuniorum labore se confici, neclætos esse posse.

Tristitia hypocritarum simulata.

Pullati tristes.

§. 2. Alterum erat, ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα. Quod noster vertit: *Exterminant*; Hieron. *demoliuntur.* Hilarius, *conficiunt*, Chrysost. *corrũpunt.* Syrus vero מיהבלין deuastantur, est pulchra allusio; dum hypocritæ, seu vt Syrus loquitur, *acceptores vultuum*, vultus suos corrumpunt: Quidam putant vertendum; obscurant. ἀφανίζειν est abolere, tollere, efficere, vt non appareant, deformabant ergo illuuie, medicamẽtis, vt pallidi, macilenti, & ieiunio afflicti viderentur. Pro illo squalore Christus iubet vngere caput, vt ieiunium tegant. Erant enim priscis in vsu crebro vnctiones, quæ nunc sine luxus suspicione non possunt vsurpari.

Vultum corrũpunt & magis animum.

Quomodo id fieri possit ex Beza primum didici. Isti quoq; hypocritæ comptum & mundiciem omnẽ subtrahebant, illuuie & squalore fœdi prodeuntes, quasi natiuum vultum è medio tollerent, qualẽ suum illum Pisonem personatum stoicum Cicero describit. & quales Pseudo Iesuitas illos præsertim hodie, & Capucinos cernimus obstipo vultu, & sulphuris vapore infecto obambu antes, ne nunc quidem viduæ, imo nec principes, quorũ domus deuorãt, animaduertũt.

Ratio corrumpendi vultus.

Apertæ calumniæ.

Quam graui sit calumnia vel inde cognosco, quod in hodiernum vsq; diem, huius artis nullam vnquam in societate mentionem inaudii, nec vnquam in mentẽ mihi venit ea de re cogitare; omnium primo in Beza legi. Quod si vllus, vel amicus, vel inimicus, etiam Apostata, qui suam causam, non nisi ordinis sui obtrectatione, speciosam reddere potest, id vnquã notauit, cur nemo protulit? Hoc vrgeo, vt iam tot annis, quibus cum mendaciis sectariorum societas pugnat, vel semel ab vno homine factum ostendant, & calumniæ Bezã absoluero. Quod ad Capucinos, egregia Ecclesiæ decora attinet, non egent illi ad deformandos vultus suos sulphure; vera ieiunia, diuturnaq;, & cibarius panis, oleraq; multis eorum maciem, palloremq; conciliant: multos vero ex illis etiam in tanta victus parsimonia, & austeritate, vegetos, fortes, nitido vultu esse Deus voluit, vt ostenderet, naturam paucis contentam esse, valetudinemq; & corporum vigorem non deliciarum, sed sui muneris esse.

PP. Capucinorum austeritas, insumma impia hæretica displicent.

§. 3. Nec minorem iniuriam Paulo Quarto infert, quem vt ebriosum, & comedonem describit: Vixit ille ante Põtificatum sancte, & vt Paulus Apostolus, in ieiuniis multis, annos quatuor menses duos, dies viginti septem Ecclesiam gubernauit, bello, seditionib. insidiis agitatus, & quia Latium ipsaq; Roma eius tẽpore in magnas calamitates incidit, populo exosus fuit; quin multorum fuit in eius electione ingens tristitia, opinione seueritatis, infestus enim fuit curiæ Romanæ vitiis, reformationemq; morum Cardinalis vehementer vrserat, & Pontifex perficisset, nisi eum rebus mortalium mors eripuisset. Nec reprehendi debet, quod factus põtifex, & tantæ prouinciæ princeps more aliorum principum mẽsam instruxerit. Illa magnificentia principum non modo illicita non est, sed etiam decora. De vinolentia & crapula nõ accusatur, nisi à Beza. In magna lautitia & ferculorum varietate temperate vixit. Videatur Onuphrius, aliiq; qui vitam eius scripserunt. Quin ipsum Bezam ætas Põtificis refutat, anno ætatis septuagesimo nono Pontificatum adiit, multis laboribus, vigiliis, ieiuniis confectus, tota vita per tot dignitates, legationes, negociorumque tractationes transacta, de intẽperantia nunquam notatus est. Et quomodo iam octogonarius comessationibus & ebrietatibus indulgentem describit nequissimus obtrectatorum Beza? Id præsertim cum imbecilla esset valetudine, cum magnis in curis, & sollicitudine ageret, cum Cardinales enocatos vltimum allocutus inter alia testaretur; se propensio & iucundo animo vocationem Dei exspectare. Suprema eius verba fuêre: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.* Vnde ergo Bezæ tam male dicendi carminis occasio? Vnde? Improbis opus est occasione, sed quælibet illis satis; occasionis loco est improbitas, cum deest occasio. In Bellarmino Cardinale defuit occasio, non defuit Caluinianis malitia, quæ omnes occasiones anteiret. Occasionem tamen in Paulo 4. fuisse fateor, sed quæ esset improbis occasio calumniandi, prudentibus laudandi. Vixerat Paulus ante Pontificatum parce, dure, more Pauli eremitæ: Factus Põtifex non licuit, non decuit eodem modo vitam agere. Multis & magnis viris opus erat, per quos negocia administraret, ad panem & aquam eos relegare non poterat,

Defensio Pauli quarti.

Occasio imprudentibus laudandi.

terat, itaq; imitator Christi communi vitæ se accommodabat, non luxuriando, sed cibis cum gratiarum actione vtendo. Hoc ad Bezam nebulo aliquis retulit, qui cum putaret neminem, qui mensæ plenæ assideret sobrium esse posse, ex suis helluationibus, coniecturam de Pontifice fecit.

Ieiunia Ecclesia vsitata.

§. 2. Ieiunia in Ecclesia vsitata esse hæc ipsa docent. Non enim ieiunia hic imperat, sed quasi certus ea futura esse, modum ieiunandi præscribit. Non ignorauit id Tossanus, cuius ista sunt: [De ieiunio „ hæc pauca notanda sunt. Ieiunium Theologice non „ vocari quamlibet abstinentiam à cibis, vel inediam, „ qualis sæpe est, vel in morbis, vel tempore famis, nec „ etiam abstinentiam à certis cibis, vt à carnibus &c. *Ieiunij descriptio ab Hartwo.* „ Sed voluntariam abstinentiam ab omnibus cibis & „ deliciis, quam vel aliquis sibi imperat, vel quæ est pu„ blica, & ab Ecclesia denuntiata aliquando vsq; ad ve„ speram aliquando ad diem vnum, aut alterum, vt te„ stentur homines suam contritionem coram Deo, & „ corpore macerato animus sit magis idoneus, ad in„ tentas preces & sanctos gemitus. Nec sunt abrogata „ ieiunia in Nou. T. sicut Leuiticæ Ceremoniæ, sed ha„ bent suum adhuc vsum in Ecclesia. Matth. 9. Act. 12. 2. „ Cor. 11.]

Requirit igitur abstinẽtiam à cibo, vel volũtariam, per aliquod tempus, non à certo cibo; vel denunciatam ab Ecclesia, ad contritionem testandam & preces. Errat ille in multis, & à se refellitur.

A certis cibis abstinere pars est ieunij.

Si enim ieiunium est voluntaria abstinentia ab omnibus cibis, & deliciis, quam vel aliquis sibi imperat, vel quæ est publica, & ab Ecclesia denunciata, aliquando vsque ad vesperam, aliquando ad diem vnum vel alterum, &c. Ergo etiam est abstinentia aliquando à certis cibis. Equidem si quis à carnium deliciis, aut vino abstinet, temperate vilioribus vescatur, ille quoque suam contritionem detestatur, & animum macerato corpore ad Deum intentius erigit. Nec paruum est discrimen inter eum qui ad vesperam ieiunans, carnibus vescitur, & eum qui piscibus, modo deliciæ absint. Daniel sane cap. 10. à certis cibis abstinet, *Cibum rerum desiderabilium* (ita vertunt Iun. Tremell.) *non comederam, nec caro, aut vinum intrauerat in os meum, nec vnguento me inunxeram, donec complerentur trium Septimanarum dies.* Non transegit illas viginti & vnum dies Propheta sine omni cibo, sed *cibum desiderabilium non comedit*: & singulatim carne, & vino abstinuit. Ieiunasse eum ad vesperam more Iudæorum credo. Sed ieiunii fuit illa magna seueritas, quod vir tantus, & iam minimum annorum octoginta, carnem, vinumque abdicauit.

Daniel à certis cibis abstinet.

Danielem igitur imitantur, qui non modo vna in die refectione contenti viuunt, sed etiam carne abstinent, recte facturi, si & vino: modo vires id patiantur.

Deinde aberrat in eo, quod neget ieiunium esse Dei cultum. Nam quemadmodum cærimoniæ in lege veteri Dei cultus erat; ita & ieiunium imperatum, ex lege Deo illa carnis mortificatio exhibebatur: actus est enim à virtute religionis imperatus, à temperantia elicitus.

Tertio; falso etiam ieiunio meritum demitur; quemadmodum & aliis bonis operibus, si meritum vt supra explicui accipiatur. An ieiunandum sit in nouo Testamento quærit Piscator; Causa est, quia *Ieiunium est non sit mandatum recte tamen vsurpari aut Piscator.* præceptum non est, & tamen exempla sanctorum id ostendunt, vt doctorum Ecclesiæ Antiochenæ. Act. 13. 2. Item Pauli & Barnabæ Act. 14. 23. Paulus etiam 1. Cor. 7. 5. Approbauit ieiunium. Definit autem ieiunium esse liberæ obseruationis, ad preces vtile, à prinatis & præcipue ministris obseruandum. Verum cum apud eos sæpe populo denuncietur ieiunium, verius alii docent, non semper esse liberæ obseruationis: & suo abusu Catholicæ Ecclesiæ leges consuetudinesque probant. Quomodo præceptum sit, nec aduersetur naturæ, ostendit Salmeron noster in huius loci expositione. Legebantur hæc in Syra Ecclesia secunda feria septimanæ secunda ieiunii.

VERSVS 19. 20.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.

QVÆSTIO I.

Quid prohibeatur hoc loco?

Opum ancxia, & incerta possessio.

§. 1. HVmanam gloriam quidam vetari arbitrantur. Sed absque dubio, de veris diuitiis agit, easq; accumulare prohibet; opum enim ærugo est, & tinea. sunt vero in vestitu, & pecunia. veste tinea, ærugo metalla deuorat. Tinea σής dicitur, & Heb. עש Syriacè, ܥܫܐ Sâsa, ærugo βρῶσις, Syriacè, ܐܟܠܐ Achla, quæ latè patet, estque erosio, seu vt Cyprianus vocat, comestura. Iacob. 5. 3. vocatur ἰός, quod venenum etiam dicitur. Quod vero in veste tinea, in metallis ærugo, hoc est, in ligno δῆξ, in cornu ἴψ. in vite ἴξ. in pomis πέρῶξ. in ficu ψὼν. parua mole, & nomine; sed nocumentis ingentia damna. Vbi igitur non modo opum congregandarum, sed etiam conseruandarum nimia est cura, facile Dei cultus, iustitia, cæteraque negligitur. Efficax sane argumentum, vt opes contemnamus, quas non modo flamma, ferroque petunt hostes, sed contemptissimæ bestiolæ deuorant. *Cor in arca non recludendũ.* Hisce ergo inhærere animum turpe est, hos thesauros pro Deo recondi, imo in illis mentem condi nefarium. Insigne exemplum in vita Antonii Patauini recensetur, de auaro diuite, cuius cor non in cadauere, sed in arca nummorum inuentum est.

§. 2. S. Augustinus passim de gratia & libero arbitrio hinc probat; Esse liberum arbitrium, quia dicitur. *Nolite.* Quod argumentum non elidunt. cum aiunt, hic esse, μὴ θησαυρίζετε, *ne thesaurizetis*: quidam enim libri teste nostro Maldonato habent; μὴ θέλετε. *Nolite.* Deinde non præciperet Christus, nisi velle, vel non velle valentibus, hoc est, liberis.

VERSVS 22.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit.

QVÆSTIO I.

Quid oculus, & corpus lucidum?

§. 1. PArabola est, qua ostendit, Deo sincere, non gloriæ aut opum causa seruiendum. Sensus

vero

Oculus simplex & nequam.

vero est, oculus tuus est lucerna corporis tui, vt enim lucerna efficit domũ lucidam, vt fungi suis ministeriis possint, qui eam inhabitant; ita oculi corporis membris lucem præstant, sine qua ociosa marcent, aut aberrant. Oculus vero ille simplex est intellectus diuino lucis radio illustratus, & voluntas caritate ardens, recta in Deum intentione recumbens, oculus nequam, πονηρὸς, cum malis humoribus vanæ gloriæ, auaritiæ infectus, nec recte iudicat, nec amat. Simplex ergo totum corpus facit lucidum, idoneum officiis suis; nequam facit obscurum. Inde consequuntur densissimę tenebræ, *nam si lumen tuum, sunt tenebræ*, hoc est, quod lumen esse debuit, versum est in tenebras, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hanc interpretationem video placuisse plerisque. Ita S. Basilius ὡς ὀφθαλμὸν ἐν σώματι δικαιϊκὸς μὲν τῶν ἀγαθῶν, καὶ τῶν φαύλων, καλευθύνοντες δὲ τὰ μέλη τῇ χρείᾳ, πρὸς τὰ ἔκαστα διπθάκοντες, vt oculus in corpore diiudicans quidem bona & mala, recte vero dirigentes membra Christi ad singula, quæ efficienda sunt. Iudicatiuam igitur & ἡγεμονικὴν partem esse arbitratur Basilius.

Hilarii & aliorum interpretationes sunt mysticæ, de Apostolis, & Ecclesia. Nam priuatim hic instituuntur homines ad hominis Christiani officium.

Oculus animus.

Cicero l. 3. de orat. & 3. Tusc. eadẽ similitudine vtitur.

Quemadmodum oculus conturbatus nõ est probe affectus ad suum munus faciendum, & reliquum corpus officio suo deest: Sic animus conturbatus non est aptus ad aliquid boni agendum. Fere autem intentionem interpretantur Aug. l. 2. qq. Euang. 15. & l. 2. Serm. in monte. Chrys. hom. 21. Greg. mor. l. 28. cap. 6. Hieron. intellectum; sed optime Vincentius noster vtrunque coniungit.

Quidam oculum simplicem qui opponitur inuidiæ.

§. 2. Video quosdam hæreticos, vt Piscatorem, de inuidia interpretari; vt oculus simplex sit benignus, nequam sit inuidus. Argumẽtis variis id astruere molitur. Nam de auaritia monuit, postea de sollicitudine vitanda moniturus, de inuidia ergo quod affine vitium, nunc monendi erant. Deinde Rom. 12. 8. iubetur dare in simplicitate. Sic 2. Cor. 8. 2. accipitur ἁπλότης. Non ambigo inuidiam hic reprehendi; neq;

Ab oculo omnia vitia remouet.

oculus luoris felle suffusus potest esse lucidus, sed generaliter contra omnia vitia nos munit, non contra solam inuidiam monet ne oculus ad laudem, aut opes intentus, vera bona negligat, totumque corpus perdat. Hæc est enim melior connexio, quam illa Piscatoris. Simplicitatem nec loco citato ad Rom. nec Cor. de vitio inuidiæ oppositio interpretamur. Deinde non conueniunt ista, corpus lucidum erit, id est, inquit Piscator, Hilare, & tenebrosum, id est, triste, languidum. Piscatori oppono non modo patres: sed Bezam, qui oculum pro toto hominis ingenio ponit. Et Caluinum, qui sua à Patribus mutuatus est.

„ [Summa porro huius sententiæ est socordia errare
„ homines, quia intenti non sunt, vt dicebat in rectum
„ scopum. Vnde enim fit vt turpiter vagentur, vel im-

Oculus Caluinoratio.

„ pingant vel labantur, nisi quia corrupto iudicio dum
„ suis libidinibus, quàm Dei iustitiæ obsequi malunt,
„ non modo suffocant rationis lucem, quæ eorum vitã
„ regere debuerat, sed prorsus in tenebras conuertunt.
„ Similitudine autẽ vtitur Christus, oculum totius cor-
„ poris lucernam vocans, ac si diceret, cum homines
„ ambulant neq; manus, neq; pedes, neq; ventrem re-
„ gendæ viæ præesse, sed vnum oculum sufficere ducem
„ reliquis membris. Ergo si temere ferantur manus &
„ pedes, quo minime conuenit, erroris culpa oculis erit
„ imputanda qui officium non faciunt. Nunc ad ani-
„ mam transferenda est similitudo, singuli affectus
„ quædam sunt veluti eius membra, sed quia per se cœ-
„ ci sunt, directione opus habent.
„ Iam DEVS rationem indidit, quæ eos in ordinem cogat, & lucernæ polleat officio ad vitam monstrandam. Quid autem plerunq; fieri solet? Nempe homines quicqui d sanę mentis datum erat sponte corrumpunt ac peruertunt, vt ne scintilla quidem vna lucis residua maneat. Oculum simplicem vocat, qui nec ecclesia aliqua obiectus, nec ingenitudine infectus est, nec alio vitio laborat, πονηρὸν accipit pro vitioso. Corpus luce dum quod illuminatur, vt actiones suas habeat ritè compositas. Tenebrosum vero, quod confuso motu in varios errores fertur.] «

Cætera quidem ille haud male, nisi quod rationem ita peruertisse ait, vt ne vna quidem scintilla manserit. Multa enim rectæ rationis indicia in libris, & actionibus gentilium apparent, qu. legem in cordibus scriptam habent.

Gentes omnino obscuratã rationem habent.

§. 3. Rationem omnino exstinctam Caluinus existimat; solicitus ne oculus ille liber esset, ipse sic argumentum proponit. [Quod autem hinc colligunt « Papistæ, pollere ratione & prudentia homines, vt li- « bera sit illis boni & mali electio: friuolum est. neque « enim Christus, qua facultate præditi simus, hoc loco « disserit, sed quomodo nos ambulare deceat, vt scili- « cet in certum aliquem scopum simus intenti: Ac si- « mul docet totam humanæ vitæ cursum ideo tene- « brosum esse, quia nemo rectum finem sibi propo- « nat, sed omnes sibi ad malum cupide sectandum in- « dulgeant. Fateor quidem natura ingenitam esse ho- « minibus rationem quam discernant inter vitia & vir- « tutes: Sed ita peccato vitiatam esse dico, vt ad singu- « los passus deficiat. Interea non sequitur quin tenebras « sibi sponte accersant homines, ac si clausis oculis ob- « latum lumen fugerent: quia scientes & volentes post « suas concupiscentias feruntur.] «

Respondeo. Nullos Catholicos docere tantum valere hominem ratione & prudentia, vt bonum supernaturale, & quod ad vitam æternam conducat, possit eligere; nisi gratia diuina, auxilioque adiutum. Naturalia quædam bona posse, ex scintillis relictis, Sancti Patres tradiderunt. Porro liberam manere rationem in naturalibus, & cum Dei gratia in supernaturalibus Patrum, & ipsius Scripturæ doctrina est: atque adeo hoc loco frustra Christus hortatur vt oculus sit rectus, ne sit nequam, si non magis in eius potestate sit, vel sinceritas, vel prauitas, quam in trunco est curuitas vel rectitudo. Certe Chrysostomus hic rationem ducem vocat, & comparat gubernatori. Aug. l. de opere Monachorum c. 28. intentionem vocat oculum, monetque vt bono fine, ac intentione omnes bona opera efficiant: ex eodem bene vel male operantium libertatem demonstrat. Ne vero lector existimet omnes Caluinianos in ea esse hæresi, qua Caluinus, referam verba Benedicti Aretii, Caluinistæ, vt magistrum confutet. [Nam in ratione supereste, *inquit*, « aliqua veri notitia, ineste etiam discrimen boni & ma- « li, & affectus aliqui, qui peccato carent aut sine pecca- « to esse possunt, vt est amor erga liberos, erga domesti- « cos. Quare hoc dictamen lucerna est, & oculus recte « dicitur, hoc si obtenebretur curã rerum externarum, « nihil amplius in homine supereste integri. Nam reli- « qua per se omnia corrupta sunt, ὀρεκτικὸν, ἐπιθυμητι- « κὸν, θυμοειδὲς, omnia vitiosa sunt & tenebris inuoluta. « Solum λογιστικὸν, retinuit quasdam scintillas boni, eas- « que admodum debiles.]

Non igitur ad singula deficit, sed quædam suo arbitrio bene administrat.

Multo vehementius hanc rem disputauit Adolphus Venator, in propositionibus contra suos inimicos Alcmarianos.

VERSVS

VERSVS 24.

Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammoni.

QVÆSTIO I.

An nemo seruire duobus Dominis possit?

§. 1. TVm fieri non potest, cum eorum contraria sunt imperia, qualia sunt mundi, & Christi. Auctor Reg. breu. Reg. 2. c. 1. ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἑνὶ δουλεύσαι θεῷ καὶ τοῖς ἀλλοτρίοις τῆς θεοσεβείας βεβηλωμένοις πράγμασι. *Impossibile est seruire Deo, eum, qui alienis à pietate negotiis miscetur.* Non omne negocium, sed à pietate alienum, quo cum ipsa consistere pietas non potest, repudiat. Et Reg. 47. c. 4. Nmiam etiam animo diuisionem reprehendit: qua, etsi malà negocia non sint, nimium tamen animam tenaciter affixam tenent. *Diuersa imperia exequi non possumus.*

Dei non datur sine condicione operum.

§. 2. Egregium hoc loco argumentum suppeditatur Catholicis: nó posse videlicet, si ne operibus constare iustitiam, nec eius sine operum bonorum certitudine, fiduciam. Inter Deum, & nostras cupiditates partiri non possumus. Christus fieri posse negat, vt quisquam Deo simul, & carni suæ obtemperet. Non ergo Deo seruit, si quis carni obtemperet. Si quis se diuitiis in seruitutem tradit, à Deo se emancipet necesse est. Non ergo ille certus est, se Dei esse, se iustum esse. Fatentur ore se Deum colere, sed affectu negant. Hac igitur ex conditione pendet Dei seruitus, vt dimidium cordis non tradatur diabolo. Hinc auaros, voluptuosos, crapulæ deditos, libidinosos, crudeles Caluinus negat Deo seruire. Quasi vero possibile sit ex parte eos seruire Deo, quos ex professo contra eum bellare patet. Quid igitur de Caluinianis peccantibus dicemus? Eos insigni priuilegio eorum Patriarcha donat, quod an in cœlo ratum habendum sit, ad-

„dubitare merito possunt. [Etsi, *inquit*, subinde retra-
„hantur vitiosis cupiditatibus; quia tamen gemunt, si-
„bi displicent, inuiti, & reluctantes carni seruiant, non
„dicuntur duobus Dominis seruire: Quia perinde
„probantur studia eorum, & conatus Domino, ac si
„integram illi obedientiam præstarent.] Cum dicit in-

Quomodo Caluinus inuitis carni seruiant.

uitos, & gementes carni seruire, more suo intelligendus est: non enim subitos motus, qui improuiso rationem & voluntatem anteuertunt, designat, sed rapinas, adulteria, cædes, aliaque, crimina quibus commissis iustitiam non amittunt, quia volentes, nolentes faciunt, ideo Deus perinde conatum nolendi qui adhæret actui volendi probat, ac si factum, quod patrat, facere noluisset. V. g. statuit deliberatâ voluntate amicum per nefas occidere; displicet sibi tamen, & cum decernit animo, & cum peragit manu scelus, gemit ille quidem, sed vult tamen & facit. Nec tamen Caluino iudice duobus Dominis seruit: Sed conatum eius, quo vellet nolle, quod facere vult, perinde habet, ac si integram obedientiam præstaret. Quo dici nequius omnino nihil potest.

§. 3. Exemplo vnico vtitur, ita tamen in omnibus idem valere oportet. מִמּוֹן significat diuitias, & מַמּוֹנָא *mammona*, sic quasi de persona, aut idolo loquitur Dominus. Credo apud Syros, vti apud Græcos μαῖα, diuitiarum Deus erat, aliquem Mercurium fuisse. Syri tamen scribunt מַמּוֹנָא simplice מ. mamona. Luc. 16. 11. dicitur μαμωνᾶς: & μαμμωνᾶς, hoc loco est. ab אמן formare solent, quod diuitias firmitatem esse arbitrentur. Mihi verisimilius videtur vel à מן dici cum repetitione prioris literæ. Est vero מן man, vel mæna, numerare, computare. 1. Reg. 13. Hinc מנין *Minin.* & מנא *manè*, nummus, pondus. mina. Vel certe à מני constituere, præficere. Inde מנא & מנינא *memanna* & *memaña* præpositus, præfectus, 1. Reg. 22. & 4. Reg. 19. & 25. & 4. Reg. 12. vt Mammon sit vel μαῖα, vel præfectus, & Dominus, cui seruitur.

VERSVS 25.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis neq; corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: & corpus plus quam vestimentum?

QVÆSTIO I.

Quæ sollicitudo prohibeatur?

§. 1. VAriis argumentis rerum humanarum sollicitudinem excutere Christus contendit. Primum ratiocinatur à Dei potentia & liberalitate, qua vitam dedit, cui non ab eodem vitæ subsidia spe- *Sollicitudo*
rentur? Ne igitur solliciti sitis animæ vestræ, seu pro *nimia dis-*
anima vestra, noster Græcæ dictionis proprietatem *fidētia est.*
retinuit, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν. Animam porro more Hebræo pro vita posuit. Si corpus dedit, quomodo negabit vestimenta?

Recte hinc auctor Reg. breuior. Reg. 47. cap. 4. concludit, ὅτι οὐ δεῖ μεριμνᾶν τῆς ἰδίας ἕνεκα χρείας, οὐδὲ τοῖς ἡτοιμασμένοις παρὰ θεοῦ τὴν παροῦσαν ζωὴν ἐπελπίζειν, ἀλλὰ τῷ θεῷ ἀποδιδόναι τὰ καθ' ἑαυτόν. Non oportere sollicitum esse, propriæ indigentiæ causa, neque in illis quæ præparata sunt, sperare: sed Deo tribuere, quæ illi debentur.

§. 2. Massadiani hinc concludebant. non esse laborandum, semper vero orandum. Epiph. hæres. 80. Bell. l. 2. de Monachis, c. 41. Verum grauiter errabant quos ipse Apostolus confutat, & scriptis, & factis.

Non ergo quælibet cura prohibetur: nam alibi præcipitur Rom. 2. 1. Tim. 5. Christus oculos habuit, sed triplex omnino sollicitudo.

Prima quæ est cum diffidentia, altera quæ nimium *Non omnis*
occupat, & Spiritus libertatem impedit, Tertia quæ *cura cul-*
nimium suæ industriæ & labori attribuit. Hæc in cibo *patur.*
& potu est, & vestimento. In Græco additur, ἢ τί πίητε; & quid bibetis? Hic sollicitudo, quæ est ægritudo cum cogitatione reprehenditur. Quæ animi serenitatem, & in Deum confidentiam imminuit, proprie est ægritudo, quia animi dolorem adiunctum habet.

§. 3. An hoc loco ordines religiosi recte vtantur *Religiosi*
ad mendicitatem suam tuendam? Negat Beza, sed *pauperri-*
statum quæstionis euertit. quærit enim, an ociosi ven- *mam vitæ*
tres hoc dicto se tueri possint? Qua de re nulli est du- *sollicitæ*
bitatio, ocium enim, & torporem Christus semper *anteponit,*
damnauit. at vero omnium rerum desertionem, & *damnauit.*
paupertatem suasit: non vt ocio, & ignauia torpérent; Sed vt continuo meditandi, orandi, psallendi labore Ecclesiæ commodis inuigilarent, cum vero diuitiarum cupiditas, spirituales exercitationes vehementer impediat: magnopere laudandi sunt, qui ne vlla sentiant ab his auocamenta, omnia simul deseruêre, & cibo à fidelibus donato parcissime viuentes famem sustinent.

VERSVS

VERSVS 27. & 28.

Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent.

QVÆSTIO I.

Quid velit hisce verbis?

§. 1. SI omnia recte perpendamus, videbimus τὴν μέριμναν, quæ est ægritudo cum cogitatione seu anxietate prohiberi. Videmus enim eos qui opibus afficiuntur pecuniam perpetuo numerare, totos in illis esse, & vt prouerbio dicunt, ludæum mente semper fœnerari.

Inutilis est cura, quæ est sine profectu.

Duplex argumentum præter superiora, Quemadmodum nulla cura staturam augere potestis; ita neque vlla cura opes, nisi Deo dante augere potestis.

Deinde si lilia Deus vestit, cur non & vos? Quid igitur solliciti hæretis?

Statura est ἡλικία, quod ætatem, & staturam significat, sed quia hic de cubito loquitur significat staturam, ita apud Lucian. de Dea Syria, & libro veterum narrationum. Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, de institutione puerorum sic loquitur. Sic etiam Syrus conuertit קוֹמָתָהּ *Kaumetech*, hoc est, *staturam suam*.

Confirmat itemque ab inutili cura, & sollicitudine. Nihil enim prodest impar effectui Angor. cum enim Ier. 10. 32. Non sit hominis via eius, quis ergo suæ solertiæ vitam tribuet? Qui te creauit, ille seruabit. Eo inuito nec crescere ipse, nec rem augere poteris.

VERSVS 26.

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater cœlestis vester pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

QVÆSTIO I.

Cur auium exemplo vtatur?

§. 1. INter omnia animantia maxima est auium libertas; minime enim sibi reponere solent in futurum escas, & tamen ille qui pater vester est alit illas, cur non & filios. Maxime cum μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν multum præstetis illis, si ergo infinita illa maiestas ad passerculos, & papiliones prouidentiam extendit, cur non ad homines quoque, quos filiorum adoptione dignatus est?

Dei prouidentia in volucribus conspicua.

VERSVS 30.

Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?

QVÆSTIO I.

An Dei ad omnia concursus sit, & an generalis?

§. 1. BEllarminus l. 4. c. 4. *de gratia & libero arbitrio*, Deum in omnibus creaturarum actionibus concurrere. Si enim fœnum vestit, multo magis ad mirabiliora, & maiora concurrit, quo modo Deus operetur in omni opere docet Aug. T. 5. 145. d. 1. & 306. d. 1. edit. Plantin.

Deus in omnem creaturæ operatur.

§. 2. Concursum generalem & indeterminatum negant, qui illum peccatorum faciunt procuratorem. Hoc argumento. *Si concursus ad malas actiones est indifferens, Ergo & ad bonas, ita nec illæ à Deo erunt.* Respondeo: Actiones bonas, si sint supernaturales, hoc à speciali Dei auxilio sortiri. Si naturales, etiam in Deum referti, quia ab eo sunt intentæ, & eo hortatore, suasore, procuratore fiunt. Prauas nec Deum velle, nec prædefinire; Velle tamen permittere, & punire.

Dei concursus indifferens.

Obiicit Pareus in lib. de amis. grat. & statu peccati cap. 18.

Sed hæc ἀσύστατα sunt, concursum in actione esse specialem, & indifferentem. Concursus enim Dei & voluntatis non dicitur, nisi quatenus actione speciali terminantur.

Respondeo: Figmenta aduersarii, planissime sunt ἀσύστατα, veris pariter ac falsis aduersa. Cõcursum specialem à quo est actio supernaturalis, nusquam vocamus malis, & bonis actionibus indifferentem. Concursus Dei generalis in actione speciali terminatur, & quatenus terminatur, iam fit specialis ex causæ particularis determinatione. Sic concursus solis ad arborum germinationem ex se generalis est, à plantis determinatur, vt hæc vel illa species producatur. Sic fit vt agat creatura concurrente Deo ad actionem, deficiat sua culpa, vt actio sit mala.

Concursus generalis creaturæ determinatur.

QVÆSTIO II.

An fides illa sit in voluntate?

§. 1. ITa aduersarii hoc ex loco contendunt. *Oppositum timiditatis est fiducia: fides opponitur timiditati. fides igitur est fiducia, quia hoc loco timiditas adscribitur defectui fidei.*

Fides fiducia, fortitudo, contra timiditatem opponitur.

Confirmatur ratio ex locis contrariis, quibus fortitudo, quæ proprie nascitur ex fiduciâ, tribuitur fidei: *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti in bello.* Et, *cui resistite fortes in fide;* Et *in omnibus sumentes scutum fidei:* Respondeo: Consequentia est omnino falsa; nam Syllogismus est ex puris particularibus. Quod si maiorem faciat vn uersalem: *Omne oppositum timiditatis est fiducia.* Vel quod æquipollet; *Sola fiducia est oppositum timiditatis.* Falsa est maior: vni enim vitio plures virtutes opponuntur; imo vna charitas omnibus. Timiditati igitur, & fides, & spes & charitas opponuntur, illa enim etiam foras mittit timores. Quin & fortitudo opponitur timori, & tribuitur fidei, *Sancti enim per fidem fortes facti sunt in bello.* Fides enim in Deum, spei, fiduciæ, charitatis, fortitudinis origo est, & radix. Contra ista philosophatur Pareus contra Bell. l. 1. c. 11. ratione 4. contra Bellarminum.

Defensio est: Fides gignit ex se fiduciam, oppositam timiditati, & fortitudinem, non vt habitus, sed vt actus diuersos: Fides enim non qua assensiua, sed qua fiducialis est, expellit timorem, præstat fortitudinem: non est languida, sed firmiter confidit, Ergo fides est fiducia habitualis actus fiduciales producens.

Nec fit confusio, sed coniunctio: quia cohærent in fide iustificante, Fides enim generalis, per fiduciam vt per differentiam συγκλικὴν, fit species, qua dicitur fides iustificans.

Respon-

Fiducia & fortitudo diuersi habitus.

Respondeo, argumentum hoc monstra potius parere, quam fiduciales actus. Fiducia enim, & fortitudo sunt non modo actus, sed etiam habitus diuersi. Fiducia est spes firmior, virtus Theologica, vt docet D. Thom. 2.2.q.17. & deinceps. At fortitudo est alia virtus moralis, quâ illa quæ impediunt, secundum rectam rationem propelluntur. Timorem & audaciam moderatur, in magnis periculis, doloribusque versatur. Ex fide originem vera fortitudo ducit, sed tamen non est cum spe confundenda. Ipsi sectarii fortitudinem à spe diuersam faciunt.

Fides expellit timorem.

At fides assensitiua non expellit timorem: imo vel maxime: qui enim credit Deum veracem, bonum, in tribulatione præsentem, auxilia pollicentem, mercedem promittentem, fortissime obire pericula, sustinere tormenta potest.

Monstrum vero nouum est, quod ait. fidem generalem per fiduciam & per differentiam συσταλικὴν fieri speciem, quæ dicitur fides iustificans.

Si fides est generalis virtus, vna species vero fides iustificans, & fiducia est differentia, quæ ergo alia species opposita est, nisi fides, quæ est in intellectu, & assentitur credendis? Hoc si ita est, fiducia non est actus fidei. Nam differentia alicuius speciei, quæ rem constituit, non est actus illius, sed ad intimam essentiam pertinet. Quod si est duplex fiducia habitualis, & actualis.

Ergo actualis ab habituali fiducia procedit, non ab alia fide nisi mediate, at fiducia habitualis est integer habitus, non sola differentia. Stolide igitur fiducia vocatur differentia fidei iustificantis, spes est fiduciæ iustificantis; fides enim & iustitia eadem illis sunt. Perinde enim loquuntur, ac si dicerem, Hominem esse hominis differentiam συσταλικὴν.

Integra vero species dici differentia non potest. Quod si fides generalis est virtus, quæ contrahitur, ad fiduciam specialem, seu fidem iustificantem, vel est in intellectu, vel in voluntate. Si in voluntate, non potest distingui, à fide speciali. Si in intellectu, non potest prædicari de fide, quæ est in voluntate.

VERSVS 33.

Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis?

QVÆSTIO I.

An liceat mercedis intuitu bene agere?

Christus nos hortatur, vt bene agamus, & regnum Dei consequamur.

§. 1. ARgumentum Christi nec instantiam, nec calumniam patitur. Quærere nos iubet regnum Dei, de eo sollicitos esse, omnes vires eo intendere, cætera ait adicienda esse.

Non ergo peccatum est laborare, bene agere, vt regnum cœlorum consequamur. Videri potest Bellarm. lib. 5. de Iust. c. 8. Respondet Pareus; non licere bene operari intuitu mercedis *debitæ, sed indebitæ: vt regnum Dei sit hereditas filiorum, non stipendium seruorum.* Verum sponte suos fallit. Quærimus enim regnum Dei non operibus simpliciter debitum, sed operibus ex mera gratia promissum; ideoque vt debitum. Omne enim promissum cadit in debitum. Nec diuina Maiestate abutimur, cum ad nostram fœlicitatem infinitum bonum referimus; Id enim non alio modo quam vt in nobis eius gloria semper celebretur, desideramus. Reliqua auctaria sunt, & ὑποδείγματα Ita Salomoni Sapientiam petenti, opes & gloria adiicitur.

Merces debita, quia promissa.

§. 2. Iustitia intelligitur non regni, βασιλείας, sed θεῦ; Nam in Græco est δικαιοσύνην αὐτοῦ. Iustitia ergo est, quam Deus ab homine postulat, quam probat, Ioan. 6. 28. vocantur opera Dei. Non est iustitia imputatiua, illa enim vt aduersarii docent, non quæritur, sed creditur adesse.

Musculus sane Caluinianus ad veram iustitiam refert, quæ est 1. Cor. 6. Gal. 5. Qui talia agunt. Ephes. 5. Nec fornicator, nec auarus regnum Dei possidebunt. Veram ergo iustitiam vocat, cum adsunt contrariæ illis vitiis virtutes.

θησαυρὸς ἀ θείσθω εἰς αὔριον.

§. 3. Non igitur opus εἰς ἄυριον θεῖναι, in crastinum reponere, vnde thesaurus dicitur. At si in crastinum non oportet esse sollicitum, quando minus in multos annos? Cur vnus annus sollicitudinem multorum subit annorum, quos nunquam habiturus es? Hæc summa est vitæ miseria de futuro torqueri. ὁ βίος inquit Græcus Sapiens: οὐ βίος ἀληθῶς βίος ἀπλᾶ συμφορά. Vita vere non est vita, sed miseria.

Malitia πανία, *læsura.*

§. 4. Malitias apud Græcos pro vexationibus & læsuris poni testatur Tertullianus lib. 2. contra Marcionem.

Vt plane superuacua sit Bezæ reprehensio, qua nostrum absurditatis accusat, cum videat eum potuisse Græcos & Hebræos imitari, & vocabulum non vsitatum vsurpare. Tertullianus sane ita locutus est. lib. 2. contra Marcionem cap. 24. *Et quia Marcion defendit arborem bonam malos quoque fructus non licere producere, sed malitiam tamen nominauit, quod optimus non capit, nunquid alia interpretatio subest etiam earum malitiarum intelligendarum, quæ posint & in optimum decurrisse. Subest autem. Dicimus denique malitiam nunc significari, non quæ ad naturam religatur creatoris quasi mali, sed quæ ad potestatem quasi Iudicis, secundum quam enuntiant. Ego sum qui condo mala. Et: Ecce ego mitto in vos mala, non peccatoria, sed vltoria quorum satis diluimus infamiam, vt congruentium Iudici: Sicut autem licet mala dicantur, non reprehenduntur in Iudice, nec bonomine suo malum Iudicem ostendunt: Ita & malitia hæc erit intelligenda nunc quæ ex illis malis iudiciariis deputata, cum ipsis competat Iudici; Nam & apud Græcos interdum malitia, pro vexationibus & læsuris, non pro malignitatibus ponuntur. sicut & in isto articulo.*

Testis est etiam Hieronymus πανίαν pro κακῶσεσι accipi, nec video cur noster reprehendatur quod dixerit malitiam diei, cum Varro, Plinius, alii laudentur, quod dixerint: *malitiam Cæli & Soli.* Nonnulla est in lectione diuersitas vt habet Lucas Brugens. in notis ad Græcum, in vulgatis μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς. Hæc vulgaris est Lectio Græcorum codicum, cuius sensus: *Curabit sua, solicitus erit de suis.* Est porro alia in codice victoriano, cuius in commentario meminimus: μεριμνήσει ἑαυτῇ *solicitus erit sibiipsi*, quæ videtur veteris interpretis fuisse, quin & veterum Patrum, Cypriani, cum in orationem Dominicam, tum lib. 3. ad Quirinum ca. 11. & Augustini lib. contra Adimantum c. 4. quorum versio habet: *Nam crastinus dies ipse cogitabit sibi.*

Atqui sensus lectionis idem vnus est vtriusque.

CAPVT VII.

Luc.6.f.37. Rom 2.a.1. Marc. 4. c. 24. Inf.21.c 21 Marc. 11. c. 24. Luc.11.b.9. Ioan. 14.b. 13. Iac. 1.a.6. Luc.6.e.31. Tob. 4.c. 16. Luc.13.e. 24. Luc.8. g. 44. Sup 3. c.10. Inf.25.a.1. Act 19.c.13 Pſal. 6. c.9. Inf.25.d.41. Luc.13.f. 27. Luc.6.g. 48. Rom.2.e. 13. Iac.1.d.22. Marc.1.c. 22. Luc.4.c. 32.

NOLITE iudicare, vt non iudicemini. 2. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? 4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? 5. Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. 6. Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis & conuersi dirumpant vos. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. 8. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. 9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? 10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? 11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? 12. Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ. 13. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. 14. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam. 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. 18. Mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. 21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. 22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor illis: Quia numquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. 24. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. 25. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. 26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam. 27. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. 28. Et factum est: cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.

IN CAPVT SEPTIMVM

ARGVMENTVM.

Variarum concionum doctrina in vnum congesta.

SAcræ concionis aut forte plurium concionum partem continet caput Septimum; Sententiæ siue κεφάλαια δόξαι & axiomata diuinæ sapientiæ recensentur, de ordine & nexu, etsi ab aliquibus certus constituatur, nihil opus est sollicitum esse. Eadem fere sunt partim infra c. 17. partim Lucæ 6. Iusserat esse misericordes & perfectos, nunc alienorum vitiorum iudices, & censores esse proh bet; Ad Deum conuerti in omni necessitate imperat; intrare per angustam portam, cauere pseudoprophetas, eos agnoscere. Non fidere sibi, nec vlli Dei dono fidere, nisi ex caritate patris voluntatem faciant. Denique ædificare domum supra petram, non arenam; atque hæc omnia non vulgari modo, sed eum auctoritate docuit, vt auditores obstupescerent. Ad Syrum textum duo tituli proponuntur. Primus à versu 1. ad 15. Feria tertia Septimanæ secundæ ieiunii. Inde ad finem, Matutinis parasceues Sabbati præcedentis ieiunium. Syriace parasceue dicitur ערבתא *Gharebetha.* quod propriè vespertinum tempus, ac proinde vespertinam orationem, & præparationem ad Sabbatum significat.

VERSVS 1.

Nolite iudicare, vt non iudicemini.

QVÆSTIO I.

An integer sit versus?

Varietas exemplarium.

§. 1. LAtina exemplaria fere habent additum; *Nolite condemnare, & non condemnabimini.* De quo lis olim fuit. Erasmus in textum irrepsisse putat; & credibile est, quia iudicare pro condemnare accipi solet. Beza in vno exemplari manuscripto legit μὴ καταδικάζετε, ἵνα μὴ οὐ καταδικασθῆτε. Maldonatus nimis breuem versum arbitratur, si hoc deleatur. Consentit nostro textui Lucas Brugensis, in notis ad Græcum & Latinum testamentum, qui illa verba in octauo codice fuisse refert, ex Luc. 6.37. adiecta. In notis ad Latinum Testam. *Hoc, inquit, Matthæi est; Lucæ cap. 6. v. 37. Et non iudicabimini: vndecumque illud huc translatum est à quibusdam: Nolite condemnare, vt non condemnemini, quamquam, vt consimile esset ei quod præcedit, mutatum sit, & non condemnabimini, cum, vt non condemnemini.*

Nostra lectio confirmatur.

Non

Non tantum enim Græca & Syra, sed & fide dignissima quæq; Latina manuscripta, cum Sixtinis Bibliis, illud hoc loco ignorant, sauentibus Tractatoribus veteribus, Hilario, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, & imperfecti operis auctore, vt & à recentioribus pleriſque omnibus præteritur.

Iudicari de re dicitur. Leue est quod Erasmus nostrum interpretem reprehendit, quasi male dixerit, Iudicabimini, id est, iudicabitur de vobis, hoc enim bene in eo refutat Beza. Non enim iudicata duntaxat causa, sed & reus dicitur. Quod si quispiam elegantiarum studiosus refugiat illum loquendi modum, facile nostrum interpretem, Græcismi, & Hebraismi imitatorem defendet. Sed nihil opus est. Priscis ita dicere licitum fuit. Gall. l.1. c.1. iudicatus debiti. Liu. l. 6. iudicatus pecuniæ. Cicero l.2. de orat. Qui iudicatum duci videt.

Hoc etiam obseruandum Syra exemplaria variare: alia habent, *& non iudicabimini*, alia, *vt non iudicemini*, illi legerunt, רלא vela, hi autem דלא dela.

QVÆSTIO II.

Liceatne iudicare?

Nemini licet nullo pacto esse refutatus. §. 1. ANabaptistarum antesignani, vt gladium, & magistratus, ita quoque omnia iudicia ex Christi male intellecta sententia sustulerunt. Eos multa dicta, factaque refutant, & hoc in primis, quod ipsi sine iudicis officio, etsi nomen refugiunt, tuti esse non possint. Quin ipsa Christi verba satis id indicant. cum ait, *vt non iudicemini*; fore enim, vt quod iudicium in alios dictarint, eodem & ipsi damnentur. Quod quidem à Deo fieri solet, sed tamen Christus exemplum è lege ciuili sumit, non omne igitur iudicii genus prohibetur, sed aliqua, quorum sunt manifestæ iniquitates.

De Deo iudicare homo non potest. §. 2. Principio quidem interdicitur omnibus hominibus, ne temere de iudiciis diuinis, promissis, & gubernatione vel disceptent, vel iudicium sibi sumant. Nihil enim in illam maiestatem contumeliosius, vel indignius committitur, quam cum homo ab ipso creatus, sui ipsius ignarus, infinitæ sapientiæ decreta ad tribunal suum reuocare, & retractare præsumit. Hoc quia frequentissimum est, crebro Paulus, & viri Apostolici reprehendunt. Ambros. 5. de Paradiso. Hilar. can. 5. Augustinus innumeris locis. Nostro quidem tempore, quo & scelera, & scelerum pœnæ in immensum creuerunt, iudices diuinorum decretorum sedent Caluinistæ: dum peccati procuratorem esse docent. Thesis 4. Piscatoris Caluiniani est, inter vndecim, quas in *paraſceue* sua recitat Vorstius. *Consentaneum est Dei voluntati, quod iniustum est, hoc est, ipsius præcepto contrarium. V.g. Homicidium Iudæorum, & proditio Iudæ.*

Caluiniani Dei iudices constituunt.

Iudex alienum Deum suorum experitur. §. 3. Quanquam hoc iudicium sit grauissimum crimen, non tamen literaliter de illo agi puto. Sed temerarium iudicium prohiberi, quo de proximo male vel suspicamur, vel sentimus, vel etiam pronunciamus. Neque enim prolatio sententiæ duntaxat, & animi definitio; sed curiosa inquisitio, suspicioque damnatur. Videatur Chrysost. hom. 24. Aug. Serm. in monte l. 2. Iudicando enim de aliis, legem de se quisque statuit; iustum est enim, vt quod iuris quisque in alterum statuerit, eo quoque ipse vtatur. Qui igitur alieni delicti rigidus censor est, talem quoque in suis peccatis experietur Deum; nec ab eo misericordiam obtinebit, quam ipse fratri suo negandam esse decreuit.

In manifesto certo, in dubiis dubie iudicare licet. §. 4. De manifestis igitur proximorum peccatis, iudicare licet, & certo statuere de certis; de dubiis dubie secundum rectam rationem. Idque non magistratui modo, sed etiam priuatis. Et magistratui quidem tam Ecclesiastico, quam ciuili, sua iurisdictio immota manet. Ita tamen vt animo paterno, & tanquam medicus, sine turbulentis animi affectibus ex æquitate legum iudiciorum sanctitatem colat. Sed maxime in priuatorum iudiciis peccatur, cum odia, inuidiæ, æmulationes, superbia, & imprimis Φιλαυτοκαυχία grande vitium, cum de alieno vitio nobis gratulamur, immiscentur. Insignis cautio est, quam nos docet Augustinus, *de temp. Dominica 3. post. Trinit.* Serm. 11. *Audiuimus Euangelistam dicentem: Fratres charissimi, nolite iudicare, vt non iudicemini. Quid est hoc Fratres, cum ipse Dominus in alio loco Euangelij dixerit. Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate: & alibi dicatur iudicium verum iudicate? Non enim sibi diuina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium quærit in conuersatione humana, dilectissimi fratres, sunt aliqua quæ rationabiliter reprehenduntur. Sunt vero quædam, quæ non sine peccato iudicantur. Aperte enim mala, & iudicari, & argui debent. Illa vero quæ ignoramus, & vtrum bono, & malo animo fiant, scire non possumus, iudicare penitus non debemus. Verbi gratia: Vides hominem frequentius ieiunantem, congaude, & noli nimiis laudare: quia potest hoc & pro humana gloria fieri. Sed & noli vituperare, quia potest & pro Deo, & pro animæ remedio ieiunare. Vidisti alium indicto publico ieiunio velle prandere, cum dilectione admone. Si dixerit pro stomachi lassitudine se ieiunare non posse, crede & noli iudicare, quia vtrumque potest fieri, vt per gulam, vel luxuriam prandere velit, & præ infirmitate ieiunare non possit.*

Iudicare licet.

In magnis autem & publicis peccatis, non modo peccatorem iudicari permittit, sed etiam exigit, vsus S. Cypriani auctoritate, quod *qui peccantem palpat, fomitem peccati subministrat.* Cum enim dedecore & suppliciis vix à peccato homines deterreantur, qualis erit rerum facies, si laudibus eo prouehantur?

VERSVS 2.

In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: Et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.

QVÆSTIO I.

An eodem iudicio iudicandi simus quo iudicamus?

§. 1. S. Augustino hæc quæstio à Deogratias delegata est, Ep. 49. q. 4. *Iam nunc deinde videamus, quale sit quod de mensura peccati atque supplicij proposuit, sic Euangelio calumniatus. Minatur, inquit, Christus sibi non credentibus, æterna supplicia. Et alibi ait: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Satis, inquit, ridicule atque contrariè. Nam si ad mensuram redditurus est pœnam, & omnis mensura circumscripta est sine temporis, quid sibi volunt minæ infiniti supplicij?*

Culpæ temporariæ æternapœna. Eandem proponunt & gentes l. 21. de ciuit. Dei. c. 15. Non conuenire temporario delicto supplicia sempiterna. Et in libris quidem de ciuitate Dei. Causam reddit cur æterna pœna sit; quia voluntas sua facta sic mensurauit, obstinata in delicto. & in Epistola. Voluntatem plecti, quæ enim iudicat sine misericordia, misericordiam non consequetur. *In eadem igitur mensura, inquit, quamuis non æternorum malefactorum æterna supplicia remetiuntur, vt quia æternam voluit haberi peccati perfruitionem, æternam vindictæ inueniat seueritatem.*

Voluntas æterni delicti, punitur æternum.

Quomodo vero non pugnet, cum eadem mensura æternitas pœnarum sic exposuit. Non esse necesse ad eandem rem omnino referre. Vrsi dicas, quod plantas, hoc decerpes, non arborem sed pomum. Er-

quod feciſti, id patieris, non enim ſi ſtuprum feciſti, ſtuprum patieris. Sed quod peccato feciſti, auferendo legem, id etiam conſequeris, vt tua vita auferatur. *Menſura proportione nō gradu eadem.* Non agi de eodem genere rerum, ſed proportione. Et ita ſane intelligi debent Chriſti verba: de viciſſitudine, non graduum paritate. Si in alios ſeuerus fuiſti, aut crudelis, in te ſeuerus erit Deus, & grauis vltor, qui multiplici ſupplicio peccata tua compenſabit, crudelitatem maiorem, maiore, minorem, minore ſeueritate. Quemadmodum in præmio etiam hauſtum aquæ frigidæ egeno datum regno cœlorum muneratur. Senſus igitur eſt, talem in te Deum experieris, qualem hominibus tute exhibueris. Amicus amicum, hoſtis inimicum, clemens clementem. Durus ſeuerum habiturus es.

§. 5. Leue eſt, & ſupra etiam monui, quod hic Beza Auguſtinum irridet, & putat: illa verba: *Nolite iudicare*, Auguſtino impoſuiſſe, vt anſam a riperet de libero arbitrio diſputandi, cum tamen ſit in Græco, μὴ κρίνετε, *ne iudicate*. Quaſi vero Chriſtus moneat, *ne iudicemus*, ſi ſciat, id in noſtra poteſtate non eſſe. Vide Bellarm. de grat. & lib. arb. l. 1. c. 2. Porro de modo iudiciorum accurate diſputat Auguſtinus Serm. citato. Quin Chryſoſt. Beda. Greg. l. 8. Ep. 45. aſſerunt nos à Domino moneri, vt nolimus, quod velle poteramus. Niſi dicamus Adonibezec non potuiſſe non reges mutilatos ſub menſam cogere. Iud. 1. aut Amanem non potuiſſe non crucem ſtatuere Mardochæo, qui ſuis machinis, artibuſque captus eſt, & conſentaneum factis finem ſortitus.

Qui vetat iudicare id eſſe in hominis poteſtate docet.

Ταῖς αὐτῶν τέχναισιν ἁλὼς ἅπαντες ἁπῆξε.
Οἷος ἀνὴρ ἔρξῃ τοῖον τελέσσεται οὖδος ἰκάνει.
Artibus ſuis quiſque quas exercuit, capitur.
Qualia quiſque opera facit, talem finem aſſequitur.

Ne illi quidem eo improbitatis venerant, vt in Deum ſcelera illa referrent. Optime Adonizebec. Iud. 1. 7. ſeptuaginta.

Eadem ſententia Iudæi vtuntur in Thalmude, de ſuſpecta vxore המקנא hamecanne, & in ſanhedrin tract. 1. de iudicibus. vbi ſic effertur. במדה שאדם מודד בה מודדים לו *In menſura qua homo metitur in ea, metiuntur illi.*

§. 6. Quod dicit ἐν ᾧ, in quo, imitatione dialecti Hebraicæ factum eſt: Latini & Græci ſine præpoſitione ornatius loquuntur. Non eſt comparatio in iudicii malitia, vt dixi, ſed ſeueritate. Non enim qui temere ad alios iudicandos, calumniandoſque protumpunt, temere à Deo iudicantur, ſed ſumma ſapientia, & æquitate; Nam ſi ſimile, aut grauius in te delictum inuenitur, eo quod in proximo ſeuere iudicaſti, non eſt dubium, quin in eodem te quoque condemnaris. Atque hoc eſt, quod ait, qua menſura menſi fueritis. Hebræum eſt Prouerbium מדה כנגד מדה *Midda keneget midda. menſura è regione menſuræ.* Eadem inquam, menſura; ſed proportione maiore: Qui a hoc ipſum, iudicaſſe alium, peccatum eſt. Ignoſcas igitur aliis multum, tibi nihil.

Temere iudicans prudenter iudicatur.

Egomet mi ignoſco, Mauius inquit,
Stultus, & improbus hic amor eſt, dignuſque notari.
Quid tua peruideas oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut ſerpens Epidamius?

Iudicium igitur dabatur, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo crimine.

VERSVS 3.

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui & trabem in oculo tuo non vides?

Verſus 4. Aut quomodo dicis fratri tuo: ſine eiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo.

Verſus 5. Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.

QVÆSTIO I.

Quid trabs & feſtuca?

§. 1. FEſtuca ſeu κάρφος, eſt minimum ligni ramentum, quod digitis oculiſque, interdum etiam ſine doloris ſenſu, inſigitur, à ſiccitate ita dicta Græcis. Eâ minuta peccata ſignificantur. Chryſ. hom. 24. vocat leuiſſima. S. Auguſt. hom. 16. cum feſtuca oſtendit manere caritatem, ideoque iuſtitiam, exemplum ponit iram: *Nam & filijs noſtris quandoque iraſcimur, ſilios vero odiſſe, quis inuenitur? Nec damus aliter filijs diſciplinam, niſi aliquantum iraſcendo, & indignando, nec tamen daremus diſciplinam niſi amando.* Feſtuca igitur Auguſtino eſt leuis iræ commotio, quæ amando punit delicta, ne indulgendo oderit. Certe inter feſtucam, & trabem tanta eſt ex natura rei differentia, vt feſtuca leuiter portari queat, trabs autem ſit importabilis, & non ſolum oculum deſtituat, ſed etiam totum corpus hominis opprimat, ſi illi imponatur. Si autem omnia æterna morte digna eſſent, quis credat quædam ita extenuari? *Feſtuca parua, trabs magna peccata.* *Feſtuca caritatem manet.*

Occurrit tamen Pareus contra Bellarminum. Non extenuat peccata, ſed perſtringit hypocritas, qui cum ſint mortali crimine obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt. Culicem liquantes, & camelum glutientes.

Reſpondeo; Non eſt hoc ſoluere nodum, ſed reſtringere. Nam 1. mortalia hypocritarum opponit minoribus fratrum, quæ concedere fratribus debent hypocritæ, non autem recte mortalia opponuntur concedendis, ſi & hæc morte digna ſunt, nec feſtuca eſt, ſed trabs ferrea ob quam millies, millies ignes debentur æterni, ob quam merito, mundum funditus Deus euerterit. vt Beza docet. 2. Hic ſaltem quod ante negabat proportio iuſtituitur peccatorum, mortalium in hypocritis, minorum in fratribus, ergo & in priori ſimili, quocirca aduerſarius illud etiam huc retulit. *Liquantes culicem, camelum glutientes.* 3. Mortalium & Venialium ex natura diſcrimen apparet, dum feſtuca leuis, moleſtans, non excæcans, trabi opprimenti, occidentique confertur. Argumentum autem Cardinalis eſt ab Auguſtino Hom. 16. de Verbis Domini. *Multum intereſt inter turbatum oculum, & extinctum. Feſtuca turbat, trabs extinguit. Et Sermone 202. de tempore. Quid tamen feſtuca ſignificet videamus? Subita enim iracundia feſtuca eſt, ira vero quæ in longum tempus protrahitur, dum per odium falſis ſuſpicionibus nutritur, trabs efficitur.* Et paulo poſt: *Nam cordis oculum feſtuca turbat, trabs excæcat.* Et, *ſecundum hæc ergo per ſubitaneam iram cordis oculus turbatur, per odium lumen caritatis exſtinguitur.* Nunc dic Auguſtino, non extenuat, non comparat peccata, omnia ſunt mortalia. *Peccata æterna mortalium non eſt feſtuca.* *Feſtuca turbat, trabs exſtinguit caritatem.*

Neque Dei gloriam quærit tanta peccatorum exaggeratione aduerſarius, quantum in ſe eſt, illam cum animarum ſalute penitus peſſundat. Non enim modo peccata, ſed ipſum lumen cordis, ipſa caritas ex eius mente feſtuca, imo trabs eſt, oculum excæcans, corpus opprimens.

Redarguitur quidem prompta hypocriſis ad a-

lios re-

alios redarguendos, sibi enim illa secura videtur. Non enim videmus manticæ quod in tergo est.

Πάντες γὰρ ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοὶ
Αὐτοὶ δ' ὅταν σφάλωμεν, οὐ γινώσκομεν.
Omnes quidem sumus in aliis monendis sapientes.
Cum vero nos labimur non cognoscimus.

Sed tamen peccatorum in se diuersitas ostenditur, quod alia sint in iustis, alia non nisi in improbis.

§. 2. Non video qua fronte hæc legant illi, qui manere, & tegi peccata volunt. Impudentiores certe illo ipso δονοφόρῳ, qui festucam educere tentat. Nam ille ex fratris oculo, quod offendit eximere tentat, hic manere trabem vult, & tegi ne videatur. Contenditque quamuis vasta mole infixa hæreat, non tamen sibi imputari, infixa stridet in vulnere, tumque oculum excœcat. Verum & illud hominibus perfrictæ frontis obiiciendum est. Eos ita iudicate: Omnia sua Caluinistarum scelera esse festucas, non imputari, iustitiæ lumen non exstinguere. Omnia aliorum esse trabes, quia imputantur. Itaque si Catholicus immoderate riserit, trabs est, si Caluinianus bella iniqua concitauerit, Turcas, Tartarosque in Christianos adduxerit, festuca est.

Omnia scelera Caluinianorum festuca, omnia bona facta aliorum trabes.

QVÆSTIO II.

An monere possit alium qui in simili peccato est aut maiore.

§. 1. QVæstio disputatur à S. Thoma 2.2.q.33.a.5. Constat vero eum qui prælatus est, subditorum peccata emendare oportere, etiam si multo maioribus obnoxius sit. Non enim sua obligatione soluitur peccando. Quod si occulta sint eius peccata, monendo alios, se negligendo delinquit. Si manifesta, ipsam correctionem despicabilem facit. Officium itaque illius est, se diligentissime, alios diligenter corrigere. Ita Chrysost. Aug. Toletus. Quibus omnibus in correctionibus locum habet, quod Hebræi in Sanedrin dicunt. קשוט עצמך ואחר קשוט אחרים. *Exorna corpus tuum, deinde orna alios.* Quid enim homini prodest, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?

Monere alios etiam peccator potest, & admonendo debet.

VERSVS 6.

Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis & conuersi disrumpant vos.

QVÆSTIO I.

Qui canes, & porci, & quomodo illis sancta danda non sint?

§. 1. SAnctum & Margaritas pro eodem accipio, doctrinâ Euangelii, & mysteriorum expositione. Sanctum igitur, seu vt alia exemplaria habent τὸ ἅγιον, est Euangelium, Sacramenta eius, & Mysteria Margaritam à splendore. Syrus vocat מרגניתבין Marganitechun. *Margaritas vestras.* Dictus est Vnio cuius summum pretium semper fuit Plin. l. 9. cap. 35. Canes maledici, auari, irrisores. Prouerb. 9. 7. Porci vero ἀναισθήτοι, insensati, Epicurei. Alludit igitur Dominus ad carnes sacrificiorum, quas non nisi mundi edebant Leu. 10. 24. & 24. 9. Canes vero & animalia immunda excreationi erant in Prouerbio, Deutero. 23. 18. Canis merces vetatur offerti, & Leu. 11. 26. Inter execranda etiam refertur excerebrare canem: Et Abner in indignatione clamat: *Nunquid caput canis ego sum.* Vt igitur nullus cani locus, aut pars in sacrificio, ita nec impudentibus illis & improbis Euangelii gratia est facile proponenda. Multo minus porcis, qui adeo ingrati sunt, & importuni, vt nisi escam illis proiicias, dilacerent dantem. Rumpere autem seu dirumpere porci dicuntur: *Seu rupit teretes Marsus aper plagas.* Horrebant porcos non Iudæi modo, sed multo etiam magis Ægyptii, vt si quis porcum tetigisset, mox flumine se ab ueret. Herodot. Quin & subulcos templis arcebant. Gentes quoque sacris arcebant prophanos. ἐκὰς ἐστω βέβηλοι, *procul este prophani.* Sic interpretatur S. Cyprianus ad Demetrianum. *Oblatrantem te, & aduersus Deum, qui vnus & verus est, ore sacrilego & verbis impijs obstrepentem, frequenter Demetriane contempseram verecundius, ac melius existimans errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam prouocare. Nec hoc sine diuini mysterij & nominis authoritate faciebam, cum scriptum sit: In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne quando audierit irrideat sensatos sermones tuos. Et iterum. Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis fias illi: & sanctum quoque inbeamur intrà conscientiam nostram tenere, nec conculcandum porcis & canibus exponere, loquente Domino, & docente. Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos; ne conculcent eas pedibus, & conuersi elidant vos.* Et Cyprianum imitatus S. Ambr. in Psal. 118. *Propterea ergo mysterium regis bonum est abscondere. Peccat enim Deo qui commissa sibi mysteria putauerit indignis esse vulganda. Periculum itaque est non solum falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet, quibus non oportet. Quod vitium quadripertitum est, vel adulationis, vel auaritiæ, vel iactantiæ, vel loquacitatis incautæ; quia dum adhuc adulari vult aliquis ei cui loquitur, effundit mysterium. Nonnulli etiam studio lucri mercedem proditionis sequuntur, vt legenda silentio vendant loquendo. Alij, vt plura nosse videantur, & scientiam suam iactitent, aperiunt quod celare deberent. plerique dum sine iudicio loquuntur, verbum emittunt, quod reuocare non possunt.*

Cur improbi non monendi.

Quatuor modis vitiose mysteria effunduntur.

§. 2. Tertullianus eodem modo interpretatus, inde consuetudinem fluxisse ostendit, Gentiles & catechumenos Christiana mysteria celandi. cap. 2. ad vxorem. *Nolite inquit margaritas vestras porcis iactare ne conculcent ea, & conuersi vos quoque euertant. Margarita vestra sunt quotidianæ conuersationis insignia. Quanto curaueris ea occultare, tanto suspectiora feceris, & magis cauenda Gentili curiositati. Latebis ne tu, cum lectulum, cum corpusculũ tuum signas, cum aliquid immundum flatu expuit, cum etiam per noctem exurgis oratum, & non Magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? & si sciuerit panem, non illum credit esse qui dicitur.* Et l. de præscriptionibus aduersum Hæreses, grauiter eos increpat, qui hanc disciplinæ partem negligebant.

Mysteria celabantur catechumenis.

In primis quis Catechumenus, quis fidelis incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici si superuenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non tæ veras iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant, pacem quoq; passim cum omnibus miscent.

Disciplina Ecclesiastica celare mysteria.

§. 2. Nõ est eo in loco promulganda Euangelii doctrina, vbi nulla est vtilitas. Sic Act. 13. 46. Antiochenis in Pisidia non prædicatur Euangelium. Nam cerebro quicquid hominibus improbis annunciatur, stultitiæ est illis. 1. Cor. 2. 14. Hincabire & pulueremexcutere iubentur. Luc. 10. & Actor. 13. id faciunt. Nec tamen contrarium Christus fecit, cum Scribas & Pharisæos instruxit. Nam quamuis magna pars animis obstinatis gratiam repudiarint, multi tamen conuersi effecerunt, vt labor ille propositum teneret.

improbis interdum aperiuntur, propter bonos missis.

§. 4. In explicatione doctrinæ salutaris, id præ-

cipue videndū, vt ita proponatur, ne ante explodatur, quam intelligatur. Itaq; sensim, & à clarioribus, seu à quibus minus abhorrent, ad interiora progrediendum est. Id quod architecti solent, dum nouas substructiones moliuntur, veteres dissoluunt; ita Apostolus Paulus Athenis atq; alibi, de vanitate deorum, disputat, vt damnata opinione priore, nouæ fidei parentur. Cuius rei neglectus, propagationem fidei remorari solet.

§. 5. Augustinus libro de adulterinis coniugibus, l. 1. de dando baptismo illis, quorum de voluntate ambigitur, his ex verbis decernit. S. Cyprianus margaritas proiici ante porcos arbitratur, si lapsis, non digne pœnitentibus pax detur, si eam importunitate extorqueant, non humilitate & lacrymis exoratam habeant. Verba Cypriani sunt.

Animaduertimus enim, te congruente censura, & eos digne obiurgasse, qui immemores delictorum suorum pacem à presbyteris per absentiam tua festinata & præcipiti cupiditate extorsissent, & illos qui sine respectu Euangelij Sanctum Domini canibus, & margaritas porcis profana facilitate donassent, cum grande delictum, & per totum pene orbem incredibili vastatione grassatum, non oporteat nisi, vt ipse scribis, caute moderateq; tractari, consultis omnibus Episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus, & ipsis Stantibus Laicis, vt in tuis literis & ipse testaris, ne dum volumus importune ruinis subuenire, alias maiores ruinas videamur parare.

Quantum ille à nostrorum temporum licentia abhorruerit, res ipsa docet; vt vix magni peccatores admonitionem; nedum reprehensionem & pœnitentiam sustineant.

Porro Augustini definitio in vsu Ecclesiæ hodie permanet, Sacramenta enim dantur, cum petiisse præsumitur. Verba Augustini ascribere visum est, multis profutura.

CATECHVMENIS *ergo in huius vitæ vltimo constitutis si morbo seu casu aliquo sic oppressis sint, vt quamuis adhuc viuant, petere sibi tamen baptismum vel ad interrogata respondere non possint: prosit eis quod eorum in fide Christiana voluntas iam nota est, vt eo modo baptizentur quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Non tamen propterea damnare debemus, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conseruo credita improbius quam cautius iudicare voluisse iudicemur. Satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli, vbi dicit: Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus. Sunt enim quo velin his vel etiam in aliis obseruandum putant, quod dixisse Dominum legimus, Nolite sanctum dare canibus, neque proieceritis margaritas vestras ante porcos. Et ista Saluatoris verba referentes, baptizare non audent eos, qui pro se respondere nequiuerint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est vsus. Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ huius baptizari catechumenum velle, verum etiam si voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare: vbi velit, an nolit sic non apparet, & tamen credibilius sit eum si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire. Si autem Dominus vbi ait, Nolite dare sanctum canibus, hoc quod isti cauendum putant, vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset, quod in suam illi perniciem, sine culpa dantis, cum digno indignus accepit. Vnde cum hoc diceret Dominus, credendum est significare voluisse: quod lucem intelligentiæ spiritalis immunda corda non portant. & si portanda ductor ingesserit, quia non recte accipiunt, quia non capiunt, vel reprehensionis morsibus lacerant, vel contemnendo conculcant.*

VERSVS 7. & 8.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

QVÆSTIO I.

An omni petenti detur?

§. 1. NOn solis Apostolis, sed cunctis Christi fidelibus illa facta est promissio. *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum; quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* 1. Ioan. 5. 14. Verum multi multa petendo, nihil obtinent, cuius rei causa est, vel in re quæ petitur, vel in petentibus. D. Thom. 72. q. 85. a. 15. Aug. tract. 7. in Ioan. Si enim bona petamus fluxa, caduca, nocitura, prudentis est, negare. Odium est dare quod sit accipientibus exitio, charitas id omnino negare. Non est Deus funesti muneris auctor, sed vota imprudentia corrigit, sæpe pœnam pro munere poscimus. Romanus sapiens l. 2. de beneficiis. *Rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile est odium: beneficium demus, quod vsu magis, ac magis placeat, quod nunquam malis vertatur.* *Cur aliqua non dentur petentibus.*

§. 2. Interdum petita negantur, vel quia peccata petentium Dei largitatem auertunt, vel qu a languide, distracte, cum tædio, & fastidio postulantur. Tot nos mala premunt, omnes ad nouas calamitates commouemur, at quotus quisque cum lachrymis orationi se dedit? veniam deprecatur? *Hanc ob causam serium orandi studium nobis Deus imperat. Petendi enim, quærendi, pulsandi, verbis, perseuerantiam, & feruorem indicari docet,* Augustinus lib. 1. de retr. c. 19. *Qui autem quærit cuncta alia mente proiiciens, sedulo in vnum illud intendit, quod requirit. Nam longe melius ad instantissimam petitionem hæc omnia referuntur.* Quamuis l. 2 serm. in monte. Petitionem ad sanitatem iudicii, inquisitionem ad veritatis inuestigationem, pulsationem ad perseuerantiam referat. Feruorem & perseuerantiam Deus præcipue exigit. Cum enim dona sua tardius impertitur, cunctatione eorum præstantiam commendat, ne si celeriter offerantur, cito data vilescant, atque ita amittantur; arctissime tenetur, quod laboriose obtentum est. Semiat interdum munera Deus, vt opportunius det, quæ citius data homo perderet. Melius consulitur illi, cui pecunia in tuto posita post interuallum datur, quam illi cui per pericula ferenda repræsentatur. *Qui negatum petunt.* *Deus differt vt non det.*

QVÆSTIO II.

An recte de nouâ fide inquirendum docuerint hæretici?

§. 1. QVi nouum paraclitum, nouam fidem tempore Tertulliani inducebant, vetera retractabant. Curiositatem suam Domini verbis defendebāt. Quibus optime respondetur: post Christum, post Apostolos nihil opus esse noua curiositate, data est doctrina, inuentum est Euangelii margaritum, apertum est ostium, Christus ipse, ostium euidens. Nemo noua quærit, nisi vetera qui perdidit, nemo pulsat, nisi qui foris est. Sed Tertullianum l. de præscriptionibus aduersus hæreticos audiamus. cap. 7. [Nobis curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Euangelium. Cū credimus nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod *Veteres hæretici nouam dem*

vltra

vltra credere debeamus. Venio itaq; ad illum articulum quem & nostri prætendunt ad incundam curiositatem, & hæretici inculpant ad importandam curiositatem. Scriptum est, inquiunt: *Quærite, & inuenietis.* Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur. Puto in primitijs ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset. Et cum adhuc nec Petrus illum Dei filium pronunciasset, cum etiã Ioannes, de illo certus, esse desisset. Merito ergo tunc dictum est, *Quærite & inuenietis*, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat: & hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim pertinet totus sermo sugillationis istius, qui habebant vbi quærerent Christum. Habent, inquit, Moysen & Heliam, id est, Legem & Prophetas Christum prædicantes: secundum quod & alibi aperte: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas*, in quibus salutem speratis. *Illæ enim de me loquuntur.* Hoc erit, *quærite & inuenietis.* Nam & sequentia in Iudæos competere manifestum est, *Pulsate & aperietur vobis.* Iudæi retro penes Deum fuerant, dehinc electi obdelicta, extra Deum esse cœperunt. Nationes vero nunquam penes Deum, nisi stillicidium de situla, & pulvis ex area; & foris semper. Itaque qui foris semper, quomodo pulsabit eo vbi nunquam fuit? quam ianuam nouit, in qua nec receptus, nec electus aliquando? An qui scit se intus fuisse & foris actum, is potius pulsabit, & ostium nouit? Etiam: *Petite & accipietis*, ei competit, qui sciebat à quo esset petendum, à quo & erat aliquid promissum, à Deo scilicet Abraham, Isaac & Iacob, quem nationes non magis nouerant quam nullam repromissionem eius. Et ideo ad Israel loquebatur: *Non sum* inquit, *missus, nisi ad oues perditas domus Israelis.* Nondum canibus iactabat panem filiorum: nondum in viam nationum ire mandabat. Si quidem in fine præcepit, vt vaderent ad docendas & tingendas nationes; consecuturi mox Spiritum sanctum paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem. Et hoc erga illos facit. Quod si nationibus destinati Doctores Apostoli, ipsi quoque Doctorem consequuturi erant paracletum; multo magis vacabant erga nos: *Quærite & inuenietis*: quibus vltro erat obuentura doctrina per Apostolos, & ipsis Apostolis per Spiritum sanctum.

Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quæ per aures Iudæorum ad nos transierunt; sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum. Cedo nunc sponte de gradu isto: omnibus dictum sit, *Quærite & inuenietis*; tamen & hic expetit sensus certæ interpretationis gubernaculum. Nulla vox diuina ita dissoluta est & diffusa, vt verba tantum defendantur, & ratio verborum non constituatur. Sed in primis hoc propono: Vnum vtique & certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omni modo debeant nationes, & idcirco *quærere*, vt possint cum *inuenerint* credere. Vnus porro & certi instituti, infinita inquisitio non potest esse: quærendum est donec innenias, & credendum vbi inueneris: & nihil amplius, nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insuper credis, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum id inueneris & credideris quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum quam quod instituit. De hoc quidem si quis dubitat, constabit penes nos esse id, quod à Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis præuenio, admonens quosdam nihil esse quærendum vltra quod crediderunt, id esse quod *quærere* debuerunt: ne, *Quærite & inuenietis*, sine disciplina rationis interpretentur. Ratio autem dicti huius in tribus articulis constitit: In re, in tempore, in modo. In re, vt quid sit quærendum consideres. In tempore, vt quando. In modo, vt quousque. Igitur quærendum est, quod Christus instituit, vtique quam diu non inuenis, & vtique donec inuenias. Inueniſti autem cum credidisti. Nam cum credidisses, si non inuenisses, sicut nec quæsisses, nisi vt inuenires. Ad hoc ergo quæris vt inuenias, & ad hoc inuenies vt credas. Omnem prolationem quærendi & inueniendi credendo fixisti, hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi. Hanc tibi fossam determinauit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quærere. Cæterum si quia alia tanta ab alijs sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus, in quantum possumus inuenire, semper quæremus, & nunquam omnino credemus. Vbi enim erit finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? sed & Valentinus proponit: *Quærite & inuenietis.* Apud Valentinum? sed & Apelles hac me pronunciatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Ero itaque nusquam, dum vbique conuenior: *Quærite & inuenietis*: & velint me sic esse nusquam, quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit; quod quæri oportet, quod credi necesse est. Impune erratur, nisi delinquatur, quamuis errare delinquere est. Impune, inquam, vagatur, qui nihil deserit. At enim si quod debui credere credidi, & aliud denuo puto requirendum, spero vtique & aliud esse inueniendum, nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non crediderat qui videbat credidisse, aut desij credidisse. Ita fidem meam deserens, negator inuenior. Semel dixerim nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideo quærebat: vbi tamen inuenit, quærere desijt. Panem vicinus non habebat, & ideo pulsabat: vbi tamen apertum est ei, & vt accepit, pulsare cessauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur: Sed vbi audita est, hactenus institit. Adeo finis est, & quærendi, & pulsandi, & petendi. *Petendi enim dabitur*, inquit, *& pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur.* Viderit qui quærit semper, quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquam aperietur. Illic enim pulsat, vbi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur. Ab eo enim petit qui non audit. Nobis etsi quærendum esset adhuc & semper, vbi tamen quæri oportet? Apud Hæreticos? vbi omnia extranea & aduersaria nostræ veritati; ad quos vetamur accedere: Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Quis miles ab fœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donariuum & stipendium captat? nisi plane desertor & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat: etiam pulsator ille vicini ianuam tundebat: etiam vidua illa nõ mimicum, licet durum iudicem interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris & de nostro; idque duntaxat quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire.]

Hæc ille ad eos qui de rebus creditis, iudicatis, manifestis, perpetuas mouebant quæstiones, & veri quærendi prætextu hæreses inducebant; hominumque fidelium fidem pulsando concutiebant.

§. 2. Insignis doctrina est Tertulliani, omnibus omnium nouitatibus opposita; vtitur eadem ratiocinatione Epiphanius, & lib. 1. cap. 1. Irenæus. Ingenium enim hæreticorum est allicere simpliciores suadenter per verborum artem. Magdeburgenses hoc detorquent ad inquisitionem in scripturis; verum negat Tertullianus post Euangelium inquirendum, *sic dum*

Quærendum Christus non nouum esse docuit.

Nemo nisi monitus pulsat.

Errare pro nihil deserit. vagari accipit.

Si veritas quæritur, non est quærenda apud hæreticos.

Non semper est quærendum.

Ratio quærendi quibus consistat.

Qui credidit, inuenit.

Ex fide fit infidelis,

negauit paulo ante scripsisse Christum, aut id Apostolis commisisse. Quid vero certius, quam eum qui in Euangelium à maioribus acceptum credidit, iam inuenisse Christum? Quid absurdius, quam post annorum mille sexcentorum religionem, & martyria iterũ retractare Christum? Deinde si quærimus cur apud hæreticos si apud eos, cur potius apud eos, quam illos? Maneat ergo fixum quod c. 30. idem asserit. *Id sine dubio tenendum quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit.*

VERSVS 9. 10. 11.

Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. Omnia ergo, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines: & vos facite illis: Hæc est enim lex & Prophetæ.

QVÆSTIO I.

An, quia hominum parentes mali, ideo peccatum sit concupiscentia?

§. 1. COmparatio hac in re sistit. Si patres, qui boni non sunt, naturæ tamen ductu, & insita σοργῇ affectu quæ filijs bene faciunt, cur non id faciet pater cœlestis, naturâ ab æterno, & in æternum bonus? Argumentum ex eo est, quod natura, atque adeo ordinariè fieri solet. Aliquando furor, iraque mentem eripiunt, & parentis animum expugnant, vt cum Medea pueros trucidat. & Oedipus optat καλκῷ διελέσθαι τὼ υἱὼ, ære diuidere filios, illa tamen immanitas in paucis inuenitur. & in solo homine; nam, bestiæ ferocissimæ fœtus suos ardenter amant; nam tigri tigris, & leunculo leęna mansuetum immurmurat.

Ordinarius est amor parentum in libros.

§. 2. Primus Kemnitius hunc locum ita exposuit, vt concluderet, concupiscentiam esse peccatum. Verum cum ridicula sit consecutio: *Vos estis mali, concupiscentia igitur est peccatum* in subsidium vocauit Hilarium, quem citat Augustinus l. 2. contra Iulianum c. 8. *Rursus*, inquit, *in eodem sermone, ipsis*, inquit, *Apostolis verbo licet iam fidei emundatis, atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis Originis, docuit dicens: si Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris.* Hæc Hilarij verba ab Augustino aliũ in sensum citata.

Homines mali sunt, non ideo concupiscentia ipsa peccatum.

Hoc quidem loco nullum pro illa hæresi verbum fingi potest. Apostolis ait non deesse malitiam, quod vltrò damus, dicente illo quem diligebat Iesus: si dicimus, quia peccatum non habemus, mentimur. Peccata illa non erant concupiscentia, sed opera concupiscentiæ: veri nominis peccata: nam legimus verè Petrum reprehensibilem fuisse, Paulum & Barnabam dissensione seiunctos. Alia Hilarij verba ab eodem Augustino citata plus in speciem habent coloris, sed nihil pro hæresi faciunt. *Memores*, inquit, *& conscij, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiam, pro qua polluti & sordidi nihil in vobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cuius concertatione, quodam concertationis nostræ bello dimicemus.* Hic vrgent illud, quod pro materia nihil innocens, nihil mundum habere dicat.

Apostoli actualia peccata habebant.

Illa tamen nunquam ita Augustinus interpretatus est, vt dicere non putaret Hilarium, vera esse peccata concupiscentias, sed duntaxat pro materia illa corporum nos pollutos esse, ex ea nihil mundum habere. Ita eum sentire verba adiuncta docẽt. Gaudeamus nobis esse hostem, in cuius concertatione, quodam concertationis nostrę bello dimicemus. Idem in Psalmum 1. *Et ad hæc quidem nos vitia naturæ*, inquit, *nostræ propellit instinctus, sed vtile est nos à via hac, ad quam ferimur abscedere, neque consistere illic*, adhibito decedendi ex ea non morosо recursu. Et idcirco: *Beatus vir qui in Via peccatorum non stetit: natura quidem in viam hanc ferente, sed ex via hac fidei religione referente.* Denique *victoriâ nos mundari* ille docet, quod fieri non posset, si concupiscentia peccatum esset.

Ex materia corporum nihil mundum habere.

Vrget tamen Pareus. *Hilarius mundos nos esse posse in morticini huius corporis habitaculo aperte negat. Ergo plenam munditiem non habent baptizati.*

Respondeo, Verba Hilarij: *quia lex*, inquit, *Vmbra est futurorũ bonorum, idcirco per hanc præfiguratam significationem docuit nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per ablutionem Cœlestis misericordiæ emundationem consequamur post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri, effecta glorioſiore natura.* Quasi vero id inde sequatur, nos mundos in hac vita non esse, ideo concupiscentiam esse peccatum. Augustinus ideo adduxit, non vt ostenderet concupiscẽtiam peccatum esse, sed doceret, *Vbi perfectionem sperare oporteat.*

Nemo mundus misericordia diuina tione.

Quis vero vnquam, nisi Pelagianus aut opinatus est, aut dixit; nos sine ablutione diuinæ misericordiæ mundos esse? Quis vero ante resurrectionem, qua demutamur, mundos nos esse docuit? Etsi enim iusti sunt sine mortali peccato, venialibus tamen vrgentur, & quotidie peccant, & graue est illis, non modo si cõsentiant concupiscentiæ, sed quod omnino etiam inuiti eius stimulos sentire coguntur.

VERSVS 13. 14.

Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionẽ, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.

QVÆSTIO I.

Via quæ Angusta porta?

§. 1. VIta temporalis porta; finis, vitæ, aut etiam vita ipsa, angusta vita sanctorum. arcta via τεθλιμμένη, compressa, non multitudine premẽtium, sed multitudine aduersitatum. Nazianzenus cur angusta sit rationem reddit. στενὴ διὰ τὸ ἰδρῶτας, καὶ τὸ μὴ πολλοῖς εἶναι βατὴν, ὡς πρὸς τὸ πλῆθος ἐναντίων, καὶ ὅτι διὰ τῆς κακίας ὁδεύεται. In Græco ὅτι στενὴ, alij, τίς στενὴ. Lata est autem, & spaciosa quæ ducit ad mortem. *Angusta est propter sudores, & quia non multis peruia, & in multitudine est contrarium, quæ per malitiam ambulat.*

Via angusta porta angusta.

Quam angustam, noster legit, πῶς στενὴ, non, ὡς στενὴ, vt Erasmus putat, Theoph. vt noster legit. βαβαὶ πόσον ἐστὶ στενὴ. Syrus ܐܝܟ Ma. id est, Quam. Hic igitur seruandum, quod prouerbio monemur. μὴ ἔστω τὴν λεωφόρον

Non seruandum quendiu popularem

ges, non in via publica, plurimi enim mali sunt, ideo & ratio eorum viuendi damnata est. Hinc illa de biuio Herculis apud Xenophontem lib. 2. ἀπομνημάτων, & Cicer. 2. officior. præclara. Et apud Hesiodum τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. *Virtutis sudorem ijs conspectu diu posuere.*

Nam reuera recte viuit, non qui populum, & communem morem sequitur, sed qui rectum & legem recti conciliatricem, mali damnatricem amplectitur.

Angusta porta non inducta salutis sine vllo operibus.

§. 2. Ne hic quidem locus à mala hæreseon manu intactus fuit. Chytræus angustam portam esse interpretatur, *fidem quæ verbum Dei amplectitur.* Mirum omnia quæ vsquam sunt fidem illis esse videri. Si fides est via angusta & arcta porta, nihil illis angustijs est patentius, nihil arctitudine spatiosius. Simul enim fiduciam conceperunt, se iustos esse, se prædestinatos, nihil peccati sibi imputari, certissimi sunt se beatos fore, atque ita per omne flagitiorum cœnum volutati, per amœna omnium voluptatum ingressi, iustitiam retinere se putant. Quæ hic angustia, vel fidei, vel patientiæ, vel operum. Non premuntur sed in *puluinari securitatis Christianæ seruntur.*

Via angustia vt recipit operis erogationem.

§. 3. Alij apud Bellarminum lib. 2. de Monachis c. 13. Arcta est via, angusta porta, nemo igitur plus facit, quam facere teneatur, non igitur vlla sunt opera erogationis. Huius quidem consequentiæ nullus est nexus. Etsi enim arcta via est, in ea tamen aliquid fieri potest, quod imperatum non est à Domino. Id vero dicimus opus supererogationis. Arctissima via ibat vas electionis Paulus, omnium malorum imminentium conflictu agitatus, nec deerat tamen opus erogationis. Interea enim omnia Euangelio seruiens de Euangelio non viuebat, & illis abstinebat, quorum potestatem se habere profitebatur, & quibus collegæ Apostoli vtebantur.

Ecclesia multos habet.

§. 4. Solebant hæretici sæpe se paucitate commendare vt Aug. monet serm. Domini in monte, male tamen, quia sunt extra viam. Ecclesiæ magna est multitudo, sed in ea multitudine pauci viam arctam intrant, multi latas & dealbatas sæculi vias ingrediuntur. Alia ratio est Ecclesiæ in qua boni sunt, & mali, alia singulorum. Ecclesiæ magna est multitudo, & toto orbe dispersa, & vbi illa multitudo non est, Ecclesia non est; talem enim prædixerunt Prophetæ. Singulos autem vias ingredi oportet, qua vident in ipsa Ecclesia paucos ire. Nam latam tenent Christiani carnales, vt Chrys. Aug. Hier. Epist. 14. ad Gelantiam. Spiritales autem angustam.

Non ergo hæreses angusta porta ingrediuntur, quia pauci sunt. Sed excluduntur, quia non vadunt recta via, qua pauci boni, nec lata, qua multi mali, sed inter ipsos malos semitam inuenerunt, vt quasi inter malos peculiari malitia secreti quandam efficerent sectam. Vt enim pauci boni discedunt à multis malis, ita & pauci mali, quadam eminentia, aut singularitate malitiæ sese diiungunt. Sancti Ambrosij Enatratione in Psalmum 1. Dauidis salubris est, & omnibus Christianis aduertenda admonitio.

Licet tibi eligere quos sequaris: aut iustos aut iniustos. Iustorum via angustior est, iniustorum latior. Illa sobrietatis angustior, hæc ebrietatis latior, vt possit capere fluctuantes. Hæc habet sæculi hutus illecebras, illa habet futurorum præmia. In istis fructus præsentior, in illis spes tardior. Quæ enim suauia sunt, non differunt diuturna exspectatione perfunctionem, sed habet præsentem. Quod autem serum est, labore quæritur, quod beata cognitatione vix capitur, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se.

VERSVS 15. & 16.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?

QVÆSTIO I.

Qui falsi Prophetæ & vestimenta ouium?

Vestimenta ouium quicquid exterius blanditur.

§. 1. IVbet attendere: quia via angusta & porta, non igitur omni monstratori, aut indici credendũ est. Non sunt lupinæ malitiæ signa, vestimenta ouium, alioqui & oues lupi essent, sed assumuntur, ne oues timeant. Vestimenta sunt quæcunq; apparent foris blanditiæ, promissa, verba, opera, etiam ipsa vestimenta modestiam mediocritate, vel sordibus austeritatem mentientia. Hęc à pijs doctoribus sancte, ab improbis simulate geruntur. Wolffgangus Musculus, alij alia recensent, maxime in Catabaptistis, Enthusiasmos, raptus, pertinaciam in tormentis, rerum abdicationem.

§. 2. Per pseudoprophetas Tossanus non intelligit eos qui extra Ecclesiam sunt Philosophos, Sophistas, sed eos qui in Ecclesia exurgunt. Omnes tamen eos Christus redarguit, qui boni alicuius prætextu ad seducendos populos irrepunt, qualescunq; sint, seu Philosophi, seu hæretici, atq; adeo Pharisæi, quorum vestimenta ouium erant, quorum superficies pulchra erat, professio legis, & zeli erga Deum. Totã illam μόρφωσιν *speciem* pietatis, vt Paulus appellat Tim. 3. Nihil opus illa distinctione, cum omnes illi lupi sint, cũ plurimi vestimenta ouium induant. Quod si quispiam luporum eorum, veram & genuinam descriptionem desiderat, legat Riuandri Lutherani *lupum excoriatum.*

Lupus excoriatus Riuandri.

§. 3. Lutherus, alijq; l. 1. c. 25. de Sacram: inde concludunt: omnium esse officiũ, dogmata examinare, quãuis Ecclesia Romana, Concilia, antiquitas ea probarint. Omnibus enim dici, *Attendite. &, à fructibus cognoscetis eos.*

Non omnes possunt iudicare de falsis Prophetis.

Respondet Bellarminus: Attendendum quidem omnibus, non tamen omnium esse, doctrinam pastorũ suorum ad regulam sacræ scripturæ examinate. Quod omnino certum est. Neq; enim omnium illa est peritia vt possint, & si possint, non est tamen ouium iudicare Pastores.

§. 4. Possunt quidem reuinci, si doctrina eorum serio oppugnetur; Sed tamen id non ab omnibus: sic Tertullian. l. de præscriptionibus Marcionem confutat. *Quanquam*, inquit, *& de operibus suis, vt dixit Dominus reuincuntur. Si enim Marcion nouum testamentum à veteri separauit, posterior est eo quod separauit, quia separare non posset, nisi quod vnitum fuit: vnitum ergo antequam separaretur, postea factum separatum, posteriorem ostendit separatorem. Itẽ Valentinus aliter exponens & sine dubio emendans hoc nomine, quicquid emendat, vt mendosum retro alterius fuisse demonstrat. Hos vt insigniores, & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Caterum & Nigidius nescio qui, & Hermogenes, & multi alij adhuc ambulant peruertentes vias Dei.*

Iudicare de doctrina res ardua.

Hoc difficultatem habet duplicem. Iudicare enim de doctrina, res est ardua, & paucis concessa. Ita signũ obscurissimũ est. Deinde potest falsus Propheta plurima verissimè docere, vnam aliquam hęresin veris interponere, Non erit ille verus Propheta, quia cum hæreticus sit, fidẽ non habet, & tamen à plerisque deprehendi nullo modo potest. Si Græcus aliquis omnia rectè doceat, solũ veræ doctrinæ assuat hæresin, qua negant Spiritũ sanctũ à filio procedere. Quomodo eum idiotæ cognoscent, esse malã arborẽ, in qua tot bonos fructus vident, & vnũ duntaxat malũ, sed qui vitij subtilitate fugiat ẽt sensum multorum valde eruditorum? Hoc igitur solũ possunt, vt iudicent doctrinã ex proprijs fructibus malã esse, antiquis patribus, cõsuetudine le-

ne legibus esse contrariam, nouam ideo adulterinam.

Denique non inuitat nos ad studia, & scripturas, sed ex fructibus cognoscetis eos, ait. Fructus ergo seu effecta docebunt. Neque enim si quis de arbore bona interroganti respondeat; Ex fructibus eas cognosci; ille ad antiqua scripta interrogantem relegat, sed experientiam pomorum. Denique de nouis Pseudoprophetis noua docentibus, vetera reiscientibus, sermo est. Qui ipsi veniunt, non missi, sed obtrusi.

Nemo hactenus nouorum hæreticorum se missum ostendit, omnes irruperunt. Neque nunc cum aberrantibus constituuntur, mittuntur, sed veniunt. Non Domini voluntate præfecti, sed iniusta vsurpatione animarum tyranni.

VERSVS 17.18.19.20.

Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autẽ arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala, bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

QVÆSTIO I.

Quæ arbores, quinæ fructus?

§. 1. LOcus ille, si vllus alius, multis interpretationibus obscuratus est, multæ sub illa arbore hæreses latuerunt, quibus folia decutienda sunt vt appareant: & veritas vincat.

Arbor bona fidelis, mala infidelis.

Initio quidem arbor bona secundum quosdam est homo fidelis: mala, infidelis, seu malam fidem habẽs. Fidelis ex natura veræ fidei non operatur malè. Naturâ enim bona fides fructus bonos facere solet. Mala etiam ex motiuo infidelitatis non potest bonos fructus ferre, qua sic operatur. Sic Maldonatus noster, alijque.

Arbor mala falsus Doctor; vera, bonus.

Altera expositio est: Arborem malam esse falsum doctorem; bonam, Verum. Et de doctrina duntaxat agi, non de moribus. Ea expositio multorum est Catholicorum, & aduersariorum.

Arbor bona, voluntas bona mala est mala.

Tertia est, S. Augustini, arborem bonam esse bonã voluntatem, malam autem esse malam.

Atque ex hisce interpretationibus de tota sententiã statuendum est.

Fides ex se bonos, infidelitas naturâ malos producit.

§. 2. Probabilis est expositio Maldonati nec fauet vlli hæresi, sed omnium obiectiones facile soluit. Agi enim de fide constat, quia dixerat: *attendite à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium.* Nec tollitur ea expositione liberum arbitrium, nec consequitur non posse vel infideles aliquid boni, vel etiã fideles aliquid mali agere: Sed ostenditur quid naturæ cuiusque conueniat, qua tales sunt; nam fructus ex radice viuæ fidei enati, mali esse nequeunt, nec boni, quos infidelitas ipsa ex se parturit. Licet fidelis aliquando ex infirmitate vitiosos, infidelis ex rationis ductu bonos fructus proferat.

§. 3. Maldonatum impugnat hic Daniel Tossanus; obijcit enim Augustinum, l. 4. contra Iulianum, c. 3. & l. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 5. contẽdere opera impiorum omnia mala esse. Id aliquando sensisse Maldonatum, & auctorem Augustinum putasse. Nũc sententiam ob Concilij Tridẽtini decretum mutasse, & ad Pelagianismum inclinasse.

Respondeo. A Pelagianis nos longissimè abesse; illi enim opera iusta, & ad vitam æternam vtilia esse sine gratia docebant, imo Ethnicos sine fide fuisse iustos quæ nos damnamus. Idem fuit institutum Augustini, Pelagianos confutare; Negat enim in Ethnicis fuisse veras virtutes, quibus iusti essent; *nec in ipsis*, inquit, *est vera iustitia: quia iustus ex fide viuit.* Si per naturã iusti fieri possumus, ergo Christus gratis mortuus est. Quod vero ait, *sine fide, quæ videntur bona opera in peccata verti*, non efficit quicquam. Non ait bona opera esse peccata; sed verti in peccata; quia vbi abest vera fides, qua in Deum referantur, facile accedit malus finis, quo omnia referantur in idolum. Aliud vero est contendere infideles esse iustos, eorumque opera iustificare, & sic sine fide Fabricios, Regulos, Catones fuisse iustos, (*nam horum nominibus quasi res in Romanorum curia ageretur, terrendum Augustinum putabat Iulianus*) Aliud vero eosdem Romanos quolibet facto, quod agere poterant, optimo; millies, millies gehennã meritos, quod docent Caluinistæ; media est, tutissima via: vt bona quædam moralia, meriti, & vitæ inania opera illis concedamus, non omnia damnabilia pronunciemus.

Pelagius sine fide iustos contendebant.

§. 4. Altera expositio est Bellarmini, multorumq; aliorum: quia vero contra sectarios agimus, atque ipli pleriq; eam sequuntur, nobis commodissima fuerit. Fatetur Pareus lectione 178. contra Bellar. *de doctrina agi*, ita docere Caluinum ipsum. Idem contendit Piscator. Hæc interpretatio nec contra liberum arbitriũ, nec contra infidelium moraliter bona opera quicquã conficit. Si enim Pseudopropheta, dæmonis instrumentum, malos doctrinæ fructus profert, nec bonos potest, quia nõ didicit. Bonus autem Propheta à Deo doctus salubrem doctrinam affert, nec ea institutione vtens malos fructus proferre potest, non ideo non est liberum arbitrium, aut ideo omne opus hominis, etiam de malitia gementis, est malum. Quid enim cuiusque principijs consentaneum sit edocemur. Verum vt omnino cauillationibus abstinere cogantur, Bullingerum, hoc est Magistrum suum audiant, cuius dicta plerique sequuntur.

Si de doctrina agitur, nihil conficit liberum arbitrium.

[Summa omnium hæc est, vt ex fructibus cognoscitur arbor, ita ex doctrina iudicari potest de Prophetis, verusne sit, an falsus. Quælibet arbor suæ speciei, & generis fructus profert; ita quilibet doctor talem profert doctrinam, qualem omnino concepit spiritum. Si Doctor pius, Sanctus & innocens est, doctrina quoq; eius respirat pietatem, sanctimoniam & innocentiam. Porro si fides, & conscientia Doctoris luxata sit, corruptam quoq; ac vitiosam esse oportet doctrinam. Ex Doctrina ergo æstimãdus est Doctor, num sc. ea spectet solius Dei gloriam, Christi iustificationem & meritum: an veram an fictam plantet iustitiam: scelera incipiat, an flagitiosis palpet, & parcat: denique an Doctrina eius doctrinæ Prophetarum, & Apostolorum sit conformis. Alij hæc interpretarunt de vita pura, & impura docentium, quasi vero vita in speciem sancta coarguat omnem doctrinam, quæ ab eo qui speciem sanctimoniæ habet, proponitur, verã esse; aut falsam esse necesse sit doctrinam eam quæ profertur à peccatore. Certè Dominus in Euangelio dicit, *Quod dixerint vobis facite, secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Si ergo doctrinam spectes, potest esse Propheta verus, qui alioquin est homo malus. Proinde doctrinę maximè hic fructus est, vnde oportet cognoscere verum aut falsum Prophetam. Nam vt arbor ad fructificandum peculiariter condita est, ita & Propheta vt doceat est institutus. Genuinus ergo Prophetæ fructus doctrina est.]

Ex doctrina de Prophetarum fructibus.

Fraus Caluinistarum.

§. 5. Non possum hac in causa aduersariorum insignem dissimulare ac malitiosam fraudem: nam

ijdem

ipsdem qui hæc negant ad mores extendenda, & ad doctrinam referunt. Vt Caluinus, Kemnitius, Aretius, Pareus, eadem nihilominus vsurpant, vt negent liberum arbitrium; & omnia impiorum opera peccati condemnent. Quæ vero est ingenuitas vt alibi ad mores pertinere negent, alibi asseuerent? Caluinus id facit in antid. ad sess. 6. Can. 7. Trident. Pareus l. 3. c. 4. de amiss. gratiæ & statu peccati. l. 6. c. 11. de gratia, & libero arbitrio. Tossanus reprehendit Maldonatum, quod ad opera referat.

Iam vero in confesso est, Pseudoprophetas ita errores serere, & producere tristissimos hæreseon fructus, vt tamen multa vera falsis misceant, est autem doctrina vera saluber fructus, quin & veri Doctores aliquando labi posse nos exempla docent, & aduersarij non diffitentur. Non igitur absolute dicendum est; nec Pseudoprophetam vnquam, nec verum falsa profiteri: sed eam esse naturam falsi Prophetæ, vt fallat, veri vt instruat, vera proferendo.

§. 6. Tertia expositio de voluntatibus bonis & malis est S. Augustini, quæ ad mores etiam ista extendit, præsertim Matth. 12. Luc. 6. etiam multis probata est, in primis S. Ambrosio, in Lucam loco citato. Chrysost. nostro Maldonato, alijsque quoad eam partem, quæ de operibus est. Nec desunt ex aduersis castris, qui in hoc consentiant. Omnino in ea sententia & Aretius; [Ex quo firmiter sequitur, *inquit*, Non ergo satis est Christum docere alios, sed oportet vitam professioni nostræ respondere. Nam bonus fructus, honesti est vita, vitæque exemplum, vtilis item & fructuosa functio: vt sit sententia, qui honeste non viuit, quales sunt qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt, excindendos de numero fidelium, vt illis nulla sit pars in Christo, nulla etiam spes vitæ æternæ, sed diris damnandos pœnis, quæ per ignem solent in scriptura proponi.]

Augustini sententia est c. 18. Enchir. *Sed cum mala ex bona orta esse dicimus, non patetur hoc Dominica sententia refragari, qua dicit*, Non potest arbor bona fructus malos facere. *Non potest enim, sicut veritas dicit, colligi vua de spina, quia non potest vua nasci de spinis, sed ex bona terra, & vites nasci posse videmus, & spinas. Et eodem modo tanquam arbor mala fructus bonos, id est, opera bona non potest facere voluntas mala, sed ex bona hominis natura oriri voluntas & bona potest, & mala. Nec fuit prorsus vnde primitus oriretur voluntas mala, nisi ex Angeli & hominis natura bona. Quod & ipse Dominus eodem loco, vbi de arbore & fructibus tractabatur apertissime ostendit. Ait enim:* aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malum, & fructum eius malum: *Satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non posse. Ipsa tamen terra, cui loquebatur vtramque arborem oriri posse.*

Et de gratia Christi contra Pelag. & Cœlestium lib. 1. *De qua possibilitate Pelagius in libro pro libero arbitrio ita loquitur, habemus autem, inquit, possibilitatem vtriusque partis à Deo insitam, velut quandam, vt dicam radicem fructiferam atque secundam, quæ ex voluntate hominis diuersa germinet & parat, & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium, vel mitere flore vitiorum, vel sentibus horrere virtutum. Vbi non intuens quid loquatur vnam eandemque radicem constituit bonorum & malorum, contra Euangelicam veritatem doctrinamque Apostolicam. Nam & Dominus nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos. Et Apostolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium esse cupiditatem, admonet vtique, intelligi radicem bonorum omnium charitatem. Vtile fidue arbores, bona & mala, duo sunt nomina, bonus & malus. quid est bonus homo, nisi voluntatis bona, hoc est arbor radicis bonæ. Et quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est, arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala. Facit autem homo arborem bonam quando Dei accipit gratiam. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo & per illum & in illo qui semper est bonus: nec tantum vt arbor sit bona, sed etiam vt faciat fructus bonos, eadem gratia necessarium est vt adiuuetur sine qua boni aliquid facere non potest. Ipse quippe in bonis arboribus coopérator fructum, qui & foris secus rigat atque excolit per quemlibet ministrum & per se dat intrinsecus incrementum. Malam vero arborem homo facit quando ipsum malum facit, quando à bono incommutabili deficit, ab eo quippe defectus est origo voluntatis malæ: qui defectus non aliam naturam malam initiat, sed eam quæ bona est condita vitiat. Sanato autem vitio nullum malum remanet, quia vitium naturæ quidem inerat, sed vitium naturæ non erat.*

Hisce verbis non modo voluntatem arborem bonam & malam, sed etiam liberam efficit. Nec refert, seu dicas, voluntatem bonam & malam, an hominem voluntatis bonæ, vel malæ. Loquitur enim de homine vt vel bona, vel mala voluntate agit.

§. 7. Obijcit Caluinus, cuius verba adfero, vt appareat, quam nihil hinc de libero arbitrio ille conficere possit. [Nunc videndum, *inquit*, restat, quonam fructus Christus designet; fallunturne autem meo iudicio, qui ad vitam restringunt. Nam quum sæpè fucosa sanctimonia, ac nescio quibus eriã austerioris vitæ laruis, se venditent pessimi quique impostores: valde incertum esset hoc examen. Fateor quidem hypocrisin tandem patefieri: quia nihil difficilius est, quam virtutis simulatio. Verum Christus tam iniquo & simul obscuro iudicio doctrinam suam subijcere noluit, vt æstimetur ex hominum vita. Ergo sub fructibus ipsa docendi ratio comprehenditur, imo præcipuum locum tenet. Nam & inde Christus se à Deo missum probat, qui non glorificet seipsum, sed patrem à quo missus est.]

Caluinus ait non extendi ad mores arbores.

Respondeo ita esse quidem, ideo nos quoque ad doctrinam referre: Si quis tamen aliter sentiat: posse eum exemplis omnium sæculorum doceri, hæreticos & Pseudoprophetas talia vitiorum signa dedisse, vt haud difficulter dignosci possent: Vel enim ob vitia electi sunt ab Ecclesia, vel sane ea habuerunt, quæ in Ecclesia tolerari non potuerunt. Nec Deus in negotio tam periculoso permittere solet simulatorem diuturnam. Ita Domini saluatoris argumentum, vt est primo aspectu clarum & euidens, sic reipsa difficile, etiã cũ de doctrina agitur. Nã discrimen prophetarum falsorum & bonorum ostendit esse à fructibus, cum enim vestimenta sint eadem vtrorumque, non ex illis, sed ex fructibus cognoscendi sunt. Hic fructus vel sunt dogmata vel opera. Si dogmata: ab imperito iudicari non possunt, imo hic de bonitate dogmatum iudicium ex fructibus colligitur, igitur dogmata ex dogmatibus cognoscenda. Si opera: plura & conspectiora facit hypocrita, vt ex his non possit iudicium ferri.

Omnes hæretici initio vitiosi.

Nonnulli probabile hoc iudicium esse arbitrantur: ex consuetudine sumptum, vt multi sanctitatem simulent, nec tandem impietas erumpat. Et si verum fateri volumus, omnium Hæreticorum simulatio celeriter in magna, & aperta flagitia prorupit. Itaque par videtur in vtraque sententia difficultas.

§. 8. Quod Bellarminus dixerat, posse malam arborem aliquos bonos fructus ferre, non omnes necessario malos: quæ etiam est expositio nostri Maldonati, qui tamen addit natura fieri ordinarie non solere: imo quodammodo contra naturam esse, si fiat. Hoc inquam valde Pareus exagitat. [Secundo, *inquit*, Arborem malam posse aliquos bonos fructus ferre, est contra mentem Saluatoris & falsum. Loquitur enim Christus de arbore non aliqua-

Arbor mala aliquid boni ferre potest.

„ aliquatenus, sed simpliciter mala, & putri, quam vllos
„ fructus bonos proferre posse negat. At homo in sta-
„ tu corruptionis est arbor non aliquatenus, sed simpli-
„ citer mala & putris: quia totus caro. In carne autem
„ nihil nisi malum habitat: Ergo nihil boni operari po-
„ test, relate ad legem & iudicium Dei.]

Respondeo. Non est Domini sententia, arborem ita malam, vt nihil boni proferat; Quidam enim etiam in spinis & tribulis fructus sunt boni. Itaque recte sic respondet Bellarminus. Loquitur enim Dominus de eo quod plurimum fieri solet. Eodem modo & Parei Symmistæ loquuntur. Aretius cum exponit illa verba: *Omnis qui petit, Primum*, inquit, *obserua Christum propositiones, quæ vt plurimum veræ sunt*, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *sumere tanquam vniuersales*: Eo pacto hic ait, πᾶς αὐτῶν. *Nam* ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *hoc verum est etiam inter homines. Cur ergo in Deo non credamus verum esse.* Si sensus est, Omnis qui petit, πᾶς αὐτῶν, vt plurimum accipit, cur nō & hic idem vsurpemus? Non potest arbor mala nisi vt plurimum malos fructus ferre?

Simpliciter dicitur fieri, quod fit, vt plurimum.

Quin etiam Caluinus cum illa verba exponit, Luc. 6. 45. *Ex abundantia cordis os loquitur. Si quis*, ait, *obijciat, linguas hominum sæpe mentiri, vt optime loquantur, qui pessime affecti sunt: respondeo, Christum hic simpliciter docere, quod vt plurimum vsu venit. Nam etsi aliud verbis præ se ferunt hypocritæ, quam habeant in cordis recessu: id tamen non obstat, quominus apte & scite lingua vocetur character mentis.*

Si igitur simpliciter pronunciat, quod vt plurimū fit, apud Lucam, cur non hic etiam in eodem omnino argumento? Culpanda igitur non est Bellarmini interpretatio, aut Caluini & Aretij etiam eodem calculo damnanda.

§. 9. Respondent & Catholici, arborem malam, hoc est hominem Deo inimicum, nunquam facere fructus bonos in horrea dominica reponendos, ad vitam æternam vtiles. Illi sunt enim fructus πανηρόι, mali, ad finem & scopum non pertingentes.

Quantum vero aberrent Sectarij à vero, vel inde discitur. Quod etsi surculus marcet in olea, & in vite pampinus, participes pinguedinis, & dulcedinis eius, non faciant malos fructus, nisi venenato succo inficiantur. Facere tamen quosdam fructus non bonos reiectitios, & amaros, tot enim oliuæ immaturæ, acinique decidunt, nec tamen inde discimus arborem esse malam: Ita quoque iustorum esse quædam opera mala, quæ tamen non sunt signa eos malos esse. Alioqui nullum signū certi aliquid haberet: sunt enim & veri & falsi Prophetæ tales, vt in multis delinquant omnes. Hic autem agitur de fructibus, ex quibus arboris bonitas, aut malitia cognoscitur; at non cognoscitur ex omnibus fructibus, etiam per se malis. Non enim ex leui risu, aut ocioso verbulo, colligere fas est, aliquem doctorem esse pseudoprophetam: cum ex furtis, homicidijs, adulterijs, hæretici non concludant suos ministros esse pseudoprophetas. Imo contendant eos in hisce flagitijs manere *iustos*: & vt Pareus in Rom. 4. loquitur, *plene beatificos.*

Non omnes fructus mali ostendunt arborem esse malam.

§. 10. Multo minus hinc discimus: omnia reproborum opera esse peccata mortalia. Sed potius contrarium. Christus de fructibus bonis & malis agit, per quos arboris ingenium cognoscitur; & natura; bona an mala sit? At opera reproborum omnia, non ostendunt arborem esse malam, de omnibus igitur operibus nequaquam loquitur. Si enim infidelis miseretur, eleemosynam dat, veritatem sequitur, auaritiam fugit, non ostendunt illa opera, malam arboris naturam. Non sunt igitur fructus, ex quibus cognoscatur arbor. Non igitur de eiusmodi fructibus Christus loquitur. Sunt enim tales, quos facit arbor & bona & mala. Sicut & parua seu leuia peccata, vt nos docemus, sunt communia arbori bonæ & malæ, homini iusto & iniusto. Vt vero illi, etiam grauissima, sed sola imputatione, vel non-imputatione differunt.

§. 11. Pertendit tamen agere malam causam Pareus: [Tertio, *ait*, si peccator ex cupiditate operans „ semper operatur malum: sequitur omnia eius opera „ esse mala coram Deo: Ratio, quia semper agit ex vel „ cum cupiditate. Cupiditas enim est peccatum inhabitans, per quod si etiam renati agere non possunt „ bonum quod volunt: multo minus per id peccatores „ bonum morale agere possunt. Quod agant ex bono „ naturæ, physice intelligendo verum est: nam ratio, „ voluntas, sunt bona naturæ reliqua etiam in statu „ peccati; moraliter seu relate ad legem Dei, falsum est. „ Sic enim cor hominis (licet in se bonum naturæ) est „ prauum, & omne figmentum cordis humani est prauum tantummodo: Ex corde enim prauo exeunt praua cogitationes, adulteria, furta. Matth. cā. 15.] „

Confundit rationem. Semper malum esse fatemur, quod ex mala cupiditate agitur; at non semper ex mala cupiditate agit, etsi semper cum mala cupiditate, hoc est, præsente mala cupiditate, vel habitu, vel actu. Etenim si quispiam malæ cupiditatis stimulos sentiens, ingemiscat, oret, conteratur, non sunt illi actus boni peccata; quia sunt in eodem animo, in quo est cupiditas; alioqui ne ista quidem facere oporteret, ne & cupiditate, & dolore de cupiditate peccemus, quo nihil est insanius. Porro, *impius totus est caro*, duplicem habet sensum. Primus, ita malus, vt omnes potentiæ, appetitiones, opera sint mala seu carnalia. ille falsus est, alter verus; ita caro est, vt nonnulla honesti cura illi sit reliqua. Itaque etiam relatè ad Deum quædam opera impij sunt, quę in censum peccatorum non referuntur, vt bene demonstrauit Adolphus Tectander in propositionibus de quibus examinatus est ab Alcmarianis. Quod si omne opus quod fit ab eo, in quo est cupiditas, malum est; Etiam malū est opus orationis, quod fecit S. Stephanus, cum moriens pro lapidantibus oraret. Nam adhuc erat cum eo opere cupiditas.

Hoc denique obseruandum, non per omnia se habere homines vt arbores, nec ita homines immobiliter producere fructus bonos, aut malos, vt solent arbores. Qua in re licet errare soleant aduersarij, eos tamen arguit Tossanus: Similitudines inquit non latius extendendas, quam iuxta subiectam materiam, & scopum Christi, nec per omnia se habere homines vt arbores: arbor enim naturaliter producit fructus, vel bonos vel malos; non sic homo.

Qvæstio II.

Quomodo ex fructibus sint cognoscendi?

§. 1. Fructus duplex est; doctrinæ, & morum. Doctrinæ est error, cum contra scripturas, contra veterem Ecclesiam, conciliaque docetur, ex eo cognoscuntur Pseudoprophetæ, ex contrario veri doctores. Morum fructus duplici modo spectatur; absolute & comparate. Absolute, cum illi qui doctrinam tradunt, vel audiunt, vitia doctrinæ pugnantia retinent, aut fouent. Quamuis ex doctrina ipsi se damnent, nec vllo modo ista probent, quæ faciunt. Comparate fructus mali spectantur, cum ex principijs doctrinæ oriuntur, & per eam vel defenduntur, vel excusantur. Fructus mali absolute spectati non sunt indicia infallibilia corruptæ doctrinæ. In Ecclesiam enim recte sentientium, adeoque cœtus sacerdotum interdum irrepunt grauia peccata. Adeoque in populo Iudæorum non minora erant scelera, quam Sodomæ & Gomorrhæ, cum tamen doctrina apud multos integra, atque incontaminata permaneret. Reliquū igitur est, vt de ipsa doctrina, & moribus ex doctrina imme-

Malus fructus duplex.

Fructus morum ex doctrinæ.

immediatè, atque efficaciter manantibus, ita vt doctrina vera morum causa sit, dicamus.

§. 2. Quomodo ex doctrina, eius errores cognoscendi sint, varias rationes tradunt, & orthodoxi, & Sectarii. *Caluinus hunc in modum, si quis obiiciat paucis datum esse tantum acumen, vt bonos fructus à malis discernant: Respondeo sicuti iam dixi, nunquam discretionis Spiritu, vbi opus est, destitui fideles, qui modo sibi diffisi, & proprio sensu valere iusso totos se illi regendos tradunt. Interea meminerimus, ad verbum Dei exigendas esse omnes doctrinas: & ideo in iudicando Pseudoprophetis fidei analogiam dominari.* Vbi tria nobis κεφάλαια proponit; Primum est Spiritus discretionis singulis datus, alterum Scriptura, Tertium analogia fidei, quæ dominatur in hoc examine. Clarius idem iam declarat Piscator in obseruationibus. [Falsi docto es agnoscendi sunt ex fructibus doctrinæ ipsorum. Nam si ex illorum doctrina sequantur sententiæ manifestè pugnantes cum verbo Dei scripto: necesse est, vt illa sit falsa. Etenim ex vero falsum concludi non potest. Exempli gratia, quidam hodie docent, corpus Christi esse in pane Sacræ cœnæ. hinc sequitur illud non esse in cœlo: quia quum sit corpus nostro simile quoad substantiam, non potest simul esse in plurib. locis. At consequens illud manifestè cum Scriptura pugnat: quæ testatur, corpus Christi nunc esse in cœlo. Quare dogma illud de præsentia corporis Christi in pane sacræ Cœnæ falsum esse necesse est. Alii docent: corpus Christi esse vbique, hinc sequitur illud esse infinitum: id quod manifestè pugnat cum testimonio Scripturæ, quod Christus nobis similis sit factus per omnia, excepto peccato. Quare dogma illud de vbiquitate corporis Christi falsum esse necesse est. Item si corpus Christi vbique est, sequitur non solum Deum vbiq; esse, id quod manifestè cum Scriptura pugnat: quæ vbiquitatem Deo tanquam propriam attribuit.] Alii alios modos comminiscuntur, id agentes, vt omnes omnium sint iudices, quisq; autem suo in sensu abundans sit ἀνεπαίσχυντος, nec alieno iudicio subdatur.

Reprehensa Caluinana de iudicio.

Cur non in plurib. locis simul?

§. 2. Discretio Spirituum, quæ fidelibus datur, non pertinet eo, vt singuli de falsis Prophetis & veris iudicare possint. Si enim omnium Prophetarum est sermo incertus, & veri falsique discrimen in meo priuato spiritu; eo igitur omnia reuocanda sunt, & maxima & decretoria sententia penes auditorem, quamuis rudem, quamuis imprudentem. Sequitur quæ nos esse iudices pastorum. Nec litem Scriptura dirimet; quærimus enim, cum vtraque pars Scripturæ fiducia nitatur, quæ veram eius sententiam sequatur? Præter Scripturam Pareus *cap.* 10. *Irenici*, aliud hominis iudicium requirit. [De hac quæstione pronunciandi auctor, tatem supremam Papa sibi arrogauit: alii aliis vendicant. Sed reuera, si hominum arbitrio hic stadum est, homines supra Deum, & verbum Dei collocantur. Scriptura vero tantum præterea erit, quo illi suas opiniones, & placita obtrudant mundo. Interea tamen cum Scriptura tantum contineat regulam veritatis simplicem, & generalem non applicatam, & restrictam ad exempla, ad speciem, ad individua, hoc est, non exprimat nominatim hicne, an ille, Lutherusne, an alius recte sentiat? hæcne oratio corpus Christi est in pane; est vbique: an vero illa: corpus Christi non est in pane; non est vbique: cum sententia Scripturæ congruat: necessarius est etiam iudex inferior, seu ministerialis, cuius officium est Axioma, seu maiorem propositionem syllogismi iudicarii, quid recte, quid non recte secundum Scripturam doceatur, exprimentem, non suo arbitrio constituere, aut Scripturæ tribuere, sed ex ipsa Scriptura sumere: Minorem vero ab hominibus dogma aliquod siue verum siue falsum asseuerantibus accipere, atque ita conclusionem necessario consequentem adiungere, seu voce & confessione sua exprimere.]

Apud Caluinianos stultissimus quisq; iudex est.

Opus hominis iudice.

Hic igitur, si nec Pontifici creditur, nec tot conciliis si martyribus, qui Deo totos se dediderunt moderandos, si viris sanctissimis illa discretio negata est, vt illi putant, quomodo eam quisque sibi pollicebitur? an cuiq; hoc constat, se esse illum qui totum se Deo commiserit regendum, *se sensum suum valere iussisse*? nihil de propriis retinere placitis?

Quod verò analogiæ dominium huc accersit Caluinus, est hoc omnino inutile. Nam analogia fidei sumi secundum illos secundum Scripturam debet: non dominari interpretibus Scripturæ, alioqui secundum analogiam Scripturam intelligent, non è contrario. Quomodo Pseudoprophetas ex Scriptura iudicabunt, Caluiniani analogiam fidei & collationes obtrudunt, qua ratione rem difficilem reddunt, & inextricabilem, nec quicquam vtilitatis populo iudicaturo adferunt. Ex natura & vsu sermonis iudicandum est. Sine dubio autem ex natura & vsu Sermonis Hebræi, & interdum Chaldæi, quoad vetus instrumentum, & Græci in nouo. Hoc enim Pareus & alii addunt.

Analogia fidei non debet apud hæreticos dominari Scripturis.

Ex proprietate quomodo iudicandum.

Cum iudicium hoc sit grauissimum, à quo tota œconomia fidei, & Spes salutis dependeat, oportet esse exactissimum, consideratissimumque, nam est iudicium de sententia germana Scripturæ: hoc necessarium est, vt dicunt, fidei constituendæ, & controuersiis decidendis, faciendum est ex natura & vsu sermonis Hebræi, Chaldæi, Græci, his enim linguis conscripta Biblia approbant. Opus est igitur exactissima penitusque intima linguarum istarum cognitione, cognoscenda natura, & vsus sermonis Hebræi, Chaldæi, Græci, (quanquam cum pauca Chaldaicè scripta sint eius studii eis gratiam facere possumus) & ita cognoscenda, vt certo certius sibi persuadeant, ita se nosse, vt errare nequeant. Quis vero tam magna & tumida profitebitur? Iunium, Tremellium, Drusium dicet quis; At nec illi, nec ipse quidem Scaliger tam insaniet, vt hoc promittere ausit, nec ille hic ipse crederet ὑπερβολία βάξονη. Ex quo quidem necessaria consequentia deducitur, neminem eorum gloriari posse, se veram & germanam Scripturæ interpretationem tenere. Nemo enim ita idiomata illa callet, vt fide certus sit, ita naturam se vsumque Sermonum istorum perdidicisse, vt falli non possit, etsi forte non nemo id opinari possit; Cognitio vero illa est (eorum iudicio) germanæ sententiæ necessaria. Neque exire hunc ictum poterunt, si in paucorum peritissimorum scientia, versione, interpretatione turbam cæterorum dicant acquiescere, maximam scilicet partem eorum, qui in montibus Heluetiæ, Scotiæ aliisq; locis non scientia modo Hebræorum, sed libris etiam destituuntur, non potest eorum ignoratio aliorum sapientia fuleiri: Credendum enim illis esset, paucos illos optimates, linguarum non modo γνωσιμωτάτες callentissimos, sed interpretes etiam esse ἀναμαρτήτες errori minime obnoxios, quod quam absurdum sit, eorumque causæ noceat solam Scripturam statuentium iudicem, ipsi profecto & quisque alius videt. Magna igitur pars eorum in maximis erroribus versatur, quia sine cognita natura, & vsu idiomatum certa esse non potest, & naturam, vsumq; nouerunt pauci, & quod caput est, qui eis aliquid, sibiipsis etiam magni aliquid esse videntur: in natura, vsuque sermonis Hebræi, & Græci exponenda ita dissentiunt, vt merito Beza timeat futurum, vt vertendi interpretandiq; licentia, ipsarū quoq; rerum possessione pellamur, *præf. in nouum Test.* Quid si linguarū istarū nonnulli ex Lutheranis sint peritiores? exemplum.

Nemo tam accuratè nouit vsum sermonis peregrini.

Credidit Abraham & reputatum est illi ad iustitiam
Ἐπίστευσεν δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην
ויאמן ביהוה ויחשבה צדקה

Dissensiones Caluinianæ.

Credidit Deo, & imputata est ei iustitia, vel imputauit illi iustitiam, vel, vt Græcus, *Imputatum est illi in iustitiam*, vt Syrus in nouo, & Chaldæus in vetere Testamento etiam vertunt. Hic mihi Caluinistæ ex natura atque vsu sermonis concludant veram sententiam. Alii enim sic interpretantur: *Imputatū est illi opus seu rē credere ad iustitiam*, vt Bertius, *Alij, imputatum est illi meritum Christi ad iustitiam*: Nonnulli, *Imputata est illi Dei essentialis iustitia ad iustitiam*. Alii, *Imputatus est illi habitus fidei ad iustitiam*. Hic ostendant ex natura sermonis, & vsu hos errare; illos vera dicere. Quod si quosdam ita docuerint, nihil tamen egerint; nam idiota quî iudicare poterit, hoc esse ex natura vsuq; sermonis, illud minime? Nobis credet: inquiunt. Quid vero si Hunnio potius aut Luthero credat? V den' quo se vertat tandem Hæreseon inquietudo, versetque. Quo credulitatem suam resoluat? Credo, hic ingeminat Caluinista; fiduciam meam me amittere non posse; si quæris, cur ita credas? Quia inquiet Scriptura dicit: sed scisne hanc germanam esse Scripturæ sententiam? vt quam certissimè. Vnde vero hoc didicisti? Ex natura atque vsu sermonis, quo vtitur Spiritus sanctus. Sanè natura & vsus illius sermonis tibi cognitus, perspectusq; est? Ad vnguem, ad libellam. Gratulor Caluinisticæ fœlicitati. At porrige ei codicem Hebræū & vrge; eccum mihi codicem perlege. Enimuero ludis me, non lego codices nisi germanicos, & haud crebro Latinos, at isti characteres, si modo characteres, sunt literarum, non literæ Ephesiæ, Punici sunt, aut Iaponii: Quasi vero; dic, tu illa nescias? simulas ignorationem, vt admiratione deinde ædifices, lege sodes, lege, amabo te. Profecto nescio, dispeream si vel apicem noui, vereor autem ne notæ magicæ sint; ideo ne inspicere quidem, ne oculos violem aliqua profanitate, sustineo: si mirum profecto te ista nescire, cum sit vox Patris tui, vt putas, vox Spiritus sancti (sunt enim vt scias Biblia Hebræa) cuius tu naturam sermonis & vsum ad vnguem, ad libellam pernouisti. Non me Hercule, dicet, isthoc dixero. Germanicè loquentem intelligo Spiritum sanctum, Hebræa mihi ignota sunt. tu, ne vero te reprehende, parce, inquam, fidei tuæ, Vnde enim nosti hoc quod in germanicis legis Bibliis esse verbum Dei, & verè te sentire etiam scis, ex natura & vsu sermonis? Quidnam dubitem? Viri Eruditi ita ex Hebræo transtulerunt. Tu si recte sane, Hebræa igitur credis esse diuina & Germana credis esse eadem? Ille, credo equidem. Nec in versione aberratum esse? Et hoc credam necesse est, si Germanicis credo. Et qua fide credis non errasse versores? non hallucinatos interpretes? Non hoc ita facile credetu est, forte accidit illis quandoq;, quod mihi sæpe vt eriarint. Vnde igitur obstinatus es in animo tuo de certitudine? De natura, & vsu sermonis Hebræi nihil iudicare potes: de versionis germanicæ veritate dubitas, Ecclesiæ nulli nisi quantum libet credis, tota ergo, quæ quotidie legis Biblia, tibi suspecta sint necesse est, ipsa etiam multo magis sententia. Sed tamen, hic, inquiet, testimonio conscientiæ meæ moueor, vt illa credam. Viden' quo deueniat, quo se flectat, & reflectat? Quid testatur Caluinistis conscientia? Primo se naturam, & vsum Hebræi sermonis ignorare. Secundo, nescire, an recte versa sint, quæ lectitant Biblia, quæque iudicem controuersiarum constituunt. Tertio interpretes errare potuisse. Aliud non testatur, vel si aliud testatur iam nimium eis adulatur, quęq; sunt incertissima, persuadet esse certa.

Ignorantes Hebræa credere apud Caluinianos non possunt.

§. 4. Alio igitur modo de Pseudoprophetis iudicandum est. Rationem optimam docet noster Vincentius Regius in huius loci expositione. Postremo ipsa mala opera quæ virtutibus opponuntur; Hæreticus namq; ex ipsamet doctrina cognoscitur, tum habitu quidem externo sanctimoniam præseferens, occultas hæreses disseminat, vel in vulgus etiam iactat, subdolè, ac latenter; sub Christi nomine videlicet. Hoc verò signum etiit hominis hæretici, cum ea doctrina animaduerteretur ei repugnare, quæ in sacris Scripturis reperitur, & ab Oecumenicis Conciliis, ac Sanctis PP. traditur. *Nolite*, inquit Ioan. hoc iudicium assignans Epist. 1. c. 4. 1. 2. 3. *omni spiritui credere, sed probate Spiritus si ex Deo sunt. Quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum, in hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis Spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Idem signum assignat & Paul. ad Gal. 1. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit: sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis anathema sit.* Hinc Theod. lib. 3. hære. fab. in prolog. *impia*, inquit, *dogmata per se sufficiant ad suum Patrem ostendendum; ex fructu enim, ait Dominus, arbor cognoscitur.* Vincentius item Lyrinen. sic scribit: *ait Saluator, ex fructibus eorum cognoscetis eos, i. cum cœperint diuinas voces exponere & interpretari, tunc rabies intelligitur, tunc virus exhalabitur, tunc scindi sæpem videas, Catholicam fidem cædi, Ecclesiasticum dogma laserari*, &c. Recte hæc, quia proprius Prophetæ fructus, doctrina est.

Fructus Pseudoprophetæ pessima cum bonitatis quin.

Non potest ille iudicare, qui idiota est, de singulis articulis, præcipue obscuris, & in vulgum ignotis. Nouam doctrinam cum audiet, facile animaduertit de mendacio venisse, cum olim sine ea, seu potius in contraria ei fide saluati sint maiores. Cum enim nostra fides in Christo fundata sit, eaque per Apostolos, & Apostolicos ad nos deuenerit, potest quilibet statim esse suspectus, si vel Apostolos erasse, vel eos qui inter Apostolos, & nos intermedii sunt, non intellexisse, se demum vere sentire & docere; Ecclesiam interea desertam à Deo fuisse prædicent.

Idiota iudicium.

§. 5. Fructus morum à doctrina eorum immediate productos, ideoque errantibus proprios, si nostro tempore spectemus, nemo tam inscius rerum omniū inueniri poterit. Qui non euidenter, certissimeq; eos agnoscat. Anabaptistæ cautissimè nequitiam tegere, pietatem simulare edocentur, & sub ipsa tamen initia, priuatæ cædes, promiscuique concubitus fucatæ sanctitati laruam detraxerunt. Quin hoc ipsum, quod hodie in Morauia liberos à parentibus separant, in communi educant, vt suos parentes, fratres, sorores ignorent, ac ignorentur, vt deinde omni incestus genere polluantur, satis ostendat, quam flagitiosa eorum sit, & malefica superstitio, omni magistratuum cura ac potentia eliminanda. Quod si Caluinistas, qui maxime sibi reformati videntur & eorum dogmata, de iustitiæ in omni scelere perseuerantia, de Deo impellente ad peccata consideremus, nemo dubitare poterit, hanc doctrinam producere tam licentiosam cum desperatione vitam.

QVÆSTIO III.

An hinc consequamur homines malos in malo esse immutabiles?

Error Manichæorum.

§. 1. ARbor mala non potest bonos fructus facere; Homo igitur est malus immutabiliter inferebant Manichæi, à malo igitur principio. Eodem cum malo deliberabant Marcionitæ, vt est apud Tertull. *Et quia Marcion defendit arborem bonam malos quoq; fructus immutabiliter non licere producere, sed malitiam tamē nominauit, quod optimus non capit, nunquid aliqua interpretatio subest etiam earū idearum malitia capiam.*

malitiarum intelligendarum, qua possint & in optimum deum virtutem subesse autem. Dicimus denique, malitiam nunc significari non quæ ad naturam redigatur: creatoris quasi mali, sed quæ ad potestatem quasi iudicis, secundum quam enunciavit. Ego sum qui condo mala. Ecce ego emitto in vos mala non peccatoria sed vltoria, quorum satis diluimus infamiam vt congruentium iudici. Sicut autem licet mala dicantur, non reprehenduntur in iudice, nec hoc nomine suo malum iudicem ostendunt: ita & malitia hæc erit intelligenda nunc, quæ ex illa malu iudiciarii deputata cum ipsa competat iudici. Nam & apud Græcos interdum malitiæ pro vexationibus, & lassis non pro malignitatibus ponuntur, sicut & in isto articulo.

Eadem obiecit Adimantus, cont a quem extat liber S. Auguſt. *Ita ergo Deus malum facit, quod non ipſi Deo malum eſt, ſed eis in quos vindicat. Itaque ipſe quantum ad ſe pertinet, bonum facit, quia omne iuſtum bonum eſt, & iuſta eſt illa vindicta: & ideo non eſt contrarium quod Adimantus obiicit dixiſſe Dominum: Arbor bona fructus bonos facit: mala arbor malos fructus facit. Quamuis enim malum ſit gehenna damnato, iuſtitia tamen Dei bona eſt, & ipſe fructus eſt ex arbore bona. Ille autem malu peccatorum ſuorum theſaurizat ſibiiram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, quo reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Quanquam iſtæ duæ arbores manifeſtiſſime in ſimilitudine duorum hominum poſitæ ſint: ideſt, iuſti & iniuſti: quia niſi quiſq; voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt.* Bona à bonis fiunt. *Quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco docet, vbi ait: aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Illa enim hoc dicit, qui putabant ſe bona loqui poſſe, cum eſſent mali, hoc eſt, bonos fructus facere cum eſſent arbores malæ. Sic enim & ſubiungit: Hypocritæ quomodo poteſtis bona loqui, cum mali ſitis? Mala ergo arbor fructus bonos facere non poteſt, ſed ex mala fieri bona poteſt, vt bonos fructus ferat. Fuiſtis enim aliquando tenebræ, inquit Apoſtolus, nunc autem lux in Domino. Tanquam ſi diceret, fuiſtis aliquando arbores malæ, & ideo non poteratis tunc niſi malos fructus facere: nunc autem lux in Domino, id eſt, etiam facti eſtis arbores bonæ, date fructus bonos: quod ſequitur dicens: ſicut filij lucis ambulate. Fructus enim luminis eſt in omni iuſtitia & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Domino. Nam in ipſo Euangelij capitulo ſi non ſtudio malæuolentiæ fugeret Adimantus, poſſet aduertere quomodo dicatur Deus malum facere. Ibi enim ait Dominus, quod etiam iſte commemorauit. Omnis arbor quæ non facit fructus bonos excidetur & in ignem mittetur. Hæc ſunt mala quæ Deus facit, id eſt, peccatoribus pœnas, quod in ignem mittet arbores, quæ in malitia perſeuerantes fieri bonæ noluerunt, cum hoc ipſis arboribus malum ſit. Deus autem, vt ſæpe dixi, non dat fructus malos qui ex iuſtitia fructus eſt vindicta peccati.*

Mala poteſt fieri bona.

Quæ mala ſcilicet.

Locus ille diligenter notandus eſt, quia eodem & refutantur Caluiniſtæ, qui liberum arbitrii negant. Qui quamuis non natura, vt Marcion, tamen Dei decreto, & neceſſitate miſerabili faciunt eos ita immutabiles, vt nunquam non poſſint peccare.

potuiſſe, quia non potuit arbor bona malos fructus facere; etſi peccauit non fuiſſe tamen iniuſte agendo factum iniuſtum: quia arbor ex malo fructu mala eſſe cognoſci poteſt, mala fieri non poteſt. Ita homines improuidi foderunt ante faciem noſtram foueam, & inciderunt in eam. Nec intelligunt imperiti quod in noſtris ſcholis etiam pueri docent, quid inter naturales & morales cauſas interſit. Naturales enim non ex bono vel malo effectu bonæ vel malæ fiunt; ſed quia bonæ vel malæ ſunt, bonum vel malum effectum habent. Morales vero non ſolum, quia bonæ, vel malæ ſant, bene vel male agunt, bonæ vel malæ fiunt. Nec enim tantum quia temperantes ſumus, viuimus temperanter, ſed etiam temperanter viuendo, temperantes efficimur. Arbor cauſa naturalis eſt, propterea nec ex bono fructu bona nec ex malo mala fit: ſed quia bona vel mala eſt, bonum vel malum gignit fructum: homo moralis, propterea non ſolum quia bonus vel malus eſt, bene vel male agit, ſed etiam quia bene vel male agit, bonus vel malus fit. Nec requirendum eſt vt omnib. in rebus arboris ſimilitudo hominis conueniat, ſed in ea tantum, qua de agebatur, & arborem ex fructu & hominem ex moribus iudicari.

Cuius reſponſioni confutare conatus cõfirmat Toſtatus. *Peccaſſe Adamum non quatenus arbor bona & ſicut à Domino condita erat, ſed quia libero arbitrio ad malum declinauit.* Quod ſi verum eſt nos pariter dicemus, arbores malos fructus ferre, non quatenus bonæ ſed quia à libero arbitrio ad malum declinant. At vero ſi Adam declinando ex iuſto factus eſt iniuſtus; cur non & Caluiniſtis idem contingat? Hoc Maldonato ſatis: Adam velut arborem liberam, peccando ſeu malos fructus ferendo, ex bona factam eſſe malam. Cætera quæ adiungit calumniæ ſunt. Interim non diuerſa eſt Auguſtini reſponſio. Voluntarem cum mala eſt, non bene agere, nec cum bona male: male enim agendo mutatur in malam, & bene agendo ſeu pœnitendo in bonam. Quod ſi hæc in Adamum conuenie bant, cur non hodie quoque in alios homines? Arbor bona erat Adam, & melior quidem omnibus, quibus mundus erat conſitus, at male agendo deterior factus eſt omnibus. Sic Caluiniſtis liberum arbitrium tollentibus reſpondemus: *ſi enim malum eſt*, inquiunt, *non poteſt velle bona, ſi bonum, non poteſt velle malum.* Sic inquam reſpondemus. Si liberum arbitrium Adami erat bonũ, ſeu arbor bona, non potuit velle malum. Si malum, ſeu arbor mala, non potuit bonum: at voluit bonum, cum Deo obtemperaret, voluit malum deficiens à bono. Itaq; hoc ipſo quo oppugnant liberum arbitrium, aſſerere coguntur. Se enim conuertit de bono in malum, volendo malum, rediit in bonum volendo bonum, non ſuis tamen viribus, ſed eius adiutorio, qui de malo facit bonum.

Adam arbor bona factus eſt malus.

QVÆSTIO IV.

An iuſtis operibus Iuſti tantum declarentur?

§. 1. ALiud hinc conficiunt Caluiniani, bonis operibus non iuſtificari hominem, ſed iuſtũ declarari; arbor enim prius eſt bona, deinde fructus. Reſpondet doctiſſimus Maldonatus, ſi iuſtis operib⁹ non efficimur iuſti, ſed declaramur; quia arbor bona non fit ex fructu bono bona, ſed bona eſſe cognoſcitur, ergo iniuſtis operibus non efficimur iniuſti; quia arbor mala non fit ex fructu malo mala, ſed mala eſſe cognoſcitur. Ita efficitur iſtorum argumentatione Adamum, qui bona à Deo arbor factus erat, peccare nõ

Arbor fit bona bonus fructus.

VERSVS 21.

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

An ſola fides ſufficiat?

§. 1. MIrum eſt poſt triſulcum hoc fulmen adhuc manere in peruicacia Solifideanos. Veniunt & dicunt Domine, Domine, & quod dicunt, credunt: nec tamen intrant in regnum cœlorum. Quia non

Multos credemes regno cœlorũ excludi.

non faciunt voluntatem Patris qui in cœlis est, nec voluntatem Christi, quæ eadem vult, quæ Pater. *Voluntas autem Patris est, vt per bona opera vocationem certam faciamus, mandata eius custodiamus.* Verè Basil. moral. Regul. 8. cap. 1. talem condemnatum docet. *Quod licet quis videatur Dominum confiteri, & eius sermones auscultet; is tamen si eius mandatis non pareat, condemnatus est, licet ex aliquo consilio Dei occulto permissu n sit, vt aliquo ornatus sit dono spirituali.*

Possunt illa verba duobus modis intelligi, primo ne illos veros Prophetas putemus; qui nomen Dei præferunt, veniunt enim in nomine suo. Verum alter sensus clarior est & à Christo propositus, qui n. verba Dei intelligunt, docent, credunt, inuocant Dominum, nec tamen eius voluntatem faciunt, non intrabunt in regnum cœlorum. Opus est enim, vt verum Dei seruum esse se operibus demonstret. Vt enim ipse ingressus est in mundum vt faceret, non suam, sed Patris voluntatem, ita & ministros tales quærit, qui Dei voluntatem exequantur. Nam nec regibus satis est, si titulos suos à ducibus suis, subditisque audiant, obsequium exigunt. Violenter itaque securitatem, fiduciamque Caluinianam excutit, qui soli fidei indormientes, de operibus nullo modo certos esse se posse existimãt. Pulcherrimè eorum ingenium describit, & refutat Bullingerus eorum Propheta, hisce verbis.

» [Hinc enascitur studium ingens & ardens omnis
» iustitiæ & pietatis. Porro nimia confidentia, quæ & ipsa veræ fidei vitium siue morbus est, audax est, ac ferox, iurgatur cum Deo ac lacessit Deum. Hic, inquit, promisit mihi vitam, ergo cogitur mihi dare vitam, emergit hinc rursum nimis licentiosa securitas, vt confidentes isti dicant, Quid mihi opus est lege? quid obseruatione mandatorum Dei? qui credit saluatur. Tandem vero nascitur hinc Dei & mandatorum eius insignis contemptus, studium voluptatis ac Epicureismus quidam: quo hodie multi implicati suam salutem prædestinationi ac fidei nescio cui committunt, ipsi interea strenuè ludunt, scortantur, belligerantur, compotant, & per omnis generis scelera grassantur. Huiusmodi homines non sunt fideles, sed secure confidentes. Centurio noster fidelis est, ergo & humilis, modestus ac Deum timens, veræque pietatis studiosus. Quæ præterea de fide hic dicenda erant, ad finem huius historiæ adiiciemus, ac alibi quoq; attingemus.
" Hæc hactenus de vera fide, quæ indubitata est persuasio de Deo, eius potentia, bonitate & verbo, per occasionem de fide Centurionis.]

VERSVS 22.

Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?

QVÆSTIO I.

An miracula faciant improbi & hæretici?

Miracula malorum non conciliant eos Deo.

§. 1. VEnditant se illi triplici nomine prophetasse, eiecisse dæmones, virtutes multas fecisse, idque non vanè, non more veneficorum, sed in nomine Christi. at ille, cum docuisset, non solius fidei, & confessionis, sed bonorum operum esse regnum cœlorum: (non enim verborum officia regnum cœlorum obtinent, vt pulchrè Hilarius) nunc quoque repellit eos, qui magno tumore mira opera iactabant: Prophetasse se de futuris, dæmonibus dominatos, multas δυνάμεις virtutes fecisse: nec eos tamen nouit Dominus, quia operarii sunt iniquitatis.

Hæretici signa quæ do edant.

§. 2. Hæretici aliquando signa faciunt, non virtute edentis sed credentis. Videatur Athanasius quæst. ad Antiochum. *Quomodo etiam quidam hæretici ediderint signa?* Responsio. *Ne sit hoc nobis mirum: audiuimus enim Dominum dicentem: Multi in illo die dicturi sunt: Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus & virtutes multas edidimus? & ait illis, Amen dico vobis, nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. Sæpe enim non virtute miraculi edentis quæ sanationem efficiat, miracula fiunt: sed fide ad eum adeuntis hominis. Scriptum est enim; fides tua de seruauit. Oportet & hoc notari, quod multi præue credentes, multos labores obtulerint Deo per exercitationem, & mercedem pro eis à Deo acceperint in hoc sæculo sanationum & prophetiarum, vt in futuro sæculo audiant, accepistis bona vestra, & labores vestros, nunc non amplius vobis dabitur.*

Signa nunquam ab infidelibus edita, nec à nostris quidem sectariis nisi rarissimè tentata.

§. 3. Hoc certo constat, ad fidem errori faciendam nunquam ab infidelibus edi signa, nec à nostris quidem sectariis nisi rarissimè tentata. Imo vero eo vsque peruentum est, vt omnia signa iam suspecta faciant. Hoc *fidem confirmationis* imprimis Bullingerus præstitit, qui dum ex Hieronymo doctrinam de miraculis recenset. tandem adiungit, Deum idcirco signa permittere, vt audiant Antichristum. *Quæ in hunc locum annotauit Hieronymus, eiusmodi sunt vt præstet quemlibet nouisse. Sunt autem duo præcipua, alterum, non dixit, inquit, qui operati estis iniquitatem, ne videretur tollere pœnitentiam, sed operamini: hoc est, qui huc vsque in præsentem horam cum iudicii tempus aduenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum. Alterum prophetare & virtutes facere, inquit, & dæmonia eiicere, interdum non eius meriti est qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui inuocant, & vtilitatem eorum qui vident, & audiunt conceditur, vt licet homines desciciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Nam & Saul & Balaam & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent: & Pharao & Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt: & in actibus Apostolorum filij Sceuæ videbantur eiicere dæmonia, sed & Iudas Apostolus tum animæ proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur. Id quod ideo nostris appendere volui, quod videam anxie à quibusdam quæri. An malis siue impijs possint patrare miracula, an possint prophetare in nomine Domini? Nam ex Hieronymi verbis è Scripturarum exemplis piè depromptis liquet palam concessum esse id facultatis malis hominibus: Denique additum est in quem finem, & quo consilio concedatur à Domino. Addit Dominus in Euangelio aliam quoque causam, videlicet qui renuerunt audire Christum, audiant Antichristum, & seducantur, sicut Paulus dixit 2. Thessal. 2. cap. errore & impostura efficaci pro eo quod plus dilexerunt tenebras quam lucem.* Expositionem verborum Apostolicorum suo loco reseruo. Hic satis est monere, de improbitate Caluinistarum; qui Deum ex professo signorum efficientiam dare blasphemant, vt homines credant Antichristo.

QVÆSTIO II.

An hinc doceatur concupiscentiam esse bonam?

§. 1. Pelagiani hinc etiam concludebant, concupiscentiam non esse malam; quia nuptiæ sunt arbor bona, inde non nasci malum fructum, hoc est hominem peccatorem. Quibus hunc in modum S. Aug. respondet: *De nuptiis & concupiscentia ad Valerium Comitẽ. Quid est ergo q̃ ait. Ex fructib. suis arbor cognoscitur, q̃a hoc in Euangelio*

Euangelio dixisse legimus: *nunquid inde* Dominus loquebatur, *& non potius de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet & mala, istam bonam, illam malam arborem dicens: quia de bona voluntate bona opera nascuntur, & mala de mala, nec possunt bona de mala, & mala de bona? Quod si nuptias tanquam arborem bonam, secundum istam quam commemorauit Euangelicam similitudinem posuerimus, profecto ex contrario fornicationem posituri sumus arborem malam. Quamobrem si homo ita dicitur fructus nuptiarum, tanquam bonus ex arbore bona, proculdubio nasci homo de fornicatione debuit. Mala quippe arbor bonos fructus non facit. Porro si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam potius humanam, de qua nascitur homo.* Breui compendio responderi potest. Concupiscentiam vt est potentia naturalis, bonam esse, sed eo modo non vocari concupiscentiam à Patribus, sed naturalem inclinationem. Ea vero est per se indifferens. At vero vt deficit, ad mala propendens eo voluntatem inclinat, sic vitiosa est, & origo malorum. Homo porro qua effectus est naturalis fœcunditatis & eius appetitionis, seu qua non concipitur, bonus est. Qua de concupiscentiæ defectu & vetere Adamo originem trahit, etiam peccatum trahit, & ob hoc malus nascitur.

VERSVS 23.

Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite a me qui operamini iniquitatem.

QVÆSTIO I.

An non nouerit?

§. 1. NOtitia Dei hoc loco pro cognitione cum affectu, & approbatione accipitur. Quosdam nunquam nouit; quia semper inimici fuerunt, etiam cum miracula faciebant. Quosdam aliquando nouit cum facerent iustitiam; deinde eandem desciscentes obliuiscitur. Nam velut incognitos deserit, quos suos per vitæ meritum non agnoscit. Augustinus in Psal. 1. & Serm. 23. de verb. Dom. *Non nouit illos qui nouit omnia? Quid est ergo non noui vos? Improbo vos, reprobo vos. Hoc est autem magnum & nescit vitia, & iudicat vitia: nescit faciendo, iudicat arguendo.* Et in Psalm. 36. *Qui nouit Dominum scitur à Domino. Nouit iustos, nescit iniustos, ideo iniustis dicit: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: nescio vos. hoc est, quia me ipsi nescire voluistis. Opera vestra me nesciunt: facta vestra me nesciunt. Et si dicatur, quia me nescitis redarguunt vos peccata vestra.* Notitia Dei est caritatis.

§. 2. Causa additur, quia sunt פעלי און, *operatores iniquitatis*: quidam libri addunt πάντες, omnes. Sed alia exemplaria probatioris notæ non habent Non: nec dubitandum est, quin omnes operatores iniquitatis odio habeat. Nec hic vlla est distinctio, de illis qui iniquitatem operantur, vt non imputetur; neque enim ait duplices esse operatores iniquitatis, alios quibus imputentur, alios qui libere sine Dei ira actiua & passiua operari malè possunt. Quâ ex re constat operum bonorum necessitas.

* *
*

VERSVS 24. 25.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc. & facit ea: assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram. Et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super petram.

QVÆSTIO I.

Quæ illa domus?

§. 1. DOmus est spiritalis, quam quisque Dei gratia in animo suo struit. Fundamentum duplex; primum est fides cum caritate, quæ est firma Petra. Altera fides sine operibus, & est arena. Nam primus audit verba & struit, hoc est credit, sed non facit. Alter audit & facit. Non potest magis ostendi, quam nihil fides sine operibus adiuuet. Maldonatus Fidem solam arenam, opera cum fide petram esse. Primam petram esse Christum, huic imponi petram, fidem & opera, at si arena sit, eam facile defluere. Chrysostomus, Christum ædificare supra petram fidei: Tossanus interpretatur fidem veram, operantem & constantem. Diabolum ait ille ædificare supra arenam infidelitatis. Augustinum etiam lib. 2. de Serm. citat, sed falso. Citatio hæc est: *Non facit hic Christus duplicem petram, sed ostendit non esse statim firmos & bene fundatos, quicunque audiant Dei verbum, sed illos demum, qui toti in Christum recumbunt, & qui, quod audiunt, faciunt.* Veriras autem ista: *Conclusio ergo huius totius sermonis quam terribiliter inseratur, valde attendendum est. Omnis ergo, inquit, qui audit verba mea hæc, & facit ea, similis est viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram.* Non enim *quisque firmat quæ audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est sicut multa Scripturarum testimonia prædicant, ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. Sequitur, descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non potuerunt illam mouere: fundata enim erat supra petram. Non ergo iste metuit vllas caliginosas superstitiones. Quid enim aliud intelligitur pluuia, cum in mali alicuius significatione ponitur? Aut rumores hominum, quos ventis comparatos puto. Aut vitæ huius fluuium, carnalibus concupiscentiis, tanquam fluentem super terram vel petram. Horum enim trium qui prosperitatibus inducitur, aduersitatibus frangitur: quorum nihil metuit, qui fundatam habet domum super petram: id est, qui non solum audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculose subiacet, qui audit & non facit: non enim habet stabile fundamentum, sed audiendo & non faciendo ruinam ædificat.* Fides sine operibus arena. Non audiendo sed agendo saluantur.

Non modo Catholici, sed quidam etiam sectariorum de operibus interpretantur; Wolffgangus Musculus, eo refert illud Iacobi 1. *Non auditores, sed factores verbi saluabuntur.* Ridiculum enim est putare fores ægroti, vocato medico, patere satis esse, decreta eius audisse, pharmaco abstinere.

* *

VERSVS 29.

Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.

QVÆSTIO I.

Quid est docere tanquam potestatem habentem?

§. 1. BEllarminus lib. 4. de iustificatione cap. 2. Docuisse illum ex autoritate, tanquam legislatorem, qui legem non exponeret modò, sed nouam etiam poneret, veterem ad primæ originis puritatem reduceret. itaque hinc quoq; docemur Christum legislatorem esse, nam potestas præcipientis est. Deinde legem Dei ex fine & recta ratione interpretabatur non more Pharisæorum, deinde ex animo loquebatur, feruenter, serio, non laudem eloquentiæ aucupatus, sed animarum saluti studiosè incumbens. Deniq; exemplo monstrabat, non solis verbis docendam virtutem; Est enim virtus docentis, qui persuadet, non oratio; quæ quo est accuratior, eo suspectior esse solet, exempla enim mouent, verba sonant.

Ἄφωνον ἔργον κρεῖσσον ἀπεράντου λόγου.

Tacitum opus ociosa loquacitate præstantius est.

Auctoritatem ex modo pronunciandi, mouendi, miracula faciendi, æstimatam fuisse res ipsa docet. Hæc enim omnia, quasi suprema potestate & Dei filius naturalis faciebat, non vt seruus fidelis, sed vt filius in domo Patris. Itaque inde stupor inuasit omnes, & admiratio multorumque secuta fides Magistri autoritatem firmauit.

CAPVT VIII.

Mar.1.d.40 Luc.6.c.12. Leui.14.a.2 Luc.7.a.1. Luc.7.a.5. Mal.1.c.11. Mar.1.d.32. Isa.53.a.4. 1.Pet.2.d.24. Luc.9.g.54 Mar.4.d.36 Luc.8.g.22 Mar.5.a.1. Luc.8.d.26 Mar.5.a.11. Luc.8.d.32 Mar.5.b.17 Luc.8.c.37.

VM autem descendisset de monte secutæ sunt eum turbæ multæ: 2. & ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis potes me mundare. 3. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. 4. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. 5. Cum autem introiisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, 6. & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. 7. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. 8. Et respondens Centurio, ait. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vnde, & vadit, & alij, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. 10. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. 11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob in regno cælorum: 12. filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium 13. & dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. 14. Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, & febricitantem. 15. & tetigit manus eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. 16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit: 17. vt impleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. 18. Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit ire trans fretum. 19. Et accedens vnus Scriba, ait illi; Magister, sequar te, quocunq; ieris. 20. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. 21. Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. 22. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 23. Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius; 24. & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. 25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes. Domine salua nos perimus. 26. Et dicit eis Iesus; Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. 27. Porro homines mirati sunt, dicentes; Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? 28. Et cum venissent transfretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. 29. Et ecce clamauerunt dicentes; Quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? 30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens 31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes; Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 32. Et ait illis; Ite, At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare; & mortui sunt in aquis. 33. Pastores autem fugerunt; & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant. 34. Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu; & viso eo rogabant, vt transiret à finibus eorum.

IN CAPVT OCTAVVM

ARGVMENTVM.

Doctrina miraculis firmanda.

DOCTRINÆ Christianæ compendium recensuit Euangelista; nunc in eius confirmationem varia miracula attexit. Et quidem omnis generis. Leprosum sanat in publico, cuius in conspectu morbus erat. Centurionis filium curat absens, ne loco alligata videretur eius potentia: Eius fidem laudat, Iudæorum reiectionem, vocationem gentium prædicit. Venientium ad se alios reiicit, alios accipit, Scrutator cogitationum, & intentionum cordis. Tempestatem sedat, Dæmoniacos sanat, Dæmones in porcos ire permittit. Horum tamen miraculorum pars præcessit, pars secuta eam, quæ supra est exposita, Concionem. Non enim ordinem temporis, sed rerum connexionem habet Euangelista.

gelista. Totum hoc caput diuersis diebus ieiunii, aut ante ieiunium apud Syros in Ecclesia legebatur. Initio enim habetur, *Lectio ad vesperam Dominicæ secundæ ieiunii*, & ad vers. 14. *Lectio ad oblationem septimanæ præcedentis ieiunium.* & ad vers. 23. *Ad vesperam Dominicæ tertiæ ieiunii.* Quæ cum in titulis testamenti Syriaci, tam apud Witmanstadium, quàm in Regiis, & Complutensibus Bibliis habeantur, sitq; in Syriacis Ecclesiis quotidianus vsus, & ieiunii Ecclesiastici consuetudinem probant; & sectarios illius disciplinæ insectatores, prisco more, & lege confutant. *Syro textu ieiunium probatur.*

Cum dicit Christum descendisse de monte, non connectit hæc cum concionibus, sed cum illis quæ cap. 4. dixerat de miraculis factis; nunc doctrinæ subiicit necessariam à miraculis confirmationem. Noua enim dicenti non creditur, nisi & mira facienti. Vt pseudoprophetis omnis occasio præcidatur; itaque hos fructus doctrinæ, miraculorumque & morum Euangelista proponere instituit, vt appareat, vnde authoritas diuina Euangelio sit quæsita.

VERSVS 1.

Cum autem descendisset de monte secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare.

QVÆSTIO I.

Quomodo plenus lepra?

§. 1. SI totus lepra obsitus fuit, vt Luc. 5. 15. *plenus lepra*, non fuisse immundum quidam censent: nam Leuit. 13. 12. sin autem effloruerit, vt omnia complectatur, negat scriptura immundum. Barradius lib. 8. cap. 2. de leuiore lepra, siue scabie ista interpretatur. Tota controuersia ad Leuiticum pertinet. Huc itaque non est accersenda. Plenus lepra dicitur, qui Leuitic. 13. 9. describitur. *Plaga lepræ, &c.*

Plenus lepra immundus.

Plenus dici potest, non quia omnia omnino sine vllo interstitio infecta fuerint, sed quia per totum corpus sparsæ maculæ: ita plenus vlceribus Lazarus, nec tamen nulla penitus parte sine vlcere fuit. Ita atria plena rosarum, campos plenos flo ibus dicimus. Lepra ipsum plena dicitur, cum per omnia sæuit, vti variolæ, aliique morbi qui spargunter. Seneca lib. 3. c. quæst. natur. Fœdam vocat cutis ex albo varietatem, aliis v riligo dicitur. Herod. in Clio. vocat λεύκην albam. In Iudæa frequens erat. Hinc fabula apud Tacitum lib. 5. historiæ, de Iudæis ex Ægypto, ob lepram pulsis. ab Elephantiasi nonnulli distinguunt, verum lepræ nomine omnia illa complectimur.

QVÆSTIO II.

Quomodo adorabat?

§. 1. MAgna prorsus humilitate & affectu. Marci 4. *genu flexo* γονυπετῶν αὐτῷ. & Luc. 5. 12. *πρόσωπον cadens in faciem.*

Vt Deum adorat.

Adorat velut Deum, vt etiam Tostanus fateri cogitur, & *religiose*, inquit, *adorat eum, quem oculu tanquam σώματον intuetur. Totũ Christum* ait *obiectum adorationis, luet causa sit Deitas*, quæ distinctio, quando vsui fuerit, à nobis adferetur. Hic constat, nec humanitatem separatim adoratam, & cultum religionis in diuinitatem natura sua tendentem, ad humanitatem non nisi improprie, & ob coniunctionem cum hypostasi diuina pertinuisse.

Egregie Athanasius hanc leprosi orationem perpendit: *Quis igitur tam vecors est, vt Domino ita loquatur; absiste à corpore, vt te adorem? aut quis ita impius est, vt cum Iudæis propter corpus dicat ei: cur tu cum homo sis Deum te facis? Atqui non istiusmodi moribus leprosus erat: adorabat enim Dominum in corpore, eumque Deum esse persentiebat his verbis vtens, Domine, si vis, potes me mundare. Neque ob carnem arbitratus est esse creaturam Dei verbum, neque quia verbum erat opifex rerum, carnem pro nihilo habuit, quam indutus erat; sed vt in re creata, creatorem subsistentem adorabat, ideoque mundatus est.*

QVÆSTIO III.

An hoc miraculo diuinitas Christi probetur?

§. 1. MIracula diuinitatem Christi maxime ostendunt. Non enim modo propria virtute illa fecit, sed aliis quoque faciendi potestatem concessit. Christum propria virtute fecisse constat Matth. 9. 6. & 7. Hier. v. 13. & 15. item 6. 9. v. 28. 29. *Summa auctoritate Christus fecit miracula.*

Pot. statem dat Matth. 10. & Luc. vlt. obiicit Christoph. Ostorodius Samosatenianus in Instit. Christianæ religionis. [Si Christus, *inquit*, ideo verus esset « Deus, quia mirac. la patrauit, sequeretur etiam omnes « quotquot vnquam miracula ediderunt, vnum illum « & æternum Deum esse. Hoc autem quia manifeste « falsum sit, liqu do quoque inde constare, verba Psal- « mi à Trinitariis non recte intelligi, quippe quorum « sensus sit non quod nemo miracula edere possit, præ- « ter vnum illum ac verum Deum, sed quod omnia ve- « ra miracula à solo Deo proficiscantur, & ille solu po- « tentiam à seipso habeat eiusmodi miracula patrandi. « Ac proinde si quis ex miraculis Christi, diuinam in « Christo naturam probare vellet, eum demonstrare o- « portere, Christum à seipso potentiam illa patrandi « habuisse. Quod autem nihil à seipso fecerit, aut etiam « facere potuerit, Christum ipsum de se verbis diserte « testari Ioh. 5. v. 19. & 30. ac proinde Christum nulla « miracula à seipso, id est, propria virtute, sed patrem « illa omnia per ipsum patrasse Actor. 2. v. 22.] «

Socinus aliâ in Christo, aliam in Apostolis potestatem agnoscit.

Respondeo, Socinum quidem Ostorodii patriarchæ in Christo aliam vim faciendi miracula agnouisse. lib. de Christo inuocando pag. 72. & 73. *Apostolorum potestas in eo potissimum diuersa à Christi potestate fuit, quod ipse virtute patris in se manante res fecit & facit, illi vero virtute quidem eadem, sed non in ipsis, verum in Christo residente faciebant, in cuius nomine operabantur.* Idque multis probat & concludit. Ex quibus præter multa alia quæ adferri possunt apparet, Christum potestatem in seipso habuisse ea faciendi, quæ faciebat, quantumuis admiranda opera, atque vt id crederetur voluisse. Et paulo post. *Ex quibus manifestum fit, inquit, virtutem, qua miracula ab Apostolis fiebant, non in ipsis Apostolis fuisse, sed in nomine & potestate Iesu Christi omnia facta fuisse.*

Molinæus putat hoc miraculum ab eo Marci 41. differre, verum ratio etsi aliqua apparet, nullo tamen modo firma est. Cum vero Christus propria virtute, & voluntatis nutu, ordinem rerum à Deo constitutum mutare potuerit, quod nec Angelis nec Dæmonibus concessum est, sed Deo soli creatori, qui facit mirabilia magna solus, Psal. 71 18. Dubitare non possumus Deum esse: verùm postea pluribus.

QVÆSTIO IV.

An in Domini voluntate constituerit sanitatem?

§. 1. MAguam Domini potentiã agnoscit leprosus; *vt si vel t, mundare possit.* S. Athanasius contra

Arianos ad Adelphium hoc ipso ex loco Christi probat diuinitatem, vt dixi. Leprosus adorabat Dominum, eumque Deum esse præsentiebat, vsus his verbis: *Domine si vis potes me mundare.* idem Chrysost. Euthym. Theophylact. alii sentiunt. Non tamen ex sola genu flexione aut in faciem prolapsu id colligendum est. Nam Orientales magnatibus eiusmodi honorem habebant, sed omnes circumstantiæ considerandæ sunt. Honorem illum Domino habet; deinde eius voluntatem hac in re authenticam, & sui iuris agnoscit. Non petit orari pro se, non aliud, sed voluntatem sanandi sufficere indicat. Quin etiam tacite Christum cordis cognitorem profitetur. In eius enim potestate sanitatem collocat. Si vis, nempe scis me plagam illam meruisse, & causas ipsas nosti, totum tibi committo. Itaque & Christus sola voluntate vsus est; dixitque. Volo. Vti Deus olim in mundi creatione, *dixit, & facta sunt.* Quin etiam S. Ambrosius omnia perpendens. *Volo*, inquit, *dicit propter Samosatenum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum.* Itaque & Deum & hominem esse illa historia docet, posse autem quicquid velit, solius est Dei. Eundem in modum S. Chrysostomus ratiocinatur. *Si vero*, inquit, *non bene ille dixisset, sed blasphemia fuisset in vllo quod dixerat, cohibenda fuerat virtutis operatio.*

Modus sanandi Deũ indicat.

Si blasphemasset, miraculũ inhibuisset.

§. 2. Non erat fides, ipsa leprosi fiducia, qua sciret certo, sibi nullum peccatum vnquam imputatum iri. Verum eius obiectum erat: Christum posse, si vellet, lepram curare: Ideo conditionata propositione vtitur, de voluntate non constabat, nisi cum Dominus diceret. *Volo.* Hinc Caluinus non modo de euentu *incertum fuisse* leprosum scribit, verum etiam dubitat, *an orauerit?* an vero ostenso morbo *omnia diuinæ dispositioni reliquerit?*

Fides non erat specialis fiducia.

Etiam monet Piscator bona temporalia petenda cum exceptione, si ipse dare velit; ita hunc egisse. Hic ergo non erat fides voluntatis, sed omnipotentiæ, non ergo fiducia Caluiniana; illa enim certa est de iustitia sua, & perseuerantia, & voluntate Dei erga se, atque adeo impetraturam quicquid petierit certo nouit.

Quæ fuerit leprosi fides Melanchthon etiam melius, quam recentiores exponit. [Iam quod dicit leprosus. Domine, si vis potes me mundare. Palam est, hunc credidisse, quia dicit potes. Quod vero dicit, si vis, est reiicientis voluntatem suam in voluntatem diuinam. Sic enim orandum est omnibus nobis & hac fiducia, quod speremus Christum daturum quicquid petimus, modo in spiritu, hoc est, si fuerit ea nostra, & gloria Domini. Perinde ac puer qui à patre charo aliquid petit, non dubitat, quin sit impetraturus, & tamen omnia patris relinquit iudicio, si conueniat, quod petiit.]

Sectariorum sententiã nõ est hic fiducia.

Ex quo constat fidem leprosi non fuisse de voluntate sed potentia Christi. Ridiculi igitur sunt qui hinc fiduciam fabricantur.

Voluntas sola in actione laudatur.

§. 3. Voluntarium obsequium esse oportere, S. Ambrosius enarratione in Psal. 1. Dauid ex hisce probat. *Prior voluntas, secunda operatio. Denique vt Dominus dicenti sibi: Si vis potes me mundare: respondit: Volo, mundare. quo ostendit operationibus nostris voluntatem præuiam esse debere. Denique lex voluntarios quærit, quia lex Domini irreprehensibilis est conuertens animam. Nemo autem conuertitur, nisi qui voluntate conuertitur. Voluntarius autem abscondit, & sensum furatur laboris.*

QVÆSTIO III.

Cur tetigit leprosum?

§. 1. LEprosi tactus in lege prohibitus fuit, vt alia earum rerum mandatum. Non fuit ergo in eo peccatum fuit, neque enim eo proposito lex lata videtur. Leprosos enim valde ægros curare, portare, mortuos sepelire oportuit. Sed lex pœnalis erat, vt qui tetigisset, esset immundus. Immunditiem ne legalem quidem Christus contraxit, qui alium tangens eum mundauit. Ita Abalens. aliique. Constat enim Tobiam cadauera portantem & sepelientem non modo non peccasse, sed gratum Deo officium præstitisse. Neque adeo effrons erat Pharisæorum impudentia, vt ex eo contactu Christum immunditie contaminatum calumniarentur, quo experientia docebantur omnem lepræ molestiam, fœditatemque penitus absterſam fuisse.

Externa mundities est incontaminabilis.

VERSVS 4.

Et ait illi Iesus, vide nemini dixeris.

QVÆSTIO I.

Cur dicere alicui vetuerit?

§. 1. CAusas varias adferunt interpretes, quos inter Basil. ad Cæsarienses omnes fere complexus est. 1. Ne videretur vanam gloriam consectari, cuius quidem in ipso nullum erat omnino periculum, sed nobis modestiam exemplo monstrare voluit. Ita Origen. hom. 5. in diuersos. Chrysost. hom. 26. Ambros. in Luc. 5. sic Matth. 9. duobus cæcis præcepit, & parentibus, quorum filiam excitauit, sic quoque Hieron. Ep. 20. ad Theraſiam de vera circumcisione. *Iubet illum nemini narrare suam virtutem: secretum quoque diuinæ maiestatis, quod mysterium incarnationis occuluit, ab eo qui sanatus fuerat, vult fieri, ne gloriam quasi homo quærere videretur, quam alio more & mystica ratione suscepit.* 2. Vt fugeret inuidiam sacerdotum. 3. Concursum vitaret, sed de hoc silentii præcepto suis dato, singularis causa est. Sacerdotes lege cautum erat Leuit. 14. Ne qui leprosus iudicatus esset à sacerdotibus, quamuis omnino persanaretur, in hominum consortium, sine eorundem iudicio admitteretur. ea causa, & suos ad eosdem iudices Christus remittit. Periculum porro erat, ne si ille intempestiuo gaudio præuertet fletu iudicium, cum sacerdotes odio Christi, vel non declararent sanum, vel recluderent plura examina subiturum, si enim ad miraculum suscitati Lazari obliterandum, eum cogitabant occidere, cur non hic eodem modo, vel falso iudicio, vel alia fraude hoc miraculum calumniarentur? Nemini igitur dici voluit, donec iudicio sacerdotum absolutus, ciuitati, & familiæ esset restitutus. Alii quoque aliam rationem adiungunt. Non à quouis, sed Apostolis prædicari voluisse; sed omnes miraculorum testes esse poterant, neque enim Apostolico se muneri ingerebant, si miracula in se facta referrent, eaque laudarent. Caluinus & Beza, id prohibuisse, ne turba obstupescens miracula non satis spatii Christo ad docendum daret. Contrarium tamen apparuit. Quo enim plura miracula videbant, eo cupidius, feruentiusque sermones audiebant. Vt enim ad verbum audiendum accederent, ideo miracula faciebat. Addo etiam illud, cum tot eodem tempore & tam conspicua miracula faceret, parum momenti fuisse adarcendam plebem à miraculorum petitione, si vnus ille miraculum taceret.

Sacerdotes iudicio sanitatem dicabant.

Miracula ad audiendum Christum allicuerunt.

§. 2. Marcus vers. 45. Eum cœpisse vbique prædicare ideo quidam negant serio prohibitum; Caluinus *iure damnandum*, ait, *quod non paruerit Christi mandato.* Serio prohibitum non dubito, sed donec sacerdoti se ostendisset; ille tamen amore Christi in initio, & gaudio præceptum transgressus est, qua in re, quale & quantum peccatum admiserit, solus ille nouit, qui scrutator est cogitationum, & intentionum cordis.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Cur mittit ad sacerdotes?

Leuiticos sacerdotes honorat.

§. 1. CAusæ dictæ ex parte sunt, vt absque molestia & periculo ad hominū consortia admitti posset. Deinde vt sacerdotio Leuitico honorem haberet, eosque hoc beneficio mitigaret, ne se tam contumaciter persequerentur. Id ex Marco confirmatur; nam dixit illi; *ostende te principi sacerdotum*; honoris causa factum putat Cyprianus Ep. ad Rogatianum, *Dominus etiam noster ipse Iesus Christus Rex, & Iudex & Deus noster vsque ad passionis diem seruauit honorem pontificibus & sacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent. Nam cum leprosum emundasset, dixit illi: Vade & monstra te sacerdoti & offer donum. Humilitate ea quæ nos quoque humiles docuit, sacerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. lege enim sacerdotum sine sententia publica segregatus erat, oportebat itaque & lege restitui in integrum.* Augustinus quæst. Euang. I. cap. 3. Probatum hac ratione ait veterum sacrificium, cui successerit corporis eius oblatio. *Quod Dominus dicit leproso mundato, vade ostende te sacerdoti & offer munus pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. Hic videtur approbare sacrificium, quod per Moysen præceptum est, cum id non receperit ecclesia. Quod ideo iussisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est. Nondum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum euersum est, vbi illa sacrificia offerri solebant. Hoc autem factum est secundum prophetiam Danielis: non enim oportebat auferri significantia sacrificia, priusquam illud quod significabatur confirmatum esset contestatione Apostolorum prædicantium, & fide credentium populorum.* Et libro 1. cap. 19. contra aduersarium legis & prophetarum, probat vetera sacrificia non oblata dæmonibus. *Illum sensum*, inquit, *veritas ipsa declarat; quia in templo cui seruiebat carnaliter Israel non vtique idolum colebatur. Nam si sacrificia, quæ in illo templo secundum veterem legem offerebantur Deo, tanquam idolorum sacrificia damnarentur, vel tanquam dæmoniis immolata, nullo modo ipse Dominus Christus leproso quem mundauerat, diceret, vade ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Nondum enim dederat pro sacrificiis illis omnibus sui corporis sacrificium, nondum solitauerat sui corporis templum.* Mittendi igitur & illa causa fuit, vt sacrificia illa honoraret, ostenderetque vnum eundemque Deum esse, qui illa ad significandam suam gratiam in Nouo Testamento conferendam instituit, & qui eodem aduentu gratiæ, velut signa inutilia sustulit.

Sacrificia vetera probauit.

QVÆSTIO III.

Quod munus offerendum?

Sacrificia leprosi.

§. 1. QVidam legunt τὸ δῶρον σου, quod etiam Syrus habet. Leuit. 14. sacrificium constituitur offerendum. *Adducetur ad sacerdotem: qui egressus de castris, cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos passeres viuos pro se, quos vesci licitum est. & lignum Cedrinum, vermiculumque & hyssopum. & vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum qui mundatus est, septies, vt iure purgetur, & dimittet passerem viuum, vt in agrum auolet.*

Duplex ratio offerendi muneris iudicatur, sic dicit. *In testimonium illis*, apud Lucam & Marcum additur, pro emundatione tua. *In testimoniū illis, in testimonium, in redargutionem, accusationem & documentum, si peruersæ vellent esse sententiæ*, ait Chrysostomus. *Ipsum in testimonium*; multique alii nudum sensum sequuntur, interpretatur noster Sa, aliique, vt sit testimonium potestatis meæ, vel me non esse legis euersorem, vel potius vt ipsi sint testes, te vere sanatum esse. Ita Chrysost. alii putant non agi de testimonio miraculi facti, vel seruatæ à Christo legis. Nam Lucas & Marcus ostendunt, non esse ita connectenda, vt dicamus, offerri munus in testimonium illis quod præcepit Moses: Verum esse sensum, offer munus, quod munus offerri Moses præcepit illis in testimonium. Marcus habet, offer pro emundatione tua quæ præcepit Moses in testimonium illis, Lucas καθὼς, quemadmodum. Vt Moses præcepisse dicatur, munus offerre in testimonium illis. Moses vero non præcepit offerri in testimonium potestatis Christi Domini. Hilarius certe can. 7. testimonium hoc ad Mosis præceptum refert: *præmium quoq; receptæ salutis qui purgatus est, Deo offerat; vt donum illud non sit ex auibus, sed vt homo ipse à sordibus peccati corporis emundatus, in sacrificium Dei transeat: quia quod Moyses in lege præceperit, testimonium sit, non effectus.* Quod vero Pictator, *testimonium contra ipsos* & vult datiuum ἀντὶ τοῦ respondere Hebreæ voci בהם & præpositionem ב valere. *contra*, idque probat ex Deut. 31. 46. 1. Reg. 8. q. 3. Reg. 2. 42. Psalm. 5. 7. ab hoc loco alienum est. In Syro enim est לסהדותהון *lesahadutehun. In testimonium ipsorum*, vt etiam Iunius & Tremellius verterunt. *In testimonium.*

§. 2. Emundatio illa non erat à lepra; non enim nisi iam sani sacerdotem adibant; sed mundatio legalis erat, quæ præcipitur Leuitici 14. 8. Vbi sacrificium iam mundato præcipitur. *Cumq; lauerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis & lauabitur aqua: purificatusque ingredietur castra, ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus, & die septimo radat capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus & corpore, die octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.* Iam mundus castra ingressus erat, tamen sacrificia, quæ à v. 1. ad 32. vsq; scribuntur offerenda erant. Versu 14. dicitur, *qui mundatur*, cum tamen iam mundus esset, sed de legali sermo est, qua non modo mundus, sed publice mundus & probatus Reipublicæ & sacrorum esset particeps. *Emundatio cærimonialis erat.* *Confessio ex leprosis.*

QVÆSTIO IV.

An ex eo quod ostendere iubetur se sacerdoti, probetur confessio auricularis?

§. 1. ASseuerat Calu. l. 3. 4. §. 4. Instit. & Beza nos id facere. Sed multo imprudentius Bullingerus in hunc locum, quem appono, vt genus calumniandi prudens lector agnoscat. [Mirum ergo est, qua audacia ausint Papæ Apostoli, Monachi, huius loci præsidio docere confessionem illam auricularem suam diuina lege esse præceptam, cum hic nulla feratur lex de confessione peccatorum Ecclesiastica, sed politica modo ordinario de inspiciendis leprosis tribuatur. Audax certe saltus est è politica lege in Ecclesiasticam transilire: audacia est ingens pro politica Ecclesiasticam reponere. Alibi quoque Sammaritanus leprosus non abit ad sacerdotes, sed in itinere sentiens se mundatum esse, redit ad Christum, ac pro

" ac pro accepto beneficio Christo agit gratias. Et
" quoniam huius fides eximie laudatur à Domino, vi-
" tuperandi non sunt, qui præteritis sacerdotibus, Chri-
" sto confitentur peccata sua, & huic soli omnem glo-
" riam tribuunt.] Nos vero nequaquam ex eo iudi-
" cio confessionem auricularem probamus; sed multi Catholicorum, comparatione ista, confessionis vsum exponunt. Quemadmodum enim veteri sacerdotio cognitio & iudicium de lepra commissum est, ita in Nouo Testamento, cum potestate ligandi, & soluendi cognitio lepræ spiritalis ad sacerdotes pertinet. Explicatio est à simili, non probatio contra contumaces. A Domino ergo in spiritalem lepram concessa est potestas. Ita Theodoretus lib. de sacrific is. ὥσπερ τὴν λέπραν ὁ ἱερεὺς διακρίνει, οὕτω χρὴ τῆς ψυχῆς ἁμαρτημάτων εἶναι κριτήν. *Quemadmodum*, (in lege Mosis scilicet) *sacerdos lepram discernit, ita sacerdotem de peccatis oportet esse iudicem.*

Legi ciuili similis lex Ecclesiastica. Itaque iam olim vsitatum erat confiteri, nec ex lege politica legem Ecclesiasticam statuimus: Nam etsi illa lex de leprosis, vt magnam partem Ecclesiastica fuit, ita tota Ecclesiastica fuisset, non tamen inde conficeremus Ecclesiasticam nouæ legis. Sed siue politica, siue Ecclesiastica, siue mista fuerit, similitudine potestatis inde ostendimus. Similitudo autem ex natura sua declarat, non probat, nisi aliunde auctoritatem capiat.

Sub nomine Monachorum vetustis maledicit. §. 2. Vt vero intelligat, quam atrociter viris sanctis nomine Monachorum maledicat. Pauca veterum citabo, vt videat, quorum causam oppugnet. Cyprian. Serm. 5. de lapsis. Augustin. cap. 4. de vera & falsa pœnitentia. Cyrillus Alexandrinus lib. 17. in Ioan. cap. 5. Athanas. hom. Ite in castellum. Chrysost. hom. de ieiunio. Hermias lib. 1. de historia Ecclesiastica. Clemens Roman. constit. Apost. libro 2. c. 84. Τοὺς ἱερεῖς τοὺς τῶν ἁμαρτιῶν λύσαντας ὑμᾶς, οἱ τῷ θεῷ ζωῆς, καὶ θανάτου ἐξουσίαν εἰληφότες, ἐν τῷ δικάζειν τοὺς ἁμαρτήσαντας, καὶ λυεῖν ἁμαρτίας τοὺς μετανοοῦντας. *Sacerdos iudex de peccatis.* *Sacerdotes qui vos peccatis soluerunt, à Deo vitæ & mortis acceperunt potestatem, dum iudicant peccatores, & absoluunt conuersos.* Tantæ antiquitatis est id quod calumnia Monachis qui si inuentoribus intentat. Quanta est porro audacia in tanta luce vetustatis, & copia librorum, tam sine verecundia mentiri? Nos potius Gregorium Nazianzenum audiamus.

Χρήζον δὲ παθέσιν ἀκέστορ᾽ ὃν κατακλύσῃς
Οὔποτε σηπέδονα φεύξεαι ἀρρωστίην.

Peccata nõ celanda. *Cum pro morbis medici indigeas, non euades non exitiosam putredinem, si celaueris.*

Iud candum igitur est, ac proinde cognoscendum. Scitum est enim illud grauis Poetæ

Si iudicas, cognosce.

Morbidam pecudem repellere iubentur sacerdotes, ne pars sincera trahatur. Vmbra nostræ potestatis est, quæ erat apud Iudæos. Num. 5. Eiice leprosum de castris. Clemens l. 2. cap. 37. constitut. Apostolic. Καθάπερ ἀργυρονόμοι τὰ φαῦλα τῶν νομισμάτων ἀποκρίνουσι, τὰ δὲ δόκιμα οἰκειοῦνται, οὕτω καὶ τὸν ἐπίσκοπον τὰ μὲν ἀμώμητα κατέχειν, τὰ δὲ ἐπίμωμα ἢ ἀνιάτως νοσοῦντα ἀποβά-
" λλειν: id est, [vt argentarii adulterinos nummos ex-
" cernunt, probos admittunt, ita Episcopum oportet,
" eos, qui labe carent, retinere, eos, qui vitiosi sunt, aut
" curare, aut si morbus immedicabilis est, abiicere.]

Atque ad calumniam ex huius scripturæ deprauatione contextam sufficiant.

VERSVS 5.

Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum & dicens, Domine puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.

QVÆSTIO I.

An centurio accesserit?

§. 1. APparens pugna inter Euangelistas per S. Hieronymum, & Augustinum conciliata fuit. *Euangelistæ conciliati.* Apud Lucam per seniores Iudæorum accedit. Quod vero per amicos fecit, per se fecisse visus est. Nec improbabilis esset eorum sententia, qui hunc, & illum cuius est mentio apud Lucam diuersos arbitrantur: etsi enim omnia paria quodammodo sunt: nihil tamen mirum duos centuriones, quorum vterque habeat famulum paralyticum, vtrumque humilem & pium, vsum eadem oratione; quin imo potuit vnus exemplo alterius vsurpare eadem verba. Quia tamen eodem tempore & loco factum vtrumque refertur, non iudico pro diuersis esse habendos, olim obiectum à multis testatur Augustinus lib. 33. contra Faustum. *Idem vterque fortasse.* *Illud potest sane & requiri inter fideles, & obiici ab infidelibus solet, sed etiam ipsis vel parum eruditis, vel nimis contentiosis nisi admoniti respuerint, quod Matthæus dixit, accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens. Lucas autem quod miserat ad eum seniores Iudæorum, hoc ipsum rogantes de puero eius qui ægrotabat, vt eum sanaret: Et cum appropinquaret domum, misserit alios per quos diceret, non esse se dignum in cuius domum intraret Iesus, nec seipsum dignum, vt veniret ad Iesum. Quomodo ergo secundum Matthæum, accessit ad eum rogans & dicens, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur? hoc ergo intelligitur Matthæum breuiter sententiam ipsam plenam, integramque complexum, dicentem quod centurio accesserit ad Iesum, & non dicentem, vtrum per seipsum accesserit, an per alios: & quod ei de puero suo illud dixit, non exprimentem vtrum per seipsum dixerit an per alios. Quid enim? nonne talibus locutionibus humana plena est consuetudo, cum dicimus aliquem ad aliquid multum accessisse, etiam quem, nondum dicimus peruenisse? Nonne & ipsam peruentionem, cui quasi videtur non esse quod addi iam possit, etiam per alios fieri vsitatissime loquimur sæpe dicendo. Egit ille causam suam, peruenit ad iudicem, aut peruenit ad illum vel illum potentem; cum plerumque faciat per amicos non viso eo prorsus, ad quem quisque dicitur peruenisse? Vnde etiam tales homines quicunque ad potentium quodammodo inaccessibiles animos, siue per se ipsos, siue per alios ambitionis arte pertingunt, iam etiam vulgo peruentores vocantur. Quid ergo, cum legimus, obliuiscimur quemadmodum loqui solearnus? an scriptura Dei aliter nobiscum fuerat, quam nostro more locutura?* Similia habet l. 2. c. 20. de consensu Euangelistarum. S. Chrysostomus ab adulantibus Iudæis persuasum illi putat, ne iret, se Christum adducturos, non dubito, quin homini diuiti potentique vultures illi adulati sint, causa tamen non veniendi *Non non fuit ipsius humilitas, credidero tamen audito Iesum ob humilitatem* aduenire, obuiam iuisse honoris causa.

QVÆSTIO I.

Quis centurio?

§. 1. GRæce habetur, εἰσελθόντι δὲ αὐτῷ εἰς καπερναοὺμ προσῆλθεν αὐτῷ. *Ingressus enim Capharnaum accessit ipsum.* Vbi repetitionem illam, quasi secundo loco ponitur αὐτῷ, Lucas Brugens. putat pleonasmum Hebræum esse, non autem legendum εἰσελθόντι προσῆλθεν αὐτῷ. Syrus habet: *cum autem intrasset Iesus Capharnaum accessit ad eum centurio.* Non necessario Ethnicus centurio *Centurio* fuit; vt nonnulli sunt arbitrati: Nam in militiam Romanam Iudæi adsciebantur, quemadmodum & *Iudæi* cæteræ

cæteræ gentes, ex quibus delectus habebantur. Quod si Paulus erat ciuis Romanus, cur non Iudæus alius, centurio? potuit igitur esse centurio, vel Iudæus, vel proselytus, quamuis ex vers. 10. & Luc. 7. 3. satis constare videtur, Iudæum non fuisse.

QVÆSTIO I.

An ex eo, quod Seniores pro centurione intercedunt, colligatur sanctos pro nobis intercedere?

Centurio intercessione patris non peccauit.

§. 1. PRimo certum est, centurionem rogantem seniores, vt causam suam apud Christum agerent, nec Deo, nec Christo contumeliam vllam intulisse, quasi vel contemneret, vel nimiam numinis asperitatem veritus, ad seniores velut mitiores confugeret. Nam eadem omnia nobis pro inuicem orantibus orationesque fratrum petentibus obiici possent. Tu hominis vim intercessionem, deprecationem, patrocinium postulas, & nescis Deum infinities illo magis misericordem esse? an hominis peccatoris oratio peccatrix te adiuuare poterit? Hæc ergo, similiaque de precibus viuentium obiici possunt. Deinde etiam de precibus angelorum pro nobis, nõ ergo sunt obiicienda de precibus sanctorum cum Christo regnantium quos contemptim mortuos hæretici in peccatis suis mortui appellant.

Viui pro viuis orant.

§. 2. Si ergo viuentes pro viuentibus orant, orant igitur & in domino mortui, ideoque Domino viuentes. Possunt, quia Deum vident præsentes, & ab eo amantur. Volunt, quia nos diligunt. Caritatem enim beatitudo non minuit, sed auxit, hoc ipso quod tutam fecit.

§. 3. Antiquæ veritati se se multi hoc loco, sed imprimis Tossanus opponit. [Male confunditur, *inquit*, status ille vitæ futuræ cum statu præsente, & ἐνέργεια charitatis perpetuæ cum temporaria. In illa vita vt nullus est dolor aut gemitus, sed perpetua quies: nec ingemiscunt sancti, nec compatiuntur vt in his terris: licet charitatis ἐνέργεια illa maneat quod nobis bene volunt, & optant nos secum colligi in illam beatitudinem: toti tamen feruntur ad Dei contemplationem & laudem: nec vident angores nostros, nec occupati sunt solicitudinibus, vt hic patres familias solliciti sunt de familiis: quæ solicitudo & mutua consolatio & intercessio propria est huius vitæ, mandatumq; habet in scriptura. Consulere autem mortuos prohibitum Esai. 8. 19. Nec Christus hoc loco aliquid dedit intercessioni Iudæorum, sed fidei potius centurionis.]

Viui non curant nisi angere.

Respondeo. Non confundi à nobis beatorum in æterna, & laborantium in temporaria vita statum. Nec sequitur eos, si non ingemiscunt, non compatiantur, non etiam nostram causam agere, manet ἐνέργεια seu charitatis efficacia, sine amantium dolore, & angore. Bene nobis volunt, hoc est amant, & caritatem suam ociosam esse nolunt. Toti feruntur in laudem Dei, eumque laudando contemplandoque pro fratribus deprecentur. Vident angores nostros, quando, & quot, & quantum Deus ostenderit, & audiunt quotidie à venientibus à nobis ad ipsos, & ab angelis ministris ac internunciis; norunt inquam nostra aliqua, qui etiam impiorum tormenta & fumum ascendentem, in seculum seculi intuentur. Non sunt quidem solliciti, cura angente, & affligente, sed tamen caritate diligente bona nobis exposcunt.

Hæreses contra sanctorum inuocationem.

§. 4. Porro in hoc Tossani discursu tot sunt hæreses, quot sententiæ. 1. statuit oportere esse in illis gemitum & dolorem, si intercedant; cum tamen & Christus interpellet, & angeli sine dolore. 2. Ad intercessionem arbitratur necessarium, ne toti in contemplationem Dei ferantur, & laudem. Sic enim argumentatur. *Toti feruntur in contemplationem Dei & laudem, non igitur pro nobis orant.* Quod axioma hæreticum est: Consequitur enim nec Christum, nec angelos, dum ille mundum gubernat, hi seruiunt in salutem electorum, totos in contemplationem & laudem Dei ferri. 3. Existimat eos sine sollicitudine humanas res curare non posse, quod eodem modo de angelis diceretur. Quomodo consulere mortuos vetitum sit Isa. 8. 19. dicam suo loco. Christum aliquid tribuisse intercessioni Iudæorum verba declarant, cum ait, ego veniam, & curabo eum. Et quomodo illi definiunt nihil Iudæis illis tributum, cum id scriptura non neget, & ipsi se absque scriptura nihil asserere iactent? Habebat ille fidem, cui dedit hoc Christus, sed habebant & fidem deprecatores seniores: rogabant enim vt vellet, posse certo credebant. Maior erat fides centurionis, sed tamen etiam eos qui minore fide orabant exaudit Christus. Nam paulo post in tempestate τῆς ὀλιγοπίστως exaudiuit, fidem pro aliis aliquid impetrare omnes consentiunt; itaque si fidelis pro infideli beneficium impetrat, cur non & pro fideli? nec impedit fides eius cui aliquid impetrandum est; sed adiuuat, eoque magis quo maior est. Christiani pro Paulo orabant, at quis eorum fidem suam fidei Paulinæ conferre, nedum præferre auderet? Nam etiam infirma fides viua est.

Intercessioni Iudæorũ aliquid tributum.

§. 5. *At nostra non norunt*, inquit. Quid nunc de notitia sanctorum, quam de rebus nostris habent, sentiant aduersarii, non est omnino certum. Matthæus Scladus in appendice disceptationis Scholasticæ cum Conrado Vorstio, ei obiicit quod *sentiat animas defunctorum cum corporibus obdormire.* Rationem reddit; quia negat illos res nostras curare. *In specie* scilicet *& distinctæ*, vt habet disp. 3. de causa desert. Papatus thesi 15. Dubitat vero in defensione Vorstius, an nobiscum Scladus sentiat. Interim hanc sententiam Scladus in Vorstio exagitat & consequenter in Caluino lib. 3. inst. c. 20. §. 23. & 24. Aretio de sanctis in locis comm. Bullingero de origine errorum c. 15.

De παννυχίαις animarum.

Hoc saltem hinc euincimus, sanctos generatim res nostras curare, ideoque generatim saltem orare pro rebus nostris. Nam curare res alterius, & non etiam ei proponere cuius in potestate sunt, non est eorum qui magna flagrant caritate.

VERSVS 6.

Et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.

QVÆSTIO I.

Quis morbus?

Paralysis.

§. 1. Παραλυτικὸς, paralyticus vocatur, & male dicitur torqueri. δεινῶς βασανιζόμενος, mira igitur & subita fuit; nam ordinaria caret tormento: Galen. περίλυσις ἐστι πάθος βλάπτον τὴν κατὰ αἵρεσιν κίνησιν, ὅλα μέρεσιν, ἢ ἐν μέρει ἡμόμυον, πεπόντων τῶν νεύρων ἢ τῶν μυῶν. Initium quidē solet esse cum tormento, sed sensim obstupescentibus neruis, dolor euanescit, motrix facultas impeditur tantummodo.

§. 2. Puerum vocat seruum, morbi grauitatem indicat verbo βέβληται *proiectus est*, sic & Socrum Petri ait βεβλημένην *proiectam*. Virg. *sternitur & toto proiectus corpore terræ.* Noster eleganter vsus verbo iacendi; imperite reprehenditur, per ius corrigitur. Verbum enim illud vsurpatur pro illis, qui abiecti sunt, & prostrati, sumptum à gladiatoribus, inde etiam iacere dicuntur, qui opibus aut dignitate deiecti, in luctu & squalore versantur. *Totus iacet*, inquit Tullius &c.

VER-

VERSVS 8.

Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

QVÆSTIO I.

Quomodo non erat dignus vt intraret sub tectum?

Lectio constituta.

§.1. IAm videtur audisse leprosum sanatum verbo; itaque tantum rogat, vt verbo dicat, iubeat, velit; fore sanum famulum. εἶπε λόγῳ, *dic verbo*, alia exemplaria εἶπε λόγον, *dic verbum*. Brugensis testatur multos habere, λόγον, octo Parisiensium, aliosque λόγῳ, omnes apud Lucam habent λόγῳ, ita & Syrus אמר במילתא *Amar bemelletha*, *dic in verbo*. Dignum se negat, ἱκανὸν, hoc est, idoneum, vel sufficientem, qui Christum domo excipiat.

§.2. Reuera dignus non erat; sed hæc cognitio sui, cuiusque humilitas est; vt peccatores nos esse sciamus. Augustin. Serm. 6. de verbis Domini. *Audiuimus cum Euangelium legeretur, fidem nostram in humilitate laudari.*

Humilitate fit dignus, qui non est virtute.

Ad domum quippe centurionis cum se promitteret Dominus Iesus iturum vt puerum eius sanaret, ille respondit: Non sum dignus, vt sub tectum meum intres; sed tantum dic verbo, & sanabitur. Dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. Neque enim hoc diceret, cum tanta fide & humilitate: nisi illum, quem timebat intrare in domum suam, corde gestaret. Nam non erat magna felicitas. si Dominus Iesus intraret in parietes eius, & non esset in pectore eius. Magister quippe humilitatis & verbo & exemplo, discubuit & in domo cuiusdam Pharisæi superbi, nomine Simonis. Et cum in domo eius recumberet, non erat in corde eius, vbi caput filius hominis reclinaret. Dignitas autem quæcunque in creatura esse potest, à solo creatore est. Interim hoc quoque apparet centurionem Christi diuinitatem credidisse. Diuinam potentiam itaque Christo adscribit, dum ei vitæ & necis arbitrium tribuit. Vni verbo sanitatem acceptam refert. Quod nisi Christus suam potestatem diuinam asseri voluisset, sine dubio reclamasset, & in Deum totam operis laudem retulisset, sibi nihil adscripsisset, vt Actor. 14. Paulus & Barnabas fecerunt.

VERSVS 9.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii, veni & venit; & seruo meo fac hoc, & facit.

QVÆSTIO I.

Quid illa excusatione centurio indicare voluit?

Centurio alteri subditus operabatur absens.

§.1. OStendere conatur non opus esse præsentia redemptoris. Nam si ego sub aliena potestate constitutus, solo tamen verbo multa facio; nam milites obediunt & imperata exequuntur absentis, quanto magis tu omnia poteris? cedet morbus tuo etiam absentis imperio. Ita S. Augustin. l. 1. Sermone in monte. Fuit quædam in lectione diuersitas, Beza legit, vt refert Maldon. ἐπ' ἐξουσίαν, *in potestate*, vel *super potestatem*, sed editione posteriori correxit, & ait ὑπεξούσιον vocari, qui scilicet est sub aliena potestate: Syrus דתחית שולטנא *dethchet sultana*, quod noster interpres charitatis causa addidit, *constitutus*, ex Luca sumptum est, qui habet τεταγμένος.

§.2. Nam & ego. Beza *deprauari sententiam illa* versione putat, *non enim à pari argumentatur plenus fidei.* Hoc vero est nodum in scirpo quærere. Tam enim à minore ad maius argumentum est, cum dicit: *Nam & ego*, quam si dicat: *Etenim ego.* Vtraque locutione causa redditur; cur Christus maior possit absens verbo, cum ipse multis modis minor nonnulla sic peragat. Nec probo quod Franciscus Lucas ait. [Ratio ista non ita perspicua est, dum iuxta nostram editionem legitur, Nam & ego, quamuis ita complures alii transferant, etiam Syrus ipse אם אנא גיר *aph ana ger*, nisi hoc aut simili modo intelligas: Nam & ego homo licet sim sub alterius potestate, tamen quia habeo sub me alios, multa solo iussu perficio. vt post illud: Nam & ego, comma fiat; referaturque illud, non ad proximum homo sum sub potestate, sed ad istud, secundum rem, dico huic vade, & vadit; & alio &c. tametsi coniunctio intercedat.] Clarissima est enim. Tu absens poteris: nam & ego sub aliena potestate constitutus sum, & dico huic vade, & vadit; eadem sane in græco & Syro est ratio. Augustin. sane intellexit: *Si ego homo sub potestate, iubendi habeo potestatem, quid tu non posses, cui omnes seruiunt potestates?* Militiam probari illa sententia demonstrat Augustinus lib. 22. c. 74. contra Faustum Manichæum. *Militia.* *Eius fidem laudat, desertionem militiæ non imperat.*

VERSVS 10.

Audiens autem Iesus miratus est, & dixit.

QVÆSTIO I.

Quomodo miratus est?

Deum tribuit rationi mirandi.

§.1. MAnichæi hinc docebant, Christum quædam ignorasse. Miratio est enim rerum quæ inopinatò accidunt, quarum causæ ignorantur. Hunc in modum quidem homines mirantur, dum ignorant, dum noua putant, & insolita. Deus autem miratur, & iracitur, dum in modum mirantis agit, aut irati, dum ostendit rem magnam esse, & miram hominibus. Ita Augustinus; mirando laudant. Nec sic locutus fuisset centurio, nisi cor eius intrasset Christus, qui nolebat, Christum tectum suum subire.

Respondet Augustin. de Genesi contra Manich. lib. 11. *Vidit ergo Deus lucem, quia bona est: quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum. Quod si dictum esset, miratus est Deus lucem, quia bona est, quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim rerum de rebus inspectatis nasci solet, & tamen legunt isti, & laudant Dominum nostrum Iesum Christum in Euangelio admiratum esse fidem credentium. Qui autem in illo fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quod si & alius eam fecisset, vt quid miraretur qui præscius erat? Si soluunt Manichæi quæstionem istam, videant quia & illa soluit potest. Si autem non soluunt, quid ista reprehendunt, quæ ad se nolunt pertinere, cum illa quæ ad se pertinere dicunt, non nouerint? Quod enim mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moueri. Omnis ergo tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis Magistri.* Sic sunt & verba veteris Testamenti, *quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen vt nutriatur fides, & ad ea perueniamus, quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quæ capere possumus.*

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quæ fides centurionis?

§. 1. QVædam exemplaria Græca apud Erasmum, & Lucam Brugensem ita habent, Καὶ ἐλθὼν ὁ παῖς αὐτὸς ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, καὶ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτὸς ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ εὗρε τὸν παῖδα ὑγιαίνοντα, quæ videntur ex Luca in hunc locum translata. Effectus igitur fidei ostenditur; nam in ipsa hora, seu temporis articulo sanatus est, vt est in Syro, vide Dan. 4. 30. hæc est enim בשעתא beschaghatha, quod indicat ipsum rei gerendæ momentum.

Fides centurionis non fuit fiducia.

Nec de fide dubitare fas est, quænam illa fuerit, cum dicat expresse: *fiat tibi sicut credidisti.* Crediderat ergo posse puerum sanari, idque consecutus est. hinc apparet, centurionem obuiam venisse, cũ omnino audiret Iesum ad se venire; itaque fides illa alteri profuit, nec fuit præsumptio de salute.

§. 2. Hæretici fiduciam interpretantur. Bullingerus credidisse eum dominum sanare posse, & velle; atque hanc fidem ita deprædicat, vt veram efficere, & „ iustificantem arbitretur. Verba eius ita habent. [Pau„ culis, sed iis euidentissimis exponit efficaciam, virtu„ temque fidei. Efficit fides vt quod secundum verbum „ Dei credimus, hoc diuina potentia operante accipia„ mus, credidit centurio dominum posse, & velle sana„ re ministrum suum decumbentem; Dominus ergo sa„ nauit ipsum; itaque fides suum habuit effectum. Se„ quitur enim; illa ipsa hora sanatus est famulus eius. „ Proinde si credas te iustificandum sanguine filii Dei, „ iustificaberis protinus. Verbum enim Dei dicit. Qui „ crediderit in filium Dei, iustificabitur. si credideris „ Deum illum optimum maximum fore Deum tuum, *Tam de-* „ qui te purget ab omnibus peccatis tuis, liberet ab o- *mum illa* „ mni malo, exaudiat in quauis necessitate: breuiter qui *certa* „ sit futurus pater, rex, protector, copiæ cornu, & asy- *sunt, cum* „ lum tutissimum, tum firmissimum, euenietque tibi certo *Deus re-* „ quod credis. Nam secundum verbum Dei credis & *uelauit.* „ verbi Dei sensum catholicum ac genuinum tenes. In „ verbo enim Domini huius generis infinitæ reperiun„ tur promissiones, ac sese subinde clarius exponunt.]

Clara res, si absit contentio. Centurio se Christi conspectu credebat indignum, eum solo verbo absentem sanare posse credebat; vt vellet Iudæis deprecatoribus vtebatur, & ipse orabat, quia velle sperabat. Non quia velle credebat. Effectus fidei fuit, sed per spem & caritatem operantis. Nec centurioni in mentem venit, sibi sua peccata quæ faceret, aut facere vellet, non imputari: nec huius fiduciæ effectus erat famuli sanitas.

Caluinus centurionis fidem detrahit.

Caluinus etiam l. 3. instit. c. 2. §. 13. Non audet hanc „ centurionis fidem ad fiduciam suam reuocare. [Con„ trahad particulare, *inquit*, aliquod obiectum aliquan„ do restringitur, sicuti cum dicit Matthæus Christum „ fidem eorum vidisse, qui per tegulas paralyticum de„ miserant: & ipse clamat se non inuenisse tantam fi„ dem in Israel quantam centurio attulerat. Atqui pro„ babile est intentum prorsus fuisse ad filii sanationem, „ cuius cura occupauerat totum eius animum. Sed quia „ solo Christi nutu & responso contentus corporalem „ præsentiam non flagitat, huius circumstantiæ causa „ tantopere extollitur eius fides. Et nuper docuimus „ Paulum accipere fidem pro dono miraculorum, quo „ pollent qui nec Spiritu Dei sunt regeniti, nec eum se„ rio colunt.] Quo tætrior est recentiorum Caluinianorum Parei, & aliorum fraudulentia, qui hanc centurionis fidem pro stabilienda fiducia præsumptuosa adducunt.

Contra suos ergo Pareus agit de iustificat. l. 1. c. 4. & 6. cum hanc fidem fiduciam definit, qua quispiam certus est de salute. Contra eum stat Beza cum Caluino; ἄνθεσι ἡρώων, *flores heroum*, vt ipsi putant.

Caluiniani prudentiores rebus à veterum stoicismo recedunt.

§. 3. Multo sapientiores illi, qui à tanta confidentia recesserunt, vt initium salutis adirent, vt doctissimus Bertius vt Caspar Berlæus *in Bogermanno* ἐλεγχομένῳ, *redarguto*. Testatur enim eos qui sobrii sunt & pii hanc præsumptionem fugere. *Deinde*, inquit, *an salutis suæ fecerit iacturam Christianus, aut indecorem se Christo seruum præstabit, qui ad inconditionatam illam fidei semper perseueraturæ certitudinem malit ἐπέχειν, quam præsidenter de se præsumere?* Vbi negando, interrogando, reprehendit ipso modo interrogationis fiduciatorum præsidentiam.

Pietatem orantis non necessariam putant.

§. 4. Multo etiam est detestabilior argumentatio Wolffgang Musculi. [Quod non dicit, fiat tibi secundum iustitiam tuam, vel probitatem tuam: sed sicut credidisti: hoc est, secundum fidem tuam. Nec dicit, sicut rogasti: sed sicut credidisti: admonemur in precationibus piorum nõ attendi à Deo tam iustitiam & probitatem precantis, quam fiduciam. Aut certe si aliqua iustitia ad hoc quæritur, vt orans à Deo exaudiatur, fidem esse illam iustitiam, quæ quæritur.]

Fatil ratio: *fiat tibi sicut credidisti, ergo Deus non recipit probitatem orantis, sed fiduciam.* Hic enim multa obstant consequentiæ. Nec enim hic de speciali fiducia agitur, vt ex Caluino etiam constat. Nec illa fiducia alteri, sed cuiusque propriorum peccatorum remissioni conducit. Iustitia vero centurionis non erat sola fides, sed insignis caritas, humilitas, munificentia. Non ergo Deum talem habemus, qualem illi fidem habemus, sed qualia opera præstamus.

Centurionis non sola fides exorauit.

Fidei vt radici arbor, & fructus tribuitur Cyp. Ep. 9. Christus dat credentibus tantum quantum credit se capere, quia sine iustitia orantibus dicitur: *discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

Philippus Melanchthon praua interpositione verba Christi: *fiat tibi sicut credidisti*, peruertit. [Quod hic, *inquit*, pro famulo solicitus est, in eo obserua, alienam fidem pro hominibus valere & efficacem esse. Sic hodie aliena fides satis facit in baptizandis pueris. Quod dicit, Ego sum homo, &c. Comparatio est & argumentum à minori. Siquidem ego possum verbo efficere, quod volo apud meos, quanto magis tu? quasi dicat; quomodo facit, vt iubeo, seruus meus, ita quæ tu iusseris, omnis creatura.]

Infantes gratia infusa iustificantur.

Nequaquam infantes fide parentum iustificantur, sed fide & gratia infusa, qua Deus peccatum originale excludit: nec enim repugnat minutæ ætatulæ habitus gratiæ, cui omnes concedunt inesse peccatum ante baptismum: cur autem insit delictum, non possit inesse remedium delicti?

Mariæ fides maior quam centurionis.

§. 5. Maiorem fidem in Baptista, Simeone, aliisque inuenit; de populo itaq; & auditoribus loquitur, suos illos peculiares excipit. Fatetur etiam Aretius, Abrahami, Isaci, Iacobi fidem maiorem fuisse. Quod signum est etiam aduersariis concedentibus, generales propositiones pro rerum circumstantia intelligendas. Caluinus certe B. virginem excipit. [Dictum est secundum quid non simpliciter. nam si colligimus omnes fidei partes, saltem in eo præcelluit Mariæ fides quod se ex Spiritu sancto fore grauidam credidit, vt filium Dei vnigenitum pareret. Deinde quod filium ex se natum amplexa est tanquam factorem suum, mundique totius opificem & vnicum Redemptorem. Sed duas maxime ob causas Christus fidem hominis gentilis prætulit omnium Iudæorum fidei: nempe quod ex modico & tenui doctrinæ gustu tantus ac tam repente fructus se proferret. Neque enim hoc vulgare fuit, Dei virtutem, quæ tantum scintillas quasdam iacere in Christo cœperat, tam magnifice prædicare. Deinde cum Iudæi plus æquo externis signis intenti forent: hic homo gentilis nullũ requirit visibile symbolum, sed nudum verbũ sibi sufficere testatur. Ven-

„ turus ad eum erat Christus, non quod opus esset, sed
„ vt hanc eius fidem probaret. Quare hoc præsertim no-
„ mine ipsam commendat, quod acquiescat in nudo
„ verbo.]

Hic si necessario B. Virginem excipit, in qua Christus maiorem fidem inuenit, cur non eandem à conditione peccati contrahendi, à concupiscentia pari modo excipiendam iudicat?

VERSVS 11.

Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob in regno cœlorum.

QVÆSTIO I.

An Ecclesiæ vniuersitas hinc probetur?

Ecclesia vniuersalis.

NEc nouum aut inusitatum aliquid à nobis agitur, cum hinc Ecclesiæ multitudinem, & catholicam diffusionem probamus. Augustinus contra Donatistas frequentissime ex hoc loco iam olim tractauit, vt ostenderet, non in solo Africæ angulo Ecclesiam esse. Vide Serm. 6. de verb. Domini.

VERSVS 12.

Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.

QVÆSTIO I.

Qui filii regni, & tenebræ exteriores?

§. 1. FIlios regni appellat eos, qui ad regnum vocati, promissionem habuerunt, quibus omnia ita collata sunt, vt per ipsos solos steterit, cur depellerentur, eorum videbatur hæreditas Rom. 9. 4. *quorum adoptio filiorum, υἱοθεσία gloria & Testamentum.* Vbi ergo peregrini ἀνακληθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ, siue vt legunt Chrys. & Euthym. ἐν τοῖς κόλποις ἀβραὰμ, in sinubus Abraham. Inepte omnino filios regios Castalio appellat.

Tenebræ exteriores.

§. 2. Tenebræ exteriores luci internæ & domesticæ, quæ in cœnaculo conuiuentium erat, opponitur. Nulla ergo extra regnum illud lux est, sed tenebræ exteriores, nihil solatii, nihil non plenum suppliciis.

§. 3. Stridor dentium est dolentium, & indignantium, & dolores vtcunque mollire conantium, sed irrito conatu, sæuitia seipsam puniente. Similitudo sumpta ex cænatione, in qua faces & lumina colluent; foris omnia tenebris inhorrescunt. Insignis locus contra atheos & irrisores, qui sarcasmos in pietatem exercitos, tam horribili dentium concussu luent.

QVÆSTIO II.

An hinc atheismus de duobus principiis refutetur?

Marcion Abrahamum & patriarchas damnabat.

§. 1. D. Irenæus aduersus Hæreses lib. cap. 18. *Deum Abrahami* & Patriarcharum vnum eundemq; cum Deo noui Testamenti hinc probat. *Vnus autem & Marcion, & qui ab eo, expellentes ab hæreditate Abraham, cui Spiritus per multos, iam autem & per Paulum testimonium reddidit: Quoniam credidit Deo, & deputatum est ei ad iustitiam: & Dominus primum quidem de lapidibus excitans filios ei, & faciens semen eius, quasi stellas cœli, dicens. Quoniam venient ab oriente, & ab occidente, ab Aquilone, & Austro, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Iterum dicens Iudæis: Cum videritis Abraham, & Isaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei: vos autem proiici foras. Manifestum (est) ergo, quoniam qui contradicunt saluti eius, & alterum præter eum, qui promissionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei sunt, & exhæredes, sunt illi corruptelæ, frustrantes, & blasphemantes Deum, qui introducit Abraham, & semen eius, quod est Ecclesia, per Christum Iesum, cui & adoptio redditur, & hæreditas quæ Abrahæ promissa est.*

§. 2. Eadem ratione Faustum Manichæum, Deum Patriarchatum, & ipsos Patriarchas accusantem confutat Augustinus. Disputatio eorum vtilis & auditu iucunda est.

[Faustus dixit: Scriptũ est in Euangelio, quia multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Vos ergo quare non accipitis Patriarchas? Absit nos quidem cuiquam inuidere mortalium, quem Deus forte misericordia respiciens sua, de perditione vnquam reduxerit ad salutem: sed hoc sane nos eius esse iam clementiæ ponimus, qui misertus sit non illius meriti, cuius fuisse negare non possis, improbabilem vitam, ac per hoc. Et Iudæorum Patres Abraham scilicet, & Isaac & Iacob, si est hoc pro certo de iisdem Christi testimonium, quod adfertis, quam quam fuerunt ipsi quidem flagitiosissimi, vt fere Moyses indicat eorum prone pos, siue quis alius historiæ huius conditor est, quæ dicitur Geneseos, qui eorum vitas nobis odio omni, fastidioq; dignissimas scripsit: Sint tamen & ipsi iam in regno cœlorum; sint in loco, quem nec crediderant vnquam, nec sperauerant, vt fere ex eorum liquido libris apparet: dummodo tamen constet vobis etiam confitentibus, longo interuallo de terra ac pœnali inferorũ custodia, vbi se vitæ merito coercebant à Christo Domino nostro liberatos, per eius scilicet mysticam passionem peruenire ad hoc ipsum potuisse, si peruenerunt, quod scriptum de eis est. Cui respondet Augustinus, quomodo in tuto miser? quomodo in tuto, qui te Patriarchas odisse dicis impuros, & Deum adhuc plangis impurum? Certe illis Patriarchis post aduentum Saluatoris præstitam purgationem, & data beatam requiem concessisti: Deus autem vester & post aduentum Saluatoris, adhuc iacet in tenebris, adhuc flagitiis omnibus mergitur, adhuc in imputis omnibus volutatur: ita non solum vita illorum hominum melior erat Deo vestro, verum etiam mors ipsa facilior. In quibus autem sedibus erant iusti, qui exierant ex hac vita priusquam Christus in carne veniret, & vtrum etiam ipsos ad aliquid melius passio Christi transtulerit, qui in eum venturum, passurum, resurrecturum, non tantum crediderant, verum etiam hoc ipsum sicut oportebat, prophetico spiritu prænuntiauerant in scripturis sanctis indagandum est, si quo modo ad liquidum indagari potest, non hic temeritates opinantium consectandæ quorumlibet hominum, nedum tam exsecrabilis hæresis peruersitate nimis longe à veritate aberrantium.]

Nequiores illi sunt, qui hodie in Deum & absolutam ab eo indictam necessitatem omnia reiiciunt, & tamen soli sapere, soli religiosi sibi & reformati videntur, quibus omnia τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, *omnia inhonesta honesta videntur.*

VERSVS 14.

Et cum venisset Iesus in domum Petri vidit socrum eius iacentem, & febricitantem.

QVÆSTIO I.

Vbi Petri socrus curata?

§. 1. MArcus 1. v. 39. Lucas 4. 38. *Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis.* Marcus 1. *Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simo-*

Simonis & Andreæ. Itaque non connectuntur ἀμέσως, quæ hic Matthæus recenset, sed quæ illis tamen diebus facta sunt.

§. 2. Natus sunt è Bethsaida Ioan. 1. quæ erat vicina Capernaumo; vel ergo vtraque in vrbe domum habuerunt, vel eo transtulerunt. Verum id perinde est. hoc difficile visum est: Petrum habere domum. Arctius Petrum omnia deseruisse negat, *domum enim habuisse, neque enim vocationi domum repugnare.* Alii quoque hæretici, cum Christum sequerentur, rerum domesticarum administrationem aliis commisisse volunt, ad eas autem rediisse, cum opportunum esset; atque adeo iam Petrum à prædicatione vacuum domum suam rediisse. Equidem quandoquidem constat Apostolos omnia ita deseruisse, vt se dominio vsuque abdicarint, quemadmodum & primos Christianos feciſſe constat, non fuerit difficile dicere, quomodo domus hæc Petri nominetur, etsi dominus illius non fuerit tum Petrus. alii ita dictam quod in ea conuersari soleret. Nonnulli fuisse domum Socrus Petri, ideoque dici etiam Petri, quod ea velut sua, & vsus fuisset, & vteretur. Nec id sane peregrinum videri debet; Socrus enim vt domi suæ surgens ministrauit, id autem domi suæ matronæ facere solent, non alienæ. Alioquin domus Petri Bethsaidæ fuit, quæ exiguo spacio Capernaumo aberat, proprie vero domus Petri dicitur, quæ aliquando eius fuerat. Ita villam Ciceronis, domum Neronis dicimus, à dominis non quibus iam possidentur, sed quorum aliquando fuerant. Quæ loquendi ratio ita vsitata est, vt multæ domus à mortuis dominis nomen retineant.

Multo melius & verius Daniel Tossanus suos frequenter arguens, domum in Capernaum vel conductam, vel paternam fuisse, & addit: *Nec repugnat eos omnia reliquisse, vt infra dicitur cap. 19. & tamen domum habuisse. quia forte propria non fuit.* De modo autem omnia relinquendi illo loco disputabo. Nam hic cum suis ille errat, & erroris agnitionem, soluendo symmystarum argumenta, insinuat.

Petrus Socrum habuit, vxorem igitur habuit.

Petrum vxorem habuisse, circumduxisse.

Scortationes.

Calumnia sectarii.

Nemo scortationi detegendi causa, si fuit, Catholicus esse desinat.

QVÆSTIO II.

An Apostoli vxores habuerint?

§. 1. PEtrus Socrum habuit, vxorem igitur habuit. Infert Wolfgangus; *non deseruit, ergo retinuit. Nam* Petrum vxorem habuisse, circumduxisse. 1. Cor. 9. Ista de sententia suo loco dicam. Scortationes. Nec scortationes illæ erant, nec vxores, 1. Cor. 9. quemadmodum mulieres, quæ ex Galilæa secutæ Christo seruiebant, nec Christi, nec Apostolorum vxores erant. Quod addit. *certe Pontificii citius admittunt scortationes vsos Apostolos quam legitimo matrimonio. Sed quare? in promptu causa est, vt patrocinentur scortationi suæ impudentissimæ.*

Calumnia sectarii. Respondeo: Hanc vnam esse ex violentis Satanæ machinis, & dementis viperæ morsu acriorem calumniam, qua rudes populos in dæmonis obsequio detinent. Nos nec matrimonio, nec scortationi Apostolos vsos post vocationem dicimus. Matrimonium sanctum dicimus: scortationem æternis suppliciis detegamus. anathema si quis suæ vel alienæ scortationi patrocinatur. Si Musculus ille vel pilum, non dico boni viri, sed vel ingenui muris habet; vnum tractatorem Catholicum ostendat, qui scortationi patrocinetur. Vxores Apostolorum cum ipsis & Christo circumisse, nec scriptura dicit, nec vllus hæreticorum tam est impudens, vt hoc profiteatur. Verum ad alium locum hæc disputatio pertinet.

QVÆSTIO III.

An hinc intercessio Sanctorum doceatur?

§. 1. APud Lucam pro ea orant, vt ostendant valere mutuas inter nos preces aliorum pro aliis, nec minus id locum habet in amicis, cum Deo viuentibus, quam adhuc in exilio degentibus. Wolffgang. Musculus miratur Catholicos, qui sanctos certos in certis morbis inuocant, quod eodem illi morbo laborarint.

Respondeo; Non inuocari eos, quia eodem morbo laborarũt, sed quia apud Christũ intercedere possunt, & eius potentia nos liberare. Cur autem id fieri soleat in causa sunt crebra miracula, quæ hoc in genere per eos Deus præstitit. At cur non rogamus *eum qui istos sanauit?* Imo eum rogamus & per nos ipsi. & per eius amicos: an Socrus Petri peccaret, si generum rogaret, vt pro se intercederet? Quicquid porro nobis obiici solet, in febrientem illam torquere potest. Cur illi qui cum morbo aliquo, dum mortaliter viuerent, colluctati sunt, contra eum præcipue remedia orationum suarum præstent, experti fideles, quam scrutari malunt. An promptius id agunt, quia quantum sit malum agnoscunt? & non ignari malorum miseris succurrere didicerunt? An hoc factum est, non quod omnia ab omnibus peti non soleant, sed quod fidentius eos orent, quos eisdem malis aliquando pressos meminerunt? An Deus suorum electorum, quibus omnia cooperatur in bonum, etiam aduersia, infirmitatesque honorare constituit? Nam cum voluerit pretiosam esse mortem sanctorum suorum in conspectu suo, quid mirum est, si morbos etiam doloresque eorum voluit esse salutares, ideoque pretiosos nobis? Verum de consilio maiestatis æternæ mihi iudicium non sumo, de admirandis auxiliis omnium ætatum historiæ, atque adeo ipsa nunc templa, & sospitatis anathemata loquuntur. Causam autem, cur hæc, vel illa à sanctis certis petantur, esse miracula constat ex eo, quod docet experientia. Augustin. lib. 1. retract. cap. 13. *Suo tempore facta innumera testatur. Sed non sic accipiendum est, quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi ad Mediolanenſium corpora martyrum in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuisse iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus.* Itaque si à me quæras, quare hæc ab illis & non ab aliis: litem censeo Deo intendas; cur ille hæc per illos, & non illos efficiat. Mihi respondere promptum est, quod in simili re respondit Augustinus, cum accusatum & accusatorem ad sepulchrum S. Felicis mitteret, Ep. 137. *Elegi, inquit, aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se peregrinaturos, vbi terribiliora opera Dei non sanam cuiusque conscientiam multo facilius aperirent, & ad confessionem vel pœna vel timore compellerent. Vbique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in Spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo voluit vt pergerent, quia inde nobis facilius fidelisque scribi potest, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam quia ad eum locum venerat, vt falsa iurando decideret, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat red-*

Morbi sanctorum sanitas multorum.

Augustinus causam occultam ad martyrem relegat.

reddere: nunquid non & Aphrica sanctorum martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim quod Apostolus dicit; Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem spirituum; ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.

Alii sancti possunt, quod aliis non est concessum.

Plane eadem ratio est. Deus omnia dat, sed prout vult, si cui dedit, vt mihi opituletur, cur non eum appellem? Calumnia igitur est ideo eos in morbis inuocari, quia eodem ipsi laborarunt, multa sanctorum millia febribus mortua sunt, aut laborarunt, nec tamen ideo inuocamus.

VERSVS 16.

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat spiritus verbo: & omnes male habentes curauit.

QVÆSTIO I.

Quid vespere fecit?

Vespere accedunt.

§. 1. NOnnulli attulisse vespere, quod interdiu non possent præturba, aut putarent licitum non esse propter sabbathum. Forte nonnulli pudori consulentes suo, tempus quo minus nosce rentur, quæsierunt. Ratio tamen ipsa, & consideratio temporis ostendit hos in vesperam relectos; nam dum multos curat, centurionem accedit, redit, cœnat, fama vulgatur, atque ita, vt quisque poterat, suos adducit.

Verbo eiicit, vt absoluta potentia significetur. Cicer. 2. Catil. *Ego vehemens ille consul, qui verbo ciues in exilium eiicio. Quod ego si verbo consequi possem, istos ipsos eiicerem, qui hæc loquuntur.* Hic igitur pariter loquendi modo, & potestatis vsu, apparet diuinitas seu increata potentia, qua non orando, sed imperando operatur.

Furiosi non sunt.

Beza minime audiendus, qui eos coniungit, qui naturali, & à medicis sanabili furore laborabant. Non enim dæmoniaci illi vocantur, nec à dæmone obsidentur, vt suo loco dicam.

§. 2. Inter Iudæos eo tempore multi dæmoniaci erant, lapsis moribus, & regnante vbique in cordibus dæmone. Inter Samaritanos plures, & gentes plurimi; & quidem multo tempore deinceps vehementer gentilium corpora, à dæmonibus vexata sunt. Tertull. in Apolog. videatur, & Hier. in vita Hilarionis.

Multitudo dæmoniacorum.

§. 3. Bullingerus *dæmoniacos ad diuos, aut exorcistas negat adducendos, sed custodiendos, & orandum, fore vt se exerat Dei auxilium in cœtu sanctorum.*

In cœtu Caluini nunquam dæmon pulsus.

Desperabat homo non incautus posse aliquando à se, suisque dæmones expelli: nos à Patribus edocti, & ad sanctos, & ad exorcistas dæmoniacos deducimus. Fecerunt id olim Christiani in fide primordiis Actor. 19. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos ferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.*

Et olim coniectum in Heliſei sepulchrum cadauer reuixit. 4. Reg. 13. Tu vide Hieronymum Epist. ad Eustochium, Augustinum lib. 22. de ciuit. cap. 8. Basilium in orat. de Hamante, Gregorium Nazianz. & Cyprianum, Amb. de Gerualio & Protasio, Gregor. Nyssenum & Theodorum, Theodoretum de martyribus ad Græcos. Epiphanium in vita Ezechielis, Isaiæ, Ieremiæ. Et si vetustiora quæris Cyprianum Epist. 2. & Epist. 76. ad Magnum; *Quod hodie etiam geritur, vt per exorcistas voce humana & potestate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus: & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen quod dixerit, fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat.*

Exorcistæ.

Fatemur non deducendos ad exorcistas quales sunt in π. *de ver. & extraord. cognit. c. 1. §. medicos. Si incantauit vel imprecatus est, vel (vt vulgari verbo impostorum vtar) exorcizauit; non sunt istæ medicinæ genera.* Illos enim impostores iudicauit Vlpianus Alexandri Imp. Consiliarius, ita enim de Christianis iudicabant, Tacitus Suetonius, alii. Lex autem non veros exorcistas, sed impostores constringit.

Quod si etiam antiquiora spectemus, habemus Tertull. Apol. cap. 23. *Atquin omnis hæc nostra in illis dominatio & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum quæ sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subiiciuntur seruis Dei, & Christi. Ita de contactu, deque affatu nostro, contemplatione, & representatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. Credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus crediti. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Hæc denique testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueuerunt quia plurimum illis credendo in Christo Domino credimus.*

Dæmones confitentur.

Quod si antiquissima mauis, adeatur Areopagita Eccles. Hierarchiæ cap. 2. Nam quæ Ioseph. lib. 8. de exorcistis Salomonis habet, in dubium vocari possent. Si denique vetera, media, noua & admiranda quispiam desiderat, leget doctissimum & accuratissimum scriptorem Petrum Thyræum huius Academiæ aliquando Professorem de dæmoniacis pag. 3. c. 43. & consulet quos ipse citat & plurimos & fidissimos.

VERSVS 17.

Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem, ipse infirmitates nostras accepit: & agrotationes nostras portauit.

QVÆSTIO I.

Quomodo nostras infirmitates portauit?

Infirmitates nostras portauit.

§. 1. APud Isaiam ita legimus, vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Euangelista vocat ἀσθενείας, & νόσους, *infirmitates & morbos.* Tertull. vocat *valetudines.* Septuaginta verterunt τὰς ἁμαρτίας in se suscepit, נשא *Sabal*, quasi humeris tulit.

De doloribus Christi Petrus accipit, Ep. 1. c. 2. 24. & quidem crucis. Matthæus & Petrus facili negocio conciliari possunt. Christus enim nostros morbos portauit, & pertulit, non modo quia eius dolore sanati sumus, hoc est, passione sua peccata sustulit; sed etiam quia idcirco se exinaniuit formam serui accipiens, & corpus mortale, vt nostris languoribus mederetur corporis & animæ curator. Tulit autem, & à nobis abstulit, non patiendo tartareos damnatorum dolores, sed molestias huius vitæ, mortisque diritatem. Hinc apparet quam impia sit argumentatio catechismi Heidelbergiani; probat enim Christum oportuisse nostros dolores ferre, quia nos ab illis liberauit: *nam à quo nos liberauit, id ferre debuit.* Ea de re agetur cap. 27. & locum citabo & verba. Hæc sententia Prophetæ blasphemam rationem fulminat. Dæmoniacos, leprosos, febrientes, cæcos, mancos, claudos, malis suis Dominus liberauit, nec ferre tamen illa debuit. Cur igitur fuit opus, eum infernos impii, & damnati hominis cruciatus subire,

Portauit. tulit. sustulit.

vrab

vt ab illis nos redimeret? An parum pretiosus, parum efficax est sanguis agni immaculati, aut euanidum eum sentiat Caluinista, nisi adsit pœna hominis damnati? bene Arminiani sibi consuluerunt, vt habet Barlæus in B. germanno ἐλεγχομένῳ, dum monstra illa impietatis abnegarunt.

VERSVS 18.

Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit ire trans fretum.

QVÆSTIO I.

Quo progressus & quando?

§. 1. VEtus & Marcus aiunt in desertum secessisse, nam translacum erat solitudo.

Beza nostrum interpretem reprehendit hunc in „ modum. [Iussit vt abiretur, ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν, id est, „ indixit profectionē, pro quo Gallice dixeris: Il com- „ manda quonallast. nec enim ita est hoc accipiendum, „ quasi discipulos trans lacum ablegarit, vt quo vna cum „ ipsis traiecisse postea dicatur: sed significat illis, se „ traiicere lacum constituisse, nempe vt nauigium, & „ cætera necessaria compararentur. Itaque vulgatam „ interpretationem: iussit discipulos ire transfretum „ (præterquam quod addat de suo vocem, Discipulos; neque τὸ πέραν fretum significat) vt ambiguum meri- to mutatii. In vltetiorem (ripam) εἰς τὸ πέραν vulg. „ transfretum, *id est*, πέραν τῆς θαλάσσης, *vel* περᾶν. „ Erat enim sita Caphernaum cis lacum Tiberiadis.]

Hic primum respondeo, *discipulos* in lectione correcta omitti. Deinde εἰς τὸ πέραν, proprie redditur trans fretum; erat enim ibi lacus angustus & proprie reddi non potest, nisi dicamus, *in trans* Syrus לעברא, *in transitum*, seu *in trans*, quomodo latinis loqui non licet.

Tempus nauigationis. §. 2. Ex Matthæo non potest certum tempus colligi, quo transierit lacum in aduersam partem.

Ex Marco intelligitur, post parabolam de semente, alasque factum; nam cap. 4. v. 35. *& ait illis in illa die: transeamus contra.*

Ex Luca multo minus ratio temporis haberi potest: absolute enim dicit: c. 8. 23. *factum est autem in vna* Tempus ex Lucæ mente. *dierum*: quamuis & ille narret post parabolas. Dicendum vero est enarrationem parabolarū antecessisse; quia Marcus dicit expresse, *illa die, cum sero esset, transfretasse.* Nec obstat quod Matth. 13. 36. dimissis turbis venit domum, ibi enim cùm discipulis priuatim quædam explicuisset, forte etiam cænasset, sero nauem ingressus est, nec enim domus longe aberat à mari.

Difficile argumentum obiiciunt ex Augustino lib. 2. c. 23. de consensu Euangelistarum. In hac traiectione ad Gadarenos non erat Matthæus; at in explicatione parabolarum fuit, ergo parabolæ sequuntur nauigationem. Ita Augustinus l. 2. de consensu cap. 26. *Hinc ergo sequitur Matthæus dicens: Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me. Et surgens secutus est eum. Hoc Marcus ita narrat, eundem etiam ipse ordinem tenens post illum paralytici sanitatem: Et egressus est inquit ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum praeteriret vidit Leui Alphæi sedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me, & surgens secutus est eum.* Nihil hic repugnat, *ipse enim Matthæus, qui & Leui. Lucas etiam hoc post eundem paralyticum sanatum ita subiungit: Et post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui sedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus surgens secutus est eum. Hinc autem probabilius videtur, quod hæc praetermissa recordando Matthæus commemorat: quia vtique ante illum sermonem habitum in monte, credendum est vocatum esse Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex pluribus discipulis electos, quos & Apostolos nominauit.*

Nondum vocatum fuisse probant ex Matth. c. 9. v. 9. & cum transiret inde Iesus vidit hominem sedentem in telonio, *inde* id est è domo sua, in quam venerat post reditum à Gerasenis. Fuisse autem in explicatione parabolarū ex 2. 3. & 4. Marci probatur: nam c. 2. 14. vocatur, & c. 3. 17. inter Apostolos recensetur.

Hic apparet non posse ista aliter conciliari, quam vt vel dicamus cum Vincentio nostro verba Marci *Illa die*, intelligenda ita esse, vt significent, *illo tempore* quod durum est, cum addat id factum, *illa die, cum sero factum esset*: videtur non posse accipi de tempore præterito, ita tamen sentiunt Vincentius, & non nulli alii, ideoque parabolas post nauigationem dictas arbitrantur. Vel ea, quæ Matth. 9. 9. habentur, *& cum transiret inde Iesus*, sic intelligenda sunt, vt sit, *quodam tempore, cum transiret inde*, non vt signentur acta præcedentia. Vel certe dicendum in Marco temporis ordinem non esse seruatum. Mihi tamen omnino, cum Marcus, & diem, & horam diei signet, proprie locutus, Matthæus ordinem temporis non seruasse videtur.

VERSVS 19. 20.

Et accedens vnus scriba, ait illi; Magister, sequar te, quocunq; ieris. Et dicit ei Iesus, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

QVÆSTIO I.

Cur scribam non admittit?

§. 1. EX responso colligere quodammodo possumus. Non ad verba, sed animum Dominum attendisse. Videbat admirandam Christi virtutem; magnoque illum in honore esse, itaque honoris & commodi sui causa videbatur consortium Christi ambire: Hæc omnia vna Christus abscindit. Et non modo seipsum, sed Apostolos quoque rerum inopes esse demonstrat. *Scriba cō- modi tem- poralis cau- sa accedit.*

Augustinus superbum scribam, & insidiatorem arbitratur. Chrys. homil. 28. Hieron. Euthym. Glossa, consentiunt.

Augustinus Serm. in monte ait: *Ita enim quendam superbum, quantum intelligitur ex verbis ipsius Domini, vltrò secum ire cupientem, à suo discipulatu reuocauit. Sequar te, Domine, ait, quocunq; ieris. Et Dominus in corde eius inuisibilia videns, Vulpes, inquit, foueas habent, & volatilia cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet: hoc est, habitant in te insidiæ sicut vulpes, habitat superbia sicut cœli volatilia: filius autem hominis simplex contrà insidias, humilis contrà superbiam, non habet vbi caput suum reclinet. Et ipsa reclinatio capitis, non erectio, humilitatis magistra est. Reuocat ergo istum ire cupientem, trahit alterum recusantem.*

Fraudulenter Scribam petiisse putat S. Ambros. enarrat. in Psalm. 118. octona 12. Sincero animo egisse Titelmannus & Barradius arbitrantur, sed à Christo rei difficultatem illi propositam. Barradius tamen in patrum sententia magis acquiescit. *Et alibi*, inquit Ambr. *cum se fraudulenter interrogari aduerteret, dixit; Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos vbi requiescant; eo quod fraudulenter in terrestrium passionum quibusdam latibulo demorentur.*

§. 2. Non recedunt etiam sectarii, quos tamen illa hypocrisis præcipue eo trahit, vt videantur velle seruire Chri-

Sectarii bona Ecclesiæ venantur, non pietatem.

re Christo; sic Bullingerus: [Scribæ huic siue legisperito hodie similes sunt, qui se non ob aliud, Euangelicis partibus adiungunt, nisi vt rem suam conficiant, è bonis Ecclesiasticis ditescant.]

Cui sententiæ adeo non repugno, vt non dubitem plerosque ea de causa recessisse, vt cupiditatibus seruirent, disciplinæ enim osor est, quisque orthodoxam fidem abnegat. Quia cum conscientiam perdiderunt, à fide naufragauerunt. Auaritiæ vero & libidini conscientiam prætendunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo filius hominis non habeat vbi caput reclinet?

Christo vita temporali pauperrime prospectum.

§.1. VVlpiũ nomine dolosos raptores, insidiatores volucrum superbos intelligunt, sed de literali sensu agimus. Hanc suam esse paupertatem indicat, vt etiam bestiolarum vitæ melius, quam suæ prospectum videatur. Vulpes enim φωλεὸς, foueas, & spelea habent, in quibus latent, & fœtificant. Volucres nidos, κατασκηνώσεις, vbi obtento quasi velo teguntur. Ita quoq; expressit Syrus, est enim מטללא *matlela* à טלל *telal, tegere, inumbrare*, hinc מטלא matlele, *vmbracula*, quæ omnia sunt ex hebræo צלל tzalal, quod est tegere, vmbrare, & צל tzel vmbra. Eodem modo & centurio loquitur מטלי *matli* quasi dicat tegumentum, tugurium meum.

Christus professione inopiæ scribam abigit.

§.2. Paupertas Christi grauis est visa sectariis, ideo aliter comminiscuntur, filium hominis nõ habere vbi caput reclinet. Melanchthon mystice interpretatur. Id est, *tã abesse oportet à Christiana mente cupiditatẽ omnem, vt ne sit vsquam vbi caput reclinet.* at certe nec Domini Oratio, nec scopus illi expositioni cõuenit. Filius hominis non habet vbi caput reclinet, hoc est, cupiditas in mente hominis Christiani habere nõ debet, vbi caput reclinet, at poterat esse opulentissimus, Crœsi & Ptolomæi thesauros sine cupiditate possidere; at inopia professa hominem ambitiosum abigit. domũ, agrum, vitem, possessionẽ nullã habebat. Cur igitur Melanchthon in hunc errorẽ impegit? Causa palã, & in promptu est, ne Apostoli res suas dimisisse opus sit dicere. At si est ea Christi paupertas, non erant in eius contubernio sperandæ diuitiæ. Nec modo id asserit, verũ sensus est, non quæri à se diuitias, non posse haberi. Eãdem opera Apostolorũ quoq; paupertatẽ reddit manifestã; alioqui cogitare poterat scriba: Dominũ quidem pauperem esse, se vero posse eius consortio ditescere, vti nunc videmus, pauperrimos principũ plurimos ditare. Monet igitur eandem esse Apostolorũ suorum cõditionem, nec vllum qui ea lege nolit esse, in familiare contuberniũ suscipi. Atq; hinc apparet quam vanum sit, quod aiunt Apostolos suarum rerum dominia retinuisse procurato es constituisse. Nam poterat ille idem facere. Deinde cum se Apostoli magis Christo deuinxerint, quam vllus seruus Domino, & κτήσει & χρήσει *possessione & vsu*, nec illi paupere Domino diuites, nec Dominus illis diuitibus pauper esse poterat. Cum omnia quæ seruus habeat, Domini sint.

Apostoli pauperes vti Christus.

Pontifex quomodo dives esse possit?

§.3. Musculus alique queruntur Pontificem Christi vicarium habere opes, Clementem V. habuisse gemmam aureorum sex millium, quomodo ergo Christi, Petrique Vicarius?

Respondeo. Christi vicariũ, Petri successorem esse. Opulentiam Pontificis nõ esse peccatum, vti nec Ministrorũ, qui se Euangelicos dicunt. Adrianus Sarauia Episcoporum Britannicorum opes sollicite defendit; Nulla enim lex est, quæ Episcopis, aut Sacerdotibus eandem paupertatem imperet, qua Christus cum suis vti voluit. Quin Caluiniani damnant anabaptistas, qui nullos ministros, nisi qui se rebus omnibus abdicarint, admittunt. Imo hic laborant; ne Christum & Apostolos pauperes dicere cogantur.

VERSVS 21.22.

Alius autem de discipulis eius ait illi, Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meũ. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

QVÆSTIO I.

Quomodo mortui sepelire iubentur mortuos?

Quid sit sine pudore.

§.1. DVplex interpretatio. Alii non hoc petiisse, vt patrem iam vita functum sepeliret: sed vt seni inseruiret, donec viueret. Alii negant tam longas inducias postulasse, sed patri iam mortuo funus parare voluisse. Dominum autem id negasse, vt ostenderet nihil suo seruitio præferendum esse.

Hic discipulus erat, qui in eum credebat, non qui sequebatur, discretor cogitationum illum eligit, alium repudiat. Ex collatione Luc. & Matthæi constat, bis illi à Chr.sto dictum: ante & post excusationem. Clemens l.3. Strom. Philippum putat. Tertullianus de baptismo c.12. non dicit Matthæum esse, vt ostendit Pammelius, quod alii illi impegerant. Patrem fuisse mortuum Chrys. Euthym. Theophyl. auctor constitutionum Monasticarum, quem Basilium multi putant.

Mortui mortui

vocem

§.2. Ambigue Christum vti voce mortuorum adiunctã docent. Mortui enim qui sepeliuntur, vere, proprieque sunt mortui. Qui eos sepeliunt, non sunt mortui illa morte, qua sepulti, sed alia morte, qualis describitur Ephes.2.1.& 5.14. & 1.Timoth.5.6. Peccato igitur mortui sepeliunt vita functos. Ita Augustin. l.20. de ciuit. Dei, c.15. *Cum ergo*, ait, *& quos hic inueniet Christus in corpore constitutos, simul significaret, cum iis qui resurrecturi sunt, iudicandos; etiã ipsos mortuos appellauit, & bonos, quibus dicitur: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cũ Christo in Deo. Et malos, de quibus dicitur: sine mortuos sepelire mortuos suos. possunt mortui etiã propter hoc dici, quod mortalia gerunt corpora. Vnde Apostolus: Corpus quidem, inquit, mortuum est, propter peccatum: Spiritus autem vita est propter iustitiam, vtrumque in homine viuente, atque in hoc corpore constituto esse demonstrans: & corpus mortuum, & spiritum vitam.* Et ita clarissime definit. *Non autem ista corporum, sed animarum est. Habent enim & animæ mortem suam in impietate atq; peccatis, secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait: sine mortuos sepelire mortuos suos: vt scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. Propter istos ergo impietate, & iniquitate in anima mortuos: Venit, inquit, hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, viuent.*

Cur omnes

gratia

illum

§.3. Causa negandi facultatem sepeliendi, vt omnes intelligerent, quam sit continuo amplexanda gratia Creatoris, etenim cum summum bonum offeratur, illud sine vlla alterius rei cogitatione amplecti illum oportuit, omniaque Deo committere, qui multo melius nobis consulere, quam nos ipsi, valet.

Aliæ quoque causæ, cur ne exiguas quidem inducias dare voluerit, esse possunt: Periculum à domesticis infidelibus aut prauis; nimius in sepultura sumptus aut cura; testamenti aliorum negotiorum molestiæ. sed caput erat, quod ait Lucas, *Tu vade & annuncia regnum Dei*, illi officio nihil, ne vita quidem parentum, nedum mortuorum funus anteponendũ fuit. Quare os calumniantium obturatur, quasi Christus officium pietatis vetet. Non enim honorem patri denegare iubet,

bet, sed Dei gloriam, salutemque animarum in annunciatione Euangelii positam, non necessario funerandi officio præponere, præsertim cum non deessent, qui mortuum humo mandarent, pauci vero essent, qui animas cœlo inferendas curarent.

QVÆSTIO II.

An liberum arbitrium peccato tollatur?

§. 1. OBiiciunt & hoc: Mortuus non cooperatur Deo viuificanti, non igitur habet liberum arbitrium. *Respondet lib. 6. de gratia Dei & libero arbitrio cap. 13. Bellarm. primo argumentum hoc rectè probare, peccatorem, quia mortuus est, non posse ex se aut suis viribus vitam recuperare; aut vllo modo se ad vitam recuperandam præparare: sed non probare, non posse eundem peccatorem per gratiam præuenientem excitatum & adiutum, Deo se ad vitam reuocanti cooperari. Idenim, inquit, non facit vt mortuus, sed vt vitalem virtutem à Deo habens. Deinde similitudines non in omnibus conuenire. Cadauera quidem, quia omnibus modis sunt mortua, nec vllum genus vitæ retinent, nullo modo cooperari ad suam excitationem posse: mortuos verò in peccatis, cum viuant vita naturæ, licet non viuant vitâ gratiæ, posse non vt mortuos, sed vt viuos vno genere vitæ cooperari ad suam viuificationem, secundum alterum genus vitæ, si virtutem cooperandi à Deo receperint.* Peccator quid virtutis habeat ad Dei cooperationem.

„ Occurrit Pareus: [Prior elusio vanissima est. Mortui enim, qua mortui, non modo ex se nihil operantur, „ sed nec excitari vel adiuuari, vel vllam vitalem virtutem habere dici possunt, antequam à Deo in vitam reuocentur. Fingit igitur iste ἀσύστατα, mortuos vitalem „ virtutem à Deo habere, qua cooperentur, antequam à „ Deo in vitam sint reuocati, hoc est, fingit mortuos non „ mortuos, vel nec mortuos, nec viuos. At qui dum cooperantur, aut viui sunt, aut mortui. Si viui quomodo „ demum viuificantur? si mortui, quomodo viuificationi cooperantur? posterius effugium est æque friuolum. Etsi enim mortui spiritualiter in peccatis viuant „ naturaliter, falsum tamen quod naturali vita ad supernaturalem vitam acquirendam operari quicquã possint? Quoniam secundum naturalem vitam sunt homines animales: At animalis homo non percipit ea, „ quæ sunt Spiritus Dei, sed sunt ei stultitia, ac ne potest „ quidé ea cognoscere 1. Cor. 2. 14. Quomodo igit iis, q̃ „ nõ nouit, cooperabitur, cum ignoti nulla sit cupido?]

Equidem insigni omnino impudentia aut imperitia esse eum oportet, qui hac in re veritati obluctatur. Mortuus est in peccato Petrus, Christus eum ad vitam excitat aspectu, mouetq; animum ad pœnitentiã, qui est quidam motus vitalis; Ille vero motus quo viuificantur, à Deo est, non tamen sine aliqua actione viuificati. Homo ita mortuus est, vt sine Dei auxilio nihil possit, cum ea autem tantum valeat, quantum Deus dederit. Ita non per omnia cadaueri similis est, sed in eo tantum, quod quemadmodum cadauer nullam vitalem operationem potest edere, ita nec homo peccator. Cum verò peccator habeat in moralibus adhuc liberum arbitrium ad actiones moraliter bonas, eas potest edere, quemadmodum cadauer actiones naturales retinet, deorsum descendendi, frigefaciẽdi: quamdiu autem peccator permanet, nulla eius actio est spiritaliter vitalis, seu ad vitam æternam vtilis; at illa actio qua viuificatur, h. e. cum veram ex caritate contritionẽ elicit, non modo à Deo est, sed etiam ab efficientia liberi arbitrii, duo enim sunt principia vnius effectus. Non enim homo propria actione iustificatur, sed vitaliter ille actionem elicit, Deo tamen præueniente, & adiuuante. Posset hoc in cadauere intelligi adhuc calente, cui si anima restituatur, eodem illo calore agere potest, quem reliquum conseruauit. Quid vitæ est reliquũ in peccatore, agere posse.

Quod vero in morte spiritali semper aliquod maneat principium vitale, verissimum est, nec Bellarmini commentum, sed veterũ sententia. Dionys. Eccl. Hierarch. c. 2. p. 3. vocat ἀνθυπάρξιον ἀυτεξουσιότητα, *ab ipso homine procedentẽ eligendi potestatem, quæ sit in eius potestate.* & vel maximè displicet Calu. l. 2. c. 2. §. 4. (Sed velit nolit, Dionys. audiet.) Εἰ δ' ἐν ἀποσκίᾳ καὶ νοητῷ φωτὸς, ἢ τῶν νοερῶν ἀνθυπάρξιος ἀυτεξουσιότητος, κακίας ἕρωσι συμμύσασα τὰς φυσικῶς ἐνεσπαρμένας ἀυτῇ πρὸς τὸ φωτίζεσθαι δυνάμεις, ἀπὸ πάντων καὶ παρόντων ἀυτῇ φωτὸς ὅλη ἀποσκάντων, ἀπ' ἐπιλάμποντι ἀυτῇ μυωπάζουσι, καὶ ἀποστρεφομένη πρὸς τὸ κρεῖττον ἀγαθοειδῶς, εἶτε δὲ μετρίων ἀυτῇ δοθέντων ὁρᾶτε τὰς ὄψεις ὑπερπηδήσει, καὶ πρὸς τὰς ὑπὲρ τὸ καθ' ἀυτὸ ὄψιν ἀναγκὰς ἀντοπτῆσαι πολυμηχανήσεται, τὸ μὲν φῶς ἐνεργήσει πρὸς τὰ φωτὸς κρείττονα. i. e. [Siue igitur ab intelligibili lumine discedat intellectualium (naturarum) per se electiua libertas, & infitas sibi naturaliter vires, quibus illuminari queat, ne quitię amore comprimẽs excidat, cum lux illi præsens nequaquam abscedat, sed cæcutiens insufficienter algeat, auersantiq; insigni benignitate accurrat: siue concessi sibi modicè luminis terminos transiliat, atq; ad excelsiores quam suorum imbecillitas oculorum ferre possit, lucis radios temerè contur adúersos obturus intendere, lux quidem illa nihil præter lucis operabitur munus.] Eundem vocat ἀυτοκίνητον, à se ipso mobilẽ non sine Dei auxilio, sed eo adiuuante. Absurdũ est igitur, quod Lutherus in Psalmos scribit, Liberum arbitrium in opere interno non habere vllam actuitatẽ. Et velle illud quod credere, sperare, diligere dicitur, esse motum raptus, semper esse passionem, & meram passionem. Beza quoq; in Adamo ante peccatum negare conatur. lib. q. & respons. p. 1. q. 99. [De hoc quoq; (*inquit*) ambigi posse videtur, fueritne ante auditũ Satanã homo ille primus eo arbitrio præditus, quo in vtramuis partem deliberaret. Quî enim cadere potuit malum in deliberationẽ, q̃ nondum in mundum introierat? vt mihi quidem Adam anteà videatur ad vnicum bonum sponte toto animo & corpore contendisse absq; vlla prorsus contraria cogitatione vel disceptatione, nedum προαιρέσει (*electione*) quæ omnia in humanum ingenium inuexit Satan, introducta in nobis concupiscentia.] In mortuo sæpe fides aliaq; remanent, quæ licet vitam, hoc est, iustitiã non efficiant, nec gratiam; adminicula tamen sunt, quæ cum Dei influxu pariter operantur.

VERSVS 23. 24.

Ascendente eum in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius & ecce motus magnus factus in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.

QVÆSTIO I.

An rectè verterit noster: & quæ nauicula?

§. 1. IN Græco nõ est genitiuus absolute positus, sed ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον ἠκολούθησαν αὐτῷ, *ingressum ipsum in nauem secuti sunt ipsum discipuli eius.* Itaq; & αὐτῷ hic iterum redundat. Syrus: & cum ascendisset Iesus in nauem, ascenderunt discipuli cum eo. In re leui multis verbis laborat Erasmus, vt ostendat πλοῖον nauem esse, non nauiculam. Ideo nec Petri nauiculam vocari oportere: πλοῖον generale est, naues, & nauiculas significat, itaq; pro loci captu vtroque modo verti potest. Minora sane apud Thucididem designat. πλοῖα ille vocat, & ὁλκάδας. Videntur autem hæc nauigia fuisse ἄφρακτα, ideoq; & minora. Nec magnam fuisse constat, sed potius schapham, qua stagnum traiiciebant. Apertam fuisse constat ex Marci 4. 37. ita vt impleretur nauis, Matthæus ait καλύπτεσθαι, *operiebatur.* Tertullianus iam olim nauiculam vocat. libr. de

Baptismo. *Ita opinor*, inquit, *autem, aliud est adspergi, vel intercipi violentia maris, aliud tingi disciplina religionis, cæterum nauicula illa figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, id est sæculo, fluctibus id est persecutionibus, & tentationibus inquietatur. Domino per patientiam veluti dormiente, donec orationibus sanctorum in vltimis suscitatus compescat sæculum, & tranquillitatem suis reddat. Nunc siue tincti quoq; modo fuerunt, siue illoti perseuerarunt, vt & illud dictum Domini de vno lauacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet, de salute tamen Apostolorum satis temerarium est æstimare, quia illis vel primæ dilectionis & exinde individuæ familiaritatis prærogatiua compendium baptismi conferre posset.*

§. 2. Apud Lucam est, & alias naues fuisse cum eo, quæ tempestate non videntur iactatæ, sed pernoctem seiunctæ, & liberæ. Euthymius, Beda, Strabus putant eas nos iactatas, vt pateret tempestatem Christo prouidente & volente excitatam, & ita coercitam vt in socias naues non sæuiret. de tempestate istâ vide Gregorium lib. 8. Ep. 41. August. serm. 3. 17. homil. Chrysologum de hoc somno Christi.

§. 3. Dormit, vt magis solliciti auxilium quærerent. Chrysost. hom. 29. Lyranus, dormisse, vt humanæ naturæ veritas ostenderetur.

VERSVS 25.

Et accesserunt ad eum, & suscitauerunt eum, dicentes, Domine, salua nos, perimus.

QVÆSTIO I.

An hoc contra Inuocationem sanctorum?

BVllingerus, quia accesserunt ad Christum discipuli, & auxilium postularunt, non posse à sanctis „ quicquam peti concludit. [Proinde, *ait*, errorum „ & superstitionis magistri sunt, qui docent in periculis, „ procellarum maximè, auxilium petere Virginis Mariæ, S. Nicolai, & Christophori. Nam Euangelium docet nos Deo supplicare, & dicere, Domine, serua nos, perimus.]

Christum cum sanctorum intercessione inuocamus.

Nicolaum in tempestate implorantibus, intercessionem suam apud Christum adfuisse, historia vitæ eius authentica docet. Hoc ex loco, si quicquam conficeretur, id potius sequeretur, licere intercessionem petere. Nam nihil dubito etiam nautas cum discipulis egisse, vt Dominum excitarent. Nam erat alioqui illi vicinus qui clauum tenebat, dormiebat enim Dominus in puppi Marci 4. vers. 38. Cum igitur ille maximè periculum sentiret, & proximus assideret, per alios tamen Dominum excitat: cur nobis id vetitum sit?

VERSVS 26.

Et dicit eis, quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

QVÆSTIO I.

Quæ fides?

§. 1. MAgna erant in consternatione, itaque primo ἐπετίμησε, vt est apud Marcum, *increpuit* mare. Dixitque σιώπα, καὶ φιμώθητι, *tace & obmutesce*. Vim igitur vi opposuit. Apud Marcum dicit, πῶς ἐχ ἔχετε πίστιν; alii legunt, ἔτω πῶς ἐχ ἔχετε πίστιν; sed cum priore verbo legendum est, ἔτω *sic*. Lucas habet: *vbi est fides vestra?* Fidem hanc qui de fiducia accipiunt, mihi in re manifesta somniare videntur. Timebant enim naufragium. Non putabant tam præsenti se auxilio liberandos. Ideo mirantur: quis est putas iste? quia & ventus, & mare obediunt ei? Admiratio indicat fidem non habuisse, quâ tanti eum facerent. Initio fides in Apostolis tanta non fuit; nam sedatâ tempestate mirantur. Non miraturi, si dixissent: si vis, potes sedare fluctus maris. Modica fides: non enim dormientem auxiliari credebant. Orig. homil. 6. de diuersis. Chrysostom. homil. 29. *Ante fides magna fuerat, nunc in periculo concutitur.* Multo maiora viderant, & crediderant, sed turbati hærent. Cyprianus lib. 4. Ep. 6. *Hoc demum est robur fidei, credere, & scire, quod Deus à morte liberare possit, & non cedere.* at iam parum aberat, quin illi cederent. Tranquillitatem vocat γαλήνην, quę proprie est maris quieti. Causa τῆς γαλήνης est ἀνεμία, ventorum absentia. Hom. Odyss. 2. καὶ τοῦ ἐπ' ἄνεμον μολὼν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη ἔπλετο νηνεμίη. *Et tum postquam ventus cessauit, & tranquillitas facta ex ventorum cessatione.* Et Odyss. κ. ἐμὲν δὴ πρῶτ' ἀέξετο νῦμα γ' ὂν αὐτῷ. ἔστε μέγ', ἔτ' ὀλίγον, λοὺκὴ δ' ἦν ἀμφιγαλήνη. *Neque enim excitabatur* (in portu Læstrigonum) *fluctus, nec magnus, nec paruus, sed candida erat circum tranquillitas.*

VERSVS 28.

Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.

QVÆSTIO I.

Qui sint Gerasæni?

§. 1. GRæcus γεργεσηνῶν. Syrus Gadarenorum, ita Marcus & Lucas. Gergasi seu Gergesa ciuitas apud Iordanem, iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Hæc dicitur, in Gerasâ, & Hier. in com. in Abdiam, Beniamin cunctam possidebat Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, & nunc Gerasa nuncupatur. Altera Gedara eisdem in finibus fuit, Ioseph. lib. 5. de bell. cap. 3. dictæ sunt à Gergeseis.

Gezara etiam dicitur. Ptolomæus tribuit eam Arabiæ Petræ. Iun. & Trem. Gerassam seu Gergessam, & Gadaram esse oppida vicina, & fines commistos. De Gerasa doctissimè noster Vincentius lib. 3. cap. 5. num. 2. *Gerasa*, inquit, *& Ierasa, olim Gergesa, Iosepho etiam tertio de bello secundo, Gerasi. Hieronymo verò de locis Hebraic. litera G. dictione Gargasi, dicta est Gargasi, insignis vrbs ac munita trans Iordanem, cuius Regio, monti Galaad iungitur, ac continetur. Sita verò est supra montem, in vlteriori, hoc est, Orientali, maris Galilææ litore ex aduerso Tiberiadis, paululum tamen ab ea ad Aquilonem declinans. hanc olim dicuntur habitasse Gergeseei, qui à Gergeseo quinto filio Chanaan suã traxêre originem. Sed posteà cum hos filij Israhel in promissa terra inuasione deleuissent, tenuit eam dimidia tribus Manasse. Ab hac ciuitate circumiacens territorium Regio Gerasenorum vocatur, quam Matth. Græcè* γεργεσηνῶν, *id est, Gerasanorum, Marcus verò, & Lucas* γαδαρηνῶν, *hoc est, Gadaranorum vocant. Quare multi arbitrati sunt vnam, eandemque ciuitatem tria hac habuisse nomina Gerasa, vnde Gerasæni, Gergesa vnde Gergeseni, & Gadara vnde Gadareni etiam dicti, qui illam regionem incolebant. Sed ex Iosepho 2. de bello 19.*

20. & 30.

10. & 3. de bell. 2. Hier. de lo. Heb. lit. G. dictione Gadara, & Gergesa, Ptolomæo lib. 5. tabul. 4. liquet Gerasan; & Gadaram diuersas fuisse ciuitates, ambas trans Iordanem ac mare Galilææ, nec longè inter se disitas. Itaque credibile est eandem hanc regionem ab vtraque ciuitate nomen accepisse, & à Gerasa quidem, quæ & Gergesa quibusdam etiam dicitur Gerasænorum, & Gergesænorum: à Gadara verò Gadarenorum, & Gadarensium dictam esse. Latinus porrò interpres ideo videtur nomen Garasænorum vsurpasse, quod illud suo tempore esset notius, & communius, nam & Hieronym. in Abdiam primo scribens, eam Arabiæ partem, quæ prius Galaad vocabatur, suo nomine nuncupatam asserit Gerasam. Iosephus lib. 5. de bello cap. 3. habet, Transmarinæ Regionis Metropolim fuisse Gadara. Iosue 15. & apud Ioseph. 3. de bell. cap. 6. fit mentio alterius Gadaræ citra Iordanem in Iudæa. Baronius anno Christi 31. scribit Gergesænos appellatos vt Heuæos, Cathæos, Iebusæos, fuisse scilicet populos trans Iordanem, & lacum Genezaret positos, quorum ciuitates sint ab Hebræis excisæ ex Iosepho lib. 1. antiquitatum 6. Earumque nomen tantum mansisse, licet Hieron. de locis Hebraicis dicat, superesse viculum supra montem iuxta stagnum Tiberiadis qui Gergesa dictus est, ibique factum miraculum de porcis. Videtur autem Baronius distinguere Gergesam à Gerasa. Porro Gadaram dictam ait, à tribu Gad, cui etiam in sortem venit, quæ cum à Iudæis esset destructa, Pompeius ex Iosepho lib. 1. de bello, quinto, in gratiam liberti sui Demetrij Gadarensis restaurauit, in re peruetusta satis hæc adnotasse.

Consentit Strabo lib. 6. Ἐν δὲ καὶ ἐν τῇ γαδαρίδι ὕδωρ μοχθηρὸν, λιμνῶσιν ὃ τὰ γδοάμυλα κτήνη τείχας καὶ ὁπλὰς καὶ κέρατα διαπυΐλει. Est vero in Gadaride mala aqua, quæ fusta iumenta pilos, vngulas & cornua abiciunt. Quod Caluinus obiicit aquas illas laudatas non fuisse, de quibus Strabo scribit, alium fuisse in vicinia locum oportet. nam aquæ Genezareth valde commendantur.

QVÆSTIO II.

An aliquando animæ defunctorum appareant?

Daimoniaci non sunt naturaliter furiosi. §. 1. BEza iterum duplices hic Energumenos nobis producit, sed Aristotelico errore, non Christiano spiritu, verba eius ista sunt: [Dæmoniacos δαιμονιζομένους. id est, à dæmonibus obsessos, non simpliciter furiosos, quos vetus Ecclesia ἐνεργουμένους vocabat, eos etiam meo iudicio intelligens, qui interiore, & à medicis sanabili furore corripiebantur, dilucida habentur interualla. Nam & Græci medici, quoddam eiusmodi furoris naturalibus remediis sanabilis genus δαιμόνιον vocant, in eo tamen reprehendendi, quod superstitiosa & magica quædam interdum admiscent, vt apud Nicolaum Damascenum videre est. Morbos autem istos etiam à corporis intemperie orientes, à dæmonibus etiam interdum immitti, & ex historia Iobi liquet, & ex iis qui σεληνιαζόμενοι in his historiis dicuntur, & ex incuria illa muliere, cuius fit mentio Luc. 13. 12. Sed & Euripides in Phœnissis δαιμονῶντας vocat eos, qui dæmonum agitatione insaniunt.]

Animas in dæmones mutari putabant. Non sunt illi Energumeni, sed ægri, nec Patres eos dæmoniacos agnoscunt. De hisce in monumentis hominum hærentibus variæ causæ recensentur, non desunt, qui sepulchrorum infamandorum causa eos hæresi sic putarunt, Platonicorum delirium erat, animas mortuorum in dæmones mutari. Forte etiam horrore sepulchrorum magis terrerent, & conficerent. Potius diuino iudicio in ea sola loca delegati videntur, non longius excurrere permissum, sed si quis proximè accederet, in eum impetum faciebant. Misericordiæ igitur Domini fuit, ne magnam regionis partem infestam haberent.

Paradoxum hac de mutatione animarum in dæmones referunt, Chrysost. Euthym. Victor Antiochenus. Non quidem Tertulliano, sed Tertullianistis tribuit Pammelius. Gentium erat illa opinio. ita minatur Regina furens.

Sequar atris ignibus absens,
Et cum frigida mors animæ subduxerit artus
Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.

§. 2. Occasionem inde Musculus capit traducendi animarum apparitiones, quas Catholici asserunt. [Sed cur, *ait*, dæmones in sepulchris esse voluerunt? “ Chrysostomus hoc loco dicit, hoc ideo factū, quod “ conarentur pernicioſam opinionem hominibus in- “ gerere de animabus defunctorum, nempè quòd dæ- “ mones fiant: & quòd hinc inde vagentur, maximè a- “ pud mortuorum sepulchra. Et quid aliud inter Chri- “ stianos apparitionibus suis ementitis egit Satan, qui- “ bus scilicet se pro animabus defunctorū vendidit? An “ non hoc receptum est per omnem Papatum, persua- “ sumque animas hic errare, apparere, auxilia implora- “ re, & nescio quæ vana vel in desertis ædibus, vel mor- “ tuorum monumentis, vel noctu designare? Et quis “ non credat, posteaquam tam multi per sua exorcis- “ mata rei veritatem adeo euidenter inuestigarunt: “ nempè ex ipsa dæmonum confessione, qua se dicunt “ esse mortuorum animas?] “

Aliquando animæ apparent, aliquando Spiritus. Nos quidem animas fidelium esse in manu Dei fatemur, sed eas dum in aliquo delicto sunt, expurgatione indigere: damnatorum Spiritus ignibus gehennæ torqueri, posse aliquando ad imperium iudicis excedere, non liberos supplicio, sed ad finem quem sibi diuina prouidentia proposuit. Neq; negamus dæmonum frequenter impostura id fieri, vt animæ apparere videantur, verum id semper fieri, non potest homini prudenti persuaderi, cum tot res aliter nos edoceant, vt noster Thyræus de spirituum apparitionibus demonstrat.

Sed Chrysostomum citat super Matthæum hom. 29. [Non potest, *inquit*, anima à corpore separata in his regionibus errare. Iustorum animæ in manu Dei “ sunt: peccatorum verò post hunc exitum continuò “ abducuntur, quod in Lazaro & diuite planum effici- “ tur. Sed alibi quoque Dominus ait: Hodie animam “ tuam abs te repetent. Non igitur potest anima, cum “ abscesserit à corpore, apud nos hic errare. Et mox: “ Multis è locis Scripturæ comprobari potest, non er- *Frequentes apparitiones habent impostura.* rare hic post mortem iustorum animas. Nam & Stephanus ait: Suscipe Spiritum meum. Et Paulus te- “ solui cupiebat, & esse cum Christo. Quod verò nec “ peccatorum animæ hic commorari possunt, diuitem “ audias, quid dicat, perpende quid petat, & non im- “ petrat. Quod si possent animæ hominum hic con- “ uersari, venisse ipse, vt cupiebat, & suos de tormen- “ tis inferni fecisset certiores. Quo etiam ex loco Scri- “ pturæ apertè patet, quod post exitum à corpore in “ certum quendam locum animæ deducuntur, vnde “ redire sponte sua non possunt, sed terribilem illum “ iudicii diem ibi exspectant. Hæc Chrysostomus. Vn- “ de videmus impostura dæmonum, simul & mini- “ strorum suorum, in apparitionibus fictarum anima- “ rum: & videmus etiam quo tandem abducantur, qui “ fidem suam non ex Scripturæ sacræ regula metiun- “ tur, sed quibusuis credunt impostoribus.] “

Verū ille de ordinaria ratione & modo intelligendus, non posse animas suo arbitrio vagari, viæ ducem non habere, quid aliquando Dominus omnium iubeat, non definit. S. Augustinus, an animæ martyrum

ipsæ

ipsæ præsentes sint, an alio modo iuuent, addubitat: *Alij itaque sunt, inquit, humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum: alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt; quamuis & naturæ Deus adsit vt sit, & miraculis natura non desit. Non igitur ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis martyres assunt: sed idò potius intelligendum est, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt. Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adiuuari: vtrum ipsi per seipsos adsint vno tempore tam diuersis locis, & tanta inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias vbicunq; adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiâ supplicantum, sicut nos oramus pro mortuis, quibus vtique non præsentamur, nec vbi sint, nec quid agant, scimus, Deus omnipotens qui est vbique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens martyrum preces per angelica ministeria vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda: & suorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili potestate, ac bonitate commendet. Res hæc altior est, quam vt à me possit attingi, & abstrusior, quam vt à me valeat perscrutari: & ideo quid horum duorum sit, an verò fortassis vtrumque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum aliquando per angelos suscipientes personam martyrum, definire non audeo, mallem à scientibus ista perquirere. Neq; enim nemo est, qui hæc sciat, non qui sibi scire videatur & nesciat:*

Animæ Dei voluntate aliquando apparent.

Aliquando adesse, aliquando angelos earum loco docet noster Thyræus lib. 1. de locis infestis, quamuis ille de infestantibus agit spiritibus. Signa etiam producit, quibus dignosci possint; ad quem lectorem remitto.

Interim apparet ex Augustino, quomodo sit Chrysostomus intelligendus. Nempe animas nec è cœlo, nec ab inferis suo arbitrio excedere, & vagari, sed aliquando illa fieri Dei permissu, & iudicio. Non naturali virtute sed diuina potentia; sunt enim non naturalium limites rerum, sed diuinarum signa virtutum.

QVÆSTIO II.

An cruce Dæmon pellatur?

§. 1. MAldonatus ideo cruces sepulchris, & aquam benedictam addi docet: cum Tossanus irridet: [„ At lepidus est Maldonatus qui occasione huius loci consuetudinem Pontificiorum laudat, qui ad monumenta varias cruces erigunt, & aquam habent exorcismis lustratam ad fugandos Dæmonas: quæ omnia mera sunt ludibria, quæ Spiritus ille nequam facile contemnit & eludit, & quarum nulla fit mentio in illa πανοπλία contra Spiritus immundos Ephes. 6. cum precibus potius, fide & ieiunio fugari debeat Dæmon.]

Cruce an dæmon pellatur.

Profanus irrisor ille est, qui ita contra antiquam consuetudinem argutatur, rem ipsam examinemus. Principio quidem si est tam ridicula consuetudo, cruce & aqua benedicta fugare Dæmonas, ea in culpa fuere veteres. Cyprianus, seu illi par auctor de passione Christi. *Cuius* (sanguinis dominici) *hodie tanta est auctoritas & potestas vt non solum Israelitica lumina muniat, sed etiam ab his qui Israelitice non viuunt, solum sacramenti signum repellat Dæmonia: & vbicunque conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis virtus & sanguinis nota.*

Crux dæmones pellit.

§. 2. Mentio non fit apud Paulum, quod non ea pertineat, sed quia Paulus de internis agit remediis, & de animi tentationibus. Verum vsum crucis ostendit ex traditione Tertullianus *de corona militis* cap. 3. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet frontem crucis signaculo terimus.* Et in eum Melius doctissimus interpres. *Locus maxime insignis de vsu signaculi crucis apud Christianos antiquissimo, quem ad omittere maluerunt Magdeburgenses quam recensere, dum taxat negantes ea atate in Baptismo adhibitum fuisse signum crucis. Verum non solum Patres posteriores, sed etiam ante Tertullianum B. Iustinum Martyrem id agnouisse ostendimus Adnotat noster in B. Cyprian. Epistol. 56. num. 31. Etsi enim vbi de Baptismo agit expresse non meminerit, certe eadem Apologia dicit nihil sine hac figura crucis administrari. Cui adde B. Dionysium Areopagitam lib. de Eccles. Hierarch. qui crucis signaculi vsum in Baptismo & consecratione chrismatis, toties nominatim recenset. B. B. Ignatii quoque & Martialis test. mona, etiam Origenis apud Eusebium lib. 6. cap. 43. quæ breuitatis gratia omitto; quare calumniantur dum ad Montani ceremonias id referunt. Certè morem, quo crucis signaculo frontem terimus ad omnem progressum, ad omnem promotum (vbi promotus sicut & calceatus, iuxta quartam inflexionem pro calceatione capi adnotauit Rhenanus) ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad mensas, ad lumina, ad sedilia, ad cubilia, quacunque nos conuersatio exercet: Magdeburgenses cum ipsi viuantur cum ceteris Lutheranis, non diffitentur antiquissimum. Eundem interim (contra Caluinistas) etiam omnibus veteribus vsitatum fuisse comprobauimus ex aliis in B. Cyprianum. Adnotat noster in Epistol. 63. num. 39. & lib. 3. Test. ad Quirin. cap. 22. num. 105. Quibus si addidero alios locos Tertulliani finem fecerim. Est alter supra lib. aduers. Iud. Tom. 1. cap. 11. vbi post quam de signo Tau adtulit Scripturam Ezech. 9. addit: Huius autem signi sacramentum variis modis predicatum est. Quod ipsum explicat lib. 3. adu. Marc. Ipsa est enim littera Tau, nostra autem T. Species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Ierusalem. Denique adhuc apertior lib. 2. ad Vxorem, Latebis ne (inquit) tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas?*

Veterum sententia de cruce.

§. 3. Expellendi rationem aliam idem Athanasius explicat in Psalm. habet. *Ego certè (inquiebat senex) à sapientibus audiui olim in Israel recitandis sacris Scripturis dæmones expelli solere, insidiasque eorum contra hominem retegi: Vnde quauis pœna dignos censebat, qui his vocibus omissis aliunde verba elegantia aucupantur, in iisque se exercitos nominant, quin potius operam ludunt, & seridiculos dæmonibus præbent, qualia in actibus Apostolorum, Iudæorum filios fecisse legimus: qui & ipsi quoque eodem modo Dæmones eiurare conati sunt. Ea igitur, cum dæmones animaduertunt, ludibrio habent, contra sanctorum voces exhorrent, & ferre nequeunt. Est enim in verbis sacrarum Scripturarum Deminus, quem cum ferre nequirent, vociferabantur. Quæsone nos ante tempus torqueas: vrebantur siquidem, si vel solum Dominum præsentem vidissent.* Et in vita S. Antonii, *Magna, dilectissimi, aduersum Dæmones arma sunt vita syncera: & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimescit Satanas recte viuentium vigilias, orationes, ieunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, tra dominatum, & præcipue purum cor erga CHRISTI amorem.*

Ratio dæmones pellendi.

Exempla plurima & authentica videre licet apud accuratissimum Scriptorem Petrum Thyræum nostrum, de locis infestis, parte 3. capite 68. & dæmoniacis, aliisque locis. Venantius Fortunatus plura recenset, in vita Germani capite vigesimo septimo, puellam

pitellam Magnesiheden obuiam S. Germano factam crucis signo à Dæmone liberatam. Nobis crucis vim satis Martialis ad Burdegal. Epistol. cap. 8. expossuit. *Crucem Domini, in quem credidistis, Deum verum & Dei Filium, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini, armatura vestra inuicta contra Sathanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & Angelicas insidias peruersa potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo cœlestis victoria data est nobis: & per Crucem Baptisma Dei sanctificatum est.*

§. 4. Nec dubitare possumus, nisi omnem antiquitatis historiam negemus. Testatur Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Neocæsariensis eum frequenter signo crucis dæmonas expugnasse. Legatur Hieronymus in vita Pauli. Nazianzenus in Oratione contra Iulianum. Basilius de Spiritu sancto, Origen. homil. 6. in cap. 5. Exod. Augustinus ad Catechumenos. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 9. Victor Vticensis de persecutione Wandalica. Athanasius de incarnatione. Paulinus natali S. Felicis. De rerum aliarum benedictionibus & vsu consule Thyreum de dæmoniacis parte 3. cap. 45.

VERSVS 29.

Et ecce clamauerunt, dicentes. Quid nobis & tibi IESV *Fili Dei? veniisti huc antè tempus torquere nos?*

QVÆSTIO I.

Rectene dictum, Quid tibi & nobis?

§. 1. BEza in cap. 8. Matthæum contendit dicendum, quid tibi nobiscum? aut, quid nobis tecum? Nostrum obscurè & barbarè vertisse censet. » [Clamabant, *inquit*, ἐκραζον. Erasm. Vociferabantur, » id est, ἀνεβόων. Quid nobis tecum? τί ἡμῖν καὶ σοί; Erasm. quid rei nobis tecum, & rectè quidem, nam subaudiatur πρᾶγμα, cum sic loquatur Demosthen. ὥσθ' » Σπφάνω. Διομνύμενος μηδὲν εἶναί σοι, καὶ Φιλίππῳ πρᾶγμα, Iurans, nihil tibi cum Philippo negocii. Et Herodotus in Terpsich. σοὶ ὁ λόγος τοῖσι πρήγμασι τοῖσι; Sed » præcisè etiam sic interdum loquuntur Latini, vt Cic. » quid huic cum Fabio? Idem. Cum Vatinii legionibus quid erat Antonio? Vulgata ad verbum; Quid » nobis & tibi? obscurè & barbarè.]

» Si Grammatica supercilia demamus, non video quid noster obscurè barbareque dixerit. Hebræa locutio est valdè vsitata. *Quid tibi & mihi.* ita & Syrus hic מה לן ולך *ma lan velach, Quid tibi & nobis.* vt illud Iehu. *Quid tibi & paci?* Græcus eodem modo. τί ἡμῖν καὶ σοί; Cur ergo noster interpres Hebræam, Syram, Græcam locutionem retinuerit, non potest dici obscurus, vt sic, & illi pariter obscuritatis damnentur. Nec video cur barbarum sit Latinum magis, quam Græcum. Cum in Latinâ linguâ subaudiri possit, quod in Græca. vt quid mihi & tibi negotii est. vide 4. Regum 9. vers. 18. & 2. Regum 16. v. 10. 2. Paralyp. 35. vers. 21.

Recte dictum quid mihi & tibi.

QVÆSTIO II.

Vnde scierint Filium Dei?

§. 1. LVcas 4. vers. 41. aperte fatetur sciuisse fuisse Christum. Itaque veritatis extorsio fuit, non voluntaria confessio. *Tantum & tam diu innotuit, quantum quantum & quam diu voluit. Tantum autem & tam diu voluit, quantum & quam diu oportuit.* Augustl. lib. 9. de ciuit. Dei cap. 24. *Norunt, quantum Deus voluit?*

Dominus transiit, quia nemo hos dæmoniacos adducere audebat, Christus voluit eos sibi occurrere. Orant vehementer, itaque sperant se aliquid impetraturos. Hæc omnia vt mali serui, vt comm. Hieronymi, non sponte obedientes faciunt. Improbæ preces erant & dolores, quia cruciare non possunt, dolent. Adiurat apud Lucam, per Dominum; Hoc est, per Dei honorem obstringo, ne me torqueas.

QVÆSTIO III.

An ante tempus torti dæmones?

§. 1. IMproba, imò dæmoniaca querela, ex qua apparet, quanta fuerit in malis obstinatio. Queruntur ante tempus se torqueri, βασανίσαι, cum illi miseros homines, & creaturas misserrime torquerent; Tam acerbum erat in homines odium, vt hic cruciatus sit grauissimus, non posse torquere alios. *Odium dæmonis in homines.*

§. 2. Aliàs omninò rogabant ne torquerentur. Apud Lucam, *obsecro te, ne me torqueas.* Qua in re tormenta consisterent addidit, cum dixit. *Præcipiebat enim spiritui immundo, vt exiret ab homine.* Deinde deprecabatur multum, ne se expelleret extra Regionem. *Dæmon præsentia Christi torquetur.*

Dæmones præsentia Dei tortos docet Athanas. de Interpretat. Psal. circa finem. *Vrebantur siquidem, si vel tur. solum Dominum præsentem vidissent.*

§. 3. Errant qui arbitrantur dæmones ante extremum iudicii diem pœnarum immunes agere, semper secum illi sua tormenta ferunt. Itaque cruciatus ille alius non est, quam impedimentum exercendæ crudelitatis. Quamuis duplici modo excruciari eos nouo supplicio intelligere possimus. Vel quia coguntur diuina potentia excedere ex hominibus, qua in re mala voluntas contristatur. Vel quia augendis tormentis ad exeundum vrgentur, dum vsque eo cruciatus admouentur, ac intenduntur, donec cedere malint, quàm pertinacius ferre. Si enim animæ mox à morte puniuntur, non est sentiendum dæmones, quorum est maior malitia, immunes esse, cum tanto studio in tormenta aliena incumbant. D. Thom. p. 1. q. 64. a. 4. atque eo loco Theologi. Quomodo verò hoc in aere torqueantur ignibus, id soli Deo cognitum est. *Duplici modo dæmones torquentur.*

§. 4. Partem quidem supplicii in eo constituendam puto, quod furialis inuidiæ cursum sistere cogantur, flere, quia nil miserabile vident; falsum tamen esse, quod ait Wolffgangus Musculus: [Puto ego, *inquit*, torturam maiorem his spiritibus obtingere non potuisse, quam eam captiuitatem, qua nihil possent iuxta suum ingenium & inuidiam, contra salutem hominum machinari, ita vt interea regnum Dei crescere videant, & prohibere nequeant. Et enim hoc ingenium animi inuidentis. Iam quia Christus ad propagationem regni Dei venerat, non frustra torturam illam metuunt. Hinc est quod Christus dicit Luc. 10. Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Et Ioan. 16. Quia Princeps huius mundi iã iudicatus est.] *Inuidia torquetur sed non solá.*

Non est hoc summum tormentum. Pœna enim damni,

damni, & ignis maior est atque acerbior, quam inuidiæ cruciatus. Nec vllo modo hoc orarent, vt ne Christus regnum suum propagando, inu dia ipsos torqueret. Antè tempus torquere, improbe queruntur. cum tot sæcula torsissent, sed maius sibi spatium prorogandum existimarant. ita fieri assolet: omnia mala cum aduenium, etiam tardissima, videntur inopinatis, & ante tempus aduenire.

Chrysostomus homil. 29. ait. *Nam nemine videnti flagellabantur: multoque magis quam mare paulò antè, perpuncti præsentia Christi atque incensi vexabantur, atque sæuissimè torquebantur. Accessit enim Christus ipse ad eos, quoniam nemo illos dæmonibus terribiles adducere ad Christum audebat. Et Matthæus quidem scripsit illos dixisse, venisti huc ante tempus torquere nos? cæteri verò illud etiam adiiciunt, quod deprecabantur eum, & adiurabant ne velit in abyssum eos immittere. Putarunt enim supplicij iam tempus instare, ac ideo formidine commoti sunt, tanquam iam iam demergendi ad tormenta pœnarum.*

Cur ante tempus se torqueri putarint.

Ante tempus se puniendos putabant, quod nimium exagitassent Dei creaturas, vt Chrysostomus arbitratur. loco citato. *Sed quid*, ait, *respondebis? obiiciet quispiam, cum multi incantatores pueros nacti eos iugulent, vt habeant animam sibi postea subseruientem, & ipsos iuuantem?*

VERSVS 30.

Erat autem non longe ab illis grex multorum Porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes, si eiicis nos mitte nos in gregem Porcorum.

QVÆSTIO I.

Quomodo in Porcos ire sinuntur?

Latinus textus Græce melior est.

§. 1. LEctio plurimorum Græcorum habet μακρὰν, *longè*, omisâ negante particulâ, quia vero multi sciolorum Latina hic corrigenda putant, oppono illis Bezam, qui in Græcis potius mendum esse ostendit. [Longè μακρὰν, vulgata, non longe: repugnante quidem fide omnium Græcorum exemplarium, quæ nobis videre contigit: sed tamen rectius, ni fallor, quam absque negante particula: quum testentur alii Euangelistæ porcos istos in montibus fuisse, veluti in cõspectu sitos, vt apparet ex articulo quasi δεικτικῶς adiuncto. Porcos autem illic & quidem gregatim pauisse, mirum non est; præterquam enim quod Gadara & Hippen vrbes Pereæ vicinas (vtpote Galilæam interfecto Iordane ab Oriente finientes teste Iosep. lib. de bello Iud. 3. cap. 2.) testatur idem Iosephus lib. antiq. 17. cap. 14. fuisse Græcanici instituti, constat plurimis incircumcisis, quos genera iter Græcos vocant pleraſq; ciuitates referras illis iam tum temporibus fuisse, ne ipsa quidem Iudæa exceptâ. Qua de re vide Iosep. lib. de bello Iud. 2. c. 19. & 20. Id autem etiam ex eo apparet, quod hic fit mentio monimentorum, vt loci sepulchris referti. quum Iudæorum instituto ad septem dies impurus haberetur, qui in talibus locis versaretur. vt diserte scribit Iosephus de Tiberiade ab Herode Antipa sub Tiberii nomine extructa differens. l. b. Antiq. 16. c. 3.]*

Multi gentiles apud Iudæos.

Piscatores etiam putat negatiuam addendam, locum fuisse in conspectu. Nec ego dubito cum pastores ita præsentes fuerint, vt omnia viderint, & retulerint, & Lucas ac Marcus testentur, cum pro ἐμακρὰν habeant, *illic*, ἐκεῖ: si procul aberant, non erant ἐκεῖ, *illic*: quapropter immerito à sciolis noster interpres reprehenditur.

§. 2. Permittit ire in porcos, vt certo constaret eos exisse. Deinde vt manifestum esset, quæ datâ licentiâ in homines patraturi essent. Tertio, vt res tam conspicua homines ad animę salutem excitarentur. Quarto, vt Saducæos euinceret, naturam incorpoream negantes. Denique vt Gadareni homines improbi, & Euangelii contemptores punirentur, vt Epicurei, & Saducæi intelligerent, alias esse naturas, & leges quam corporum. Denique Porcos alebant Syri, nam regio illa à Iudæis, & alienigenis mistim habitabatur. Iosephl. 17. Antiq.

§. 3. *Beza putat ridiculos, qui permissionem voluntatiopponunt.* Hic quidem locus permissioni manifestè fauet ἐπιτρέψον ἡμῖν ἀπελθεῖν, *permitte nos intrare*, & Syrus eodem modo ܫܒܩ fine. Quorum autem partes hic Beza tueatur, ipse, si legisset, quæ lib. 22. contra Faustum Manichæum habet August. intellexisset.

§. 4. *In mare.* Epiph. hæres. 30. putat non in mare Genezareth, sed in aquas calidas, quæ erant eodem in loco. Sed non est dubium, in mare delatos, ad quod pascebantur, & quod Dominus nauigarat.

Sed Christus quod male peti non ignorabat, bono fine permisit, vt cum homines illi gentiles, athei, & carnales essent, qui, vt Aristoteles, vel non crederent esse dæmones, sed humori melancholico & furoribus ista tribuerent, intelligerent, non arte medicâ subductam insaniæ materiam, sed potestate diuinâ malignos Spiritus eiectos, qui vno impetu porcos in mare præcipitarent. Itaque illa permissio apud impios qui manes, & inferos arbitrabantur fabulas, necessaria fuit. Si enim Spiritus sunt hominibus inimici, si maior his est qui illis imperat, torquet, apparet & aliud regnum esse in quo spirituum non corporum res agantur. Magna sane & formidanda potentia videbatur, duo millia porcorum vno momento in præceps ire, nulla foris apparente causa, quare & incolæ timentes orabant, vt discederet è finibus illorum. Causam etiam aliam habebant, cur in porcos eundi veniam postularent, vt Christum exosum redderent incolis, & miraculi magnitudinem damni coniunctione minuerent, detrimentis enim homines admirabiliter irritantur, & virtutem, quamuis spectatam, si iacturam attulit, oderunt. Vnius meminerunt Lucas & Marcus. Quod eius curatio illustrior, vt Chrysostomus, Augustinus lib. 2. de consensu cap. 24. Multi erant, sed de vno loquuntur Euangelistæ, vel quia vnus omnium caput, vel quia vna omnium torquendi voluntas.

* * *

CAPVT

CAPVT IX.

ET ascendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. 2. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili remittuntur tibi peccata tua. 3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. 4. Et cū vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? 5. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula? 6. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 7. Et surrexit, & abijt in domum suam. 8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerūt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. 9. Et, cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi. Sequere me. Et surgens, secutus est eum. 10. Et factum est discumbente in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. 11. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? 12. At Iesus audiens, ait. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. 13. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. 14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunant? 15. Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt. 16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento: & peior scissura fit. 17. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouū in vtres nouos mittunt: & ambo conseruantur. 18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. 19. Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. 20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxū patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. 21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius: salua ero. 22. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. 23. Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: 24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cum ejecta esset turba, intrauit: & tenuit manum eius. Et surrexit puella. 26. Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam. 27. Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili Dauid. 28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestrā fiat vobis 30. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat. 31. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa. 32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. 33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel. 34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones. 35. Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum. & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. 36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem 37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci 38. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Matt. 9. a. 3. Luc. 5. d. 18. Mat. 1. b. 14. Luc. 5. f. 17. Osee 6. c. 6. Io. 11. a. 7. 1. Tim. 1. c. 17. Mat. 2. c. 8. Luc. 15. g. Mal. 3. b. 22. Luc. 4. f. 41. Mat. 5. c. 24. Luc. 8. f. 43. Isa. 11. b. 22. Luc. 11. b. 14. Mat. 9. e. 6. Luc. 10. a. 2.

IN CAPVT NONVM

ARGVMENTVM.

Hoc caput diuinitatem Christi asserit.

MIrabilium operum continuationem cōtinet, à Gadarenis enim redit, paralyticum sanat, Matthæum à telonio vocat ad Apostolatum, ea occasione Pharisæis rationē reddit, cur cum peccatoribus agat, cur discipuli sui non ieiunent: Hæmorrhoissam tactu fimbriæ persanat; filiā principis à mortuis suscitat; cœcos duos illuminat; mutum dæmoniacum sanat, miseretur turbæ, & monet Apostolos vt Deum orent, quo operarios mittat in messem. Quare signanter hoc caput Christi diuinitatem probat, & ostendit, malitiâ & obstinatione Pharisæos agnitæ veritati obsistere, toto populo in Dei laudes effuso. Hæc facta sunt postquam à Gerasenis redijt, vt doceret non esse proijciendas margaritas ante porcos; similia enim apud eos fecisset, nisi eum importunis precibus dispulissent. Post tamen redijt, eosque initiatos instruxit; quia eâdem illa potentiâ fecerat ex porcis oues.

Syri varios titulos præfigunt huius capitis partibus. A versu 9. ad 18. legitur: Feria quinta septimanæ candidatorum. דמהנא *Dechauarè*. quod eos qui candidi sunt, & loti significat, & ad recens baptizatos pertinere videtur, vt & argumentum ipsum indicat.

A versu 18. ad 27. Legitur in commemoratione defunctorum. בדוכרנא in memoria, defunctorum itaque memoriam publice celebrat ista Ecclesia.

Hinc ad 36. versum feria sexta hebdomadæ quintæ ieiunij.

Denique reliqua in commemoratione Apostolorum sanctorum.

VERSVS 1.

Et ascendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.

QVÆSTIO I.

Quando transfretauit?

§.1. POst discessum à Gadarenis historiam recensēt Matthæus, Marcus c.2.3. Lucas c.5.18. ante eādem, nam miraculum sanatorum dæmoniacorum Marc. 5.1. Luc. 8.32. legitur. Multi ordinem seriemque historiæ potius à Marco & Luca seruari, quam à Matthæo putant, duas ob causas, tum quod illi duo ab vno in ordine dissentiunt. Tum quia Marcus accurate tempus notat. *Cum*, ait, *iterum post dies octo ingressum Capernaum*, de quibus diebus, quamuis sit inter Doctores disceptatio, tamen Euangelista indicat, tēporis se, ordinisque rationem ducere. Sed illud *octo* additum est; nam in Græco & Syro omittitur. 2. in correctis latinis etiam. 3. in Græco est δι' ἡμερῶν, id est, *per dies*, seu, *post aliquot dies*, in Syro לירחיתא *Leiaumatha*, *ad dies*. בפרנחום *Capernachum*, consolationis & misericordiæ, seu expiationis.

Scopus diuersus facit, vt series temporis mutetur.

Non itaque hinc quicquā contra S. Scripturæ autoritatem confici potest, cum alius miracula diuersa, alius conciones iunxerit, rēm sine notatione temporis explicuisse contenti.

Hinc concludit Wolffgangus Musculus, non consistendum in loco ihuito Domino, ideoque culpat phanaticos Spiritus, qui nolunt egredi vrbibus, cum abiguntur. Imperite; non enim Dominus quasi iure pulsus abscessit, vt cui ius erat à Deo datum, illis prædicandi, sed quod indigni essent. Absit vt dicamus Dominum vniuersorum, nō potuisse inuitis seruulis suis in suo consistere. Sic enim conficeretur, ne in Iudæa quidem eum permanere potuisse. Inuitis enim principibus ibi constitit.

Christus inuitis Gadarenis manere potuit.

QVÆSTIO I.

Quæ Ciuitas sua, seu ἰδία?

§.1. NOn vna interpretatio omnium est, sed vnum & firmum Catholicorum contra sectarios argumentum hinc sumitur. Quatuor vrbes sunt, quæ videri possent esse *ἰδίαι, propriæ* Christo Domino. Prima Bethlehem, vnde genus originemque duxit, ex domo Dauid; eam Sedulius esse arbitratur. Secunda Nazareth, quia in ea educatus, exeaque cognomentum traxit, vt Nazarenus vocaretur; Tertia Ierusalē, in illa enim docuit, passus est, Ecclesiam collegit, apparuit, sed nondum hoc tempore tanta gesserat Ierosolymis, vt ἰδίαν πόλιν propriam ciuitatem appellare Euangelista posset, nisi per anticipationem. Quarta est Capernaum; quia in eadem cum doceret, plurima miracula fecit, frequens fuit, & quasi domicilium collocauit. Eam vere esse certo constat ex Marco c. 5. 1. *Et iterum intrauit Capernaum.* ex Luca etiam colligitur, sed minus certo. Chrys. hom. 30. August. de consens. Euang. lib. 2. c. 25. Argumentum contra aduersarios illustre suppeditat. Ille idem locus. Quia namque c. 8. 14. dicitur *Dominus venisse in domum Petri*: inde φιλαυτίαν hæreticorum occasionem arripuit, Apostolicam paupertatem oppugnandi. Petrum enim non reliquisse omnia contendunt; quamuis id ille profiteri ausus est, & Dominus ideo sedem iudicaturo promisit; Domum enim retinuit, inquiunt; vocatur enim *domus Petri*, quia iuris & dominij illius fuit. At sane eodem penitus argumento Christum, Dominum ciuitatis Caphernaumenæ constituere possent; ἰδία enim πόλις fuerit ea, quæ eius iure & dominio tenetur. Quod si rectè ἰδία πόλις dicitur, in qua vt ipse Beza interpretari cogitur, *veluti domicilium Christus habuit*, cum totam alioqui regionem obiret, cur non pari modo domicilium seu οἶκος ἴδιος, seu domus Petri vocabitur, quod ille veluti domicilium habuit, siue domus socrus eius fuerit, siue alterius Petri vel cognati, vel amici, siue etiam ita vocetur, quod antè Petri fuerit, sed ab eo relicta? Hoc maiore ratione dici potest, quod non domus Petri *ἰδία* propria dicitur. Sed Petri simpliciter, quamuis vocet Syrus. למדינהתה *Lamdinech* ciuitatem suam hic appellet.

Quatuor Christi ciuitates.

Ciuitas Christi dicitur, vt domus Petri.

VERSVS 2.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, & videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

QVÆSTIO I.

Quam fidem, & quorum Christus vidit?

§.1. INsigni opere se fides eorum exeruit, probauitque. Primum quidem paralyticum, cuius motibus incurabilis erat, quatuor viri ad Christum portabant. Noxio enim humore nerui, membraque soluta erant, vt mouere ipse se non posset, qua causa & παραλυτικὸς Græcis, & מישרירא Syris nominatur. Pascarot; *causa impulsiua petitio cum fide rogantium, sed ex fide profecta.* Non ergo fidei iustificantis. Deinde cum præturba accedere non possent, tanta enim erat, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, vt est apud Marc. 2.3. omnes aditus explorant, vt indicat Lucas 5. 19. *& non inuenientes, qua parte illum inferrent præturba.* Tertio, magno labore, maiore fide super tectum, quod eo loco cantu planum erat, extulerunt, tectum nudauerunt, *& per tegulas*, vt habet Lucas, cum lectulo demiserunt. Hæc opera fidem in quatuor illis portatoribus fuisse manifeste ostendunt, nec fidem nudam, sed cum insigni, & audaci charitate coniunctam. Verum non est fides illa Caluiniana, sed eorum qui à Christo paralytico sanitatem erant impetraturi. Quod igitur obiectum illius fidei? Lectus, turba, domus, tegulæ clamabunt, si ipsi taceant. Christum scilicet posse ægrum sanare: & id, si accedere & orare possent, facturū sperabāt. Nullo modo *puluino securitatis* indormiebant, qui lectum ipsum ferebant. Neque certo credebant, se, paralyticumque electos, nec sibi non imputanda peccata, siue præterita, siue præsentia, siue futura. Ratio clara est; Christus Dominus videns fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili: Itaque ad sanitatem contulit momentum aliena fides, cuius respectu Christus beneficium dedit, sed fides illa, qua se quisquam in omni scelere iustum arbitratur, non impetrat alteri iustitiam, non ergo illa fides hoc loco est, quæ sit mendica manus eleemosynam accipiens. Quid enim magis ridiculum, aut potius nefarium, quam ita ratiocinari; Credimus etiam, si hunc de tecto præcipitemus, vt vno impetu conteratur, non tamen nobis peccatum hoc imputabitur? Cum igitur hic de aliena fide agitur, non est fiduciariorum persuasio. Illa enim alijs nihil impetrat. Ex quo discimus cum similia loca alia legimus; nihil ad hæresim stabiliendam illa facere, cum huic similia sint.

Fides tanta.

Fides parit cum.

Fides cantu.

Non dat hæc fiducia.

Calum.

Fides

Fides ergo his nulla Caluiniana, sed fides aliena, quę iustificationem nunquam efficit in alio, quædam beneficia temporalia aliquando impetrat.

Dest. nam. cum fide loquitur.

§. 2. Cum vero dicit, fidem illorum. Dubium est, an intelligat fidem portatorum duntaxat, an simul et. iam paralytici. Et constat quidem paralyticum fidem habuisse: nam portari se voluit, & peccata illi Christus remisit, quod sine fide non fit, tamen si modū loquendi spectemus, cum dicit Euangelista: videns fidē illorum, dixit paralytico, apparet de fide portantium duntaxat loqui Et clarius apud Lucam c. 5. 20. ἰδὼν τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπεν αὐτῷ; Quod si Dominus seiungere fidem eorum voluit, certe ostendit, se nullo modo loqui de fiducia Caluiniana. Quin etiam Caluinus hanc fidem ad sanationem restringit.

QVÆSTIO II.

Quid sit, Confide fili?

Conciliatio Euangelistæ.

§. 1. PArui momenti visum est nonnullis, quod tamen magni autores monuerunt, & ab infidelibus obiectum est. Hic ait Christus θάρσει τέκνον. *Confide fili*, apud Lucam est ἄνθρωπε, *homo remittuntur tibi peccata tua.* Apud Marcum omittitur θάρσει, & dicitur, τέκνον, fili, Syrus hoc loco & apud Marcū habet בְּרִי *Beri fili mi*, apud Lucam est גַּבְרָא *Gabira.* quod virum indicat. Hæc Euangelistarum apparens differentia facile conciliatur: nō enim dubium est, omnia dixisse Dominum; virum vocasse, & filium. Compendiosissime enim narrant sensum, & verba, ex quibus ille sumitur, Euangelistæ. Credidero initio virum appellasse, deinde aucta illius fide, filium.

§. 2. Duos ex his verbis struunt errores. Primus. Christus ἀ paralytico aliud non requirit nisi τὸ θαρσεῖν *confidere.* vel, vt Cicero loquitur, *animo confidere*, ergo sola Fiducia sufficit ad iustificationem, seu peccatorum remissionem. Caluinus Christum *erigere ad fiduciam animos* lib. 3. c. 20. n. 9. Alter, Fidem in animi, seu voluntatis confidentia, non in potentia intellectrice à Christo collocari. Nam θαρσεῖν *confidere*, non est operatio intellectus, sed voluntatis. Neutrum sane hinc conficitur. Longe enim alia mens est Christi Domini, quam illi interpretes imaginantur. Non enim vnquam Ille dixit; θάρσει, nam solum θάρσῳ, seu *fiducia*, animi fortitudo te saluum faciet. Neque remittendorum peccatorum causam in fiduciam confert, neque fiduciam ait esse manum mendicam acceptantem peccati remissionem, sed monet eum, vt bono animo sit, quia iam remissa illi peccata erant. θάρσει, *confide*, ἀφέωνται vel remissa sunt tibi peccata tua. Fiducia igitur non est ratio, seu conditio peccatorum remittendorum, sed fructus, seu effectus inde consequens, maior, inquam spes seu fiducia, nam spes etiam præcessit. Concilium Tridentinum sessione 6. c. 6. & Bellarminus lib. 1. cap. 13. de Iustific. *confidentiam seu spem fuisse dispositionem*, opus est fidem, & spem præcedere, spem Christus auxit, dum ait, *remissa sunt tibi peccata tua.* Vt si quis illi qui ob æs alienum in nexum datus est, diceret: *Confide amice, soluta sunt debita tua.* Non sane indicaret; Fiduciam nexi, causam, conditionemue esse solutionis gratuitæ, sed ideo oportere eum θαρσεῖν, hoc est bono, forti, tuto animo esse, quia debita persoluta sint, & parta libertas. Nihil igitur de sola fide concludi potest, seu fiducia cum fiducia illa de qua Christus loquitur, sit iustificatione posterior. Nam Christus dicendo ἀφέωνται *remittuntur vel remissa sunt*; iam remittebat & remissionis auditionem sequebatur fiducia, Neçante illa verba Domini paralyticus certus erat, remissa esse. Si enim certus erat, non opus erat id indicare. Beza: *Remissa sunt, esse*, ait, *in tempore perfecto. Emphasin etiam non negligendam quam-*

Ante sperabat, audaci Christo fiduciā concipiebat.

uis ἀφέωνται pro eo quod iam agitur etiam accipi soleat. Itaque Christus prius erexit eum ad fiduciam, vt bene speraret; ante enim credebat, sed spes infirmior erat, deinde sperati remisit peccata, eumque sanauit; demum iussit confidere. At hæretici vt Pareus lib. 1. c. 13. de Iust. f. primum aiunt habuisse fiduciam. *Nos dicimus paralyticum prius habuisse fiduciam, quam videns Christus (vt est in textu: cum vidisset fidem eorum) approbauit dicendo. Confide fili, & remissione peccatorum donauit. Manet ergo, fidem & fiduciam, non spem, iustificare.*

Hoc non modo textui repugnat, sed multo magis etiam ipsorum hæresi. Si enim post fiduciam visam remissione donauit, ergo fiducia fuit ante remissionē, falsa igitur, nam confidebat peccata remissa, antequā essent remissa. Contrarium vero textus etiam indicat: Non enim prius habuit fiduciam remissorum peccatorum, quam id illi Dominus dixisset. Fiducia ergo remissionem secura est, non antecessit. Vt si quis ob ęs alienum nexo diceret, confide, remissa sunt tibi debita tua; certe non iubet eum confidere, nisi sint remissa debita, nec ille remissā ante confidit, quam audiat remissa.

Fiducia non potest esse ante remissionem.

§. 3. Secundus error multo est deterior, quamuis enim ex fide fiducia nascatur, & fiduciæ stabilimentum sit, non tamen fides est fiducia, multo minus est fiducia Caluiniana, quæ θράσος, *audacia* potius dicenda, quam θάρσος, *fiducia.* aut sanè ἀ fiducia pertinet, κένοθάρσια, λυκοθάρσια canina, & lupina confidentia nominanda est. Constat sane θάρσος & θάρσω de illis dici qui animo fidenti, bona spe & magnanimitate quadam se aduersis opponunt, itaque requirit opinionem, seu persuasionem, se parem aut superiorem fore, & sperat. Non autem ideo θάρσος est πίστις seu fides. Itaque locus hic errorem destruit. Christus videns fidem illorum, dicit: θάρσει, *bono sis animo*, non autem πίστευε *crede*: credebat enim Christum posse, dubitabat, an sanare vellet, consolatur ig tur eum Dominus, & maius exspectato beneficium promittit, id Syrus recte expressit אִתְלַבַּב *Ethlabeb.* Quod est cōsolari, roborari, æquo animo esse. Non igitur illa confundenda sunt quamuis coniuncta sint. Hoc quoque aduersarij aliquando fatentur. Cal l. 3. c. 2. §. 13. [Inter- "dum fidem restringi ad particulare obiectum, sicuti "quum dicit Matthæus, Christum fidem eorum vidis- "se, qui per tegulas paralyticum dimiserant; & ipse clamat non inuenisse se tantam fidem in Israel, quantam "centurio attulerat, atqui probabile est, interim prorsus fuisse ad filij sanationem, cuius cura occupauerat "totum eius animum.]

Hæc fidem sanationem respicit.

QVÆSTIO III.

Quomodo remissa peccata?

§. 1. TVa, non est in vetusti latinis, & aliquot Græcis, manet in correctis, Syrus etiam habet חַטָּתִיךְ *Chatathaich. peccata tua.*

Pascator in hunc loquitur modum; [Quoniam vi- "deo te agnoscere, quod hunc morbum peccatis tuis "sis commeritus, ac proinde remissionem illorū à Deo "expetere, nec non credere Deum illa tibi remissurum "propter me: iubeo te bono esse animo & annuncio ti- "bi peccatorum tuorum remissionem.] Est illa interpretatio in ἄκυρον ψευδές, *incude falsa procusa.* Christus enim non modo annunciator est remissionis, sed etiā remissor. At illi postquam semel animo docere statuerunt; nec sacerdotes Catholicos, nec suos ministros aliter peccata quam annunciando remittere, vt id tueantur, in eandem etiam orbitam Christum trahunt, atque in ordinem redigunt. Improbo plane conatu. Si enim ille annunciat Deum remittere, non ē-

Christus non tam ante nunciat remissionem.

Christus non annũtiauit tantum, sed remisit peccata.

erat cur Pharisæi eũm blasphemiæ accusarent; Nam vt Propheta de voluntate Dei certus, id facere potestatem; nec enim Nathan cum diceret Dauidi: *transtulit Deus peccatum tuum*, vel à rege, vel à populo est accusatus blasphemiæ. Hæc igitur interpretatio, omnibus Patribus repugnat, fauet Arianis, & textum euertit. Patres enim contra Arianos Christi diuinitatem ex potestate remittendi peccata asseruerunt. Quantum vero præsidium Arianis in Caluiniana interpretatione sit, quis non videt. Non enim sequitur Christum Deum esse, quod annunciat Deum illi peccata sua remittere. Id enim & homo potest. At Christus Dominus miraculo demonstrat, filium hominis habere potestatem in terra remittendi peccata, quæ responsio euanida est, si de annunciatione sola loquitur.

§. 2. Caluinus lib. 3. c. 4. 35. *Audut paralyticus, surge, remittuntur tibi peccata tua: pœna non imponitur.*

Respondeo. An sit imposita pœna iudicare Caluinus non potest, quia in scriptura non dicitur. 2. Ille ad fidem conuersus & baptizatus est, nos vero in illa regeneratione, culpam omnem & pœnam aboleri docemus. 3. Christus remittere solet omnia, nos non iam eodem modo, sed ratione præscripta neque nos dicimus post omnem peccatorum remissionem manere pœnam, crebro ea est caritas, aut contritio, vt omnia simul remittantur. Ipsum autem animo dolorem de peccato concepisse certum est. Alia porro est ratio remittendorum peccatorum qua Christus tanquam supremus iudex propria autoritate vtitur, alia, qua sacerdotes vti ministri & vicarij modo præscripto, & ad Sacramenta all gati, ille Dominus est, nos ministri, & lege eius astricti.

Pœna post peccata remissa manet temporalis.

Curandus fidem nondum habet

§. 3. Wolffgangus Musculus, ait, *Peccatorem curãdum vocari filium*, tunc igitur nondum habuit fidem iustificantem, si curandus erat; nam vt illi docent, fide opus est vt curetur, cum illa adest, iam curatus est: credit enim vere, vt illi putant, se curatum. Pergit Musculus: [Deinde notandum hoc loco, quod non dicit, satis feci sti iam pro peccatis tuis, aut satisfacies pro peccatis tuis: sed, remittuntur peccata tua. Quibus verbis omnem satisfactionem pro peccatis sustulit, & totum gratiæ assignauit. Quis enim nõ videt ægrotum hũc magno isto morbo quo laborabat, pro peccatis suis non satisfecisse, aut illa iam deposuisse, sed adhuc fuisse in peccatis? Nam alioqui male dixisset Christus: Remittuntur tibi peccata tua, si iam pro illis satisfecisset. Si ergo neq; magnus ille morbus peccata diluit, qui tamen propter peccata illi erat inflictus, quid operis putest fieri à nobis, quo peccata diluantur? Ergo necessario remissio peccatorum est ex sola gratia Dei.]

Peccator nemo pro peccato condonando satisfacit.

Ingenioſe constituit sibi themata contra quod argumentetur. Nemo orthodoxus fierit peccatorem pro peccato condonando satisfacere, nemo negat merâ gratia peccata remitti. Nulla mors acerbitas facit, vt dolores peccatoris satisfaciant pro peccato, sed nec vllum opus peccatoris fieri, aut fingi potest, nisi vnius mediatoris Iesu Christi actiones & passiones, quibus satisfieri possit. Hominum tamen iustorũ bona opera, ex gratia procedentia, pro peccatorum temporali pœna ex Dei acceptatione satisfaciunt, vt docuerunt, non modo nostri sacerdotes, sed antiquissimi sacerdotum nostrorum Doctores. Pœnã enim manere remissa culpa nos docuit S. Aug. tract. 127. in Ioan. *Hanc itaque vitam de qua scriptum est; Nunquid non tentatio est vita humana super terram, in qua quotidie clamamus ad Dominum, Libera nos à malo, cogitur homo tolerare etiam remisso peccatis: quamuis vt in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa, ne parua putaretur culpa si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Quod si etiam vetustam Ecclesiæ consuetudinẽ in satisfactionibus intelligere velis, non suos gregales quibus nil nisi blandum sapit, sed Cyprianum. Ep. 10. 11. 12. alijsque locis consulat, & quid à pœnitentibus Ecclesia illa requisuerit, animaduertat, vt disciplinę rigorem, quo Catholica Ecclesia mores tuetur, calumniari desinat.

Pœna manet remissa culpa.

VERSVS 3.

Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphemat.

QVÆSTIO I.

Quomodo hoc loco probetur diuinitas Christi?

§. 1. BLasphemię Dominum accusant, in eum semper blasphemi. Est quidem βλασφημεῖν, τὴν φήμην βλάπτειν, *famam ladere, detrahere de alio*, item impie loqui apud Platonem in Alcibiade; verum hic & in scripturis proprie est, Deo tribuere quod illius maiestati aduersum est, aut creaturæ tribuere, quod Dei proprium est. Cum ergo verus Deus esset Christus nõ potuit blasphemare, cum sibi id quod conueniebat assignat. Non dubium est potuisse Christi verba ita accipi, vt ipse non remitteret sed Deus Pater. Dicit enim, remittuntur tibi; quod sic interpretari Iudæi poterant, à Deo internuncio Christo, cui id Deus reuelasset, atq; ita Pisc. interpretatur, annuncio tibi remissionem. Sed constat Christum eo modo locutũ, vt clarè intelligeret, sua ipsum autoritate peccata dimittere. Atq; hoc ipsum indicat responsio, & miraculum eo nim probat remittere se peccata posse. Cõcludebat & hoc Nouatianus adhuc Catholicus l. de Trinitate. *Qui legunt ergo hominis filium hominem Christũ Iesum legant hunc eundem & Deum, & Dei filium nuncupatum. Nã quomodo qua homo ex Abraham, sic est etiam qua Deus, ante ipsum Abraham.* E Tertullianus Apologetico aduersus gentes. *Quem igitur solum hominem modo præsumpserant de humilitate, sequebatur vti magnum æstimarent, de potestate. Cum ille verbo demonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo reddaret vita, elementa ipsa famularet, compescens procellas, & freta ingrediens, ostendens se esse verbum Dei, id est, λόγον, illud primordiale progenitum, virtute & ratione commitatum, & spiritu instructum, eundem qui verbo omnia & faceret & fecisset.*

§. 2 Probat etiam se Deum, quia cognitor cordium est. Pharisæi enim erant, qui tacitis eum cogitationibus accusabant, εἶπον ἐν ἑαυτοῖς *dicebant intra se.* Itaque nouatorum nonnulli locum pulcherrimum prodiuinitate Christi depraua nt cum vertunt, *inter se*, quasi hac de re inter se habito sermone discep assent. Etsi posse accipi *inter se murmurasse*, eos refutat Græcus textus, ἐν ἑαυτοῖς, & noster cum vertit: *intra se.* Et clarissime Marcus c. 2. 6. & sequentibus. Hebraismus autem est, in Ps. 45. & 10. d cunt illi בקרבם *Bekirbã* & בלבם *Belibbam. in medio, in corde suo.* Syrus hoc loco בנפשיהון *Benaphschehun. in anima sua.* Hieron. *eadem maiestate & potentia, qua cogitationes cognosco, etiam peccata dimitto.* & Tert. de pudicitia. *Habeo etiam nunc quo probem Christum si propterea Christus in martyre est, vt mœchos & fornicatores martyr absoluat; occulta cordis edicat, vt ita delicta corrigat, & Christus est. Sic enim Dominus Iesus Christus, potestatem suam ostendit: Quid cogitatis neq; ã in cordibus vestris? Quid enim facilius est dicere paralytico, dimittũtur tibi peccata &c.*

Non igitur hoc testimonium prætextu elegantiæ è manibus extorquendum est. Apud Marcum est suo spiritu: Itaque ex se se cognouit, Deus ergo fuit.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An sacerdos remittere peccata possit?

§. 1. Piscator, [Quum remittere peccata sit proprium opus Dei: sacrilegium igitur committit Papa, quod hanc potestatem sibi arrogat. Quod autem Christus ministris verbi dedit potestatem remittendi peccata, Ioh. 20. v. 23. id intelligendum est de annunciatione remissionis peccatorum ex mandato Dei: qui mandauit, vt ministri verbi omnibus ac solis respiscentibus, & in Christum credentibus remissionem peccatorum certo annunciarent ipsius nomine.]

Respondeo cogitare Piscatorem mala in corde suo, vt cogitabant Iudæi. Nam Papa eo modo sibi potestatem datam intelligit, qua Christus dixit: Quorum remiseritis &c. Ioan. 20. v. 23. Quod ait ille mandatum, vt remissionem peccatorum annunciarent, glossa est Caluiniana, non Christi mandatum.

Pontifex remittit peccata, vt Dei ministerium vt sa est Caluiniana, non Christi mandatum.

In sacerdote nos agnoscere ministerium, in Deo δεσποτείαν seu auctoritatem supremam, ipse quoque calumniator sacerdotum non ignorat. Non igitur diuinum honorem ambit, qui munus acceptum, non autem aliquid diuinum exequitur. Verum hac de re sermo erit cum Ioannes exponetur. Id solum moneo, non mirum esse, si Piscator munus annunciandæ remissionis tantummodo nobis reliquum faciat, cum Christo id solum tribuat, vt in præcedentibus ostensum est. Non ignoramus quod Chrys. ait hom. de ieiunio. ὁυκ αὐτὸς (ἱερεὺς) παρέχει τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, ἀλλ' ὁ μέγας ἀρχιερεὺς χριστός. *Non ipse sacerdos tibi præbet remissionem peccatorum, sed magnus Pontifex Christus.* Non negat sacerdotem remittere, sed discrimen inter eum qui minister est, & Deum qui Dominus est. Non tamen annunciando tantum, sed instrumentaliter agendo remittit. Optime Nyssenus in oratione de reprehensione. κύριος ὁ χριστὸς διάπτρας ἔδωκε τοῖς ἐπισκόποις τὴν κλεῖδα τῶν ἐπουρανίων πυλῶν. γίνωσκε ὅτι λυθεὶς, λέλυσαι, καὶ δεθεὶς τοῖς ἀοράτοις δεσμοῖς κατασφίγγῃ. θανὼν γὰρ γινώσκε κεκλεῖσθαι σοι τὰ ἀνωφελούμενα. Dominus Christus per Petrum dedit Episcopis claues, supercœlestium preciorum. Cognoscete absolutum, si absolutus (subaudi ab Episcopo) Et ligatum, si vinculis inuisibilibus impediaris. Morieris cognosce, tibi clausa esse, quæ sunt reposita. Non igitur clauis, vincula, ligatio, solutio, ad solam annunciationem restringenda sunt.

VERSVS 4.

Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.

QVÆSTIO I.

An mala cogitationes eorum?

Cogitationum iudex Christus.

§. 1. Errare eos docui, qui superiori versu illa verba, εἶπον ἐν ἑαυτοῖς interpretati sunt, quasi inter se collocuti essent, nondum enim in verba proruperat malitiosa suspicio, id adeo nunc clarius intelligitur, cum Dominus non verba sed tacitas cogitationes accusat. Videbat enim reconditas animo & latentes criminationes, quas vocat ἐνθυμήσεις, eo quod in animo lateant: & ait ἵνα τί ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris: Non desunt etiam Pharisæis sui defensores, cum enim Deum esse Christum ignorarent, & tamen peccata remittere viderent, quod solius Dei est: Isaiæ 43. 25. *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas:* non minus est, si cogitationes illę inciderent de blasphemia. Sed nihil eorum, quæ de eorum defensione dicuntur audiendum est; Inspector cordium, cogitationum cognitor, immutabilis iustitiæ edicto eos damnauit.

§. 2. Quid quisque eorum cogitarit, nouit ille, qui iudicauit. Tria tamen præcipue in hoc eorum iudicio culpanda se offerunt. Primum est προπέτεια siue velox in malum celeritas, vt temere iudicent, non quęquis de plebe hominem, sed eum, in quo nullum peccatum notare poterant, quem sanctissimæ doctrinæ ergò omnes venerabantur, qui tot miraculis illustris, diuino testimonio dogmatum veritatem obsignarat. Cognoscere ergo, & interrogare oportuit, qua auctoritate id faceret, non damnare inauditum. Alterum est, quod ex primo colligitur, eos inuidia, æmulatione, aliisque prauis affectibus iudicasse. Qui enim cito damnat, liberter damnat; & odij signum est, cum sententia ita præcipitatur, vt anteuertat examen & cognitionem. Odisse autem constat ex v. 10. vbi reprehendendi occasiones vestigant. Itaque & hic impio iudicio damnabant, eum blasphemiæ & diabolica ἐπιχαιρεκακίᾳ, seu gaudio ob malum, exultabant, & gratulabantur eum in peccato deprehensum. Tertium est, quod iam animo iudicarunt, Christum non esse Deum. Quamuis enim admittamus, eos vel omnes, vel quosdam fuisse excusatos, quod fide imperfecta nondum Deum esse Christum crederent. Non tamen pronunciare debuerunt Deum non esse, Deū esse non posse. Cum enim se Christum esse profiteretur, & in veteri scriptura Christus Deus esse dicatur, magnæ temeritatis fuit, contrarium iudicasse. Aliud est enim dubitasse inter initia doctrinæ, an Iesus sit Messias? an Messias sit Deus? Aliud vero pronunciare, nec Messiam esse, nec Deum.

Peccata temerarij iudicij. Celeriter damnant. Odio damnant. Male iudicant non esse Deum.

QVÆSTIO II.

An hinc Christi diuinitas probetur?

§. 1. Solius Dei est remittere peccata, cogitabant illi: Hic autem Deus non est. Christus violenter telum in ipsos retorquet. Solius Dei est, occultos animorum recessus, cogitationes cognoscere, illæ in conspectu meo sunt. Deus igitur ego sum. Hæc este nim vis eorum verborum, quibus eos & malitiæ, & erroris conuincit. Id indicauit S. Athanasius homil. de semente: *Quid cordium cognitori ostenditis, quæ ab ipso videntur? Nonne subinde experimento percepistis, eum mentium cogitata intelligere? Non ille, qui dixit, Quid cogitatis mala in cordibus vestris, intelligit cogitationes animorum? scilicet spicarum confricationes non videbat, nouus ille & admirandus mortuus, liber inter mortuos.* Id quoq; S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 10. indicat. Simulque ostendit, Deum intelligendo dicere; nam hi quoque dixerunt cogitando. *Quid est enim dixerunt intra se nisi cogitando?* Et *Quale est in libro sapientiæ: Dixerunt cogitantes: Tale est hic, cogitauerunt dicentes.* Et illic enim & hic ostenditur, intra se, atque in corde suo dicere, id est cogitare.

Dei solius est remittere, & cognoscere peccata. Deus dicit non sonando, sed cogitando.

S. Athanasius ex modo sanandi, & respondendi Christi diuinitatem etiam asserit, disput. de Synodo Arminensi & Selauciana. Verba eius, alioqui insignia, apponam. *Et de Patre quidem ita scriptum est. Dominus Deus tuus vnus Dominus est, & Deus Deorum locutus est, & vocauit terrā: Et de Filio vero, Deus Dominus apparuit nobis & videbitur Dominus Deorū in Sion: Et rursum ita loquitur Deo Esaias, Quis Deus vt tu, tollens iniquitates, & transmittens iniustitias? Filius vero quos voluit ita allocutus est Dimittuntur tibi peccata tua. Quo tempore Iudæis murmurantibus reostendit illā peccatorū condonationē, dicens paralytico, Surge, tolle lectum & abi in domum tuam. De Deo quidē ita scripsit Paulus, Regi sæculorum: De Filio vero ita cecinit Dauid:*

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Daniel porro hæc audiuit, Regnum eius regnum æternum & regnum eius non peribit. In summa, quæcunq; inuenerò de Patre dicta, eadem inuenerù de Filio dici, præterquam quod Pater non appelletur, vt tam superius à me dictum est. Si quis igitur aliud principium, & alium Patrem comminiscitur, eo quod in dictu istis de vtroque omnia sint paria, furiosum commentum animo concipiet.

Nouitas hodiernorũ hæreticorum veteribus fauet.

Ex hisce apparet, quam longe alio Spiritu S. Patres in scripturarum tractatione versati sint, quam illi hodie, qui noua dum quærunt, Arianos, similesque hæreticos toto ostio admittunt.

QVÆSTIO III.

An fides simul sit in voluntate & intellectu?

§. 1. KEmnitius ex eo, quod dicantur cogitare in cordibus deducit; *Fidei tribuenda quæ ad intellectum & voluntatem pertinent.* Sic ratiocinatur. *Scriptura tribuit cordi, quæ ad voluntatem, & intellectũ pertinent. Fides tribuitur cordi, corde creditur ad iustitiam. Cur igitur non poterunt fidei tribui, quæ ad intellectum, & voluntatem pertinent?* Etenim admiranda est illa Philosophia. Cordi tribuuntur actiones intellectus & voluntatis; Cordi tribuitur fides, fidei ergo tribuuntur actiones intellectus & voluntatis; siue quod probandum erat; fides ergo est in voluntate, & intellectu. Cur enim, si insanire libet, non sic infert. *Cordi tribuuntur cogitationes malæ,* vt hoc loco. *Cordi tribuitur fides, cur non ergo fidei cogitationes malæ imputantur?*

Prudentiæ inopia argutiarum copiam parit.

Cor totum hominem interiorem significat.

Respondeo, quod etiã responderunt alij & Bellar. l. 1. de iustificat. c. 6. Cordi istã tribui, quia cor in scriptura pro toto interiore homine accipi solet, ideo illi omnes actiones interiores tribuuntur, tam voluntatis quam intellectus, imo appetitionum aliarum, & sensuum, pro toto homine aliquando sumitur, *O corda oblita laborum, O fida pectora. Intonsos rustica corda patres.*

Contra ista parum sibi constans obijcit de iustificatione, lectione 220. Pareus. [Verum quidem, cor aliquando pro tota anima accipi in sacris literis, vt, Mũdus manibus, & mundus corde. Incircumcisi auribus & corde: sed non semper, vt Deut. 6. c. Diliges Iehouã Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & tota fortitudine tua. Sic Deut. 10. 12. & c. 13. 3. & 1. Reg. 8. 48. 2. Paralip. 6. 38. Matth. 22. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, &c. quibus locis cor ab anima, tanquam pars à toto, & à mente, tanquam pars à parte animæ expresse distinguitur. Dilectio vero tam totius animæ, quam totius mentis & cordis lege præcipitur. Quis igitur non intelligit, vanam esse aduersarij strophã, fidem ideo non esse assensum & fiduciam, quia vna virtus non possit nisi ad vnam potentiam pertinere? Hæc proinde Philosophia sophistarum, cum Philosophia Spiritus Sancti non concordat.]

Hoc argumentũ à Kemnitio primo calore effusum, stolidius defenditur. Nulla enim est veri similitudo in hac consequentia. Cordi tribuitur intelligentia, vt & voluntas; ergo etiam fidei. Cor aliquando à mente distinguitur ergo vna virtus potest ad duas potentias pertinere. Nõ enim si potentia alicuius est multiplex significatio, etiam fidei sit necesse est. Porro vnam virtutem esse in vna tantũ potentia, luce clarius est. Quę enim est in voluntate eius actio est amor, odium, desiderium, gaudium. Eius quæ in mente intellectio, assensus, dissensus, iudiciũ; Quemadmodum igitur non potest intellectus velle nec voluntas intelligere. audire visus, videre tactus, ita nec vna virtus est nisi in vna potentia, si enim virtus est in intellectu, non potest simul esse in alia facultate. Nec est hæc strophа recẽtiorum, vt illi calumniantur, sed doctrina antiqua D. Th. 1. 2. q. 56. a. 2. Virtutes enim sunt habitus, qui potentias ita exornant, ac perficiunt, vt earum actus faciant bonos, itaque in obiecta sua tendunt sub forma li ratione eãdem, quæ etiam tendunt potentiæ, itaque conueniunt in eodem genere. Quamuis autem virtus in vna potentia vt intellectu inhærens, non possit etiã in alia inhærere, interdum tamen aliarum virtutum actiones dirigit, vt prudentia, quæ in omnibus virtutibus vim exercet suam, & operatur. Sic & fides; fiduciã, caritatem, zelum, alia gubernat, non tamen est in earũ virtutum potentijs. Hãc dere videndus Aristoteles. Nicomach. l. 6. primis cap. Scotus in 3. dist. 33. q. 1. Bonauent. in 3. dist. 33. art. vnico. q. 3. Richardus ibidem art. 1. noster Vasquez, & Valentia in 1. 2. q. 56. a. 2. Gabr. item in 3. dist. 23. q. 1. prop. 5. adeo ne Philosophorum quidem pueri hanc ruditatem ferant, si quis dicat; vnã numero virtutem duabus in potentijs esse, nec enim habitus, nec actus potest esse in diuersis potentijs. Fides enim hoc loco est actualis, quia scilicet actu crediderunt, ideo Christi sunt experti beneficentiam, non potest actus assentiendi esse in alio quam in intellectu; sicut nec actus sperandi nisi in voluntate.

Verum quid ego senem & imperitum, & prauum doceo? audiat suum Iacobum ad Portum in defensione fidei orthod. contra Christophorum Ostrorodium cap. 30. [Ex quibus verbis luculenter apparet, verum esse id quod præstantissimi Theologi, imprimis vero Caluinus & Beza obseruarunt, nempe πεποίθησιν, id est, fiduciam, à fide, tanquam effectum à causa, differre, ac proinde à nonnullis perperam, pro fide substitui ipsum fiduciæ nomen, quamuis illa duo, indissolubili nexu ac vinculo, quoties de fide iustificãte agitur, cohæreant: Differunt enim πληροφορία & πεποίθησις, seu fides ac fiducia, non tantum vt causa & effectus, sicut ex citato testimonio liquet, & ex sequentibus amplius patefiet, verum etiam, subiecto, actu, atq; obiecto distinguuntur. Subiecto proprio: nam si essentiam, & actum primum ipsius fidei respicias, subiectum ipsius δεκτικὸν, & proprium est intellectus, non quidẽ theoricus tantum, sed etiam practicus: Fiducia vero vt cunq; radicem habeat in intellectu, sedem tamẽ proprie in corde figit, ibique aduersus omnes dubitationis ac desperationis insultus, castra metatur. Actu, quia fides amplectitur veritatem propositionis Euangelicæ indefinitè & singulariter quidem etiam, sed sub præscripta conditione, quo videlicet credit homo, Christum esse promissum illum saluatorem mundi & suum quoque, si in ipsum credat seu omnes credentes in Christum saluos esse: & se quoque si in ipsum crediderit. Fiducia vero consequens propositionis, id est, promissum fidei præmium, nempe vitam æternam, sibi applicat absolute ac specialiter, propter certitudinẽ antecedentis, quia videlicet homo ille scit & sentit, se credere: ac proinde fides est assensus, seu certo persuasa intelligentia, & notitia de veritate sermonis Euangelici, propter infallibilem veritatem, & in fiducia propter potentiam Dei: Fiducia vero est specialis applicatio, seu, de reconciliatione cũ Deo, per mortem Christi facta, ac fidei præmio, vitę videlicet æternę, hereditate consequenda, persuasio, propter fidem, tanquam necessarium antecedens, cui Deus salutem, & omnes benedictiones spirituales promisit ac destinauit, & sine qua, nec in filium adoptare, nec vitæ æternæ participem facere quenquam decreuit.]

Ille quidem suorum more ineptit, de certitudine & applicatione, hoc tamen didicit, diuersis in potentijs esse fidem & fiduciam. Fidem antecedere, sequi fiduciã. Ecce autẽ Pareus vocat has strophas Sophistarum, & Philosophiam non concordantem cum Philosophia Spiritus Sancti: at vero Iacobus ad Portum

hanc

hanc sibi distinctionem necessariam arbitratur ad refutandos Socinianos. Prodi enim fidem ab illis, qui illa confundant.

VERSVS 5.6.7.8.

Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait Paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. & surrexit, & abiit in domũ suam Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum.

QVÆSTIO I.

An ex potestate Christo datâ rectè noui hæretici doceant, Deum non esse vbique, aut Christum in terra non fuisse Deum?

§. 1. Anostrorum temporum infelicitate nulla hæresis abest, vt experientiâ docemur. Socinianos, qui veterum Samosatenianorum, aliorumq; errores è barathro suscitarunt, Christum non fuisse Deum, sed aliquam potestatem, seu virtutem diuinam cælitus habuisse dixerunt, *cum obambularet in Iudæâ, eamque cum Christo obambulasse in terrâ & comitatam, vt illâ ad miracula edenda vteretur.* Defensionem illius erroris præstitit Vorstius dum negat Dei immensitatem: Si enim Deus in solo cœlo residet, vt Vorstius docet, *in eoque est tantum ratione substantiæ*, vt in *modestâ responsione ad Britanniæ regis accusationem* respondet, si maiestas Dei postulet, vt substantiam suam ab hisce rebus terrenis & sordidis abstrahat. Si nihil infinitum esse potest, Deusque certa specie definitur. Non potuit esse in cœlo Deus, & cum Christo in his sordidis & terrenis locis. Vorstius quidem more Iuliani dubitando, & quærendo disputat, sed tamen aliquando etiam affirmando, aut ea asserendo ex quibus ista euidenter consequuntur. Ne vero offendat ait se Lombardum, Thomam, Scotum, Gregorium de Valentia, aliosque Scholasticos oppugnare. Sed non minus suos ipse oppugnat, Zanchium, aliosque: licet recentiores sensim cedant. Equidem non est huius loci Dei immensitatem, quod in prima parte Theologi faciunt. Hoc loco tamen perfidè vtuntur: Non enim si Dei virtutem habuit homo, qui dicitur Christus, non ideo Deus nõ esse dicendus est. Imo quia virtute Dei, qua absolute, & cum summa authoritate miracula edebat, præditus erat, etiam Deus dicendus est: Suprema enim potestas, qua in patrandis rebus supra naturæ ordinem, vtebatur, creaturæ non potest communicari vt c. 7. ostendi.

Socinians Christum non Deum fuisse, sed Dei virtutem habuisse.

§. 2. Mihi vero admirabile visum est, non factum Vorstii; nam aliorum exemplo fecit: sed audacia ministrorum Leovvaldensium in Frisia Vorstianorum Antagonistarum, qui in specimine conscientiæ, Candoris, Veracitatis, simplicitatis, & pietatis D. Vorstii, obiiciunt eum non contra Scholasticos, sed Patres agere. *Ipse fassus est*, inquiunt, *Patres qui Scholasticis sunt vetustiores, receptam thesin docuisse & defendisse; quid ergo monet litem Scholasticis, & non potius ipsis patribus? Sed rei nouitas & insolentiæ titulo & prætextu minus odioso erat mollienda. Verum hoc non est bonâ fide agere. Norunt pridem viri in orbe Christiano clarissimi, & cum dolore testati sunt Vorstium qui se quasi natum tactat ad Scholasticorum tricas eliminandas (intricatiores scilicet reponendo) omnibus Scholasticorum tricis & argutiis suis in hoc ipso libro de Deo intricatissimis, & argutissimis quodlibeticis & scepticis palmam Magistrali supercilio eripuisse, & quidem scopo detestabiliore.* Conscientiam vestram appello, specimen candoris, veracitatis, pietatis date. Nunquid in omnibus articulis controuersis hocà vobis omnibus agitur? Nonne vt minus odiosa sit hæreseon nouitas eam patribus asseritis, & contra nouos Scholasticos clamitatis? Cum Christo igitur Deus erat, modo prorsus peculiari, non virtus Dei tantum. Dei virtus & potentia esse non potest vspiam, nisi vbi Deus est: est enim & ipsa Deus. Trinitatis proprium est, quia non est corpus, vt sit vbique tota, & per spacia locorum non sit diuisa. Optime Hilarius in Psal. 118. *Deus appropians ego sum & non Deus de longe, dicit Dominus, non corporalibus locis Deus continetur neque finibus aut spaciis diuinæ virtutis immensitas coarctatur. Adest vbique, & totus vbique est, non pro parte vsquam est; sed in omnibus omnis est.* Et Greg. in Ezech. hom. 8. *In solo creatoris sui lumine fidei suæ oculos (homo) figat: quod vnus viuificet omnia, quæ creauit Deus quod vbiq; est, & vbique totus est; quod incircumscriptus & incomprehensibilis sentiri potest, & videri non potest.*

Iustinus Martyr in exposit. fidei. *Simili modo mihi in animo considera iustitiæ solem, vniuersis quidem, ex æquo substantia, vt qui Deus sit præsto esse.*

Vigilius lib. 4. contra Eutychen. *Christus circumscribitur loco per naturam carnis suæ.*

Hilarius. *Sicut in sole est quod videas, si hoc velis videre, quod possis, amittas autem, quod potes videre, dum quod non potes, niteris: ita & in rebus Dei habes, quod intelligas, si intelligere quod potes, velis. Cæterum si vltra quam potes, speres id quoque quod potuisti, posse non poteris. Id vero nõ virtute aliqua externa, sed substantiâ suâ:* & docet Iustinus Martyr in expositione fidei. *Simili modo animo iustitiæ solem considera vniuersis quidem ex æquo substantia, vt qui Deus sit, præsto esse.* Vere igitur sancteque Vigilius l. 4. aduersum Eutychetem. Christus circumscribitur per naturam carnis suæ, & loco non capitur, per naturam diuinitatis suæ. Porro vnde Vorstius erroris sui succos venenatos hauserit fontem indicat in excerptis ex annotationibus, num. 3. ad pag. 232. *Et præterea strictè litteram S. Scripturæ vrgeas vtrumque sententiæ membrum verum esse constabit. Nam neque vspiam diserte scriptum est substantiam Dei simpliciter, seu quouis modo immensam & infinitam esse. Et quæ dicta S. Scripturæ vulgo hîce citari solent, ea Caluinus, & alij quidam Dd. horsum pertinere negant.*

Deus omnibus rebus adest, interest.

Eos inter numerare potest & Piscatorem, aliosque, de quibus alio dixi loco.

Interim ne sit locus vllus tantæ profanitati, pie philosophari Christianus addiscat, & veteres hac de re consulat, qui Deum semper vniuersum & vbique profitentur. Iustinus q. & resp. ad Græcos & ad Orthodox. Iren. aduersus Hæret. l. 4. c. 36. l. 7. c. 1. Tertul. Apolog. & aduersus Praxeam. c. 16.

QVÆSTIO II.

An his ante ostensa Christi diuinitas confirmetur?

§. 1. NOster interpres vertit τί ἐστιν; Quid enim est facilius? Beza. vtrum est facilius. nouum esse ait in lingua Latina, quod noster habet. At vero æque nouum est in lingua Græca, in qua dixit Spiritus τί, non πότερον. *quid*, non *vtrum*. addo & in Syrâ ܡܢܐ Mana. Eadem igitur superstitione & noster

Hoc ipsum cauti secum.

Noster interpres defensus.

interpres, & Matthæus, imo Magister noster Christus sub ferulam vocatur.

Puerile etiam est, quod Beza ἆρον vertit, *attolle*, scilicet *in humeros*; quod simplice verbo *Tolle*, negat satis indicari. Reuera enim tollere plus est, quam attollere, abeuntem autem secum ferre iussit, quod si quis argutetur, non satis verbo attollendi significari contendit. Porro refutant Bezam omnia, non dixit ἔπαρον, sed ἆρον, quod rectius per *tolle*, quam *attolle* exprimitur.

Fortissq; viri tulit arma dissertus.

In medio enim posita à victore auferebantur.

Hoc quoque obuium est, in terra remitti, non quod illa remissio in cœlo rata non sit, sed vt indicet se descendisse, familiariter se præsentem exhibere, vt ne opus sit longe petere salutem, nobis iam hic offerri.

§. 2. Dignum vero obseruatu, quod S. Irenæus lib. 5. contra hæreses cap. 17. annotauit, Deum cuius præcepta homo violauit esse factum medicum & remisisse peccata, & Deum hominemque se ostendisse, Et propter hoc, inquit, non credentibus, quæ ab eo fiebat, remissioni, Pharisæis dicebat. Vt sciatis quoniam potestatem habet Filius hominis remittere peccata: & hoc cum dixisset, iussit paralyticum hominem tollere grabbatum super quem iacebat, & ire in domum suam: propter hoc quidem efficit, confundens incredulos, & significans quoniam ipse est Vox Dei, per quam accepit homo præcepta, quæ supergressus est, & factus est peccator: ex peccatis enim paralysis subsequuta est. Peccata igitur remittens, hominem quidem curauit, semetipsum autem manifestè ostendit quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem hæc Dominus, & curabat homines; manifestum est, quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus, à Patre potestatem (remissionis peccatorum) accipiens, quomodo homo, & quomodo Deus: & quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo.

Remissio peccati ostendit Deum esse.

Nec vero illud intactum reliquit, quod pius populus admirabundus, & trepidus Deum collaudat. Turbæ enim ἐθάμβησαν, vel vt quidam legunt ἐτάμβησαν, *attonitæ fuerunt.* Luc. 5. 26. *Repleti sunt timore, & stupor apprehendit eos.* alii libri habent ἐφοβήθησαν, timuerunt. Deum vero glorificauerunt, non nouum, non alium ab eo, qui semen Israel elegit, qui fœdus cum patribus iniit, & in posteris ratum esse testamentum suum voluit. Vnus igitur, idemque est, & noui & veteris Testamenti conditor: sed ipsum Irenæum libro citato loquentem audire præstat.

Timor populi Reuerentialis fuit.

Quapropter & curato paralytico: videntes (inquit) populi, clarificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Quem igitur Deum clarificauerunt circumstantes populi? Nunquidnam ab hæreticis inuentum incognitum patrem? Et quomodo eum, qui in totum non cognoscebatur ab eis, glorificabant? Manifestum est ergo, quoniam eum, qui in lege à Prophetis prædicatus est Deus, glorificabant Israelitæ, qui & est Pater Domini nostri. & propter hoc docebat homines in sensu per ea signa, quæ faciebat, dare gloriam Deo. Si autem ab altero quidem patre ipse venisset, alterum autem patrem glorificabant homines videntes eius virtutes, ingratos eos in eum patrem, qui miserat curationem, efficiebat, sed quoniam ab eo qui est, à quo Deus vnigenitus filius venerat ad salutem hominum, & incredulos, per eas quas faciebat virtutes, prouocabat dare gloriam patri, & non recipientibus aduentum filii eius.

Populus Deum notum honorat.

Glorificauerunt autem, quod tantam in spem omnes erexisset, & potestatem remittendi peccata tam conspecto miraculo comprobasset. Itaque & Deus Christus est, & idem ille, quem Patriarchæ & Moses coluerunt.

VERSVS 9.

Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me, Et surgens secutus est eum.

QVÆSTIO I.

An Matthæus ista scripserit?

§. 1. NEgat Faustus apud Augustinum sumpto ex hisce verbis argumento. *Quid enim dicit? Et cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem ad telonium, nomine Matthæum, & vocauit eum. At ille confestim surgens, secutus est eum. Et quis ergo de seipso scribens dicat, vidit hominem, & vocauit eum, & secutus est eum: ac non potius dicat, vidit me, & vocauit me, & secutus sum eum: nisi quia constat hæc Matthæum non scripsisse, sed alium nescio quem sub eius nomine? Cum ergo ne quidem si & Matthæus hoc scriberet, verum foret: quia præsens non erat, quum Iesus hæc loquebatur, in monte: quando magis credendum non erit, quia nec Matthæus eadem scripsit, sed alius sub nominibus & Iesu, & Matthæi.*

Respondet Augustinus. *At quam elegantem rem sibi visus est Faustus dicere, vbi propterea voluit, non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non ait, vidit me & dixit mihi, sequere me: Sed vidit Matthæum, & dixit ei, sequere me: quod nescio vtrum de errore imperitiæ dixerit: an de more fallaciæ: Sed non vsque adeo imperitum putauerim, vt nec legerit nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant. Magis ergo hunc arbitror non vt imperitum, sed vt imperitis nebulam obtendere voluisse, sperantem se plures esse capturum, qui ista non nossent. Et in historia quidē rerum secularium talis narrationis reperiuntur exempla, sed non opus est, vt ex alio genere literarum, vel nostros admoneam, vel istum refellam: ipse certe paulo ante de libris Moysi quadam testimonia ita proferebat, vt non ea negaret scripsisse Moysen, immo & affirmaret, sed ad Christū non pertinere contenderet. Legat ergo in eisdem libris, quæ de se scripsit Moyses, & fecit Moyses; vtrum ita scripserit, Dixit aut fecit hoc vel illud: & non potius dixit Moyses, & fecit Moyses: aut vocauit me Dominus: vel dixit ad me Dominus: & non potius, vocauit Dominus Moysen, Dixit Dominus ad Moysen: & omnia cetera in eundem modum. Ita ergo & Matthæus de se tanquam de alio scripsit, Quod & Ioannes fecit: nam circa finem libri sui etiam ipse sic loquitur, Conuersus Petrus, vidit discipulum quem diligebat Iesus, qui & recumbebat in cœna super pectus eius, & dixerat Domino: Quis est qui te tradet? Nunquid & hic dixit, Conuersus Petrus vidit me? an forte propterea nec istum putant hoc Euangelium scripsisse? Sed paulo post dicit, Hic est discipulus qui testificatur de Iesu, & qui hæc scripsit: & scimus, quia verum est testimonium eius? Nunquid ait, Ego sum discipulus, qui testificor de Iesu, & qui hæc scripsi, & scimus, quia verum est testimonium meum? Certe manifestum est, hunc morem fuisse scriptorum, cum gesta narrarent: Quam multa & ipse Dominus eadem locutione de se dicit, quis enumerare sufficiat? Cum venerit, inquit, filius hominis, putas inueniet fidem in terra? non dixit, cum venero, putas inueniam? & venit filius hominis manducans & bibens: non dixit, veni: & veniet hora, & nunc est, cum mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent, non dixit, vocem meam: & multa huiusmodi.*

Scriptores de se tanquam de alio narrant.

Vnde

Vnde iam puto sufficere, quæ dicta sunt, & ad studiosos commonendos, & ad calumniosos conuincendos. Tam claro responso nihil addere necesse est. Non omittenda tamen controuersia fuit: cum quod multa contineat, aliis locis vtiliter addenda, tum quod eiusdem generis fere sunt, quæ hodie à Sectariis proponuntur.

QVÆSTIO II.

Rectene Matthæus secutus est?

§. 1. OBiecit olim Porphyrius, Matthæum stolide secutum esse, ad primum statim verbum. Hieron. in S. Matthæum lib. 1. *Arguit in hoc loco Porphyrius, & Iulianus Augustus, vel imperitiam Historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sint saluatorem: quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti. Cum tantæ virtutes, tantæque signa præcesserint, quæ Apostolos antequam crederent vidisse, non dubium est. Certe fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, & primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide, & succinis hoc esse vis dicitur, vt annulos & stipulam & festucas sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat?*

Gratis causa fuerunt, cur Matthæus statim secutus.

Itaque iam multa miracula audierat, vt merito crederet, forte etiam aliqua viderat. Deinde diuina quædam virtus intus in animo agens eum vocabat, & perurgebat, cui si resisteret; vel infidelis esset, vel pertinax.

§. 2. Notandum quod Lucas ait, relictis omnibus secutum esse. Quod ita Piscator interpretatur, vt si rem spectes, sit, *retentis omnibus*. Et nobis obiicit: *At si reliquit tum omnia sua; quomodo mox in domo sua apparauit Christo conuiuium?* Respondet ille: reliquisse omnē illam negociationem suam, seque totum *addixisse Christo, vt faceret quod ille iuberet; sed rebus vsum esse, quatenus per nouam vocationem licuit.* Et Caluinus. *Nam omnia relinquere nisi domestico Christi discipulo, & in spem apostolatus vocato, necesse non erat.*

Matthæus omnia reliquit.

Mala sine dubio interpretatio, cum domos & agros, & omnia deserenda essent, cum in primitiua Ecclesia, nē de precio quidem quidquam fraudarent. Quid enim magni erat, hominem diuitem facultatibus retentis inuidiosissimam, ancipitemque redimendorum vectigalium negociationem deserere? At quomodo domum habuit omnibus relictis? Respondeo. Eum continuo secutum esse animo omnia relinquendi, & iam ipsas negociationes deserebat, ideo domum ibat, vt domum desereret; Cum igitur iam animo abdicasset omnia; cum iam surgeret, merito dicitur omnia reliquisse. Quod tamen non ita intelligendum, quasi rationibus imperfectis, quasi foto cedens discesserit, aut conturbarit. Hoc enim non modo honorificum Christo non fuisset, sed etiam periculosum. Nam Princeps publicanorum, sociique eum merito desertorem appellassent, forte etiam per magistratus iura sua repetiissent. Itaque prius constituere de vxore, de liberis, creditoribus satisfacere, de debitoribus agere, denique vendere, & dare pauperibus oportebat, Vno verbo, quasi ciuiliter moriturus domui suæ disponere, quæ cum amice ciuiliterque facienda essent, amicos, notosque inuitauit, & Christo conuiuium exhibuit. Dum ergo ista faceret, & illa retinebat, & dimittebat, nam qui vendit, vel dat pauperibus, adhuc vendendo, & dando vtitur dominio.

Statim propositi & inchoationis deseruit.

Ita omnia deseruit, vt iustitiam & decorum seruaret.

QVÆSTIO III.

An peccatores libero ad Christum arbitrio veniant?

§. 1. VOcationem fieri vi irresistibili docent illi, qui rigidam Zuinglij sectam sequuntur, ita vt peccatores nihil omnino agant. Contra vero S. August. opere de gratiâ & libero arbitrio, cuius insignis sententia est l. 1. c. 17. *Quis istam etsi parùm dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem; & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in vobis, opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu, vt ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur, tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Deoperante illo vt velimus, dictum est. Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cum iam volumus, & volendo facimus, scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum.* Qui enim creauit te, sine te, non iustificabit te sine te. D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. Valent. 1. 2. disp. 8. q. 3. puncto 5.

Nihil agere peccatores in conuersione, sententia est Zuinglij.

§. 2. Cum vero omnes Patres ita sentiant, eludere exemplo Caluini solent eorum autoritatem, Beza, Pareus, S. brandus, Gommarus, alii quod Philosophicis fuerint instituti disciplinis, quibus alio ego loco respondebo, nūc de eorum castris, ducem illis oppono, vt bello ciuili decertent. Caspar Barlæus hunc in modum. [Sed verisimile omnino dicet esse illos hic errasse, quia recens è philosophorum scholis prodierant. At cui persuadebit Bogermannus, aut quisquis fuerit alius, minus Theologum esse debere, qui magis Philosophus fuerit? Putabam ego Philosophiam magnum ad Theologiam adferre momentum, & sicut alibi, ita etiam hic esse veri normam & canonem. An credit contradictoriam esse Theologiæ Philosophiam, & huius principiis illam subuerti? At nihil hoc ipso παραδοξότερον. Neque enim vllum dogma recta ratione adstructum rescindit Theologia, aut auersatur fides, etiamsi plurima non assequatur ratio humana, nec capiat, quæ tamen ex reuelatione diuina credit fides, non contra, sed supra rationem. Non contradicit veritati veritas, sed falsitas. Ita enim Philosophus. Eth. 1. cap. 8. τῷ μὲν γὰρ ἀληθεῖ πάντα συμᾴδει, τῷ δὲ ψεύδει ταχὺ διαφωνεῖ τὰ ἀληθῆ. Obiicietur forte; omnes fere & quidem maximas hæreses à Philosophis introductas esse. Esto, quum per Philosophos item oppressæ sint. Valentinus Platonicæ Philosophiæ sectator oppugnauerat Ecclesiam, sed Iustinus Philosophus, & Irenæus Philosophus defendit: Marcion stoicæ Philosophiæ studiosus Christianam impetiit veritatem, sed Tertullianus Philosophus confecit hostem. Celsus Philosophus vniuersam Christi doctrinam simul ac vitam non ferendis conuiciis lacerauit, sed Origenes melior Philosophus illius blasphemias discussit. Immerito male audiat Philosophia, & Philosophi omnes, quia fuere, qui Philosophiæ præsidiis bellarunt aduersus Euangelium. Hominum enim illud vitium fuit, non Philosophiæ. Commendantur alias hoc nomine Theologorum summi, quod Philosophi fuerint. Nunc vero præclarissima illa Græcorum ingenia minus recte dicuntur θεολογεῖν, quia recens è Philosophorum scholis egressi recte norunt φιλοσοφεῖν. At ego tanto felicius illos Theologiam tractasse credo, & quidem ea parte, quā præsentes concernit disputationes, quanto præceptis institutisque Philosophiæ abundarunt magis. Ex hac enim didicere, non vi irresistibili, sed ratione trahi eandem.

Caluiniani accusant Patres Philosophiæ.

Patrum Philosophia defensa.

Philosophorum non Philosophiæ vitio ipsi obnoxia est.

Ex

Vera Philosophia fidei concors.

Ex hac didicere, Legibus, pœnis præmiisque non „ esse locum, vbi nullus contingentiæ. Deum non age„ re naturæ necessitate, quæ extrà sunt, sed summa li„ bertate. Libertatem hanc non à coactione solum, sed „ à determinante ad vnum necessitate liberam esse. Ex „ hac habent, præscire Deum futura contingentia quia „ futura sunt, nõ vero futura esse, quia præscivit. Nec sta„ tim absolutè vt fiant decreta esse, quæ futura illi præ„ noscuntur. Ex hac hausere, non infundi habitus, sed „ crebris actionibus acquiri; acquisitos iam, vel actuum „ intermissione, vel contrariorum exercitio amitti pos„ se. Peccata proprie dici non posse, quæ non fiunt ἐκ „ ἀσήφως, & ἐκ προαιρέσεως. & quæ sunt alia. Quibus o„ mnibus cum Theologiam ex diametro non contrai„ re rectissime iudicarent, ipsa etiam Theologiæ do*Scriptura à rectâ ratione non dissentit.* „ gmata non raro superstruxerunt. absurdum siquidem „ videbatur, Deum à seipso dissentientem facere, qui „ quod recta ratione verum esse dictitasset, scripturæ „ voce falsum pronunciaret. Sic ergo de prædestinatio„ nis, Conuersionis, & perseuerantiæ negotio disseruerunt, vt illa omnia ad perficiendam, beandamque naturam, non vero ad euertendam comparata esse intelligerent, nec est hoc crassius philosophari, quum „ non per inanem philosophiam deuastantur animi, „ sed sanioribus rectæ rationis præceptis de Theologiæ veritate certiores redduntur, & contra impiorum „ philosophorum futiles argutationes magis confir„ mantur.]

QVÆSTIO IV.

Vnde vocatio efficax?

§. 1. DVplicem esse vocationem non modo Patres, sed res ipsa quotidie docet, & Scriptura. Prima quæ est secundum gratiæ propositum, quæ est electorum: Altera quæ est aliorum, qui venire nolunt, & cui resistitur. Efficacia vocationis in eo consistit, quod eo loco, tempore, constitutione vocati fiat, quo Deus, qui omnia præuidet, vocatũ cooperaturũ præsciuit, etenim ille non modo quid omnes causæ acturæ essent, sed etiam si alio modo hunc mũdum, aut alios mundos simili modo creasset, si alias occasiones bene agendi, vel peccandi dedisset, quod singulis momẽtis singuli, pro libertate factitassent, prænouit. Cũ igitur gratiam tribuit, quæ efficaciter, sed libere tamẽ animũ permouet, singulare beneficium est, nam non *Possunt, sed nolunt, qui ineffi caciter vocantur.* modo ita in natura sua gradumque talem effecit, vt bonæ operationis possit esse principium, sed etiam eo tẽpore, & circumstantiis dedit, quam efficacem sciuit esse futuram. Qui vero efficaciter non vocantur, illi, etsi eandem gratiam si gradum spectes accipiant, possuntque si velint conuerti & sequi, non tamen eo modo omnia constituta sunt, vt facere velint, quod velle possunt, aut faciant, quod possunt.

§. 2. Porro bonitatis æternæ est, quantum in sese est, omnibus gratiam offerre, quod etiam facit, sed eam non omnes amplectuntur. Nec repugnat hoc experientiæ, quam obiicit Piscator. [Gratiam il„ lam, (*in amica collatione cum Vorstio,*) Dei salutarem in „ Euangelio offerri omnibus hominibus pugnat cum ex„ perientia & cum dicto illo Pauli, 2. *Act.* 14. *v.* 16. præ„ teritis ætatibus sciuit Deus omnes gentes suis ipsarum „ viis incedere. Deinde non est dissimulandum & hoc: „ gratiam illam, in Euangelio offerri quidem multis: „ verum tamen non omnibus eodem modo: quia ele*Omnibus gratia offertur, sed inæqualis.* „ ctis offertur cum adiũcta diuina operatione fidei, Act. „ 13. *v.* 4. reprobis vero sine illa operatione, vel etiam cũ „ adiuncta diuina excœcatione Ioan. 12. *v.* 39. & 40.]

Non ignoramus multis gentibus aut sero datum Euangelii lumen, aut ab illis reiectum, nec iterum posteris datum. Nec tamen verum est, eis non dari singularem gratiam, qua Deum agnoscere, illique seruire possent, si modo ea, quam acceperunt, vti recte velint.

VERSVS 10. 11. 12.

Et factum est: discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius: Et videntes Pharisæi, &c.

QVÆSTIO I.

An cum peccatoribus agendum?

§. 1. ADmonitio vim continet reprehensionis; quasi vel peccata probaret, vel diuitibus adularetur, vel sane ipse quoque similis esset. Qui cum malis agit, aut est, aut fit malus. Christus vero causam suam, suorumque agit; nam quamuis Christum primario, tamen etiam discipulos culpabant. Lucas vtrorumque mentionem facit, *Edistis & bibistis*, vos scilicet & præceptor vester: Et primum videntur cum discipulis expostulasse, eos se exemplo præceptoris excusasse.

§. 2. Christus respondit. *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Misericordiam se velle, non sacrificium, venisse non vocare iustos sed peccatores.* In qua responsione varia disputatio est.

Præcise & breuiter Dominus respondet, & argumentum retorquet. Peccatorum familiaritate arcere me vultis; ne contagio quodam mali inficiar; atego è contrario assero, consortia peccatorum mihi quærenda; Cum enim summus Ecclesiæ doctor, reconciliator, & mediator sim à Deo constitutus, peccatores ad pœnitentiam vocare, instrue reque meum est officium. Et quamuis alii metu vulgandæ contagionis ægrotos vitare consueuerint, medicorum tamen officium est, ægrotis adesse, at ego medicus sum, peccatoribus à vertice vsque ad plantam non est sanitas; itaque cum illis me conuersari oportet.

§. 3. Τελώνης δοπὸ τῦ ὠνεῖδαι τὰ τέλη ab emendis vectigalibus publicis dicitur: honoratum olim munus, sed ex abusu & auaritia infame. In Græco est καὶ ἰδὰ, *& ecce multi*, noster coniunctionem omisit, quod etiam Beza probat.

Domus Matthæi alio loco erat non ad ipsum telonium; in ea conuiuium exhibuit; qui sunt vocati, erant publicani & peccatores familiares Matthæi, quibus Christus remisit peccata, vt Chrys. hom. 31. Hieron. Euthym. Tertull. lib. 1. de pudicitia gentiles esse putauit, idem Chrysost. non dubito al quos fuisse Iudæos, sed & gentiles alios. Romani enim equites vectigalia conducebant, vtebantur suorum & prouincialium ministeriis.

Monet hic Wolffgangus Musculus, non posse eos qui omnia deserunt, Christo conuiuium exhibere. Quasi vero non ipsa desertione, & in pauperes distributione conuiuium exhibeant. Nec mihi dubium est, quin in primitiua Ecclesia, cum possessionum venditarum precia ad Apostolorum pedes abiicerent fideles, id non recte factum arbitretur, multa enim conuiuia paupertas illa præcidit.

QVÆSTIO II.

Quos sanos Dominus appellet?

§. 1. Ἰσχύοντες *valentes*, sanos vocat, quos opponit τοῖς κακῶς ἔχουσι, Syrus eos nominat חכימיא עבי-

עבירין debiſchait ghabidin, malè affectos, cum vero nec Phariſæi ſani eſſent, nec ſine Chriſto vllus ſit non deploratiſſimæ valetudinis, qui igitur ſani? aut qui deinde Iuſti?

Hoc argumentum Pelagianis fauere videbatur, qui ex eo probabant, gratiâ non opus eſſe iuſtis, ſicut non eſt medicina valentibus.

Verùm Chriſtus reſpondet Phariſæis ex eorum argumento, nec tamen ideo concedit, vllum eſſe, cui gratia ſua opus non ſit. Indignabantur eum cum peccatoribus conuerſari, ſi in ſua eum conſuetudine retinere potuiſſent, quandoquidem ſeſe iuſtos arbitrabantur; nulla omnino fuiſſet querela. Ita Chriſtus ad hoc reſpondet; ſi vos ſancti, ſi ſani, ſinite medicos ire ad impios, ægrotos. Quemadmodum lac aſini non niſi ad ædes ægrorum deferebatur. Ambroſ. de pœnit. *Animaduerte tandem ſententiam illam Domini ſingularem, qua dixit: non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiam. Vocat ergo Dominus ad pœnitentiam peccatores, & optat medicus noſter languidis magis proſ iſſe quam ſanis. Sed non ideo iuſtos præterit, quia peccatores adſciſcit. Nam iuſtorum vita diuina vocatio eſt, ſicut nonaginta & nouem oues in montibus dereliquit, qui vnam erraticam requiſiuit: Illis debitum reddens iuſtitiæ præmium, iſtis beneficium miſericordiæ collaturus.*

Nemo ſanus eſt.

§. 2. D. Cyprianus in Epiſt. ad Antoniahum hinc probat lapſis facile ignoſcendum, ille ad Nouatianos propenſiebat. Et iterum: *Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. Quam poteſt exercere medicinam, qui dicit: ego ſolos ſanos curo, quibus medicus neceſſarius non eſt? opem noſtram medelam noſtram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes iacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus: qui ſi in totum mortui, nunquam de eiſdem poſtmodum confeſſores & martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis, quod pœnitentia ſequente reuoleſcat ad fidem, & ad virtutem de pœnitentia robur armatur; quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia dure & crudeliter ſegregatur, ad gentiles ſe vias & ſecularia opera conuertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos reiectus ab Eccleſia tranſeat.*

Peccatores ægriſant, idò miſericordia ſolananda.

§. 3. Eodem argumento vtitur Epiſt. 77. ad Stephanum, vt perſuadeat, eos facile in communionem recipiendos, quos Martianus Arelatenſis fraude ſeduxerat. *Cum ergo paſtoribus talibus, per quos Dominica oues negliguntur & pereunt, ſic Dominus cõminetur, quid nos aliud facere oportet frater chariſſime, quam colligendis & reuocandis Chriſti, ouibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapſorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam; quando & Dominus in Euangelio moneat & dicat: Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. Nam etſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus, & oues vniuerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſiuit, colligere & fouere debemus, nec pati ſupplices & dolentes fratres noſtros crudeliter deſpici, & ſuperba quorundam præſumptione calcari.*

Peccatores negliguntur & pereunt.

Sanis etiã Deus medicus eſt.

§. 4. Deum vero etiam ſanis medicum eſſe oſtendit Aug. Serm. de vocatione Pauli, & oratione Dominica. *Tunc ergo medicus à ſano contemptus eſt, nunc curat ægrotum. Alia enim ſunt præcepta quædam medicinæ ad tenendam ſanitatem, ſanis enim dantur ne ægrotent: Alia ſunt autem, quæ iam ægroti cum accipiunt, recuperant quod amiſerant. Bonum erat homini vt obediret medico, cum ſanus eſſet, ne medico illi opus eſſet. Non eſt enim opus ſanis medicus ſed egrotantibus. Proprie quippe medicus dicitur, per quem ſanitas recuperatur. Nam ſemper Deus medicus opus eſt etiam ſanis, vt ſanitas ipſa teneatur. Bonum ergo illi erat tenere perpetuam ſanitatem, in qua conditus erat. Contempſit, abuſus eſt, intemperantia ſua decidit ad malam valetudinem huius mortalitatis: audiat vel modo præcipientem medicum, vt poſſit inde ſurgere, quo per peccatum ipſe decubuit.*

Sanos itaque appellat, quaſi conceſſione quadam; ſe enim illi ſanos exiſtimabant, licet eo grauius ægrotarent, quo minus morbum nouerant. Monet autem ne ſani ægris medicum inuideant.

VERSVS 13.

Euntes autem diſcite quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

QVÆSTIO I.

Quomodo miſericordiam vult & non ſacrificium?

§. 1. OSeæ 6. Deus ita loquitur כי חסד חפצתי ולא זבח *Ki cheſed chapatzti velo zabach.* quia miſericordiam volui, delectatus ſum miſericordiâ & non ſacrificio. Sententia non eſt, noluiſſe Deum in vetere Teſtamento ſacrificia, illa enim præceperat, ſed omnibus miſericordiam præponere. Itaq; negatio, κατ' οὐ θυσίαν, comparationis vim habet. Maldon. notabilem locutionem, doctrina mea, non eſt mea. & Ioan. 7. 16. non eſtis vos. Rom. 10. 10. non eſt volentis, Aug lib. 20. contra Fauſtum, *quàm ſacrificium*, quod indicant ſequentia ידעת אלהים מעולות *vedahat elohim megholoth: ſcientiam Dei præ holocauſtis.* Senſum illum Chaldæus reddidit. *Nam in eis, qui exercent miſericordiam voluntas coram me eſt magis, quam in offerentibus ſacrificia.* Comparate igitur loquitur, & oſtendit ſe potiſſimum non ſacrificio delectari, ſed miſericordia. חסד *gheſed.* proprie affectus eſt pietatis erga parentes, liberos, amicos, beneficentia, beneuolentia. Vnde & eiconam vocant חסירה *chaſida* ab effectu erga ſuos, quemadmodum Græci è conuerſo ab illa aut nomen ad alia deriuarunt. περλαγεῖν enim & ἀντιπελαργεῖν dicunt naturali στοργῇ amare, redamare.

Miſericordiam præponit ſacrificio.

§. 2. Duobus modis intelligi verba Prophetæ poſſunt, vel de miſericordia Dei erga homines, vel hominis erga proximum. In duas enim partes diuiſi ſunt interpretes.

De miſericordia Dei & hominum.

De miſericordia Dei erga homines accipiendum, videtur oſtendere contextus Prophetæ. *Quid faciam*, inquit v. 4. quo loco miſericordiam ſuam paratam oſtendit, ſed quam illi ſuis peccatis impeditum eant, vti nubes matutina, quæ imbrem ſalutarem promittit, ſed radiis ſolis diſſipatur. *Propter hoc dolaui in Prophetis*, vt prolirem, & ad rectitudinem deducerem, & *Prophetas occidi verbis oris mei*, cum eos vobis obiicerem. Cauſa, quia ad pœnitentiam reducere conatus ſum, & miſericordiam meam malo quàm ſacrificium. Ita Hieronym. Oſe. Chryſoſtom. in hunc locum. Alii de miſericordia hominum in homines interpretantur. Itaque cum dicit, miſericordiam Ephraim & Iudæ eſſe inſtar nubis matutinæ, & roris, ſignificat eos, haudquaquam conſtanter pietati ſeruire, à præſtito beneficio ad auaritiam crudelitatemq; conuerti.

§. 3. Mihi videtur de miſericordia generatim loqui propheta, tam ea quam Deus homini, quam illa, quam homo homini exhibet, inter ſe enim iunguntur, & cohærent, miſericordibus enim illa præſtatur, miſericordes enim miſericordiam conſequuntur: Sed præcipue tamen de illa quam inter ſe homines exercent. Nam ſi prophetam ſpectes, facile apparet, Deum loqui de aliquo quod ab homine requirit: Obiicit enim Ephraim & Iudæ *miſericordiam* eorum, *eſſe quaſi nubem matutinam, & quaſi rorem mane pertranſeuntem.* hoc eſt breuem, euanidã: Cum vero dicit, miſeri-

misericordia vestra, intelligitur semper, qua vos misericordes estis. Deinde, optima comparatio misericordiam volo, & non sacrificium, nominat enim, quæ præstari ab ipsis vult, sacrificium ad eos pertinet, quæque sunt facienda; & dura comparatio est. Malo ipse misericordiam meam, seu ea mihi magis placet, quam vestra sacrificia, qua de re nulla poterat esse controuersia. Tertio docet id quod adiungit, & scientiam Dei magis quam holocausta offerre. Quis dubitat agi de fide & cognitione Dei, quæ hominibus datur, non quasi Deus cognoscit? vt ergo scientia hominum præfertur holocaustis, ita quoque caritas sacrificiis. Quarto consequentia hoc ipsum ostendunt. Misericordiam, & scientiam requirit, illi contra præuaricati sunt pactum; *Galaad ciuitas operantium idolum, & quasi fauces virorum latronum.* Quinto ita Aug. lib. 10. Ciuit. c. 5. & l. b. 20. contra Faustum c. 16. Theoph. alii, ita solet loqui Isa. 1. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?*

Homo erga hominem benignus esse debet.

Sic Tertullianus aduersus Marcionem lib. 2. *Vsque adeo iustitia etiam plenitudo est, diuinitatis ipsius exhibens Deum perfectum, & patrem & Dominum: Patrem, clementia: Dominum disciplina. Patrem potestate blanda; Dominum seuera. Patrem diligendum pie, Dominum timendum necessarie. Diligendum quia malit misericordiam quam sacrificium: & timendum, quia nolit peccatum; Diligendum quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem: & timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes. Ideo lex vtrumque definit.* Sexto. Huic loco accommodatur optime. Pharisæi damnabant publicanos, nolebant cum illis Christum conuersari, se autem iustos esse, sua sacrificia Deo accepta, itaque odio magno contemptuque in eos flagrabant. Hos Christus monet, magnos peccatores habendos ab homine vt ægros, benignitatem in illos exercendam, id sibi gratius esse, quam cumulare sacrificia. Itaque Christus obiicientibus familiaritatem cum peccatoribus, vicissim exprobrat odium, & misericordiam erga eos, vt si miserum domo exigat auarus, & indigne ferat, ab alio exceptum, ille vicissim obiectet maleuolentiam, & erga miseros sæuitiam.

Pharisæi erga peccatores duri, & contumelioſi.

QVÆSTIO II.

Quomodo non venerit vocare iustos sed peccatores?

Lectio vetus defensa.

§. 1. PRimo de lectione constituendum est. Græci codices habent εἰς μετάνοιαν, sed hoc loco illud non est, sed apud Luc. c. 5. 32. Syrus & Hieronym. εἰς, &c. non habent. Franciscus Lucas ait: *vt à plerisque libris, ita ab omnibus bonis præteritur, idem tamen fatetur in Græcis haberi Parisiensium.*

Peccatores vocantur ad pœnitentiam.

§. 2. Hinc constat cum Lucas plura dixerit, ex eo intelligendum Matthæum; Nam vocari peccatorem à Christo erat vocari ad pœnitentiam. Itaque hic facile intelligitur, quare iusti non vocentur ad pœnitentiam, quia iam iusti sunt: Vocabat autem eos conuertendo. August. contra Crescon. l. 2. c. 9.

Hæc conuersio voluntatis repente mutauit, non solum in telonio peccatorem; verum etiam in cruce latronem. Nisi putas quod Christus in paradyso secum voluisset cruentum sceleratumque hominem, si non cordis illa conuersio continuo faceret innocentem, vt eo die ex eo loco, ex eo ligno transiret ad immortale fidei præmium, in quo exceperat mortis pro iniquitate supplicium. Siue enim ad malum siue ad bonum paruo momento animus commutatur, sed non ideo paruum est, quod meretur. In ipsis corporalibus & temporalibus pœnis & beneficiis diu nutritam quamlibet ætatem vnus ictus interimit, &

Mutatione ad Christū

triginta & octo annorum agritudinem mox vt Dominus diuenitur.

guatus est iubere, sanauit. Crede certe rebus, non verbis inanibus. Mutati ad nos vestri transeunt, absit vt ipsi sint qui fuerunt. Quod vtinam & tu facias, & quam verum sit non te tibi credas.

§. 3. Sectarii nullum esse iustum, ideo rideri Pharisæos existimant. Sed erat iustus Zacharias, Elisabeth, aliique, & illi iam vocati erant, suo tamen modo ad pœnitentiam pro quotidianis vocantur.

Pergunt: Si soli peccatores admittuntur, quid per fictitias iustitias aditum quærimus? lib. 13. c. 14. 5. nulla opera ad iustitiam facere.

Videtur hic agi tantum de Christi miserentis benignitate qua vocat, ait enim volo misericordiam, ideo ex misericordia veni vocare, non iustos & sacrificantes, sed peccatores, causam enim reddit, cur misericordiam velit.

Orla borum.

Respondeo 1. Illa verba quasi per parenthesin interponi, causam reddi, non cur voluerit misericordiam, sed cur medicus accedat ægros; Nam apud Lucam verba Prophetæ omittit, & tamen addit, *non veni vocare iustos*, & quamuis non addat, *enim*, tamen subintelligendum est. Ita apud Marcum. 2. 17. *Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Itaque Marcus causam reddi, cur medicus non sanos; sed ægros accesserit, ostendit.

Propter peccatum.

Resp. 2. Non dixisse se, non venisse vocare iustos, quod quidam se iustos putarent, nec essent, nec secutur: essent: Nemo per se iustus, aliqui Dei beneficio iusti sunt. Non vocat iustos ad pœnitentiam.

peccatum. venit.

Propter peccatores ait venisse, vt 99. iustos relinquerit. Ita hic sane etiam: si nemo iustus, tamen venturus, hinc si Adam non peccasset, non venturus. Quorundam est interpretatio, potius venisse causa peccatorum, quia nisi peccatores fuissent, non venisset Christus, non igitur illorum consortio arceri debuit, propter quos venit. Verùm hac de re alibi.

Pharisæi iudicant.

bolos.

primi tra Dei

prauos

§. 4. Cum ergo multi sint peccatores in mortalibus delictis constituti, nonnulli Dei vocatione & gratia ante Christi prædicationem iustificati, hi tamen & ipsi sunt venialiter peccatores. Christus venit autem vocare ad pœnitentiam gratiamque peccatores, iusti enim iam vocati erant, quemadmodum oues nonaginta non quærebantur, sed habebantur; nam de prima vocatione agitur, qua vocantur ad pœnitentiam, igitur de vocatione eorum agitur, qui extra Dei gratiam erant, inimici scilicet & nondum regenerati, qui cum plurimi essent, propter ipsos venit moriturus. Cosuetudo autem Hebræorum est, vt in comparatione, qua vnum alteri præferunt, id cui præferunt, negent, 1. Reg. 8. Non te abiecerunt, sed me, ita hic quoque accipiendum est. Primaria enim causa erant peccatores. Nemo non redemptus est à Christo.

Pœnitentiam

Fides non

iustitiam

Pugnat

Calvinus

§. 5. Noua est hoc loco ratiocinatio Wolffgangi Musculi; *ad resipiscentiam vocatos dicit, non ad satisfactionem:* quid autem sit resipiscentia exponit; ait enim, esse ipsam fidem. Nos è contrario dicimus, ad *tia* pœnitentiam vocatos, etiam vocari ad satisfactionem; nam pœnitendo, dolendo, bene agendo satisfaciunt, quando supereſt temporalis pœnæ reatus. Quod vero resipiscentiam fidem esse arbitratur, fœdæ inter ipsos etiam ignorantiæ indicium est. Resipiscentiam enim illi conuersionem ad bonum, non credulitatem definiunt. Nam fidem prærequirunt ad iustitiam; debet enim imputari ad iustitiam: esse ergo debet vt imputetur. Naturæ autem prius est esse, imputari id quod est, eo, cuius est, posterius est. Pœnitentiam aiunt ipsi rigidi, sequi iustificationem; Homo enim iustificatum agere pœnitentiam. Ita Sibrandus contra Vorstium, & inter eius errores illum recenset: *Errore* 89. Beza tamen. Rollocus, alii, pœniten-

ustentiam præcedere volunt; sed fidem tamen esse nolunt.

§. 6. Verba Christi fulmina sunt aduersus Sibrandum Lubbertum, qui in declaratione sua contra Vorstium pag. 50. docet. *Resipiscentiam nostram non esse causam, sed effectum, nec antecedentem, sed sequentem esse iustificationis, & humanum commentum esse, Deum nobis decreuisse salutem si resipisceremus.* Et pag. 53. *Seruat nos Deus ex proposito suo, ergo non ob impletam pœnitentiæ conditionem.* Et, *Deus seruauit nos non ex operibus nostris, ergo non seruauit nos ob præcedentem pœnitentiam.* Sine pœnitentia nullus saluus.

Primum igitur hic pœnitentiam seu resipiscẽtiam vocat opus, ideo à fide distinguit, præsertim cum effectum iustificationis esse dicat, cum fides non sit eius effectus, secundum omnes aduersarios. Quod vero sine conditione pœnitentiæ saluos fieri dicit, impium est; Dominus enim cõditionem semper apponit. Cur enim vocat ad pœnitẽtiam nisi illa opus est ad salutẽ?

Contra Wolffgangum Musculum est Andreas Musculus, in locis de fide: Caluinus Inst. 3. c. 1. Beza Epist. 20. aliique. Salutem vero non dari sine pœnitentia Scriptura testatur, & veterum est consensus sententia. Loca quibus hoc probetur adducere non est necesse, sua in serie singula exponam.

VERSVS 14.

Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes, Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?

QVÆSTIO I.

An Christianos ieiunare oporteat?

§. 1. DE ieiunio quærunt occasione conuiuii, vt eos quoq; modo infestẽt. Nec enim inuidia vllo bono pacatur, sed tantummodo eius infelicitate, cui inuidetur.

Discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes.

Christus duobus modis respondit. Primo non conuenire suis discipulis ieiunium; deinde duabus id similitudinibus exponit.

Non conuenire filiis sponsi, quos vocat υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, & Mar. c. 2. 19. & Luc. 5. 33. Hoc est, filios thalami seu nuptiarũ. Ita Syrus vocat filios דגבורא *degebus*, filios thalami, nõ cõuenit illis πενθεῖν *lugere*, Syrus hic ponit *ieiunare*, quemadmodum Marcus & Lucas, itaque vtrumque dictum est, *Lugere*, & *Ieiunare*, Sponsus est Christus, sponsa Ecclesia. c. 22. 2. & 25. 1. & Apocal. 19. 7. & Ioan. 3. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat & audit eum: gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ad illa enim verba Dominus alludit.

De domesticis itaque sponsi agitur, & sociis, quales erant Iudic. 14. 12. dati Sampsoni.

Hinc concludimus ablato Domino ieiunia & pœnitentias in Ecclesia vsitatas merito esse. vide art. 13.

» Contra obiicit Piscator. [Inepte hinc colligi ieiu-
» nium quadragesimale, vt impleatur quod Dominus
» dixit, olim enim impletum fuit, cum Apostoli luge-
» rent, Domino capto & occiso. nec loqui Dominum
» de ieiunio, quod certo consilio suscipietur, sed quod
» luctus præter spem obortus vltro parturus sit.]

Et Illyricus non opus *arcessere ieiunium & luctum, sponte venturum*. & l. 4. instit. c. 12. n. 17. tantum calamitosis temporibus destinat. [Rursum, *inquit*, si grassari
» incipit vel pestilentia, vel fames, vel bellum, aut si qua
» clades imminere aliàs regioni ac populo videtur: Pa-
» storum tunc quoque officium est hortari ad ieiunium
» Ecclesiam, quo suppliciter iram Domini deprecetur.
» Se enim ad vltionẽ apparari, & quodammodo armari denuntiat, vbi periculum apparere facit. Qualiter igitur promissa barba, impexo capillo, pulla veste, suppliciter se olim demittere rei solebant ad conciliandã iudicis misericordiam: ita nos, quum rei agimur corã Dei tribunali, eius seueritatem miserabili habitu deprecari, tum eius gloriæ interest ac publicæ ædificationis, tum nobis quoque ipsis vtile ac salutare. Atq; id quidem vsitatum fuisse in populo Israelitico, ex verbis Ioëlis colligere promptum est. Nam quum iubet cani tuba, conuocari cætum, indici ieiunium, & ea quæ sequuntur: loquitur vt de rebus communi cõsuetudine receptis. Paulo ante dixerat, de flagitiis populi constitutam esse quæstionem, aciam imminere iudicii diem nuntiauerat, reosque citauerat ad dicendam causam, deinde vociferatur vt properent ad sacrum & cinerem, ad fletum, & ieiunium: hoc est, vt externis quoq; testificationibus se coram Domino prosternant. Cinis quidem & saccus illis forte temporib. magis conueniebant: Sed conuocatio & fletus & ieiunium, & quæ sunt his similia, non dubium, quin ad nostram quoq; ætatem similiter pertineant, quoties ita rerum nostrarũ conditio postulat. Nam quum sanctum sit exercitium cum ad humiliandos homines, tũ ad humilitatem confirmandam; cur eo minus vtamur, q̃ veteres in simili necessitate? Legimus ieiunasse in signum mœstitiæ non modo Israeliticã Ecclesiam, verbo Dei formatam ac constitutã, sed Niniuitas quoq;, qui nihil doctrinæ præter vnicam Ionæ prædicationẽ habebãt. Quid causæ est igitur cur nos non idem agamus? At externa est ceremonia, quæ finem in Christo vna cum aliis accepit. Imo hodieque optimum fidelibus adminiculum est, (vt semper fuit) & vtilis admonitio, ad seipsos excitandos, ne sua nimia securitate & socordia Deum magis ac magis prouocent, dum eius flagellis castigantur. Proinde Christus, quum Apostolos suos excusat, quod non ieiunent, non dicit abrogatum esse ieiunium: Sed calamitosis temporibus ipsum destinat, & coniungit cum luctu. Veniet, inquit, tempus, quum auferetur ab illis sponsus.]

Mala vel sua nouitate interpretatio. Dominus enim loquitur de ieiunio, quod Apostoli susceputi erãt, eo modo, quo discipuli Ioannis, illi vero sponte susceperunt, non occasione luctus, licet præcepto Ioannis. *Ieiunium sponte susciptur.*

Deinde causam cur non ieiunent reddit, quia nuptiæ sunt, quibus importunare est ieiunium. quibus opponit dies, quibus ablatus sponsus, *tunc ieiunabunt in illis diebus.* Cyrillus tempus apparitionis Christi fuisse veluti festum & nuptias, quibus diuinæ hypostasi, humana natura iungebatur. Non est legitima excusatio, si dicat fore vt præ tristitia ieiunent. Deinde causa apud Marcum redditur, quanto tempore habent secum sponsum non possunt ieiunare.

§. 2. Melanthon quidem duplex ieiunium describit, vel cũ sobrie viuitur, vel quia cibus, aut appetitus deest, hic tristes ieiunasse discipulos ablato sponso. at contra scribit Lucas c. vlt. Apostolos cum ingenti gaudio rediisse Ierosolymam. & act. 2. *sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Neque tristitiã ieiunabant, cum imponerent manus Paulo & Barnabæ.

§. 3. Ieiunium pro luctu, & luctus pro ieiunio ponitur, Pharisæi & discipuli, de proprio ieiunio intelligebant. Hier. in Luc. 5. Videtur ieiunium non nisi peccatoribus indicere. *Quamdiu, inquit, sponsus nobiscum est, & in latitia sumus, nec ieiunare debemus, nec lugere. cum autẽ ille à nobis discesserit propter peccata, indicendum ieiunium, luctus suscipiendus.* Sed fatetur se iuxta tropologiam exponere. Neq; negat constitutis temporibus ieiunandum, sed sæpe vrget ieiunia, verum tantummodo demonstrat peccatoribus conuenire præcipue luctum & ieiunia. Hilar. etiam can. 9. & Amb. Luc. 5. de Eucharistia trapologice interpretantur. *Peccatoribus maxime conuenire ieiunia.*

QVÆSTIO II.

An ieiunia Montani hinc probentur, vel improbentur?

§. 1. COmmentarius Hieronymianus recenſet eorum hæreſim, qui poſt pentecoſten aliam quadrageſimam inſtituebant. *Nonnulli putant*, ait, *idcirco poſt dies quadraginta paſſionis, ieiunia debere committi: licet ſtatim dies pentecoſtes, & Spiritus Sanctus adueniens, indicent nobis feſtiuitatem. Et ex huius occaſione teſtimonij, Montanus, Priſca, & Maximilla, etiam poſt pentecoſten faciunt quadrageſimam: quod ablato ſponſo, filij ſponſi debeant ieiunare. Eccleſiæ autem conſuetudo ad paſſionem Domini, & reſurrectionem per humilitatem carnis venit: vt ſpiritualis ſagina, ieiunio corporis præparetur.*

Contra Tertullianus omnia illa tuetur: *Præſcribitis*, inquit, *conſtituta eſſe ſolennia huius fidei ſcripturis vel traditione maiorum, nihilq; obſeruationis amplius adijciendum ob illicitum innouationis. State in iſto gradu ſi poteſtis. Ecce enim conuenio vos & præter paſchæ ieiunantes, citra illos dies, quibus ablatus eſt ſponſus; & ſtationum ſemyeiunia interponentes, & vos interdum pane & aqua victitantes, vt cuiq; viſum eſt: denique, reſpondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Mouiſtis igitur gradum excedendo traditionem, cum quæ non ſint conſtituta abitis. Quale eſt autem, vt tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das? Plus humanæ licebit voluntati, quam diuinæ poteſtati? Ego me ſeculo non Deo liberum memini: Sic meum eſt vltro officium facere Domino. ſic indicere illius eſt: non tantum obſequi ei debeo, ſed & adulari? illud enim imperio eius, hoc arbitrio meo præſto.*

§. 2. Verum eſt quidem in nouo Teſtamento multa nouata eſſe, ſed à Chriſto, non ſunt autem accipienda, quæ hæretici deinde nouauerunt. Bene idē Tertullianus lib. de Oratione ait: *Dei Spiritus, & Dei Sermo, & Dei ratio, Sermo rationis, & ratio Sermonis, & Spiritus. Vtrūque Ieſus Chriſtus Dominus noſter nouis diſcipulis, noui Teſtamenti, nouam Orationis formam determinauit. Oportebat enim in hac quoque ſpecie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam nouo aſſui veſtimento.*

Non tamen nouam orationem per Montanum, ſed per Chriſtum, itaque nec nouum ieiunium per Montanum, ſed per Chriſtum.

VERSVS 16.

Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus, tollit enim plenitudinē eius à veſtimento: & peior ſciſſura fit.

QVÆSTIO I.

Quo tendat illa ſimilitudo?

§. 1. DVo hic conſideranda. Primum ſimilitudo ipſa, deinde applicatio. In ſimilitudine eſt, *commiſſura*, ἐπίβλημα, additamentum, indumentum, quod aſſuitur veſti, pro ἐπιβάλλει. Marc. ἐπιῤῥάπτει, aſſuit. 2. ῥάκος ἄγναφον, pannus rudis, ſeu fruſtum rude, à fullone nō raſum, politumue. Tertull. de Orat. vocat plagulam. Piſcator negat eſſe panni ἀγνάφου, ſed illud interpretatur nouum, eo quod moris non ſit pāniculos impexos aſſuere veſtimentis: verum hoc eſt ipſum quod monet Dominus moris id non eſſe, ideo ait: οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει, *nullus immittit*. Lucas vocat ἐπίβλημα τὸ ἱματίου καινοῦ. aſſumentum veſtis nouæ. 3. Veſtimentum vetus, quod reficiendum. 4. Tollere plenitudinem eius à veſtimento: eſt ipſum pannum auferre nouum, vel à vetere, vel à nouo veſtimento: quidam à nouo, quidam à vetere: Beza πλήρωμα nominatiuum ait, & vertit: *tollit ipſe panniculus aliquid à veſtimento*, ſicut vinum frangit vtres. Itaque duplex eſt ſententia. Nemo partem panni noui aſſuit veteri veſtimento; nam offenſus diſſimilitudine veteris & noui panni, mox auffert; itaque & aſſumentum perdit, & auferendo, quod aſſutū eſt, maiorem ſciſſurā efficit.

Alia interpretatio eſt; neminem ex nouo veſtimēto auferre, fruſtum panni, veterique aſſuere; nam aufert plenitudinem eius à nouo, id eſt, efficeret, vt ea pars qua plena & integra noua erat, non iam adhæ. & eadem pars veteri aſſuta, non conueniret. Hic ſenſus præferendus eſt, quia manifeſte eſt apud Lucam.

Οὐ γὰρ οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν· εἰ δὲ μήγε, καὶ τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. *Quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo.* Hinc apparet vere à nouo accipi veſtimento partem: addendum tamen, etiam hoc fruſtum tolli à veteri, ita enim clare Marcus. ἄρει τὸ πλήρωμα αὐτὸ τοῦ καινοῦ τοῦ παλαιοῦ, *auſert ſupplementum nouum à veteri.*

Veſtimentum vetus ſunt Apoſtoli lege attriti, debiles, magnis oneribus haudquaquam ferendo. Nouus pannus à noua Euangelii veſte, grauiora ieiuniorum, aliarumq; exercitationum onera. Si igitur ea nouæ legis exercitia veteribus & infimis imponantur, fatiſcent, deficient, & deterior erit eorum cōditio, præterquam quod non συμφωνεῖ vetera, & noua. Itaque expectandum, dum omnia ſint renouata. Alii nouum pannum eſſe cauſam ſciſſuræ maioris, quia minus vicinæ parcitur, nam noua non curatur.

§. 2. Beza. [Vulgata, Tollit enim plenitudinem eius à veſtimento. Eraſmus: aufert enim ſupplemētum illius à veſtimento. Budæus, Aufert enim illud ſupplementum eius à veſte. Hi omnes videntur exiſtimaſſe τὸ πλήρωμα poſitum quarto caſu, & coniungi cum verbo ἄρει. Certe ſenſiſſe ita veterem interpretem apparet ex eo quod vertit plenitudinem: Et Eraſm. quoque, ex ipſius annotationibus. Offenſus enim (inquit) diſſimilitudine noui panni, poſtea detrahit, & deformior fit ruptura. Atqui τὸ πλήρωμα (quo vocabulo idem illud ſignificatur, quod paulo ante vocauit ἐπίβλημα, illud videlicet, quod ad implendam & farciendam rupturam inditur) ponitur potius recto caſu, diciturq; detrahere aliquid de veſte detrita, quum ipſum ſit nouum. quomodo poſtea vinum nouum dicitur veteres vtres frangere. Supplementum autem eius vocat, à quo videlicet inditum eſt. Hoc enim melius videtur conuenire, quam ſi ad pallium referas, quum ſtatim repetatur nomen ἱματίου. Præterea articulum expreſſi & addidi caſum verbo, vt ambiguitatem illam conſtructionis vitarem, à qua dixi illos fuiſſe deceptos.]

Eodem modo Iun. & Tremell. *Illud enim ipſius ſupplementum tollit aliquid ex illo veſtimento, & peior fit ſciſſura.* Vbi de ſuo adducunt illud, *aliquid*. Quemadmodum & in aliis verſionibus eſt, *Ne quid detrahat*. Nec tamen eſt *ne quid*, ſed לְבַל *vt non*. Retinenda igitur priſca verſio, & ſenſus, quem optime noſter Vincentius: *Primum ergo exemplum*, ait, *ſeu ſimilitudo eſt panni rudis, & veſtimenti veteris; comparat enim diſcipulos ſuos veſtimento veteri. genus autem viuendi aſperum & difficile, id eſt, doctrinam de ieiunio & huiuſmodi alia, panno adhuc rudi, impolito, ac nouo quaſi dicat, ſicut veſtimento veteri non prudenter aſſuitur particula, commiſſura, ſeu aſſumentum panni noui ſeu rudis; diſrumpi enim neceſſe eſt, & perdi aſſumentum illud, & maiorem fieri ſciſſuram in veteri veſtimento, quam erat prius, dum quis immiſit fruſtum illud, & aſſumentum nouum in vetus; offenſus poſtea in concinnā conjunctione diſſimilium, auffert aſſutam partem, perdens & ſupplementum illud quod fuerat ablatum ex nouo panno, vel veſtimento; & ſciſſuram veterem ampliorem faciens: ita nec prudenter facit, qui nouam ieiunandi rationem, qua*

quam non a Euangelij doctrina ab hominibus exigit, hominibus adhuc infirmis & incapacibus indicit. Sic enim vsu veniret, vt & doctrina fructus periret, & ipsi à virtutis perfectioris tramite, quem tenere ceperunt, alienarentur: & peius haberent, quã prius. exspectandum proinde quousq; cælesti spiritu innouentur. Neque ergo asseriora, puta ieiuniorum præcepta, & difficile, ac cæleste vitæ genus, meis, inquit, discipulis adhuc infirmis, subito præscribi potest, ne difficultati ac magnitudini instituti succumbant, & doctrina pereat.

Beza ad pericula & tentationes accommodat. *Ista vero*, inquit, *vtraque similitudine, significat Christus haberi humanæ infirmitatis rationem à Deo, qui non sinat nos supra vires tentari, ideoq; paulatim militiæ laborib. suos assuefaciat, quod in ipsis etiam Apostolis præstitit, sic moderatus hostium sæuitiem, vt primum quidem minùs agerent, vnde aliquanto post, ad verbera, ac tandem ad cædes peruentum est, quo etiam respicit, quod scribitur Iob. 17. 11. & 12. & 1. Cor. 10. 13.*

Non igitur hucdeperiit sed nouum. De infirmitate quidem agitur humana; non tamen Christus de persecutionibus futuris sermonem habet; sed discipulis Ioannis, quos ad interrogandum Iudæi excitarant, respondet, causamq; reddit, cur nũc ieiunare non debeant, postea sint ieiunaturi. Nec enim respondet, postea eos sub persecutione passuros, sed non ieiunare, quod inferens, postea ieiunaturos.

VERSVS 17.

Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt: & ambo conseruantur.

QVÆSTIO I.

Quid vinum nouum?

Vinum nouum mala vetera. §. 1. CLarior in eadẽ re similitudo. Quamuis nonnulli, veteres vtres legem, & ceremonias arbitrentur, quibus non sit miscenda Euangelii religio. Sed rectius de Apostolis interpretamur. Quo ex loco Ecclesiæ ieiunia recte deducimus & probamus. Nam in vtres nouos noua vina infundenda, nouas leges dando nouis animis.

Basilius in Ps. 32. vtres veteres homines nõdum renouatos, nouos regenitos, qui de vite Sp. S. accipiunt.

D. Irenæus aduersus hæreses, cõtra eos, qui nouum & vetus testamentum confundebant, ait: *Nec vnquam modo quidem mundi fabricatorem. Modo autem eum qui supra hunc (est) glorificaret patrem, quemadmodum ipse ait: nemo immittit commissuram vestimenti noui in vestimẽtum vetus, nec mittũt vinum in vtres veteres. Igitur aut omni modo & ipsi abstinerant se à prophetis, tanquam à veteribus; & non dicant eos ab ea nouitate quæ secundum principalitatem est quadam dixisse, præmissos à Demiurgo: aut rursus arguentur à Domino dicente, nouum vinum non mitti in vtres veteres.*

Manichæi prophetas contemnebant, & vituperabant.

QVÆSTIO II.

An Manichæi rectè hinc vetus testamentum reiecerint?

§. 1. FAustus apud S. Augustin. dixit: [Quare non accipis Testamẽtũ vetus? Quia iam præuentus nouo. Veteri autem & nouo non conuenit vt Scriptura testatur, nam pannũ, inquit, nouum nemo assuit vestimento veteri, alioquin maior scissura fiet. Quia ergo maiorẽ sicuti vos scitis, scissuram faceret, cauco Christianam nouitatẽ Hebraicæ vetustati cõmiscere. Quis enim non etiam sordidum iudicet, nouis vestimentis indutis non donare inferiorib. vetera? Quapropter ego etiam si natus essem Iudæus, vt fuerunt Apostoli, dignum tamen erat me nouo accepto testamento, vetus repudiare, vt fecerunt ipsi.] "

Augustinus respondit: *Vnde non pannum nouum vestimento veteri assuimus, sed erudimur in regno cælorum, ad similitudinem illius patrisfamilias, quem commemorat Dominus proferentẽ de thesauro suo noua & vetera. Ille autem assuit pannum nouum vestimento veteri, qui continẽtiam vult habere spiritalem, & nondũ deposuit spem carnalem. Nam legite diligẽter, & videte de ieiunio Dominũ interrogatum, respondisse, nemo assuit pannũ nouum vestimento veteri. Adhuc enim discipuli Dominum carnaliter diligebãt, quandoquidem ẽt ne occisum amitterent, formidabant. Vnde Petrum reuocantẽ se à passione, Satanam appellat, quod non saperet quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Proinde attendite in illa phantasia vestra de regno Dei, vnde istam lucem Solis carni conspicuam, tanquam ad exemplũ vobis propositam diligitis, & adoratis, quam carnalẽ spem geratis: & inuenietis ieiunia vestra quomodo prudentiæ carnis, tanquam vestimento veteri assuantur. Verumtamen cũ pannus nouus vestimento veteri nõ conueniat, vnde potuerunt principib. tenebrarum membra Dei vestri non adiuncta, atq; consuta, sed quod est vehementius cõmixta & concreta cohærere? An vtrũq; vetus est, q a vtrumq; falsum, & vtrumq; de prudẽtia carnis est? Nisi forte inde vultis probare, vnum fuisse nouum, alterũ vetus: quia maior scissura facta est, vt miserabilis pannus de regno lucis abscinderetur, & globo tenebrarum æternæ pœnæ configeretur.* Spiritalis S. Augustini interpretatio.

§. 2. Irenæus l. 4. contra hæres. c. 66. nouum Testamentum veteri successisse, non tamen blasphemandũ Deum, qui & vetus dedit, & illi nouum succedere voluit, *Antiqua*, inquit, *nolite reputare: ecce facio noua, quæ nũc succedit, orientur, & scietis: & faciam in deserto viam, & in terra inaquosa flumina ad potandũ, genus electum populum meum quẽ acquisiui, vt virtutes meas enarret, quæ est noui Testamenti libertas, hanc manifestè annunciabant, & nouum vinum, quod in nouos vtres mittitur per fidẽ, quæ est in Christo, quam annũciauit ortam in eremo viam iustitiæ, & in terra inaquosa Sp. S. adaquare genus electum Dei, quod acquisiuit, vt virtutes eius enarrentur: sed non vt blasphemarent eum, qui hæc fecit Deus, & reliqua omnia quæcunq; per tantã seriem Scripturæ demonstrauimus prophetas dixisse. Spiritalis vere qui est, interpretabitur vnumquodq; eorum, quæ dicta sunt, in quem dictũ sit character em dispositionis Domini, & integrum Corpus operis Filij Dei ostendens, semper eundem, Deum sciens: & semper eundem, Verbum Dei cognoscens, etiam si in nouissimis temporibus noue effusus est in nos, & à conditione mundi vsq; ad finem in ipsum humanum genus, ex quo qui credunt Deo, & sequuntur verbũ eius, percipiunt eam, quæ est ab eo, salutem. Qui verò abscedunt ab eo, & contemnunt præcepta eius, & per opera sua inhonorant eum qui se fecit, & sententia sua blasphemant eum qui se alit, iustissimum aduersus se coaceruat iudicium.* Nouum Testamentum veteri bonum.

VERSVS 18.

Hæc illo loquente ad eos: ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine Filia mea modo defuncta est: Sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.

QVÆSTIO I.

Quo tempore accesserit Iairus?

§. 1. VIncentius noster difficultatem proponit, de tẽpore. In Matthæo clarum putat, eum domum Matthæi venisse; nã cum adhuc Dominus de ieiunio disputaret, aduen t. ἐν αὐτῷ λαλοῦντι, id factũ est domi Matthæi, qa ingressum scribit, nec egressum indicat. Huic repugnare videtur Mar. c. 5. 21. qui ait eum fuisse *circa mare*. Duas solutiones adhibet. Prima est, domum Matthæi fuisse prope mare. Altera, cũ dicitur fuisse circa mare, indicari Christum eo tẽpore maritimis in locis prædicasse, non a. ad littus eum tẽ sedisse.

Disputatio non videtur domi Matthæi fuisse.

Responsiones illæ vt veræ sint, & accipiendæ, ita tamen non necessariæ. Etenim nō existimo Pharisæos adeo fuisse importunos, vt in domum Matthæi irruperint, & disputarint, & si illi fortè id ausi fuissent, de Ioannis tamen discipulis id suspicari nolim. Inuitatus erat Iesus, magnum erat conuiuium, in quo publicani & alii, vt ait Luc. 5.28. Itaque splendidi conuiuæ, & magnus apparatus, considebant ad mensam etiam discipuli, vt est in Marc. 2.15. Inciuile porro, imo periculosum videbatur, in alienam domum, durante conuiuio, disputationem odiosam instituere, qua probarent, patrefamilias, & conuiuas non esse dignos quibuscum vir honestus cibum sumeret. Nec cum discipulis clam id agere poterant, quandoquidem & illi discumbebant. Deinde cur nō exspectarent exiguum tempus dum descenderent, neq; enim in multas horas conuiuium protractum est. Addo non esse verisimile, Ioannis discipulos intro progressos, vt de ieiunio coram publicanis disputarent. Quin nec Pharisæi suam puritatem contaminari peccatorum præsentia existimassent: Hinc ergo facile nodus dissoluitur. Non enim in conuiuio, sed eo absoluto, Christo ad nauem egresso, & in via cum discipulis disceptarunt, & disputationi interuenit Iairus, & Christus vt appareret consortio peccatorum se deteriorem non esse factum, mortuam puellam in vitam reduxit.

QVÆSTIO II.

An in historia consentiant Euangelistæ?

§. 1. *Domine*, in quibusdam omittitur. Hunc locum calumniati sunt, quia videtur aliis repugnare Euangelistis. Hic dicit ἄρτι ἐτελεύτησεν, *modo defunctam esse*, apud Marc. 5.27. dicitur ἐσχάτως ἔχειν, *in extremis esse*. apud Lucam ἀπέθνησκεν, *moriebatur*, extremum trahebat spiritum cum abiret ἀρχισυνάγωγος, & iam non falso mortuam suspicabatur. Multum autem rogabat, vt est apud Marcum, & quia iam desperauerat de vita eius, mortuam dicit. Quædam exemplaria habent ἄρχων λαῦ. Irenæus. l. 5. c. 15. principem interpretatur ἀρχιερέα *summum sacerdotem*. Sed ex Marco. 5.25. constat fuisse principem Synagogæ.

Mortuam putat, quā spiritum agentem reliquit.

§. 2. Insignis hic locus in testamento Syro, vbi titulus præfigitur. ברוברנא רעביד beducherena daghabide. *In commemoratione defunctorum*, quo loco ostenditur, hæc lecta esse, cum sacrificia pro defunctis offerrentur. Quod in Ecclesia Catholica fuisse antiquissimi moris, ipsi hæretici, & inter eos Zanchius fatetur.

Syri in missa pro defunctis ista legerūt.

§. 3. Adorabat Christum, προσκυνεῖ, סגד adorabat, non ciuili honore, sed maiore, quem vti Prophetæ deferebat, & viro Sancto. Atq; ita calumnias Pharisæorum retundebat. Lucas, cecidit ad pedes eius: nomen eius Iairus à Matthæo non exprimitur.

Hinc Wolffgangus Musculus probare contendit, ipsa προσκυνήσει idololatriam committi, cum genua figimus ante statuas Christi, vel sanctorum. Non tamen controuersia in re esse potest, si verborum absint cauilla. προσκυνεῖν commune est, Deo & creaturis exhibetur, Imagini nunquam, nisi improprie, & vt refertur ad prototypum.

Imago improprie honoratur.

VERSVS 20.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.

QVÆSTIO I.

Quid? & rectene mulier fecerit?

§. 1. Marcus & Lucas addunt, mulierem eam omnes suas facultates in medicos expedisse; itaq; tanto fuit euidentius miraculum. accessit retro, pudore sexus, & morbi. Leu. 15.25. sanguine fluens immunda erat, itaq; metu & pudore clam accessit. Inter multos igitur Christum prementes, hæc sola tangit. Virtus exiit, operata est. Fimbriam Syrus vocat קרבא cornu extremum, Deut. 22.12. vocantur ציצית, Zitzith filamenta quædam fimbriæq;, quibus à gentibus distinguebantur. Vide Num. 12. Deut. 22. Itaque nonnulli putant, illius tactum, velut sacrum elegisse: Verum illa videtur infimum delegisse, tāti enim Christi potentiam æstimabat, vt minimæ rei ad eum pertinentis attactu sanatum iri se confideret: sed fimbria hic non nisi extremam oram vestis indicat.

Euidens mora.

§. 2. Hoc ex mulieris facto diuersa dogmata eliciunt diuersi Interpretes; Caluinus mulieris zelum indiscretum reprehendit. Nos reliquiarum veneratione ad prototypa tendentem approbamus. Mulierem satis Dominus defendit, cum iubet confidere, filiam vocat, fidem laudat. Non tamen existimat vim esse in vestibus, imo vis est solius Christi, & fidei, quæ in Christum refertur, hac confisa afflicta mulier intercipit miraculum, dicens, ἐν ἑαυτῇ, Eras. *intra sese*, itaque supra male verterunt: inter se.

Mulier. Calu. reprehenditur.

§. 3. Marcus 5.21. ista addit: *& fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat.*

Eadem fere Lucas c. 8. nisi quod Petrum ait respondisse.

Primo. in medicos omnia erogauerat, sed deterius habuit, vt quia mulier suspecta de fraude esse potuit, haberet testes medicos, in suum probrum non mentituros, & cognatos.

Secundo. Plurima perpessa fuerat à medicis, & non potuit curari. Maior ergo humanâ fuit virtus, qua curata est.

Tertio. Siccatus est fons sanguinis, non modo in præsens ablatus dolor, sed causa morbi momento sublata est.

Quarto. Virtutem ait exiuisse. Non quod virtus ab eo localiter abscesserit, vt bene monet Fulgentius, sed quod nouum effectum ediderit, latius. Matth. 14.

§. 4. Hinc itaque manifestum est, mulierem non peccasse, quam Christus sanat & tuetur, & fide seruatam profitetur, fide enim fimbriam tetigit. Consequitur etiam neque nos peccare, cùm res sacras, & ad Christum peculiari modo pertinentes, honore proprie ad Christum relato prosequimur.

VERSVS 23.

Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum Principis & vidisset tibicines & turbam tumultuantem.

QVÆSTIO I.

Cur tibicines & turba tumultuans?

§. 1. Tibicinum cantum, & alia præficarum opera damnat Piscator, & alii. Verū si modus seruetur, grauiterq; ad solatia viuorum, requiem defunctorum, Dei gloriam omnia referantur, honor defunctis habitus culpari non debet. Etsi enim luctus nō est augendus, sed imminuendus; non tamē ἀπαθεια probanda est, cum sine sensu viuentium, intimi decedūt. Qui n. dolentes ob carorum funera solantur, iidē non mœren-

Mulier. Tibicines. Turba. Funera.

mœrentes detestantur. Non probo veteris poetæ dictum ὀπτᾶσθαι καὶ μὴ κλάειν ἀνάγκη θανόντας κλαίειν. dandum est aliquid teneritudini humanæ, ne in barbariem degeneretur, neque eo veniatur, vt iuniores senioribus dicant; *corrumpis mihi carnes.* Romani itaque & mortuos honorabant, & sese consolabantur, cantu, tuba, ipsi enim threni quædam sunt solatia: etenim

Est quadam flere voluptas.

Quia autem multa in his superflua, superstitiosa, fucata, ideo merito reprehendenda. Itaque apud veteres.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Sunt igitur. αὐληταὶ θρηνῳδοὶ & μόναυλοι. Homerus in descriptione funeris Hectorei θρήνων ἐξάρχους, aliis siticines. Inde præficæ, & lamentatrices, & c.11. v.17. lamentauimus vobis & non planxistis, quædam funebria, vt Ieremiæ in Iosiam, valde celebria fuere. Adhibere Tibicines seu Aulædos ad funera docent Thalmudistæ, & libri Rabbinorum ipsi vocant, תלמוד ירושלמי Thalmud Ierosolymitanum tractatu de benedict. cap. 23. & in Baba mezia cap. 6. & in Rabbi Schelomon comment. in Ezech. cap. 25. *Sunt*, inquit, *quæ adhibere solent ad luctum & ad lætitiam, sed non est in eis par ratio. cuiusmodi sunt aulædi prosponsa & pro mortuo.* Dein nonnulli illa ipsa funera cærimoniosa contempserunt.

Nec tuba sit fati vana querela mei.

&

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit.

Ita Propertius, Lucretius, Æmylius Lepidus funus suum sine tibicine efferri voluit. ἰάλεμον vocabāt Græci. In funere Hectoris threnorum cantores sunt.

ὣς ἄρα φωνήσασα γόον δ' ἐνὶ πᾶσιν ὄρινε
θρήνων ἐξάρχους· οἵ ῥ' ἐν γοάων ἐπέεσσιν
οἱ μὲν ἄρ' ἐν θρήνοισι, ὀδύρετο δὲ στοναχῇσι γυναῖκες

Apud Cantores threnorum erant duces, qui lugubrem cantionem lamentabantur, aggemebant vero mulieres.

QVÆSTIO II.

Verane sint, quæ de statuâ ab Hæmorrhoissâ erecta dicuntur?

Historia statuæ erectæ.

§. 1. „ Historiam narrat Eusebius lib. 7. Eccles. hist. cap. 14. sed quoniam in huius ciuitatis „ mentionem incidi, operæ precium arbitror, historiam „ hoc loco citare, quæ digna plane videtur quam me„ moriæ ad posteritatem commendemus. Mulierem il„ lam sanguinis profluuio afflictatam, quam sancto„ rum Euangeliorum testimonio à Seruatore nostro „ morbi remedium inuenisse cognouimus, ex ea ciui„ tate oriundam, illiusque domum ibi ostendi, & ad„ mirabilia quædam Seruatoris in eam beneficii moni„ menta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare me„ morant. Pro foribus enim domus illius, æneam mu„ lieris effigiem genibus flexis, & manibus instar suppli„ cantis in anteriorem partem extensis, super editum „ lapidem collocatam huic è regione, viri erectam ima„ ginem, ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos „ demisso decenter ornatam, & manum mulieri porri„ gentem, ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quan„ dam & inusitatam herbæ speciem enasci: quam quidē „ vbi ad æneæ vestitus fimbriam excreuerit, morbis cu„ iusque generis medicandi vim, & facultatem habere. „ Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt: quam „ ad nostram vsq; ætatem manentem, ipsi ad eam ciui„ tatem profecti, oculis cernebamus. Nec plane mirū, „ eos qui ex gentilibus prognati, à Seruatore, dum inter „ homines viuebat, beneficiis affecti fuissent, ista effe-

cisse: cum & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, coloribus varietate expressas, conseruatasque aspexerimus: idque propterea sicut verisimile est, quod maiores nostri ad gē- « *Res sacrā magni æstimātur.*
tilis consuetudinis similitudinem quam proxime accedentes, eos qui tanquam seruatores illis fuissent, i.e. « « «

Historicus in Chronographica tabula habet sæculo
„ 300.c.19. [Hoc hodie faciunt recentiores Iconocla-
Hæretici Iuliani imitantur. „ stæ, quorum in domibus ac conclauibus, pro cruci-
„ fixo aliisq; sacris imaginibus (quibus ante suum nau-
„ fragium pie oblectabantur vt bantur q; iuxta veterē
„ Christianorum consuetudinem innumeris SS. Patrū
„ in tota veritate tertia recensitorum testimoniis com-
„ probatam) aliud ferme nihil visitur, nisi vel propriæ
„ ipsorum met aut vxorum effigies; vel impura Lu heri,
„ Calu ni, Bezæ, Veneris Cupidinis simulachra, aliaue
„ similia luxuriæ i citamenta. Hic mihi Iuliani Apostatæ
„ suam statuam imagini Iesu Christi ante ponentis fa-
„ ctum ponderanti, redit in memoriam Caluiniani cu-
„ iusdam Nobilis responsum, mihi ante annos aliquot
„ non nihil hac de re familiariter percontanti datum.
„ Si sibi ob oculos ponerentur, hinc quidē Iesu Christi
„ Regis Regū Imago, illinc vero Regis alicuius terreni
„ effigies, se Iesu Christi Imaginē potius, quā Regis ter-
„ reni effigiem consputaturum. Quippe vsu comparatū
„ est vt quibus hæresis semel excœcauit mētis oculos ii
„ perfacile terrā cœlo, & creaturā creatori anteponant.]

VERSVS 24.

Dicebat recedite: non est enim mortua Puella, sed dormit: Et deridebant eum.

QVÆSTIO I.

Cur dixerit: Puella non est mortua, sed dormit?

Christo dormiunt qui nobis mortui sunt.

§. 1. VEre proprieque mortua erat, alioqui miraculum nullum futurum erat; nā cuiuslibet est dormientem excitare. Cur igitur mortuam negat? Prima Respōsio, sibi mortuam nō esse, tam enim facile posse ad vitam reuocari, quam excitari dormientē. Altera non esse eo modo mortuam, vt cæteri qui ante iudicium extremum non resurgunt, alioqui iustorum mors somnus est. Hinc & loca, vbi Christianorū corpora conduntur, κοιμητήρια vocantur. Dictum vetus laudatur: ἐν δ' ὕπνῳ σύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο. *Vbi in somnum incidit fratrem mortis*: Gorgias Leontinus apud Ælian. l. 2. c. 35. *Frater*, inquit, *incipit, me fratri tradere.* Pausanias quoque in Laconicis refert, somno & morti vti fratribus statuas collocatas. Plutarchus ad Apollonium vocat mortem ὑποδημίαν, & ἀφανισμὸν peregrinationē & absentiam. Verum ita illi, qui mortis consectaria, præmia, & pœnam non credebant.

VERSVS 27.

Et transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cœci clamantes & dicentes. Miserere nostri, fili Dauid.

QVÆSTIO I.

Quæ in cœcis sanandis contigerunt?

Domi curat, vt turbam vitet.

§. 1. NOn curauit eos in via, ne continuo noua turba concurreret, & id fieret, quod post resuscitatam puellam fugerat. Ideo & domi clam curat, & præcipit, ne cuiquam indicent, nec simplici modo, sed ἐνεβριμήσατο cum fremitu prohibuit. Quæcunque autem causa prohibendi fuerit, iustam fuisse non dubitamus.

Filium Dauid vocat, vt Messiam agnoscant.

§. 2. Vocant filium Dauid, vt Messiam esse se credere profiteantur. Hieron. Comment. in Matth. *Audiant Marcion & Manichæus, & cæteri hæretici, qui vetus laniant instrumentū, & discāt saluatorē appellari filium Dauid: si enim non est natus in carne quomodo vocatus filius Dauid.*

Diffamarunt, solet in malum accipi, sed nos ter expressit: διεφήμισαν. An peccarint, An certo modo prohibuerit, donec inde abirent, non constat.

Contra mandatum egisse mihi videntur. Hieron. Comm. & Theophylactus excusant veluti gratos, alii peccasse arbitrantur, vtcumque res habeat non malitia, sed nimio gaudio, & studio erga Dominum peccarunt, si id factum est.

QVÆSTIO I.

Quæ fides cæcorum?

Credidit Dominum posse.

§. 1. NOn est specialis fiducia, seu actus voluntatis, quo confisi fuerint sibi peccata non imputari. Id enim credebant, quod Christus exigebat, si posse. *Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: vtique Domine.* Fidem ergo omnipotentiæ, non specialis misericordiæ exegit; nec ex eo quia dixerunt, *miserere nobis*, colligi potest, illi tum de visu recipiendo, non de electione agebant.

Fidem exigit, vt credant se posse facere, non vt credant se posse à Deo impetrare, qua re diuinitatem suam demonstrat, dum sibi absolute potentiam illam tribuit.

§. 2. Caluinus admodum varius est, nam l. 3. c. 2. n. 29. institut. Fidem propriè in promissione collocat. Vitam enim à Deo quærit, quæ non in mandatis, aut pœnarum edictis, sed misericordiæ promissione reperitur: eaq; non nisi gratuita: quoniam conditionalis, qua ad opera nostra remittimur, non aliter vitam promittit, quam si perspiciamus in nobis sitam.

Et lib. 3. c. 4. n. 22. [Peccator vero certam & liquidam absolutionem amplecti potest, vbi simplex illa conditio apponitur de amplexanda Christi gratia, secundum generalem illam magistri ipsius regulam, quæ impie spreta in papatu fuit, Secundum fidem tuam fiat tibi.]

Vbi mira vertigine fidem applicat ad specialem fiduciam, cum clare constet, quæ sit fides, secundum quam factum est illis. [At hoc loco: Quæri inquit potest an de potentia Dei, & Christi persuasum esse sufficiat, vt quisquam sit fidelis. Hoc enim sonant verba: Creditis me posse facere? Atqui ex aliis scripturæ locis patet notitiam potentiæ fore inanem vel frigidam, nisi de voluntate certi simus. Christus tamen eorum responso contentus, ipsorum fidē quasi numeris omnibus absolutam laudat. Respondeo, quum prius Dauidis filium confessi sint, de gratia aliud apprehendisse. Nam hoc titulo redemptorem gētis suæ, bonorumq; omnium autorem ornabant. Ipse ergo de sua potētia quæ ens, altius percontatur, an se ita credant. Fides ergo Dei misericordiam & paternum amorem cum potentia, Christi etiam propitiam voluntatem cum virtute complectitur. Sed quia Dei potentiæ & Christi virtuti minus quam decebat, vulgo tribuunt homines, non abs re hæc quæstio cœcis proponitur, an credant Christum posse quod ore professi sunt. Quanquam simpliciter scire voluit Christus, an sibi ex animo deferrent Messiæ honorem. Et hac de causa laudatur eorum fides, quod in illa humili contemptaque specie filium Dauidis apprehendebant.]

Respondeo: Verbis Christi eum aperte refutari. Christus enim quærit, non alia de re, sed an crederent, posse se hoc facere: Non vero an vellet, voluntatis incerti erant. Cuius indicium erat quod sequentes veluti neglexit, nec responsum dedit; vt vellet, rogabant. Credebant filium Dauid, & redemptorem; non tamen idcirco etiam hoc credebant, fore vt ipsorum oculos aperiret; multos enim esse cœcos, surdos, claudos, sciebant, quibus id beneficium non præstiterit,

Quamuis certum sequentes clamasse

nec ta-

nec tamen probabile est illos non rogasse. Potentiam igitur credebant, misericordiam sperabant. Idem de spe saluuis eorum statuendum est.

QVÆSTIO I.

Cur præcepit ne cui dicerent?

Videtur minime celari debuisse.

§. 1. CVm publice multis comitantibus domum Principis adiret, cum nunciaretur esse puellam mortua, videbatur res cœlari nec posse, nec debere. Nõ debere; quia publice adibat, Tibicines ejiciebat, dormire dicebat, cum parentibus adibat, & Apostolis, quod si res cœlata fuisset, magno scandalo non modo turbæ, sed etiam Apostolis fuisset; & Phariſæis obloquendi materies, quasi stulte conaretur, quæ nõ posset. Itaque cum de voluntate illius constaret, omniumque animi penderent, de euentu quoque fieri certiores oportuit. Nec posse etiam cœlari tantum factum videbatur; non modo quia publice domum adibat; sed quia parentes negare non poterant, hanc filiam suam esse, mortuam fuisse, & reuixisse. Constabat id toti familiæ, itemque turbæ tumultuanti, nec dubium non modo cognatos, sed alios quoque ingressos visendi & rogandi auidos. Quocirca v. 26. dicitur, *& exijt fama hac in vniuersam terram illam.* Itaque non videtur humilitatis causa id præcepisse, neque vt inuidiam Phariſæorum fugeret. Cur igitur vetuit? Turba ingens quæ ante eum compresserat circa domum erat, aliique discipuli, amici & cognati omnia compleuerant, omnium oculi animique in rem præsentem intenti erant, exspectabant, vt quemadmodum Hæmorrhoissam vocauerat, & ad confessionem adduxerat, ita quoque cum resuscitata puella, & parentibus rediret; ac tum ob miraculi magnitudinem affectumque populi studiaque sequentium videretur turbas trahere, & maleuolis occasionem daret serendarum de sedutione suspitionum, id enim Ioanni in specie obiectum erat, & conuentuum prætextus ab Herode sumptus; vt testatur Iosephus. Itaque ne id conarentur in ipsa vrbe, quod postea foris tentarunt, vt raperent eum, & facerent regem, atque ita ciuitatem conturbarent, voluit tacere parentes, donec ille cum discipulis abisset; ille igitur abiens quaminor turba erat, reliquit testem & spectatorem miraculi populum. Postea autem dum abest ipse, turbæ quoque sensim defluxere. Itaque sibi, & suis, & turbæ hoc præcepto consultum voluit.

VERSVS 32.

Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentẽ. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & mirata sunt turbæ dicentes: nunquam apparuit sic in Israël. Phariſæi autem dicebant: in principe dæmoniorum ejecit dæmones.

QVÆSTIO I.

Quale hoc dæmonium?

§. 1. DIuersum ab eo quod capite 12. Lucas vers. 14. describit, vbi etiam dæmonium ejicitur. Hæc vero diuersitas erat inter vtrumque, quod hic dicitur, *homo mutus*, ἄνθρωπον κωφὸν, δαιμονιζόμενον, & c. 12. homo dicitur δαιμονιζόμενος τυφλὸς καὶ κωφός. At apud Lucam de dæmonio dicitur. καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν. *Et ipsum erat mutum.* Potest sanè dæmonium dici mutum, quod miseri linguam constringeret, ne in verba soluere posset, idque speciali Dei permissu. Vel etiam quod garriendi facultatem dæmoni Deus sustulerit. Constat sane apud Marcum, hominem liberatum à Dæmone locutum esse. Deitatis argumentum est, quod eius imperio coguntur obedire mali Spiritus, & quidem quod imperio, non Deum inuocans, ejiceret. Dæmon hominem fecit mutum.

§. 2. Maiora quidem facta sunt, sed nunquam tam multa, tam magna auctoritate. Interpres Caluinista *hyperbolicum* ait, *nam hæc vox non fuit meditata, sed ex admiratione prorupit.*

§. 3. Nos Augustinus hoc loco monet, lib. 3. contra literas Pelagiani Donatistæ, ne hominum conuitijs à bonis operibus deterreamur. *Hæc & alia, ait, testimonia diuina nos aduersus humana vaniloquia tutem, nõ proferentes, ab inimicis gloriæ Christi acerba opprobria sustinemus. Dicant quod volunt, dum ille nos exhortetur dicens, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia ipsorum regnum cœlorum. Beati eritis cum vos persecuti fuerint homines & maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduersus vos mẽtientes propter me. Quod ait superius propter iustitiam, hoc repetiuit, quod ait postea, propter me: quia factus est nobis sapientia, & iustitia & sanctificatio, & redemptio; vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui cum dicat, Gaudete & exultate, merces enim vestra multa est in cœlis, si quod dictum est propter iustitiam & propter me, in bona conscientia teneo, quisquis volens detrahit famæ, meræ famæ meæ, nolens addit mercedi meæ. Neque enim me ille suo verbo tantum modo docuit, non etiã suo firmauit exemplo. Sequere sanctarum scripturarum fidẽ, inuenies Christum resurrexisse à mortuis, ascendisse in cœlum, sedere ad dexterã patris. Sequere criminationes inimicorum, iam putabis eum de sepulchro furatum esse à discipulis. Quid ergo nos quantum ipse donat, defendentes domum eius ab inimicis eius aliud sperare debemus? Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domesticos eius? Si ergo toleramus, & conregnabimus. Si autem non aurem solam percutit iracundia criminantis, verum etiam conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuitiantis opprobrium.* Conuitia debent exercere virtutem, non minuere. Detractor est.

§. 4. Caluinus Phariſæorum peccatum esse ait in Spiritum Sanctum, nec remitti. l. 3. c. 3. n. 22. [Quorum autem, *inquit*, conuicta est conscientia: Dei verbum esse quod repudiant atque impugnant, impugnare tamen non desinunt: Illi in Spiritum blasphemare dicuntur; quandoquidem aduersus illuminationem (quæ opus est Spiritus Sancti) luctantur. Tales erant ex Iudæis nonnulli, qui quum resistere spiritui per Stephanum loquenti non possent, resistere tamen conrendebant. Non dubium est quin ex illis multi, Legis zelo ad id raperentur: Sed fuisse alios apparet, qui malitiosa impietate in Deum ipsum furerent, hoc est in doctrinam quam esse à Deo non nesciebant. Tales & ipsi Phariſæi, in quos Dominus inuehitur, qui Spiritus sancti virtutem vt disijcerent, Beelzebub nomine infamabant. Hic ergo est Spiritus blasphemiæ, vbi hominis audacia in contumeliam diuini nominis data opera prosilit. Quod innuit Paulus, quum docet se misericordiam consequutum, quod ignorans ea per incredulitatem commiserat, quorum merito indignus alioqui fuisset gratia Domini. Si ignorantia cum incredulitate iuncta fecit vt veniam obtineret, hinc sequitur non esse veniæ locum vbi scientia ad incredulitatem accessit.]

Quorum culpa non remittatur c. 12. dicam. Nunc conitat consequentiam eam hominis inconsiderati esse. Etsi ignoscentiæ ratio aliquando est ignorantia, non tamen solis ignorantia peccantibus condonatur. Etiam scientium & malitiosorum peccata remittuntur. Misericordia Dei omnem superante malitiam.

VERSVS 35.

Et circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in Synagogis eorũ, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

§.1. Circumibat castella, κώμας, πώρας oppida sunt, & castella, tam quæ carent mœnibus, quam quæ habent. Syrus visitabat in vrbibus eorum omnibus & בקוריא *Becuraie, & vicis.*

VERSVS 36.

Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem.

QVÆSTIO I.

Cur turbæ vexatæ?

§.1. IN commemoratione Apostolorum hæc legunt. In Syro ברוברנא דשליחא קדישא *Beducherana Daschilihe Kaddischa, In commemoratione Apostolorum Sanctorum*, quo ex loco discimus vsum apud eos fuisse festi SS. Apostolorum.

§.2. Negligentia pastorum hoc loco reprehenditur omniũ. Syrus dicit לאין *Leen* fatigatas, & *S. herin* שרין dispersas. Itaque ἐσπλαγχνίσθη, magna seu intima miseratione commotus est, Syrus אתרחם sese commouit intimo affectu, sunt autem רחמים *viscera, miserationes*, ita Prou. 12. 10. *viscera impiorum crudelia*, i. vlcera crudelitatis & Psal. 102. 4. Luc. 1. σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ.*

Magna miseria carere veris Doctoribus.

VERSVS 37. & 38.

Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum Messis, vt emittat operarios in messem suam.

QVÆSTIO I.

Quæ Messis?

§.1. MEssis turba auida audiendi verbi Dei, Dominus messis. Pater cælestis. Ioan. 25. 1. & ca. 21. 33. Marc. 12. 1. Non desperandum, si multi non veniat, quia nondum sunt maturi. Deus autem mittit, Gal. 1. 15. *Segregatus ab vtero matris meæ.*

Salutis Christus erat operarius, nam scribæ malierant operarij. Tam misera ratio erat eius temporis, cũ inter tot proprias sectas sub gentibus religio quateretur. Contra Cathol. eos Pastores hinc omnes pene sectarij insurgunt. Eos aiunt non esse pastores, vt non erat, qui apud Iudæos se venditabant. Credo sanè fuisse tum multos in synagogis, alijsque locis, qui populum non instruerent, quod nunc quoque multi Catholicorum faciunt, qui plus in censibus congerendis, quam curandis animis operæ ponunt.

Non erant tum nulli boni pastores, sed pauci, & nunc etsi negligentes sint multi, non tamen omnes. Hominum vitia sunt, non ordinis, officij neglectus, pecuniæ auiditas. Quod si aliquorum vitia toti generi sunt exprobranda, quid Caluinianis futurum est, quorum vix decimus quisque sincerus est, quorum plerique commodi & licentiaris vitæ causa à nobis recesserunt, ad illos accesserunt?

CAPVT X.

Mat. 1 b. 13 Luc. 6. b. 13 & 9. a. 1. & 10. a.

IT conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. 3. Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus. 4. Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. 5. Hos duodecim misit Iesus: præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne

Mat. 6. a. 3. Luc. 9. a. 3. & 10. a. 4. Act. 13. g. 40.

intraueritis. 6. sed potius ite ad oues, quæ perierunt, domus Israel. 7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. 10. non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus enim est operarius cibo suo. 11. In quancumque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete, donec exeatis. 12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. 13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.

Luc. 10. a 3 Luc. 12. b. 1

14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. 15. Amen dico vobis, Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. 17. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & synagogis suis flagellabunt vos. 18. & ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus 19. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. 20. non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.

22. &

Luc.8.b.40 22. *& eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* 23. Ioan.13.b. 16.&15.c. 20. Matt.4.c. 21. Luc.8.c.17 &12.a.2. Act.17.f. 5. 2.Reg.14. c.11. Matt.8.d.38. Luc.9.c.26 & 12.b.8. 2.Tim.2. b.18. Luc.12.f.51 Mich.7.b.6 Luc.14.f. 26. Matt.8.d. 34. Iſa.16.d. 24. Luc.9.c.14 &14.f.26. & 16.g.33. Ioan.12.d. 25. Luc.10.c. 16. Ioan.13.c. 20. Mat.9.f.14. *Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat filius hominis.* 24. *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, non ſeruus ſuper dominum ſuum.* 25. *ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius: & ſeruo ſicut Dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domeſticos eius?* 26. *Ne ergo timueritis eos Nihil enim eſt opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur.* 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* 29 *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* 29. *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt: & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?* 30. *Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.* 31. *Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.* 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* 34 *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium,* 35. *Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam.* 36. *& inimici hominis domeſtici eius.* 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* 38. *Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* 39. *Qui inuenit animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* 40. *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit.* 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedē prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.* 42. *Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*

IN CAPVT DECIMVM

ARGVMENTVM.

Ad ſaluē gentium legatarios inſtituun-tur.

COncitata iam apud pleroſque opinione de aduentu Meſſiæ, omniumque animis erectis, Apoſtolos paulo ante vocatos, inſtructoſque & miraculorum poteſtate donatos quaqua verſum dimittit, vt plures ad ſalutem aduocentur. Nomina autem duodecim Apoſtolorum recenſet, poteſtatem datam explicat. Deinde præcepta proponit. Ne alienigenas doceant, pacem offerant illis, quos accedunt, ſi reijciantur, puluerē pedum excutiant. Perſecutiones prædicit, Perſeuerantiam illis commendat, ſollicitos de vita eſſe vetat, fugam ſuadet, timere prohibet, eos Deo curæ oſtendit, Liberam confeſſionem exigit, diſſidia ſecutura oſtendit, omnia Deo poſtponenda, & ſuam cuique crucem ferendā monet. Denique aſſerit meriti magni eſſe recipere Apoſtolos: Cum vero paulo ante monuerit, vt rogarent Dominum meſſis, quo mitteret in meſſem operarios, id nunc ipſe ſponte facit, vt oſtendat ſe dominum meſſis eſſe, & humanæ ſalutis benignum curatorem.

Leges Apoſtolis data.

Prior pars capitis vſque ad v. 16. pertinet ad titulum in fine c. 9. poſitum apud Syros. Quæ ſequitur ad verſum 34, vſque legebantur in commemoratione martyrum. Inde ad finem lectio defunctorum.

VERSVS 1.

Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituū immundorum vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

QVÆSTIO I.

Quomodo duodecim Apoſtolos elegit?

Magnā ſequentiā ordinatio Apoſtolorum inſtituit.

§. 1. MArcus ait, *aſcendiſſe in montem, & vocaſſe ad ſe, quos voluit ipſe: & venerunt ad eum. & fecit vt eſſent duodecim cum illo.* & Marc. 6. 7. *Miſit binos.* Apud Lucam 6. 13. cum in montem aſcendens *pernoctaſſet in oratione Dei, cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos; & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* quos Luc. 9. 1. mittit, poſtea deſignauit alios 70. *& miſit binos.*

Duodecim Apoſtoli conſentaneum.

§. 2. Duodecim miſit, nec cauſa magnopere quærenda; quia in omni numero quæri poſſet, quia tamen duodecim tribus, & duodecim Patriarchæ cauſa rationabilis, & myſterio conſentanea eſt. Signabant Apoſtolos duodecim boues mare æneum portantes, 3. Reg. 7. 25. Portæ duodecim, Ezechielis 48. 31. Panes propoſitionis duodecim, Exod. 25. 30. Lapides duodecim in Iordanem poſiti, & in ornamento ſacerdotis ſummi: multoque clarius impletum oſtendit ciuitas Dei in Apocalypſi.

neè ſcripturū.

QVÆSTIO II.

Quæ data poteſtas Apoſtolis?

§. 1. DEdit eis poteſtatem ſpirituum immundorū, ἐξουσίαν πνευμάτων, hoc eſt κατὰ τῶν πνευμάτων. contra Spiritus. Lucas ait δύναμιν καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια. Syrus quoq; particula על ghal vtitur. in quibuſdam Græcis eſt κατὰ.

Spiritus quomodo immundi?

Hilarius poteſtatem datam dæmoniorum eijciendorum: Immunda erant moribus, incitatione ad immunditiam loca immunda amant. Hier. *de filio prodigo*, Aug. *de vita beata*. Victor. Antioch. *in Marc.* 1. 23.

Miracula beneficia fuerunt.

Hinc apparet Apoſtolos ita miſſos eſſe, non vt timendi populis eſſent, ſed vt benefici & grati, tyrannide dæmoniorum, & morborum difficultatibus liberarent omnes. Nulli etiam improbo nocerent. Neceſſe erat homines rudes ad impios, verſutoſque cum poteſtate

Miracula necessaria.

potestate miraculorum mitti; non enim fidem alio modo conciliare possent. Itaque & Moses, alijque sunt potestate signorum instructi.

§. 3. Bullingerus iam concionatoribus concessum ait, *vt dæmones ex animis pellant, & animorum morbos sanent.* Haud recte sane; si enim nouam doctrinam, & quidem contrariam adferant, miraculorum opus est consignatione. Itaque inepte Piscator, *nullo iure à suis postulari putat miracula, cum doctrina eorum à Christo, & Apostolis abunde sit miraculis confirmata.* Nam præterquam quod omnes Sectarij idem asserunt, de tã diuersa doctrina, constat nouitatem inductam in veterem doctrinam: cum enim nemo hactenus eam Apostolorũ dictorum sententiam esse iudicarit, necesse est, vt aliquo signo probent veram esse. Nempe in Eucharistia Christus dixit esse corpus suum & sanguinem; illi figuram aiunt esse. Miraculo Christus vel Apostoli confirmarunt, corpus Christi non figuram corporis Christi, nulli nisi pauculi hæretici id crediderunt. Nunc vt hoc nouum, à Christo & Apostolis non dictum credam, miraculum requiro.

Hæretici miraculis carent.

Noua doctrina miracula requiro.

Cum igitur nouitas suspecta sit, opus est miraculis. Maiore se iure Apostoli tueri sine miraculis poterant, cum non multa alia illi, quam quæ prophetæ dixerunt, docuerint. Nam ipsi aduersarij aiunt, Christum nihil nisi ex Prophetis docuisse. Interdum septuaginta Apostoli appellantur ab Irenæo & Tertulliano, alijsque: verum hic de Apostolis proprie dictis agitur, qui etiam miraculis claruerunt. Si igitur sibi fidunt, vel in muliere μαλακιάν, vel in viro ἀσθένειαν, aut quodcunq; morbi genus curent, & nouitati aliquod testimonium adferant, ne iure damnetur.

Discipuli aliquando Apostoli dicuntur.

§. 4. Potestatem befariam diuidit, in eam, qua immundi Spiritus pelluntur, & eam, qua morbi & infirmitates depelluntur, vtraque magna; & tum admodum noua.

Spiritus. Satan. Diabolus.

§. 5. Spiritus substantiæ immateriales, simplices intelligentiæ, naturâ mundissimi, malitia vero, & peccato penitus immundi. Describuntur ab Hieron. *ad Damasum de filio prodigo.* Augustino *de vita beata, disp. diei secundæ.* Spiritus vero est celer, vehemens, fortis, Qualis 1. Regum. 16. & 3. Reg. 22. Act. 19. Apocal. 23. Luc. 3. describitur. Immundus sua conscientia, quodque ad mala impellat. Satan dicitur cum aperte se Deo, & conatibus piorum opponit: diabolus cum astu, fraude, calliditate aduersatur. Ita Arias Montanus libro de arcano sermone, seu Ioseph. Porro quod etiam Tostanus Caluinianus, & Dauid Chytræus Lutheranus, negant sibi opus esse miraculis, quod nouam doctrinam non adferant, sed eam quæ ab Apostolis allata, & probata est, improbè faciunt; nam eodem modo dicere & illi poterant, se à Prophetis prædicta, non autem noua adferre. Verum eorum noua fuisse non dubito, & consentit Calduinus l. 4. c. 3. §. 5.

Apostoli noua quædam docuerunt.

„ [Tametsi enim, *ait*, ex ratione & etymo verbi rite „ Apostoli possunt vocari omnes ministri Ecclesiastici „ quia à Domino omnes mittuntur, eiusq; sunt nuntij: „ quia tamen magni referebat, certam haberi de eo„ rum missione notitiam, qui rem nouam & inau„ ditam afferrent, duodecim illos (quorum numero „ postea accessit Paulus) peculiari titulo ante alios in„ signiri oportuit.]

Sanandi potestate donantur.

§ 6. *Omnem infirmitatem*, Græcus νόσον & μαλακίαν appellat; Etenim quia nulla doctrinæ, & potentiæ commendatione insignes erant Apostoli, noua etiam adferrent; oportere baptizari, iam aduenisse regnum cœlorum, fidem legationi fecerunt operibus admirabilibus, non tamen eis, quæ ostentationem haberent, aut terrorem incuterent, sed quæ Euangelio gratiæ essent consentanea, quibus homines adiuuarentur. Non est tamen negandum eos quoque alia potestate præditos, qua impios contumaceſque interdum punirent. Ea tamen vsi non videntur eo tempore. Nam postea demum Petrus Ananiam & Sapphiram occidit, Paulus fornicarium satanæ tradidit in interitum carnis.

Quod in hoc versu nonnulli legunt κατὰ πνευμάτων, vnius libri auctoritate firmat Lucas Burgensis, sed subintelligendum non legendum monet, apud Lucam est ἐπὶ, vt dixi. Quod itidem quædam exemplaria habent πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, non est huius loci, sed ex c. 4. 23. translatum huc est.

QVÆSTIO III.

An non sint alij audiendi, quam à Christo missi?

§. 1. INsigne argumentum Tertullianus l. de præscriptionibus aduersus hæreses ex hac missione concludit. Nemo enim sibi potestatem sumit, nisi ordinaria, vel extraordinaria potestate missus; cum nemo sibi ipse det potestatem. Sed Tertullian. audire iuuat, omnis enim hæresis pudenda primordia & flagitijs & impostura sortita est, ex se orta.

Omne genus ad originem suam censeatis, necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis & appellatio fraternitatis, & contesseratio Hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quam eiusdem Sacramenti vna traditio. Hanc igitur dirigimus præscriptionem. Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit, nec alijs videtur reuelasse filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit; & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per eadem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, (quod aiunt) voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id fine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi.

Merito igitur Quintinus Tertulliani interpres eos non iudicat Christianos, qui aliter sentiunt. Eadem mens est Irenæi l. 3. contra hæreses. c. 3.

§. 2. Salutis igitur fundamentum est, missio Euangelizantium, fidem præstruat legatus, si audiri desiderat. Non credimus legatos Dei, nisi se missos edoceant. Ordinariam missionem nullam habent. Nouam & extraordinariam signis probare oportet. Respondet Pareus ad Roman. cap. 10. dubio 11. Ordinem esse eum, vt pastores eligantur, vocentur, & mittantur à Presbyterio Ecclesiæ. Ab hoc autem nostri præcones eliguntur & vocantur. Legitimè igitur.

Hoc recentiores vtcunque dicere, & impiam præsumptionem palliare possunt: veteris enim Ecclesiæ quadam imitatione ludibria missionum exercent. Non tamen Zwinglij, Caluini, aliorumque sacrilegia illo sipario contegi possunt. Non enim erat Presbyterium hominum profanorum; non conspiratio consistorialis, qua illi mitterentur, primum illi proruperunt, plebes abduxerunt, & secessione facta alios mittere cœperunt, nullo

Quia à presbyterio lectus. nullo autem effectu, qui enim ipsi missi non fuerunt, qua auctoritate alios mittere potuerunt? Nec vero presbyterij est vlla in missione potestas; quis enim illud vocauit? quis ordinauit? quis potestatem Episcopos faciendi donauit? Tota igitur missionum congeries contra ius diuinum est, & ipso facto nullum, irritumque: non minus, quam rebellio magnatum, creatio directorum, acta directorum, comitiorum habendorum præsumptio, atque adeo noui regis electio. Nec vllo modo satisfacere possunt. Non enim fuit Ecclesia Caluiniana ante Zwinglium, non igitur præconem vocare potuit, à se ergo venit. Signis igitur, & virtutibus ostendere oportuit, à Deo se missum.

VERSVS 2. 3. 4.

Duodecim autem Apostolorum nomina, sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo Primus Simon Petrus?

§. 1. ADuersarij Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ordinationis diuinæ interturbatores, varias confingũt causas, cur primo loco ponatur. Piscator ait esse ἀναπαπόδοτον, quod *Primus* sit vocatus; nõ enim additur: *Secundus, tertius*. Id vero idcirco fieri quod primus sit vocatus. Non tamen verum est, quod ipse putat: quin & Beza in errore est, ideo primũ vocari quia sit primum vocatus: Nam Andreas prior est vocatus, Ioan. 1. 40. & 41. *Ille enim inuenit Petrum & adduxit ad Iesum*. Insurgit tamen Beza, & vt Pontificem loco pellat, Petro τὴν πεωτότητα abrogare conatur [Primus, inquit, πεῶτος. Quid si hoc vocabulum ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire, nihil enim sequitur, quod cohæreat. Sed tamen hoc idem obseruauimus alibi vsurpatum simili ratione, vt dicemus Marc. 3. 16. Sed & reperimus ita scriptum in omnibus exemplaribus, & Theophyl. Romano, qui diserte admonet Primò idcirco recenseri Petrũ & Andream, quod essent πρωτόκλητοι. In hoc autem ordine nihil mysterij latere, vel illud declarat, quod Marc. 3. & Luc. 6. idem prorsus ordo non obseruatur: & hoc etiam loco in vetere translatione Philippus & Bartholomæus Iacobo & Ioanni præponuntur. Sed & apud Paulum ipsum Gal. 2. 9. Iacobus Petro præponitur: vt plane sint ridiculi, qui volunt hoc argumento tyrannidem Antichristi confirmare: etiamsi primatum inter Apostolos libenter concedimus Petro, sed ordinis inter pares, non gradus supra inferiores.]

Petrus non est vocatus primus. Improbat Beza. Beza primatũ ordinis concedit Petro.

Respondeo maleuolam esse Bezæ suspicionem: ne dicam impiam, qua sectario fastu scripturam corrigit. Cum enim in omnibus Latiois, Syris, atque adeo omnibus Græcis sit particula, πεῶτος, hominis infidelis est in dubium vocare, quod hactenus omnibus Ecclesia legit. Nullum enim vllius linguæ exemplar ostendere potest, in quo non legatur πεῶτος, & in Syro קַדְמָיְהוּן *Kadmahun*, non igitur odio pontificis eo est procedendum, vt verbum Dei mutiletur.

Beza improbat Caluinum moderatius.

§. 2. Caluinus moderatius: nec enim scripturam inficiatur, nec primatum inter Apostolos Petro detrahit, tantum in totum orbem eius iurisdictionem negat pertingere. [Insulse, *inquit*, Romanenses primatum suum hinc eliciunt. Primum inter Apostolos fuisse Simonem Petrum libenter fatemur: Sed quod inter paucos homines valuit, ad totum orbem extendere nulla ratio patitur. Adde quod qui primus numeratur, non ideo protinus inter suos collegas dominium habet. Iam vt omnia illis quæ postulant de Petro demus, donec impios & sacrilegos apostatas Petri successores esse probent, eius dignitas nihil ad Romanam sedem.]

"Caluinus primatum Petri in orbem totum negat.

Non extorquet nobis illud testimonium insulsus argutator. Nos enim Petri primatum, hoc ipso quod inter Apostolos fuit, ad vniuersum orbem extendimus: Nam Apostolis cura totius orbis, cum potestate spiritali commissa est, eius igitur potestas quæ in omnes totius orbis pastores fuit, etiam in omnem orbem fuit. Quos enim ille paucos homines agnoscit, nos vero eos velut totius Ecclesiæ Patriarchas veneramur, quibus qui præest, etiã toti Ecclesiæ præest. Ipse Caluinus Patriarchis Apostolos cõfert [Postea ait, factum est Sion sceptrum virtutis filij sui longius emitteret, vt manarent ex fonte illo fluuij qui large irrigarent quatuor mundi plagas. Tunc vndique Deus Israelem suum collegit, vt coalescerent in vnũ corpus non tantum dispersa & lacera mẽbra, sed homines qui ante prorsus alieni fuerant à populo Dei. Non ergo frustra Dominus duodecim veluti Patriarchas constituens, Ecclesiæ renouationem testatus est.]

Princeps pastorum omnium, recte dicitur orbis princeps.

Petrus igitur cum sit Patriarcharum quidam Patriarcha, seu primus Patriarcharum, eius dignitatem toto orbe eminentissimam esse conficitur. Atque hoc ipso quod supereminet Apostolis, eorum etiam subditis, quibusque præfectus est.

Primatus cum potestate est.

§. 3. Alterum Caluini κεφάλαιον est: Non ideo Petro dominium concedi, etsi primus sit. Respondeo, abuti illum nomine Dominij, nec eũ proprie Dominum aliorum, sed principem Apostolorum, nec principem more regum gentilium, sed Ecclesiasticum dicimus, eum vero primatum consequitur potestas in alios: Nam optime docet Adrianus Satania in colloquio cum Beza, nõ posse fieri, quin sint eorum etiam annui, & menstrui præsides cũ aliqua potestate. Hinc potestatem eam veteres agnouerunt. Leo ad Anastasium Episc. Thessalon: ait. *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret, de qua forma Episcoporum est orta distinctio.*

Et Greg. Magn. l. 4. Epist. 38. *Certe* 1. *Cor.* 6. *Christianos Paulus arguit, quod è suis aliquem iudicijs non præficerent*, quod signum erat potestatis; nec illegitime vsurpasse Apostolum vllus dixerit. Et Aug. ad Bonif. l. 3. c. 3. *Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus laborauit. Si principatum inter Apostolos spectas, Petrus dicitur princeps Apostolorum, quia institutus est à Christo caput & Pastor ouium.*

Princeps Apostolorum.

Quin & Origenes in c. 6. ad Rom. summã illi tribuit rerum: & Cyrillus Alexand. apud D. Thomam contra Græcos, ait à Christo soli Petro quod suum est plenũ datum. Euchetius Lugdunensis, Paulum præcipuum, sed Petrum primum appellat, Eusebius l. 2. Historiæ c. 14. vocat omnium πεσβύτερον, os & aduocatum. Hinc in Ephesino concilio alijsque primus & sedet, & nomina-

Os Apostolorum Petrus.

minatur, diciturque habere φροντίδα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, curam omnium Ecclesiarum. Cum igitur hac in naue, quæ est Ecclesia, summus sit ordo, non modo honoris, sed etiam potestatis, ne sit ἀναρχία, vel ὀχλοκρατία in spirituali republica, necesse est nauarchum vnum esse à quo cæteri mandata accipiant. Etsi autem in quibusdam sit maior sanctitas vel eloquentia, vel etiam scientia, quod nobis iudicare licitum non est, maior tamen in Petro est principatus & potentia. Quod vero addit Caluinus, Papã apostatam esse, id alio loco disputandũ est, nunc opus est, vt dicat, quis, & à quo, apostasia peccauit: Vbi fuerit Caluinus, à quibus exiuerit, orbi vniuerso notum est; quis Pontificum à Petro discesserit ne ipsi quidem edicere possunt. Peculiari autem modo primus dicitur, non ætate, non vocatione, necab vno, sed pluribus Euangelistis, à cæteris Apostolis: itaque vere primus est. Et quãuis in alijs varient Euangelistæ ordinem, in Petro tamen & Iuda constanter obseruant, vt hic vltimus sit, ille primus.

Primus Pontifex Apostata iudicandus est.

§. 4. Obijciunt nonnulli locum ad Galat. c. 2. 9. Sed eo de loco tum dicam cum illam epistolam explicaro. Nunc satis est eo loco ordinem illum esse dubium, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus Petrum ibidem proponunt. Nec vero Spiritus S. prouidentiam satis expendunt, qui arbitrantur casu primo loco positum quod primus occurrerit, quod quidem dici non potest, si vel Euangelistas, vel Spiritum Sanctum, qui memoriam Euangelistarum, manumque moderabatur, spectemus. Spiritus S. qui capillos omnium Apostolorum numerauit, & suo ordine disposuit, idem etiam principum orbis terræ, imo Ecclesiæ seriem distinxit, non casu hunc primum, illum vltimum fecit, atque vt ita scriberet, Euangelistam permonit. Primum itaque Petrum dixit, quia vt inquit D. Chrysost. *Apostolorum omnium primus, & quasi vertex indoctus ille fuit, & rudis:* vt etiam D. Hieronymus contra Iouinian. c. 14. monet. Alia huius generis videat lector apud Bellarminum de pontifice lib. 1. c. 17. 18. 19. vt appareat, quam effrons sit Caluinus, qui id quod tota antiquitas docuit, *insulse* dicat *à Papistis affirmari.* Quibus verbis, & sibi plurimum obest, & nobis prodest. Obest sibi, quia tot doctissimos, sanctissimosque, atque Synodorum centurias insulsitatis accusanti stigmatiæ nemo credet. Prodest nobis; quia totam Ecclesiam veterem, hoc est, Episcopos, martyres, Synodos, eorumque consortes Papistas appellat: illorum enim sententiam nos posteri sequimur.

Petrus non casu primus.

Caluinus calumniando se prodit.

§. 5. Multo proteruius veritati antiquæ, eiusque testibus Chytræus insultat. [Romanus, *inquit*, verò „ Pontifex prætextu clauium Tyrannidem arripiens & „ scripturæ interpretandę potestatem sibi arrogans, ve„ rè quod in veteri prouerbio est: τῇ πλειδὶ ξύλα σχίζει, „ τῇ δὲ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγει. Claue ligna findit, securi „ autem ostium aperit.] Hæc ille immeritum in Pontificem, à quo merito damnatus est.

Non est tyrannis, sed legitima potestas monendi, reprehendendi, excommunicandi, qua pontifex vtitur, & potestas scripturam interpretandi. Si enim illa est in Pontifice tyrannis, cur non in alijs, vel orthodoxis, vel Heterodoxis. Illi enim interpretandi, & Prophetandi libertatem prætendunt, alios ab analogia, & interpretatione sua alienos condemnant, ac anathematizant. Si datum est Pontifici iudicium, si clauis; de interpretibus scripturæ decernere debet, nec excommunicare nisi cognorit, iudicarit que.

Pontifex scripturã interpretatur.

§. 6. Vrgent tamen Chrysostomi in hunc locum expositionem, dicere eum disette *non seruari hic dignitatis ordinem.* Mihi videntur non perpendisse verba Chrysostomi, nec sensum percepisse, Chrysostomi verba sunt: *Erat enim alter etiam Simon, qui Cananæus dicebatur: Similiter Iudas alter Iscariotes, alter Iacobi. Iacobus etiam eodem modo, alter Alphæi, alter Zebedæi. Et Marcus quidem ex dignitate ipsos ordine collocauit. Post duos enim, qui apicem Apostolatus tenuerunt, Andream posuit, hic vero haud ita, sed indifferenter. Immo vero etiam Thomam, se quidẽ multo inferiorem, priore loco & ante se numerauit. Sed inspiciamus à principio Apostolorũ catalogum. Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. Non paruã laudem hũ attribuit, cum alterum à virtute, alterum à nobilitate morum appellauerit. Deinde, inquit, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius. Vides non ex dignitate ipsos numerari: nam mea quidem sententia, Ioannes non solum illu qui post illum numerantur, verum etiam fratre maior erat.*

Chrysost. mutat ordinem.

Non de ordine Petri, sed aliorum loquitur, eosq; inter se confert, non cũ Petro. Cuius rei euidentẽ rationẽ ostendo. Nam ait Marcum ex dignitate Apostolos collocasse. ergo Petrus cum sit apud Marcum primus ex dignitate primus est: igitur & apud Matthæum, apud quem semper primus est, & dignitate sua primus est. Deinde si Chrysostomi suffragio res diiudẽda est, facilis est conclusio. Petrus apud Marcum dignitate primus est, vt iudicat Chrysostomus, ergo Chrysostomi iudicio est primus dignitate. Tertio, non fieri comparationem aliorum & Petri, verba Chrysostomi clarissimè indicant: *Post duos qui apicem Apostolatus tenuerunt Andream posuit: hic vero haud ita, sed indifferenter.* Apud Marcum c. 3. 16. & 17. Primus est Petrus, deinde Iacobus Zebedæi & Ioannes: quartus est Andreas; quem dicit Chrysostomus *poni post duos qui apicem tenuerunt*, itaque Petrum excludit; nam si illum comprehenderet, *post tres qui apicem tenuerunt Andreas poneretur.* Petrus igitur vt caput omnium extra membrorum comparationem ponitur. Itaque sententia Chrysostomi omnino Catholicis fauet, præsertim cum ille alijs in locis Petro primatum tribuat.

Chrysost. non loquitur de Petro.

Ordo Marci.

QVÆSTIO II.

Quæ hoc loco calumnietur VVolffgangus Musculus?

§. 1. AD hoc exemplum Christi fingitur pontifex Romanus duodenarium numerum in eligendis sibi Cardinalibus, quos Apostolorum loco haberet, seruasse. Nam ex hoc loco senatum istum purpuratorum defendit quidam in suis locis. Quanquam parũ est Romano pontifici duodecim Apostolos habere, proinde longe vltra illum numerum excessit, vt quemadmodum in reliquis Christi tenuitatem superat, ita & hoc loco vincat. In Decretalib. Greg. de off. Archipr. in glossa sic legitur: Cardinales dicuntur à cardine, quia sicut in cardine regitur ostium, ita per Cardinales regitur vniuersalis Ecclesia. Sed ô bone Deus quam bene ageretur cum Ecclesia Christi, si Cardinalibus istis liberaretur.]

„ Duodecim cardinales.

Respondeo Cardinales non esse Apostolorũ successores, nec velut Apostolos esse adscitos; non enim Cardinales Episcopi sunt omnes, & qui Episcopi, non ideo sunt Episcopi; quia sunt cardinales, ideo nec successores Apostolorũ, qua Cardinales. Nec enim Pontifex est Christi, sed Petri successor. Cardinales vero consiliarij & adiutores Pontificis sunt, in Ecclesię gubernatione, vti aliorum Episcoporum Canonici. Illi si pij, prudentes, gnauiq; sint, Ecclesia recte per eorum cõsilia regitur, si quidam eorum à recto desciuerũt, portabunt illi iudicium suum, & potentes potenter tormenta patientur: Verum de Cardinalibus egi l. 6. Politicor. In manibus est liber & grauissimi, & prudẽtissimi auctoris Plati nostri, quẽ non modo Cardinalibus, sed omnibus Prælatis impẽse cõmendatũ cupio.

Cardinales non sunt Apostolorum successores.

Platus de Cardinalibus.

§. 2. Altera calũnia est. [Videã quomodo istis cõueniat, *inquit*, quod Pontif. Rom. sibiipsis adscripserunt

„ potesta-

potestatem cœlestis & terreni Imperii. 22. Dist. cap. Omnes & super omnes Imperatores, reges, & omnem creaturam. Item quod possint omnes iudicare, iudicari verò à nemine. 40. D. it. Si Papa. Item quod solus omnium plenam habeat potestatem. 2. q. 6. Quis scit. Item quod possit contra Apostolum & vetus Testamentum dispensare, de concess. præbend. cap. proposuit gloss. in verbo, supra ius. Item quod sit vna lex super terram, gloss. in cap. ab arbit. & cætera superba innumera, quæ in Decretis Pontificum leguntur. Apostolus 1. Cor. 3. omnia etiam Apostolos, credentibus subiecit. Ipsi verò sibi.]

Repressæ sunt iam dudum istæ calumniæ. Non est ipsorum usurpatum, sed à Deo collatum. Ius inquam spirituale soluendi & ligandi etiam reges, idq; multi fecerunt etiam inferioris potestatis Episcopi. Verum non importunum fuerit hoc respondere, quod Simonianus Rittingindonius olim respondit Scurræ cuidã, qui se Wilhelmum de Praris mentiebatur, & Societ. nostræ laceridotem. Hæc enim & similia doctissimo meo Præceptori Becano in Primilegiis Caluinistarum ille obiecit. *Papa potest dispensare contra ius naturale & Apostolorum. nam glossator Gratiam expresse scribit, 15. q. 6. cap. Authoritatem. dist. 32. c. presbyter. dist. 34. c. lector.* Primò vide, lector, argumenti genus; Glossator scripsit, cuius glossam deleuit Papa, si fuit, ergo id sibi arrogat, quod imprudenter chartis illeuerg ossator. Papa anathema dicit, omnibus affirmantibus contra ius naturale posse dispensare Papam: clarumq; est eam doctrinam nouos & veteres Romano-Catholicos tueri. Sed Scurram istum nec canonem vidisse, nec glossam, nec intelexisse patet: Canonistis enim Ius naturale est frequenter, quod naturæ consentaneum videtur, mutari tamen potest. Ius diuinum, quod aliquando, non semper, necomni loco aut tempore obligat. v. g. Iuris diuini est, alienum reddere; ius ciuile præscriptione transfert dominium, furioso gladium vetat reddere, non decoctori, sed curatoribus eius iubet reddi debitum. Ius diuinum est, *ne sit Episcopus Neophytus. sit vnius vxoris vir, omnis vir vt oret & prophetet aperto, & fœmina operto capite.* Contra hæc posse dispensare Papam, leges ciuiles, nostros Episcopos, docetur in nostris Ecclesiis, & ipsorum etiam aduersariorum sententia est. (1. Corinth. 11. 4.) Contra alia negant Papam posse, nos tamen si faciamus, Deus non imputabit. Hanc mentem esse glossatoris docet argumentum canonis his verbis propositum (15. q. 7. auctoritatem) *Apostolica auctoritas penitus illicita in irritum deducit iuramenta.* Estne illud contra ius naturale, eo quo scurra interpretatur modo, dispensare? 2. Non aliud agit eo loci, Nicolaus Papa, quam olim sancti Martyres, non ergo dispensat contra naturale. Verba Canonis: *Authoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi Papæ & Martyris Alexandri Quinti à beato Petro, ab omnibus iuramentis & cuiuscunque modi obligationibus, quibus illi sese, coacti violentia impiorum, obligauerunt, absolumus.* Alexandri Epistolam vide lector, d. 19. tit. *Romanorum.* simulque attende, num Imperator cap. 4. *ad leg. Iul. Maiest.* §. 2. contra ius naturale dispenset, an vero Scurra dicat quod ille:

Nil intra est oleam, nil extra est, in nuce duri.

Add. 32. cap. *Presbyter*, illa dispensatio traditur: dicitur Presbyter suam presbyteram amasse vt sororem, odisse vt hostem; non permisisse ad se appropinquare. Infert Scurra, *dispensat ergo Papa contra ius naturale.* imò verò Presbyter ex consensu suæ Presbyteræ votum castitatis habebat, ideo lapsus occasionem præcidebat, cum ante iure suo se abdicasset, quod hic Papæ peccatum? aut glossæ, quæ nulla est, quis sensus alius tribui potest, quam qui superiori?

Maior etiam, d. 34. c. lector. est vanitas, si viduam alterius vxorem accesserit, in lectorata permaneat, aut si fortè necessitas sit, subdiaconus fiat, nihil autem supra; similiter si bigamus fuerit: ergo Papa dispensat, &c.

Panormitanus c. fin. de diuortiis, ait, dispensare contra nouum Testamentum posse. Non visum à Scurra Panormitanum, multa suadent. 1. Quia contra morem, & scripta eius citat, nam est in caput finale, de diuortiis l. 4. decret. t. 19. 2. Quia eodẽ loco docet, cõtra leges diuinas nõ posse dispensare Papã. 3. Quia Panormitani omnino diuersa mens est. Cum enim illud caput explicuisset, in quo Innocentius Tertius recens conuersis ad fidem, qui matrimonium ante contraxerant cum relicta fratris, secundum legem Mosaicam, propter infirmitatem permittit, vt eo matrimonio post baptismũ vtantur. Non tamen liceat baptizatis ita contrahere. Deinde subiicit Panormitanus. *Secundo nota; quod Papa ex maximâ causâ posset dispensare contra nouum Testamentum.* Cæterum in additionibus remittitur lector ad ea, quæ dixerat idem Panormitanus in cap. 13. t. *qui filij sint legitimi*, vbi num. 21. sic habet: *Nec obstat, si dicetur Papam posse ex causa dispensare in gradibus diuina lege prohibitis, vt notatur per aliquos in cap. literas, de restitut. spoliat. quia illud verum, secundum eum disponendo, & legitimando matrimonium, vt ex nunc, non autem ex tunc, ita vt filij ante geniti censeantur legitimati.* Ecce illa dispensatio est dispositio circa ea, quæ non prohibentur nouo Testamento. Deinde, nonne Ministri, cum pileolati concionantur, eodem iure dispensant? Tollatur ignorantia, euanescet calumnia, cuius mater est imperitia, Pater furor. Non enim de lege quatuis, sed ea, quæ rerum nonomnino necessariarum est, dispensare potest. Sic Ambrosius contra nouum Testamentum Neophytus, ad Episcopatum venit.

Quædam in nouo Testamento interdum mutata, & consilia nõ perpetua præcepta.

Idem dicit Bertachinus in repert. dict. Papæ. at nihil tale in repertorio reperitur. nostrum repertorium sic habet: *Papa non potest dispensare in prohibitis Testamento veteri & nouo. Anton. de But. & Ioan. Andr. in cap. super de vsur. & Anton. de Prato in dict. cons. 11. col. nec contra Euangelium, nec ius Diuinum 26. distinct. 1. deinde 14. dist. sicut & glossa in cap. literas de restitut. spoliat.* Bertachinus non modò ipse mendacii Scurram arguit, sed alios quoq; citat contra Scurram. Quid illos apud quos aliqua iuris & æquitatis cura residet, adhæc tam manifesta dicturos arbitrare?

Idem glossator scribit, quod Papa est verus Deus, & verus homo, & habet cœleste arbitrium, ideo potest creare, substantialia mutare, &c. Glossatoris sunt, non Papæ. 2. Verum sensum habent, *Papa est Deus, vt Principes & Reges, vt Episcopus, vt Dei vices gerens*, non enim alia mens glossæ, quam canonis, cuius verba sunt: *Non enim homo, sed Deus separat, quos Romanus Pontifex, (qui non puri hominis, sed Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata, nõ humana, sed diuina potius authoritate dissoluit.*

Papæ quomodo diuitana auctoritas.

Verus ergo Deus, non naturâ, sed verè diuinâ authoritate, sic nos à Deo matrimonia solui dicimus cum legitimâ Magistratus authoritate, separari coniuges, & ad vota noua adspirare permittimus.

3. Cur offendit glossator, cuius loquendi modum Papistæ non probant, & laudatur Gaspar Waserus cauponans deliria Graseri? (Præf. Graseri ad Regem Angl.) *Tertium fuit, maiestatis tuæ authoritas, quæ in ipsa SVMMA AC PLANE DIVINA RESIDET, & talis iam olim residebat, in IMMENSAE magnitudinis & claritudinis progatoribus suis.* An ideo Vorstius Caluinista Deo immensitatem detraxit, quia videbat eam à collega Tigurino magno quidem, sed tamen dua. um insularum Regi tributam? Verum non culpat hæc P. Becanus, sicut nec, quod lucubrationes illæ ad sacratissimi, & celsissimi præsidii aram suspendantur. Tantum monet, ne Sectarii plura Regibus & Reginis suis tribuant, quam Catholici Papæ suo. Deinde rebulones

Adulationes Caluinianorum.

bulones putat (Aret. Apocalyp. 13.) *Qui Romanum Imperatorem inuictum dicere, & felicitatem & successum Imperij Romani nimium mirari, calumniantur esse adorare Draconem:* cum tamen externi Reges habeant summam ac planè diuinam authoritatem, immensam magnitudinem. Sint potentissimi, augustissima eorum auspicia, sint inuicti ἀνεξεγκλητοι. Præfat. Wesari. Pontifici igitur illa tribuimus, quæ saluis legibus noui & veteris Testamenti fieri possunt, nec vllam, nisi vicariam potestatem.

„ §. 3. [Deinde apertus est, *inquit Musculus*, locus „ Cypriani tractat. 3. de simplicitate clericorum, vbi sic „ dicit: Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit „ Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. Si pari consortio potestatis & honoris præditi „ fuerunt, vt quid somniatur Petri primatus.]

Respondeo fieri non potuisse quin cauteriatæ fuerit conscientiæ, qui nihil omnium conscientiam veritus, Cypriani locum mutilum proferendo, contra Cypriani, & propriam mentem loquatur. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ contra schisma Nouatiani scribit, & ideo eos perire affirmat, qui à cathedra Petri recedunt. Integrum Cypriani locum adfero, vt decepti videant, quâ perfidiâ Patres citent aduersarii. *Hoc eo fit*, ait, *fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret & examinet, tractatu longo atq; argumento opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solueris super terram erunt soluta & in cœlis. Et iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto: vos accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & cathedra vna monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. Quam vnam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus S. ex persona Domini designat & dicit: vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genetrici suæ. Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit?*

Impostor Musculus.

Compendiũ fidei ad Petrum refugere.

Vna Cathedra constituta.

Super vnã Petri Cathedram fundata Ecclesia.

De lectione controuersia est. Pammelius ex codice, Cambronensi, & Manutius ita legunt. *Et quamuis Apostolis omnibus parem tribuat potestatem; vnam tamen cathedram constituit, vnitatis eiusdem originem atque rationem sua authoritate disposuit. Hoc erant & cæteri quod Petrus, sed Primatus Petro datur, vt vna Ecclesia & cathedra vna monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Qua in lectione non est vlla difficultas, & lectio sane præferenda est.

Cyprianus explicatus.

Vetustissimis codicibus vsus est Manutius. Testatur Marianus Victorius annotat. ad Hieronym. vnum fuisse 900. annorum. addit Pammelius Hosii Cardinalis Codicem. Quod si alia lectio placeat, expl cant eam Bellarminus, Remundus Rufus, contra Molinæum. Alanus Copus contra Magdeburg. dial. 1. cap. 20. Facilis est ratio, par fuit honor apostolatus, par potestas prædicationis & miraculorum, par iurisdictio, par inquam in alios, sed Petri etiam in ipsos. Natã Petri cathedram statuit, super quam fundata est Ecclesia.

Apostoli quomodo pares.

§. 4. Denique, [Non possum, *inquit*, hic transire „ Romanam illam stupidam ambitionem, cui Cephas „ idem est quod caput. Arguentes enim ex hac dictio- „ ne, probare conantur suum primatum Romani Pon- „ tifices. Nam ita legimus in Epist. 3. Anacleti Papæ: Et „ licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino „ concessum est, & ipsi id ita inter se voluerunt, vt reli- „ quis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, ca- „ put & principatum teneret Apostolatus. Et in Decre- „ tis Vigilii Papæ c. 7. ita legitur: Quoniam licet omniũ Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro „ concessum est, vt cæteris præemineret: vnde & Cephas „ vocatur, quia caput est, & primus omnium Apostolo- „ rum. Hos remittamus ad Euangelistam Ioannem, qui „ c. 1. dicit. Tu vocaberis Cephas, quod si interpreteris, „ sonat Petrus. Vsque adeo videlicet Romani caput & „ primatum somniant in Ecclesia, vt sanum illis non sit „ caput. Bene scilicet Ecclesiæ consulunt, caput illi dan- „ tes saxeum. Quanto melius illi, qui filium Dei ponunt „ Ecclesiæ caput?] „

Respondeo rectè quidem facere Musculum, quod illam Epistolam Anacleti esse agnoscat; nam de statu controuersiam illi faciunt nouatores, quam defendit Baronius anno 103. 106. 112. & in Martyrol. 13. Iulii. Et Turrian. noster lib. 2. cap. 8. contra Magdeburg. & Geneb. in Anacleto. Martyrio coronatus est anno 112. 13. Iulii fuisse Clementis successorem, testatur Augustinus Ep. 165.

Hoc igitur conuitium Anacleto impingitur, qui Petrum & Paulum adolescens videre potuit, qui sidem sanguine signauit suo. Deinde potest sententia eius rectè intelligi, vt nihil falsi contineat. Voluerunt enim vt cæteris præesset Apostolis, *& teneret Cephas*, id est, caput & principatum Apostolatus, non ait dictionem כיפא seu Cephas propriè significare idem quod caput, neque eandem propriè idem significare quod principatus; sed *Cepham esse*, seu *Cepham tenere*, idem esse, ac *tenere caput, & principatum*; itaque Metaphoricam Cephæ significationem adfert, quæ vera est. Nam est. Cepham, est esse caput, ac Principem; ita Christus lapis angularis est, id est, caput, & Principes Ecclesiæ, idemque fundamentum, sic & Apostoli fundamenta sunt. hoc est, capita. Eadem ratione Vigilius intelligendus est; *Concessum est Petro*, inquit, *vt præmineret, vnde & Cephas vocatur, quia caput est, & primus Apostolorum.* Perinde ac si dicat. Simon vocatur Petrus quia caput est. & primus Apostolorum, non hoc dicit Petrum & caput, & primum, & Principem esse Synonyma vt sunt caput: & κεφαλή; sed Petram esse, idem esse, & quod est esse caput, & Principem, Etenim obscuior Metaphora per vsitatiorem exponitur, nec vllum tam maleuolum sanctorum martyrum calumniatorem esse arbitror, vt dicat eos putasse, *Cepham*, & *Principem*, & *primum* esse Synonyma. Si igitur in Principe & primo Metaphoram explicatam intelligunt, cur non etiam in verbo *Caput*? Hinc apparet quo hæresis verborum captatrix perueniat, dum sanctorum simplicis ter loquentium sensa conatur deprauare.

QVÆSTIO III.

Quæ aliorum Apostolorum nomina & gesta?

§. 1. ANdreas Petro proximè iungitur, à Marco idem interposito Ioanne & Iacobo, quarto loco collocatur, Chrys. à virtute eum nomen habere asserit,

asserit, dicitur enim ἀπὸ τῆς Ἀνδρείας fortitudine. Vocatione primus fuit, & Petro senior, vt refert Epiphanius hæresi 51. Quare fallunt hæretici dum Petrum primo vocatum affirmant. Eum fratrem esse, Marci 1.3. & Lucæ 6. 9. etiam constat. Mentio eius est Ioan. 6. 12. Marci 13. Apud Eusebium lib. 3. cap. 1. in Scythiâ prædicasse dicitur. Patris in Achaia crucifixus est, vt constat ex Epistola Episcoporum & Cleri Achæi.

§. 2. Iacobus Ioanni anteponitur, vti etiam à Marco, qui illis Andream postponit, quia simul eos collocare voluit, quibus nomen Christus immutauit. Frater Ioannis fuit, filius Zebedæi, vocatio eius Matth. 4. 10. Marc. 3. 9. Luc. 6. 9. Actor. 17. ab Herode interficitur, corpus eius Compostellum delatum est: Vocari solet Iacobus maior.

§. 3. Ioannes qui vocari solet, *discipulus, quem diligebat Iesus.* Euangelium, tres Epistolas, & Apocalypsin scripsit, itaque de eo complura habentur in sacris Libris Matth. 4. 10. 17. 20. 26. Marc. 1. 3. 9. 10. 13. 14. Luc. 5. 6. 22. Ioan. 1. 3. 19. 21. Actor. 3. 4. 8. ad Gal. 2. Vixit Ephesi, Romæ ex feruefacto oleo illæsus exiuit, in Patmum relegatus à Domitiano, sub Nerua Ephesum rediit, vbi annos 68. post Christi resurrectionem obiit. Eusebius l. 3. c. 1.

§. 4. Philippus natus est Bethsaidæ, Ioan. 1. Erat hoc oppidum propinquum Capharnaumo, *dicta domus venationis ob piscium copiam.* Ioan. 6. 12. 14. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Actor. 1. eius mentio habetur. Docuit in Scythiâ: martyrio obiit Hierapoli Asiæ vrbe. Euseb. lib. 3. c. 31.

§. 5. Bartholomæi in Scripturis nulla est mentio, nisi in Catalogo Apostolorum. Matth. hoc loco Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. Indos docuit, Euseb. l. 3. c. 1. Viuo crudeliter pellis detracta est. Qui ad reges Ptolomæos eius progeniem referunt, Apostolo frustra honorem conciliare conantur. Malo à Tholmai, quod est nomen Hebræum Ios. 15. 14. 2. Reg. 33. deriuari.

§. 6. Matthæus, supra dixi, post resurrectionem in Iudæâ, Asiâ, Ponto, Æthiopiâ docuit, vbi adhuc inter Christianos eius est memoria.

§. 7. Thomas seu תאומא *Thauma* Syriacè, dicitur à תאם quod est geminare, itaque & Græce δίδυμος, seu *Geminus* vocatur. Eius in Catalogo mentio est. & Ioan. 14. itemque 20. nobilis dubitatione, & deinde fide. Carmanos, Babylonios, Indos docuit, vt Hieronymus, aliique, eius hodie sepulchrum visitur in India.

§. 8. Iacobus alter, dictus minor, Alphæi, & Mariæ filius, ea Maria soror, hoc est, cognata dicitur B. Virginis. Eius frequens mentio est Matth. 13. 27. Marci 3. 6. 15. Actor. 1. 12. 15. 21. Galat. 1. 2. 1. Corinth. 15. Ierosolymis mansit annos 30. Episcopus. Euseb. l. 2. c. 23. vbi etiam martyrio ad Dominum migrauit.

§. 9. Thadæus Hebraicè Iudas, Syriacè Thaddai, vel Thaddi cognomen fuit Lebbai, Græcus & Syrus Lebbæus, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος. Hic proprio nomine dictus Iudas, qui & Epistolam scripsit. Ex יהב fit יהודה *laus. at* לביא *leo*, Iudæ est Symbolum. Gen. 49. 9. alii à לב cor, alii à חר mamma.

§. 10. Simon frater Iacobi minoris, & Iudæ, filius Mariæ & Cleophæ. Ægyptios & Persas docuit, tandem Ierosolymis crucifixus est. Euseb. lib. 3. c. 11. & 32. Dictus est Simon Cananæus, Græcè Καναίτης, alii à Cana vico, vbi aqua in vinum est mutata, alii vero à Zelo; nam Actor. 1. 13. vocatur Ζηλωτὴς, est vero קנא Hebræis Zelare.

§. 11. In Iudæ proditoris nomine, siue sit declinans ad strangulationem, siue mercede declinans, seu deficiens Dei prouidentia apparet. Iscariotes Syrus שקריותא *Schekariutho*, ita & libri nonnulli Latini, sed I. omisso vt Spania pro Hispania. Nomen loci est, licet nonnulli dici velint, *virum Carioth*, seu *virum Cariothensem*, vt Esd. 2. 22. dicuntur, *viri Anathoth.* Additur hic Apostolis, ne turbemur, si in Ecclesiâ malos, & sæpe quos minime putabamus esse, experiamur. Carioth vrbs Iudæ est, qui ab Isachar formant, magis aberrant. Iunius & Tremellius. שבר & בטא vt ירטא sit passiuum futurum tertiæ coniugationis & significatur mercede defecturum seu inducendum ad defectionem. Non videtur ab oppido nomen habere. Non enim est in Syro ש, neque א, præpositum, deinde Carioth non est per ק, & ת, sed per ב, & ט, scriptum. Sed literæ illæ commutari potuerunt. Alii Schechariut esse marsupium, alii Secar esse strangulationem, & sensum esse declinans ad strangulationem, sed Christum nomen imposuisse hoc non est probabile, nec parentes, cum sit tam mali ominis. Malo eum dictum quasi declinantem ad mercedem, lucro deditum.

In Iudæ nomine mala omen.

Donatistas aliosque refutat cœtus ille, in quo non defuit Iudas traditor, Quomodo ergo si inter duodecim impius fuit vnus, non esset in tot populis. Iudam docuisse, & more aliorum miracula patrasse non est dubium, cum tamen reprobus esset. Quod insigne argumentum præbebat olim Catholicis contra Donatistas in Africa, qui Ecclesiam non nisi ex iustis constare fingebant, ipsi hominum iniustissimi, & flagitiosissimi. Interim & hoc docemur, fidem magnam, quâ miracula operatur Iudas, sine charitate fuisse, nec tamen ad iustitiam fuisse satis: & insignia crebro dona in reprobos conferri.

Ecclesia semper malos habet bonis mistos.

VERSVS 5. 6.

In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israël.

QVÆSTIO I.

Cur noluerit Apostolos ire in viam gentium?

§. 1. IN viam gentium cum ire vetat, non monet, ne gentium se moribus ritibusque contaminent, quod alioqui est ire in viam alicuius. *Quid tibi vis in via Ægypti? Ierem. 2. 18. & in via peccatorum non stetit.* Sed vetat in regiones, & vrbes gentium prædicandi causa accedere. Hoc enim initio ad Iudæorum conuersionem opus erat. Iudæis enim erat facta promissio Genes. 17. vers. 1. Roman. 15. vers. 8. Actor. 13. vers. 46. Magnam excusationem Iudæi prætendere poterant, si ad gentes se contulissent; se enim electos, gentes reiectas iudicabant. Insigne odium erga gentes demonstratur Actor. 22. vers. 21. Cum Apostolus diceret, sibi à Deo imperatum, *vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.* Itaque cum Iudæis promissus esset, non poterat censeri Messias esse, nisi Iudæis prædicaret.

Initio gentibus non prædicandum.

§. 2. *Ciuitates* πόλιν est in Græco. Samaritanos addit, quia cum quædam ex lege seruarent, putare poterant Apostoli illos non comprehendi nomine gentium, ideo illos speciatim excipit, de origine Samaritanorum 4. Reg. 17. & Ioseph. lib. 9. c. vltim. itaque limitata hic est potestas prædicandi, postea dabitur generalis, post resurrectionem cum velum templi scissum est. S. Cyprianus ad schismatis detestationem hoc

Samaritani schismatici, & pene gentes.

hoc refert Epist. 76. *Donat adhuc in Euangelio suo Dominus & maiorem intelligentiæ lucem manifestat, quod ijdem qui se tunc à tribu Iuda & Beniamin sciderant & Hierosolymis derelictis Samariam secesserant, inter profanos computarentur. Nam cum primum discipulos in ministerium salutis mitteret, mandauit & dixit: In viam nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis. Ad Iudæos prius mittens gentiles adhuc præteriri iubet. Addendo autem, & ciuitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erant schismatici, ostendit schismaticos gentilibus adæquari.*

Legem illi ex parte seruabant. Deique cultum cum idololatriâ permiscebant 4. Reg. 17. Ioseph. lib. 9. Antiq. cap. vlt.

Oues perditæ. §. 3. Iudæos vocat oues perditas, quia iam peccatores, à pastoribus deserti, erroribus impliciti vagabantur. Nonnulli electos significari tantum, alii reprobos; verum ad omnes missus est; perierant enim non damnatione, sed peccatis, & aberratione; vnde fuerunt boni pastoris humeris reducendi. De hisce ouibus vide Psalm. 77. vers. 1. & 76. vers. 21. & 79. vers. 1. item Isa. 53. Ezech. 34. vers. 5. Ad hos ergo mittebantur, vt annunciarent appropinquare regnum cœlorum, ideoq; ad pœnitentiam hortarentur. Id enim dictum est. Nam Marci 6. v. 12. *Exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent.*

VERSVS 8.

Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite: gratis accepistis, gratis date.

QVÆSTIO I.

Quomodo gratis dare iubet?

Lectio constituta. §. 1. MIraculorum potestate eos instruit, vt appareat à Deo missos, Quatuor hoc loco ponit admodum insignia, & in omnes gratissima. De mortuorum resuscitatione dubitatio oritur; in Græcis enim quibusdam omittitur, apud Theophylactum est. Lucas Brugensis in notis ad Græcum textum approbat. *Illud νεκρους ἐγειρετε merito fortassis posset omitti, prout ipsa Regia Biblia obeliscum præfigunt, idque ob eas causas quas alias dedimus intelligendas. Nouem Parisiensium exemplaria & Syrica Imperatoris editio prætereunt suffragantibus Enarratoribus Euthymio & Theophylacto.* & in Latinis: *Manuscriptum, inquit, H. litera signatum B. Hieronymo suffragante, omittit & mortuos suscitate, quod alij libri addunt, parua similitudine veri: quanquam iudico merito relictum esse à correctoribus Sixtinis, vt certè vetus est, & facile potuit ab interprete fuisse datum. Lege varietates Græcas & Notationes prolixiores in varias Bibliorum lectiones. denique Commentarium.*

Nec tamen mirum est; nam Petrus & Paulus, aliique mortuos excitarunt. Itaque causam non video sufficientem, cur omittamus.

§. 2. Primo quidem monet, vt facultate sibi tradita promptè liberaliterque vtantur, quandoquidem gratis eam acceperunt. Deinde omnem auaritiam, & sacrarum rerum cauponationem prohibet. Poterat enim legatio illa esse quæstuosissima; si pro sanationibus tot, & mirandis mercedes accipere voluissent; cum enim peritiores medici sibi interdum regias opes comparent, quid illi non consequerentur, si certò, celeriter, sine chirurgorum cranificina, sine pharmacorum fastidio ægros curarent? insuper & mortuos suscitarent? summam auctoritatem, & amorem Euangelio conciliabat illa munerum, non modo abstinentia, sed etiam recusatio. Seducendi enim causam non habuerunt, quibus seductorum simplicitas lucrosa non erat futura. Recte id notauit. Iren. lib. 2. cap. 57. *Et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per vniuersum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit, nec pecuniam ei auferens, quemadmodum enim gratis accepit à Deo, gratis & ministrat.* Nec modo sanare gratis, sed etiam docere iubentur, non itaq; probo eos, qui omnes manifestè docere nolunt, *solos vero illos qui etiam grandes mercedes pro talibus mysteriis præstare possunt. Non enim iam dicunt similia illis, de quibus Dominus noster dixit: Gratis accepistis, gratis date; sed sepa-rata & portentuosa, & alta mysteria cum magno labore acquisita fallacibus.*

§. 3. Non prohibentur Christi lege doctores accipere vitæ necessaria à discipulis. Dignus est enim mercenarius mercede sua. Populus enim iure naturali, & iure diuino tenetur alere concionatorem suum; & ille habet ius de Euangelio viuendi, dum Euangelio deseruit. Itaque errant Anabaptistæ, qui nullum Euangelii sui ministrum audiunt, nisi omnia relinquat.

§. 4. Multa hoc loco Bullingerus, Illyricus, Wolffgangus Musculus, contra inertiam ociumq; Cleri, Simoniam, & Pompas Episcoporum ad inuidiam concitandam declamant. Verum ad nos illa non pertinent, qui non modo docemus, ociosos, Simoniacos, luxuriosos Clericos grauissimo supplicio illa scelera luituros; sed insuper propter eadem in subditis non correcta, etiam Pontifices, Archiepiscopos, Episcopos prælatos alienæ culpæ, quam pessimo exemplo dissimulant, consortio perituros. Quod de opibus Ecclesiasticis quiritantur, inuidiæ vox est, non charitatis; opes possidere peccatum non esse consentiunt non modo docendo, sed etiam acquirēdo & habēdo. Imò Episcoporum comitatum decentem, & si iidem Principes etiam sint, magnificum esse oportere. lib. 6. Politicorum demonstraui cap. 42. & 43. Idemq; docet Adrianus Saxauia *de variis Ministrorū ordinibus*, habetq; vsus Britanniæ, vbi Archiep. & Episcopi, Principibus, & Comitibus æquantur. Verum moris est apud Sectarios & non culpanda traducere, & orthodoxorum delicta, ingenti hyperbole exaggerare. Opes nostras ferre non possunt, miracula in dubium vocant. Tossanus monet, vt Ecclesiasticis historiis *comprehensa miracula cautione magnâ legantur.* Hoc agens vt nulla credantur, neque oriatur admiratio populi, quod apud ipsos nulla cernantur. Nemo quidem est, quin miracula cum cautione legenda censeat; nam fingi aliqua potuerunt, & dubio procul, ficta sunt nonnulla. At vero donum miraculorum ita singulare fuisse Apostolis, vt non semper in Ecclesiâ fuerit, omnino falsum est, atque omni historiæ Ecclesiasticæ repugnat. De martyribus, aliisq; testantur summi Doctores Ecclesiæ, vt negare tam sit manifestæ insaniæ quam affirmare Cæsarem, Neronem, aliosque nunquam fuisse. Deinde semper ad Ecclesiam nouæ gentes adductæ sunt, ad quarum institutionem miracula partim nouis necessaria, partim vtilia fuere veteribus Christianis, inter quos multi sæpe grauibus dubitationibus percelluntur.

Miracula quæstuosa esse poterūt.

Precia accipere suspectum fuit.

VERSVS 9. 10.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, in zonis vestris; Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta,

ta, neque virgam, dignus enim est operarius cibo suo.

QVÆSTIO I.

An ista fuerit temporaria, an vniuersalis lex?

§. 1. DVplex est institutionis, quam Christus Apostolis dedit, interpretatio. Quidam existimant fuisse temporariam, & experimenti causa missos, vt in Deum referre omnia, Deoq; fidere assuefierent. Alii leges perpetuò seruandas Apostolis præscribi.

Legis partim perpetuæ partim temporariæ data.

Argumentum eorum, qui temporaria esse aiunt, ex verbis ipsis deducitur; nam dicitur, ne ingrediantur ciuitatem Samaritanorum, quod ad hanc missionem tantum pertinet; deinde non habere peram, aliaque postea seruata non sunt. Qui aliud sentiunt, plura adferunt, quæ perpetuæ legis vim habuerunt. Res tota potest paucis explicari, si quædam in præsens præcepta, alia in omnem vitam constituta dicamus.

§. 2. Generatim Christus hisce legibus sanxit; ne qui ad Euangelii prædicationem vocantur, auaritiâ aut rerum mundanarum sollicitudine impediri sese permittant. Atque hac in re omnes conueniunt. Omni enim in hominum genere reprehendenda est cupiditas, qua officium Deo, & proximo debitum interrumpitur, & potior est opum, quam cœlestis mandati cura.

§. 3. Non tamen hoc potissimum Christus præcipit: verum singularia quædam prædicaturis significat, quæ seruari velit. Nam Apostoli qui mittuntur, iam omnia sua reliquerant, affectum diuitiarum exuerant, atque adeo possessionibus se abdicarant. Itaque verat sollicitè, & studiosè ea curare quæ ad iter agendum necessaria videbantur, ea vero neque possidere permittit.

§. 4. Beza locum corrumpit, cum interpretatur de

Beza locum corrumpit.

» acquisitione, non possessione. [Vulgata, *inquit*, non» lite possidere; quæ interpretatio mala est, vsque adeo » vt totam huius loci rectam sententiam peruertat. Ne» que enim hic interdicitur harum rerum possessio, vt » nonnulli Apostolorum peruersi imitatores fingunt: » sed de hac vna profectione agitur, ad quam vult Do» minus Apostolos accingi absque vllis Sarcinis, atque » adeo absq; viatico: non modo vt nullis impedimen» tis retardentur, sed etiam vt hac prouidentiæ diuinæ » quasi degustatione ad futuram illam functionem A» postolicam præparentur.]

Negandum non est, κτᾶσθαι esse *acquirere*, sed dicendum etiam est proprie significare *possessionem*, Olynth. 2. opponuntur κτᾶσθαι & φυλάττειν, *acquirere*, & *custodire*, & κτητικὴ est ars rem faciendi apud Aristotelem.

Κτᾶσθαι est possidere.

Non tamen est verum, non proprie possessionem significare. Nam cum dicitur κτήσει res esse alicuius, κέκτηται alterius, certum est, de possessione, non acquisitione sermonem esse. Hinc κτήματα, *opes*, *prædia*. κτήτορες Actorum 4. *possessores*, non acquisitores. & apud Hom. Od. ξ. Τίς γὰρ σε πέλασε κτεάτεσσιν ἑοῖσι, *quis te possessionibus emat?* Imo nomina possessiua Græci vocant κτητικά. Hinc ἀκτήμων, ἀκτεάνων, pauper, qui nil possidet, contraria sunt ἄκτεανος, &c. Eadem ratio est verbi Hebræi, קָנָה *Kana*, quodque inde deducitur מִקְנָה *possessio*, κτήσις τῶν ὑπαρχόντων; nam & possessionem & acquisitionem significat. Ex quo sole clarius euadit, à nostro interprete textum non corruptum. nam & Patres ita legunt, & intelligunt, & ipsi etiam libenter dissidere soliti Sectarii. Ita Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 30. accipit, & Lutherus vertit. Quod si rem ipsam spectemus satis apparet, Christum non modo iussisse, ne acciperent, sed ne secum ferrent. Sic enim de baculo, peraque loquitur, non enim vult ne illa emant, sed ne habeant in ista profectione. Ne vero dubitemus; Marcus rem cap. 6. v. 8. definit, μηδὲν αἴρωσιν, itaque κτᾶσθαι non est acquirere, interprete Marco, sed αἴρειν, *tollere*, *sumere*. Ita & Lucas 9. vers. 3. Non modo igitur hoc Dominus voluit, ne acquirerent, sed ne haberent: nec ad rem facit, quod ait Beza, huc pertinere, vt expeditiores essent. Si enim ista possidebant, si in zonis iam aurum erat, illud retinendo non tardabatur iter, sed multa eius commoda accelerari poterant. Non ergo tum possidebant, quod clarius patet ex Lucæ 22. 35.

Non possidebant Apostoli aurũ.

§. 5. Hæc de auro, soleis, aliisque ad hanc vnicam, & temporariam missionem pertinebant; nam postea cum in omnem terram spargerentur, secum necessaria à fidelibus accepta deferebant, vt ex actibus Apostolorum, & Epistolis Pauli constat. Paulus certè penulam, libros, & membranas ferri præcipit.

Media igitur via tenenda est, vt neque concludamus cum Wicleffo apud Waldensem doctrin. fidei, articul. 3. Non licere Clericis habere possessiones quod etiam Anabaptistæ simulant. Neque dicamus Apostolos iam habuisse, quod Caluiniani somniant. Quo de negocio videri potest Bellarm. lib. 1. de Clericis c. 26.

§. 6. Obiiciunt nonnulli nunc fuisse præceptum, postea nunquam reuocatum, perpetuum igitur vigorem habuisse. Respondeo: Non aliter lex lata fuit, nisi & in hac missione, eâ viuerent. Hoc ipso enim quod ad Christum redeuntes, quæstorem publicum habebant, & quæ dabantur accipiebant, videbant sibi normam præscribi, quâ temporariæ missionis paupertas tolleretur. Quo ex loco etiam apparet, Apostolos non possedisse opes, cum ex aliorum benignitate viuerent. Nec enim suos loculos Matthæus priuatim, sed Iudas totius collegii habebat. Nec probabile videtur, diuitem publicanum de communi eleemosyna viuere voluisse.

Hoc præceptum reuocatũ fuit.

QVÆSTIO II.

An consentiant Euangelistæ in historia missionis Apostolicæ?

§. 1. APparens repugnantia videtur esse ex vers. 10. *Non peram, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Marc. 6. 8. *Ne quid tollerent, nisi virgam tantum.* & v. 9. *calceatos sandaliis.* Quod si studiose calceamenta, seu ὑποδήματα, & sandalia distinguere lubeat; conciliari posse videntur. Nam quod ad virgam ῥάβδον attinet; multa exemplaria habent, ῥάβδους. S. Augustinus lib. 2. de consensu Euang. c. 30. tropice interpretatur. Primo constat permissa sandalia ex Marco. σανδάλιον muliebre calceamentum fuit, vti Hesychius ait, Athen. lib. 8. etiam viris tribuit. Non dubium in Iudæa virile fuisse. Syrus vocat טלרא telara, itaque à Latinis talaribus originem habere videtur. apud Plautum Trinum: est Sandalogerulus, & Sardinia vocatur σανδαλιῶτις & ἰχνίβοσα à similitudine plantæ. Vide de Sandalio Alexand. ab Alexandro lib. 2. Saturn. c. 18. Dupliciter itaque intelligi potest sententia Christi. Primo vt calceamenta, & Sandalia genere differre intelligamus, Sandalia seu calceos domesticos permittat, perones, ocreas, & viatorios curare veter. Deinde vt quemadmodum dixit non ferendas duas tunicas, quarum scilicet altera in via, altera domi induatur, ita ὑποκρίνῃ, intelligat, neque bina calceamenta, firmiora & altius tegentia in itinere,

Sandalia.

Bina calceamenta vetantur.

molliora minusque firma in diuersorio. Vtroque modo iuncto optime respondetur. Nam si bina paria ferrent, sine dubio diuersi ea generis censenda essent.

De virgâ siue baculo licet eadem vox sit, eodem tamen modo dicendum est. Vel enim vetat ferre baculum defensorium seu hastulam, seu clauam. permittit autem scipionem quo niterentur, perq; lubrica euaderent. Vel sanè legendum est ἐγκάδος virgas, vt expressè duas virgas ferre prohibeat alteram quâ niterentur, aliam qua se defenderent. Mihi prior conciliatio verior videtur. Iudæi in itinere baculis vti solebant, montana enim & saxosa regio, vbi baculi frequens vsus, alios habebant, verè baculos defensorios, quod Romanorum legibus cautum esset, ne gladios ferrent.

QVÆSTIO III.

Quid de hoc loco præterea hæretici obiiciunt?

Pontificum diuersa sententiæ.

§. 1. PRobare contendunt Nicolaum quartum, & Ioannem vicesimum secundum Pontifices, ita de huius loci intelligentiâ sensisse, vt necessario alterutrum alterius hæreseos damnarit. Nicolaus ait Christum docuisse eam paupertatem, quâ nullum dominium in particulari, vel in communi possideatur. Ioan. vigesimus secundum. in extrau. id hæreticum iudicasse.

Verba Canonum primo consideremus, deinde conciliemus. Nicolaus in sexto t. 12. de verborum signific.

Minores nec in singulari, nec in communi possident.

„ [Porro, *inquit*, cum ipsa regula expressa contineat, quod fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sitque declaratum per eundem prædecessorem nostrum Gregorium nonum, & nonnullos alios hoc seruare debere tam in speciali, quam etiam in communi, quam sic arctam „ abdicationem venenosis obtrectationibus aliquo„ rum insensata damnauerit astutia: ne fratrum eo„ rundem perfectionis claritas in talium imperitis ser-

Abdicatio in communi meritoria est.

monibus laceretur: Dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sanctæ quam & Christus viam per„ fectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit: quamque primi fundatores militantis Eccle-

Eam Christus docuit, & exemplo firmauit.

siæ prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte viuere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos deriuarunt. Nec his quispiam putet obsistere quod interdum dicitur Christum loculos habuisse: nam sic

Christus loculos habuit.

„ Iesus Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viâ perfectionis exercuit, quod interdũ infirmorũ imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: sic infirmorum personam Christus „ suscepit in loculis: sic & in nonnullis aliis infirma „ humanæ carnis assumens (prout Euangelica testa„ tur historia) non tantum carne, sed & mente conde„ scendit infirmis. Sic enim humanam naturam as„ sumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in „ nostris factus humilis, in propriis permansit excel-

Christus perfectis, & infirmis se accommodauit.

sus. Sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, quod à summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namque Christus & docuit opera perfectionis. Egit etiam infirma, sicut interdum „ & in fuga patet, & loculis: sed vtrumque perfectè „ perfectus existens, vt perfectis & imperfectis se viam „ salutis ostenderet, qui vtrosque saluare venerat: qui tandem mori voluit pro vtrisque. Nec quicquam ex his insurgat erroneum, quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei, viuendi discrimini se committant. Sic enim seipsos committant diuinæ « prouidentiæ in viuendo, vt viam non contemnant « prouisionis humanæ: quin vel de iis quæ offeruntur « liberaliter, vel de iis quæ mendicantur humiliter, vel « de iis quæ conquiruntur per laboricium, sustententur: « qui triplex viuendi modus in regula prouidetur ex« presse. Profecto si (iuxta promissum Saluatoris) nun« quam deficiet fides Ecclesiæ: per consequens neco« pera misericordiæ subtrahentur: ex quo Christi pau« peribus omnis ratio diffidentiæ cuiuslibet videtur es« se sublata. Et quidem vbi (quod non est aliquatenus « præsumendum) hæc cuncta deficerent, sicut nec « cæteris, sic nec ipsis fratribus iure poli in extre« mæ necessitatis articulo ad prouidendum sustenExtrema necessitas mutat communia legem. tationi naturæ via omnibus extremâ necessitate detentis concessa præcluditur cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta: nec talem abdicationem « proprietatis omnimodæ renuntiationem vsus rerum « cuiquam videatur inducere: nam cum in rebus tem« poralibus sit considerare præcipuum, proprietatem, « possessionem, vsumfructum, ius vtendi, & simplicem « facti vsum, & vltimo tanquam necessario egeat, licet « primis carere possit vita mortalium: nulla prorsus po« test esse professio quo à se vsum necessariæ sustenta« tionis excludat: Verum condecens fuit ei professio- Dominus & pauperem abdicat. ni, quæ sponte denouit Christum pauperem in tanta « paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & « rerum sibi concessarum necessario vsu, fore contenretentum facit. « tam. Hæc per hoc quod proprietatem vsus: & rei cuiusq; dominium à se abdicasse videtur, simplici vsuo« mnis rei renuntiasse conuincitur: qui inquam vsus « non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod « facti est tantum, in vtendo præbet vtentibus, nihil iuris: quinimo necessariam cum rerum tam ad vitæ sustentationem, quam ad officiorum sui status execu- ius pro tionem (excepto quod de pecunia infra subiungitur) bet. moderatus vsus; sed secundum eorum regulam & veritatem omnimodam concessus est fratribus: quibus « rebus fratres licitè vti possent durante concedentis li« centia, & iuxta id quod in præsenti serie continetur: « Nec his obuiare dignoscitur, quod ciuilis prouidentia « in humanis rebus humanè constituit: videlicet non « posse vsum vel vsumfructum à dominio perpetuo « separari: quod ne dominium Dominis (semper abIn ciuilis scedente vsu) redderetur inutile, temporalem vtilitatem tantum in constituendo prospiciens ista decreuit. re Dei & Retentio namq; Dominii talium rerum cum concessione vsus facta pauperibus, non est infructuosa Domino: cum sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum opportuna, quæ tanto sibi censetur vtilior quanto commutat temporalia pro æternis. Profecto non « fuit confessoris Christi regulam instituentis intention: quinimo contrarium in ipsa conscripsit, contra« rium viuendo seruauit: cum & ipse temporalibus ad « necessitatem vsus fuerit, & in pluribus locis in regula « vsum talem licere fratribus manifestet. Dicit namque « in regula, quod Clerici faciant diuinum officium ex « quo habere poterunt Breuiaria: ex hoc patenter insi- nuans, quod fratres sui habituri essent vsum breuiarii, & librorum, qui sunt ad diuinum officium opportuni. In alio quoq; capitulo dicitur, q̃ Ministri & Custodes « pro necessitatibus infirmorũ, & aliis fratrib⁹ induẽdis « per amicos spirituales solicitã curã gerãt secundũ loca « & tẽpora, & frigidas regiones: sicut eorũ necessitati vi« derint expedire. Alibi etiã exhortãs fratres per cõgruũ « laboris exercitiũ ad otiũ euitandũ: dicit, q̃ de mercede « laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria reci-

piant.

Bibliotheci ecclesiæ Arbricæ accessio possit.

plant. In alio quoque capitulo continetur, quod fratres vadant pro eleemosynis confidenter. Habetur etiam in eadem regula, quod in prædicatione quam fratres faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia ad vtilitatem & ædificationem populi: annuntiando eis vitia, & virtutes, pœnam & gloriam. Sed constans est quod hæc præ ipponunt scientiam: scientia requirit studium: exercitium vero studii conuenienter haberi non potest sine vsu librorum. Ex quibus omnibus satis claret ex regula, ad victum, vestitum, diuinum cultum, & sapientiale studium, necessarium rerum vsum fratribus esse concessum. Patet itaque sane intelligentibus ex prædictis regulam quoad abdicationem huiusmodi, non solum obseruabilem possibilem & licitam: sed meritoriam & perfectam: & eo magis meritoriam, quo per ipsam professores ipsius magis à temporalibus propter Deum (sicut prædicitur) elongantur. Ad hæc cum fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum ordini possint etiam in communi, & cum aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur, vel donatur, ea (si secus non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis, verisimiliter credatur intentio, vt rem huiusmodi oblatam, concessam, vel donatam perfecte concedat, donec auferat, à se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum: nec sit persona, in quam loco Dei congruentius huiusmodi rei dominium transferat, quam sedes præfata, vel persona Romani Pontificis Christi vicarii, qui pater est omnium & fratrum Minorum nihilominus specialis: Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium: cum patri filius suo modo seruus Domino, & monachus monasterio res sibi oblatas, concessas vel donatas acquirant: omnium vtensilium & librorum, ac eorum mobilium, præsentium & futurorum, quæ & quorum vsum fructum, sc licet ordinibus vel fratribus ipsis, licet habere, proprietatem & dominium (quod & felicis recordationis Innocentius Papa quartus prædecessor noster fecisse dinoscitur) in nos & Romanam Ecclesiam plene & libere pertinere hac præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus. Præterea loca empta de eleemosynis diuersis, & oblata seu concessa fratribus sub quacunque forma verborum (licet fratres sibi cauere debeant, quod huiusmodi verbis statui suo incompetentibus non vtantur) à diuersis seu pro indiuiso possidentibus seu certas partes in ipsis locis habentibus, in quibus ipsi possidentes pro indiuiso, seu certas partes habentes, nihil sibi in oblatione seu concessione huiusmodi reseruarint: similiter & in ius & dominium ac proprietatem nostram & Ecclesiæ prædictæ eadem auctoritate suscipimus. Loca vero seu domos pro habitatione fratrum à singulari persona vel collegio, vel ipsis fratribus ex integro concedenda, seu etiam offerenda (si talia de voluntate conferentis fratres inhabitare contigerit) perseuerante tantum voluntate concedentes inhabitent. Ac illa libere, præter Ecclesiam, & oratoria ad Ecclesiam destinata, & cœmeterium (quæ tam ad præsentia quam ad futura in ius & proprietatem nostram & prædictæ Romanæ Ecclesiæ simili modo & auctoritate recipimus) mutata concedentis voluntate, ac ipsis fratribus patefacta dimittant: in quorum locorum dominio seu proprietate nihil nobis vel præfatæ Romanæ Ecclesiæ retinemus omnino: nisi ea specialiter de nostro, seu ipsius Romanæ Ecclesiæ recipiantur assensu. & si in eisdem locis reseruauerit dominium sibi in concedendo concedens præter inhabitationem fratrum, speciale dominium in ius Ecclesiæ sæpe dictæ non transeat, sed potius plene liberum maneat concedenti.]

Papa res monachorum suscipit.

Dominium rerum retinent concedentes.

Respondet lib. 4. de pontifice cap. 14. Bellarminus. Discrepare pontifices in re, quæ ad fidem non pertineat, Nicolaus in rebus quæ vsu consumuntur, separari posse vsum à dominio putat, Ioannes negat, & hodieque variant sententiæ, & Ioannes in extrauag. *Quia quorundam*, negat fidei quæstionem esse.

Pontifices in quæstione quæ fidei non est dissentire videntur.

Nicolaus paupertatem, qua solus vsus retinetur, abdicato omni dominio sanctam putat, nec tamen articulum fidei esse dicit. Ioannes hoc non impugnat, sed renunciat iuri suo, nec dominium rerum vult accipi ab Romana Ecclesia.

In primaria quæstione non dissentiunt.

Nicolaus ait Christum aliquando nihil possedisse, aliquando loculos habuisse. Ioannes hæreticum esse definit; dicere, Christum semper tigidam illam paupertatem tenuisse, vt nihil haberet. Addit deinde Bellarmin. sic: *Quod autem Christus vtrumque docuerit verbo & exemplo, probatur, nam paupertatem omnimodam docuit Matth. 10. cum ait: Nolite possidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Neque refert, an hæc verba sonent præceptum, an consilium, & an possint exponi aliter quam de abdicatione omnis dominii: nam satis est ad sententiam Nicolai saluandam, quod hæc sit Christi doctrina, & quod non repugnet ei iste sensus, vt reuera non repugnat. Etsi enim Christus subiiciens: Dignus est operarius mercede sua, obligauit populos ad sustentandos prædicatores, & proinde concesserit prædicatoribus, vt iure exigant sustentationem à populis, non tamen obligauit ipsos prædicatores, vt quasi debitam exigant, vt patet ex Paulo 1. Corinth. 9. sed permisit eis viuere de suis laboribus, vel accipere tanquam donum sine vlla vsurpatione dominii, quod ex iustitia illis debebatur. Accedit quod in hoc sensu illa verba accepit S. Franciscus, cuius viri instituta & Deus plurimis miraculis, & Ecclesia vniuersa communi consensu approbauit.*

Christus strictam paupertatem suasit.

Hæc nequicquam conuellere hæretici moliuntur, vt Pontifices inter se committant. Nam primus Nicolaus non fuit, qui ita sensit, sed Gregor. nonus, aliique. Deinde Ioannes ait, fratres ita vti rebus suis, vt non sint simplices vsuarii. [Attento tamen ipsorum fratrum vtendi modo & eius effectu ac patientia circa modum ipsum Romanæ Ecclesiæ subsecuta, non ipse vsus fratrum dicendus est, sed potius Romanæ Ecclesiæ dominium simplex esse. Quis enim simplicem vsuarium dicere poterit, cui rem vsuariam licet permutare, vendere ac donare? procul dubio hæc naturæ repugnare noscuntur, nec ad vsuarium pertinere, quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt fratres ipsi. Quid autem dominium Romanæ Ecclesiæ reseruatum simplex censeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullum eidem Ecclesiæ temporale obuenit hactenus commodum, nec speratur quod obuenire debeat in futurum, cum nec intentio reseruantis, nec fratrum ipsorum fuerit, quod ad quemcunque alium quam ad fratres dictarum rerum peruenire compendium: quod procul dubio modus vtendi fratrum ipsorum, & Romanæ Ecclesiæ subsecuta patientia euidenter declarauit. Et quod talis intentio fuerit ordinantis, & ex hoc patet, quod illarum rerum sibi & Ecclesiæ Romanæ dominium duntaxat retinuit, quarum vsum facti liceret habere ordini vel fratribus antedictis: talis autem dominii carentia re in præsenti; ac spe in futurum omnimodo denudati, quo ad paupertatem temporalem, quam altiorem (præmendicantibus aliis in communi habentibus) sibi vendicant dicti fratres, pauperiorem non efficit non habentem.]

De vsu à dominio separando.

Tertio. De rebus vsu consumptibilibus non egisse Nicolaum docet Ioannes, ita, vt ea quæstio hic locum non habeat. [Quod autem quo ad res quæ vsu consumuntur, non sint censendi vsuarii fratres ipsi, ex sequentibus liquet satis: dicere siquidem quod in talibus rebus vsus iuris vel facti separatus à proprietate rei seu dominio possit constitui,

Vsus rei vsu consumptibilis nō potest separari à dominio ex sententia Ioannis Papæ.

stitui, repugnat iuri, & obuiat rationi: nec prædecessoris nostri prædicta fuisse videtur intentio Romanæ Ecclesiæ talium bonorum dominium reseruare. Quis etenim sanæ mentis credere poterit, quod intentio fuerit tanti patris, vnius oui, seu casei aut frusti panis, & aliorum vsu consumptibilium, quæ sæpe fratribus ipsis ad consumendum euestigio conferuntur, dominiū Romanæ Ecclesiæ, & vsum fratribus retinere? profecto
„ probabile non videtur, præsertim cum illorum bono-
„ rum duntaxat dominium præfatæ Ecclesiæ reseruaue-
„ rit, quorum simplex vsus facti pertinere potest ad fra-
„ tres dicti ordinis: quod nequaquā potest in rebus vsu
„ consumptibilibus reperiri, in quibus nec ius vtendi,
„ nec vsus facti separata à rei proprietate sub dominio
„ possunt constitui seu haberi. Et quod de talibus rebus
„ non intellexerit, euidenter ostendit, dū respondet legi
„ dicenti, non posse vsumfructum à dominio perpetuo
„ separari, ne dominium dominis, semper abscedente
„ vsu, inutile redderetur, quæ quidem lex de rebus illis
„ intelligitur, quarum penes vnū vsus rei, & penes alium
„ dominiū possit (licet inutile) remanere, quod nequa-
„ quam in rebus vsu consumptibilibus potest esse, cum
„ in illis per vsum vel abusum vsuarii substantia talis rei
„ esse desinat, & per consequens proprietas etiam inu ti-
„ lis non subsistat. Cum enim vsusfructus prout est in re
„ constitutus, qui seruitus dicitur personalis, & pro quo
„ reales competunt actiones, nihil sit aliud quam ius v-
„ tendi, nec vsus, qui etiā personalis est seruitus, sit aliud
„ quam ius tantum vtēdi rebus alienis salua rei substan-
„ tia, id est, ius percipiendi fructus & vtilitatem aliam
„ in totum vel pro parte suo nomine, qui possunt ex re
„ in qua vsusfructus seu vsus cōstitutus, prouenire pro-
„ pter quod proprietas reputatur inutilis, à qua perpe-
„ tuo abscedit vsusfructus seu vsus constitutus rebus ex
„ quibus ipsis stantibus vsufructuario seu vsuario nulla
„ possit vtilitas prouenire: patet quod ad hoc quod ta-
„ lis vsusfructus vel vsus in re aliqua constitui valeat, re-
„ quiritur quod ex re illa possint fructus vel vtilitas (sal-
„ua ipsius rei substantia) ad fructuarium vel vsuarium
„ peruenire. Quod si nulla ad ipsos posset ex re ipsa vti-
„ litas (salua rei substantia) peruenire, quales res con-
„ stat esse vsu consumptibiles, nequaquam posset in re-
„ bus ipsis cuiquam vsusfructus vel vsus constitui, vel à
„ quoquam haberi. Adhuc nec ius vtendi, quod nec est
„ ius in re, nec seruitus personalis, sed mere ius persona-
„ le, pro quo reales actiones non competunt, in rebus
„ talibus vel rebus ipsis vtendi potest constitui vel ha-
„ beri, cum & ius tale exigat, quod ex reipsa, quæ ad v-
„ tendum conceditur tali modo ad vsuarium peruenire
„ posset vtilitas aliqua, ac cum vsu permanere vsuarii
„ substantia salua rei, quod nequaquam potest (sicut ad
„ sensum potest percipi) in rebus vsu consumptibilibus
„ reperiri. Rursus nec simplex vsus, qui nec est seruitus,
„ nec pro illo competit ius vtendi, in talibus rebus po-
„ test constitui vel haberi: cum enim vti re aliqua, nihil
„ sit aliud proprie, quam fructus rei siue vtilitatem alā
„ in solidū vel pro parte recipere qui ex ea possunt (sal-
„ua rei substantia) prouenire, restat quod re illa vti quis
„ nequeat, ex qua (salua eius substantia) nulla sibi pro-
„ uenire potest vtilitas, quales res vsu consumptibiles
„ esse constat. Ex quibus patet, quod nec vsus, qui est
„ seruitus personalis, nec ius vtendi quod non est serui-
„ tus, sed mere ius personale, nec actus ipse vtendi sine
„ iure aliquo, possunt in rebus vsu consumptibilibus
„ constitui, vel haberi, cum quodlibet præmissorum
„ exigat, quod ex re ipsa (salua rei substantia) possit ha-
„ benti ius vtendi, seu vtenti ex re ipsa vtilitas aliqua
„ prouenire: quod vtique in rebus nequit vsu consum-
„ ptibilibus reperiri. Nec obuiat supradictis, quod idem
„ prædecessor noster in ordinatione prædicta etiam il-
„ lorum quæ ad vitæ sustentationem pertinent, sibi &
Romanæ Ecclesiæ dominium reseruarit: hoc enim de
rebus illis duntaxat debet intelligi, quæ vsu non sunt
consumptibiles, sine quibus humana vita non est su-
stentabilis, quæ vtiq; non sunt pauca. Licet autem in
rebus vsu consumptibilibus, nec ius vtendi, nec ipsum
vti possit constitui vel haberi, ipsis tamen poterit ius
abuti. Abuti autem (cum tractatur de rebus vsu con-
sumptibilibus) pro rei consumptione sumitur, quod
ei opponitur, quod est vti. Vti quidem præsupponit
quod cum vsu, salua rei substantia, maneat: sed abuti
exigit, quod cum actu huiusmodi rei substantia con-
sumatur: cum abuti nihil aliud quam contra naturam
vsus vti in hac materia proprie possit dici. Licet autem
quis re visibili absq; iure vtendi separato à dominio vel
coniuncto, nec à quoquam potest constitui, nec à quo-
quam haberi. Et quod talis vsus constitui habeat, ex
hoc patet, quod dare vel constituere quod suum non
est, nec ad se pertinet, nemo potest: licet interdū illud
dare possit aliter quam sit suum. Actus autē ipse vten-
di ad vtentem pertinet in quantū quis suorum actuum
per liberū arbitrium & voluntatem dominus dicitur,
cum per illos non exercere valeat, vel etiam exercere:
non autem actus ipse vtendi ad eum pertinet, qui con-
cedit alii, quod in re sua actum illum valeat exercere:
quod vtiq; nihil est aliud, quam quod actum suum ad
rem cōcedenti is ad actum suū vtens valeat applicare.]

Denique molestum esse demonstrat Ecclesiæ Romanæ de his bonis procuratores constituere, litigare. De quæstione tertia verba Ioannis sunt. [Cum autem (*cap.* 4.) inter nonnullos viros scholasticos sæpe cōtingat in dubium reuocari, vtrum pertinaciter affirmare redemptorem nostrū ac Dominum Iesum Christum eiusq; Apostolos in speciali nō habuisse aliqua, nec in communi etiam hæreticum sit censendum, diuersa & aduersa etiam sentientibus circa illud: Nos huic contentationi finē imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem, cum scripturæ sacræ, quæ in plerisq; locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamq; scripturam sacram, per quam vtique fidei orthodoxæ probantur articuli, quo ad præmissa fermentū aperte supponat continere mendacii, ac per consequens quantum in ea est, eius in totum fidē euacuans, fidem catholicā reddat, eius probationem admens, dubiam & incertā, deinceps erroneam fore censendam & hæreticam de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quod redemptori nostro prædicto eiusq; Apostolis iis quæ ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquā ius ipsis vtendi competierit, nec illa vendendi seu donandi ius habuerint: aut existimare alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse: cum talis assertio ipsorum vsum & gesta euidenter includat, in præmissis non iusta: quod vtiq; de vsu, gestis seu factis redemptoris nostri Dei filii sentire nefas est, sacræ scripturæ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum: assertionem ipsam pertinacem de fratrum nostrorum consilio deinceps erroneam fore censendam merito ac hæreticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum infringere, vel ausu temerario contraire.] Hac vero in sententia non dissentiunt, Nicolaus enim expresse veram esse concedit. Dominum & Apostolos aliquando strictissimam, aliquando laxiorem paupertatem habuisse, docet.

Contra tertiam partem de Christi, & Apostolorum paupertate Ioanni 22. obiiciebant ibidem cap. 5. [Illud quod per clauem scientiæ in fide ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices, adeo immutabile perseuerat, quod illud successori reuocari non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licet de iis quæ per cla-

» per clauem potestatis ordinauerint, asserant secus esse. In confirmatione autem regulæ ordinis fratrum Minorũ, Honorii tertii, Gregorii noni, Innocentii quarti, Alexandri quarti, Nicolai quarti prædecessorum nostrorum summorum pontificum hæc verba asserunt contineri: Hæc est regula Euangelica Christi & Apostolorũ imitatrix, quæ nihil in hoc mundo habet proprium vel commune, sed in rebus quibus vtuntur, habent simplicem vsum facti: his addere præsumentes præfatos summos Pontifices, & multa concilia generalia per clauem scientiæ diffinisse paupertatem Christi & Apostolorum constitisse perfecte in expropriatione cuiuslibet temporalis dominii ciuilis & mundani, & sustentationem eorum in solo & nudo vsu facti etiam consistisse: ex quibus nituntur concludere, non licuisse nec licere ipsorum successoribus contra præmissa aliquid immutare.]

Ioannes regulæ sententiam prædecessorum euacuat.

Respondet Ioannes falsa esse. [Quod autem subsequenter proponitur in ratione prædicta: videlicet, quod in cõfirmatione & declaratione regulæ fratrum Minorum, nonnullorũ prædecessorum nostrorũ, videlicet Honorii tertii, Gregorii noni, Innocentii quarti, Alexandri quarti, Nicolai quarti verba huiusmodi continentur: Hæc est regula Euangelica, & cætera supraposita, vsq; ibi, in nudo vsu facti etiã constitisse patet: prorsus obuiat veritati. Honorius quidem præfatam regulam absq; declaratione aliqua confirmauit: in cuius confirmatione de verbis prædictis mentio aliqua nõ habetur, vt liquere possit cuilibet confirmationẽ huiusmodi intuenti, nisi quatenus de vita Euangelica habetur mentio in ipsa regula confirmata: ibi cũ dicit: Hæc est regula fratrũ Minorum, videlicet, Domini nostri Iesu Christi sanctũ Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & castitate. Ex quibus verbis cõcludi potest, quod per ipsum prædecessorem nostrum ea quæ ipsi in verbis prædictis asseruerint fuerint definita: immo potest concludi potius, quod vita Euangelica quam Christus & Apostoli tenuerunt habere in communi aliqua nõ excludat, cum sine proprio viuere, non exigat, quod sic viuentes nihil habeant in communi. In declarationibus quoq; Gregorii, Innocentii & Alexandri prædictorum, qui eandem regulam absque confirmatione alia declarant, similiter nulla prorsus fit mentio de prædictis: imo per easdem euidenter ostenditur eorum quæ habere licet ipsis fratribus, vsum iuris ad ipsum ordinẽ pertinere. Gregorius quidem in sua declaratione quantũ ad hoc intenserit quæ sequuntur: Dicimus, quod nec in speciali, nec in cõmuni debent habere proprietatem: sed vtensilium librorum, & rerum mobilium, quas licet habere, ordo vsum habeat, & fratres secundum quod Generalis Minister & prouinciales ordinandũ duxerint, his vtantur, Innocentius autẽ & Alexander præfati in suis declarationibus sic dixerunt: Dicimus insuper, quod cum in ipsa regula contineatur expresse, quod fratres nihil sibi approprient, neq; domum, neq; locum, neq; aliquam rem, quod nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed locorum, & domorum, & vtensilium, & librorum, & eorũ quæ licet habere, ordo vsum habeat: & Fratres secundum quod Generalis & Prouinciales Ministri ordinandum duxerint, his vtantur. Cum enim dicatur in declarationibus supradictis, quod ordo vsum rerum habeat præmissarũ, ad vsum iuris necesse est hoc referri: facta quidem quæ singulorũ sunt, personam veram exigunt & requirunt: ordo autem vera persona non est, sed representata & imaginaria potius est censenda: quare quæ sunt facti, sibi vere conuenire nequeunt, licet ei possint congruere quæ sunt iuris. Adhuc licet declarato Nicolai quarti prædicti contineat quæ sequuntur: Hi sunt illi sanctæ regulæ Professores, qui Euangelico fundantur eloquio, vitæ Christi roborantur exemplo, fundatorumq; militantis Ecclesiæ Apostolorũ eius sermonibus & actibus firmantur. Et post in eadem declaratione subiunxit, dicens quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum, meritoria est sancta, quam & Christus vitã perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit: quamq; primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte viuere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos direxerunt: Ex verbis tamen prædictis nequaquam potest colligi, quod præfati prædecessoris nostri Nicolai intentio fuerit dicere, quod dicta regula quoad omnia quæ continentur in ea, Euangelico fundetur eloquio, ac vitæ Christi roboretur exemplo: nec quod Apostolorũ vita & actibus sit firmata. Constat enim multa cõtineri in dicta regula, quæ nec Christus verbo docuit, nec exẽplo firmauit: vtpote quod præcepit cõditor regulæ fratribus vniuersis, vt nullo modo denarium vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam, nec non & de multis aliis contentis in dicta regula: quæ vtiq; nec Christus nec Apostoli verbo docuerũt, nec firmauerunt exemplo. Nec obstat, quod Christus portare pecuniam Apostolis & discipulis, dum ipsos ad prædicandum mitteret, interdixit: quod tamen antequam eos mitteret ipsis fuisse legimus interdictum. Quodque post reditum pecuniam portauerunt, in plerisque locis Euangelica veritas & Apostolica dicta testantur.]

Hæc igitur consideranti facile apparet, in re fidei nullum fuisse certamen, præsertim cum ipse Ioannes tam operose ostendat, nihil se cõtra prædecessores statuisse, ne quidem in rebus illis, quæ ad fidem non pertinent, an vero in rebus vsu consumptibilibus distingui possit vsus à dominio, adhuc controuertitur. Mihi videtur duplex vsus, alius omnino absolutus, vt cui est panis, si possit eum comedere, donare, vendere, corrumpere ac suo arbitrio disponere de illo absolute. Alius vsus est certa lege comprehensus, vt cum Minoribus panis datur, quem comedant, non possunt donare, aut vendere, vel aliũ in vsum eum impendere. Hic vsus absolutus non est, sed ab alio pendet, ideo dominium est penes illũ, cui est potestas moderandi vsum; De vsu enim illo alius statuere nõ posset, nisi ab eo dependeret, id fieri autem proprie potest, si dominium rerum habeat. Nam cum in ipsas personas ius non habeat, necesse est in rem habeat, atque ita vsus rei consumptibilis, & dominium differunt. Nec refert si domino nihil accedat emolumenti; nam potestas est, & dominium, nec aliud quæritur, quam vt altissimæ paupertati sit consultum, & ordo sanctissimus inuiolatam paupertatem, omnium rerum possessione, & cupiditate exutus conseruet.

Duplex vsus.

VERSVS 11.

In quamcunque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis.

QVÆSTIO I.

Quis dignus sit?

§. 1. INterest Christi & Apostolorum, vt postquam docendi, sanandique munere functi sunt ad aliquem quis dignus sit eorum consortio accedant, & iudicio sibi deligant. Quamuis enim Christus conuersaretur cum peccatoribus, atque ad eos diuerteret, non æquum tamen iudicauit, nec suis honestum ad homi-

Hominis impu hostitium fugere voluit.

hominem infamem, contumacem, rebellem diuertere, aliud est enim conuersari, & monere, etiam ad conuiuium accedere, aliud est longiore tempore vti hominis hospitio. Dignus ergo censetur, qui hospites sanctos excipiat, vir honestus, boni testimonii, quique contentiose veritati non reluctetur. Neque enim de iustitia, & interna dignitate intelligendus est dominus. Quis enim ea de re prudenter interrogari, quis libere, secureque respondere possit? Talem hospitem postquam inuenissent, manere ibi iubet, donec vrbe exeant. Quod Lucas indicat, cum ait, *Nolite transire de domo in domum*, quasi præsentium fastidiosi, & ad commodiora tendentes. Itaque digni non sunt hoc loco illi, qui opponuntur canibus, & porcis, non enim de illis, quibus annunciandum sit Euangelium loquitur, sed de Euangelistarum hospitibus.

Nec peccatores indigni, nam ad eos mittuntur medici; clamant vero, *vt agant pœnitentiam*, dubio procul pœnitentiæ indigi, ac proinde peccatores.

Meritum congrui, & condigni.

§. 2. Musculus hoc loco impugnat meritum congrui. [Quid face et doctor aliquis non gratiæ, sed meriti humani? ille mox disputaret de merito congrui & condigni. Istam dignitatem, de qua Christus hic loquitur, tribueret bono motui viribus humanis elicito: vocaret meritum congrui, quo gratia prima promereretur: deinde adderet, illud vero meritum non sufficere ad salutem, sed opus esse merito condigni: hoc est, bonis operibus, quibus homo dignus redderetur vita & salute æterna. Ista pestis summopere cauenda est, & firmiter tenendum, ex viribus humanis nos nec gratiam, nec salutem promereri aliquo merito, siue congrui, siue condigni: sed omnia cœlesti gratia computanda, esseque salutis æternæ participem eum dignum, de quo iam dixi, qui nempe oblatam gratiam, quam nunquam promeruit, de qua nunquam cogitauit, non recusat, sed cupide amplectitur, id quod illi duntaxat faciunt, qui ad hoc præordinati sunt.]

Catholicorũ sententiam impie peruertunt.

Profecto Doctor meriti humani illud diceret; at sane Catholicus nequaquam. Nemo enim Catholicorum est, qui dicat naturæ viribus, sine gratia præueniente, & fide de congruo hominem mereri, & si forte quispiam ita diceret eum Concilium Tridentinum damnaret, *sess. 6. c. 5. & 6. can. 1. 2. & 3.* Meritum enim de congruo non est, nisi ex gratia adiuuante ad pœnitentiam dispositio. Meritum porro de congruo, non est cui merces debetur ex iustitia Dei promittentis, sed quadam conuenientia operis. Non enim meritum de congruo certum est. Promissione enim diuina non nititur, qua sola merces certa decernitur. Est igitur meritum de congruo cui Deus mercedem interdũ dat de congruo, quia opus est à gratia profectum, habetq; aliquam ad præmia proportionem, non tamen ex iustitia & misericordia, sed sola misericordia; quia cum nil promiserit, nil debet, at vero homini iustificato, & bene operanti præmium dat ex misericordia, simul & iustitia, quia daturum se promisit.

Meritum de congruo incertum est, & non ex iustitia.

Distinctio meriti de congruo, & de cõdigno.

VERSVS 12. 13. 14.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Etsi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. Et quicunq; non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem, de pedibus vestris.

QVÆSTIO I.

Quod præmium recipientibus, & pœna non recipientibus Euangelium?

§. 1. PAcem adferunt Apostoli recipientibus, pœnas Sodomorum suppliciis grauiores reiicientibus. Multi ea verba: λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. *Dicentes pax huic domui*, omittunt, hodierna Græca pleraque non habent; quinque libri apud Bezam habent. Legit Hilar. Chrysost. Theophylactus, codex Romanus, at Franciscus Lucas, in vtrisque notis iudicat omittendum. Syrus omittit, tantum enim habet, שאלי שלמיה רביתא *Schealu schelamech debetha, Postulate pacem domus.* Quod si ea quæ sequuntur consideremus, facile apparebit, formam salutationis adiunctam fuisse, non enim dicit Christus; redibit ἀσπασμὸς vester, seu salutatio vestra ad vos, *sed pax vestra*, quod quidem in Syro satis intelligi potest conuenienter dictum, cum salutatio sit pacis precatio, in latino tamen & græco aliquid desiderari videtur. Mihi à Luca c. 10. 6. controuersia decisa videtur, *Dicite primum*, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. *Pax huic domui*, verba ergo illa Dominus protulit, & verba sunt salutationis, quo loco Syrus eodem modo habet.

§. 2. Pax redibit ad Apostolos, vt eam aliis offerre, illisque Euangelium prædicare possint. Nam illi pacem renuentes, indignos se iudicant regno Dei; vt Act. 13. habetur, atque ita contingit, quod dici solet, ἀμαρτίαν πολλὴν ἀπώλεσαν ἄνδρας. *Incredulitates virosmultos perdiderunt.* Quod vero quædam habent *reuertetur*, alia *reuertatur*, sensum non mutat. Græca habent ἐπιστραφήτω, *reuertatur*, nostrum textum adiuuat Luc. 10. 6. vbi habet, ἀνακάμψει, *reuertetur*. Itaque vel bis dixit Dominus, vel in futuro dixit: lectio enim controuersa ex alia certa corrigenda est.

§. 3. Pulueris excussio, grauem execrationem indicat. 2. Esdr. c. 5. 13. Nehemias excutit puluerem vestimenti in eos, qui fidem datam violarant. Itaque cum tantam Dei gratiam repudiarunt, nihil sibi cum illis fore protestantur, nihil lucri se causa egisse, quin ipsum puluerem refundere: Imo vereri ne vel contactu pulueris tam impiæ ciuitatis contaminentur, ipsum insuper puluerem in suprema die de eorum contumacia, & impœnitentia testaturum, futurumq; vt instar puluueris quem turbo raptat ad exitium vsq; ventilentur, vt Psal. 1. 5. Deus impios minatur. Quibusdam in codicibus est ἔξω, in aliis deest. In Græcis & Syriacis est, *de domo vel ciuitate illa*, ἐκείνης, quod etiam est in Hilario, & habet manuscriptum Ioannis Hentenii.

§. 4. Ridicule Wolffgangus Musculus accusat hoc loco anabaptistas. [Delinquunt etiam hic anabaptistæ, qui cum non solum non recipiantur nec audiantur, sed eiiciantur etiam ex vrbibus, erecti recurrunt, contra istam Christi præceptionem. Sed quid opus est hac regula Christi illis, qui nec à Christo mittuntur, nec doctrinam Christi, sed suas opiniones obtrudere cupiunt.]

Nonne idem in Gallia, Belgio, Germania fecerunt semper, faciuntque Caluiniani? Nonne se ingerunt, & vno ostio emissi, per decem redeunt? Non est autem mens legislatoris, vt cum primum resistitur, aut persecutio mouetur, continuo desperent, si multi resistunt, aliqui conuertentur. Non excuso nefarium anabaptistarum zelum, sed officium doctoris ostendo, post mille carceres, & exilia redeat, si animis illius aduentus salutaris futurus est.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An pœna legationem Apostolicam repudiantium maior futura sit pœnâ Sodomorum?

Pœna Sodomorum grauissima.

§. 1. PEccatorum inæqualitatem cõtra stoicos Christi comparatio ex pœnarũ differentia demonstrat. Hier. hoc loco. Tolerabilior enim illis, his intolerabilior imponetur. Verum cum Sodomitæ fuerint homines pessimi, eorumque terra ita deleta sit, vt vsq; ad extremum iudicium sit exemplũ execrationis, mirum videri posset tot eorum sceleribus vnum reiecti Euangelii peccatum grauius æstimari. Quod vt intelligatur, statuendum est, comparationem vel esse de pœna temporali vtriusque populi: Vel de pœna æterna. Deinde non comparari singulorum peccatis Sodomitarum, peccata Iudæorum, sed cum inter eos fuerint inæqualiter criminosi, & inter Iudæos: maximos horum maximis illorum, minores peccatores minoribus conferri.

Ratio conferendi peccatores populi.

De pœna æterna agitur.

§. 2. Comparatio vero est totius gentis cum gente; & de pœna æterna, non temporali; de ea cui adiudicandi sunt in æternum, ἀνεκπτερον ἔστιν erit inquit. *Illa* enim *dies*, & *dies iudicii* absolute posita extremum diem significant, Sodomorum pœna temporalis subita fuit, pœnitentiamque anteuertit, Iudæorum productior, sed de æterna pœna agitur. Etenim plurimi, qui hanc prædicationem reiecerunt, ad Titianam cladem non vixerunt, ideo suo fato defuncti pœnam temporalem non sustinuerunt singularem.

Peccata spiritalia grauiora carnalibus.

§. 3. Quomodo grauius horum peccatum est? Primo quidem ex genere, & natura peccatorum: etsi enim Sodomorum peccatum omnia naturæ iura destruit, & nefanda libidine bestiarum furores superat: Odium tamen, inuidia, iraque contra Deum, & sanctos Apostolos grauius est malum. Inter omnia enim peccata odium Dei, obtrectatio, malitia quæ diabolo opera Spiritus sancti adscribit, sunt grauissima. Atque ideo Theologi, & Philosophi sane consentiunt.

Maior obduratio in Iudæis, quã vero ille ex magnis peccatis, consuetudine, & obdurationeproficiscebatur, omnia vero erant in Apostolorum contemptoribus, quam Sodomitis grauiora; nam infra c. 11. 23. *Quia si in Sodomis*, inquit, *factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsq; in hanc diẽ.*

Altera causa est, quia contemptus verbi Dei, & Apostolorum, in illis grauissimus fuit, quos tot mira cula, noua, inusitata non permouebant; contemptus

Sodomitæ ergo illis auxiliis, gratia præueniente & vocatione obtemperaturi erant, quibus duricies Iudæorum obstitit, grauiores ergo erant inter Iudæos peccatores, ciuesque Bethsaidæ & Caphernaumeni deteriores Tyriis & Sidoniis. Nam illa peccata, quæ Apostolus Rom. 1. à versu 16. recenset, in Iudæam quoque exundauerant, nec simpliciter, sed cum ingenti sanctitatis iactatione. Ex quo facile apparet, Sodomitis Iudæos meliores non fuisse, moribus, repudio vero salutis, operumque mirabilium despectu, & obtrectatione deteriores. Præsertim Saduccæi, qui erant Iudæorum Epicuræi. Quod si ille contemptus tam est grauis, quanto grauior erit verbi Dei maleuola ad impietatem peruersio, qualis est apud Caluinianos? Quantis pœnis calumniæ eorum punientur, qui ne à vitiis excitentur, in quibus velut graui & caro sopore obtorpuerunt, monitiones oderunt, monitores vltro accusant, simultatesque contra eos suscipiunt?

Iudæi Christi tempore peiores Sodomitis.

§. 4. S. Irenæus lib. 4. cap. 47. demonstrat veteris & noui Testamenti vnum fuisse conditorem, qui & Loth miserit Sodomis, & Apostolos Iudæis. *Valde*, inquit, *increpatos ostendebat presbyter eos, qui ex his quæ ad-*

uiderunt his, qui olim Deo non obtemperabant, tentant alterum Patrem introducere, è contrario opponentes quanta Deus ad saluandos eos, qui receperunt eum, veniens fecisset miserans eorum: tacentes autem de iudicio eius, & quæcunque proueniunt his qui audierunt sermones eius, & non fecerunt. Et quoniam expedichat eis, si non essent nati. Et quoniam tolerabilius Sodomis & Gomorræ erit in iudicio, quam ciuitati illi, quæ non recepit sermonem discipulorum eius. Quemadmodum enim in Nouo Testamento, ea quæ est ad Deum fides hominum aucta est, additamentum accipiens filium Dei, vt & homo fieret particeps Dei: ita & diligentia conuersationis adaucta est, cum non solum à malis operibus abstinere iubemur, sed etiam ab ipsis malis cogitationibus, & otiosis dictionibus, & sermonibus vacuis, & verbis scurrilibus. Sic & pœna eorum qui non credunt verbo Dei, & contemnunt eius aduentum, & conuertuntur retrorsum, adampliata est, non solum temporalis, sed & æterna facta. Vnus Dei vltor Sodomorum, & Iudæorum.

Quomodo Sodoma fuerit exemplum execrationis, iræque diuinæ, Ex Epist. 1. Petri 2. 6. & Epist. Iudæ colligitur. Videatur & Augustin. lib. 2. ciuit. cap. 1. Hæc etiam ex sententia apparet, quam erret in rebus diuinis humana prudentia. Quotidie ad lacum Asphaltitem seu Sodomiticum Iudæi obuersabantur, triste pœnarum monumentum oculis ingerebatur, Sodomæos exe. rabantur, se iustos & Deo caros confidebant, pronunciat tamen iustus iudex; *Tolerabilius fore terræ Sodomorum in illa die, quam Iudæis.*

VERSVS 16.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

QVÆSTIO I.

Quomodo oues Apostoli?

§. 1. NOn Apostolorum modo est illa conditio, vt sint quasi ὁσόλυκοι, hoc est, oues in medio luporum relicti, quibus nec defendendi facultatem vies, nec effugiendi velocitas præster; sed omnium, qui ad impios cõuertendos accinguntur; vitia enim præter sui turpitudinem, hoc etiam habent, vt curari nolint, nec modo laborem, sed periculum etiam medicis creent. Vnus lupus gregem ouium perdit non fame, sed laniandi dulcedine: quid hic futurum arbitremur, si paucæ oues innumeris lupis obiiciantur? sed concluserit ora luporum, qui olim & Leonum, capillorum in seruis suis calculator. Atque hoc signum est Ecclesiæ, & veri doctoris cum à malis persecutionibus vexatur: sic enim natura comparatum est, vt oui lupus insidietur, non ouis lupo, ita mali affligunt bonos, non boni malos. Sic etiam S. Athanas. Archiepisc. Alexand. contra Arianos lib. 4. *Discipulos item his verbis admonuit: Ecce emitto vos vt oues in medio luporum: estote igitur prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ. Quæ quidem verba ideo locutus est, non vt naturaliter iumenta efficerentur, aut serpentes & columbæ: non enim tales ipse nos condidit, ac proinde nihil tale ipsa natura recipit: sed vt nos luporum quidem impetus affectusque irrationales defugeremus, serpentu autem prudentiam animaduertentes, non sineremus nos fraudibus circumueniri, & ex columba mansuetudinem mutuaremur.* Omniũ pio-rum doctorum est aduersa pati.

Mali bonos affligunt nõ boni malos, aut si fasitis ciunt iam non sunt boni.

§. 2. Sanctus Athanasius *de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus S.* docet, *quod Trinitas Apostolos mittat*, hunc enim titulum præponit, & addit. *De Patre dicit, In montem Sion venit annunciator Euangelii, & Euangelii annunciatores, quos aduocauit Dominus. De Filio, Ecce emitto vos quasi oues in medios lupos. De Spiritu in actis dicit, Qui autẽ missi erant à Spiritu sancto, venerunt Seleuciam. Si igitur Dei est ad-*

Trinitas tota Apostolos mittit.

est aduocare, cur spiritus per Prophetas loquitur. Hæc dicit Dominus. Aut cur Spiritus illu, qui Antiochiæ erant, dixit. Segregate mihi Paulum & Barnabam in hoc opus ad quod vocaui eos. Discegitur vires Trinitatis. Pater legem condit, Filius iubet, Spiritus sanctus authoritatem addit. Audi Deum loquentem, qui Euangelium annunciant, venient quos Dominus aduocauit.

Dictum ad Apostolos Domini est. Estote prudentes vt sunt serpentes, & simplices vt columbæ. Per quod dissidentium à se animantium inesse nobis voluit naturam, sed ita vt serpentinam prudentiam columbæ simplicitas temperaret, & simplicitatem columbæ prudentia serpentis instrueret: fieret & simplex sapientia & sapiens simplicitas: quod præceptum in huius fidei expositione seruatum est.

Itaque & Christus Deus est, qui diuina auctoritate mittit, & pericula prædicit, & suâ missos liberat potentia.

§. 3. Duo vero à suis postulat; vt sint *simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes.* Simplices vocat Syrus תמימא *thamime*, perfectos, in quodam vetere libro est ἁπλουστάτους, *simplicissimi.* Græcus vocat ἀκεράιους sine cornibus; nam κεραΐζειν est cornu petere, ita plurimi interpretantur, verum alia potior est interpretatio, vt sit à κεράννυσθαι miscere. Itaque vult esse non mistos, non adulteratos malitia, sic vinum dicitur οἶνος ἀκέραιος, vinum non mistum. Eadem significatione Plato dixit lib. 1. de Rep. αὕτη ἡ ἀδελφὴς ἐστὶ, καὶ ἀκέραιος, *illa vero illæsa est, & non mista, non vitiata,* non noxæ adiunctione afflicta; proprie κεράννυσθαι ad liquorum diuersorum mangon a pertinet, vt cum balsamum communi oleo adulteratur:

Qua simplicitas vera.

Aut Chia infusâ vina domantur aquâ.

Innoxiæ simplicitati serpentina prudentia iungitur, non qua calcaneo hominis insidientur, sed qua sibi caueant. Cum enim vi, & dolis oppugnentur, contra vtrumque Spiritus sanctus eos communit. Idcirco additur v. 17. *Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos.*

Qua simplicitate prudente, & simplice prudentia oues ipsæ captos lupos plurimos in oues commutarunt. Ne lædi quidem illos volunt, à quibus læduntur. Itaque nec vult simplicitatem facilem decipi, nec astutiam nocendi artificem: sed cum ingenuitate morum, cauendi prudentiam. Atque ex eadem mente breuissime Nazianzenus in illis esse oportere ait: χρηστότητα σύνεσιν κεκραμένην, *bonitati intelligentiam commistam,* & contemperatam. Vide 1. Cor. 14. 20. Ephes. 5. 15 & 16. Coloss. 4. 5.

Oues luporum victrices.

§. 4. Valentiniani Catholicis simplicitatem, quasi fatuitatem obiectare solebant, vt est apud Tertullianum lib. contra Valentinianos c. 2. *Veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet. Ideoque simplices notamur apud illos, vt hoc tantum, non etiam sapientes: quasi statim desinere cogatur à simplicitate sapientia, Domino vtranq; iungente: Estote prudentes vt serpentes, & simplices vt columbæ. Aut si nos propterea insipientes, quia simplices, num ergo & illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem qui non simplices, sicut stultissimi qui non sapientes. Et tamen malim in eam partem, meliori sumi vitio. Si forte præstat minus sapere quam peius, errare, quam fallere.*

Hæretici Catholicorum simplicitatem irrident.

Quin hoc ipsum culpant, quod Biblia singulis legenda, intelligenda, iudicanda non committimus. Cum ea ex re plurimum incommodi ipsi sentiant, perpetuaq; ac constante inconstantia fidem mutent. Non optamus populum simplicem esse sine prudentia, sed audire & legere scripturas, sed interpretationem non suo, sed Ecclesiæ, & SS. PP. iudicio accipere. Nimium sui amans est illa prudentia, quæ omnibus contempris sibi soli innititur, atque hoc ipso in cogitationibus suis euanescit. Hoc denique non omittendum; in Syro testamento titulum huic parti

Catholicorum prudentia.

præponi, *In commemoratione sanctorum martyrum,* duplici documento. Videlicet martyres in ea Ecclesia festa sua habu sse, & honorari solitos. Et prudentiam cauendi non in eo consistere, vt officio suo desint, sed vt opportune fraudes, & calumnias, & aliquando mortem ipsam euitent. S. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ, *Iubet nos,* inquit, *esse ad innocentiam simplices, & tamen cum simplicitate prudentes.*

Qui hic Synedria seu Concilia, & Synagogas ita distinguunt, vt has Iudæorum, illa Ethnicorum dicant, non satis considerant, etiam Concilia, & Synedria apud Iudæos esse confessus Iudicum, inde enim dictum est iudicium Sanedrin, quæ vox à Græcis accepta est. Synedriorum mentio est in codice, de Iudæis, l. 1. §. 7. Iudæorum. Dicuntur ducendi in testimonium, quia iunctis regibus, & principibus, Iudæis & gentibus testificabantur verbis, & factis de veritate Christi, eorumque errore, iustaque incredulorum damnatione.

VERSVS 19. 20.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.

QVÆSTIO I.

An nihil præmeditari de responsione oporteat?

§. 1. GRaue est homini pio, captionum, & aulicæ ciuilitatis ignaro, litium fugitanti ad tribunalia trahi, μεμνᾶσθαι solet, sollicite, & anxie cogitare quid loquatur, & quomodo. Verba enim omnia tyrannidis administri captant, vt innocentissimos in laqueos inducant. Quamuis autem sit verbum Græcum hic positum, quod anxiam cogitationem significat, ideoque multi non omnem præmeditationem, sed eam quæ est cum diffidentia coniuncta, prohiberi volunt; verba tamen Christi vniuerse sunt intelligenda, vt nihil de causa sua statuant martyres, sed re Deo commendata horæ illud momentũ exspectent. Nam si in illa hora dabitur, & dabitur à Deo, superuacua est cura præmeditationis; quantacunque enim prudentia, eloquentiaq; defensionem suam animo comprehensam teneat, non melius causam suã aget, quam ipse Spiritus sanctus, nec sese illi anteponere debet, vt tanto patrono se priuet, qui non verba modo fundere, sed multo magis animos permouere possit. Absolute itaque illa accipio. Voluit enim Deus suos carere sollicitudine accusationem & defensionem meditandi, quæ cura à caritate, & deuotione auocare posset; vti videmus in illis, qui causam suam agunt, tanto, tamque laborioso conatu, vt cogitare aliud non possint. Quod si aliquam curam admittamus, eamq; vel vtilem, vel necessariam dicamus, non mediocriter captiuos perplexos reddemus, vt statuant, quousque progrediendum sit. Deinde deterior esset conditio rudium, & indisertorum, at vero nunc omnibus eloquentia, & prudentia promittitur. Magni etiam auctores ita nos instruunt. D. Cyprianus animandis martyribus exercitatissimus. *Ipsius enim esse,* inquit, *quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam subacto aduersario peruenimus, declarat & docet Dominus in Euangelio suo, dicens: cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa ho-*

illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et iterum: Ponite in cordibus vestris non præmeditari excusare. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarii vestri. In quo quidem & credentium magna fiducia est, & culpa grauissima perfidorum; non credere ei qui se opem suam daturum confitentibus pollicetur, nec rursus eundem timere, qui æternam pœnam negantibus comminatur.

Dum loquendum sit. §. 2. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris qui loquitur in vobis. Qui ergo nos sumus, qui cura nostra præcamus, & statuamus, quid loquendum sit Spiritui sancto. Ille loquitur, qui & vincit. Ille primarius auctor est, nos administri, sensum & ora commodamus. Pulchre Cyprianus Ep. 9. *Quam latus, ait, illic Christus fuit, quam libens in talibus seruis suis & pugnauit & vicit protector fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit; certamini tuo, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Cum vos, inquit, tradiderint, nolite cogitare, quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Documentum rei præsens præstitit. Vox plena Spiritu sancto de martyris ore prorupit, cum Mappalius beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret? Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit. Dominus implebit.*

Martyr esse non potest extra Ecclesiam. §. 3. Hinc esse martyrem non posse, qui in Ecclesia non sit, Epistola 54. docet: quia Spiritum patris non habet. *Primo, inquit, idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit. Dominus enim in Euangelio suo dicit: Cum autem vos tradiderint: nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Quando autem dicat, in traditis atque in confessione nominis constitutis Spiritum patris loqui; quomodo potest ad confessionem paratus aut idoneus inueniri, qui non prius pace accepta receperit Spiritum patris, qui corroborans seruos suos ipse loquitur & confitetur in nobis.* Quia scilicet confessio primario est opus gratiæ, non humanarum virium.

§. 4. Abusi sunt hoc quidam apud Wolffgangum Musculum ignaui concionatores, qui idcirco ab omni præparatione, & lectione scripturarum abstinebant, quod dicerent, se à Spiritu sancto exspectare, & accipere quæ pronunciaturi essent. Verum voluit nos Deus scripturæ legendæ insistere, meditari die ac nocte, hæc enim ad pietatem pertinent, at martyres detensionem ante parare vetuit. Concionatori meditanti, martyri non laboranti datum promisit.

VERSVS 21. 22.

Tradet autē frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

QVÆSTIO I.

Quæ persecutio, & quanta?

Dira persecutio erunt sint affligo. §. 1. MAgnitudo, & crudelitas persecutionis ex multitudine hostium ostenditur, & affectu. *Odio eritis omnibus hominibus*, hoc est, plerisque; plerique enim mali. Vel omnibus malis, qui opinione de religione dissident, ita plerique interpretantur. Deinde apud fratres, parentes, propinquos latebræ solent esse miseris, superstitionis autem rabies omnia iura humanitatis, omnes caritates violat, vt sua in viscera sæuiant, & piam sæuitiam esse arbitrentur. Bella enim religionis irreconciliabilia esse solent.

Gnostici persecutionem negantes declinabant. §. 2. Tertullianus hoc loco contra Gnosticos vtitur, qui negabant ad posteros Apostolorum pertinere persecutionis disciplinam, sed eorum suppliciis finitam. *Quanquam, inquit, & si omnem hanc persecutionem conditionabilem in solos tunc Apostolos destinasset, vtique per illos cum toto sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus sancti, in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ disciplina, vt in hæreditarios discipulos & Apostolici seminis frutices. Nam & rursus ad Apostolos dirigit: Ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum, & cauete ab hominibus; tradent enim vos in consessus, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & Reges perducemini mei causa in testimonium illis & nationibus, & cetera. Quum autem subiicit, Tradet autem frater fratrem, & pater filium in mortem, & insurgent filii in parentes, & morte afficient eos: manifeste iniquitatem istam in cæteros pronuntiauit, quam in Apostolis non inuenimus. Nemo enim eorum aut fratrem aut patrem passus est traditorem, quod plerique iam nostri, dehinc ad Apostolos reuocat: Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Quanto magis nos, quos à parentibus quoque tradi oportet. Ita ipsa hac permistione nunc ad Apostolos, nunc ad omnes disponendo, eundem in vniuersos nominis exitum effundit, in quibus consederit nomen cum odii sui lege. Qui autem sustinuerit vsque in finem, iste saluus fiet. Quid sustinendo, nisi persecutionem, nisi traditionem, nisi occisionem? Nec enim aliud est sustinere in finem, quam pati finem.*

QVÆSTIO I.

An perseuerantia certa sit?

Non omnes qui vere sancti sunt perseuerat. §. 1. PRimum hinc patres deducunt, posse sanctos perseuerare, posse excidere. Loquitur hic de illis qui sancti sunt, qui propter Deum persecutionem patiuntur, qui tamen non omnes saluantur, sed illi tantum, qui *perseuerauerint, vsque ad finem.* Atque hoc est, quod de bono patientiæ S. Cyprianus monet: *Non quæruntur in Christianis principia, sed finis.* Quocirca præcipue circa tempus passionis humilitatem requirit. Epist. 6. de cura pauperum. *Et Dominus quoque dicat: Qui tolerauerit vsque ad finem, hic saluabitur. Imitentur Dominum, qui sub ipso tempore passionis, non superbior, sed humilior fuit.* Ita Cyprianus, & recte, *tolerauerit*, hoc est enim ὑπομείνας tolerans & perseuerans, sumptum à milite, qui stationem non deserens, vulnera patitur, & sustinet: Est proprie hostilem impetum sustinere. Et idem de vnitate Ecclesiæ. *Confessio exordium gloriæ est, non meritum iam coronæ, nec perficit laudem, sed initiat dignitatem. cumque scriptum sit; Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit: quidquid ante finem fuerit, gradus est, quo ad fastigium salutis ascenditur, non terminus quo iam culminis summa teneatur. Confessor est, sed post confessionem periculum maius est: quia plus aduersarius prouocatus est. Confessor est, hoc magis stare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam consecutus à Domino.*

Initium confessio, corona martyrium.

Indicat igitur in gradu posse deficere confessorem, vt fastigium non attingat. Imo postquam in vertice stetit, decidere potest, vt eodem libro Cyprianus docet. *Nec quisquam miretur, etiam de confessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam grandia, tam grauia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incursus, atque impetus seculares, adhuc in seculo positum perpetua securitate defendit. Quisquis enim confessor est, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior non est. Qui tamen quamdiu in viis Domini ambulauit, tamdiu gratiam quam de Domino fuerat consecutus obtinuit: Postquam dereliquit Domini viam, perdidit*

didit & gratiam Domini, sicut scriptum est, Et excitauit Dominus Satan ipsi Salomoni. Et ideo scriptum est, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod vtique Dominus non minaretur, aufferri posse coronam iustitiæ, nisi quia recedente iustitia, recedat necesse est & corona. Confessio exordium gloriæ est, non meritum iam coronæ; nec perficit laudem, sed initiat dignitatem; cumque scriptum sit, Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit, quicquid ante finem fuerit, gradus est, quo ad fastigium salutis ascenditur, non terminus quo iam culminis summa teneatur. Confessor est, sed post confessionem periculum maius est, quia plus aduersarius prouocatus est. Confessor est; hac magis stare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam consecutus à Domino: ait enim Dominus, Cui multum datur, multum quæretur ab eo, & cui plus dignitatis adscribitur, plus de eo exigitur seruitutis. Vbi igitur sunt, qui iustitiam semel datam negant amitti posse? qui nimia securitate etiam iustos perdunt?

Iustitia recedente corona iustitia auferetur.

VERSVS 23.

Cum autem persequentur vos in ciuitate istâ: fugite in aliam, amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.

QVÆSTIO I.

An fuga licita sit in persecutione?

§. 1. OMnes hoc ex loco docuerunt in persecutione fugam permissam esse, præsertim S. Athanasius cui fugam aduersarii frequenter obiecerunt. In apologia ad Constantium, & Epistola ad orthodoxos. Fuga, inquam, non vt per ignauiam vitæ consulatur, sed vt commodius fides propagetur. Imo Athanasius præceptum fugæ traditum ait: *In consummatione porro sæculorum, cum aduenisset illud ipsum verbum patris, quod Mosi antea locutum fuerat, rursus præceptum fugiendi condidit, Cum vos (inquiens) persecuti fuerint, in ciuitate ista, fugite in aliam: paulòque post subiicit, Cum videritis illam abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam consistentem in loco sancto, qui legit, intelligat, tum qui in Iudæa sunt, fugient ad montes: & qui in tecto est, ne descendat vt aliquid tollat ex ædibus suis: & qui in agro est ne retrorsum se conuertat ad vestimenta.*

Fuga licita, & aliquando præcepta est.

§. 2. Quomodo autem fuga sit aliquando licita, aliquando iussa, crebro vetita, docet S. Augustinus ad Honoratum, omniaque distincte exponit. Non esse fugiendum si Ecclesia necessario ministerio destituatur. *Quis autem credat, ait, ita hoc Dominum fieri voluisse, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deserantur greges quos suo sanguine comparauit? Nunquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum paruulus fugit, qui nondum Ecclesias congregauerat, quas ab eo desereas fuisse dicamus?* Non igitur Ecclesia destituenda est.

Ecclesia nõ est per fugã destituenda.

Deinde fugiendum cum aliquis specialiter impetitur, *Fugiant omnino, inquit, de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab aliis qui nõ ita requiruntur, nõ deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non posse nouerunt.*

Cũ specialiter aliquis impetitur fugere licitum est.

Tertio cum omnium est commune, id est, Episcoporum & clericorum est commune periculum, ii qui aliis indigent, non desertantur ab iis, quibus indigent. Id vero sic interpretatur, vt si non omnes vel fugere, vel manere velint, aut possint, aliqui maneant, atque sic maxime probat caritatem, vt animas pro ouibus ponant.

In communi periculo aliquos manere oportet.

§. 3. Refert Episcopum quendam dixisse: *si dominus nobis imperauit fugam in eis persecutionibus vbi potest fructus esse martyrii, quanto magis debemus fugere steriles passiones, quando est barbaricus & hostilis incursus? Verum est quidem & acceptabile, sed his quos Ecclesiastici officii non tenent vincula. Nam qui clades hostiles ideo non fugit, cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel viuere Christiani, maiorem charitatis inuenit fructum, quam qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens atque comprehensus non negat Christum, susciptisque martyrium.*

Obiectio.

Quin & ipse Honoratus dixit: *Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi non video, nisi vt ante oculos nostros viri cadant, fœminæ constuprentur, incendantur Ecclesia, nos ipsi tormenta deficiamus, cum de nobis quæritur, quod non habemus.*

Cui respondet Augustinus, non debere esse plebis nostræ certam desertionem propter illa incerta. Nam si mala illa certa essent, omnes fugerent, nec opus esset manere Episcopum. Episcopos vero quosdam Hispaniæ culpat, quod non remanserint, & mercenarios appellat. Athanasium in eadem excusat Epistola, quod ipse peculiariter à Constantio quæreretur, & plebs, eius fuga non destitueretur.

§. 4. Tertullianus lib. de fuga in persecution. c. 6. Apostolis fugam esse præceptam ait, non nobis. *Imo, inquit, quia præceptum adimpleuit, fugiens de ciuitate in ciuitatem. Sic enim voluit quidam, sed & ipse fugitiuus argumentari, & qui proinde nolunt intelligere sensum Domini illius pronunciationis, vt eam ad velamentum timiditatis suæ vtantur, cum & personas suas habuerit & tempora & causas: Cum cæperint, inquit, persequi vos, fugite de ciuitate in ciuitatem. Hoc in persona proprie Apostolorum, & in tempora, & in causas eorum pertinere defendimus, sicut præcedentes & subsequentes sensus probabunt, qui non nisi in Apostolos competunt: In viam nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis, sed ite potius ad oues perditas domus Israelis. Nobis autem & via nationum patet, in qua & inuenti sumus, & vsq; in finem incedimus: & nulla ciuitas excepta est, quo per totum orbem prædicamus: sed nec cura nobis Israelis iuncta est, extra ordinem, nisi qua & omnibus gentibus prædicare debemus. Etiam si apprehendamur, non in concilia eorum perducemur, nec in synagogis illorum flagellabimur, sed Romanis vtiq; potestatibus & tribunalibus obiiciemur. Sic igitur & fugæ præceptum, Apostolorum conditio desiderabat, quoniam primo prædicandum erat ad oues perditas domus Israelis. Vt ergo percipereturprædicatio, apud quos priores eam perfiis oportebat, vti panem antè filii quam canes sumerent; ideo illis fugere tunc ad tempus præcepit, non propter eludendum periculum proprio nomine persecutionis (atquin persecutiones eos passuros prædicabat, & tolerandas docebat) sed propter profectum annuntiationis, ne statim oppressa, Euangelii quoq; disseminatio perimeretur. Neq; enim quasi tacite in aliquam ciuitatem transfugiendum erat, sed quasi vbiq; annuntiaturis, & ex hoc vbiq; persecutiones subituris, donec replerent doctrinam suam. Denique: Non consummabitis, inquit, ciuitates Israelis. Adeo intra terminos Iudææ præceptum fugæ continebatur. Nobis autem nulla Iudææ præfinitio competit prædicationis, in omnem iam carnem effuso Spiritu sancto.*

Duo illius firmamenta sunt; Hoc ante resurrectionem esse factum, & ideo fecisse, vt facilius in posterum Euangelium prædicare possent. Verum prius falsum est, hoc enim præceptum ad hanc missionem non pertinet, neq; enim in ea persecutionem perpessi sunt, nec in mortem traditi. Alterum commune est. Nam causa fugiendi esse non debet; metus, ignauia, amor vitæ, sed vt operam suã necessariam melioribus temporibus reseruent. Fuga igitur sit ex consideratione vtilitatis aliorum, non conturbatione formidinis. Sit potius certamen manere cupientium, quam fugere conantium. Nemo vero excipiat personam suam, vt si videatur excellere aliqua gratia, & propterea vita, & ob hoc fuga esse digniorem. Quisquis enim hoc putat, nimium sibi placet.

§. 5. De

§. 5. De quo filii hominis aduentu loquatur inter doctores, controuersum est. Triplex sententia. Prima, agere eum de gratioso aduentu, & dicere, non consummaturas ciuitates Israel donec ipse auxilio veniat, ac adiuuet, ac sensum esse, se ad singulas vrbes venturum ante, quam omnes absoluant. Hæc ideo minus mihi probatur, quod hac in missione persecutionibus agitati non sint, nec fugerint. Alii de aduentu solenni in vrbem Ierosolymitanam: quod eadem ratione refutatur.

Dies aduentus Christi ad vrbes non agitur.

Itaque de Domini aduentu, qui erit in extremo iudicio, sermo est. Agit enim de persecutione quæ futura erat ætate Apostolorum, & sequentibus sæculis, cum fratres, filii, & parentes se mutuo sunt tradituri, deque fuga multorum, quibus nunquam deerunt vrbes Israelis quæ latibula præbeant.

VERSVS 24. 25.

Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut Dominus eius. Si patremfamilias Beel-zebub vocauerunt; quanto magis domesticos eius?

QVÆSTIO I.

An non discipulus melior magistro?

Discipuli status inferior statu magistri.

§. 1. Constat ex Thalmudistis apud Hebræos prouerbium fuisse, cuius sensus est, discipuli qua quidem discipulus est, non esse meliorem conditionem, quam sit eius magistri; Christus tamen absolute id de se pronunciat; nemo enim illi par est, nemo secundus. S. Irenæus aduersus hæreses l. 5. c. 31. ex eo probat nobis definitum à Deo tempus resurrectionis seruandum esse, quia & Christus sustinuit, donec resurgeret. *Nemo enim*, inquit, *est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, sicut magister eius. Quomodo ergo magister noster non statim euolans abiit, sed sustinuit definitum à Patre resurrectionis suæ tempus (quod & per totam manifestum est) post triduum resurgens assumptus est. Sic & nos sustinere debemus definitum à Deo resurrectionis nostræ tempus, prænunciatum à prophetis, & sic resurgentes assumemur, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.*

Iesus seruauit, deinde abrogauit cærimonias.

§. 2. Cerinthus hinc Iudaismum reducebat; Iesus enim legales cærimonias obseruauit, non ergo meliore conditione eius discipuli esse debent. Ita Epiph. de Cerintho. Seruauit quidem ille cærimonias vt probas esse, atque à Deo institutas ostenderet, ne etiam infirmis scandalum præberet, nõ tamen suos obligari voluit, quia accedente luce vmbras fugauit. Ita nihil est quod hæretici non conuertant in suam perniciem.

Christus patersfamilias.

§. 3. Melius ex verbis adiunctis Christum esse Deũ demonstrat Athanasius *de æterna substantia filii & Spiritus sancti, contra Sabell.* *Alibi rursum*, inquit, *Dominus se esse paternæ familiæ ostendit, vtpote vnicus filius: si patremfamilias Beelzebub nuncupauerunt, quanto magis domesticos nuncupauerint? Quapropter Iesum Christum Deum esse qui Dominus sit vniuersorum cuius manifestum est. Atque ibi cum ait: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, (continuo subinfert, quibus patrem suum intelligas) sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est. Habes igitur filium, habes patrem, ne extimueris diuinitatem: Natura enim distincti non sunt, neque item, qui de duobus loquitur, abalienat genitum à genitore.*

VERSVS 26. 27.

Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

QVÆSTIO I.

Quomodo v. 26. & 27. sensu cohæreant?

§. 1. Difficile multis visum, conciliare illa: Ne ergo timueritis, causam enim subiungit: nihil enim opertum quod non reuelabitur. Ne aliorum opiniones adferendo in re quæ mihi clarissima videtur, moram faciam, breuiter sic explico. Duas persecutionis partes proposuit, quæ connexæ fuerunt, calumnias, falsas accusationes; & tormenta, cruciatusque corporum, qui tum vehementer contristant, cum violenter & contumelioſe, sed tamen quasi optimo iure inferuntur, suppliciis enim ludibria addunt: vt miseri videantur, nec miserabiles, contra vtrunque malum Apostolos præceptor munit. Primo ne calumniis affl cti animo cadant; si enim patrem familias, ducem, dominum, Deum ita conuitiati sunt, vt Beelzebub, hoc est, principem dæmonum seu tætertimum esse dicerent, non debent eorum timere maledicta, discipuli, serui, filii: à patris inimicis laudari probrosum est, amari, suspectum; deinde nec timere incommoda, quæ dominus pertulit; ne ergo inquit timueritis eos, etsi veneficos, imo dæmonas vocitent, persequanturque. Beelzebub per contemptum vocatum Deum muscarum à Iudæis credo. Non tamen nomen ipsum erat contemptibile, 4. Regum. 1. 2. Ochozias enim nuncios mittit, ite & consulite Beelzebub deum Accaron; quem certe contumeliæ causa ita non vocabat, à quo vaticinium expetebat, quem Deo Israelis impie præferebat.

Persecutio calumniarũ & tormentorum.

Beelzebub cur dictus?

Quanquam cognomina probrosa video aliquando sine contumelia vsurpata esse. Ita Ptolomæus dicacitate Ægyptiorum φυσκων vocabatur, hoc est, internum & crassum intestinum, in quod fæces recipiuntur, quod obesus abdominis instar fartus esset; Ille tamen nummos inscriptione eius nominis insigniuit: videmus quoque nobiles Romæ familias ex vitiis nomina vsurpasse, vt Labeones, Frontones, Nasones, Vari, Planci dicerentur, ita fieri potuit, vt nomen ex probro inditum, tandem commune esset, & apud cultores idoli daretur laudi. Verum vt ad institutum redeam. Nolite timere ne Euangelio obstet infamia. Ea enim tantummodo nocebit, quamdiu veritas in occulto latet, tandem reuelabi ur vestra innocentia, & aduersariorum nequitia. Omnia enim occulta in lucem producet iustus iudex. Dixit olim Pindarus, ὅτ' ἐλέγχων μόνον ἀλήθειαν ἐπίσημον χρόν@. *Veritatem firmam à tempore solo ostendi.* In hac quidem vita non omnium rerum, in illa die etiam omnium omnino cogitationum. Nunc interdum τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται, vt dicebat Simonides, *opinio etiam aliquando veritatem violenter premit.* Verum cito discussa nebula pura in luce æternæ iustitiæ refulgebit.

Nomina probrosa initio nobilitantur tempore.

Deus infamiam absterget.

§. 2. Hinc aliam conclusionem infert. Quod ergo in aure auditis prædicate super tecta. Ne timete conuitia, ne timidus euangelizet s. Veritas ipsa vincet, & vos defendet. Tecta plana, & loricata erant,

Tecta plana hebræorũ.

Deuter. 22. 8. Prædicare super tecta, paroemia erat, quum publice res promulgabatur. Quod ad lectionem attinet monet Luc. Brugensis nonnullam diuersitatem fuisse.

VERSVS 28.

Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

QVÆSTIO I.

Quæ mala Christianis timenda sint?

Mors temporaria non timenda.

§. 1. DE conuitiis, & sinistra fama contemnenda dixit; nunc de cruciatu agit, & morte, & contra eorum metus operosius illos munit. Maiorem enim horrorem incutiunt tormenta, & mortes, quam verba. Ratio est egregia. Non est ille timendus, qui in vitam corporis, aliquo modo dimittendam, potestatem exercet, sed ille, qui & corpus occidere, & animam perdere potest, & corpus in gehennam. Tyranni crudelitas diu sæuire non potest; si atrocia iubeat, cito deficit corporis imbecillitas, in animum ius ille nullum habet, at Deus, si eum negaueritis, & animam, & corpus æterno supplicio addicere potest.

Medicorum atheismus.

§. 2. Hinc medicorum quorundam insania confutatur, qui Galenum secuti, vt arbitrantur, animam nihil κρᾶσιν quandam, seu qualitatum misturam, & contemperationem existimant. Si enim perdi, & cruciari anima potest, substantia viua est, nec à corpore dependens. Corpus igitur occidunt illi quidem, animam minime, quæ tamen si κρᾶσις esset, & corporis qualitas, eo in pulueremedacto euanesceret. Optime S. Cyprian. Ep. 56. ad Tibaritanos. *Venit*, inquit, *Antichristus, sed & superuenit Christus. Grauatur & sæuit inimicus, sed statim sequitur Dominus passiones nostras & vulnera vindicaturus. Irascitur aduersarius & minatur, sed est qui possit de eius manibus liberare. Ille metuendus est, cuius iram nemo poterit euadere, ipso præmonente & dicente: Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

Vltra mortem sæuiendo non nocet occiso, sed ipse se infamat.

Et in eundem sensum Athan. ad Antiochum q. 17. *Vnde*, ait, *potest declarari, quod tempore mortis, non vna cum corpore moriatur anima quoque? sic enim quidam opinantur.* Responsio. *Verbum Christi & Dei nostri clarissime nos docet, quod corpus nostrum mortale, & quod immortalis sit anima nostra. Inquit enim Christus: Ne metuatis ab istis qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere. Vnde constat quod anima hominis immortalis sit, & à Deo existat.*

Opus est hisce disputationibus contra eos qui occulte impietatem instillant, & atheismum. Si enim anima est temperatura, non est resurrectio, perierunt omnia virtutum decora, & vitiorum opprobria. Sunt hæc contra ipsam, qua nituntur Philosophiam, verum ad nequitiam illis satis est, rem controuersam fecisse: vt si homines de virtutum præmiis, & vitiorum pœnis dubios effecerint; faciant Dei contemptores. Audiant

Homo sine anima puluis.

S. Ambros. l. 6. Exemeron. *Anima igitur nostra ad imaginem Dei est. In hac totus es homo, quia sine hac nihil es, sed es terra & in terram resolueris. Denique vt scias quia sine anima caro nihil est, Nolite, inquit, timere eos qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt. Quid igitur in carne præsumis qui nihil amittis si carnem amiseris? Sed illud time, ne animæ tu defraudaris auxilio. Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua, in qua non exigua sui portio, sed totius humanæ vniuersitatis substantia est. Hæc est per quam cæteris ferarum animantium dominaris animantibus: hac est ad imaginem Dei corpus autem ad speciem bestiarum. In hac ipsum diuinæ imitationis insigne, in illo cum feris ac belluis vile consortium.*

Quin & Tert. ex his verbis tam resurrectionem, quam animæ immortalitatem asserit, de resurr. c. 34. *Porro autem recipimus animæ immortalitatem, vt perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam. Et si ita est, iam non animam spectabit salus saluam, scilicet sua natura per immortalitatem, sed carnem potius, quam interibilem constat, apud omnes. Aut si & anima interibilis, id est non immortalis, quod & caro, iam & carni formailla ex aquo proficere debebit, proinde mortali & interibili, qua id quod perit, saluum facturus est Dominus.*

Animæ mortalis refutatio.

VERSVS 29. 30. 31.

Nonne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

QVÆSTIO I.

Qualis Dei erga suos sit prouidentia?

Singulis prouidentia.

§. 1. CONsolationis efficacia, & suauitas in eo maxime consistit, quod certo nobis constet, nihil posse omnem Satanæ molitionem, aut impetum, nisi quantum diuina prouidentia permiserit. Loquitur enim de peculiari prouidentia, qua amicos suos dignatur, non quod aliarum rerum non etiam cognitionem directionemque habeat. Tertullianus ad solos electos restringit, l. de resurr. carnis. *Nam etsi passeribus hoc non licet, sed nos multis passeribus antistamus, eo quod cadentes resurgamus. Quorum denique capillos capitis omnes numeratos affirmans saluos vtique repromittit, perituros enim quæ ratio in numerum redegisses?*

§. 2. Caluinus eam prouidentiam sibi imaginatur, quæ omnem contingentiam tollat, & absolutam omnium euentuum necessitatem inducat. Verum tum à suis, tum vero à Catholicis solide refutatus est. Absolutam sane necessitatem Bertius etiam nondum Catholicus docte fortiterque confutauit l. de apostasia sanctorum, & olim Augustinus. Deus enim nec prouidendo, nec videndo cogit esse quod prouidet, aut videt. Eodem modo argutatur Franc. Bröckerus; nam si est prouidentia, inquiunt, ergo in vnã partem omnia determinata, ergo absolute necessaria. Respondent tamen Philosophi & Theologi; prouidentiam non efficere vt necessario eueniant, nisi quorum causæ necessariæ sunt, quæ vero causas habent cõtingentes, etiam contingenter, quamuis infallibiliter, euentura præuidet. Itaq; cõtinua moderatione, & procuratione mundus gubernatur, cõditiones variæ mortalibus proponuntur. Vide Athan. q. 70. ad Antiochũ, & 102.

QVÆSTIO II.

An Deus minimarum rerum sit creator?

§. 1. ATh anas. l. 3. contra Arianos probat Deum rerũ creationem nõ commisisse filio, sed ipsum esse rerum etiam minimarum creatorem. *Quod si*, ait, *Deum quasi fastidiosum dedignabundumq; creandi, vnum modo duntaxat filium condidisse velint, eique condito reliqua deinde ita condenda mandasse quasi vicario, & succenturiato, id & indignum Numine in quo nihil est fastus, & ab ipso Domino refellitur, cuius ea verba sunt: Nonne duo passeres asse veneunt? non tamen ne vnus quidem ex iis in terram cadet sine patre vestro, qui est in cœlis.*

Si enim gubernat singula, si in numerato tenet & passe-

& passerum plumas, & capillos hominum, cur non dicamus etiam illa omnia condidisse?

§. 2. D. Cyprianus Epist. 69. Eodem argumento Ecclesiæ ordinationem, regimen, & sacerdotes Deo curæ esse demonstrat, reprehenditque illos, qui casu quosdam promotos esse dixerunt, ideoq; vt indignis detrahebant. *Nonne*, inquit, *duo passeres asse veneunt, & neuter eorum cadit in terram sine patris voluntate? & probet maiestas eius & veritas sine conscientia & permissu Dei etiam minora non fieri, tu existimes sacerdotes Dei sine conscientia eius in Ecclesia ordinari? Nam credere quod indigni & incesti sint qui ordinantur; quid aliud est, quam credere quod non à Deo, nec per Deum sacerdotes eius in Ecclesia constituantur?*

Assem quoque Cyprianus appellat, quod in Græco est ἀσσάριον, quod tamen apud Varr. l. 1. de analogia est, dimidia pars assis, & vt Georg. Agricola assis semuncialis non libralis. Percussus est lege Papiria, vt sit quarta pars vnciæ, vt vncia eius respectu sit τετρασσάριον, quatuor asses continens, Erasmus minutum vocat, Syrus אסר *assar*. Solet vero as pro minima moneta accipi & confundi as & ἀσσάριον.

VERSVS 32. 33.

Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus: negabo & ego eum coram patre meo qui in cœlis est.

QVÆSTIO I.

An ad salutem necessaria sit fidei confessio?

§. 1. IN Græcis est ἐν ἐμοὶ *in me confessus fuerit*, & ἐν αὐτῷ, in ipso. Itaque sensus est, qui me dominum, redemptorem, præceptorem confessus fuerit, eum ego quoque pro meo agnoscam: & patri commendabo, ita Cyprian. Epist. 37. *Quod in illis est*, ait, *tolerauerunt quicquid tolerare parati & prompti fuerunt. Qui tormentis & morti sub oculis Dei obtulit, passus est quidquid pertulit. Non enim ipse tormentis sed tormenta ipsi defuerunt. Qui in me confessus fuerit coram hominibus, & ego in illo confitebor coram patre meo, dicit Dominus. Confessi sunt. Qui tolerauerunt vsque ad finem hic saluus erit, Dicit Dominus. Tolerauerunt & ad finem vsque incorrupta & immaculata virtutum suarum merita pertulerunt.*

In Christo confiteri est Christum confiteri.

Optime omnino, voluntas enim pro facto habetur. Necessariam porro esse confessionem natura ipsa nos docet, si enim subditi pro rege depugnant, cur seruus Dei pro domino non loquatur? cur eum pudeat sui creatoris? imo & redemptoris? Confessione igitur Christi à cæteris infidelibus disiungimur, vt Athanas. ait: *Atqui hinc est quod ab Ethnicis discessimus, & segregati sumus, ne impuris idololatriis admisceremur: discessimus quoque à Iudæorum blasphemia, dum filium Dei agnoscimus, & eam pernitiosam abnegationem euitamus, dicente Domino nostro: Quicunque abnegauerit me coram hominibus, abnegabo & eum coram patre qui est in cœlis. Nos porro confitemur filium ex patre esse, & semper eum cum patre esse, ipsi dicenti credimus, vbi inquit: Quicunque me confessus fuerit coram hominibus, & confitebor, & agnoscam eum coram patre meo qui est in cœlis. Cum igitur tale exemplar intueamur sub nomine Christianismi, digressi à gentilitate, qui opera Dei, Deos appellare, & adorare non vereantur. Disiungimur quoq; à Iudaizantibus, qui Christianismum in Iudaismum deprauant, & ab iis qui Deum ex Deo inficiantes, Deum vnum, itidem vt Iudæi prædicant, quique non ideo quod solus sit ingenitus, & solus fons Deitatis, solum Deum nominant, sed quia infæcundiorem eum, magisque sterilem existimant, quam vt gignat viuens.*

Confessio ab Iudæis & gentibus separatio.

§. 2. Mirâ nequitiâ hæc verba gnostici olim peruerterunt, vt enim suos à martyriis & persecutionibus eximerent, non in terra, sed in cœlo confitendum dixerunt. Quos eõtra Tertullianus insurgit, l. contra gnosticos: *Illos autem cœlestes homines si exposulem mihi ostendi, facilius Aratus, Perseæ, & Cepheæ, & Erigonem, & Ariadnen inter sidera deliniabit. Quis autẽ prohibuit Dominũ illic etiam confessionem hominum faciendam determinare, vbi suam futuram aperte pronuntiauit? Vt ita esset positũ, Qui in me confessus fuerit coram hominibus in cœlis, & ego in illum confitebor coram patre meo qui in cœlis est: eripere me debuit ex isto terrena confessionis errore quam suscipi noluisset, si cœlestem præcepisset, quia nullos alios homines noueram præter incolas terræ, ne ipso quidem adhuc in cœlis homine conspecto. Quæ porro fides rerũ, vt post excessum ad superna sublatus, illic probet, quo non nisi probandi, iam probatus imponerer: illic de recepto examinarer, quo nisi probati admittendus peruenire non possem. Christiano cœlũ ante patet quam via quia nulla via in cœlum nisi ius patet cœlum: quod qui attigerit, intrabit. Quas mihi potestates ianitrices adfirmas iuxta Romanam superstitionem, Cardeam quandam & Forculum & Limentinum, quas à cancellis ordinas potestates? Si vnquã legisti apud Dauid. Auferte portas principes vestras, & subleuentur portæ æternæ, & intrabit rex gloriæ. si item audisti apud Amos: Qui ascensum suum ædificat in cœlos, & profusionem suam fundat in terras: scito & ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, & introitũ exinde reseratum viribus Christi, nec vllam morã aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non dignosci habeant illic, sed agnosci: nec interrogari, sed admitti. Nam & si adhuc clausum putas cœlum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic vnusquisq; interrogatus adhuc confessus ferat secum. Sed adseuerat diabolus illic confitendum, vt suadeat hic negandum. Pulcra videlicet documenta præmittas, bonas mecum claues feram, timorem eorum qui solum corpus occidunt, animæ autem nihil faciunt: commendatus ero huius præcepti desertione, honestè in cœlestibus stabo, qui in terrenis sunt tentare nõ potui, sustinebo maiores potestates, qui minoribus cessi: merebor deniq; admitti iam exclusus. Suppetit adhuc dicere, si in cœlestibus confitendum, vel negandum est, na vbi alterum, ibidem vtrumq;. Æmula enim quæq; concurrunt. Etiam persecutionem in cœlis agitari oportebit quæ confessionis, negationisue materia est. Quid itaq; cessas audacissime hæretice, totũ ordinem Christianæ concussionis in superna transferre, & in primis ipsum nominis odium illic collocare, vbi ad patris dextram præsidet Christus: illic constitues & synagogas Iudæorum fontes persecutionum, apud quas Apostoli flagella perpessi sunt, & populos nationum cum suo quidem circo, vbi facile conclamant, vsquequo genus tertium. Sed & fratres nostros & patres & filios & socrus & nurus & domesticos nostros ibidem exhibere debetis, per quos traditio disposita est: item reges & præsides & armatas potestates, apud quas causa purganda est. Erit certe etiam carcer in cœlo carens sole, aut ingratis luminosus, & vincula fortasse de zonis & eculeus axis ipse qui torquet: tum si lapidandus Christianus, grandines aderunt: si vrendus, fulmina præmanu sunt. si trucidandus, Orionis armati manus operabitur: si bestiis finiendus, vrsas septentrio emittet, zodiacus tauros, & leones. Hæc qui sustinuerit in finem, iste erit saluus. Ergone & finis in cœlis, & passio, & occisio, & prima confessio. Et vbi caro omnibus istis necessaria, vbi corpus quod solum ab hominibus habet occidi?*

In Christo confiteri, est Christum confiteri.

Nec tormenta.

§. 3. Apparet autem Gnosticos effugium quæsisse in illis verbis, *in me*, quæ optime Tertullianus interpretatur. *Manifesta*, inquit c. 9. contra Gnosticos, (vt opinor) est & definitio & ratio, tam confessionis quam negationis, etsi dispositio diuersa est. Qui se Christianum confitetur, Christi esse testatur: qui Christi est, in Christo sit necesse est. Si in Christo est, in Christo vtiq; confitetur. cum se Christianum confitetur. Hoc enim non potest esse, nisi sit in Christo. Porro in Christo confitendo, Christum quoq; confitetur qui sit in Chri-

in Christo, dum & ipse in illo est, vtpote Christianus. Nam etsi diem dixeris, lucis rem ostendisti quæ diem præstat, licet non dixeris lucem. Ita etsi non directo pronuntiauit, Qui me confessus fuerit, nō est diuersus actus quotidiana cōfessionis à sensu Dominicæ pronuntiationis. Quod enim est quū se cōfitetur, id est Christianum: etiam id per quod est confitetur, id est Christum: Proinde qui se negauit Christianum, in Christo negauit, negando se in Christo esse, dum negat se Christianum: & Christum autem in se negando, dum se in Christo negat, Christum quoq; negabit. Ita & qui in Christo negauerit, Christum negabit. Et qui in Christo confessus fuerit, Christum confitebitur. Sufficisset igitur & si de confitendo tantummodo Dominus pronuntiasset, ex forma enim confessionis contrariò quoq; eius præiudicaretur, id est negationi, perinde negatione negationem rependi à Domino, quemadmodum confessione confessionem. Et ideo quum in forma confessionis etiam negationis conditio intelligatur, apparet non ad alium modum negationis pertinere, quod de ea aliter Dominus pronuntiauit, quam de confessione, dicendo: qui me negauerit, non qui in me. Prospexerat enim & hanc vim plerumque in expugnatione nominis subsecuturam, vt qui se Christianum negasset ipsum quoque Christum compelleretur blasphemando negare.

Confessio fidei hæreticis est fides.

§. 4. Gnosticorum causam nostri Caluiniani susceperunt, graue enim visum illis est, cum periculo confiteri, mallent sola fide, eaque occulta saluari. Obiicit Musculus in persona confiteri detrectantium: *Si fidei tribuitur iustitiæ & salus, quomodo necessario exigitur confessio? ergo non iustificat, & saluat sola fides.* Respondet ille; non hoc agi, sed confessionem nihil diuersi habere à fide. Nihil enim aliud esse, quàm veræ fidei testimonium & fructum. [Quemadmodum, *inquit*, & de fide & operibus cum loquimur, non duas res à se inuicem diuersas proferimus, sed opera locamus in locum testimonii de vera fide. Potest autē fieri vt opera quisquam habeat sine fide. Huic nihil prosunt opera. Rursus potest fieri vt fidem quis simulet sine operibus, Illi nihil profuerit opinio fidei, quæ non vera sed mortua est, si oportunitas adfuerit benefaciendi. Ita & de confessione Christi loquimur. Credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.]

Confessio necessaria, ergo & opera.

Fidem, & opera Apostolus disiungit; & Caluiniani pariter. hi cum sola fide, sine operibus saluari nos posse putant. Quod si sola fides absq; operibus saluat, etiam saluat absque confessione; si negauerit Christum, negabitur, hoc est, damnabitur, ergo confessio necessaria est, & necessarium ne neget, negatio enim mortale peccatum est. Quam confessionem negligendam censeant sectarii, ex eo patet, quod de lege Dei solent docere. Monet Christus confitendum esse, neganti mutuam negationem comminatur. Quid ad ista Lutherus? c. 4. Gal. totum hoc genus contemnit. [Si

Cōfessio tribuitur mutuæ confessio Christi, igitur & salus.

sentias terrorem legis, dicas: Lex non audiam te, quia habes impeditam & tardam linguam. Deinde, plenitudo temporis iam venit, ideo liber sum. Non feram igitur amplius imperium tuum. Ex hisce disce vtin causa iustificationis contemptissime de lege loquaris exemplo Apostoli qui legem vocat elementum mundi, mortiferas traditiones, virtutem peccati, nam si permiseris legem in conscientia dominari, cum tibi res est cum peccato & morte, reuera nihil aliud est lex, quam omniū malarum hæresium & blasphemiarum sentina, quia tantum auget peccatum. Quare hic si prudens es, longissimè ableges Mosen balbum & blesum cum sua lege, neque vllo modo te moueant terrores & minæ ipsius. Hic simpliciter sit tibi suspectus, & hæreticus, excommunicatus, damnatus, deterior Papa, & diabolo, ideo prorsus non audiendus. Debemus quidem extra conscientiam facere ex ea Deum, in conscientia vero est vere diabolus. Discat igitur pius legem & Christum duo contraria esse prorsus incompatibilia. Ante Christum est sancta, post Chri-

Lex omnis & proinde confessionis abrogata est.

stum est mors. Ideo vbi Christus venit, nihil simpliciter scire debemus de lege.]

Quod vero etiam legem confessionis ad aliam vitam cum Gnosticis releget ex eodem commentario constat. [Ideo assuefacies te, vt veniente lege & accusante conscientiam, dicas; Domina lex, nō in tempore, sed nimis mature venis exspecta adhuc quadringentos & triginta annos. Hi si transacti fuerint venire poteris. Sed tum veniens nimis tardè venies, quia quadringentis & triginta annis præuenit te promissio, cui adsentior, & in ea suauiter acquiesco. Ideo nihil mihi tecum, non te audio; iam enim viuo cum Abraham credente.]

Præclara sane consuetudo, vt legem Dei, quam nobis Psalmus 118. toties commendat, tam irrisorie dimittere. Quid enim Christus? si me negaueris coram hominibus, negabo te coram patre meo. Quid ad hæc Lutherus? Nimis mature venis, domine legislator, veni post quadringentos & trig nta annos. Porro si fides & fidei confessio eadem sunt; omnia quæ de fide dicuntur, etiam de confessione dicenda sunt, at sane confessio, & negatio opera sunt, à fide omnino distincta.

VERSVS 34. 35. 36.

Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: nō veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam. Et inimici hominis, domestici eius.

QVÆSTIO I.

Qualis hæc sit, & vnde dissensio oriatur?

§. 1. OStendit cur difficilis sit illa confessio, quia scilicet multos habet oppugnatores, si enim totus mundus fidem amplecteretur, nihil erat difficultatis, nunc autem pugnæ & bella oriuntur, nō ex intentione Christi, nec Euangelii natura, sed hominum veritati resistentium malitia. Et Prophetæ quidem pacem prædixerant. Isaias 23. & seq. Michæas 4. 1. & seq. & Luc. 2. 14. ita canunt Angeli, & ipsi Apostoli pacis præcones mittuntur, sed pax illa est pectorum cum Deo & Angelis coniunctio, inter fideles amor, hinc oritur acre bellum, nam sic diabolo & mundo, quæ mala fide possederunt, auferuntur, quæ exigunt, negantur, insurgit itaque impietas ante sopita. Itaque gladius mittitur, hoc est bellum, quia sine bello cedere Dæmon non vult. Non venit ad pacem peculiarem faciendam, deinde non venit vt in bellum concitet, sed tamen hoc consequitur.

§. 2. Gladium alii verbum Dei, alii amorem Dei, filios à parentibus diuidentem interpretantur. Sic etiam hæretici: Beza illa *συμφωνήσις, non sine Dei decreto tamen sequi.* Decretum est quidem, sed prædicandi Euangelii, non scandali, non mittit pacem qualem mali cum malis habent, sed pacem conscientiæ, & bonorum, scandala dæmon superinducit.

§. 3. Nullum vinculum est, quod Euangelium, si obsistat non rumpat, hinc intestinum & plane domesticum bellum. Ita Mich. 6. 7. qui addit: *& inimici hominis domestici eius.* Verum Propheta agit de corruptis moribus, vnde exitium Israelitarum secutum est.

Chri-

Christus tamen huc refert, nam tale dissidium in mundo, & tum erat, & nunc quoque est, domesticorum ob religionem rixæ. νύμφη relata ad maritum sponsa, ad socrum nurus dicitur Pax interna, bellum externum. De pace vide Isaiam 2.3. 9. & 6.7. Mich. 4.1. Ephes. 2.11.

VERSVS 37.

Qui amat Patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.

QVÆSTIO I.

Quis amor qui Christo indignum efficit?

§. 1. CYprianus Epistol. 26. hac voce nos quasi ad prœlium ait excitari. Reuera enim serium est magni imperatoris præceptum: quo nos iubet se sequi, nec vllo amore alio abduci permittit. Duos affectus arctissimos filiorum & parentum nominat, qui exuendi sunt, si causa Christi agatur: si enim quis ita amat Patrem, aut filiam, vt Christum confiteri nolit, non est ipso dignus vt sic licet sit discipulus hæres regni cœlorum, itaque non hic consulitur perfectio omnia relinquendi, sed præceptum est, nihil Deo anteponendi. Qui amat Patrem aut matrem, id est, me offendit potius, quam vt matrem aut Patrem relinquat, non est me dignus, vel de discipulatu, vel vita æterna: Lucas habet, qui non odit; non quod verum odium imperet, sed quod maiorem Dei amorem velit, vt si Pater, mater, filius, filia contra Deum agere suadeant, eos fugiat, peccatum detestetur. Verum hac de re alibi commodius.

VERSVS 38.

Et qui non accipit crucem suam & sequitur me: non est me dignus.

QVÆSTIO I.

Quæ crux?

§. 1. POrtabant crucem suam, ad id supplicium damnati, inde dicebantur *duci sub furcâ*, nudi flagellis cædebantur, vt sic procedere cogerentur, si recusarent; stimulis fodiebantur, vrebantur. Cum ergo Christiani alia nulla causa, quam fidei crucem subirent, vult eos sponte eam attollere in humeros. Quod de cruce dicit, id de omnibus afflictionibus dicendum est; si enim tam grande tormentum, multo magis minora ferenda, & in cruce omne genus erat malorum, vilitas personæ, odium, mala mansio, & supplicia præcedentia. λαμβάνει inquit, est à Deo recipere atque admittere, sponte subire & Christum præeuntem sequi. *Tollere crucem sponte omnia ferre.*

§. 2. Cum ait ὀπίσω μὲ post me, Beza existimat, neminem sequi Christum; si eum aliquo cultu in Scriptura non comprehenso prosequatur. *Pone, inquit, sequitur me, ἀκολουθεῖ ὀπίσω μὲ, ad verbum, retro me, vel post me, vt supra c. 3. 11. Quod certè notandum est, vt qui Deum colunt cultu à se excogitato, intelligant se se non sequi Christum, sed illi præire velle. Itaq; ὀπίσω μὲ, sum interpretatus. Pone me: quia quum Euangelista præter verbum ἀκολουθεῖν, addendum aliquid præterea iudicarit, hoc quoq; putauimus necessario exprimendum, quod à vetere interprete, & ab Erasmo fuit neglectum. Multi enim se Christum sequi dicunt, quum illi soli sequantur, qui ponè sequuntur: Ii qui illum verbo suo præeuntem ipsum ostendere.*

Quod ad verba attinet, in Latino satis intelligitur, eum qui sequitur, non ante, sed pone sequi. Ideo reprehendi non debet interpres, quod verbum non necessarium omiserit, licet etiam emphaseos causa addere potuerit. Sequuntur autem Christum non tantum qui verbum eius scriptum obseruant, sed etiam illi, qui ordinem, cærimonias q; in Ecclesia eius consuetas retinent. Nam de talibus ex verbo Dei Ecclesias audire iubemur. Vt enim sequatur opus est, eadem gradi viâ. Qui vero in Ecclesia non est, extra viam est. *Defensus interpres.* *Nemo Christum sequitur, nisi in Ecclesiâ.*

VERSVS 39.

Qui inuenit animam suam: perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

QVÆSTIO I.

Quid inuenire animam & perdere?

§. 1. QVi animam suam, hoc est, ipsum inuenit his pe iculis & doloribus ereptum in tuto collocauit negando, vel nõ cõfitẽdo, crucẽ excutiendo, is perdet in futuro sæculo, res amissas, aut penè amissas, cũ recuperauim⁹ gaudemus, & diligentiorẽ illis custodiam adhibemus, ita qui in carcere vel tribunali negabant, iterum sibi redditi suisque videbantur, gratulabantur animi, inuenti dicebantur. Videtur allusio ad eos, qui olim per plagium in seruitutem adducebantur, ac deinde inueniebantur ingenti suorum gaudio, sic & hi liberati carceribus, & aliis malis inuenti putabantur. Et contra perditi, qui non inueniebantur; at hi tamen inuenti dicuntur in cœlo à Deo, & Angelis, aliis perditi; at opinione vulgi periisse putantur qui moriuntur, salui qui euaserunt. Inuenire animam & vitam seruare præsentem. *Inuenire animam, seruare vitam.*

§. 2. Hic inuentioni animæ tribuitur exitium, perditioni vero salus. Itaque solidè probat Bellarminus lib. 1. de baptismo, cap. 6. martyrio non sola fide salutem acquiri, quod clarius ex Luc. 9. 24. 14. 26. Ioan. 12. 25. probatur. Nam vbi dicitur, qui perdiderit saluam faciet, non est dubium de æterna salute sermonem esse.

VERSVS 40.

Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.

41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ: mercedem Prophetæ accipiet. & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.

42. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

QVÆSTIO I.

Quæ merces Apostolos recipientibus datur?

§. 1. QVi sincerè & humaniter recipit legatum, & legantem recipit, Christus legatus est Patris, Apostoli Christi, iis ergo recipiendis & Christus & Pater Christi recipitur.

Magna est Christo suorum cura.

Hæc eo dicuntur, vt cognoscant Apostoli, quantum sui curam Dominus habeat, cum amicos tam studiose remuneret.

Prima recipientis est dignitas, quod Christum excipiant, quod quomodo fiat, expoſuit S. Athanasius. Contra Arianos lib. 4. *Quæ enim nostra (inquit) sapientia loqueretur, ea Dominus tanquam propria sibi suis verbis vsurpat. Non enim creatur creatrix, sed propter imaginem sui rebus creatis ingenitam, ipsa se creari dicit. Et quemadmodum ipse Dominus locutus est, qui vos excipit, me excipit: eo quod figura eius in nobis sit; ita quoque, tametsi res creatæ id ipsum non sint, quod ille est, tamen ob simulachrum Dei & formulam quæ in creatis est, veluti ipse se crearetur, ad hunc modum locutionem moderatur, Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua.*

Qui Apostolos recipit Christū recipit.

In nomine Propheta.

§. 2. *Recipere Prophetam in nomine Prophetæ*, seu vt est in Græco εἰς ὄνομα προφήτου, *in nomen Prophetæ*, hoc est, quia Propheta est, seu vt nunc loquuntur, quatenus Prophetæ est: non ob alias, qualescunque causas. Marcus c. 9. 41. *Quia Christi estis.*

Merces Prophetæ.

§. 3. Mercedem Prophetæ accipiet, cuius propositionis expositiones variæ sunt. Quidam enim existimant fore tantam mercedem hospitis, quanta est merces, vel Prophetæ, vel Apostoli. Hoc tamen fieri ordinariè non solet; maior est enim merces Apostoli, quam hospitis. Fieri tamen potest, vt tanta fide, charitateque serui Dei recipiantur, vt maior sit excipientis, quam excepti merces. Alii mercedem respondentem dignitati iusti vel Prophetæ. Alii compensationem tantum modo indicari mercedem spiritalem pro carnali beneficio. Commodissima est S. Chrysostomi interpretatio. Mercedem recipere eum, quam par est, recipere illum, qui Prophetam recepit, quia enim Prophetæ, Apostolo, vel iusto cooperatur, auxilium q; præbet, huic ergo labori peculiare decus attribuetur, vt quemadmodum martyri, virgini, doctori sua datur laureola, & singulare donatiuum, ita quoque eorum adiutoribus, hospitibusq; similis aliqua gloria tribuetur, quæ respondeat mercedi Prophetæ, martyris, doctoris: siue eâdem sit specie, gradu distans, siue diuersa, sed similis tamen, & affinis eorum sanctorum laureolis.

QVÆSTIO II.

An merces sit propriè dicta?

Merces hæreticis impropria.

§. 1. VAlde nolunt mercedem dari hæretici, ne sola fides periclitetur. Piscator, [Non est putandū, nos præmia illa quibus Christus nostram erga confessores beneficentiam compensaturus est mereri; quia nimirum appellantur merces. nam merces appellatur per metaphoram καταχρηστικῶς: quia propriè loquendo ad illam beneficentiam sumus obligati: nec illam debita alacritate præstamus. Et si maximè præstaremus: tamen semper nobis esset fatendum, nos esse seruos inutiles: feciſſe quod debuimus facere.]

Merces propriè dicta.

Respondeo, mercedem propriè indicari vel hic locus clarissimè demonstrat. Merces enim est præmiū constitutum pro operâ impensa, correlatiuum meriti scilicet. Ad Mercedem vero pertinet, vt opus quod proponitur fiat, deinde vt sit mercedis promissio facta. Vtrumque hic inuenitur. Opus est, recipere Prophetam in nomine Prophetæ, aut iustum quia iustus est. Merces est, merces Prophetæ, & iusti. Itaq; merces illa datur operis intuitu; quia vni operi vnius generis, alteri alterius, & sine opere non daretur, non enim datur merces Prophetæ, nisi illi, qui Prophetam recipit.

§. 2. Nec rationes Piscatoris probant esse mercedem καταχρηστικῶς, *abusiue sumptam*. Quia, inquit, ad illam beneficentiam sumus obligati. Non enim ideo merces esse desinit; quia ad eam obligati sumus. Sine vllo præmio Dei seruos excipere tenemur, Dei tamen gratuita bonitas præmia constituit, & iureiurando se ad solutionem obligauit, ideoque iam merces facta est.

Obligatio non tollit rationem mercedis.

Argutiis porro illis Atheismo, & Turcismo viam sternī clarum est ex argumentis Socini, & Ostorodii. Qui eodem axiomate meritum Christi euertere conantur. Christus enim mandatum moriendi habuit, ideo obediens fuit vsq; ad mortem crucis, sic obligatus fuit, non igitur merces illi nisi gratuita data fuit, non igitur satisfecit. Itaq; ex his respondere Turcis & Samosatenianis Caluinistæ non possunt.

Calui. Socini. sunt.

§. 3. Falsum etiam est non aliquando illam operam debitâ alacritate fieri, quâ Abraham Angelos excepit, quâ Galatæ oculos eruere, & dare Paulo voluissent, nonne eâ caritate recipere valet, vt mori pro Apostolo paratus sit? Quamuis ergo maiore caritate excipere possit, non tamen est peccatum id fieri, vel magnâ, vel etiam mediocri. Nam etiam Christus Dominus certo gradu caritatis, quâ homo est, nos dixit, non intensione infinita: potuit vero si Deo ita visum esset eam multis modis feruentiorem efficere.

Debita alacritate fieri.

§. 4. Nec ideo serui inutiles esse desinimus, quod seruis inutilibus præmium Deus statuit.

QVÆSTIO III.

An quia calice, aquæ frigidæ rependitur regnum cælorum, omni minimo peccato debeatur infernus?

§. 1. ITa apud Bellarminum lib. 1. de amissione gratiæ & statu peccati argumentantur Sectarii. Respondet Bellarminus. Multis modis argumentum hoc precat. Primo, ait, *non perdet mercedem*, itaque solum sequeretur: *minima non perdere suam pœnam.* 2. non sequitur, *minimo operi datur merces maxima, ergo minimo peccato pœna æterna.* Minimo enim operi dare maximum præmium est ingens liberalitas, minimo peccato maximam pœnam, crudelitas. Denique dare calicem aquæ frigidæ ex caritate, non est minimum opus, sed valde magnum, & meritoritum vitæ æternę, cui opponitur non veniale, sed mortale peccatum.

Expr. ad pos. gum dum.

Obiicit Pareus pag 162. Corrigamus argumentum vt nostrum fiat. Non dare potum frigidæ pusillis Christi, meretur mortem æternam, & tamen est leue peccatum. Igitur leue meretur mortem æternam. Propositio probatur. Quia dare potum frigidæ, accipit gratuitam mercedem vitæ æternæ. Si opus valde magnum dare potum frigidæ ex charitate, ergo non dare est mortale, quod ei opponitur.

Non defin. qua re adu letalis.

Verum repetit obiectionem à Bellarmino positam cur non & solutionem? Non sequi, demonstratum est à Bellarmino, *Exigua virtutis operi datur merces, vita æterna, ergo exiguo peccato æterna pœna.* Quod si magnum sit opus, ex charitate, non tamen minimus defectus ideo letalis. Magna erat charitas optantis fieri anathema pro fratribus, nec tamen minus ardens amor damnabilis est. Sine sumptu Euangelium ponit Apostolus Paulus, virtus heroica est, nec tamen cæteros Apostolos de Euangelio viuentes sui iuris vsus damnauit. Potrò non dare potum aquæ frigidæ pusillis Christi, pro necessitatis magnitudine grauissimum scelus esse potest, sine necessitate sæpè leue est. Itaque non omne peccatum magnum est, quod magnæ virtuti opponitur, sed quod in propria & magna virtutis materia iustitiam violat. Equidem charitati proximè opponitur odium, vnde homicidia, aliaque nascuntur, & eidem opponitur etiam minima verborum aut rerum iniu-

tia.

tia. Qui regnum eripit Imperatori, & qui vnius oboli portorio eum defraudat, iniuriam infert, non tamen vtriusque peccatum est magnum, sed maximum inuasoris, & tyranni, nec tamen portorio fraudantis nullum, sed paruum.

CAPVT XI.

ET factum est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis transiuit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. 2. Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis. 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ auditis, & vidistis. 5. Cæci vident, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt pauperes euangelizantur. 6. & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 7. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. 9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam. 10. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. 12. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsq; nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim Prophetæ, & lex vsq; ad Ioannem prophetauerunt. 14. & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. 15. Qui habet aures audiendi, audiat. 16. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Simile est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coæqualibus, 17. dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. 18. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. 19. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt; Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. 21. Væ tibi Carozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. 22. Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam vobis. 23. Et tu Capharnaum nunquid vsq; in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsq; in hanc diem. 24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi. 25. In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. 26. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, 29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. 30. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Luc. 7. c. 18.
Isa. 35. a. 5. & 61. a. 1.
Luc. 7. c. 14
Mal. 3. a. b. 1. Marc. 1. a. 2. Luc. 7. d. 27
Mal. 4. b. 5.
Luc. 10. d. 13
Ioan. 6. c. 46. & 7. d. 28. & 8. b. 19. & 10. c. 15. Ier. 6. d. 16. 1. Iob. 5. a. 2

IN CAPVT VNDECIMVM
ARGVMENTVM.

CVM ab impio Rege vir sanctissimus Ioannes in vincula coniectus esset, eáque causa populus, & eius discipuli mœrerent, misit ille ex carcere, & ex Domino quærit; An ille sit promissus in lege Messias? Christus multa miracula faciens, facto, quis sit, ostendit. Deinde turbis Ioannem à vitæ austeritate, sanctitate, constantia: officio, commendat; maiorem omnibus de muliere natis asserit, adeoque Eliam esse. Deinde duris & incredulis exprobrat, quod nec Ioanni, nec sibi crediderint: damnationemque prædicit. Denique fideles, & Ioannis captiuitate tristes consolatur, confitens Patri hæc abscondita à sapientibus & paruulis reuelata: sibi omnia à Patre tradita, omnes ad se inuitat, iugum suum esse suaue, & onus leue. Continet itaque hoc caput Epitaphium Ioannis Baptistæ, quo Deus ostendere voluit, quantum ab humano iudicio discrepet sententia numinis sui, Iudæi Ioannem habere dæmonium calumniabantur, Herodes vt molestum capit, Herodias vt inimicum persequitur; denique velut caput vile pacandæ meretriculæ occiditur, & conuiuiali præcepto in ludibrium. Syrus initio habet, Ad oblationem amputationis capitis Iouchanon, à versu 16. ad 25. secunda feria tertiæ septimanæ ieiunii. Inde ad finem ad vesperum Dominica 2. post Epiphaniam. quam vocat דנחא Dannecha, hoc est, Orientem seu ortum.

Christus facto docet discipulos Ioannis.

VERSVS

VERSVS 1.

Et factum est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.

QVÆSTIO I.

Quid egit Dominus dimissis Apostolis?

Διάταγμα est præcepti & consilij.

§. 1. POstquam consummasset præcipiens transiit inde διάταγμα est constitutio siue consilii, siue præcepti, qua formati sunt Apostoli, nã διατάξειν 1. Cor. 11. 34. est disponere, imperare, formare. Continet verò omnia præcepta, quæ supra memorauimus.

Docere & prædicare.

§. 2. Transiit verò vt doceret vt prædicaret διδάσκειν καὶ κηρύσσειν, hoc est, & priuatim & publicè regnũ Dei annunciare, quo munere nullum est in Ecclesia maius, magisq; necessarium.

Quod ait, docuisse in ciuitatibus eorum. αὐτῶν, non apparet manifestè quo referendum sit. Quidam ad id quod proximè ante cessit, referendum putant, Euthy. Hugo. nempè in ciuitatibus Apostolorum, hoc est, Galilææ. Pleriq; enim ex Galilæa oriundi erant. Act 2. 7. Alii ad remotum, nempè Israelitas, nam id aliquando vsu venit, vt Psal. 89. 8. & 4. Reg 17. 24. ita Maldonatus noster: Verum plurium sententia ad proximum refert. Quanquam non video cur non omnes Iudææ ciuitates appellari possint, Ciuitates Apostolorum, quia gentis eiusdem erant. ita sanè Pilatus Ioan. 18. 35. vocat Iudæos gentem Christi. *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi.*

VERSVS 2.

Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis.

QVÆSTIO I.

Vbi Ioannes in vinculis?

In vinculis esse est esse in carcere.

§. 1. PIscator reprehendit interpretem nostrum, quod dixerit in vinculis; est enim Græcè δεσμωτηρίῳ carcere, & Syriacè, *domo vinctorum*, potuit autem esse ἐν δεσμωτηρίῳ etsi non ἐν δεσμοῖς. non in *vinculis*.

Verum nodum in scirpo quærit. Latinè dicimus esse in vinculis, qui sunt in carcere, & Græci ἐν δέσμοις, qui ἐν δεσμωτηρίῳ. etsi enim nullis & compedibus vincti non sunt, nec robusteo incluſi, hoc ipso tamen vincti dicuntur, quod exitus denegetur. Vincit enim ostium & paries, non modo ferrum. Vincula escaria vocat Plautus, sic vincula amicitiæ. ita non propriè semper est vincire, sed prohibere, impedire. vt verò impedimur sine pedicis, ita quoq; vincimur sine vinculis. Certe Henricus Stephani interpretatur δεσμᾶν in vincula, vel carceres conijci. An Ioannes etiam pedicis vinctus fuerit ignoro, verisimile tamen fuit ex Iosepho, & consuetudine, & crudelitate Herodis, odio adulteræ.

Sui immemor, discipulos curat.

§. 2. Egregium omnibus martyribus exemplum, non mittit ad Herodem, vel mortem deprecaturus, vel carceris squalorem, sed ad Christum, vt discipulorum salutem procuret. Vitæ suæ prodigus, Ecclesiæ curam gerit.

§. 3. De carcere Ioannis, meminit Iosephus lib. 18. Antiq. c. 7. *Apud Iudæos autem, inquit, fuit opinio, iustam vltionem Numinis delectum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim tetrarcha necauit virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia, & primũ pietatis ac iustitiæ, simulq; ad baptismi lauacrum: quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantum aliquo peccato abstineant, sed animis per iustitiam prius mundatis addant & puritatem corporis. Quumq; magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ auidâ; Herodes veritus, ne tanta hominis authoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex eius consilio, iudicauit satius esse prius, quam noui aliquid exoriretur, illum tollere, quam rebus turbatis, seram pœnitentiam agere, itaq; vinctum missum in Macharuntem supra dictam, illic occidi imperat, quod factum sequuta est Iudæorum existimatio, ab irato Deo peritum esse Herodis exercitum.*

§. 4. Discipulorum Ioannis nonnulli Christo adhærebant, alii æmulabantur, vt Ioan. 1. v. 40. & 3. v. 26. Matth. 9. 14. Ea causa ipse Ioannes sollici è agit, vt eos legatos ad Christum maturè mittat. Nam opera eius quotidiè captiuo referebant. Mittit itaq; duos maximi negotii Legatos, discipulos suos, seu vt Syrus, *per manum discipulorum*, eorum scilicet qui audientes opera τὰ ἔργα admirabantur. Erasmus reprehendit nostrum vertentẽ opera. Beza probat. at ille in Epistolis Pauli ἔργα ordinariè vertit opera, nõ facta: sui igitur vel hic vel illic oblitus fuit, Equidem contemno nimium Grammaticos, dum noua quærentes bona negligant. ἔργον vsurpant Græci, vti nos opus. Opus ruri facere dicimus, & ill pa iter ἔργον πιεσθαι. & Hom. οδ. ξ. ἔργον vocat φίλον, opus ingratum, sic ἔργον ἐπαίχεσθαι, opus facere seu percurrere.

VERSVS 3.

Ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

QVÆSTIO I.

Cur & quid quærit?

§. 1. IVstinus & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem dubitasse Ioannem existimant, alii præsentiisse quasi dubitaret. Vera sententia, nec ipsum dubitasse, nec dubitationem simulasse. Sed discipulis quibusdam dubitantibus, quod Christum viderent, à Ioannis austeritate longè abesse, & Phariſæi vehementer obsisterent, legatione consuluisse; Moriturus ergo suos Domino commendauit. Non enim recesserat ab eo Spiritus Dei in Christum, vt putauit Tertullianus, non enim modo Spiritum Prophetiæ, sed fidem quoq; perdidisset, qui in fide dubitasset. Necea constantiæ laude, qua eum Christus extulit, dignus fuisset.

§. 2. Qui de morte Christi & ad inferos descensu eum dubitasse arbitrati sunt, minus rectè sensêrunt. Fuere non pauci, vt Ambros. in Luc. 7. Euseb. Emis. in hom. Iulianus Pomerius lib. 3. contra Iudæos, Venantius in expositione Symboli. Ioannes enim vt cæteri Prophetæ, & fideles ex Scripturâ de morte Messiæ satis instructi erant. Hoc ipsum Ioannes indicauit, cum dixit, esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi. alludens ad Isaiæ vaticinium, quo dicitur tanquam ouis ducendus ad mactationem.

§. 3. Tota igitur legatio discipulorum causa instituta est; illis enim dubitantibus, & Ioanni trepidè credentibus commisit legationem, vt alieno nomine fiderenter interrogaret. Non dubitabat enim Christum daturum talia signa veritatis, qualia non possent esse falsitatis. Ita Cyrillus Alex. l. 2. c. 4. thesauri Chrys. hoc loco.

loco. Theophyl. Rupertus, & recentiores plerique. Discipuli enim Ioannis partim amore magistri sui, partim ob Christi vitæ vulgatis contemptum, præcipuè verò Pharisæorum calumniis inducti dubitare cœperunt. Pharisæi enim etsi Ioanni infensi erant, maiore tamen odio erant Christo infesti, tum quod eius miracula inuidiam concitarent, tum quod Ioannem iam in vinculis constitutum non multum obfuturum suis vitiis cupiditatibusq; nefariè sperarent.

§. 4. Noster, *qui venturus est*, Græcè ὁ ἐρχόμενος, *veniens*. Sed illud omnibus temporibus accommodatum est. Sic & Syricum באתא *Bathe*, venit. Non de quolibet venturo, aut veniente loquitur, sed de eo, quem Prophetæ prædixerunt. *Venturus, veniens pro futurum.*

§. 5. Venturus autem ille Deus est Isa. 35. 6. & 61. 1. quæ cum de se Christus interpretetur, consequitur Deum esse. Epitheton erat, seu cognomentum Messiæ, *qui venturus est*, Isa. 35. Hag. 2. Quin & Apoc. 4. 11. venturus dicitur, ad iudicium scilicet. Gen. 48. *dicitur qui mittendus est*, de quo suo loco.

VERSVS 4. 5.

Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.

QVÆSTIO I.

Quid renunciari Ioanni iubet?

§. 1. QVæ audiunt & vident, ἀκούετε καὶ βλέπετε. Syrus etiam præsenti vtitur, quæ estis audientes, & videntes.

Opera enim quæ Isaias 35. 5. & 61. 1. Messiæ tribuit, iam videris à me fieri. Ea audite, & videte, vt dubitatio tollatur. *In ipsa autem horâ*, Luc. 7. 21. *Multos curauit à langoribus & spiritibus malis, & multis cæcis donauit visum.* *Facta docent auditorem.*

Illud vers. 5. *vident* in Græco est ἀναβλέπουσι, quod multi vertunt, *iterum vident*. Verum idem est quod βλέπειν, suè sursum aspicere, non autem visum recipere, vt Piscator ipse docet. ideoque immeritò nostrum interpretem reprehendunt, qui sic conuertit.

QVÆSTIO II.

Quomodo pauperibus euangelizatur?

PAuperes euangelizantur, Euthym. & Theophyl. actiue interpretantur, quia pauperes euangelizabant. Obiiciunt alii, non esse miraculum, quod pauperes sint nuncii rerum magnarum, sed pauperibus deferri regnum, hoc esse magnum. Verum à Deo electos pauperculos, qui de regno dando nuncium, deferrent, imo quibus potestas esset inaugurandi in regnum id quoq; nouum & præter Regum consuetudinem, qui maximis regni in negotiis illustres legatos mittunt. Non est dubium quin ad Isa. 61. alludat, & simul moneat non esse Euangelii docendi rationem, quæ erat Pharisæorum, illi enim vt auari, pauperes negligebant, circa diuites, & diuitiis occupati. Deinde diuitum non multi vocati, erant enim auersi ab Euangelio. Superbi ferè sunt, habent hic consolationem, vt Dei non requirant. *Pauperibus deferens legatos sunt, & regno auguratur.* *Diuitum pauci saluantur.*

Pauperes apud Isa. 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me; ad annunciandum mansuetis misit me; vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem*, vbi עניים *ghanim*, 70. verterunt pauperes, & *annunciare*; *euangelizare*. Hunc locum ex professo proposuit Dominus Luc. 4. 18.

Beza, pauperibus euangelizatur, quia altera dura constructio. atqui ita loquuntur 72. & Euangelista. καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, cum dicere posset, τοῖς πτωχοῖς εὐαγγελίζεται, pauperibus euangelizatur. Syrus ורישבינא מיסתברין *vmeschechina mesthaberin*, & pauperes euangelizantur. *Beza in nostro interprete Spiritum sanctum reprehendit.*

VERSVS 6.

Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

QVÆSTIO I.

Cur de Scandalo monet?

§. 1. SCandalizati Pharisæi, qui in lapidem impegerunt, & monet discipulos Ioannis, ne ipsi scandalizentur communi more viuendi. Deniq; dictus est lapis offensionis & Petra scandali. 1. Petr. 2. 8. non suo merito vel consilio, sed hominum vitio, nam alius aliam caulam, cur non accedat, inuenit. alios personæ vt videbatur humilitas, mortis acerbitas, doctrinæ puritas, nimium suis moribus distans, & non indulgens vitiis: discipulos Ioannis offendebat, quod non ita seuerè, vt eorum Magister, viueret. *Scandali occasiones.*

VERSVS 7. 8.

Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

QVÆSTIO I.

Quæ Ioanni tribuit Christus?

§. 1. CVm dixisset, beatum fore, qui in se nõ scandalizeretur, ne quis suspicari posset, Ioannem testimonium datum reuocasse, Christi vel humilitate, & vulgari vitæ ratione scandalizatum, idcirco Ioannis constantiam exponit, & testimonium comprobat. Non enim est instar arundinis, sed solidæ arboris quæ vento non mouetur. Iudæi leuia erant, & sui incerta pectora, cum miracula videbant, feruidè collaudabant, Regem facere statuebant, cum Pharisæorum calumnias audiebant, hominem potatorem & amicum Publicanorum iudicabant. An ergo inquit nuper vos in desertum existis videre arundinem, an virum fortem & constantem. Syrus v. 8. ראן לא אמרא *re en la manua, sin minus quid.* Existis inquit θεάσασθαι spectare; maius enim omnibus mundi admirandis spectaculum erat Ioannes in deserto. Non κάλαμος fluctuans, alioqui & suum iudicium reprehenderent, qui adeò temerè credidissent Ioanni. Fluctuare segetes & undare etiam Latini dicunt. Heliodorus l. 3. Histo. Æthiop. τῆς ψυχῆς ἀμφοτέροις ἐφ' ὑγρᾷ πάθεσι σαλευούσης. *Animâ vtrinq; ex passione humidâ fluctuante.* *Ioannem commendat ne dubitasse putetur.*

§. 2. De vestium asperitate supra dixi: Nunc hac indicat Ioannem cum testimonium daret, nihil adulatum,

adulatum, Qui enim splendidè vestiti, auribus dominorum blandiuntur, in palatio, non in deserto sunt, at qui sic vestiuntur, qui vescuntur crudis oleribus, non norunt adulari. Non est enim tam fœdæ seruitutis vllum precium. Quin & mollitudo vestium signum est effœminatorum, & delicioſiorũ, qui natura sunt inconstantes. Quia sunt fastidioſi, & appetitionibus obsequentes. Tertullian. teneras vestes conuertit.

VERSVS 9.

Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quam Prophetam.

QVÆSTIO I.

An Ioannes Propheta?

Ioannes plusquam Propheta.

§. 1. INterrogationis repetitione studium exeuntium, audiendiq; Ioannem comprobat. An inquam Prophetam putatis? & maior est Propheta. καὶ περισσότερον ἢ προφήτου, *amplius est quam Propheta.* Syrus ויתיר מן נביא *Vaiathir men nebia, præstatior pra Prophetâ.* Non igitur vestra vos exspectatio fefellit, talem vidistis, qualem vestrorum maiorum nemo. Populus autem Ioannem vt Prophetam habebat. c. 21. 26. Christus περισσότερον *plusquam Prophetam* asserit, quod verbum quod verbum in vitio, & laude ponitur, hic pro dignitate Ioannis accipitur.

Non Prophetæ more aliorum.

§. 2. Quomodo Ioannes Prophetam se negat? Respondeo; Christus maiorem Prophetam eum affirmat. Propheta non erat, quales veteres illi qui de venturo vaticinabantur, sed qui Christum venientem ostendebat, præcursor, & ex aula Domini, simul enutritus, perpetuo assistens. Negat igitur se Prophetam eo modo quo alii, qui venturum canebant, ipse præsentem monstrabat.

VERSVS 10.

Hic est enim de quo scriptum est: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

QVÆSTIO I.

An Ioannes Angelus?

Ioannes ex sanctitate & officio Angelus.

§. 1. ANgelum accipiunt nonnulli generatim, vt nuncium, legatumq; significet; eo modo Angelus hoc loco non vocatur; Nam Prophetæ quoque internuncii & interpretes diuinæ voluntatis ἄγγελοι dicuntur. Christus verò Ioannem ideo præfert Prophetis, qui Angelum eum Prophetæ appellarunt. Malachiæ 3. 1. & 2. 7. Angelus ergò singulari prærogatiua sanctitatis, officiique.

Voluit verò insignem Ioannis puritatem, promptitudinem, obedientiam indicare, cum Angelum vocauit; vt Theophyl. Euthym. alii annotant. Imo Chrysostomus summæ hoc illi laudi dat. *Puto quod gloriosior est*, inquit, *Ioannes, quod homo fuit, & propter virtutis meritum Ioannes & vocatus, quam si nomine & naturâ Angelus fuisset.*

Tertullian. aduersus Iudæos c. 9. Dei filium dixisse. *Ecce*, inquit, *ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, id est, populi, qui te custodiat in itinere, & introducat in terrã quã præparaui tibi: Intende illi, & audi eum, & ne inobediens fueris ei: non enim cælauit te, quoniam nomen meum super illum est. Populum enim introducturus erat Iesus in terram promißionis, non Moyses. Angelum quidem dixit eum ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus (quas virtutes fecit Iesus Naue, & ipsi legitis) & officium Prophetæ, nunciantis scilicet diuinam voluntatem, sicuti & præcursorem Christi Ioannem futurum Angelum appellat, Prophetam Spiritu dicens, ex personâ Patris: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, id est, Christi, qui præparabit viam tuam ante te. Nec nouum est Spiritui sancto, Angelos appellare eos, quos ministros sua virtute Deus præfecit.*

Iudæi tamen plurimi Angelum verum corpore vestitum arbitrati sunt, vt refert Hieron. & Iulianus Pomerius lib. 1. contra Iudæos. Rab. Dauid Angelum ait missum, qui iudicium exerceat. Verum fabulam illam, omnes sapientiores etiam Iudæi irrident.

QVÆSTIO II.

Cuius ante faciem præparabit viam?

§. 1. DE Prophetæ lectione disputatur. Nam in Hebræo, Illud: *ante faciem tuam*, non est, sed hunc in modum legitur, מלאכי פנה דרך לפני *Malachi, vphina derech lephanai*, Angelum meum, *& præparabit viam ante faciem meam.*

Loquitur autem Pater filio. fore vt præparet, ופנה *vphinna, complanabit.* quidam ἐπιβλέψεται.

Ante te Hebræus לפני *lephanai* ante me. Itaq; hic additum à Christo σοῦ ante faciem tuam, quod nec in Hebr. nec Chald. nec in Septuag. est. Deinde pro לפני *lephanai, ante faciem meam*, Christus dixit ἔμπροσθέν σου. Quod in 70. est πρὸ προσώπου μου. Est & alia lectio 70. ἀποστελῶ, *mittam.* pro ἀποστέλλω *mitto*, sed eam vitiosam non dubito, quamuis præferat exemplar Francofurtense.

Principio mittere ante facies, aut ire ante facies, est Hebræis antecedere Habac. 3. Psal. 147. Thren. 1. Isa. 45. Deinde constat etiam verba illa addita illustrare sententiam: nam si ante eum viam præparatus meus erat, velut anteambulo & metator, etiam antecedere *præ*oportuit. Est autem hic similitudo à principibus cum splendore venientibus sumpta.

§. 3. Hoc præcipuè quæritur. Cur dicat Propheta, antè facies meas, vel coram me; Christus verò: ante te?

Resp. Facilis videtur. In Euangelio loquitur Pater, in Prophetâ filius, vterque verò Ioannem misit. Iansenius tamen in Prophetâ Patrẽ loqui putat: quia mox additur, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis. Verum parui momenti est, filius enim loquitur de se in tertia personâ, vt moris est. Fixum igitur ratumque maneat: Filium loqui cum dicit præparabit, ante facies meas. Ioannes enim non ante Patrem, sed ante filium præcedit. Quamuis ante facies Dei præcedit, & Zacharias Pater eius prophetat. *Tu autem puer, &c. præibis ante faciem Domini parare vias eius.*

Inuictum igitur argumentum de Christi diuinitate contra Arianos colligitur. cum Christus Ioannem mittat. cum & Pater mittat, vna eademq; vtriusq; est actio, & auctoritas, adeo vt quod Propheta vni, Euangelista alteri tribuat.

VERSVS 11.

Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptistâ: qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An nemo maior Ioanne?

§. 1. HIllarius can. 11. comparationem ait fieri inter Prophetas. Id quoque Luc. 7. 28. habetur μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης Ἰωάννης τοῦ Βαπτιστοῦ, vbi est ἐν. Citaui Græcè, quia in latino potest esse ambigua lectio, *Maior inter natos mulierum Propheta Ioannes Baptista nemo est.* Est igitur comparatio cum Prophetis, sed qua tamen omnibus hominibus præstare probatur. Prophetæ enim alijs meliores sunt. Qui autem præstantissimos superat, vt Abrahamum fidelium patrem, cæteroſque prophetas, super omnes est.

§. 2. Hæc dignitas duplex est, ex sanctitate personæ, & officij magnitudine. In sanctitate collationē fieri, docet nexus argumenti; Non enim mutabilem esse, sed in sententia constante, non mollibus vestitū, non esse in domo, sed in carcere regis, virtutis documenta sunt. Quod ait, *non surrexit*, Græce est οὐκ ἐγήγερται, non suscitatus est, vt ostendatur Dei eligentis, & mittentis, non humanæ naturæ hoc esse beneficiū.

§. 3. Illa comparatio quæ fit cum illo, qui est in regno minor sanctitatem vitæ respicit, ergo etiam altera, quæ præponitur alijs. Loquitur vero Christus de ea magnitudine, qua *magnus erat coram Domino*, vt dixit Angelus Luc. 1. v. 15. vbi dignitatem eius exponens mores & officium simul complectitur. *Vinum & siceram non bibet. Spiritu sancto replebitur ex vtero matris suæ. Conuertet multos filiorum Isrl ael ad Deum patrum suorum. Præcedet illum in spiritu & virtute Eliæ.* Itaque non modo statu statui, ait Beza, nec genus doctrinæ confertur, sed etiam sanctitas sanctitati.

§. 4. Non tamen Christo maior, ille enim non natus est ex muliere modo naturali, sed de spiritu conceptus, natus illibata matris virginitate. Excipienda etiam Christi mater, cui & sanctitatem maiorem & officiū maius vt sit mater Domini Deus attribuit. Verum cum hic quoque de docendi & prophetādi munere agatur, hæc etiā ipsa parte mater minor est. Nos tamē, quia de sanctitate diei statuimus, comparationem cum sanctis veteris testamenti institutam respōdemus, vt Maldonatus noster exponit.

Qui excludunt B. Virginem, quia dicitur masculine ἐν τοῖς γεννητοῖς *inter natos*, quasi filias aut natas non comprehendat, infirma coniectura vruntur, scriptura enim masculino genere vti solet, pro omnibus; Quid sibi Erasmus voluerit, cum dixit γεννητοῖς neutrius generis esse, non video: nisi forte quod Grammaticus olim in gratulatione nuptiali dixit.

Et masculini, & fœminini gignite,
Generisque neutri filios.

Sed errant pueriliter interdum magni illi censores, omnium iudices.

Multæ stellæ solem præeunt orientem, multæ sequuntur, solus Lucifer nomen habet à luce insigni, vt φωσφόρος & vocetur. Hoc tributum Ioanni fuit; nec mirum videri debet alios alijs certa ratione anteponi & postponi.

QVAESTIO II.

Quis minor est in regno cælorum?

§. 1. REgnum cælorum duplici modo interpretantur. Vt sit Ecclesia triumphans. Alij vt sit militans. Hinc duæ orientur interpretationes. Prima vt minor in cælo dicatur maior Ioanne. Altera, vt minor in Ecclesia Christiana dicatur eodem Maior.

Illi qui de cælo & Ecclesia triumphante interpretantur, iterum in partibus sunt. Aliqui enim de Angelis accipiunt, vt dicatur minor Angelus maior Baptista, ita D. Augustinus.

Alij de quolibet qui est in cœlo, quia statu perfectiore est. ita Com. Hier. *Nos autem simpliciter intelligamus, quod omnis sanctus, qui iam cum Deo est. Maior est eo, qui adhuc consistit in prælio.* *Quomodo maior & minor.*

Qui de Euangelio interpretantur, quidam ita comparationem instituunt, vt dicant minorem in Euangelio esse illo maiorem ex natura Euangelij, Ioannes enim ex natura legis minor est. Non quod simpliciter minor, sed quod minor ex natura legis, licet maior ex Euangelio.

Alij vnumquemque in Euangelio ad perfectionē contendentem posse in Euangelio maiorem illo fieri.

Denique Franciſci Lucæ aliorumq; sententia minor Ioanne est Christus, qui maior est illo. Minor ætate, ordine prædicationis, & apud plurimos æstimatione. Nam præferebant plerique Ioannem, imo Herodes audiens Christi admiranda opera, Ioannem Baptistam arbitrabatur: adeo magnum erat nomen Ioannis, ad ipsum miserunt publicam legationem, qua quærerent an esset Messias, Christo credere non voluerunt. *Minor & maior Ioanne Christus.*

§. 2. Hanc vltimam verissimam puto. Christus enim de se in tertia persona loqui solet, atque ita etiam vt humilitatem insinuet, & officij ac personæ suæ dignitatem ostendat, ita enim Ioannem laudat, vt tamen ad Ecclesiæ ædificationem præferat se Dominum præcursori. *Laus Ioannis ad Christi gloriam instituta est.*

Deinde firmatur aliarum sententiarum refutatione, dubium est enim apud multos, an minimus Angelorum gratia & gloria maior sit sanctissimo homine. Et quamuis illud asserere luberet, non est cur hic de cōparatione cum Angelis agi dicamus. Altera expositio de statu perfectionis in cœlo, non videtur cōuenire. Tum quia nondum quisquam hominū in cœlum assumptus erat; tū vero quia nemo dubitat perfectiorem eum statum esse hac mortali: hoc enim ad dignitatem Ioannis vel augendam, vel minuendam nihil faciebat. Aliud enim non diceret, quam beatos in cælis suo in statu fæliciores esse, quam Ioannem in suo, hoc est, in vinculis. *Non comparatur cum beatis.*

Nec cohæret, quæ de statu Ecclesiæ militantis adferuntur. Etenim quamuis ex natura Euangelij maiores essent, quam ex natura legis, non tamen id ad rem facit; Nam etiam patriarchæ qui in lege vixerunt ex natura Euangelij maiores fuere multis in Euangelio viuentibus. Poterat Ioannes pari gradu cum illis, qui in lege erant contendere, imo præibat. Illæ porro statuū comparationes ad personarum augendam dignitatē parum faciunt. Christus hic Ioanni auctoritatem cōciliat. Quin & hoc addo, Ioannem iam tum cū Christus prædicare inciperet, in noua lege fuisse. Credebat enim Christo, eū prædicabat, ideoq; nihil minus habebat, quam discipuli & Apostoli. Etsi enim præcursor erat, postquam tamen Dominus aduenit, iam comes, & aulæ præfectus erat. *Non est comparatio statuū.*

§. 3. Caluinus l. 1. c. 9. §. 5. Negat eum Apostolis fuisse præstantiorem, quod non ita clare prædicasset, quemadmodum illi fecerunt.

Hic cuiq; interrogare promptū est; vnde Ioannis conciones obscuriores Apostolicis fuisse Caluino cō. stet? Nam illa quæ eum Euangelistæ dixisse aiunt, sat clara sunt, opinor & reliqua similia fuisse. *Ioannis clara prædicatio.*

Deinde de Christo testatus est clarissime, eumque monstrauit. Tertio à diebus Baptistæ regnum cælorū vim passum est, multos conuertit, non obscuræ igitur eius conciones fuerunt.

Quod vero Piscator ait, Eum non testatum esse de agno mactato, quod illi fecerunt qui in nouo testamento sunt, parum ad rem facit. Nam circumstantia temporis non facit tantum discrimen. Alioqui Christi prædicatio etiam minus fuisset illustris, minusque iucunda doctrina, quam Apostolorum, mortem e-

nim ille suam prædixit, Apostolorum vero conciones post illam habitæ sunt.

Itaque multos ipse conuertit, & instruxit. Non propter obscuritatem minor Apostolis, sed propter spiritum, aliaque dona maior.

Ex magnitudine Ioannis, Cyprianus argumentum pro hæreticis rebaptizandis adducit. *Nec recusabunt, inquit, baptizari apud nos hæretici legitimo & vero Ecclesiæ baptismo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quoq; à Paulo eos qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent; sicut legimus in actibus Apostolorum. Et nunc apud quosdam de nostris, hæreticorum baptisma occupatum asseritur, & inuidia quadã quasi rebaptizandi, baptizare post hostes Dei nefas ducitur; cũ baptizatos inueniamus, quos Ioannes baptizauerat: ille Ioannes maior inter Prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus, ille Heliæ spiritu & virtute subnixus, qui non aduersarius Domini, sed præcursor ac prædicator fuit, qui Dominum non tantum verbis prænunciauit, sed & oculis ostendit, qui ipsum Christum, per quem baptizentur cæteri, baptizauit.* ita Epist. 73. ad Iulianum.

Vere à Paulo rebaptizati, quos Ioannes baptizaret.

Errorem illum S. Cypriani & coepiscoporum eius nostri sectarij non sequuntur, quod tamen oporteret, si baptismus Ioannis & Christi esset idẽ; Ille enim vere rebaptizatos esse ab Apostolis fatetur, quos Ioannes baptizauit, quod negant hæretici; ideo verò illi sunt rebaptizati; quia non idem baptismus Ioannis & Christi. hac de re supra c. 3. disputaui. Vide Aug. l. 5. de baptismo. c. 1. 2. 3. 4. ostenditque S. Cyprianum, eos saluos æstimasse, qui ad Ecclesiam sine anabaptismo venerunt. *Si dicis, inquit, non recte foris datur: respondemus, sicut non recte foris habetur, & tamen habetur, sic non recte foris datur, sed tamen datur. Sicut autem per vnitatis reconciliationẽ incipit vtile esse, quod extra eã inutiliter datũ est.*

Cyprianus à se dissentientes non damnauit.

Videatur & Aug. l. 5. de baptismo c. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. vbi inter vtrumq; baptismum discrimen ostendit. & c. 17. *Quandoquidem, inquit, cuiq; Episcopo permisit sentiendi hac de re quod vellet libertatem, non mirum cuiquam videri debere, si ipse à Cypriano hac de re dissentiat: vniuersæ Ecclesiæ consuetudinem & definitionem plenarij Concilij pluris faciens, quam aliquot Episcoporum scripta.*

§. 5. Et Hieronymus aduersus Luciferianos. Verum si voluerunt, qui ab Hilario instituti sunt, & oues sine pastore esse cœperunt, de scripturis ea proferre quæ Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos, in Epistolis suis reliquit: *Sciant, inquit, illum hac non cum anathemate eorum qui se sequi noluerunt edidisse (siquidem in communione eorum permansit qui sententiæ suæ contraierant) Sed hortatum potius fuisse, propter Nouatianam & alias tunc hæreses enascentes, ne quis quam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur.*

Manichæi Ioannem damnatũ dicebant.

§. 6. Aug. l. 2. contra aduers. Legis & prophetarum, Binas expositiones complexus est, de Angelis & de Christo. Nam respondet aduersarijs qui hinc argumentabantur Ioannem cælo exclusum, ideo multò magis omnes prophetas, quibus hunc in modum ille respondet. *Argumentati etiam, inquit, de Ioanne Baptista. Qui autẽ minor est in regno cœlorum, maior est illo, ita velut ratiocinando, tanquã Ioannes non pertinet ad regnũ cœlorũ, & ob hoc multo minus cæteri prophetæ illius populi, quibus maior est Ioannes. Hæc autem verba Domini duobus modis possunt rectissimè intelligi. Aut enim regno cœlorum appellauit eo loco Dominus, quod nondum accepimus, & in quo nondum sumus; vnde & in fine dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Et quia ibi sunt Sancti Angeli, quilibet in eo minor, maior est vtiq;, quolibet sancto & iusto, portante corpus quod corrumpitur & aggrauat animam. Aut si regnum cœlorum in ea sententia illum intelligi voluit, qua & in hoc tempore significatur Ecclesia cuius filij sunt omnes ab institutione generis humani vsque nunc quotquot iusti & sancti esse potuerunt: profecto seipsum Dominus significauit, quia nascendi tempore minor erat Ioanne, maior autem diuinitatis æternitate, & Dominica potestate. Proinde secundum priorem expositionem ita distinguit: in natis mulierum nemo exsurrexit maior Ioanne baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, ac deinde subinfert, maior illo est. Secundum hanc autem posteriorem ita: in natis mulierum nõ exurrexit maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est, ac deinde subinfertur, in regno cœlorum maior illo est. Sed vterq; intellectus tam congruit veritati, quam refellendæ huius sufficit vanitati. Siue enim quilibet Angelus cæteris minor, Ioanne sit maior: siue hic Dominus intelligatur, Ioanne præcursore suo ætate minor, maiestate maior, nihil inde prophetis cæteris derogatur. Potuerunt enim esse Ioanni aliqui æquales, aliqui eo minores, nullus autem maior propter sententiam Domini: omnes tamen sancti & iusti & boni.*

VERSVS 12.

A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

QVAESTIO I.

Quam patitur vim regnum cælorum?

§. 1. INdicat solutis repagulis omnibus, aditũ adregnum esse, non iam de patribus, & carnali hereditate agi, sed omnibus aperiri, dare virtuti, etiam exteræ, nam ab oriente & occidente venient; alludit ad regna terrena, quæ bell. cosi obtinent, & exteri. Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ ad Ioannem, ex eo regnum euangelizatur.* Ante à solis Angelis possidebatur, nunc hominibus patefit, non ignauis, sed fortibus, Iudæis nascitur Christus, sed plus prodest gentibus, externi intrant regna ruunt, violentia ergo est multitudo, feruor, impetus quo post Ioannis & deinceps Christi prædicationem virtuti student. Sic & terra promissionis armis occupanda fuit.

Hilarius vero can. 11. & in Psalm. 2. *Sic, ait, in rapiendo regno cœlorum raptore Dominus delectatus, ait: A diebus autem Ioannis regnum cælorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud: quia cum regni cœlestis possessio Israeli prædicaretur, fides tamen gentium possessionem hanc sibi Israeli diffidenti præriperet.*

Ambros. lib. in Lucam. 6. & serm. 15. ideo vim pati, quia vel non intra vnum populum continetur, sed omnibus qui virtute niti, non sanguine volunt, proponitur.

§. 2. Irenæus l. 4. aduersus hæreses de perpetua vigilantia interpretatur. *Quæ enim, ait, fruitio boni apud eos qui ignorant? Quæ autem gloria his, qui non studuerint illuc? Quæ autem corona his qui non eam, vt victores in certamine consequuti sunt? Et propter hoc Dominus violentum dixit regnum cœlorum. Et qui vim faciunt (inquit) diripiunt illud. Hoc est, qui cũ vi & agone vigilantes instanter diripiunt illud.*

Vim illam Cypr. de natiuitate Christi, de victoria sui interpretatur. Optimè inquam, quia illa non de vno, alterone, sed cunctis vitijs habetur. Et vere, qui cunctis viribus eo tendit, vim infert.

VERSVS 13.

Omnes enim prophetæ & lex, vsque ad Ioannem prophetarunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnes prophetæ ad Ioannem prophetarunt?

§. 1. DVo ex his verbis errores orti sunt. Priorem multorum hodierno tempore; Ioannem veteri legem abrogasse, nouam condidisse. Alter vero omnes legè solutos esse. Priorem pleriq; hodie hæretici sequuntur. Alterum Valentinus Cerdon, Apelles, Antonomi, Libertini, & si rem spectes plerique hodierni hæretici tuentur. Vterque refutatur. Nam Christus

Christus præstitit legem adimplendo, non ergo Ioannes abrogauit.

stus ipse venit legem adimplere, & hic pœnitentiam requirit aliaque opera, lex ergo ad Ioannem & Prophetæ, quia lex qua vmbra fuit, cessit veritati. Lex cæremonialis futura obscure significans nunc Christo accedente cessit, & vbi manet, iam non obscura est amplius, sed iam exhibens præsentem. Itaque exponenda verba sunt: *Prophetæ & lex prophetauerunt*, non dicit: *lex & prophetæ prophetauerunt*, sed ne quis hic interpretetur, lex fuit, & Prophetæ prophetauerunt: *sed prophetæ & lex prophetauerunt*. At quomodo lex prophetat? quia signa constituendo id futurũ indicat, quod prophetæ verbis, lex prophetat sacramentis, prophetæ oraculis, lex agno paschali prophetat de Eucharistia, prophetæ verbis. Itaque lex futura obscure signans, hoc est prophetans, sicut prophetæ ipsi ad Ioannem durarunt; nam tunc cum Ioannes diceret: Ecce Agnus Dei, &c. *lex & prophetæ*, iam præsentem dæmonstrant, non iam aberant, sed tenebantur.

Lex signũ prophetæ Prophetæ verbis.

§. 2. Non aliter lex illa desijt, quam Prophetæ, at prophetæ ita desierunt, vt iã non longe abessent, quæ prædixerunt, sed adessent pariter: ergo & lex, hoc est prophetæ desierunt prophetare; nam cum legerentur & exponerentur adhuc prophetabant in libris suis dũ futura prædicebant, at cum Christus legeret Isaiam in Synagoga iam non prophetabant, quia completa erant, aut compleri cœperant, de quibus prophetabãt. Luc. 17. 16. & 17. Lex & prophetæ vsque ad Ioannem (subaudi ex Matthæo prophetauerunt.) *ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

§. 3. Quoad moralia, omnia seruare tenemur, vtpote ex quibus vniuersa lex pendet, & prophetæ.

§. 4. Christi scopus est ostendere regnum cœlorũ vim pati; itaq; sic argumentatur: Lex & Prophetæ obscure, & de longinquo prophetarunt vsque ad Ioannem, ideoq; pauciores & minore efficacia mouerunt; at a tempore Ioannis iam nec longe res illæ aberant, sed ipse Messias ostensus, nõ pictura beatitudinis, seu sponsi; sed ipse sponsus; accurrunt ergo, & regnum cœlorum vim patitur; quæ ratio optima est. At si sensus est nunc lex omnis abrogata est, prophetæ irriti facti, & data libertas à lege, non sequitur regnum cœlorum vim pari, ad quod aditus non est nisi seruata legem: nisi cum Libertinis dicamus, vnicum modum esse perueniendi ad regnũ cœlorum nullã legem putare.

Cur vbi in scure, refertur regnum cœlorũ

§. 5. Facilius est autem cœlũ & terram præterire quã delege vnum apicem cedere. Hic Christus aperte ostendit, legem seruandam implendam, vt c. 5. expositũ, lex ergo & prophetæ ad Ioannem, cum dicitur, opponitur illis verbis regnum cœlorum euangelizatur, iam aperte, iã præsens, itaq; obscuritati, legis vmbris, cærimonijs ipsius iam præsentis opponitur: nam lex implenda est. Non longe aberrauit quidam hæreticorum, Iunius & Tremell. futura tantum prophetarunt nunc præsentia cernuntur: lex & Prophetæ iustum præbuerunt. Nullo igitur argumento legem oppugnare Christus voluit. Sed legem, & finem legis clarius ostendit Maldonatus, viguisse & stetum habuisse scribit, opponit vero Lucas 16. 16. Prophetis & legi, vim pati regnum cœlorum.

Lex seruãda vt regnum cœlorum cõsequamur.

§. 6. Piscator dupliciter distinguit. [πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν. Pro diuersita-
» te distinctionis nascitur diuersa syntaxis, & hinc di-
» uersa expositio. Si apponas notam incisi post ὁ νόμος,
» syntaxis erit: omnes Prophetæ & Lex prophetarunt
» vsque ad Ioannem scil. quatenus prophetarũt de ad-
» uentu Christi. q.d. Prophetiæ illæ non extendunt sese
» vltra id tempus quo suscitatus est Ioannes, sed precise
» in illud incidũt. Si v. comma apponas post ἕως Ἰωάννου,
» syntaxis erit: Nam omnes prophetę & Lex (subaudi οἱ
» προφῆται) qui fuerunt vsque ad Ioannẽ prophetarunt,
» nempe de aduentu Christi, quasi dicat nõ autẽ Chri-

stũ præsentem ostenderunt: sicut Ioannes fecit. Et sic verbum prophetarunt, positum fuerit emphaticè per tacitam antithesin. Atq; hæc expositio declarat quomodo hæc sententia cohæreat tanquam ratio cũ sententia illa versus vndecimi, quod nõ sit suscitatus maior propheta quam Iohannes, secundum priorem vero expositionem cohærebit hæc sententia, cum sententia versiculi proxime præcedentis: & ratio indicabitur, cur Iohannis testimonium tã auide recipiatur: quia scil. auditores ex illius prædicatione discant, iam esse tempus vt vaticinia Mosis, & Prophetarum de aduentu Christi impleantur. Sed altera expositio videtur genuina.]

Verum non redditur ratio cur maior sit, sed cur regnum cœlorum vim patiatur. Quod enim nonnulli post versum 10. subijciunt 13. audiendi nõ sunt, librorum testimonijs conuicti. Sensus igitur: Prophetas de aduentu iusti pronunciasse, idque solis Iudæis, paucis gentibus. At nunc cum præsens ipse Dominus aduenit in templum suum, atque à Ioanne ostensus est: Omnes in regnum cœlorum *velut obice rupto* inuehi, & violenter rapere.

Cessaturum esse legem Cyprianus l. 1. test. aduers. Iudæos. 9. ex hoc eo probat, quod *lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem.*

§. 7. Tossanus in Ioanne ita legem fixit, vt tamen ad Christum ostendat pertinere. [Quæritur cur dicat, ad Ioannem, non vsque ad me, vel vique ad Christum? Respondet. 1. Res eodem fere tedit, cum eodem tempore vixerit; sed modestię causa de Ioanne potius quã de se loqui voluit. 2. quia numerat Ioannem inter vltimos prophetas & terminum illum facit omnium Prophetarum, qui scilicet de Christo locuti fuerant.] *Hæretici ertam o- stendũt, à Ioanne non ab- latam legem.*

Non igitur Ioannes inchoauit nouam legem, sed finiuit veterem, si Tossanum audiamus, cum tamen plerique hæreticorum, nouæ legis, & noui baptismi Ioannem institutorem faciãt. Qua de re supra disputauimus, audire lubet Tertullianum l. de baptismo. *Agebatur itaq; baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciatum est, si quidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: qui autem præparat non idem ipse perficit, sed alij perficiendũ procurat, ipse professus sua non esse cœlestia, sed Christi, diuendo, qui de terra est, de terra loquitur: qui de supernis venit super omnes est. Item sola se pœnitentia tingere, venturum mox qui tingueret in spiritu & igni, scilicet quia vera & stabilis aquæ fides, qua tinguitur in salutem, simulata autem & infirma igni tinguitur in iudicium.* Ioannes non instituit nouã legem.

Et eodem loco *Vnde & suggeritur, quum aduersantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum amulis suis sapuisse, maxime quando Dominus, cui adhærebant, testimonio Ioannem extulisset, Neino, dicens maior inter natos fœminarum Ioanne baptizatore.*

VERSVS 14.

Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.

QVÆSTIO I.

An Elias sit venturus?

Textum deprauãt Beza.

§. 1. BEZA ne Eliam venturum opus esset dicere cõmentus est ex Erasmo aliam interpretationẽ, ὁ μέλλων ἔρχεσθαι qui venturus erat, quasi dicat illum venturum fuisse, iam autem aduenisse. Verum μέλλων ἔρχεσθαι semper de futuro dicitur, de eo inquam quod iã futurum est, non q; aliquando quidem futurũ erat nũc vero præteritũ est. Alioqui dixisset ὁ μέλλησας ἔρχεσθαι

ϑαι qui erat venturus, ea forma vtitur Thucydit. lib. 5. Demosth. pro corona. Et Synes. ἐμέλλομεν δ' ἀφικνεῖσθαι τὴν γαλήνην, exspectaturi eramus tranquillitatem. Cum ergo Christus non dicat ὁ μελλήσας ἔρχεσθαι, qui erat venturus. Sed ὁ μέλλων ἔρχεσθαι, qui est venturus; non modo perperam optimus interpres reprehenditur; Sed Christi etiam verba nouatrice temeritate in alium sensum torquentur. Nec potest Syriacus textus aliter intelligi רהוויר אליא דעתיר למיאתא quia est Elias, qui futurus est ad veniendum. Noster interpres ab aduersarijs etiam defenditur. Nam v. 3. ὁ ἐρχόμενος vertit Piscator ipse. venturus est. & refutat eos qui vertunt, venturus erat, vel fuit. [Quibus formulis, inquit, significatur: illum de quo sermo habetur, iam venisse: quæ affirmatio repugnat præsenti interrogationi. Qui enim interrogat (nempe simpliciter & animo cognoscendi, vt hic fit) is nec affirmat, vel negat, sed tanquam dubius affirmationem negationemue exspectat.]

Nostrum interpretem aduersarij defendunt.

Poni autem ait ἐρχόμενος pro ἐλευσόμενος. Qua in re apparet Hæreticorum prauitas. Cum dicitur ἐρχόμενος, vertunt recte, ἐλευσόμενος; præsens pro futuro. At cum dicitur, μέλλων ἔρχεσθαι fore vt veniat, ea formula, qua nunquam pro præsenti vtimur, vel præterito, illi ex ea præteritū fingunt. Quomodo autē illud vertēt, *Et restituet omnia*? an qui restituturus erat omnia. Non enim consequenter speculationibus indulgent; qui docent. *Elias quidem venturus erat, sed iam venit; & restituet omnia, nisi dicant hoc esse, iam restituit omnia.* At Dominus futuro vtitur.

Malachiæ Prophetia in solo Ioanne non penitus impleta.

Porro Eliam venturum esse constat ex Malachiæ c. 4. 5. nec Prophetiam impletam hoc aduentu docet Christus cum dicit, *adhuc venturum.* Nec obstat Ioannem dici Eliam, de Spiritu enim, & officio, nō de persona loquitur, ita apud Luc. 1. dicitur *in Spiritu & virtute Eliæ venturus.* Rationem enim reddit, cur tanta conuersio facta sit eius aduentu, & cur tam inexcusabiles, qui eum non receperunt, cum illi qui ante diē Domini magni venturi sunt, Eliā sint suscepturi; Hic vero sit alter Elias etiam maior Elia vero. Venturum autem esse Eliam ex Malachia constat; quia præcedet diem Domini terribilem. Constat vero ex Matth. 17. Vbi ait, *Eliam venturum & omnia restituturum.* Iam autem Eliam venisse, sed non cognitum: Vide Augustinum 2. de Ciuitate c. 29. & tract. 4. in Ioannem. Vbi

Venturus Elias est.

ait. *Nam primo ille quo maior nemo surrexerat in natis mulierum dixit: Non sum ego Christus. Dicuntque illi: nunquid tu es Helias? Respondit, Non sum: Christus enim præmittit ante se Heliam: & dixit, non sum, & fecit nobis quæstionem. Timendum est enim, ne minus intelligentes contraria putent Ioannem dixisse quam Christus dixit. Quodam in loco, cum Dominus Iesus Christus in Euangelio quadam diceret de se, respōderunt illi discipuli: Quomodo ergo dicunt scribæ, id est, periti legis, quia Heliam oportet primum venire? & ait Dominus. Helias iam venit, & fecerunt ei quæ voluerunt: & si vultis scire, ipse est Ioannes Baptista. Dominus Iesus Christus dixit, Helias iam venit, & ipse Ioannes Baptista: Ioannes autem interrogatus sic se confessus est, Heliam non esse, quomodo nec Christum esse. Et vtique sicut verum confessus est Christum se non esse, sic verum confessus est nec Heliam se esse. Quomodo ergo comparabimus dicta præconis cum dictis iudicis? absit vt præco mentiatur: hoc enim loquitur quod audit à iudice. Quare ergo ille, non sum Helias: & Dominus, ipse est Helias? Quia in eo Dominus Iesus Christus præfigurare voluit futurum aduentum suum, & hoc dicere, quia in spiritu Heliæ erat Ioannes. Et quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc erit Helias ad secundum aduentum. Quomodo dico aduentus Iudicis, sic dico præconis. Iudex quidem ipse, præcones autem dico: non dico Iudices. Oportebat autem Iudicem primo venire iudicandum. Misit ante se primum præconem, vocauit illum Heliam: quia hoc erit in secundo aduentu Heliæ, quod in primo Ioannes. Namque intendat charitas vestra quam verum dicam. Quando conceptus est Ioannes, vel potius quando natus, Spiritus Sanctus hoc de illo homine impleto prophetauit: & erit, inquit, præcursor altissimi, in Spiritu & virtute Heliæ. Non ergo Helias, sed in Spiritu & virtute Heliæ. Quid est in Spiritu & virtute Heliæ? in eodem Spiritu vie Heliæ.*

Quare viæ Heliæ? Quia quod Helias secundo, hoc Ioannes primo aduentui fuit. Recte ergo modo Ioannes proprie respondit. Nam Dominus figurate; Helias ipse est Ioannes: iste autem vt dixi proprie: Non sum ego Helias. Si figuram præcursionis aduertas, Ioannes ipse est Helias: Quod enim ille ad primum aduentum, hoc ille ad secundum erit. Si proprietatem personæ interroges, Ioannes Ioannes, Helias Helias. Dominus ergo ad præfigurationem recte, ipse est Helias: Ioannes autem recte ad proprietatem, non sum Helias. Nec Ioannes falsum, nec Dominus falsum: nec præco falsum, sed si intelligas.

Sic Tertul. l. de anima. Orig. tract. 3. in Matth. Chrysost. hom. 4. in 2. epist. ad Thess. Theodoret. Greg. lib. 9. in Iob. c. 4. Hilar. can. 71. Theoph. Beda. Anselm. Aretas, D. Thomas. At Rupertus dubitauit ob Hieronymum. Ille in Zachariam ita loquitur. *Post Moysen, cuius mandata spiritualiter docuimus esse seruanda, Eliam dicit esse mittendum. In Moyse legem, in Elia Prophetiam significans, dicente Abraham ad quendam diuitem purpuratum: Habent Moysen & Prophetas, illos audiant. Et Dominus atque Saluator transfiguratus in monte, loquentes secum habebat Moysen & Eliam in candidis vestibus, qui & dicebant ei quæ passurus esset in Hierusalem. Lex enim & omnis Prophetarum chorus Christi præcinit passionem. Igitur antequam veniat dies iudicij, & percutiat Dominus terram anathemate, siue omnino vel subito, vt Lxx. transtulerunt, hoc enim significat ἀρδην, mittet Dominus in Elia (qui interpretatur Deus meus, & est de oppido Thebi, qui conuersionem & pœnitentiam sonat) omnem Prophetarum chorum, qui conuertat cor patrum ad filios, Abraham, videlicet & Isaac & Iacob & omnium Patriarcharum: vt credant posteri eorum in dominum saluatorem, in quem & illi crediderunt. Abraham enim vidit diem Domini, & lætatus est siue cor patris ad filium, id est, cor Dei ad omnem qui Spiritum adoptionis acceperit. Et cor filiorum ad patres eorum, vt Iudæi, & Christiani, qui nunc inter se discrepant, pari in Christum religione consentiant. Vnde dicitur ad Apostolos, qui Seminarium in toto orbe Euangelij prodiderunt: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Si enim Elias non cor Patrum ad filios ante conuerterit, & cor filiorum ad patres eorum cum venerit dies magnus & horribilis (magnus Sanctis, horribilis peccatoribus) percutiet verus & iustus iudex non cœlum, nec eos qui versantur in cœlo, sed terram anathemate, qui faciunt opera terrena Iudæi & Iudaizantes hæretici ante ἠλειμμένον suum, Eliam putant esse venturum, & restituturum omnia. Vnde & Christo in Euangelio proponitur quæstio: Quid quod Pharisæi dicunt quod Helias venturus est? Quibus ille respondit Elias quidem veniet, & si credit is, iam venit: in Elia Ioannem intelligens.*

Alioqui in Matthæum ipse censet venturum Eliam; sed comm. Hieronymi non est. Vetustissimam tamen sententiam esse docet. Iustin. in dialogo cum Trythem. Ambr. in 1. Cor. 4. Isidorus de vita & morte sanctorum c. 35. Omnes in c. 11. Apoc. Quin etiam 70. verterunt Ηλίαν τὸν Θεσβίτην Eliam Thesbiten, Hieronymus vt certam se personam mittere ostendat. Denique venturum venientem percutiet terram anathemate. Hieronymus prophetam spiritaliter interpretatur. Vide etiam Bellar. lib. 3. de mysticis Pontif. c. 6.

§. 2. Qui μετεμψύχωσιν seu transanimationem hic imaginantur, à vero plurimum aberrant. Non enim anima Eliæ in Ioanne fuit. Sic etiam

etiam gentes in comparatione virtutum & vitiorum, personas confundere videntur. Sic Lucullum vocabant togatum Xerxen. Sic, *Tertius è cœlo cecidit Cato.* Alia innumera ad hanc formam vsurpantur.

§. 3. Piscator per tropum hæc dicta esse ait, ideò multa oriri incommoda, dum non attenditur ad tropum. [Nam tropi non obseruati multos errores gignunt: cuius rei exemplum hic habemus in Iudæis: qui locum Malachiæ de Elia falsò interpretati sunt, eò quod ad tropum metaphoram non attenderunt.]

Tropus nõ est in Malachia. Respondeo hæretico tropistæ: Non esse hic tropum omnino, vt ex parte iam ostendi. Neque enim Malach. 4. tropum fingere licet, *cum dies illa accensa sicut caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituũ, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* Et v. 3. *Et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.* Quæ extremo in iudicio perficientur.

Pariadiudaismus. §. 4. Pareus in Apoc. 11. 43. [Hoc non necessario de extremo die iudicij intelligitur: quia etiam primus Christi aduentus, fuit magnus mysterio incarnationis & miraculis; terribilis vero impijs, quod trepidatio Herodis & Iudæorum testatur. Sed esto: etiã Ioannes venit ante diem iudicij. Nec dicit Malachias præcisè tribus & dimidio annis ante iudicium Eliam venturum.] Non potest hoc inquam dici. Quia in scripturis, Prior Christi aduentus gratus, acceptabilis, gaudij plenus dicitur: At vero ille terribilis extremus semper nominatur. Deinde valde peregrinum est, Ioannem dici venire ante terribilem diem: qui venit ante Christi aduentum. Nam circa illum diem conuertet, quando veniet, erit dies *sicut caminus succensa.* Itaque in illa tempora Elias promittitur, quem Dominus venturum ait. Nam ad consolationem illam de Elia Prophetiam interserit. Sentiendum igitur cum veteribus, & scripturæ verba proprie accipienda sunt, nec vnius alteriusue curanda sententia. Tertullianus quidem iam senior & Hæreticus apertè negat eum venturum lib. de pudicitia cap. 8. Verum aliter lib. de anima. *Hoc est ex malis fructibus bonam arborem intelligi, id est, ex pessimis præceptis doctrinam veritatis agnosci. Spero huiusmodi hæreticos Heliæ quoque inuadere exemplum, tanquam in Ioanne sic repræsentati vt metempsychosi patrocinetur pronuntiatio Domini, Helias iam venit & non cognouerunt eum: Et alibi: Et si vultis audire hic est Helias qui venturus est, Nunquid ergo & Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem, Tu es Helias: & non ex prædicatione diuina: Et ecce mittam vobis Heliam Thesbiten. Sed enim metempsychosis illorum reuocatio est animæ iam pridem morte functæ & in aliud corpus iterata. Helias autem non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento Prophetiæ, idem & ipse & sui hominis, & sui nominis. Sed quo modo Helias Ioannes? Habes Angeli vocem: Et ipse (inquit) præcedet coram populo in virtute & in Spiritu Heliæ, non in anima eius, nec in carne. Hæc enim substantia sui cuiusque sunt hominis. Spiritus vero & virtus extrinsecus conferuntur ex Dei gratia, ita & transferri in alterum possunt ex Dei voluntate, vt factum est retro de Mosei Spiritu.*

Aduentus Domini primus nõ possumus dedita opera.

Elias adhuc venit in corpore.

Hieronymus valde ambigue loquitur, & vt dixit Ribera spiritaliter interpretatur. Verum plura in c. 11. 4. Apocal.

* * *

VERSVS 15.

Qui habet aures audiendi, audiat.

QVÆSTIO I.

An non omnes habeant aures audiendi?

Aures audiendi. §. 1. AVres audiendi habere, aliud non est, quam habere attentas, dociles, obedire paratas: non quales Isai. describit, c. 6. 9. Est vero locutio prouerbialis, qua rei magnitudo, & necessitas declaratur. Excitanturque Auditores vt in rem ad quam percipiendam sensus dati sunt, incumbant:

Fides non tantum electorum. §. 2. Sine ratione hic argutatur Piscator, fidem esse tantum electorum, eos enim solos habere aures audiendi, cæteros vero nequaquam. Multi enim habent aures audiendi, vt credant, & aliquando à fide recedant, accipiunt verbum cum gaudio, At in tempore tentationis recedunt. Verbum audiunt, assentiuntur, sed non faciunt. Credunt, vocantur, sed non perseuerant.

VERSVS 16. 17.

Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus: dicunt, Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus vobis, & non planxistis.

QVÆSTIO I.

Quæ, & quo tendit illa similitudo?

Origo similitudinis ex facto. §. 1. FRequentissimus vsus est interrogationum in parabolarum principio, Thalmuht Ierof. c. 2. *de benedictionibus.* Putant nonnulli eiusmodi puerorum lusum esse diuisis choris, quod insolens non est, quam reuera ex re quę fit, similitudo ducitur, scimus pueros omnia imitari, si funus vident duci maxime aliqua nouitate, vel apparatu ipsi quoque eadem agunt, ijdemque in plateis prælia, Magistratus, & alia tractant, vt illi in littore Alexandrino, à quibus Episcopus lectus Athanasius. Cum ergo funera essent plura tibiæ, tubæ, lamentatrices, præficæ, id pueri imitabantur, interim exprobrantes æqualibus, si non lamentarentur, atque ita ludum rumperent, atque sic ad saltationes inuitabant, & choreæ accommoda canerent: at obstinatuli, si ne tum quidem colluderent, merito videbantur à communi hominum consuetudine abhorrere, valde dolentibus illis, quod feruidi in lusum cogebantur aliorum fastidia ferre. Non est autem pars parti applicanda, & res tota toti. Nec enim pueri Ioannes, nec Christus, sed hoc dicitur: Duo modi sunt conuertendi homines, primus eximia vitæ sanctitate, quæ est in austeritate externæ vitæ, qualem habuit Ioannes, in quo nihil fuit quod reprehenderetur, nihil quod impostura haberet suspicionem, vt qui luculento patrimonio & licto eremum coleret, cibis humanis vix vteretur, Herodem vitæ periculo moneret, & tamen non parùerunt illi. *Iudæorum obstinatio.* Alter modus est, benignitate, & humanitate, ne fugerent, ne austeritate terrerentur, itaque Christus vitæ, synagogis, conuiuijs interest, sanat miseros; at ne sic quidem adiungere se voluerunt, modus ergo alius

non restat, sed meritò relinquuntur. Impiam igitur morositatem taxat, cui omne Dei cõsilium omnis ratio docendi displicet. Ribera noster in Ose. 14. n. 25. Huc adfert illa verba Prophetæ, *Quis sapiens & intelliget ista? intelligens & sciet hæc? quia recta via Domini & iusti ambulabunt in eis, prauaricatores vero corruent in eis.*

QVÆSTIO II.

An saltationes probet?

§. 1. SAltationes sunt duplices, quædam piæ & sanctæ ad indicandam in Domino lætitiã. Quales erat, Dauidis 2. Reg. 6. forsan & Mariæ Exod. 15. & l. 1. Regum 18. vbi nulla lasciuia, nulla ad eam irritatio.

Aliæ impiæ & lasciuæ, detestabiles, cùm viri cum fœminis facto corporum motu libidinosisque cantionibus choreas ducunt: quas Ecclesia Dei Spiritu damnauit.

VERSVS 18.

Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens: & dicunt, dæmonium habet.

QVÆSTIO I.

Cur dæmonium habere dicant?

A dæmone ali fingebant.

§. 1. SYrus vertit: *dæmonium est illi.* Atque hoc eos dixisse puto, non obsessum quidem à dæmone, à quo vexaretur, more aliorum energumenorum, sed habere spiritum πάρεδρον, à quo occulte sustentaretur. Quædam exemplaria apud Erasmum habent ὅτι πνεῦμα ἔχει, *quia Spiritus est*; Quidam à dæmone obsessi, vel nullis cibis, vel obscenis vescuntur: hinc originem calumniæ Pharisæi traxerunt. Hac de re multa & curiosa exempla inediæ portentosæ passim narrari solent.

Austeritas Ioannis.

§. 2. Apparet quam oporteat serio & constanter seruum Dei famam tueri, id enim ad gloriam Dei & animarum salutem perquam vtile est. Denique quãtum illi à vero aberrent, qui communi & vulgari cibo vsum Ioannem imaginantur, quos contra c. 3. disputaui, nisi enim admiranda ieiunij seueritas fuisset, nequaquam dæmonum auxilio homines improbi id tribuissent.

§. 3. D. August. lib. 17. c. 31. contra Faustum Manichæum ostendit, cibos quosdam non esse immundos, ideoque contaminare homines, nec ideo ieiunare nos, quod eos immundos ducamus. Verba eius sunt. *Dicis enim & tu Christum sic docuisse ciborum indifferentiam, vt à suis quidem discipulis omnes carnes penitus remoueret: secularibus vero vulgo concederet omnia, quæ possent edi atque asseueraret quod eos nihil in os intrans polluret, quia quæ de ore impudenter procedunt, ea sola sunt, quæ polluant hominem. Hæc verba tua sunt, tanto impudentiore, quanto apertiore mendacio deprompta, & expressa. Primo quia secundum Christi sententiam si ea sola polluunt hominem, quæ mala ex ore procedunt, Cur & discipulos Christi non ea sola polluerunt, vt eos tanquam ab immundis carnibus esset necesse prohiberi? An seculares homines non polluuntur, hu quæ in os intrant, sed his quæ ex ore exeunt? Ergo munitiores sunt aduersus immunditiam, quam sancti, si sanctos & ea quæ intrant, & ea quæ exeunt possunt inquinare. Vellem autem isti mihi dicerent, quid manducabat & bibebat Christus, qui in comparatione Ioannis non manducantis neq; bibentis, se dixit manducantem & bibentem; cum enim argueret peruersitatem hominum vtrobiq; calumnias inquirentium, Venit, inquit, Ioannes non manducans, neq; bibens, & dicunt, dæmonium habet: venit filius hominis, manducans & bibens, & dicunt &c.*

VERSVS 19.

Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filijs suis.

QVÆSTIO I.

Cur Christo calumniam impegerunt?

§. 1. COnuiuia non modò Pharisæorum, sed etiam publicanorum adibat, hoc contra legem esse iudicabant, cum autem veram causam ignorare, aut ignorare se simularent cupiditate vini, & cupediarum, eum velut transgressorem legis iudicabant. Magna enim ratio videbatur; cur adiit potentiorum limina, interestque epulis, nisi quia vorax est & potator? quasi vero nullam ob causam aliam, nisi ventris ingluuiem vel instituti vel inita conuiuia possint. Tanto autem indignior erat calumnia, quanto Christi innocentia conspectior, vt qui nullo vnquam loco leges temperantiæ transilierit. φάγον vocant; *voracem φαγέδαιναν edacem.* Erasmus *comedonem* appellat, quod infame & ominosum verbum est, non modo dedecore voracitatis, sed etiam prodigalitatis, ita eum veteres appellabant, qui bona sua comesset, vt loquuntur. φάγος autem, qui immodice cibis vteretur. Vnde & φαγέδαινα appellant morbum cum insatiabiliter esca appeteretur. Erant apud Athenienses festa, quæ φαγήσια dicebantur, voracitatis certamine quodam infamia. Eiusmodi igitur conuiuam Christum describebant. Syrum vocabulum hoc loco infame non est אכולא *Echula, edens*, sed in malam partem Pharisæi accipiunt.

QVÆSTIO II.

Quomodo iustificata sapientia à filijs suis?

§. 1. SYrus habet, *à seruis suis*, sed eodem recidit, indicat enim sapientiam à cultoribus suis esse iustificatam; quis vero sensus sit admodum anceps fecerunt interpretationes auctorum. Prima interpretatio: Sapientia est Christus, Dei filius. Secunda; Sapientia est diuina prouidentia. Tertia sapientia est astutia mundana. Atque hæc de sapientia veritatis. Qui filij sapientiæ, etiam controuertunt.

Primo filios aiunt Christum & Ioannem. Secundo; Iudæos contumaces & incredulos. Tertio Iudæos conuersos & fideles. Quarto filios generationis istius.

Iustificationem sapientiæ sic interpretantur. Iustificata, id est, laudata, à calumnijs purgata, cognita. Ex his συζυγίαι & combinationes multiplices oriuntur, totidemque sensus.

Sensus Primus. Sapientia Dei, Christus Iesus, ab eodem Christo Iesu & Ioanne laudata, defensa, cognita est. Vt inexcusabilis sit, si quis agnoscere nolit, nefarius, si quis calumnietur.

Sensus Secundus. Diuina prouidentia in salute Iudæorum ab omni accusatione liberata est, à me & Ioanne filijs sapientiæ, vt qui pœnitentiæ & austeritatis, & deinde humanitatis exempla dedimus, vt qui lamen-

Sapientia est diuina prouidentia.

Barberi errorem.

Varia sapientiæ significata.

mentauimus, & non planxistis, cecinimus & non saltastis, Hoc est, ostendistis contumaciam vestram, aduersus omnia remedia inuictam esse. In vobis igitur, non in Deo exitii vestri causa residet.

Tertius Sensus: Mundana sapientia à me, & Ioanne filiis sapientiæ iustificata est, qui sensus est ἀσύμφωνος: non enim Christus & Ioannes filii sunt sapientiæ mundanæ.

Quartus Sensus: Iudæi filii sapientiæ, hoc est, Christi & Ioannis, vel diuinæ prouidentiæ, hanc sapientiam iustificarunt. Itaque triplex hic sensus includitur. Nam filii dici possunt, veluti discipuli, & deinde suis factis, & verbis iustificare sapientiam, siue illi boni, siue mali sint. Hic igitur alii, Quintus scilicet, & sextus Sensus coniunguntur. Quibus si addas tres explicationes verbi, *iustificata est*, iterum ternas expositiones inuenies.

S. Augustinus lib. 2. quæst. 11. legit *ab omnibus filiis suis*. Hieron. auctor est in quibusdam legi, *iustificata est sapientia ab operibus suis*.

§. 2. Nullum mihi dubium est, quin sapientia hoc loco vocetur Dei prouidentia: Lucas enim paraphrasi alia exposuit. *Omnis populus audiens, & publicani, iustificarunt Deum, &c.* *Sapientia est diuina prouidentia.*

Postea cum subiungit, *ab omnibus filiis*, satis indicat, non Christum & Ioannem vocari filios sapientiæ, sed eorum fideles discipulos, *qui consilium Dei non spreuerunt.* *Lutheri vertigium.*

Hinc etiam apparet, male vertisse Lutherum; Vnd die Weißheit muß sich rechtfertigen lassen von jhren Kinderen: Quod proprie est, iudicari, & ita interpretari solent: Quasi de ipsa sapientia eius discipuli iudicent.

Filii Sapientiæ sapientes etiam dici solent. Hic optime dicuntur discipuli. Syrach. cap. 4. vers. 12. ἡ σοφία υἱοὺς αὐτῆς ἀνύψωσε, *Sapientia filios suos exaltauit.* & Eccl. c. 4. v. 8. Bas. in Psal. 7. τέκνα δὲ σοφίας τοὺς ἐν τῇ θεογνωσίᾳ μεμορφωμένους, ἐδικαίωσε γὰρ φησὶν σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Filios vero sapientiæ eos, qui Dei cognitione formati sunt, iustificata est enim sapientia à filiis suis, inquit.

VERSVS 20. 21. 22. & 23.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quæ non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quam vobis. Et tu Capharnaum nunquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem.

QVÆSTIO I.

Cur exitium denunciet ciuitatibus?

§. 1. TRes erant ad lacum vrbes Corozain, & Bethsaida, inter quas magnum emporium Capharnaum, cuius istæ duæ quasi suburbia censebantur. Vrbes plenæ diuitiis, & quod diuitiarum copiam sequi amat, plenissimæ vitiis; quas è terra vberi, lacu piscoso, negociatione hauriebãt. Speciatim ingratitudinem & peruicaciam qua Spiritui sancto restiterunt incusat; cum tot miracula vidissent, conciones audissent, non crediderunt, nec pœnitentiam egerunt. *Tres vrbes plenæ diuitijs & vitiis.*

Caluinus lib. 3. inst. cap. 24. v. 15. ita causam obdurationis in Deum refert, & negat potuisse conuerti, vt ciuitates excusare velle videatur: de quo postea agetur.

QVÆSTIO II.

An fieri possint quæ non facta?

§. 1. PRobat hoc Bellarm. l. 2. c. 17. *de amissione gratiæ & statu peccati. Porro cognosci posse à Deo non solum illa, quæ futura sunt absolute, sed etiam ea, quæ essent, si tales, vel tales causse ponerentur, licet reipsa nunquam futura sint, perspicuum est ex diuinis literis. Nam* 1. Reg. 23. *interrogatus Dominus à Dauide, an si ipse maneret in vrbe Ceilam, prodereiur à ciuibus illius vrbis in manus Saulis: Respondit: Tradent. Sciebat ergo Deus futurum, vt Dauid proderetur, si maneret in Ceilam, & tamen quia non mansit, non fuit proditus, & absolute non erat futurum, vt proderetur. Et Matth.* 11. *Dominus ait, si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent. Sciebat igitur Dominus, fore vt Tyrij, & Sidonij conuerterentur ad pœnitentiam, si miracula illis ostendisset, quæ Bethsaidæ fecerat, quod tamen absolute futurum non erat.* *Fieri possunt, quæ facta non sunt.*

Potuit sane Deus alia quæ non fecit, aut hæc quæ fecit, alio modo facere, ideoque scire quid facere potuerit.

§. 2. Caluinus hoc loco id negat effici. [Cæterum, « *inquit*, ne quis spinosas de arcanis Dei iudiciis quæstiones « moueat, tenendum est ad communem humanæ « metis captum accommodari hunc Domini sermonẽ. « Comparans ciues Bethsaida, & eorum vicinos cum « Tyriis & Sidoniis non disputat, quid præuiderit Deus « futurum de iis vel illis, sed quid facturi fuerint alteri, « quatenus ex reipsa percipi poterat. Nam quod tam « corrupti erant illarum vrbium mores ac tam effrenis « dissolutio, ignorantiæ imputari poterat: quod nulla « illic vox Dei audiebatur, nec miracula fiebant quibus « admoniti resipiscerent: in vrbibus autem Galileæ « quas Christus obiurgat, plus quam ferrea fuerat con- « tumacia in spernendis miraculis, quorum ingentem « copiam viderant sine vllo profectu. In summa, non a- « lio tendunt verba Christi quam malitia & insanabili « Dei contemptu Tyrum & Sidonem superari à Cora- « zin & Bethsaida.] «

Ostendit Christus quidem maiorem esse Iudæorum quam Tyriorum contumaciam, at non simpliciter, sed ex effectu, quod illi si ea monita, gratiamque habuissent, pœnitentiam egissent, quod Iudæi non fecerunt. Hoc non pronunciaret, nisi iam id præuidisset futurum, nec id ex communi sensu hominum, sed arcana Dei scientia definit. Hominum enim opinio plane contraria fuit: Tyrios & Sidonios esse canes, se iustos. Equidem memini Philosophos aliquando Aristotelis authoritatem ita eludere, vt dicant eum non ex sua, sed veterum sententia locutum; at nostri Sectarii magna impietate cum *Christus ex præscientia iudicat.*

Christi sententiam suis aduersari sectis intelligant, eum ex vulgi sententia locutum asseuerant. Verba Domini sunt. *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Hic Caluinus; *non quod præuiderit Deus, quod facturi fuerint.* Quomodo ergo affirmat? An Deus coniectura vsus id dixit? Mihi non tam mirum videtur id homines impios excogitasse, quam atrox, quod inde deducere conati sunt eorum posteri: nunquam enim vbi cœpit, hæresis constitit. Multorum errorum etiam inter suos, insimulatus est Vorstius. *Nam auctor qui examinat responsionem eius ad articulos ex Anglia missos. Articulo Tertio*, hanc illi hæresin imputat. Dicere eum; *Deum de futuris per discursum & ratiocinando coniycere.*

Christi verba euertunt.

Hæreseos incrementum.

Deum ratiocinando coniycere putant.

„ Nam pag. 452. dicit. [Videtur omnino quædam „ dianoia, sed mere diuina & nostræ valde dissimilis esse in Deo; sicut ex responsione ad 11. colligi potest; „ nam de quibus absolute nihil ipse definiuit, ea rat ocinando, vel in hanc, vel in illam partem colligere dicitur: Vid. exempla Gen. 18. &c. Sed improprie & metaphorice, citraque omnem veram humani discursus „ imperfectionem accipienda inquit.]

„ Et pag. 311. [Sapientiam Dei per se minime requirere, vt Deus omnia & singula quæcunque nunc in „ mundo fiunt ab æterno scientia Visionis absolutâ „ prænouerit.]

Vorstius Deum mutabilem facit.

„ Et. [Etiam Deus suo modo aliquando metuit h. e. „ merito suspicatur, & prudenter coniicit, hoc vel illud malum euenturum ex aliquo suo opere, si ipsum „ forte procedat, eoque opus ipsum iam inceptum deserit, aut immutat.]

Hoc est ex illa doctrina, qua negatur, Deus præuidisse quid acturi fuissent Tyrii & Sidonii, si signa inter eos edita fuissent. Sed tantum iudicate, quid humano more viderentur facturi fuisse.

QVÆSTIO III.

An negata illis vrbibus gratia?

§. 1. NOn præuenit, non adiuuit magno auxilio, quo multos ducit, gratiam tamen sufficientem dedit, qua possent, non dedit illam, qua peruenirent etiam reipsa & facto.

Itaque non negat Christus Tyriis & Sidoniis datam sufficientem gratiam, sed non datam eam, quæ Corozaitis & Bethsaidæis, cur id non fecerit, scire non possumus, nec fas est inquirere. Ita veteres D. Prosp. Resp. lib. 1. *Qui enim voluntatem Dei spreuerunt inuocantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.* & lib. 3. cap. 6. *De Tyriis vero & Sidonijs, quid aliud possumus dicere quam non esse eis datum vt crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta erant virtutum signa vidissent? Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant si possunt, qui calumniantur: & ostendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant fecerit. Nos etiam si rationem facti & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissime tamen scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit. Et non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corozaim & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari.*

Dei consilium in altera vita apparebit.

S. Augustin Enchir. c. 96. In illa vita, hoc est, futura, agnituros, quod negat Tostanus. quia ex sola δόξα est; sed tamen suæ δόξας, constat Deo ratio. quam electis reuelare potest.

§. 2. Non ideo perierunt, quia non est illis prædicatum, sed quia peccarunt, & gratiam suam qualemcunque repudiarunt.

§. 3. Tyrus & Sidon vrbes nobiles 200. stadiis dissitæ, portu opportuno plenæ diuitiis & opibus, cum illis commercia erant tribus vrbibus Iudaicis, nam per Capharnaum transitus erat orientalibus Tyrum & Sidonem. De ill's Isa. 23. 1. Ezech. 26. 2. & 27. 3. & 28. 2. Amos. 1. 9. Vicinæ Iudæis & fidem discere, & Dei cultum poterant. Ita magnam gratiam, sed non parem Iudæis habuerunt.

§. 4. Repudianda est prorsus eorum opinio, qui Gratiam existimant puniri quosdam, quod Euangelium fuissent contempturi, si ipsis promulgaretur; eodem enim modo dici posset etiam Tyrios, Sidonios, Sodomitas iustificandos, glorificandos, quod essent accepturi & crediturі. Verum est quibusdam non propositum fuisse, ideo quod crediturі non fuissent, non tamen ideo puniendi sunt, quia erant reiecturi, sic nec datur gratia ob præuisum vsum liberi arbitrii, nec negatur ob prouisum neglectum.

§. 5. August. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. ostendit gratiam efficacem non physica dari determinatione, sed per modum suasionis. *Igitur non volentis, &c. qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Et deinde: cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo non scit ei congruere, vt vocantem non respuat,* Et l. 2. de bono perseuerant. c. 14.

Caluiniani respondent, vt Pareus, suasionem referri ad effectum cum interna motione, non ad ingenium hominis, vt illud sit idoneum parere suasioni. Verum nemo est, qui externam suasionem sine interna gratia efficacem dicat, nemo etiam Catholicus qui irresistibilem, & libertati aduersam motionem admittat.

QVÆSTIO III.

Quæ vera Pœnitentia?

§. 1. NOn sola resipiscentia, quæ sit melioris vitæ inchoatio, sed etiam in detestatione prioris, in assumpta pœna cilicii & cineris contritio. Est vero hic μετανόησαν, תּבר Syriace, quod aduersarii de sola emendatione dictum contendunt. At cilicium, σάκκος καὶ σποδὸς ostendunt iam ante eos resipuisse animo, & porro pœnitentiam agere, quos vere delictorum pœnitet.

Errat igitur Beza quando ait *cum sacco & cinere* τῷ σάκκῳ καὶ σποδῷ *particulam* ἐν *exprimens per* σὺν *cum.*

QVÆSTIO IV.

Quæ minatur Capharnaum?

§. 1. IN Græco legitur ἢ ἕως ἕως ὑψωθεῖσα, *quæ in cœlum exaltata es*, ita apud Luc. 10. 15. Vaticanus & Parisiensis codex habent μὴ ἕως, *nonne vsque.*

In cœlum exaltata esse dicitur, Christi, habitatione, doctrina, miraculis illustris, vel opibus, negociatione, gloria, nam celebre admodum emporium fuit. Sententia contra eam profertur; *vsque ad infernum* καταβιβασθήσῃ *descendes, seu deduceris.* Iun. & Tremell. inepte *in foueam*, cum sit εἰς ᾅδου, & Piscator Caluinianus dicat. τῷ ᾅδῃ *Plutonis.* [Vsque ad inferos, *inquit*, ἕως ᾅδου. Adverb. vsque ad Plutonis, subaudiendo οἴκου, id est, domum: ellipsi Attica. est autem illa periphrasis gehennæ: quem infernum vulgo dicimus; Germanice die Helle. Syrus habet, vsque ad sepulchrum seu foueam, עד כא לשאול Etenim nomen שאל scheol, quod apud Hebræos sepulchrum significat, Græci interpretes reddiderunt nomine ᾅδης, vt Psal. 16. non relinques animam meam εἰς ᾅδην: pro quo Act. 3. dicitur εἰς ᾅδης Gen. 37. Descendam ad filium meum lugens εἰς ᾅδης. Attamen istud nomen de gehenna, seu loco damnatorum accipitur. Luc. 16. 23. Etita accipiendum quoque videtur hoc loco: quia pars mundi summa atque extima parti infimæ atque intimæ videtur opponi.]

Itaque

Itaque non sepulchrum modo, sed damnationem illi minatur. Iosephus eius mentionem non facit, periisse constat, quia post bellum Titianum non fuit.

QVÆSTIO V.

Cur dicat, forte?

Forte vel affirmantis, vel nunc humano loquentis.

§. 1. GRæce ἴσως ἂν, quod noster *forte* vertit. Quidam aiunt illud ἂν, esse affirmantis, non dubitantis. Alii esse particulam δυνητικὴν, & perinde esse, ac si dicat, *potuissent manere*. Franciscus Lucas. *Interpres ex ἂν vertit forte, non hic tantum, sed & alias frequenter (Ioh. 5. v. 46. Psal. 80. v. 15.) id quod conuenire potest, quando particula est δυνητικὴ siue potentialis: quomodo eam hic accepisse interpres videtur, ita vt forte mansissent, dixerit pro mansisse potuissent. Aliquando vertit, vtique, (Heb. 8. v. 7.) ac videtur nonnunquam abuti forte pro vtique, aduerbio dubitandi pro confirmandi, vt illo loco Psalmi, & forta sis etiam isto Euangelij. Aliquando denique relinquit intactam, non vertit, (mox v. 21.) quo modo etiam alij Interpretes, cum illic v. 21. tum hic v. 23.*

Mihi hic vt alibi videtur loqui ἀνθρωποπαθῶς, more humano, si enim interrogat quasi ignorans rem factam, & admiratur, quasi ignorans causam, cur non etiam dicat forte futurum fuisse, quod sciebat, certissimo futurum. Nec mirum Christum ita loqui. Gen. 3. 22. Dei verba sunt פֶּן יִשְׁלַח *ne forte mittat*, nec tamen Deus ignorabat quid acturus esset, si in paradiso mansisset, 70 verterunt. μὴ πού.

QVÆSTIO VI.

Rectene verbis illis probetur idem Deus noui & veteris Testamenti esse?

Idem Deus vbique scelerum vindex.

§. 1. PLane ostendit eundem Deum, & Sodomorum vindicem, & ciuitatum, quæ nunc eorundem criminum consortes sunt; idem certe eosdem iudicabit alios remissius, alios seuerius. Idem Loth eripuit & Apostolos. Ita olim l. 4. aduers. Hæreses Irenæus. *Vnum & eundem annuntians Dominum, qui in temporibus Noe propter inobedientiam hominum superinduxit diluuium, & temporibus Loth propter multitudinem peccatorum Sodomitarum pluit ignem à cœlo: & in nouissimo tempore propter hanc eandem inobedientiam & similia peccata, superducet diem iudicij: in quo ait tolerabilius Sodomis & Gomorrhis futurum quam illi ciuitati & domui, quæ non receperunt verbum Apostolorum eius. Et tu autem Capharnaum (dicebat) nunquid vsque ad cœlum exaltaberis? Vsque ad inferos descendes? Quoniam si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, mansissent vsque in hodiernum diem: veruntamen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis in die iudicij quam vobis. Vnus & idem cum semper sit verbum Dei credentibus quidem ei, fontem aquæ in vitam æternam dans, infructuosam vero fici arborem arefaciens.*

VERSVS 25.

In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

QVÆSTIO I.

Quibus Euangelium absconditur?

§. 1. EPiphonema est, in quod Christus ex consideratione pereuntium & saluandorum prorupit. Lucas ait eum in *spiritu exultasse*, cum hæc diceret, nec immediate tamen post hæc dixit, sed postquam discipuli redierunt, & retulerunt quid effecissent.

Confiteri Deum laudare.

§. 2. Confiteri est Deum laudare, & sapientiam, & bonitatem prædicare, ita accipi solet Heb. הודה hada. Ita Sanctus Augustinus. *Nunc ergo aduertite. Si, confiteor, Christus dixit, à quo est longe omne peccatum: non solius est peccatoris, sed etiam laudatoris. Confitemur ergo, siue laudantes Deum, siue accusantes nosipsos. Pia est vtraque confessio, siue cum te reprehendis, qui non es sine peccato: siue cum illum laudas qui non potest habere peccatum.* Et de verbis Domini in Euangel. secundum Matth. Serm. 8. *Audi ergo Dominum confitentem. Confiteor tibi, Domine, pater cœli & terræ. Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confessio vt dixi laudem habet. Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quid est hoc, fratres? à contrario sensu intelligite. abscondisti hæc, inquit, à sapientibus & prudentibus: & non dixit, reuelasti ea stultis & imprudentibus: sed ait abscondisti quidem à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. sapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus falso grandibus, vere autem tumentibus, opposuit non insipientes, non imprudentes, sed paruulos. Qui sunt paruuli? humiles. Ergo abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Nomine sapientum & prudentum superbos intelligi posse ipse exposuit, cum ait reuelasti ea paruulis. ergo abscondisti non paruulis, quod est, non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbis? O via Domini: aut non erat aut latebat vt reuelaretur nobis. Vnde Dominus exultauit? quia reuelatum est paruulis. Debemus esse paruuli: nam si voluerimus esse magni, quasi sapientes & prudentes, non nobis illud reuelatur. Qui sunt magni? sapientes & prudentes, dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. Habes remedium à contrario. Si dicendo te esse sapientem, stultus factus es: dic te stultum, & sapiens eris.*

Paruuli humiles.

Docti & sapientes etiam paruuli.

§. 3. Abscondit mysteria, & eximia gratiæ dona à sapientibus & prudentibus. σοφῶν καὶ συνετῶν. Qui humana sapientia pollebant, rudium monita asperabantur, hi enim σοφοὶ, & συνετοὶ dicebantur, Christi facta & doctrinam disputare, & reprehendere, quam amplecti malebant.

Paruulis, idiotis, humilibus patefecit, etsi enim inter hos docti sunt & sapientes, vocantur tamen paruuli, quia se Deo subiiciunt, & non dedignantur præceptores, habere Piscatores. Itaque νήπιοι non sunt infantes, sed qui dicta audiunt, credunt.

QVÆSTIO II.

Agitne gratias quod abscondit?

Abscondit non manifestando.

§. 1. QVæstionem proponit Chrysostomus. Non quod illis abscondit, sed quod cum illis abscondit, paruulis reuelarit, abscondere dicitur, quia oblatum cum recipere nollent, retraxit. Deinde Christus eos excœcauit, sed non infligendo cæcitatem, sed ob eorum peruicaciam retrahendo lumen; Sic Euangelium absconditur, dum lucem, qua id inueniant, non accipiunt, licèat eâ, qua inueniri possint, lucear. Non tamen mirum est Christum etiam idcirco laudasse Deum, quod abscondisset: nam id quod laudabile fuit, effecit; superbiæ enim & contumaciæ merita pœna fuit.

Abiecta elegit Deus.

Respondens Iesus, dicitur: quia frequenter Hebræi sic sermonem inchoant. Verum hic vera est & emphatica ad cogitationes aliorum responsio. Mirum videri poterat, tam nobiles & potentes ciuitates negligi; Christus non loquitur discipulis, sed patri gratias agit, quod ignobilem & ex contemptibilibus Ecclesiam collegerit. Non dedignatus etiam eos, quos vocant superbe fæces populi. Cur id faciat, causa redditur. *Quia sic placuit.* Nobis id summo solatio est, quod ad regnum illud non opibus, non potentia, non scientia opus sit, sed nec genere, nec sæculi splendo-

splendore; cordium hic nobilitas & modestia sufficiunt. Voluit igitur Deus hoc indicare, fidem non ingeniorum, acuminis, prudentiæ, potentiæ munus esse, sed diuinæ misericordiæ. Non obstat humilis prudentia, non Deum timens scientia, non potentia se Deo submittens, nec adiuuat stupor, aut ignorantia, sordesque & paupertas, sed tamen ex pauperibus plures eliguntur, plures diuitum pereunt. Quia plures habent pereundi causas: & pauperes Deus peculiari fauore elegit.

Abscondere dicitur, quod non reuelauit. Hilar. in Psal. 137. *Duplicem in confessione significationem esse in plurimis locis demonstrauimus: aut peccati nostri, aut laudationis Dei. Et hoc ita esse ex Euangelicis dictis promptum est noscere. Nam cum ait Dominus: Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus seculi, & reuelasti ea paruulis, laudem Dei patris ob reuelata paruulis, quæ ignorata essent prudentibus confitetur: docens ideo absconsa ea esse his, qui prudentes viderentur, quia non secundum innocentiam paruulorum præceptis Euangelicis credidissent.*

VERSVS 26.

Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

QVÆSTIO I.

Quæ causa repulsæ & assumptionis?

§. 1. GRæcè legitur ναὶ ὁ πατὴρ, nominandi casu pro vocandi Attice. Arist. in ranis. ὁ παῖς ἀκολούθει δεῦρο, *ô puer huc sequere.* Ita aliis quoque locis, vt in quo clamamus Abba Pater. singulari autem affectu Christus hoc patris beneplacitum approbat, & laudat.

Causa Dei voluntatis nõ est quærenda.

§. 2. Cur alii reuelet, alii non, noli quærere, beneplacitum est. Itaque damnantur Pelagiani, qui gratiam aiunt dari secundum merita, vel ex præuiso bono vsu liberi arbitrii. Augustinus Serm. 48. de tempore: *Facti huius æquitatem, Abscondisti sapientibus, confirmat Christus, voluntatis paternæ iudicio: Vide quam terribilis sit in consiliis Dominus Disce humilitatis exemplum, nec temere discutias supernæ dispensationis consilia. Cum dixit Christus: aliis reuelauit, aliis non, non mox rationem aliquam reddit: sed sic Deo placitum dixit, ostendens, iniustum esse non posse, quod placuit iusto.*

§. 3. An electio sit ex præuisis meritis, hoc loco disputant. Multi hoc loco vtuntur, vt ostendant, electionem ad gloriam non esse ex meritis præuisis. Verum hic agitur de electione ad gratiam, seu interna vocatione, ostensione mysteriorum, cui altera illa connexa est, sed non necessario ea ratione, qua prior. Deinde in his ipsis verbis, *sapientibus & paruulis* ratio continetur, cur hi eligantur, isti reiiciantur, quia illi superbe sapientes, iudicantesque, hi deuoti paruuli, quanquam & paruitas illa ex donante est, & sapientia ingenii, sed abusus ex vitio. Nam reuera ratio hic continetur, dandi, & non dandi, quia paruuli, & quia sapientes. Paruitas tamen ipsa, seu primum beneficium est ex sola dantis voluntate.

Paruitati datur, quod sapientiæ negatur.

§. 4. Porro ea de quæstione alio loco disputandum erit. Iren. l. 4. aduers. hæreses; Vnum Deum Christi patrem & mundi fabricatorem probat. *Rursum Dominus noster Iesus Christus eundem hunc Patrem suum confitetur in eo quod dicit. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ. Quem patrem volunt nos audire, hi qui sunt Pandoræ peruersissimi Sophistæ? Vtrumne Bythum, quem semetipsis finxerunt; an matrem eorum; an vnigenitum? An quem Marcionita, vel cæteri adinuenerunt Deum? Quem quidem non esse Deum, per multa demonstrauimus. An (quod est verum) fabricatorem cœli & terræ, quem & Prophetæ prædicauerunt, quem & Christus suum Patrem confitetur, quem & Lex annunciat ducens: Audi Israel, Dominus Deus tuus, vnus est.*

VERSVS 27.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia tradita?

§. 1. NOn alienando, sed per æternam communicationem, Ioan. 16. 15. *Omnia quæcunque habet pater, mea sunt.* Etsi illi me contemnant, & vilem pleberculam mihi credentem, tamen & illi sub mea sunt manu, & omni sua astutia eo peruenire non possunt, vt sine me vel patrem, vel me agnoscant.

Eo igitur ista dicuntur, ne quis filium patre inferiorem suspicaretur, & vt vim habeat maiorem, quam v. 28. subiungit inuitatio, vt ad eum accedant, qui omnia poterat, à quo omnia exspectare oporteat. Irenæus l. 4. omnia Christo tradita ab eo patre asserit, qui omnia creauit, non enim alius Deus mundi creator, alius Christi pater, sed vnus idemque, tradere enim ille tantum potuit, qui creauit. Tradidit autem humanitati gratiam, gloriam, Imperium, filio vel secundæ personæ improprie diuinitatem, sed generando. Sed Irenæum audiamus. *Consequenter autem & Apostolus ait. Vnus Deus (inquit) Pater, qui super omnes & in omnibus nobis. Similiter autem & Dominus. Omnia mihi (inquit) tradita sunt à Patre meo: manifestissime eo qui omnia fecit. Non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est & propter hoc idem est Iudex viuentium & mortuorum, habens clauem Dauid: aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Nemo enim alius poterat nec in cœlo, nec in terra, nec sub terra aperire paternum librum, nec videre eum, nisi agnus qui occisus est, & sanguine suo redemit nos: ab eodem qui omnia verbo fecit, & sapientia adornauit, accipiens omnium potestatem, quando verbum caro factum est, vt quemadmodum in cœlo principatum habuit verbum Dei, sic & in terra habet principatum: quoniam homo iustus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Principatum autem habeat eorum, quæ sub terra sunt, ipse primogenitus mortuorum factus: & vt videret omnia quemadmodum prodiximus, suum regem: & vt in carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne eius nutrita veniat in nos, & sic homo deueniat in corruptelam, circundatus paterno lumine: & quoniam verbum, id est, Filius semper cum patre erat, per multa demonstrauimus.*

§. 2. Omnia, comm. Hier. non elementa, sed hi qui per filium accessum habuerunt ad patrem. Beda quoque omnes homines, qui ad patrem accedunt, quod quidem suo modo probandum est. Nam de hominum salute præcipue agitur, nihilo tamen minus ad omnia, quæ per ipsum facta sunt, quæque per ipsum gubernantur, extendenda sunt verba. Omnia etiam à minimo puluisculo vsque ad supremum angelum ei tradita sunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An hic ostendatur Christi diuinitas?

§. 1. NEmo nouit. Illud: *& cui voluerit filius reuelare* etiam ad prius membrum est adiiciendum. *Nemo nouit filium, nisi pater, & cui voluerit filius reuelare* οὐδὲ νοεῖ intelligendum. Nullus enim c edit nisi cuius mentem secretâ illustratione pater illuminat. Generatio illa æterna nulli nisi reuelatione nota est. Ex hoc etiam cognoscitur diuinitas filii, nulla enim creatura vim reuelandi habet.

Filius inuisibilis.

§. 2. Bellarm. l. 1. c. 7. de Christo, probat eum inuisibilem esse, sicut est & pater. Quinetiam Deum inuisibilem, saluatorem, adoratum ab hominibus, formidatum à malis spiritibus, quamuis non fuisset visus, probat l. 2. contra hæreses Irenæus. *Vnde etiam si nemo cognoscit Patrem nisi Filius; neque Filium, nisi Pater; & quibus Filius reuelauerit; tamen hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio mentibus infixa moueat & reuelet eis, quoniam est vnus Deus omnium Dominus, & propter hoc Altissimi & Omnipotentis appellationi omnia subiecta sunt; & huius inuocatione, etiam ante aduentum Domini nostri saluabuntur homines, & à spiritibus nequissimis & dæmoniis vniuersis & ab vniuersa apostasia. Non quasi vidissent eum terreni spiritus aut dæmones, sed cum scirent quoniam est (qui est) super omnia Deus cuius & inuocationem tremebant, & tremit vniuersa creatura, & principatus, & potentia, & omnis subiecta virtus. Aut nunquid hi qui sub Romanorum imperio sunt, quamuis nunquam viderint Imperatorem; sed valde & per terram, & per mare separati ab eo, cognoscent propter dominium, eum, qui maximam potestatem habet principatus? Qui autem super nos erant Angeli, vel ille quem mundi fabricatorem dicunt, non cognoscent omnipotentem: quando iam & muta animalia tremant & cedant tali inuocationi.*

Deum inuisibilem tuent.

§. 3. Irenæus l. 4. aduersum hæreses. Testatur Valentinianos docuisse patrem fuisse incognitum, alterum vero cognitum. Et refutat, quia vnus idemque partim cognitus, partim incognitus fuerat. *Videns vidi vexationem populi mei in Aegypto, & descendi liberare eos. Hic enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente Patre Angelis, vti faceret conditionem, & formaret hominem propter quem & conditio fiebat: neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum, quæ facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant, sed habente copiosum & enarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua, id est Filius, & Spiritus Sanctus, verbum & sapientia quibus seruiunt, & subiecti sunt omnes Angeli. Vani igitur sunt, qui propter hoc quod dictum sit, Nemo agnoscit Patrem, nisi Filius, alterum introducunt incognitum Patrem.*

Non sunt duo patres, cognitus, & incognitus.

Christus Deus probatur.

§. 4. Diuinitatem Christi ex hac sententia probat Bellarminus l. 3. c. 16. de Christo. Egregie vero Hilarius l. 6. de Trin. *Ait: Omnia mihi tradita sunt à patre, & nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quisquam nouit nisi filius & cui voluerit filius reuelare. Ad id quod dictum est. Hic est filius meus, & pater meus, vtrumque sibi conuenit. Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quisquam nouit nisi filius? Non enim nisi per mutuam testificationem cognosci, vel per patrem filius vel per filium pater potuit. Vox è cœlis est, sermo etiam filij est. Tam ignorabilis est filius, quam & pater. Omnia ei tradita sunt & in omnibus nihil intelligitur exceptum. Si potestas exæquata est, si secretum cognitionis æquale est: si natura in nominibus est: quæro quomodo quod vocantur non sunt, quorum & vis in potestate, & difficultas in cognitione non differt?*

§. 5. Irenæus etiam inde Valentinianos & Gnosticos refutat, varia fingentes portenta numinum: ter ea matrem, & semen, & ab illis Deum cognitum. *Post deinde, inquit, vel Mater, vel semen, sic cognoscebant & enarrabant ea, quæ erant veritatis: Veritas autem pater. Saluator ergo secundum eos erit mentitus dicens, Nemo cognouit Patrem nisi Filius. Si enim cognitus est vel à Matre, vel à semine eius; solutum est illud, quod nemo cognouit Patrem nisi Filius, nisi si semen ipsorum, vel matrem neminem esse dicunt, & vsque hoc quidem per humanas affectiones, & per id quod similia dicant multis ignorantibus Deum, verisimiliter visi sunt abstrahere quosdam attrahentes per ea, quæ assueti sunt, in eum qui est de omnibus sermonem verbi Dei genesim exponentes & veritatis & vitæ, adhuc et amensus & Dei emissiones obstetricantes.*

§. 6. Cum vero additur, Neminem nosse, nisi cui voluerit filius reuelare. Demonstratur fidem non esse nisi ex dono Dei, & hanc gratiam efficacem non dari omnibus l. 2. de gratia, & libero arbitrio, cap. 12.

QVÆSTIO III.

An quia dedit omnia, sit vbique?

§. 1. BRentius & Kemnitius huius loci depraua- *Vbiquitas portentosa.*
tione id efficere conati sunt. Nam vnione reali aiunt omnia diuina attributa, omniscientiam omnipræsentiam communicatam humanitati. Quod euertit naturam humanam in Christo, & officium mediatoris. Non enim potest humanitas ad Deitatem euehi. Data sunt ista per communicationem idiomatum, non sunt autem physica commutatione. Neque enim natura diuina, neque eius attributum æternitas sic potuit communicari. Nam humanitas Christi vt æterna esse non potuit diuina æternitate, ita nec immensa, infinitate increata. Miris autem modis se intricant, qui pro vbiquitate pugnantes, veritatem vbique amittunt. Brentius sane docet: [Inter inhabitationem Dei in sanctis & in Christo, « hoc VNVM esse discrimen, quod Sanctis distri- « buat sua dona diuersa, Christo autem immensa: & « Christum hominem hoc habere commune cum o- « mnibus sanctis, quod cum eo Deus personaliter fuit « vnitus.] Hic personam diuidit cum Nestorio, dum « Christum hominem, ait Deo personaliter coniunctum. Et proprietates confundit cum Eutychete; dum Christo data dona immensa, quæ de diuinis attributis intelligit.

Verum respondent in colloquio Mompel. Quosdam actus essentiæ esse Energeticos, vt sapientia, potentia, iustitia, misericordia, &c. Alios vero circa Deitatis essentiam versari, nec esse energeticos: qualia sunt Esse ab æterno, & per Essentiam, Infinitum, Incorporeum, Immateriatum, & similia, quæ Humanitati communicata ipse dicunt, quia ipsa Deitas communicata est, à qua separari non possint. Ab his autem humanitatem non denominari, eo quod non sint actus perficientes naturam humanam, sicut in primo ordine commemorata eam perficiunt, & ab iis denominatur. Quamobrem etsi humana natura habeat communicatam æternam & infinitam essentiam, sicut omnipotentiam, non tamen infinitam & æternam dici, sicut Omnipotens vere dicitur.

Non est sine errore magno tam demens responsio. si enim illa communicata sunt humanitati, ita vt humanitas etiam sit ab æterno, non video quomodo non sit Deus, quæ est immaterialis & simplex & ab æterno. Cur vero ab his non denominatur? Quia non perficiunt inquit. At cur omnipotentia perficit, non perficit æternitas, infinitas, simplicitas, quæ

quæ essentialiter sunt idem cum omnipotentia? Vnum si realiter adest, omnia adesse necesse est. Andreas Osiander in disput. de maiestate Christi hominis ait, assumptionem carnis hypostaticam, necessario definiendam esse *exæquatione humanitatis cum diuinitate*, ἐξισώσει potentia, gloria, maiestate. Impia igitur thesis est Wirtemb. vndecima. [Itaque (propter vnionem personalem & proprietatum communicationem) credimus, Christum etiam secundum humanitatem suam esse omnipotentem, seu (quod idem est) humanam in Christo naturam esse omnipotentem. Scriptura enim Sacra, Christo etiam quatenus homini, omnem potestatem, (quæ nihil aliud est, quam omnipotentia) tribuit. Omnia (inquit Psaltes) subiecisti sub pedibus eius, Psalm. 8. Et Paulus hunc Dauidis locum explicans, inde probat: quod Christo omnia sint subiecta præter eum, qui subiecit ei omnia 1. Corinth. 15. Ioannes Euangelista inquit: Sciebat Iesus, quod OMNIA dedisset ei pater in manus, Ioan. 13. Et Christus ipse (etiam ante passionem suam) dicit: omnia mihi tradita sunt à patre meo, Matth. 11. & post resurrectionem inquit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. Huc referenda sunt etiam miracula Christi, vt indubitata eius omnipotentiæ testimonia: Quod tactu mundauit leprosos, visum cæcis restituit, quod voce sua Lazarum in vitam reuocauit: quippe quæ miracula Christus non aliena virtute, (vt Prophetæ & Apostoli,) sed propria potestate edidit.]

Horrenda blasphemia.

Vbiquitas blasphema.

Hanc potestatem nos de rebus creatis administrandis accipimus: Deinde etsi diuina opera Christo tribuantur: aliud est tamen quod operatur diuinitas, aliud quod patitur humanitas. Salua est enim vtriusque substantiæ proprietas, ita Tertull. aduersus Praxeam: Cyrillus de Trin. l. 5. Nyssenus clare, & vere. *Neque humana natura Lazarum viuificat, nec deflet iacentem impassibilis potentia: sed lachryma quidem hominis est propria, vitæ autem ea, quæ vera vitæ sunt.* Eadem Damascen. l. 3. de orthodoxa fide cap. 15.

Damnandum igitur quod hinc Brentius concludit p. 249. recognit. suæ. si Christi humanitas in dextra maiestatis circumscriberetur loco, non esset præstantior angelis; Loci enim spacium dignitatis & imperii non est certum documentum.

VERSVS 20.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

QVÆSTIO I.

Verene & seriò Deus vocet?

Gratia cunctis offertur.

§. 1. VEre, & seriò. Hinc enim vocatio gentium & auxilium generale probatur. l. 2. cap. 5. de gratia & lib. arbitr. Bellarm. Ad omnes homines gratia pertinet. peruerse igitur ad paucos restringunt Caluiniani. Piscator. [Abutuntur hoc dicto qui inde volunt probare, Christi gratiam pertinere ad omnes omnino homines, nullo prorsus excepto. Etenim Christus gratiam suam hic promittit non omnibus simpliciter hominibus: sed tantum iis omnibus, qui fatigati sunt & onerati, id est, qui sentiunt onus peccati & eo cupiunt leuari. Atque his quoque ea demum conditione gratiam suam promittit, si ad ipsum venerint, id est, in ipsum crediderint.] Idem etiam in coll. cum Vorstio Sect. 123. & 124.

Vocat omnes, omnes, non paucos, & serio saluos vult: Non tamen efficit, vt veniant, quod illi gratiam, sufficientem, benigne oblatam repudiant, vitiis suis indormientes, & tenebrarum amatores, Ioan. cap. 1. v. 19.

Noluit autem inuitis & contemptoribus vitam æternam conferre. Nullum ille præciso decreto à salute reiecit. 1. Timoth. 2. 2. Pet. 3. Horribilis est hic sententia Caluinianorum, quam passim obtrudunt. Recenset suorum errores Nicolaus Greuinchouius pag. 48. contra Amesium. [Deus igitur autore Maiorato, Piscatore, Gomaro, Triglandio, te Smoutio &c. exitio destinat, & ad damnationem creat, quoslibet, non propter vllam indignitatem, aut infidelitatem, aut alia peccata, sed ex mera voluntate & beneplacito suo: Eosdem porro vt ad damnationem, sic etiam ad causas damnationis ita ordinat, vt non peccare non possint; & postquam peccauerint scilicet tam facile conuerti possint, quam cœlum digito attingere; siue per naturam, siue per gratiam; nempe, quia Deus non vult ipsos conuerti, sed aduersus oblatam qualemcumque gratiæ vmbram pertinaces esse; & quamuis facerent omnia opera sanctorum, non possent tamen saluari: Et hos tamen electionis suæ certos esse iubet (tenetur enim quisque credere se electum esse etiam reprobus:) &, quamuis verbum suum non destinat in istorum correctionem, sed maiorem condemnationem, tamen à peccatis dehortatur seriò, vocat, inuitat, obsecratur, ac nullis non blanditiis allicit ad conuersionem; quin & iuramento addicit, se nolle exitium ipsorum, sed vt conuertantur & viuant; atque hoc idem obsignat Sacramento foris; interim,

Æstutam vapido seruans sub pectore vulpem.

Eosdem vult offendere ac labi, quos recta iubet incedere; non vult autem secundum electionem, quam sibi reseruat, illis qui non sunt electi baptismum prodesse, neque per orationes ab Ecclesia pro ipsis factas, benedictionem, quam Christus Ecclesiæ suæ meruit, impetrari.]

§. 2. Vocantur autem πεφορτισμένοι grauati, quocunque modo, & onerati, hoc enim indicant verba ipsa: κοπιῶντες, lassi, fatigati, laborantes. κεκλεικεις illa varie potest accipi: Vel enim afflictione rerum aduersarum, vel graui peccatorum onere, vel legis iugo premebantur. His opponit Christus suaue iugum, & onus leue. Vocat & eos, qui mala sua non sentiunt.

§. 3. Bellarminus de amissione gratiæ & statu peccati. c.

Quorsum enim vocat, si efficaciter operando aures obtundit, & obturat, ne audiant? Quomodo ad peccatum cogit, & impellit, si vocat ad se, vt iugum leue, & suaue tollant?

QVÆSTIO II.

An inuitatio Christi Pelagianis faueat?

§. 1. ARgumentatio Pelagianorum fuit, Inuitat omnes, venire igitur possunt, frustra alioqui inuitantur, si mouere pedem non possunt.

Non tamen inuitatio Christi blasphemiam contra gratiæ dona confirmat. Non enim dicit, venite ad me vestris viribus, libero arbitrio, sed venite. Ita Augustin. l. 1. contra duas Epistol. Pelagian. cap. 3. & 4. *Quam multi inimici Christi quotidie subito Dei occulta gratia trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Euangelio*

gelio posuissem, quanta de me propter hoc iste dixisset: cum etiam nunc obluctetur non mihi, sed illi qui clamat. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum? Non enim ait, *duxerit*, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. *Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit? Trahitur ergo miris modis, vt velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.*

§. 2. Quæ libro primo aduersus hæreses Irenæus de Bythi, & Anna, & Achamoth. ex his verbis ipse leges, sunt enim risu quàm refutatione digniora. Idem Irenæus l. 1. contra hæres. ostendit Valentinianos his verbis abusos, vt Deum quem dicebant patrem veritatis ostensum ad Theogonias enim suas sententiam applicabant. *In eo quod appropinquauit ad Ierusalem, plorauit super eam, & dixit: Si cognouisses & tu, hodie quæ sunt ad pacem, abscondita autem sunt à te, per eum sermonem, qui est absconditus Apocryphon Bythi manifestasse.* Deliria Valentinianorum.

Valentiniani apud Irenæum hunc patrem Christi incognitum probabant, dicentem etiam; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, discite à me, veritatis patrem, annunciasse.* Et l. 2. c. 19. Non Deum cognitum per matrem, vel semen; vt delirabant Gnostici.

Idem Irenæus verbi Deitatem confirmat. l. 4. c. 14. *Rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater: Vtraque autem hæc sic se habere manifestauit Dominus, & propter hoc Filius reuelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris est, Filij manifestatio. Omnia enim per Verbum manifestantur. Vt ergo cognoscceremus quoniam qui aduenit Filius, ipse est qui agnitionem Patris facit credentibus sibi, dicebat discipulis. Nemo cognoscit Patrem nisi Filius; neque Filium nisi Pater, & quibuscunque Filius reuelarit: docens semetipsum & Patrem, sicut est, vt alterum non recipiamus Patrem, nisi eum qui à Filio reuelatur. Hic autem est fabricator cœli & terræ, quemadmodum ex sermonibus eius ostenditur: & non is qui à Marcione, vel à Valentino, aut à Basilide, aut à Carpocrate, aut Simone; aut reliquis falso cognomine Gnosticis adinuentus est falsus Pater. Nemo enim illorum Filius fuit Dei, sed Christus Iesus Dominus noster, aduersus quem & contrariam exercent disciplinam incognitum Deum audentes annunciare.* & cap. 37. *Similiter autem & Dominus. Omnia mihi (inquit) tradita sunt à Patre meo: manifestè ab eo qui omnia fecit. Non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est, & propter hoc idem est Iudex viuentium & mortuorum, habens clauem Dauid: aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Pater Christi est mundi creator.

VERSVS 29. & 30.

Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

QVAESTIO I.

Quod iugum Domini?

§. 1. DOctrina, & quæ eius sunt miniæ, labores, castigationes, iugum dicitur, ita Thren. 3. 9. ita Rabbini. aliàs onus prophetia qua aduersa prædicabantur. Quæ in Christo paradoxa.

Requies Christi non est in desidia, sed in tollendo iugo, vt exuisso vetere homine nouum induatis. Rom. 6. 3. vt in nouitate vitæ ambulemus, quamuis igitur dixerit, ἀναπαύσω quiescere faciam, de quiete tamen non otiosa, sed pia & operum effectrice intelligit.

§. 2. Iugum suaue, Syrus ܥܠܝܡܐ amabile, id significat etiam χρηστὸς, quia saluti tantum necessaria, & naturalia habet, præter pauca sacramenta, hæc ipsa grauia, quia gratiam confert, quia lex amoris. Etsi grauia præcipiat, facit tamen gratiam dando omnia leuia. Non igitur lex est impossibilis, iugum enim importabile non est leue. Iugū suaue. Lex possibilis.

§. 3. Non igitur lex impossibilis, vt Beza putat, cuius verba sunt. [Illud autem de quo tam multis disserit Erasmus in hunc locum 1. Ioan. 2. & 3. Mandata eius (inquit) grauia non sunt: quia omne quod genitum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quisquis vero existimat ideo leue esse Christi iugum, quod Dei duntaxat amorem & proximi requirat, ille profectò seipsum ignorat, neque etiam nouit, quod sit Legis & Euangelii discrimen.]

Verum hunc tum alij, tum verò Bellarm. l. 4. cap. 11. de iustificatione satis refutat. Discere iubet à se, vt simus mites & humiles corde, sic enim iugum nobis leue erit, sic & suaue: Christo enim idcirco tale fuit, quia mitis & humilis corde fuit:

Μὴ νῦν δίδασκε, ἣν δίδασκε τῷ τρόπῳ
Μὴ τῇ μολύνειν, τῇ δ' ἀπωθεῖν χερί.
Ἥδιον δ' ἐκεῖνα τὰ λέγειν, πρὰ τῶν ἃ δεῖ.
Ne nunc doce verbis, sed doce moribus,
Ne hæc attrahere, illa reiicere manu videaris.
Minus egebit verbis, si quæ oportet, egeris.

Repugnat itaque illa interpretatio non modo scripturæ, sed toti antiquitati; quæ facilia præcepta esse docet; ex charitate & gratia; qua seruantur, non naturâ, quæ per peccatum depranata, nititur in vetitum semper, hoc ipso, quod lege constringitur, protetua, iugi impatiens, & perditurè libertatis pueriliter auida. Itaque fide, charitate, & aliis Dei donis industria condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, qui victor etiam trahit exteriorem.

§. 4. Pareus insultat diuinæ legi, & Christo, dū enim audit, nos concludentes, Legem Dei seruari posse; quia iugum leue, & suaue, non modo facile, sed etiam iucunde ferri potest, talis est lex Christi. Respondet ideo esse facile & leue iugum, quia transgressio non imputatur; quod perinde est, ac si dicat. Ideo leue est, & suaue, quia non est opus portare.

Respondet Bellarm. Hæc solutio nec tollit, nec minuit vim argumenti. *Nam imprimis, inquit, vel illa non imputatio tollit obligationem legis, ita vt præuaricator non incurrat reatum; vel tollit reatum ex præuaricatione contractum. Si tollit obligationem, facit, vt lex non sit lex, & iugum non sit iugum: proinde scriptura falso diceret, legem esse iugum suaue & mandata non esse grauia. Si permittit reatum contrahi, sed contractum postea tollit, tunc non facit iugum esse suaue, neque onus leue: imo ostendit iugum esse durissimum, & onus grauissimum, quippe quod portari non potest. Certe si boues sub iugo ad singulos passus caderent, etiamsi aratoris industria continuo resurgerent, non tamen propterea diceretur iugum eorum suaue, suaue si & onus leue. Domini autem & Apostoli verba indicant, deprimi, & legem Dei esse iugum quod facile portatur.* Iugum non est suaue si deprimit, & deuicit.

Huic vicissim occurrit Pareus. [Solutio Augustini & nostra est verissima: In dilemmate vtraque sequela claudicat. Nam non imputatio peccati tollit obligationem legis, non absolute, qua lex damnans, quoniam lex fideles, quibus Deus non imputat peccata, non potest propter non impletam legem obligare ad damnationem. Manet igitur iugum,

Suaue iugum Caluinistis quia non ferunt.

gum, sed non premens. Tollit etiam reatum contractum, nec ideo iugum legis facit durissimum: sed fidelibus, quod propter suam infirmitatem erat grauissimum, facit suauissimum duplici nomine: tum quia Deus modicam eorum obedientiam quasi plenam acceptat in Christo; tum quia defectus propter eundem condonat. Aratoris exemplum assumit falsum, quod lex Moysis sit iugum Christi, & vere agreste est, imo hæreticum. Agreste, quia fideles facit boues, sub iugo durissimo anhelantes: hæreticum, quia fingit fideles sub iugo Christi nunquam labentes, & per hoc impeccabiles cum Pelagio. Quia si aratoris bonitate, vel ita corroborentur boues, vel dextra eius ita subleuetur iugum, vt facile ferant, & raro cespitent, id sane iugum bobus minime durissimum, sed leue diceretur.]

Bellarmin. à calũnia vindicatus.

Multa falso & contumeliose congerit in virum sanctissimum. Non sunt enim eius scripta Pelagiana. Pelagius enim & Cœlestius mandata facilia fingebant, quod proprio libero arbitrio facile seruari possent: hoc Hieronymus & Bellarminus refutant.

Hoc enim agitur Epistola ad Ktesiph. *Fraudulenter prætendis, vt Dei gratiam ad conditionem hominis referas. & non in singulis operibus auxilium Dei requiras: ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cum Dei contemnas adminiculum, hominum quæras auxilia. &. Iniuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad Deum semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate, & dicas: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos? Vnde & audes lingua proferre temeraria, vnumquemque arbitrio suo regi? Si suo arbitrio regitur, vbi est auxilium Dei? Si Christo rectore non indiget, quomodo scribit Hieremias: Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur? Facilia dicis Dei esse mandata, & tamen nullum proferre potes, qui vniuersa compleuerit. Responde mihi: Facilia sunt an difficilia? Si facilia, profer qui ea compleuerit, & cur Dauid in Psalmo tanat: Qui fingis laborem in præcepto.*

Pelagius legem in adiutorium datam, & gratiæ vicem dicebat implere: sic in cap. 25. Ierem. *Sin autem, vt noui ex veteribus hæretici volunt, lex semel in adiutorium data est & constituta præcepta, quæ nostri arbitrij voluntate vel facimus vel non facimus, quomodo propheta se semper ingerit & quotidie replicat mandata Dei, quæ vtique semel accepta, sufficerant eis quibus fuerant data: nisi vt hoc ostendat, Dei nos semper indigere auxilio: & nunquam posse sufficere, quod semel datum est: nisi quotidie Domini admonitione renouetur:* Augustinus de perfect. Iustitiæ contra Cœlestium agit, ostenditque neminem fuisse sine peccato: Quod nos quoque concedimus, nec inde sequitur legem possibilem non esse. Si enim possibilis non esset, sine peccato violaretur. Porro quod ait mandata Dei filiis Dei molesta non esse, verum est, si sensu Catholico intelligatur. Charitati enim & gratiæ molesta non sunt, lege enim delectantur. Imo lex illis posita non est, si ex gratia faciunt ea quæ legis sunt. Quod si molesta negat, quia non obligat, iam aliam in hæresim Anomorum migrat. Sanctus Augustinus de perfect. Iustitiæ cap. 8. quo toto capite sententiam Catholicam asserit, quod caput pro commentario huius loci apponere libuit.

Testis Catholicæ sententiæ Augustinus.

Deinde instituit diuinis testimoniis agere quod intendit. Quod quale sit diligentius aduertamus. Testimonia, inquit, quibus probatur præceptum esse homini vt absque peccato sit, ad hoc respondemus: Non vtrum præceptum sit, quæritur, quod valde manifestum est; sed ipsum quod præceptum esse constat, vtrum in corpore mortis huius possit implere, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & Spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus. De quo corpore mortis huius non omnis liberatur, qui sunt hanc vitam, sed, qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum suscipiat, bonis operibus egerit. Aliud est enim exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ huius vltimus cogit; aliud est autem liberari de corpore mortis huius quod sola Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum, sanctis & fidelibus eis impertit. Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum, à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem iustitiæ, cum hinc exierit quisque peruenit, nisi ad eam cum hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Beati quippe qui esurunt & sitiunt, quoniam ipsi saturabuntur. Quamdiu ergo peregrinantes à Deo per fidem ambulamus non per speciem (vnde dictum est, Iustus ex fide viuit) hac est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vbi in specie deorsis eius iam plena & perfecta charitate erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum, & seruituti subijciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis & dimittendis, quæ in nos sunt commissa peccatis hilariter & ex corde faciendo & orationibus indesinenter insistendo, & hoc faciendo in doctrina sana, qua ædificatur fides recta, spes firma charitas firma. Hæc est nunc nostra iustitia, qua currimus, esurientes & sitientes ad perfectionem plenitudinemque iustitiæ, vt ea postea saturemur. Vnde Dominus in Euangelio cum dixisset, Nolite facere iustitiam coram hominibus, vt videamini ab eis, ne istum nostrum cursum sine humanæ gloriæ metiremur; non est in expositione iustitiæ ipsius executus, nisi tria ista ieiunium, eleemosynas, orationes: Ieiunio scilicet vniuersam corporis castigationem significans, eleemosynis omnem beneuolentiam & beneficentiam, vel dandi vel ignoscendi; oratione insinuans omnes regulas sanctæ desiderij: vt quoniam in castigatione corporis natur concupiscentia, quæ non frenari, sed omnino esse non debet, nec erit in illa perfectione iustitiæ, vbi nullum erit omnino peccatum, & sæpe in vsu rerum etiam concessarum, atque licitarum exerit immoderationem suam: in ipsa vero beneficentia qua iustus consulit proximo, quædam fiunt quæ obsint cum prodesse putata sint; & aliquando per infirmitatem, vel cum minus sufficitur necessitatibus aliorum, vel parum inde proficit quod benignitatis ac laboris impenditur, surrepit tedium, quo fuscetur hilaritas, in qua datorem diligis Deus. Surrepit autem tanto magis, quanto minus quisque, & tanto minus, quanto magis profeceris. His atque huiusmodi confideratis merito in oratione dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: si tamen id quod dicimus, faciamus, vt vel ipsi etiam diligantur inimici, vel si quisquam adhuc in Christo paruulus hoc nondum sentit; pœnitenti tamen, quod in eum quisque peccauit & veniam petenti ex intimo cordis ignoscat, si vult vt eius orationem pater cœlestis exaudiat. In qua oratione si consentire nolumus, satis nobis propositum speculum est, vbi inspiciatur vita iustorum, qui ex fide viuunt, & perfecte currunt, quamuis sine peccato non sint. Vnde dicunt, dimitte nobis; quia nondum quo curritur peruenerunt. Hinc dicit Apostolus, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim: fratres, ego me arbitror non apprehendisse; Vnum autem quæ retro sunt obliuiscens, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus: id est, quotquot perfecti currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur, quo perfecte adhuc currimus: vt cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur; id est, non iam ex parte sit, sed ex toto: quia fides & spes iam reuisa non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur, teneatur nec amittatur. Charitas autem quæ in his tribus maior est, non auferetur, sed augebitur, sed implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperat indepta. In qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.

Nam

Iustus non ob vllius peccati.

Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non ex omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamuis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit iustus sine vllo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris eius repugnans legi mentis eius; Sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur si quo currendum est nesciatur, Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, vt comprehendamus. Omnes enim qui recte currunt, comprehendent; Non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Currimus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires vt adiuuentur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.

Calumniantes veri Libertini.

Non igitur cum Augustino lis est nobis, sed illis, qui nos calumniantur, Augustini dicta deprauant. Absit vt dicat Augustinus, ideo legem non esse grauem, quia lex non possit obligare ad damnationem fideles. Itaque simpliciter lege non tenentur. Quia non potest eos lex damnare, non ergo iudicare; liberi igitur sunt à lege. Tollit enim reatum contractum, quod non est aliud, quam sine culpa posse legem violare.

§. 5. Non sufficit fides, oportet tollere iugum.

Alij requirunt obedientiam legis.

» [Qui frui, *inquit Piscator*, volunt requie ex fide, il-
» los oportet super se tollere iugum Christi: id est,
» obedire præceptis ipsius: vt scilicet diligant Deum
» & proximum. Nam sic demum certi erunt, se vera
» fide esse præditos. *Et deinde.* Vt obedientiam præsta-
» re possimus mandatis Dei: inprimis nobis opus est
» mansuetudine & humilitate, seu demissione animi.

Quarum illa faciet vt diligamus proximum: ista vero vt recte colamus Deum.]

Aratoris exemplum agreste non est; Nam Caluinistas proprie illis comparare fas est, quique semper legem violant, omni opere peccant, nectamen illis imputatur, sed vbi ceciderint continuo resurgunt. Paulus ministros Euangelii bobus comparat, & Moses olim sine rusticitatis suspicione id potuit. Christus enim iubet suos prudentes esse, vt serpentes, non ignarus quid Caluinistæ ea de re iudicaturi essent. Quam vero insignis calumnia sit, Bellarminum fingere fideles sub iugo Christi nunquam labentes, sed impeccabiles, totus liber Bellarmini edocet, imo totus tomus quartus, in quo id nunquam dicit Bellarminus, sed millies contrarium.

§. 6. Athanasius contra Arianos. *Vt enim mansuetudinem de se docuit his verbis. Discite à me quod mitis sum & humilis corde: non quidem vt coæquemur illi, quum hoc sit impossibile: sed vt ineum respicientes, mansueti perseueremus in omni tempore, ita & isthic volens, nos vero, & firmo, & indissolubili inuicem affectu conciliatos esse, ex sese mutuatus est exemplum.*

Quis vero mansuetus dicendus, exponit S. Basilius in Psal. 33. quem Lector consulet. Porro mansuetudinis mater est charitas, ferocitatem gignit odium. Mansuetæ ferarum sponte vincula subeunt, at indomitæ contra nitendo, & morsibus ferrum impetendo, suam ipsæ feritatem puniunt.

Quæsiuit Augustinus Serm. 9. & 10. de verbis Domini; cur facile iugum, cum adeo grauia imperentur? Sed omnia ad caritatem refert, quæ iugum leue efficit, ea enim per Christum diffusa est in cordibus nostris.

Hinc etiam merito reprehenduntur, qui Ecclesiam seruilibus operibus premunt. de quibus Augustinus Epist. 119. ad Ianuar.

CAPVT XII.

Mat. 12. d. 23. Luc. 6. a. 1. 1. Reg. 21. a. 4. Nu. 28. b. 9. Leuit. 24. b. 8. Osee. 6. c. 6 Mat. 9. a. 1. Luc. 6. a. 6. Deut. 22. a. 4.

IN illo tempore abiit Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas & manducare. 2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis. 3. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant? 4. Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? 5. Aut non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? 6. Dico autem vobis, quia templo maior est hic. 7. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes: 8. Dominus enim est filius hominis etiam Sabbati. 9. Et cum inde transisset, venit in Synagogam eorum. 10. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes. Si licet Sabbatis curare? vt accusarent eum. 11. Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? 12. Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere. 13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera. 14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. 15. Iesus autem sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes. 16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent. 17. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: 18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam Spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: 20. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium: 21. Et in nomine eius Gentes sperabunt. 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cœcus, & mutus, & curauit eum ita vt loqueretur, & videret. 23. Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid? 24. Pharisæi autem audientes, dixerunt; Hic non eiicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. 15. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se, non stabit. 26. Et si satanas satanam eiicit, aduersus se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? 27. Et si ego in Beelzebub eiicio dæmones, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

Iſa. 42. a. 1. Mat. 3. c. 21 Luc. 11. b. 14. Sup. 9. d. 34 Luc. 11. b. 17. Mat. 3. d. 28. Luc. 11. b. 17

28. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. 29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet. 30. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. 31. Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur.
Luc.6.g.45 *32. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur: neque in hoc sæculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. 34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die*
Inf.16.a.14. Luc.11.c. 29. 1.Cor.1.d. 22. Ion 2.a.2. Ion.3.b.5. 3.Reg.10. a.1. 2.Par.9.a.1 Lu.11.c.24 1.Pet.2.d. 20. Mat.3.d.31 Lu.8.c.20. *iudicii. 37. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. 38. Tunc respondérunt ei quidam de Scribis & Phariſæis dicentes: Magister volumus à te signum videre. 39. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. 40. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. 41. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic. 42. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic. 43. Cum autem immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. 44. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. 45. Tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic & generationi huic pessimæ. 46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. 47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. 48. At ipse respondens dicenti sibi, ait. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 49. Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. 50. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.*

IN CAPVT DVODECIMVM

ARGVMENTVM.

Iudæorum Christi tempore malitia.

SCOPVS & institutum huius capitis est, extremam malitiam contumaciamque Iudæorum ostendere: vt toti mundo appareat, cur futurum sit remissius Sodomis, Tyro & Sidoni, quam genti Iudæorum: Multa enim perditæ malignitatis argumenta sunt. Primum discipulos Sabbato vellicantes spicas accusabant festi violati, cum misereri & succurrere esurientibus oporteret: cum ipsi Sabbato adaquatum, pastumque iumenta ducerent: Eos igitur defendit exemplo Dauidis, sacerdotum, dicto Oseæ 6.6. & sua auctoritate. In altero acerbius odium produnt, calumniandique libidinem, cùm quærunt; An liceat Sabbatis curare? quod palam reprehendit, & ostendit licitum esse curare; quia licitum est ouem è foueâ extrahere Sabbato, cur non ergo dicere: *Extende manum tuam*? Tertium obdurationis documentum est, quod his nihil moti exeunt Phariſæi, & consilium faciunt, quomodo eum perderent. Itaque cum sanaret multos, præcepit, ne eum manifestum facerent: ne scilicet magis irritarentur. Quartum argumentum est obstinationis Spiritui Sancto repugnantis, quâ dæmonis expulsionem dæmonum principi tribuunt, quod ipse multis refutat, & esse peccatum in Spiritum Sanctum asseuerat, quod nec in hoc sæculo, nec in futuro remittatur. Quintum signum malitiæ, quod signum quærant, post tot signa, quasi illa vel contemnerent, vel negarent. Sexto ostendit eorum peccata comparatione Niniuitarum, & Reginæ Austri. Denique septem spiritibus nequioribus illos obsessos ait, eo enim pertinet similitudo. Quia vero ob stirpem ex Abraham, & promissionem Messiæ ex sua natione orituri turgebant, hunc quoque fastum detrahit, cum negat, vel matri, vel fratribus gratiam, & salutem dandam, nisi faciant voluntatem patris sui, ostenditque sibi omni in gente matrem esse, & fratres. A versu 9. in Syro legebatur, feria prima septimanæ tertiæ ieiunii. à versu 12. ad 38. ad vesperam Dominicæ ante ieiunium. Inde Ad vesperam in commemoratione Deiparæ.

VERSVS

VERSVS 1.

In illo tempore abiit Iesus per sata Sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas & manducare.

QVÆSTIO I.

Quo tempore ista contigerunt?

Non continuatur hæc historia cum præcedentibus.

§. 1. CVm ait, *in illo tempore*, indicat per id tempus factum esse, cum Christus perambulans Iudæam prædicaret; non autem continuari historiam cum præcedentibus. Hinc sumptum existimo, vt, cum pars Euangelii in Ecclesia legitur, dicatur: *In illo tempore.* In Græco ἐν ἐκείνῳ καιρῷ *per id tempus.*

§. 2. Matthæus ait iter factum sabbato, Græce τοῖς σαββάτοις, analloge numerorum; quæ etiam est apud Marcum 2.23. Versu 2. aliqua exemplaria habent σαββάτῳ, *Sabbatis*, alia σαββάτου. *Sabbato*: erat enim non quilibet dies, sed septimus, Sacrosanctus, in quo operis nihil facere licuit. Verum difficultas ex Luca orit.

Sabbatum secundo primum.

tur, qui appellat Sabbatum δευτεροπρῶτον, *Secundo primum*, c. 6. 1. quod tamen verbum in Syro omissum est. Et quidem illa disputatio ad Marcum proprie pertinet, cum tamen omnes hoc loco quærant, quod sit illud Sabbathum secundo primum, hic explicare etiam conueniens est.

§. 3. Sabbatum igitur secundo primum quibusdam est: Sabbatum duplex, Sabbatum scilicet seu dies septimus, in quem alius dies festus incidit, Pentecostes vel Neomeniæ, vel alterius festi celebritas: ita Lucas Brugensis. Sic Ioan. c. 19. v. 31. vocatur *magnus dies Sabbati*, quia in dies azymorum incidebat. Hæc opinio quamuis incerta est, non tamen, quid eidem opponi possit, video, ideo cæteris probabilior multis videtur.

Sabbatum cum alio festo.

Tria hebdomadis azymorū.

§. 4. Scaliger diem δευτεροπρῶτον appellari putat, quod hebdomadem azymorum claudat, sitque dies sancta, atque ita dicatur respectu hebdomadis azymorum dies Sabbati, quem admodum ordinarium Sabbatum respectu suæ hebdomadis. Quod si respectu dierum azymorum dicitur, non necessario in Sabbatum incidit ordinarium, vt nec ipsum Pascha. Hæc sententia facile refellitur; quia Matthæus & Marcus vocant Sabbatum, proprie vero intelligendi sunt; & quocunque modo dictionem interpretemur; ita intelligentia scripturarum dirigenda est, vt à vero Sabbato nequaquam recedatur. Aliis enim diebus quibuscunque parare cibum licuit, Sabbato vero non licuit. Itaq; speciem non habuisset, Pharisæorum calumnia, nisi Sabbato spicas vellissent.

Diebus azymorum erant tertio festi.

§. 5. Eadem quoq; ratione eos refuto, qui putant diem primum azymorum, qui proxime pascha sequatur, nisi velint diem illum azymorum in Sabbatum incidisse. Præter superiora enim incommoda, etiam hoc accedit, quod dicitur ille non δευτεροπρῶτος secundo primus, sed δεύτερος secundum Sabbatum, seu secundarium Sabbatum dicendus esset. Occurrit & alia ratio. Apostolos longius ab vrbe abfuisse in confesso est. nec enim cibos habere poterant; necessitate enim cogente spicarum vellicaturâ eum petebant. At vero festa Paschatis, & dies azymorum Ierosolymis agebant, & præcipue Pharisæi, qui in speciem dies illos accurate obseruabant.

§. 6. Constituto igitur, vero & ordinario Sabbato hæc contigisse dicendum est, eodem Sabbato vel aliud festum celebratum fuisse, ita vt inciderent primæ vesperæ in idem tempus, quo vesperæ primæ Sabbati, vel, vt festi secundæ vesperæ inciderent in primas Sabbati, vel sane vt festi alicuius primæ vesperæ inciderent in vesperas secundas Sabbati: Deinde festum hoc non pertinuisse ad Paschales ferias & dies azymorum, nondum enim maturæ erant segetes. Videntur nec fuisse festa tabernaculorum, tum enim in horreis erant fruges. Nisi quispiam bis sata fuisse contendat. Erant enim multi agri fertiles, adeoque biferi. Hanc sententiam specialiter explicuit Theophylactus Ἰουδαῖοι πᾶσαν ἑορτὴν σάββατον ὠνόμαζον: ἀνάπαυσις γὰρ τὸ σάββατον. πολλάκις οὖν ἀπήντα ἡ ἑορτὴ ἐν τῇ παρασκευῇ καὶ ἐκάλεσεν τὴν παρασκευὴν σάββατον, διὰ τὴν ἑορτήν. εἶτα τὸ κυρίως σάββατον ὠνόμαζον δεύτερον, ὡς δεύτερον ὄν. σπανίως σύμπτωσις ἄλλης τῆς ἑορτῆς καὶ σαββάτου. *Iudæi omne festum Sabbatum nominabant. Requies namque est Sabbatum. Sæpius vero festum incidebat, in parasceuen, & vocabant parasceuen Sabbatum, propter festum. deinde vocabant, id quod primario erat Sabbatum secundo primum, quasi secundum esset, præcedente alio festo, & Sabbato.*

Ridicule Sabbatum hoc cum festis nostris duplicibus comparat Wolfg. Musculus. Plana enim nominationis est ratio.

Circa pentecostes hæc festa sunt.

Probabilius igitur est, circa pentecosten fuisse, nam segetes tum maturæ erant, & mox messis accelerabatur. Vadit igitur per sata ipse Dominus granum frumenti, simul Pharisæos refutat, qui querebantur discipulos suos non ieiunare.

§. 7. Et Bullingerus prorsus inepte. Vti apud Papistas dies Lunæ est primus festorum Pentecostes, & alter dies à festo. Pro Sabbato Dominicam celebrari consentiunt omnes; ex Socrate docet paucos dies festos fuisse ab Ecclesiis & Conciliis statutos. ipsum Paschatis festum negat esse ab Apostolis.

Dominicæ celebratio non potest in scripturis inueniri.

Non tamen festi dies voluptatibus dicandi sunt. Leo & Anthemius Armasio PP. L. Proinde. Negandum vero est, hac in traditione omnes conuenire. Etsi enim dies Dominica nominetur in Scriptura, non tamen de eius feriis, & vacationibus præceptum habemus.

Libtum scripsit Robertus Loeus, quem vocauit castigationem Sabbatismi, in quo Dominicam ait succesisse Iudaico Sabbato. *Iudaicum*, inquit, *vt vidistis Sabbatum, authoritatem & vitam ad hunc modum amisit; sed quicquid tamen dignitatis habuit, diei Dominico vt hæredi haud paulò præstantiori reliquit. Cuius diei consecrationem vt præclare fundatam, optimisque rationibus munitam intelligamus: præmittenda sunt nonnulla, quæ huic disputationi aliquantulum lucis afferant.*

Cur Dominica celebretur.

Quæ fundamenta vero? *Quia inquit ea die lucem Deus fecit, deinde quia maius creatione opus factum est.* Nolo contra ista disputare. Liceat his vti rationibus. Hoc quomodo probat quod ait. *His quidem causis adducti fuere Apostoli, vt ex omnibus diebus, Dominicum maxime semper honorandum statuerent.* Hoc etiam concedo Apostolos statuisse. At vnde hoc probat? Ex Actorum cap. 20. 1. Corinthior. cap. 16. Apocal. 1. At locis duobus prioribus, ne nominatur quidem dies Dominica. tertio nominatur quidem, sed de eius veneratione nullum præceptum datur. Sola igitur traditione cognoscitur & honoratur. Antiquitatis testis est Ignatius ad Magnesios ἐσπουδάζετω πᾶς φιλόχριστος, τὴν κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὑπατον πάντων τῶν ἡμερῶν. *Celebret omnis Christi amans Dominicam, quæ est resurrectionis dies, regina, princeps omnium dierum.*

VERSVS 2.

Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.

QVÆSTIO I.

An facerent quod non liceret?

Lectio diuersa.

§. 1. QVædam exemplaria habent ἰδόντες αὐτὸς, videtes ipsos & οὐκ ἔξεστι αὐτοῖς non licet ipsis. Sed in Græco non est αὐτοῖς, ipsis, nec in Syro, licet hic habeat: *videntes ipsos.*

Spicas licuit vellere.

Non accusant eos furti, quia ex lege ista licebat accipere; noluit enim Deus vel possessores esse tam auaros, vel iter facientes tam anxie constrictos, vt vellere spicas non possent. Nam Deu. 23.25. lex erat: *Si intraueris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; falce autem non metes.*

Alii existimant spicas derelictas confricuisse; de quibus Leu. 19.9. & 23.22. *Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam vsque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas.* Atque ita maior eorum paupertas ostenditur, & minor querelarum occasio maleuolis suppeditatur. de hac paupertate vide Iren. l. 4. c. 20. Chrysost. hom. 20. de allegoria, vide August. l. 1. quæst. Euangel. q. 2.

Simulant zelum.

§. 2. Alterum igitur exaggerant, quod id Sabbato fecerant; magno zelo incumbentes rigidi censores, publico scandalo se opponere simulant. In aliorum actis censendis iniquissimi, duri, suorum scelerum ignari; mera enim malitia, excœcati comitabantur, labore insidioso, vt occasionem carpendi acciperent fœda omnino ἐπιχαιρεκακίᾳ, gaudio super malo. Lex Exod. 35.3. erat, *non accendetis ignem in cunctis habitaculis vestris, per diem Sabbati*: quo cibi apparatura vetabatur: aliis festis ea permittebatur, vt supra dixi, Exod. 12.16. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.*

§. 3. Cum ergo nec alienum rapuerint, nec Sabbatum violarint discipuli, consequitur non egisse eos, quod non licet. Mitius tamen agunt, vt notat Chrysost. Nam cum solo verbo sanitatem conferebat, facti sublimitate irritati, inuidia vehementiore agebantur in præceps.

Christo culpam discipulorũ imputant.

§. 4. Alia etiam ex causa iniuriam faciunt; Non enim ideo Christi doctrina culpanda est, si discipuli male agunt, ex suis eius sæpe affectibus non ad normam magistri semper operantur.

Obiicere tamen hic nobis hæretici solent: nec mirum; fecerunt olim gentiles. S. Chrysostomus id questus est olim. οὐ γὰρ τοῖς λεγομένοις παρ' ἐμοῦ προσέχουσιν Ἕλληνες, ἀλλὰ τοῖς παρ' ὑμῶν: *Non enim ad ea quæ dico ego, sed ad ea, quæ agitis vos, Græci attendunt.* Ita nunc quoque cum ab aliquo Catholico præsertim sacerdote, aut religioso delinquitur, non minus apud sectarios gaudii, & insectationis quam apud ipsos inferos nascitur. Nec mirum eos de nostrorum lapsibus exultare, cum eos quotidie mendacissime confingant, vt ante aliquot annos de Illustrissimo Bellarmino fecerunt, qui fictitio suo funeri superstes, multis interea rebus sapientissime integerrimeque gestis, & libris conscriptis, hoc anno 1621. die Septembris in Domino sanctissime ac placidissime obdormiuit.

„ §. 5. Wolffg. Musculus. [Taxandi sunt, *inquit*,
„ etiam hoc loco delicatuli Ecclesiæ ministri, qui curan-
„ di ventris gratia prædicationem Euangelii deserunt.
„ Christus seque suosq; ita instituit, vt propter assidui-
tatem promouendi Euangelii, quæ curationẽ corpo- „ Calu-
ris concernebant, omiserit, vel certe inferiore loco „ mnia
habuerit. Vicissim vero Romanus Pontifex suos ita „ contra
instituit, vt propter ventris prouisionem accurate ser- „ Catho-
uandam, doctrinam Euangelii negligant. Discipuli, „ lum
Apostoli, Pontificum, Cardinalium & Episcoporum „
prædecessores, esuriem patientes spicas vellunt, & „
corporum necessitati consulunt, bene contenti. Et „
Lucæ 22. rogati à Christo, num aliquid defu sset: re- „
sponderunt, Nihil. Quid qui se iactant Apostolorum „
successores, responderent hodie? „

Haud sane difficulter respondebunt. Nusquam sic Cath.
à Pontifice se instituì, & animarum saluti corporis pro Ec.
curam anteponant, calumniam esse hæretici. Deinde gau.
multos esse, qui hoc faciant: delicatulos sacerdotes, ta pro
ad instar ministrorum. Denique multa esse millia, qui tur.
non modo corporis curam animarum procurationi non anteponant. Sed insuper animam suam ponant in manu sua, atque ita per famem, sitim, labores, carceres, ferum eundo & ignes, Euangelium propagent.

Interim hic notabis hypocritarum ingenium; in rebus minimis trepidant, magna peccata libere perpetrant. Tam peruersi religiosi, quam libenter profani. Alii ne scelerati videantur, in rebus paruis cerimoniosos, & scrupulosos se fingunt.

VERSVS 3. & 4.

At ille dixit eis, Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comẽdit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

QVÆSTIO I.

Rectene Dauid egerit?

§. 1. HIstoria 1. Reg. 21. 3. recitatur in hæc verba: Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi; non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei. Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

Christus de consensu Iudæorum, & ipsa veritate statuit; Dauidem non peccasse. Sed quamuis lex illa à Deo statuta fuerit, necessitate tamen fuisse excusatum. ex quo colligimus leges cæremoniales non semper, & omni casu obligare, etiam à Deo latas.

Sacri panes erant vel libamentorum, vel panes propositionis; Solis eos edere sacerdotibus licebat. imo non nisi sanctificatis. Leuit. 21.7. *Scortum, & vile prostibulum non ducet vxorem, nec eam quæ repudiata est à marito: quia consecratus est Deo suo, & panes propositionis offert.* & Leuit. 8.31. *Cumque sanctificasset eos inuestitu suo, præcepit eis, dicens,*

Panes propositionis profanus.

cens, Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens, Aaron & filij eius comedent eos; quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.

Cum ergo Dauid in necessitate lege se non teneri vere iudicauerit, cur Apostoli mei accusantur? Non concedit Sabbatum ab eis violatum, sed necessitate excusat, quo simul & inhumanitatem eorum damnat, qui in esurientes tam erant duri. Luc. 6. 1. Discipulis obijciunt hæc Pharisæi, sed mox eos hic accusant apud Magistrum, vt intelligant an eo consentiente tantum nefas committatur.

Dauid mentitus.

§. 2. Quamuis in legem Dei cæremonialem Dauid nequaquam deliquerit. Alia tamen parte officioso mendacio vsus est. 1. Reg. 21. 2. *Rex præcepit mihi sermonem & dixit, Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illū & illum locū.* Nec enim à rege mittebatur, sed fugiebat, vt est c. 20. Nec pueris condixerat in certū locum eo modo quo sacerdos intelligebat: nempe satellitiū & ministros eum certo in loco conuenire iussisse; sed paucos secum habuit, quos in aliqua agri suburbani parte latere iusserat.

Dauid an solus?

Itaque non pugnant secum liber regum & Christus, cum v. 1. quærit Achimelech, *quare tu es solus & nullus tecum?* Christus ait, eum comedisse, & viros qui cum eo erant. Lyranus quidem existimat admodum paucos fuisse, & quasi nullos reputari: quod non conuenit verbis sacerdotis; *& nullus tecum* Abulensis ait in vicinia latuisse: Cui obijciunt. Rationem fugæ ostēdere, Dauidem solum fuisse; solus enim à Ionatha solo discesserat, c. 20. adeo vt ne puerum quidem paruulum conscium esse vellet.

Verum mihi omnino certum apparet. Dauidem in vicinia habuisse socios. Tum quia Christus testatur, *viros qui cum eo erant, comedisse*, non autem quos paulo post collecturus erat. Tum quia quoque panes petebat, pro pluribus sine dubio, poterant sane illi viginti viris esse satis. Nec obstat historia: Dauid quidem solus fugit, sed cum à Ionatha recessisset, fidis quibusdā

Dauid socios sibi iunxit.

rem indicauit: Quos Deus illi fugæ solatio destinarat: qui Saulem timebant, amicitia Dauidis illustres. Cōsuetudo enim tyrannorum est, eorum quos oderunt, aut timent, maxime in causa maiestatis, amicos persequi, torquere: Itaq; c. 20. 33. lancea Ionathan filium petit, & ciuitatem Nobe occidit *in ore gladij* c. 22. Quomodo igitur fidi & intimi Dauidis tuti essent? Nonne verisimile fuit, eos de Domino, si fors alibi lateret, etiam per tormenta interrogandos?

§. 3. Nec in occulto res gerebatur, cum enim ante per satellites capi Dauidem iussisset, deinde lanceam in filium Ionatham sæue torsisset: Non dubium est quin plures sibi metuentes recesserint. Porro iam tertius dies erat fugæ cū venit ad Abimelech, dicit enim continuisse suos à mulieribus *ab heri, & nudius tertius*, quod scire non poterat, nisi secum in itinere & fuga

Dauid festinauit fugam.

fuissent. Socios itaq; itineris habuit, mox vt à Ionatha recessit, & credibile est, admodū festinasse vt quā longissimè à Saule recederet. Nec dubium esse potest, legentibus Marcum & Lucā, qui aiunt esuriisse ipsum, & eos qui cum ipso erant. Nam in via vix appellare quenquam de cibo poterant, cum pridie Saul voluntatem ostendisset, iam postridie per vicina loca fama vulgabatur, & festinandum erat Dauidi, vt eam præuerteret. Socios vrbem intrare noluit, ne turbas cieret, forte dubitabat, an de se iam constaret ciuibus. Nam cui rex offensus est, vix amicum reperit.

§. 4. Laborauit vero vt omnes lateret: & latuisset, nisi Doeg eum prodidisset, Ita ille præsagiebat. 1. Reg. 22. 22. *Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doēg Idumæus,* Latere voluit. *proculdubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruabere.* Inopinato autem in illum inciderat.

Potuisse autem famam Dauidicæ fugæ eo peruenisse constat ex c. 22. 17. *Et ait rex emissarijs qui circumstabant eum, Conuertimini & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est; scientes quod fugisset & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. Et ait rex ad Doēg, conuerte tu & irrue in sacerdotes. Conuersusque Doēg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.*

Quod quamuis furiose dicat: Non tamen credibile est eum claram, & cunctis manifestam calumniam facere voluisse. Quod futurum erat, si constaret Achimelechum eo tempore de fuga nihil cognoscere potuisse. Iam autem tantum temporis effluxerat, vt probabiliter dicere posset, & Saul certo statueret, de fuga Dauidis sacerdotem cognouisse.

QVÆSTIO II.

Vbi illa domus?

Arca cum in Nobe.

§. 1. NOndum erat templum, itaque dicendum videretur domum illam esse tabernaculū, sed illud non erat in Nobe, sed in Silo. 1. Reg. 3 & 24. & 3. 21. & 4. Reg. 3. Verū vbi panes erant propositionis, ibi erat & tabernaculum, & arca, nam etsi tempore Samuelis esset in Silo, postea tamē 20. annos fuit in Cariathiarim: nec dubium, quin & eo translatum fuerit tabernaculum. Deinde 1. Reg. 10. 3. ascendunt viri in Bethel ad dominum. & v. 8. iubetur Saul ire in Galgala, vt ibi immolet victimas pacificas. & c. 12. in Galgala totus populus immolat victimas. & 1. Reg. c. 14. 18. est cum filijs Dei in Gabaa, & 2. Reg. c. 6. 3. inde eā abducit. Sæpe itaque mutauit stationem arca. itaque & panes propositionis.

Panes propositionis Heb. facierum. 72. ἄρτοι προσωπίου τῆ προσώπω panes, qui ante faciem & faciei, & πρόθεσεως propositionis nominant. Deinde & πρόκειμενοι, propositos, quidam vocāt apposititicios, melius propositionis; his se, tribus duodecim testabantur à Deo perpetuo nutriri, idq; per menses 12. hoc est semper, toto anno.

§. 2. At quomodo summus Sacerdos tam diues nō habuit alia quæ daret Dauidi? Responderi posset, accisas res fuisse bello continuo &c. Verum dubiū nullum est, potuisse summum sacerdotem vel mutuo vel emptione panes in ciuitate Nobe, in qua erat accipere, sed noluit Dauid morari, nec cognosci, itaque aliud non accepit, quam panes qui erant in tabernaculo, domum sacerdotes ire noluit.

QVÆSTIO III.

Quomodo Marcus vocat Abiathar?

Abimelech etiā Abiathar vocatur.

§. 1. 2. Reg. 17. vocatur Achimelech. Beda Abiathar fuisse patre excellentiorem, ideo meritum vt nominaretur etiam patre viuente. Verum ea de re non immerito dubitat quispiam. Nam Achimelech pro Dauide ab iniusto rege occisus est. Abiathar cum Adonia se coniunxit 3. Reg. 1. 7. & ibidem c. 2. 27. Sacerdotio deiectus est, mortem etiam iudice Salomone meritus. Itaque rectius dicitur Achimelech esse binominis, vt Tolet. Regius. alij.

Auctor traditionum dicit Abimelech esse eundē

cum Abia. de quo 1. Reg. c. 14. Iansen. c. 37. nomina illa pro eisdem accipi ait. ex 2. Reg. 8. 17. Par. 18. Abul. l. 2. q. 24. Abiatharam ait functum sacerdotio ob patris occupationes, quod verisimile nō videtur, cum summa esset functio sacerdotis summi, & omnes aliæ occupationes alijs delegari potius, quam ista debuerit. Alij aiunt esse transpositionem figuratam, vt Abimelechi filius sit Abiatar, non Abimelech Abiataris, à Marco autem illum nominari, quia tamen aderat, & paulo post summus sacerdos fuit. Verum Christus aperte factum ait sub Abiathar principe sacerdotum. At 1. Reg. 21. & 22. Abimelech est summus sacerdos. Alia ergo ratio non est, quā vt binominem dicamus.

§. 2. De mensa panum propositionis Exod. 25. 23. Eiusdem magnitudinis in tabernaculo & templo fuit. Vide & Abulens. Leuit. 24. & Azor. nostrum Instit. Moral. p. 1. l. 5. c. 47. Hebræi in arcæ apertæ formam factos panes arbitrantur, eos Arias Montanus sequitur, Iosephus l. 3. Antiquitatum causam declarat. Verum ista incerta nihil necesse est persequi.

Cum vero singuli panes continerent duos Gomores. Gomor autem plus satis sit ad cibum diurnum, vt constat Exod. 16. 15. certum est Dauidem cū quinque panes petteret, pro decem socijs cibum in diem petijsse. Potius tamen credidero plures adfuisse, & in vnam solum refectionem petitos panes.

VERSVS 6.

Aut non legistis in lege, quia sabbathis sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt?

QVÆSTIO I.

An non violent sacerdotes festum in templo?

Templi cultus Sabbatho fit.

§. 1. ALio argumento improbam calumniam reijcit. Sacerdotes ea faciunt, quæ per se, nisi cultus Dei excuset Sabbathum violant, nisi ad cultum Dei fierent; nam pecudes mactant, deglubunt, intestina lauant, ligna conferunt, si igitur illi sine crimine sunt, quanto magis Apostoli, qui necessitate adducti vitam ita sustentant? Ostendit exceptionem aliquam in lege Sabbathi fuisse. Traditio Iudaica est. *In templo non est Sabbathum*, nam sacrificiorum & victimarum labores cum sint cultus Dei immediati, non sunt opus seruile. Si ergo templum excusat à violatione Sabbathi criminosa, quantò magis filius Dei? quia is maior est templo, at discipuli mihi seruiunt, si templi cultus excusat sacerdotes, cur non & templi Dominus discipulos. Si id in gratiam templi, ergo & in gratiam Christi vt illi adsint illi seruiant. Non quod proprie Sabbathum violent, cum lege sacrificia offerant, manuariæ vero operæ, non sint vetitæ, cum in templo diuinis cultibus impendantur.

Sabbati prudens custodia.

§. 2. Hic ὦδε, quidam salutem populi interpretantur, ob superstitionem de obseruatione Sabbathi sunt reprehensi, vt ostendit, argumentum de templo; Colligit enim non omnia opera prohibita, sed quædā certi generis apud Hebræos periculū animarum, & discrimen mortis tollit Sabbathū. Thalm. de Sabbatho. Hic ὦδε hoc loco, non intelligitur aliud quam ipse Christus. vt v. 41. *Et ecce plus quā Ionas hic* & 42. *plus quā Salomon hic.* Itaque non dubium est die Sabbathi & medicinas apparatas, & curam omnem ægrorum administratam defensionem etiam contra hostes licitā. Nec ex lege, sed propria superstitione Iudæos egisse illos, qui imminente tempestate die Sabbathi, quiescebāt, si enim sacerdotes βεβηλοῦσι, & sine culpa sunt, cur non & discipuli, non enim l. x sine exceptione Sabbathi cultum exegit, si enim sine vlla exceptione opus prohibetur, non poterunt mactationes, & vlserationes pecudum, strues lignorum, assationesque sacrificiorum excusari: Si illa Sabbathū non violant, sed honorant, aliqua igitur in lege exceptio datur, etiā à vobis. Eam vero maxime necessitas extorquet. Non est quidē Sabbathum violandum, sed non superstitio. ne Iudaica obseruandum, nō vt nullum opus fiat, sed nullum seruile, sed liberale, filiale, ad Dei cultum pertinens. Ne Seneca vt est apud S. Aug. Septimi diei ocium exprobret, *septima* scilicet *vitæ parte nihil nos agere.* Minime enim ociatur, qui Numini religiosum cultum impendet.

VERSVS 7. 8.

Si autem sciretis, quid est, Misericordiam volo & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes: Dominus enim est filius hominis etiam Sabbathi.

QVÆSTIO I.

An abrogarit Sabbathum?

§. 1. PArticula causalis rationem reddit cur dixerit, *innocentes*, quia vtrumque lex habet: certe legislator Deus dispensare potuit me talem facta mea docuerunt. Insinuat aliquando leges illas cœremoniales esse abrogandas. Quod vero addit: *misericordiam volo*, vel Dei, vel hominum misericordiam, intelligit. Dei quidem: Non enim hominem ob Sabbathi scrupulosam custodiā fame torqueri eius benignitas cupit. Hominum vero: quia misereri esurientium oportuit, & necessitas, nō contemptus Sabbathi fuit, quod spicas vellerent. Iudicare etiam eodem modo de misericordia Dei homines fas est, vt iudicauit Dauid. De hominum erga homines benignitate malim hic accipere, quia accommodatius est: Nam misericordia inquit est Deo gratior quam sactificium, multo igitur magis, quam custodia Sabbathi Non tamen Sabbatum abrogauit, sed vsum eius docuit.

Vere itaque hic Caluinus. *Falluntur meo iudicio, qui Sabbathum hic penitus abrogatum esse putant: quum simpliciter doceat Christus quisquam sit rectus illius vsus. Nam etsi gratio ante asseruit Sabbathi se quoq; esse Dominum: nondum tamen aduenerat maturum abrogationis tempus, quia velum templi nondum scissum erat.* Qua ratione contra eius discipulos vtemur, cum legem veterem à Ioanne Baptista abrogatam vt nouam inductam imperite clamāt, vt pro Christi baptismo Ioannis baptismum substituant. Dominus, se esse qui Sabbatū instituit, se quoque tollere posse, ita sua facultate Apostolos hocagere. Marc. 2. 27. *Sabbatum est propter hominē*, ita salus hominum non debet impendi Sabbatho. Porro posteriores Iudæi adeo superstitiosi fuere Sabbatho, vt ne in extrema quidem necessitate remigare, aut aliud quidpiam auertendo periculo agere vellent.

§. 2. Dominum esse Sabbati proprium est Dei legislatoris: Hic enim locus requirit, vt dicatur Dominus Sabbati, vel custodiendi, vel violandi. Ex quo etiā Christi diuinitas apparet Nemo est Sabbathi Dominus, nisi solus Deus, qui Sabbatum fecit. Lex enim olim lata à Deo, totiesque inculcata non nisi pari potestate, vel maiore abrogari potuit. Dominium enim in Dei legem nulli est, nisi soli Deo cōcessum. Nec solum Christo abrogandi leges ministeriū concessum est, sed dominium sibi tribuit. Tertull. lib. de carne

Christi

Christi omittit particulam, *etiam*, sed vim illa habet. Disputant in 2.2.q.31. Theologi, an opera misericordiæ sint præstantiora operibus religionis. Dicendũ est ex suo genere, & natura, ex obiecto esse præstantiora, ex accidente crebro misericordiæ opera præferri. Quia maior est necessitas proximi. Vide D. Thom. 1. 81.art.6.

VERSVS 19.

Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

QVÆSTIO I.

Quando venit?

Gratissima calumniæ Dominũ occurrit.

§.1. NOn continuo, eodem sabbato, sed vt ait: Luc. 6.6. Factum est alio sabbato. Cum enim hac Christi defensione Pharisæi irritati potius, quam sedati essent, vtiq; eum vt sabbati violatorem infamabant. Itaq; Christus publice in synagogam ad depellendam calumniam ingressus est. Lucas enim ingressũ ait, *vt doceret*. Docuit autem de obseruatione sabbati. Et quantum quidem ex tribus Euangelistis colligitur nihil aliud, vt appareat quã sedulo calumniæ occurrerit. Ratio erat vrgentissima. Aduersarij homines pios, & legis æmulatores contra eum incitabant, quod docerent eum sabbati contemptorẽ; quin illud quod dixerat: se dominum esse sabbati, & sabbatum factũ propter hominem; quin & Dauidis exemplum varie disputabant. Imo iam ad synagogam Pharisæi venerant, vt eum obseruarent Luc. 6.7. *Obseruabant autem scribæ & pharisæi, si in sabbatho curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum.* Occasione ergo vsus aridam manum sanauit, & verum sabbati cultum edocuit. Postea vero discessit ex synagoga, vt est apud Euangelistas. Itaque apparet ad vnicam hanc calumniam ex hominũ animis euellendam ingredi synagogam voluisse.

VERSVS 10.

Et ecce homo manum habẽs aridam, & interrogabant eum dicentes, si licet sabbathis curare? vt accusarent eum.

QVÆSTIO I.

An concorditer historiam narrent Euangelistæ?

Sanatur. §.1. manu aridã verbo.

NOn est vlla repugnantia Marc. 3.4. Lucæ 6.9. cum Matthæo. Nam in synagoga erat homo ille, & ita constitutus, vt Iesu vicinus esset, etiam forterogaturum putabant. Obseruabant scribæ autem & Pharisæi, *si in sabbatho curaret, vt inuenirent, vnde accusarent eum, ipse vero sciebat cogitationes eorum, & ait &c.* Itaque ipsi eum ante rogarunt: An liceret sanare, sed mala intentione vt accusarent, eo cognito, hominem surgere iubet, vt omnes miseria eius ad benignitatem commoueret, deinde generaliter rem proponit, vt eos pudefaciat, an liceret benefacere an male? nec de diuersitate laboris instantia dari poterat, illi enim hominem intrare synagogam siuerunt, consulebant quomodo eum accusarent, optabant eum delinquere, ne occasio accusandi deesset. Hæc mala cum facerent die sabbati, cur non mihi liceat velle eius salutem, dicere: *extende manum*, nã aliud non fecit; addidit quæ sunt v. 11. Quidam putant eos rogasse, vt Christũ à miraculo faciendo auerterent, ne per illud doctrinis auctoritas crescret. Cœmentarium fuisse, est in Euangelio Hebræorum, vt Hier. Comm. refert, vbi etiã plura de eo adduntur. Oblatum à Phatisæis putat Hilarius, Chrys. hom. 47. in medio constitutũ, vt Pharisæi ad misericordiam commouerentur. Rabanus manum interpretatur aridam synagogam. Sed vt solet spiritaliter.

VERSVS 11.

Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam: & si ceciderit hæc sabbathis in foueam, nonne tenebit & leuabit eã?

QVÆSTIO I.

Quod Christi argumentum?

§.1. TAle omnino quod vel ipsi impudentiæ rubor em incuteret. Si vos adeo sancti, adeoque sabbatorum accurati custodes, sabbato ouem è fouea educitis, vestrisq; seruitijs id præcipitis, verbis & opere laborioso, si enim huc modò locutum venitis, sed etiam tam animo peruerso, vt male agere me optetis: cur ego sabbati violator, si pauca verba pronuncio, si dicam *Extende manum tuam*? Cur obsecro mea vox breuis & efficax est sabbati violatrix, vestri discursus, & obtrectationes sabbatũ sanctificant? Cur ouiculæ operosa liberatio sabbato cõuenit, hominis vno verbo parta salus repugnat? cum vobis male facere sabbato liceat, mihi non sit fas benefacere? Si opera expenditur, minor est mea, in paucis verbis tota. Loquĩ autem die sabbati, nulla lex vetat. In oue extrahenda verba, discursus, labor impenditur. Si effectus ipse, pluris est salus hominis, quam ouis. Homo animal sacrum est, non modo sabbato curandus, sed multæ etiam pro illo perdendæ essent oues. Quid? an medicis irascimini, qui magna operosaque cura imo etiam pharmacorum tormento, insuper secando & vrendo hominem curant die sabbati? Tam magna, tam multa, tam ingeniosa, imo sæuientia, & miseranda opera sabbati sanctitatem non contaminant, & mea verba efficacissimè medica, vt impia traducuntur? Indigna res plane; Ideo Marcus ait c.3.5. *& circumspiciens cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum.* Nec tamen emendati sunt: Luc. 6.11. *Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem quidnam facerent Iesu.* & Marcus: *exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consiliũ faciebant aduersus eum quomodo eum perderent.*

Improbitas Iudæorum.

Nam in conspectu populi conuicti & pudefacti, ad interrogata nihil respondentes, quasi iniuriam passi magis serio ad vltionem consurgunt. Solent hoc homines inflati, qui scelerum suorum admoniti, quasi contumelia affecti exardescunt, & æternas simultates suscipiunt. Ita & hi v.14. *exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant aduersus eum.* Nam obdurati, conuicti peiores euadunt, pro συμβούλιον ἔλαβον, alia exemplaria habent, ἐποίουν, quale fuit id quo noster vsus est.

Conuicti magis sæuiunt.

[In vniuerso, inquit Melanchton, euangelio nihil aliud nobis proponitur, quam benignitas, mansuetudo, bonitas Christi, quem nos exactorem & carnificem fecimus, qui omnia nobis gratis dedit, non merentibus largitur se, & quĩ fit, vt putemus operibus nostris iuuari? At patroni liberi arbitrij, quid aliud hodie docent, quàm vt quod in nobis est faciamus?] "

Christi benignitas opera bona exigit.

Respondeo, in Euangelio Christi benignitatem proponi, qui immerentes iustificat, nec liberum arbitrium id mereri Christum tamen, non truncos hortari, sed eos qui gratiæ cooperantur.

* *
*.

VER-

VERSVS 13.

Tunc ait homini: extende manum tuam. Et extendit: & restituta est sanitati sicut altera.

QVÆSTIO I.

Quomodo restituit?

§. 1. IN Græcis additur: τῶ ἐξηραμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα, *aridam manum habenti*, quod non est in latino, nec omnibus Græcis. *Sanitati*, ὑγιὴς, Syrus omittit: & sensus perfectus est, quia tamen Græca habent, & latina excidisse aliqua occasione ex Syro dicendum est.

Solo verbo sanat: *Extende manum tuam.* Sanatam ille extendit. Nec aliud actum quo sabbatum violaretur. Hic igitur nihil calumnia potuit, vt ante explicatum. Quis morbus fuerit, non conueniunt. Aliqui paralysin putant, sed illa est ex nimia, non ξηρότητι, sed ὑγρότητι, non ex ariditate, sed humore. ξηρότης igitur est ἀτροφία, cum pars corporis aliqua non nutritur, ideoq; officio suo fungi non potest, ex eo vero consequitur membri sicci cõtractio, quemadmodum asseres videmus siccitate contrahi, & hiare. Hinc Galenus in lex. Hippocr. ὑπόξηρον vocauit eum, qui contractus est. Ex causa enim contractionis ita appellatur.

Siccitate membra contrahuntur.

VERSVS 14.15.16.

Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Iesus autem sciens, recessit inde: & secuti sunt eũ multi, & curauit eos omnes. Et præcepit eis ne manifestũ eum facerent.

QVÆSTIO I.

Quo & cur recessit?

§. 1. MArcus. 3. 7. *Cum discipulis recessisse ad mare, & multam turbam comitatam.* Causa erat, quia nondum erat tempus passionis, sed declinandæ inuidiæ exemplum præbendum: Nam & hoc ipsum etiam prophetæ prædixerant.

§. 2. Causa ex adiunctis apparet, ne summum odiũ magis ante tempus irritaret. Quibus autem præcepe-rit, si quis solum Matthæum legat, existimare posset, turbæ mandari silentium. Si Marcum solum, solis dæmonibus; ita enim cap. 3. v. 11. & 12. *Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes, Tu es filius Dei. Et vehementer cõminabatur eis, ne manifestarent illum.* Itaque cunctis simul id mandatum est. Causa vero subiungitur v. 17. ex Is. 42. 1. Nec id in perpetuũ voluit, sed dum feruor ille & odium conquiesceret, dumque disiungerentur Pharisæi.

Silentium turbæ & dæmonibus indicit.

Sed ad tempus.

VERSVS 18.

Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo beneplacuit animæ meæ: Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit.

QVÆSTIO I.

Quorsum hoc testimonium?

§. 1. ALij, vt ratio reddatur, cur vetuerit miraculum promulgari, ne æmulationem maiorem concitaret, & prorsus perderentur Pharisæi. Alij ne resistendo vim, & iram, non mansuetudinem ostenderet. Alij cur omnes sanârit. Existimo referri ad omnia illa præcedentia, cum dicitur, intrasse synagogam *vt doceret*, &c. nam omnia hæc continentur in prophetia: cernendo, celandoq; Pharisæis, plebi, omnibus parcebat.

Non dubium est populum summo amore, & zelo accensum; aliquid in calumniatores fuisse moliturũ. Mansuetudo itaque ostenditur, qua fugit omnem tumultus, aut cœdium occasionem. Ianssenius & Emanuel Sa locum Prophetæ etiam ad hoc citatum aiunt vt ostendatur regnum Dei ab ingratis Iudæis, & contemptoribus ad gentes translatum iri.

§. 2. Quædam Prophetæ verba citat Christus prout in fonte Hebræo habentur, alia ex 70. Interpretib. omisit quædam: In signi documento in scripturis non syllabas aucupandas, sed sensum v[er]gendum. Nec depraua[n]t scriptutæ crimen illi impingunt hostes, quod eo sensu proferret, quo constabat, Ecclesiam illam intellexisse.

§. 3. Seruum vertit noster, quod est in Græco, παῖς puer: Erasmus filiũ vertendum censet. Qua in re aberrat quod Hebræum textum non consulerit, in quo est עבר *ghebed* seruus. Nec mirum est Christum vocari seruum, cum formam serui induerit.

§. 4. Non semper particula ἵνα, vt, causam designat. Hoc loco est ὅπως, quod interdum eadem ratione sumitur, sed interdum id, quod sequitur. Hoc loco potest pro causa poni. Nam quamuis rectam rationem habuerit, ad tempus miraculi celandi, etiam ideo facere potuit, vt prophetiam impleret.

QVÆSTIO II.

Qualem describit Christum?

§. 1. ECce puer. Ita Ioannes, *ecce Agnus Dei.* Ioan. 1. 29. Propheta habet עבדי *ghabdi*, seruus meus. Quia habitu inuentus vt homo, Philip. 2. 7. Is. 43. 10. vbi 72. seruum meum Iacob. Chaldæus addit Messias. Verba Hebr. הן עבדי אתמך בחירי רצתה נפשי נתתי רוחי עליו משפט לגוים יוציא 72. Ιακὼβ ὁ παῖς μὲ ἀντιλήφομαι αὐτῦ· Ισραὴλ ὁ ἐκλεκτός μὲ, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μὲ· δέδωκα τὸ πνεῦμα μὲ ἐπ᾽ αὐτὸν, κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἐξοίσει. Iacob puer meus suscipiam illum, Israel electus meus suscipiet illum anima mea, dedi spiritum meum super ipsum, iudiciũ gentibus nuntiabit. Monet autem Eusebius lib. 9. demonst. Euang. Iacob apud 70. non haberi, nec alij interpretes habent, ideoque delendum est. Nec etiam quod sequitur Israel pro προσεδέξατο alia exemplaria ἐν ᾗ ἠρέτισεν ἡ ψυχή μὲ alia, ὃν ἠρέτισα, quem elegi.

§. 2. *Elegi ipsum*, Hieron. *Suscipiam*, 70. Assumam, חמב est ἀντιλαμβάνειν excipere, χειρίζειν, ἐρείδειν, ἐπερείδειν fulcire, sustentare. Quod humanæ naturæ in vita & morte contra Principes, contraque dæmones continuo præstitit.

§. 3. Dilectus Heb. בחירי electus meus, ex dilectione elegit. Vocatur autem singulari modo electus quia exemplar est omnium electorum, & caput, atque adeo in eo omnes electi sunt.

§. 4. In quo complacuit εἰς ὃν εὐδόκησεν, Hebraicè רצתה *ratzatha, beneplacuit*, in eo enim solo ita sibi cõplacuit vt quisquis illi placet, in Christo placeat.

§. 5. *Ponam spiritum meum super eum.* Ad incarnationem alij, ad dona gratiæ cæteri referunt. Isa. 11. 2. *requiescet super eum Spiritus Domini.*

§. 6. *Iudicium gentibus nunciabit.* Chald. addit. *Meum*, Act. 20. 27. exponitur, omne consilium Dei, rationẽ æqui & iniqui, salutem diuinam, non quam fingunt humana arbitria Nunciabit יוציא. 72. ἐξοίσει, educet. Chald. *reuelabit.*

VERSVS

VERSVS 19.

Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.

QVÆSTIO I.

Cur non contendet?

§. 1. NOn est in propheta, *non contendet*, Lo yizhac velo issa. יִשָּׂא לֹא יִצְעַק לֹא non clamabit, & non eleuabit. 70. οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει. *non clamabit, nec remissus erit.* pro quo Symm. habet οὐκ ἀπατήσεται, *non decipietur.* Non est dubiū quin illud יִשָּׂא tollet, eleuabit de voce contentiosa dicatur.

Christus cum Pharisæorum contendit.

Hieron. etiam verti posse ait, *Non accipiet personam:* quia יִשָּׂא vtraque significat. Nam clamantibus & calumniantibus pharisæis non respondit, sed sese contentionibus & litibus subduxit. *Non clamabit*, Hebr. לֹא יִשָּׂא *non tollet, non leuabit* quidam Faciem subaudiunt. יִצְעַק Matth. οὐκ ἐρίσει, ponit in principio: deinde לֹא יִשָּׂא noster *neq; personam accipiet*, at Matth. οὐδὲ κραυγάσει. Itaque etiam יִשָּׂא est contendere.

§. 2. *Donec eiciat ad victoriam iudicium.* Heb. *ad veritatem.* Syrus לִנְצָחָא scriptum habet, quod victoriam, veritatem, innocentiam significet. 72. εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν. Hic ἐκβάλλει εἰς νῖκος. Sēsus est; *donec efferat consequutionem iudicium*, vt victoriam consequatur; mansuetudine, modestia perficiet, vt iudicium, quod gentibus annūciat, penitus vincat, atque obtineat. Idem sensus est prophetę. Nam, in veritate efferre iudicium est, ita efferre, vt veritas omnibus innotescat. Gloriosa vero Euangelij propagatio Victoria dicitur. Quidā ἐκβαλεῖν κρίσιν ad vltimum diem referunt; nam tum perfectissime & verissime iudicium efferet. Totum locum ab Hieronymo Epist. ad Algasiam expositū inuenies.

§. 3. Tertullianus hinc probat contra Iudæos c. 9. Iesum esse Messiam. *De hoc ait Propheta Esaias dicit: Homo in plaga positus, & sciens ferre imbecillitatem: qui tanquam ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se, non aperuit os suum. Sic neque contendit, neque clamauit, neque audita est foris vox eius, qui arundinem contusam, id est, quassam Israelis fidem non comminuit: qui linum ardens, id est, momentaneum ardorem gentium non extinxit, sed lucernam magis fecit ortu luminis sui. Non potest alius esse quam qui prædicabatur. Oportet itaque actum Christi eius qui venit, ad scripturarum regulam recognosci.*

Atq; hæc breuiter de insigni prophetia, cuius copiosior expositio, ipsius prophetæ expositioni reseruanda est. Nunc cætera eiusdem prophetæ videamus.

VERSVS 20.

Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad victoriam iudicium.

QVÆSTIO I.

Quid est arundo quassata & linum fumigans?

§. 1. SEptuaginta vocant calamum συντεθλασμένον calamum contritum; hic, vocat συντετριμμένον & verbum adhibet grauius καταάξει, apud 70. est συντελεῖ. Hebræa sunt רְצוּץ לֹא יִשְׁבֹּר *ratzutz velo ischbor*, quassatum non confringet, est enim שבר *schabar* plus quam רצץ *ratzatz*. Vide Ezech. 34. 16. Magna clementia aget, adeo vt non frangat calamum contritum, etsi super eum ambulet. Eodem pertinet altera similitudo de lino fumigante. Linum, Syrus, lucernā crepitantem non exstinguet. 72. λῖνον καπνιζόμενον, Matth. τυφόμενον. Pro Ellychnio ponitur, fere exstincto. כֵּהָה *cheha* est tenebrescere, obscurari, deficere, exanimari. Lucernæ pene exstinctæ minimo motu, flatuq; exstinguuntur; Christus ea modestia aget vt nihil exstinguat. Vide Eusebiū de demonstrat. Euang. l. 9. c. 9. Causa vero redditur, cur cedat, nec Phariseos prouoceorum malitia requirebat, excipiat. Nam facile fuisset in eos populum concitare, atque euertere.

Clementia Christi.

§. 2. Chrys. Theoph. existimant, significari dominum facile inimicos perdere potuisse, sed noluisse. Chrysost. *Propheta vt Iudæorum siue Pharisæorū imbecillitatem ostenderet, arundinem, ait, contritam non franget. Sic certe omnes frangere facile poterat, vt arundinem, nec vt arundinem simpliciter, sed vt arundinem iam contritam.* Addendum tamen eum misericorditer noluisse, vt Cyrillus in Isaiæ 42. Aug. l. 20. c. 30. de ciuitate. Pepercisse persecutoribus, quia *non venit iudicare.* Hier. ep. 151. ad Algasiam de Iudæis persecutoribus & gentibus diuisim interpretatur. *Calamus fractus, qui fuit antea vocalis, & in laudes Domini concinebat, appellandus est Israel; qui quoniam impegit in angularem lapidem, & cecidit super eum, fractusque in illo est, propterea dicitur de eo: Increpa Domine bestias calami & in Iesu volumine torrens appellatur canna, id est, calami: qui aquas habet turbidas quas elegit Israel, purissima contemnens fluenta Iordanis: euersusque mente in Ægyptum, & desiderans cœnosam ac palustrem regionem pepones que, & cepe, & alia, & cucumeres, ollasque Ægyptiarum carnium, rectissime per Esaiam appellatur calamus fractus: cuius qui innixus voluerit, pertundetur manus eius. Qui enim post aduentum Domini Saluatoris euangelica interpretationis spiritum derelinquens, in Iudaica littera morte requiescit, ipsius cuncta opera vulnerantur. Linum quoque fumigans non extinguet: populum de gentibus congregatum, qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, & qui noxius oculis est, tenebrosæque caliginis inuoluebatur erroribus.* Eodem modo Tertullianus aduersum Iudæos c. 9. *arundinem contusam, id est, quassam Israelis fidem, non comminuit: qui linū ardens, id est, momentaneum ardorem gentium non extinxit, sed lucernam magis fecit ortu luminis sui.*

Parcit persecutoribus.

Calamus confractus Israël.

§. 3. Hac ex causa monet Basil. Moral. Reg. 41. c. 2. ἐπὶ τῶν ἀσθενεστέρων ὀφείλομεν τῇ πίστει φείδεσθαι θεῖ, καὶ ἀναγκαῖον αὐτοὺς δι' ὀλιγωρίας ὅλως τελειοῦν. φείδεσθαι δὲ δηλονότι, χωρὶς τοῦ παραβαίνειν ἐντολὴν θεοῦ. Quod oportet infirmioribus parcere, & diligenter ipsos ad perfectionem ducere: parcere quidem, sed constat id sine legis violatione faciendum.

§. 4. Omissa est pars Hebræi versiculi, quod Euangelistæ non soleant integra citare. Deinde Hieron. ad Algasiam q. 2. Librarij culpa omitti potuisse scribit. Quod idem nomē, κρίσιν, superiorem partem terminet, & inferiorem inchoet. Et in nomine Hebræo בְּתוֹרָתוֹ *bethoratho.* 72. ἐν ὀνόματι, alij putant ἐν τῷ νόμῳ legendum, sed Matthæus lectionem illam improbat. Sperabunt יְחִלּוּ *iachalu, expectabunt.* In ipso propheta, *Non remissus erit, nec frangetur animo, donec ponat in terra iudicium: & legem eius insulares exspectabunt*, ita Vatablus. Noster vero, non *erit tristis, neq; turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius.* Itaque apparet omnia accipi ita, vt verba non numerentur. Nam reuera qui legem eius exspectant, in eum sperant. veritas, victoria, in propheta אֱמֶת *emeth.* Tamdiu docebit, donec tandem vere ostendat, Iudæos errasse, idque palam omnibus, ita Chrys. Theoph. Tandem enim vincet veritas Gentes, Heb. אִיִּים *iim, Insulæ.* ita vocari solebant ab Hebræis Hæretici. *Arundinem comminutam, id est, conscientiam perterrefactam aut cor contritum, non confringet. Et lignum fumigans, id est, eum qui anhelat ad gratiam, non extinguet. Iudicium est agnitio peccati.* Arundo non est conscientia terrefacta, sed conscientia impia, iam exitio proxima, qualis erat Phariseorum, & linum fumi-

Victoriā ostendere veritatem.

fumigans eosdem significat, qui iamiam ad interitū properabant; si enim Christus non cessisset, iam vt explicui, perissent. Nec terrefactas, sed obduratas habebant conscientias.

VERSVS 22.

Tunc oblatus est ei dæmonium habēs, cæcus & mutus: & curauit eum, ita vt loqueretur & videret.

QVÆSTIO I.

Cur cæcus & mutus?

Vnde mutus.

§. 1. DÆmonium cæcum aut mutum hic non dicitur, sed ipse, qui eo detinetur, dæmone nimirum illa operante, & pœnitentiarum naturales actiones præpediente. κωφὸς & mutum & surdum significat, ideo non desunt, qui surdum vertunt; verum illi duo defectus se mutuo ordine quodam comitantur, hic tamen mutum intelligere necesse est, quia in miraculo recensetur quod sit locutus. An vero natura, an dæmonis violentia mutus fuerit, incertum est. Comm. Hieron. putat, aliunde mutum fuisse. Verum quacunque ex causa mutus fuerit, miraculi magnitudo cunctis apparuit.

VERSVS 24. & 25.

Pharisæi autem audientes dixerunt. Hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis. Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Et si satanas satanam eiecit, aduersus se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius?

QVÆSTIO I.

An diaboli regnum non sit in se diuisum?

§. 1. DIcitur respondisse Dominus ad eorum cogitationes, quamuis enim Christo nō dixerint, clam tamen populo insusurrabant, & forte cogitationibus illa ipsa vellicabant, quæ Dominus adfert. Primum argumentum est: *Omne regnum in se diuisum*, seu contra animam suam diuisum, vt Syrus ait, *desolabitur.* Omne enim regnum dissidijs perit necessario. Validiora enim quam vt extrema metuant, in se tuunt. Itaque si dæmonum corpus ita dissidet, vt alij alios pellant, alij cruciare velint, alij liberare cruciatos, nō potest eorum regnum esse diuturnum. Dæmonum est autem ea astutia, vt in regno suo propagando & stabiliendo sint concordes. Id vero homines hactenus semper experti sunt; non modò in obsessis quos pertinacissime obsident, sed etiam in hominibus ad peccatum pelliciendis.

Omne dissidium tēdit ad interitum.

Cum ait: *domus super domum cadet*, vel sensus est: In regno in se diuiso desolandas vrbes, & domum vicinam proximæ illapsuram, vel more Hebræorum antecedens pro relatiuo repetentium. Domus super domum, hoc est, seipsam cadet. Posterior sensus est apud Marcum. *Si domus super semetipsam dispertiatur, non potest stare domus illa.*

§. 2. Non desunt Pharisæorum defensores. Nam primò potest dæmon fortior quisq; imbecilliorem pellere, ipse princeps omnes. Deinde potuerunt dæmones timorem fugamque simulare, & mentiri, atque hæc omnia ex pacto vt homines deciperentur, & per magicas impostoras in fraudem inducerentur; non igitur firma est Christi ratio. Præsertim si Iudæorum exorcistæ non Dei spiritu, sed magico dæmones pellebant.

Respondeo firmissimam rationem esse. Fundamentum eius est in mutua dæmonum conspiratione, ad homines eodem secum exitio inuoluendos, atque in hac vita puniendos. Deinde experientia docebantur, nullos dæmones esse, qui non pertinacissime hæreant, inuitissime ac difficilimè egrediantur. Tertio à Christo pellebantur in sola loca vbi nocendi facultas deerat. Quarto, plurimi, imo integræ legiones sic expellebantur: Hæc ergo si dæmones inter se & eorum princeps ageret, magna esset inter eos dissensio, & se mutuo dissidio impedirent. At nunquam à mūdo condito id auditum est, vt in Magi alicuius grātiam inter se tumultuarentur, vel bella fingerent dæmones, eousque, vt ex corporibus hominum se mutuè pellant. Fingunt illi inter se aliquando pugnas, vt in rebus iudicris, sed cum ad possessiones ventum est, iam vt in re seria, conspirant. Videatur Athanas. l. de incarnatione.

Confirmatur ex eo quod perfecte eijciebat. Quæ perfectio duplici in re constabat. Nam corpore & anima pellebat, & est in 3. part. 1. q. 45. a. 2. ad 4. Deinde è corporibus perfectè eijciebat, vero imperio, sanis, & si læsi essent, restitutis energumenis, sine vlla potestate, aut spe redeundi, quorum contrarium vt in Magis experientia docet. Pharisæi de violentia per principem dæmonum coactionem intelligebant, ita vi, & tormento exigi dæmones credebant. At vero sitor, & tam multos, tam crebro principes eijcit, & in alia loca relegat, quomodo stare potest regnum eius? Magis enim suos milites, quam hostes, hoc est, homines excruciat.

§. 3. Deprauat hunc locum Beza & Caluinus. [Vi autem, *inquit Beza*, Filij vestri, οἱ υἱοὶ ὑμῶν Heb. id est vestri, siue vestrates. De discipulis autem suis Christus hoc intelligit, quos reuersos, & edita à se miracula narrantes turba audierat, potius quam de exorcistis Iudæis, quorum sit mentio Act. 19. 13. vt sit firmum argumentum. Nam potius cum colluisit Satan, quam serio ab ipsis eijceretur, & quod illo Actorum loco refertur; versute fecit Satan, sicut etiam quoti. Christo gloriam tribuit: & idcirco ab eo facere iussus. Eijciunt, ἐκβάλλουσι, In duobus exemplaribus scriptum erat ἐκβαλοῦσι, eijcient: Ipsi erunt vestri iudices, αὐτοὶ ὑμῶν ἔσονται κριταί. Erasmus, Ipsi iudicabunt de vobis, id est, αὐτοὶ κρινοῦσιν ὑμᾶς. Familiaris autem est hæc loquendi formula sacris scriptoribus qua dicitur aliquis eum iudicare cuius vitia suæ virtutis exemplo etiam tacens coarguit: quo modo accipiendum est, quod paulo post de Niniuitis & regina Austri commemoratur.]

Christi itaque argumentum contra Pharisæos ab ipso Domino factum soluere conatur. Nam quod ad doctrinam attinet. Non poterat ea Christus vti ad probandum, esse sanctam, & Dei virtute nixam dæmonis eiectionem. Seductorē etenim & falsum prophetam nominabant, adeo vt ex doctrina quā impiā iudicabant, etiam hoc colligerēt; Dæmones arte magica ab illo eijci. Christus veto ex opere doctrinā probat, non ex doctrina opus. Doctrinā in controuersia vocabant, operibus erudiri Dominus iubet. Caluinus impu-

impudentius causam Pharisæorum agit. Primo quidem stare pro Christo sese simulat, sed id minime facit: [Scimus enim quibus interdum præstigiis illudat » Satan, speciem dissidii ostentans, vt superstitionibus » illaqueet hominum mentes. Ita exorcismi in Papatu » nihil aliud sunt quàm vmbratiles & fictitii Satanæ » contra seipsum conflictus. Verum nulla in Christum » cecidit talis suspicio: quia sic dæmones eiecit ex homi» nibus, vt sanos & integros Deo restitueret. Quoties » secum diabolus colludit, se ita vinci simulat vt ipse ei» dem nihilominus triumphet: atqui Christus aperto » Marte diabolum aggressus est vt illum prorsus deiice» ret, nec quicquam ei faceret residuum. Non prostra» uit eum vna in parte, vt in altera magis stabiliret: ve» rum vndique omnes eius machinas diuit. Aptè ergo » ratiocinatur Christus, sibi nihil esse cum eo commu» ne: quia hoc vnum propositum habet ille astutiæ Pa» ter vt regnum suum conciliet. Si quis obiiciat, diabo» los sæpe vertigine & cæca amentia rapiari, vt seipsos » conficiant: in promptu est responsio, non aliud so» nare verba Christi quam absurdum esse quod iacta» bant Scribæ, diabolum sponte euertere quam habe» bat in homines potestatem, qui modis omnibus eos » sibi manciparе studet.]

Non confidebat de potate à dæmonibus ejectorum.

Hic quidem firmamentum ratiocinationis non attigit Caluinus. Nam Pharisæis clarum non erat, ita dæmonem expelli corporibus, vt sanos Deo & integros restitueret. Hoc enim obscurum erat hominibus, & soli Christo cognitum. Qua enim pietate illi fuerint quos liberauit, certè non constat. Cum ergo hac parte Christi argumentum defendat, quâ redditur obscurius, certum est eum præuaricari, & hodiernis Iudæis, Atheisque Scripturam ridendam proponere. Quod ne quis dubitet, subiungit. *Deinde memoria tenendum est, vulgo receptis prouerbiis ita vsum esse Christum, vt tantum essent probabiles coniecturæ, non autem solidè probarent.* Quid igitur humana argutia contra æternam sapientiam! *Probabiles sunt coniecturæ, non solidè probant.* Quid igitur accusamus Pharisæos si non crederent, non solidè probanti? Quomodo infideles conuertemus, si fateamur non modo fidem nostram, sed argumentantē Dominum in summo periculo, feruente aduersariorum odio, illis nihil solidi, sed probabiles coniecturas obiecisse?

Caluinus contemnit argumentum Domini.

§. 4. Inter Angelos & dæmones porrò gradus esse constat ex Ephes. 6. vbi ἀρχὰς vnum vocat Paulus. & 1. Corinth. 15. Dan. 10. & Ephes. 6. ἐξουσίας *potestates* nominantur, & *Principes tenebrarum*. Oecumenius ait ἀρχὴν δαιμόνων πέντε πέσοι, ἄρχει καὶ μὴ τὸ πεσεῖν. Quia vero admodum vniti sunt, & in nobis, oppugnandis concordissimi, ideo Apost. Ephes. 6. ἐξουσίαν vocat, vt vnitam vim omnem ostendat. Si enim dæmonum essent dissidia, alii alios repellerent, torquerent, in se mutuo conuersi minus homines oppugnarent. Imo aliqui, aliquos homines tuerentur contra hostes maiores.

Non posse autem Satanam si regnum scindat consistere constat, cum nec contra homines nisi diuisos, & pugnantes possit valere. Nazianzenus orat. 3. de pace. *Neque enim*, inquit, *sanos aggreditur, nec charitate septos atque firmatos, sed regnum in seipsum prius diuidi necesse est, ac tunc vasa diripi, nobisque eadem accipere, quæ nunc hosti nostro accidisse perspicimus.* Argumentum igitur Christi ex re, & circumstantia verum est. Satanas ita hactenus regnum suum administrauit, vt omni modo, & conatu in homines sæuierit, eos quocunq; modo obsederit, nullus dæmonem dæmon eiecerit. Omnibus modis hoc egerit, vt quos possent, obsiderēt, cruciarent. Hoc inimicitiæ in Paradiso sancitæ, hoc tota vetus historia indicat. Nunc igitur nullo modo milites suos, qui hominum corpora occupatu ipse vi exturbat, aut eicit: inuitos enim cedere certum erat Iudæos: hoc enim modo exercitum suum ipse exarmaret, & dissolueret.

VERSVS 26.

Etsi Satanas Satanam eiycit, aduersus se diuisus est: Et si ego in Beelzebub eiycio dæmones: filij vestri in quo eiyciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo filij Pharisæorum dæmones eiycerent?

Filij Iudæorum.

§. 1. CONcedit illis Christus filios eorum vere dæmones eiicere: verum quos vocet eorum filios dubitant auctores, & veteres, & recentiores: Prima sententia Apostolos designari; qui in Christi nomine dæmones expellebant; *Veniunt enim & dicunt, etiam dæmonia subijciuntur nobis.* Si igitur, inquit, illi in meo nomine eiiciunt, cur non & ego in meo nomine? Si virtus mea aliis sufficit, cur non mihi? Altera sententia, Fuisse illos exorcistas Salomonicos, de quib⁹ Iosephus lib. 8. c. 2. Si ego in Beelzebub eiicio, in quo ergo illi eiiciunt? cur non de illis idem suspicamini, cum eorum vitam minus probabilem videatis?

Tertia sententia est agi de illis, qui cum Christum non sequerentur, in eius tamen nomine dæmonia eiicerent. Illi inquit certè non in Beelzebub, sed in meo nomine eiiciunt: & cum vobiscum non mecum sentiant, non potestis illos initi pacti cum dæmone accusare.

In Christi nomine ejiciebant dæmonia.

§. 2. Ideo iudices vestri erunt. Dicunt enim se meum tantum nomen inuocare, & mox dæmones cedere. vt manifesta sit inuidia, illis credere; mihi fidem non habere, cum illi de mei nominis efficacitate testentur. Hanc veram puto, multi enim etiam non credentes, dæmones eiiciebant, vt postea filii Scœuæ. Domesticum itaq; testimonium damnationis habebant: cum suos mirarentur, Christum magiæ accersererent.

§. 3. An Salomonii exorcistæ verè & Dei virtute, an collusione cum dæmone eos eiecerint etiam disputant. Beza ex pacto eiecisse putat, sic & Actor. 19. v. 13. Collusisse diabolum putat, non serio eiectum. Caluinus varias interpretationes adducit. alios ad Apostolos, alios ad Prophetas referre. Ipse ad vulgares exorcistas refert. Non fuisse eos ordinarios, sed cum aliquando præsentiam suam Deus miraculis testaretur, populum talem Dei virtutem expertum, ordinarium sibi munus temere instituisse, postea idem fecisse Papistas, simiarum simias. Non tamen repugnare, si quis dicat Dei virtutem se per exorcistas Iudæorum exeruisse. *Quamuis enim*, inquit, *degeneres essent, noluit tamen Dominus suâ virtute eos penitus destitui, vt in genere sacerdotium & templi cultum aliquo testimonio ornaret. Nam ad rem magnopere pertinuit, à Gentium superstitionibus claris notis discerni. Prior tamen sensus mihi genuinus videtur.*

Exorcistas populus non instituit.

Nihil absurdius dici potuit, quam populum temere ordinarium munus exorcistarum instituisse, ex eo quod dæmones aliqui pellerent. De illo enim munere nihil constat. Deinde quam ridiculum est, populum dæmonis exorcizationem, quibusdam, quasi tribunatum, aut quæsturam mandasse? Verè eos, & Dei virtute eiecisse credo; Salomon enim Propheta cum esset, Deo reuelante rationem ejiciendorum spiri-

tuum immundorum edocere potuit. Delrio noster Tom. disq. Mag. lib. 2. quæstio. 30. sect. 2. optime ostendit eorum filios vere eiecisse. *Sancti vero homines frequentissimè dæmones coercendi potestatem à Deo admirabilem acceperunt, vt innumera testantur miracula, quibus illi malos hos vicerunt & profligarunt. Eadem vis Sacramentis, Sacramentalibus, & exorcismis Ecclesiæ semper Catholicæ competit, neque extra illam vis ista reperitur. Videntur nostris exorcismis, olim quidam similes à Salomone instituti, viguisse apud Hebræos. Probatur id non ex Iosepho tantum, & D. Epiphanio; sed & ex Saluatoris nostri verbis, Iudæos refellentis quòd dicerent eum dæmones in Beelzebub eijcere. Filij (inquit) vestri in quo dæmonia eijciunt? quod, quam ad Apostolos, rectius referri ad ordinarios Iudæorum exorcistas, merito viri docti censuerunt. Nondum enim, cum hæc dicebantur, Apostoli ad prædicandum missi fuerant; & potestas illis postmodum concessa.* Salomonij vere eijciebant. *Et discipuli eandem quam magister calumniam sunt passi, vt eis Iesus prædixit, apud Matthæum. Quare non satis efficaciter Apostolorum vel discipulorum suorum exemplo Dominus fuisset vsus: quia statim Iudæi respondissent, in eodem ipsos, in quo magister, nomine, hæc efficere. Crediderim Salomonem hos exorcismus instituisse, quo tempore adhuc Deo adhærebat: ideoque in illis virtutem diuinam fuisse operatam, & fortassis vim aliquam ex ipsa DEI institutione habebant; non tantam opinor, quantam hodie Catholicæ Ecclesiæ exorcismi. Quod si contendas compositos à Salomone, cum esset idololatra; tunc necessario illos annumerare cogeris, cum D. Thomâ & Victoriâ, Magorum incantamentis; quorum vis omnis posita in pacto cum dæmone. Sed magis placet prior sententia.*

Superior dæmon cogit inferiorem. *Itaque cum vis omnis magorum in dæmones, pendeat & oriatur ex fœdere cum iis inito; sequitur sanè, si magus pactum habeat cum dæmone superiore, non posse Magum vim facere huic dæmoni superiori, posse tamen per ipsum dæmonem superiorem, ex pacto famulantem iuuantemque, inferiores cogere ad aliquid faciendum, omittendumue, & impedire ne perficiant quæ alias potuissent: vt probatur ex Chaldæi illius Magi querela apud D. Augustinum: qui conquerebatur, purgandæ animæ magno molimine frustratos sibi esse successus, eo quod vir ad eadem potens, tactus inuidia, adiuratas sacris precibus potentias alligasset, ne postulata concederent. Ligauit ergo vnus dæmon, quod alius soluere nequiuit. Idem docet Eusebius; & apertissime Cynops magus apud (quisquis ille fuit) Prochorum; vbi cum D. Ioannes dæmones interrogaret, cur Cynopi parerent; vnus eorum respondit: quia omnis virtus Satanæ in eo habitat, & fœdus ac pactum habet cum vniuersis Principibus nostris: & nos cum eo pariter pactum habemus. nam & nobis obsequitur Cynops, & nos illi. citra tale pactum inutilis est omnis magorum in malos genios conatus: cum ex pacto (vt doctum q. 2.) tantum operentur.*

Chytræus quoque inter hæreticos, comm. in hunc locum, ardenti precatione putat eos ab exorcistis eiectos.

§. 4. Filiorum cur mentionem faciat, ostendit S. Athanas. de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Cæterum, eo modo ipso quod mentionem facit filiorum, tacitè dissimulanterque eos percellit, eò quod Apostoli ex ipsis oriundi dæmonia expellerent, idque in nomine Iesu Nazareni, quasi diceret: si liberi vestri ad dæmones propulsandos in nomine meo contenti; satisque instructi sunt, ego scilicet in nomine Beelzebub eijcio dæmonia?*

Verum alia sententia est probabilior.

VERSVS 28.

Si autem ego in Spiritu Dei eijcio dæmones: igitur peruenit in vos regnum Dei.

QVÆSTIO I.

Quid in digito Dei?

§. 1. VIrtute & potentiâ Dei. Arias de arcano sermone. Quod enim Lucas dixit, *digito Dei*, Dig. Matthæus dixit, *Spiritu Dei*. Si igitur ego diuina virtute dæmones eijcio, venit in vos regnum Dei, Euangelium regni, & destruetur regnum diaboli. Regnum Dei quidem aduenit, & regnum diaboli tollit, non omnino tamen, sed ex parte, post totam auferet. Ingratitudinem igitur & furorem arguit, quod Messiam aduenientem oppugnent, & Dei se regno opponant.

Gregorius Nyssenus lib. quod non sint tres dii. Hinc ostendit esse vnam virtutem operatricem plurium personarum. *Ita etiam in diuinitatis ratione, Christus Dei virtus, & Dei sapientia est: atque inspectricem ac spectatricem* (θεατικὴν), *id est, spectatricem virtutem, quam nimirum* (θεατικὴν) *id est, Deitatem siue Diuinitatem dicimus per vniuersitatem Pater operatur, filio autem omnem virtutem in Spiritu sancto perficiente, ac iudicante quidem, vt Esaias dicit, in Spiritu iudicij & Spiritu adustionis operante item secundum Euangelij vocem, quam ad Iudæos edidit. Dicit enim, Si autem ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia: à Patre totam speciem beneficij comprehendens per eam quæ circa efficientiam est vnitatem: per quam vnitatem mutua opera efficientia exercetur, vnum nomen efficientiæ in multos dispertiri ac diuidi non potest. Quoniam enim vna inspectricis & spectatricis virtutis ratio (est) in Patre & Filio & Spiritu sancto, quemadmodum in superioribus dictum est, quæ ex Patre quidem tanquam à fonte quodam proficiscitur, à filio verò ad actionem deducitur, & in virtute Spiritus gratiam perficit & consummat: ac non separatur iuxta hypostases vlla efficientia, quæ peculiariter ac disiunctim ab vnaquaque hypostasi absque ea, quæ vna considerantur perficiatur.*

§. 2. Digitus igitur Dei, Spiritus S. dicitur, August. lib. 2. de consensu. ob partitionem donorum quæ in nullis membris magis apparet, quam in digitis. Cyrillus Spiritum sanctum digitum, manum, & brachium filium Dei vult. Hinc comm. Hiero. probat Patris & Filii, & Spiritus sancti vnam esse substantiam. Potest hoc rectè dici, videtur tamen per digitum virtus Dei significari, vt Toler. & alii. Nam & Tertullian. ita docuit. Et constat ex Magis Pharaonis, qui victi clamabant digitum Dei hic esse: cum tamen de persona Spiritus sancti nihil illis cognitum esset. Ita noster Pererius in Exod. 8. sic Psalm. 8. vers. 4. cœli opera digitorum Dei dicuntur. sic Isaiæ 40. vers. 12. tribus digitis terram appendit, qui non possunt esse tres Spiritus sancti.

VERSVS 29.

Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere: nisi prius alligauerit fortem: & tunc domum illius diripiet.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quis fortis & fortior?

§. 1. FOrtis est diabolus ἰσχυρὸς velut gigas quidam גבור *gibbor*, vel עריץ *gharitz*, fortis animo, fortis copiis & armis; Vasa Hebraicè כלי *cele*, omnia arma & supellectilem significant. Sic Romanis, *conclamare vasa*, erant omnia colligere. Sic τὰ σκεύη Græci aliquando vsurpant. Eutyp. *Andromache*, Xenophon ἀνὴρ ἀγγεῖς pro vase ponit Odyss. o. pro *instrumentis nauticis*. Crebrius, *pro armis*. Vasa eius arma omnia, malitia, astutia, celeritas, opes, æra, mundus, consuetudo. Fortem esse, vt certum, & vtrinque datum, statuit. ita Iob. 40. & 41. Ierem. 31. Iren. l. 3. c. 8. Fortior est Christus ipse: qui spolia eius diripuit, ex corporibus animisque eiecit. tantâ diaboli infamiâ eum spoliauit, igitur prius domuit & alligauit. Nisi enim se victum vinctumq; videret, ne quaquam permitteret diripi regnum suum. Itaque antè solutus erat Satanas, nunc vinctus est. Aug. de temp. serm. 1. *Ante aduentum enim Christi*, inquit, *fratres charissimi, solutus erat diabolus, veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio dictum est. Nemo potest intrare domum fortis, & vasa eius deripere, nisi prius alligauerit fortem.* Dæmon autem Christo comparatus, infirmus est. August. Euang. lib. 1. q. c. 5. Atrium porrò mundus & homines, quos sub potestate tyrannicâ detinet.

Vasa dæmonis omnia nocendi instrumenta.

Christus dæmonem vicit.

§. 2. Occupat Satanas in Adæ posteros violentam tyrannidem, postquâ à Dei imperio recesserunt. Quæ in eo consistit, vt omnes in seruitium suum trahere conetur. Hoc imperium Christus illi extorsit, solus illo fortior. Non posset verò nisi illo victo spolia diripere.

QVÆSTIO II.

Quomodo ligatus fortis?

§. 1. ABorbe condito, & princeps dæmonum, & totus eius exercitus ligatus est, diuinâ prouidentiâ ac imperio, ne omnes vires, omnesque dolos, & artes nocendi in miseros homines posset exercere. Deo prohibente, & concursum denegante. Vincti igitur in rabiem aguntur, dum constrictum robur suũ animaduertunt. de hac ligatione Aug. l. 20. c. 7. & 8. de Ciuitate Dei. Greg. l. 32. Mor. cap. 12. Serar. Tob. 8. q. 7. N. Iauis corporea Spiritus ligandi vim habet, erudite nostet Delrio disq. Mag. Tom. 1. l. 2. q. 30. sect. 3. *Inserturque secundo*, ait, *nulla verba (quæ in re lapsu videtur Grilland. q. 3. n. 23. qui coactionem agnoscit) nullasq; res corporales habere vim directe & per se dæmonem cogendi, vt appareat, accedat, fugiat, aliquid faciat, vel facere desinat. Nulla namq; corporalia robur substantiarum spiritualium ac separatarum possunt æquare. Ideo nihil ab his naturaliter dæmones pati possunt, liter quæant, supernaturaliter. Quare non assentimur magis, cum varia producunt remedia naturalia contra dæmones, vt Hermes, qui, suffumigatione ex ligno aloes, vel ceti spermate dæmones congregari, suffumigatione ex sulfure fugari tradidit; vt Porphyrius & Proclus, qui similia multa, & quidã apud Hippocratem, qui adhuc in aniora, nugantur. Non assentior hæreticis, qui exorcismis, & cunctis rebus consecratis ac benedictis vim supernaturalem omnem detrahunt, contra quos alij egerunt. Nec placet quorundam Catholicorum credulitas vel superstitio; qui rebus etiam non consecratis, vt hypericonti, rutæ, cornibus hircorũ, caprino, balneis item & flagellationibus eam vim adscribunt; vt putent ipsum his dæmonem male affici, irritari, vel exagitari. flagellationibus huiusmodi, dum corpus obsessi nimis affligitur, morbus magis accenditur & augetur: quare & detestanda rursus ager afficitur, & ex ira atq; tristitiâ cumulantur dispositiones atrabiliariæ dæmoni optatæ. Sic stulti dum dæmoni nocere volunt; eum iuuant.*

Nulla res corporea dæmonem vincire potest.

Flagellationes nocuisse.

§. 2. Vinctus est Princeps dæmonum à Christo, & eius exercitus spiritaliter, dum in deserto eum prostrauit, vires q; magis inhibuit, & pressit, vt minus licenter vagaretur & tentaret. Neq; enim eum amplius aggredi ausus est, vt tentaret. Et in Euangelio dæmones eum deprecantur, & honorant.

In deserto victus dæmon.

Non consistunt hæc vincula in eo, quod vires naturales eius debilitentur, aut versutia, & acrimonia intelligentiâ retundatur, sed quod plurima conanti impedimenta ponantur. vt solet fieri in iis, qui vincti manicis & pedicis, aut robori implicantur. Hæc dæmonis vincula eadem sunt cum superioribus; nisi quod arctius nectant.

Dæmones certis locis alligantur.

§. 3. Vinxit Christus dæmonem etiam si eius substantiam spectes. Nam ad inferos Principem relegauit, vt per se mundum infestare non valeat. Ita aliquando solere dæmones vinciri, ex libro Tobiæ docet Præceptor meus Serar. in c. 8. q. 7. Asmodæus certè in desertũ religatur. Solere id fieri à Christo constat ex historiâ c. 9. rogabant enim ne mitterentur extrà regionem, deinde ne mitterentur in abyssum. Ex quo apparet, Christum & hoc potuisse, & solitum facere. De hoc nexu Theol. 4. sent. dist. 44. & 50. D. Thom. 1. part. q. 64. art. 4. ad tert. l. 4. contra gentes c. 90. Suar. Tom. 4. de pœnit. dist. 46. sect. 2.

Lucifer ad inferos relegatus.

Hic nexus reliquos in se continet; vni enim loco alligati à tentandis hominibus præpediuntur. Sic Luciferum vinctum à Christo. Hil. can. 12. Iren. l. 5. c. 21. Ratio ex ipsa historia sumitur: Christus dæmonem seu Beelzebub vinxisse, deinde spolia eius diripuisse dicitur. Propriissimè autẽ vinctus est, si ad inferos imminutabili decreto relegatus est. Nam in Principem ipsum Christum seueriorem fuisse, quam in alios dicendum est. Si hanc igitur incarcerationẽ, vt verè malam mansionẽ minorũ gentiũ dæmones tantoperè horruerũt, & deprecati sunt. Quis dubitet aliorum, & maximè Principis sui supplicio territos fuisse? Si enim Luciferum super æthereas auras adhuc errare, quamuis imminutâ potestate viderent, cur sibi tantoperè timerẽt? Multum verò ad regnum tyranni destruendum valuit, Regis captiuitas. Maior sine dubio esset, & violẽtior dæmonum in homines tyrannis, si à præsente Principe violentissimo eorum insidiæ, impetusq; ordinarentur. Multi Theologorum existimant, colligatione illâ, quasi inferorum igne miseros cruciari, atque hanc præcipuam dæmonum esse pœnam.

Dæmones hominisubiecti.

§. 4. Nec modo Deo, sed amicis etiam Dei dæmones subiecti sunt. Angelis siquidem bonis omnes inferiores sunt, ab illis enim victi sunt; & patet ex historiâ Tobiæ. Noster Thyræus de gloriosa Christi apparitione. cap. 24.

§. 5. Sanctis etiam, & interdum improbis quibus Deus contulit, subiecti sunt. Hinc toties ab hominibus pelluntur, liganturq;. De hac enim re gloriantur in iudicio, sed repelluntur mali.

§. 6 Inter se quoque principatum habent, ideo sic quoque reguntur, aut verè, aut per simulationem, & mutuam collusionem. Franciscus Victoria relectione de Magia. Huc illa de Magis, signisque aliis, & coniurationibus. Quæ tamen ad veras liberationes non solet progredi.

VERSVS 30. & 31.

Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. Ideò dico vobis, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

QVÆSTIO I.

Quomodo spargit qui non est cum Christo?

§. 1. Dictum Christi de diabolo interpretantur multi; ille enim non est cum Christo, sed ei præcipuè aduersatur: opera enim eius omnino diuersa sunt. Mihi certum de Pharisæis eorumq; assectis dictum esse. Negabant illi se Christo inimicos esse, sed causæ, violari ab eo leges, noua adduci, id se ferre posse negabant, velle doctrinæ eius esse iudices. Ea simulatione nihil opus esse respondet. Hoc ipso, quod doctrinam veram carpant, calumnientur que hostes esse. Horum enim esse primum eam recipere, alios ad eam adducere? Ciuium & militum qui regi Sacramentum dixerunt, officium est, eum tueri, si qui non defendit, non congregat cum Domino suo, proditor est. De exteris & gentibus dicitur Luc. 9. 50. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Aliud ab externo, aliud à domestico poscimus. Externus si neutram sequitur partem, amicus habetur, ciuis si excubias neglexit, capitis reus habetur, quin ille de quo loquitur, quædam faciebat, quibus Christi doctrina illustrabatur, dum in eius nomine dæmones eiiceret.

Occulti inimici hic reprehenduntur.

§. 2. Colligere cum Christo, seu συναγειν, est in eius cœtu esse. nam Christus venit filios Dei colligere in regnum suum. Collectio igitur est patris familias & conseruantis. Spargere verò est primò in dispersionem ire cum Satana. Quę enim sparguntur, pro perditis habentur. Verũ hic dispergere dicitur Satanas, quicquid enim Christus ædificat, colligit, seruat; hoc ille destruere, dispergere, perdere molitur. Eius strenui adiutores sunt Pharisæi, qui simul spargunt.

Colligere Christi est spargere dæmonis.

§. 3. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ hinc optimè ostendit, eos qui in Ecclesia non sunt, cum Christo non colligere. *Monet*, inquit, *Dominus & dicit: Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit, Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.* Et ad Quirinum c. 86. *Si potuit euadere quisquam*, inquit, *qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit. Monet Dominus & dicit: Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum fuit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.*

Schismatici spargunt.

Quod rectissimè dictum est, etsi commentarius Hieron. eum sensum reiiciat.

§. 4. Augustinus de peccat. mer. & remiss. c. 28. In paruulis docet esse peccatum originale, nec medium esse locũ vllum, vel enim cum Christo collectos, vel sparsos. Quæ eodem modo nostri vsurpant contra eos, qui Religionum variarum & superstitionum misturam inducunt, & omnia conciliando nihil veritati relinquunt. Exemplo Patrum æuo fuêre Bucerus, & Melanchton.

Paruuli in originali nõ sunt cum Christo.

QVÆSTIO II.

Quæ sit blasphemia in Spiritum sanctum?

§. 1. Augustinus in expositione Epistolæ ad Romanos difficilem quæstionem fatetur: *Factũ est*, ait, *quippe vt immorareinur cum vellemus soluere incidente sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in Spiritum sanctum, quod non remittatur, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro.* Idem Serm. 11. de verbis Domini hæc pertractat.

Arduaquæstio de peccato in Spiritum sanctum.

Quodnam illud sit variè disputatum est. Origenes in baptizatis solis esse docuit, in hunc locum. Nouatianus omnia baptizatorum in Spiritum sanctum esse sensit, ideo non remitti. Ita Hier. Epist. 141. De Origene testis Athan. hom. in hunc locum. Itemque Theognosto. Melanchton blasphemiam non esse aliud, quam incredulitatem. Quia non credenti nihil remittitur. Imperitè prorsus. Nam etiam non amanti nihil remittitur, nec tamen blasphemia est odium. Deinde alia peccata multa non remittuntur, nec tamen sunt in Spiritum sanctum. Constat etiam quosdam non credere sine obstinatione & malitia, quæ sit in Spiritum sanctum.

Variæ interpretationes.

§. 2. Alii finalem impœnitentiam esse arbitrantur. sed hic blasphemia dicitur. alii aliud. Videatur Athan. in opusculo de hoc dicto. & Richardus de S. Victore. D. Thom. 2. 2. q. 14. Nec est blasphemia in Spiritus sancti personam. hæc enim potest non semper esse peccatum in Spiritum sanctum: sed est blasphemia in filii personam. Dicunt enim: *in Beelzebub eijcit dæmonia, & Spiritum immundum habet.* Quod conuitium in Dei filium dicitur. Sed tamen dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia contra agnitam, claramque veritatem ex mera malitia profertur, ideò in Spiritum sanctum peccari dicitur. Si enim per ignorantiam, infirmitatem, negligentiam, in Spiritum sanctum peccetur, non dicitur, peccatur in Spiritum sanctum. Multi Christum falsarium, seductorem ex ignorantia dicebant, non peccabant illi in Spiritum sanctum, sed qui opera tam sancta, contra conscientiam, odio inuidiaque furentes dæmoni assignabant. Si quis Regis filium peregrè venientem ignoratione non excipiat, sed contumeliis affectum eiiceret, minus delinqueret eo, qui probè familiariter q; notum infesto animo persequeretur, & tanquam impostorem reumque Maiestatis in vitæ periculum deduceret. Tam improba crudelitas veniam non facilè acciperet.

Non quoduis peccatum quod sit in Spiritum sanctum vt obiectum hic intelligi probat. Aug. Epist. 50. *Quod autem*, inquit, *dicunt, si peccauimus in Spiritum sanctum, quia exufflauimus baptismum vestrum, vt quid nos quæritis, cum remitti nobis hoc peccatum omnino non possit, dicente Domino: Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc sæculo, neq; in futuro: non attendunt, quia secundum istum sensum nemo liberandus est. Qui enim non loquitur aduersus Spiritum sanctum, & peccat in eum, siue qui nondum est Christianus, siue qui est hæreticus Arianus, aut Eunomianus, aut Macedonianus, qui eum dicunt esse creaturam, aut Photinianus, qui eius omnino negat aliquam esse substantiam. sed vnum tantummodo esse Deum Patrem; siue alij hæretici, quos commemorare longum est? Nulli ergo istorum liberandi sunt? Aut ipsi Iudæi, quibus Dominus hoc obiecit, si in eum crederent non erant baptizandi? Non enim ait Saluator, in baptismo remittetur: sed, Non remittetur, inquit, neque in hoc sæculo neq; in futuro. Intelligant ergo non omne, sed aliquod significatum esse peccatum in Spiritum sanctum, quod omnino non remittetur: Sicut enim cum dixisset, si non venirem, peccatum non haberent: vtique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magnisq; peccatis, sed aliquod proprium peccatum: quod si non haberent, possent illis omnia dimitti quæ habebant, id est, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, si non veniret: sic etiam cum dixit, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, vel qui verbum dixerit aduersus Spiritum sanctum, non vtiq; omne quod in Spiritum sanctum peccatur facto siue dicto, sed aliquod certum & proprium intelligi voluit. Hoc est autem duritia cordis vsq; ad finem huius vitæ, quia homo recusat in vnitate Corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum.*

Basilius in Regul. seu quisquis auctor, sic definit peccatum in Spiritum sanctum. Ἐκ τῆς πρὸς βλασφημίας, ἣν ἐβλασφήμησαν οἱ Φαρισαῖοι, ἐφ' οἷς καὶ πρὸς αὐτὸν ἔτερόν ἐστιν, ὅτι καὶ υἱῷ ἐκείνῳ βλασφημεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃς ἂν τὰς ἐνεργείας, καὶ τὰ χαρίσματα ἃ ἀγίῳ πνεύματι τῷ ἐναντίῳ ὑπεφήνεν. ὅπερ παραμύθιον οἱ πολλοὶ, τὸν μὲν ἀπλούστερον, κενοδόξων παλλακίς ῥιψοκινδύνως ἐπικαλοῦντες, ἃ ὀφθαλμὸς ἀγαθὸν ὑπεδείκνυμεν ὀργὴν καταφρόνησιν. καὶ ἅπαντα τοιαῦτα τὰ πονηρίας πανηγύρεις ψευδῶς ὑπεφημίζοντες, id est, Ex ea blaspheNo remitti

blasphemia, quam Pharisæi tunc vsurparunt, de quibus etiam lata est huiusmodi sententia, perspicuum est, eum etiam nunc blasphemare Spiritum sanctum, hoc est detrahere Spiritui sancto, quicunque effectus & fructus Spiritus sancti, aduersario ipsius attribuit: quod peccatum incurrimus plerique nostrûm, qui secuti pericli temere strenuum sæpe numero appellamus ambitiosum, & ei qui iusta indignatione per zelum mouearur & eam rem indicans iracundiæ calumniam impingimus, & ad eundem modum alia iniquis adducti suspicionibus, mentitis nominibus, de aliquo dicimus.

Nō Eunomiani quidem omnes in Spiritum sanctum peccabant.

S. Athanasius plurib⁹ ista verba exponit, & egregiè ex illis Spiritus sancti diuinitatem probat. Refutat igitur Ecclesia exinde Eunomianos, qui Spiritus sancti deitatem oppugnabant: non tamen idcirco omnes illi in Spiritum sanctum modo illo singulari peccabant, multi eius infirmitate, ignorantiâque de inquebant. Sed Athanasium audiamus. *Tu autem*, ait, *percunctaberis, cur blasphemia in filium remitteretur, in Spiritum verò venia non obtineat, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. Idem contra Arium disput. Videsne hic æqualem esse Spiritum Dei, idq; etiam in futuro sæculo: vt enim qui in Deum Patrem blasphemat, non purificabitur quo minus obnoxius sit æternæ punitioni; ita quoq; qui in Spiritum sanctum blasphemias dicit, reus erit æterni peccati, lapsu huiusmodi extra veniam cõstituto. Si enim Spiritus ille seruilis conditionis esset, nequaquã is, qui in eum offenderit æterno supplicio plecteretur, sicuti is qui in creatam Dei magnificentiam blasphemias dicit. Quem autem hic filius Dei Spiritum appellat, eundem illum quidam ex discipulis Christi de eo tractans, digitum Dei nominat: sic vt animo repetas inquisitionem de filio in Exodo habitam, & inuenies æternam Spiritus sancti potestatem consubstantialem esse Patri, eo quod digitis ipsius nuncupetur.*

Et hom. de Semente. *Vides*, ait, *quod quem in superioribus nominauerat Spiritum sanctum, in sequentibus appellauit Deum? Insuper & Sanctus Paulus in secundâ ad Thessalon. Epist. loquente ad istum modum: Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione Dei, & tolerantia Christi: In hac Epistolâ, quæsumã Dominum appellari putas, omnium ne Dominũ Deum Patrem: an Spiritum sanctum? Nam Christum expresse recensuit. Si enim primo loco Patrem constituas, Deus est Spiritus; Si Spiritum primo loco vbi nominatum confiteris, necessum est, vt eum Dominum eo nomine cas: quod si Dominus est, nimirum Deus quoq; habendus fuerit. Scriptum est enim, Ego sum Dominus Deus tuus. Quare & inuenies vbiq; scriptum, eiusdem efficaciæ esse Spiritum sanctum, & eum à gloriâ Patris & Filij abiunctum non esse.*

Agitur peccatum in Spiritum sanctum; Agnitæ veritatis, ex eiusdem modo, & inuidiâ impugnatio, repugnante conscientiâ.

QVÆSTIO III.

An nunquam remittatur?

Nõ remitti. §. 1. THeophylactus, & Abulensis aiunt non remitti sine pœnitentia, sed hoc est omnibus commune. Richardus, nihil de pœna temporali remitti etiam pœnitentibus. Aug. disertè docet non remitti. lib. 21. de ciuit. Dei. c. 24. *Si qui autem*, inquit, *vsq; ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis conuertentur in filios, nunquid iam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Cur ita, nisi quia iam in parte diaboli computantur, qui dum essent in corpore, non sunt translati ad Christum? Eadem itaq; causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est vt neque nunc, neq; tunc oretur pro Angelis malis: quæ itidem causa est, vt quamuis pro hominibus nunc viuis oretur, etiam malis, tamen tam nec nunc oretur pro infidelibus, impijsq; defunctis. Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorundam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorũ, nec vsquedeo vita in corpore malè gesta est, vt tales misericordiâ indicentur digni non esse, nec vsquedeò benè, vt talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, vt in ignem non mittantur æternum. Neq; enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neq; in hoc sæculo, neq; in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto tamen remittetur in futuro.* Sed ille quoq; intelligit non pœnitenti, non remitti. cum impœnitentiam finalem esse definiat peccatum in Spiritum sanctum. Sic clarius, Epistola ad fratres orthodoxos. *Quin & hoc obseruandum est, non dixisse Christum blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, & in blasphemiâ manenti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, in illis, qui verè, & ex animo, vt par est, pœnitentiam agunt.* Probare id etiam aggreditur eadem Epistola. *Plerisq; eorum*, ait, *qui in terris agunt, terribilis est sermo Dei, vbi dicit; Omne peccatum & blasphemia remittitur hominibus, sed qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro. Quapropter admonet Diuus Apostolus, indicans literam occidere, Spiritum viuificare, plerag; siquidem sacrarum Scripturarum, si iuxta literam sentiamus, in nefarias collabemur blasphemias, quale est illud elogium Domini superius dictum, quod quidem; si abscisè secundum verba capiamus, in nefarias præcipitabitur sententias, quin & ipsum Dominum sibi ipsi contrarium deprehendemus. Si enim quisquis verbum dixerit contrà Filium, id ei remittitur: cur ergo Filius dixit: Qui me abnegat coram hominibus, abnegabo & ego eum coram Angelis Dei?*

Sententia igitur Athan. Basil. Ambr. est ægerrimè remitti: est enim talis locutio, qualis illa. Impossibile est diuitem intrare in regnum Cœlorum, quia excusationis aut lenitatis nihil habet. alia mortalia ex ignorantia vel imbecillitate sunt, & si ex malitia, hoc tamen genus specialiter gratiæ & Spiritui S. repugnat. *Ægerrimè remitti.*

Marc. 3. 28. Amen dico vobis, &c. Non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Luc. 12. 10. Omnis qui dicit verbum in filium hominis. itaque opponitur blasphemiæ in filium hominis, & aliis relictis, quia ex scientia & malitia est hoc Pharisæorum videntium miracula & subsannantium impietas.

Ordinariè tales resistunt pœnitentiæ, qua sola peccata remittuntur. Ideo non remittitur.

Beda etiam & Vega l. 13. in Trid. c. 9. posse hoc peccatum dimitti, sed nunquam tamen reipsa dimitti.

Verum Chrysostomus aliiq; existimant Iudæorum quosdam ex hisce blasphemiis remissionem accepisse. Ideoq; interpretantur pleriq; non nisi difficilimè remitti, aut naturâ sua non remitti, esse enim tale, quod remissionem meritò excludat, etsi aliquando Dei bonitate remittatur, vt D. Thom. 2. 2. q. 14. a. 3.

§. 2. Qui sic interpretantur, puniri in hac vitâ & futura, nihil peculiare tribuunt hinc peccato, quod non pleriſq; conueniat, omnia enim puniuntur subtractione gratiæ quæ sunt mortalia, angore conscientiæ, aliisque crebrò pœnis. At Christus ait non remitti, in hac vita, quod non est, punietur. Deinde comparatur aliis peccatis, de illis dicitur, omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; sensus est: culpa & pœna remittentur; non autem sensus. Non punietur, nec in hac vita, nec in futura, ergo & in anthitesi eundem sensum obseruare oportet.

§. 3. Nonnulli idcirco remitti negant, quod scienter committatur. Non rectè, multa enim scienter delinquentium delicta Deus condonat, vt Dauidis, Petri, aliorumque.

§. 4. Caluinus, omnino remitti negat, hoc loco. [Durus, *inquit*, hoc quibusdam videtur; ideoque ad puerile cauillum confugiunt. Irremissibile vocari, quoniam eius venia rara sit & ad impetrandum difficilis. Atqui expressius loquutus est Christus, quam vt *Caluinus negat omnia remitti.*

adeò futiliter eludi queant eius verba. Nimis etiam
" stultè ratiocinantur, crudelem fore Deum, si peccatū
" nunquam remittat, cuius atrocitas omnes in stupo-
" rem rapere debet: nec satis reputant quam immane
" sit scelus, non modò sacrū Dei nomen data opera pro-
" fanare, sed in faciem eius conspuere, dū palā relucet.]

§. 5. Caluiniani causam cum non condonatur afferunt, quod non possint renouari ad pœnitentiam, qui hoc genere peccati detinentur. Cur verò pœnitere nō possint, causam reddunt; quia reprobi sunt. Ita Wolff. Musculus. [Quia reprobi sunt, *ait*, & captiui Satanæ, vasa iræ, in interitū parata. Id quod ex eo patet, quod
" cognitione veritatis illuminati, non sunt immutati, cū
" electi per illam immutentur. Est enim istud reprobis
" quasi proprium, vt nesciant amare cognitam veritatē,
" sed illam contra conscientiam damnent. Neq; enim
" sui iuris sunt, sed toti aguntur à Satanâ. Exemplū Sau-
" lis, 1. Sam. 24. 26. Item Cain. Istam insaniam nonnulli
" in expositione huius loci duob⁹ similibus accommo-
" dè ob oculos ponunt: vno in illis, qui odio impoten-
" tiore detinentur: altero in accusatore iniquo, accusato
" innocente, & iudice æquo. Epistol. ad Hebr. c. 6. adiicit
" similitudinem terræ maledictæ, quæ in eo deprehen-
" ditur esse maledicta, quod culta & pluta cœlitus, non
" fructum commodum, sed spinas & tribulos gignit,
" cum terra benedicta his beneficiis acceptis fructum
" bonum adferat.]

Reprobis nō remitti.

Ita ille suorum more. Qua ex interpretatione hoc sequitur, quod omnino contra Scripturam est. Omnia peccata reproborum esse in Spiritum sanctum. Nam nullum vnquam secundum Caluinistas, ne minimum quidem peccatum reprobis remittitur. Nihil ergo singulare Christus minatur peccantibus in Spiritum sanctū. Frustra etiam distinguit peccatum in Filiū hominis, & in Spiritum sanctum, si Pharisæis vtpote reprobis nullum remittitur. Deinde falsum est, nunquam reprobis peccata remitti: nam Hebr. 6. Illuminantur & gustant, quam suauis sit Dominus, sunt etiā in gratiâ vt Saul fuit, mutatus in virum alium. Deniq; Electorum fiduciam, quam ipsi statuunt, hæc ratio eludit. Nam primo ait reprobos illos veritatem interdū profiteri sed relabi. deinde plerumq; ait, *fieri vt reprobi veritatem lucidius aliquando cognoscant, quam electi.* Quis igitur certus esse potest, se certius cognoscere fore, vt nunquam relabatur, vt semper veritatem tueatur?

Non omnia reproborum sunt in Spiritum sanctum.

Nonne timere potest, ne sit frustranea illius, sicut aliorum fiduciatio? Stultum enim cum centesimum quisq; vix vetè fiduciari sciat, de se non timere.

§. 6. Caluinus impœnitentiam esse negat. *Qui impœnitentiam*, inquit, *definunt, nullo negotio refelli possunt: frustrà enim & ineptè negaret Christus in hoc sæculo remitti. deinde nomen blasphemiæ ad quauis peccata promiscuè extendi nequit.*

Frustra inquit & inepte? Quare? quia constat impœnitentiam manere vsq; ad mortem, palam ergo est eam non remitti. Hinc orthodoxus pari modo iudice Caluino colliget. Quemadmodum frustra & ineptè diceretur: Impœnitentiam in hac vitâ non remitti; Quia constat impœnitentes in peccato mori. ita multo ineptius diceretur: Peccatum in Spiritum sanctum in futuro sæculo non remitti; si igitur illa locutio inepta est, multò ineptior est illa, quam Christo impingunt, cum aiunt, nullum in futuro remitti.

§. 7. Nouatianus etiam de Trinit. c. 29. Spiritus diuinitatem asserit. In hunc quisquis blasphemauerit, remissionem non habet, non tantum in isto sæculo, verum etiam in futuro. De peccato in Spiritum sanctum D. Thom. q. 14. Blasphemia hæc simul est coniuncta cum Dei odio, & sine remedio pœnitentiæ remanet. Certum itaque esse statuo. Remitti, sed ratissimè, & ægerrimè. Nam alioqui, si quis conscius esset eius criminis cū desperare oporteret; à nullo absolui posset. Nec Christi verba S. Patres eludunt, sed exponunt. Si enim dixisset Dominus. Impossibile est blasphemiam in Spiritum sanctum remitti, quemadmodum dixit: Impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum. Non tamen conficeretur; nunquam remitti. vt nec sequitur: Diuitem nunquam ingredi regnum cœlorum. Fieri non dicitur, quod ratissime, & difficilime fit.

QVÆSTIO IV.

An culpa in futuro dimittatur?

§. 1. CHristus distinguit duo tempora peccatorū remittendorum, hoc sæculum & futurum. Itaq; in futuro sæculo aliqua remittuntur. Sine ratione enim disiunctio additur, si altera pars nulla est. vt si dicam. Non nubes in hoc sæculo, neq; in futuro. Sol non conuerteretur in hoc sæculo, neq; in futuro. Ineptum est enim id proferre, quasi membrum alterum, cum sciturnon esse. vt si dicam, stellæ non lucent noctu, neq; interdiu. Neq; est exaggeratio. Nam si est, vt Martyr putat; ergo in futuro aliquando remittitur. Nam si exaggeratio est, de eo est quod vix fit, aliquando tamen fieri potest. Neq; tantum est comminatio. Nam si sic commineris. Neq; viuus, neq; mortuus in mensa mea comedes, sine causa loqueris more alieno. Neq; idem est, quod in æternum per partes, quia cum per partes exponitur æternitas, iubet cuique id tribui quod fieri potest, alioquin inepta est locutio. Quod si dicam. Nec in hac vita, nec in futura quiete frueris, recte dicitur. Quia vtroq; tempore, vel alterutro fieri potest, vt fruâris. at si dicas. Neq; in hoc tempore, neq; in futuro sacerdos conscraberis ineptum fuerit. Perinde si dicas. In die turbulenta. Neq; interdiu neque noctu solem videbis. Quamuis ex Negatione non colligitur affirmatio. Tamen ne delirare dicamus loquentem, sæpe colligenda est.

§. 2. Caluinus, *neque in hoc sæculo, neque in extremo iudicio remitti ait*, hinc verò nihil pro purgatorio confici conatur ostendere. l. 3. instit. c. 5. §. 7.

Non minus abhorrens à consuetudine rectè loquentium est illa distinctio, quam alia, quam suprà reieci. Equidem in extremo illo iudicio, nullum peccatū remittitur, quod iam antea non sit condonatum. Deinde extremum iudicium est in altero sæculo. Post mortem enim sequitur. Quicquid verò morte posterius est, ad alterum sæculum pertinet. Certè omnium absurdissimum fuerit, si quædam Pharisæorum peccata dicantur in illo extremo die remittenda. Nos Augustinum potius audiamus: l. 21. de Ciu. Dei. c. 13. *Platonici*, inquit, *quidem quamuis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel diuinis, siue in hac vitâ, siue post mortem, si aut parcatur hic cuiq;, aut ita plectatur, vt hic non corrigatur. Hinc est Maronis illa sententia, vbi cum dixisset de terrenis corporibus, moribundisq; membris, quod anima.*

Hinc metuunt, cupiunt q; dolent, gaudentq;, nec auras
Suspiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco:

Secutus adiunxit atq; ait:

Quin & supremo cum lumine vita reliquit:

id est; cum die nouissimo reliquit eas ista vita,

Non tamen (inquit) omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporea excedunt pestes, penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Qui hoc opinantur, nullas pœnas, nisi purgatorias voluntesse post

post mortem, vt quoniam tertiũ superiora sunt elementa, aqua, aer, ignis, ex aliquo istorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractũ est. Aer quippe accipitur in eo, quod ait, suspensæ ad ventos. Aqua in eo quod ait, Sub gurgite vasto. Ignis autẽ suo nomine expressus est, cũ dixit, Aut exuritur igni. Nos vero etiã in hac quidem mortali vita esse quasdam pœnas purgatorias confitemur, nõ quibus affliguntur, quorum vita vel non inde sit melior, vel potius inde fit peior, sed illis sunt purgatoriæ, qui eis coercuti corriguntur. Cæteræ omnes pœnæ siue temporariæ, siue sempiternæ, sicut vnusquisque diuina prouidentia tractandus est, inferuntur, vel pro peccatis, siue præteritis, siue in quibus adhuc viuit ille qui plectitur, vel pro exercendis declarandisq; virtutibus, per homines & angelos, seu bonos seu malos. Nam & si quisquam mali aliquid alterius improbitate vel errore patiatur, peccat quidem homo, qui vel ignorantia, vel iniustitia cuiquam mali aliquid facit: sed non peccat Deus, qui iusto, quamuis occulto, iudicio fieri sinit. Sed temporarias pœnas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimumq; patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas quæ post illud iudicium his sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro seculo, id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur, iam supra diximus.

Bernard. Serm. 66. Cantic. Greg. 4. dial. c. 39. Beda in Marcum. Quare imperite insectatur Catholicos Wolff. Musculus, comment. in Euang. Matth. c. 12. [Adducunt, *ait*, Gregorium & Bedam, qui ita exposuerint. Sed rogo quomodo ista nõ viderunt qui Gregorium & Bedam præcesserunt, & toties hunc locum exposuerunt? Chrysostomus exponit: Vos autẽ tam hic quã alibi puniemini. Et subiungens post pauca dicit: Vniuersorum enim hominũ alii & hic & ibi supplicia dabunt, alii in præsenti solummodo vita, alii in futura tantum. Hic & alibi, vt Sodomitæ, & isti Phatisæi. In præsenti tantũ, vt fornicator Corinthius, & reliqui: c. 11. prioris epistolæ. Alibi tantũ, vt diues ille in inferno. Ergo vt Chrysost. intelligit, non remitti blasphemiam hoc loco, idem est, atq; inultam non abire: quomodo & nos Germani dicimus, Ich wil dirs nicht schencken/ si quando vltionem minamur. Nihil ex ista sententia colligi potest de purgatorio. Quin ipsum verbum remittendi non quadrat purgatorio, quadraret magis, si vocarent remissoriũ. Sed quid opus est multis? Verba Christi non sunt ita diuexanda. Marci 3. aperte legitur, quid voluerit: nempe in æternum non remitti.]

Respondeo. Augustinus, *inquit, de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neq; in hoc seculo neq; in futuro, nisi essent quibus etsi non misso, tamen remitteretur in futuro.* & l. 6. contra Iul. c. 5. qui vetustior est, & magnæ auctoritatis. Et tamen in disputatione cum hæreticis, hanc sententiam proponit. Greg. 4. dial. 39. De quibusdam, &c. Quod ad Chrysostomum attinet. Non negat ille aliqua in futuro remitti, sed hos ait puniendos in futuro, & in hoc sæculo. Est vero eius auctoritas negatiua; totus in eo est, vt dehorretur, à peccatis purgatorij hic mentionem non facit, alibi asserit. Vno loco contentus ero, quo ostendam non deesse huic veritati orthodoxam vetustatem Chrysostomi iudicio, ad quem iudicem aduersarius appellauit. hom. 69. ad populum Antiochenum. *Hos lugeamus*, ait, *post hos viribus clamemus, excogitemus eũ aliquid solatii, minimum quidem, clamemus tamen. Qualiter & quonam modo? Orantes & alios precantes, vt pro eis deprecentur, pro eũ pauperibus largientes continue. Habet hæc res aliquam consolationem: audi namque Deum dicentem: Protegam ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. Si iusti dunt axat memoria tantum potuit, cum & opera pro ipso fuerint, quantum non valebit? Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Scient enim illi inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotali plenitudo & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?*

§. 3. Verum vt res clarior euadat, Bezam, & Caluinum audiamus. [Quod inde colligunt, *inquit*, Papistæ remitti post mortem hominibus peccata: nullo negotio eorum calumnia refutatur. Primum insulsi sunt, verbũ futuri seculi ad medium tempus torquendo, quum extremum diem notari cuiuis pateat: sed improbitas etiam deprehenditur, quia cum ipsorum doctrina pugnat quod obtendunt cauillum. Nota est eorum distinctio, Gratis remitti peccata quoad culpam, sed pœnam ac satisfactionem exigi. Iam fatentur nullam esse spem salutis nisi ante mortem remissa fuerit culpa. Mortuis ergo nulla remissio superest nisi pœnæ. Atqui negare non audebunt sermonem de culpa hic haberi. Eant nunc, & ex frigida ista materia ignem suum Purgatorium accendant, si potest ex glacie flamma excitari.]

Respondeo. Recte Papistas nominari; nam Augustinus aliique veteres Papistæ fuerunt. Deinde falsum est, nullum peccatum, quoad culpam in altera vita remitti. Culpæ enim multorum peccatorum in alia vita remittuntur: Venialium peccatorum, inquam, culpa etiam in illa vita remittitur.

Beza pluribus insistit. *Neque in hac vita, inquit, constitutis, neque etiam morientibus (id est nunquam) remittatur: quum alioquin multa peccata in hac vita remittantur, (vt 2. Samuelis 12. 13.) & rursus multorum absolutio in extremum vitæ momentum differatur.*

Multa hic conuoluit, in quibus sibi quoq; contradicit. *Post mortem*, interpretatur, *futurum*, & bene; deinde opinatur, futurum sæculum significare tempus morientium. Quod nulla in scriptura, nullo in auctore habetur. Et falsum est, sæculum vocari momentum quo anima à corpore recedit, nam quicquid mortem antecedit, ad hoc sæculum pertinet, quid sequitur ad futurum. Siue autem Beza dicat nullum peccatũ post mortem condonari, necesse est, ante mortem remittantur. Itaque sensus erit, neque in hoc sæculo, hoc est ante mortem, neq; in futuro sæculo, hoc est, sub ipsam mortem, ante mortem tamen. Quam interpretationem omnes orthodoxi, omnes etiam hæretici merito reiiciunt. Nihil enim absurdius est, quam עולם *gholã*, apud Hebræos, vel αἰῶνα apud Græcos vocare, *momentum temporis*: Communi autem sensui repugnat, tempus huius vitæ futuro sæculo transcribere: in eas tamen angustias se coniiciunt, qui purgatorium ab Apostolorum temporibus creditum negare instituunt.

Parum itaq; fidit illi deprauationi, aliũ fucum quærit. & videtur velle dicere. Neq; in futuro, hoc est extremo iudicii die, quia tum reuelabitur remissio, & retentio. Publico tum quidem Dei iussit à omnium facta, sententiamq; de illis edicet. Verum hoc commune est omnibus peccatis. Remissorum enim plenus fructus, illo loco percipietur, & non remissorum supplicium perfectum imponetur reis. Quid enim est non remittetur in futuro sæculo? Non percipiet remissionis fructum. Vltima tandem sententia percellẽtur. Hoc omnibus reproborum peccatis, de quibus pœnitentiam non egerunt, pariter imminet, non modo illis quæ sunt peccata in Spiritum sanctum. Tandem nec huic fidit expositioni, sed sacram anchoram mouet. μείωσις, *imminutio* est inquit, non remittetur, id est punietur, & in præsenti & in futura vita. Consequens est hoc vt dixi ex S. Chrysostomo, vt puniatur, si non remittatur. Christus de remissione loquitur. ita etiã Caluinus cum ait non remitti, ita Musculus aliiq;. Nostri causas quærunt, nõ, cur puniatur, sed cur non remittatur. itaq; à sũ s omnino Beza discedit,

Dum pro Non remitti, ponit Puniri. Vt fiat sensus, Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Hoc est, non punietur in hominibus in hac vita, & in futura, sed blasphemia, &c. Quod falsum est; nam multa alia, in hac & in futura vita punientur.

Musculi ineptiæ.

§. 4. Wolff. Musculus in locis comm. de iustit. num. 8. Ineptum hoc iudicat argumentum. [Si dicas, „ *inquit*, Non obliuiscar huius iniuriæ, neq; in præsenti, „ neque in futuro seculo: quæso recte ne ex eo colligemus, ergo in futuro sæculo memores erimus iniuriarum, & vindictæ cupidi? Qui sic loquitur nihil aliud „ intelligit, quam se nunquam velle acceptæ iniuriæ obliuisci, vnde non est colligendum, quid futurum sit „ post hanc vitam. Cum Christus diceret, Qui dixerit „ aduersus Spiritum sanctum, non remittetur ei neque „ in præsenti seculo, neque in futuro: nihil voluit aliud „ dicere, quam, nunquam in æternum remittetur.]

Respondeo. Ineptam esse Musculi responsionem. Imo & exempli illius auctorem. Si enim non potest cupido vindictæ in aliam vitam retineri, inepte dicit, se non depositurum eam in futuro sæculo. Vt si Agamemnon dicet Achilli, nec in hoc, nec in futuro sæculo reddam Briseidem. Quis dubitet eum, non minus quam ipsum Aiacem insanire? Verum hæc satis refutauit Zanchius, ipse quidem apostata & hæreticus, sed alio genio, vt ait Vorstius. Manifestissimas enim ve. itates timidius oppugnauit.

Zanchius suos refutat.

§. 5. Omnia effugia itaque aliorum obstruxit Hier. Zanchius, Zwinglianus, cæteris aliquanto callidior l. 4. de Nat. Dei, c. 4. Eum oppono cæteris, tum quia eorum cauilla confutat, tum quia Patrum hanc esse non „ recentiorum sententiam fatetur. [Et illud Matthæi, „ *inquit*, 12. c. Neq; in hoc seculo, neq; in futuro remittetur: Ergo, aliquod peccatum in alio remittitur seculo: variæ sunt responsiones. Prima, Ex puris negatiuis, „ non valet conclusio affirmatiua. Sed non placet. Non „ enim hic elicitur conclusio affirmatiua ex puris negatiuis simpliciter; sed ex negatiua vnius partis Antitheseos ad affirmationem alterius. Antithesin enim facit „ Christus inter peccatum in Spiritum sanctum: & inter reliqua omnia peccata. Ac primo de illis ait: Omne peccatum remittitur: peccatum autem in Spiritum sanctum non remittitur. Hæc est prima Antithesis, nimirum illa remitti: hoc autem non remitti. Deinde facit Antithesin in tempore: & ait, de peccato in „ Spiritum sanctum: non remittitur, neq; in hoc seculo, „ neq; in futuro. Ergo vt seruetur antithesis, necesse est „ dicere, reliqua peccata remitti, aut & in hoc seculo, &

Zanchius Augustini collectionē probat.

in futuro: aut vel in hoc seculo, vel in futuro. Ita apparet, illationem, quam ex iis verbis facit Augustinus de ciuit. Dei, & deinde alii multi; non esse reiiciendam; hac ratione, quia fiat ex negatiuis. Non enim ex „ negatione simpliciter vnius peccati, infertur affirmatio aliorum: sed ex negatiua propter antithesin. Sic „ quum Marcus collatione facta inter peccatum in Spiritum sanctum & alia peccata, de illo ait: nunquam „ remittetur: Si seruanda est antithesis, dicendum certe „ est. Ergo alia remittuntur, aut semper, aut aliquando.]

En habes veri sensus, & S. Augustini defensorem, contra rabulas hodiernos, qui nec patres legerunt, nec scripturam considerarunt, sed suis inhærent imaginationibus. Cur igitur nos absurde, inepte, calumniose colligere mentiuntur? Si nos male, quomodo bene Patres & magistri vestri?

Alteram etiam responsionem, quæ Bezæ est, refutat. [Altera igitur, *inquit*, responsio est: præsens seculum dici cuiusq; vitā in hoc mundo. Hoc seculum habere à die quo nascimur: finem vero accipere in

Zanchius Bezam refutat.

die quo morimur. Est autem manifestum, per totum hoc vitæ spatium remitti posse peccata. Futurū autem seculum interpretantur vitam cuiusque futuram, post hanc præsentem. Istud vero seculum, initium capere à „ die quo morimur: & continuari in perpetuum. Est autem itidem manifestū, in die quo quisq; moritur, posse „ illi remitti peccata: etiam quum agit animam: seu, vt „ loquuntur, in articulo mortis. Ergo per Synecdochen „ verum esse, remitti peccata etiam in alio seculo: quum „ remittūtur in alterius seculi initio, quod est in die, quo „ quis transit ex hoc seculo ad aliud. Sensum igitur esse: „ Non remitti peccata in Spiritum sanctū, neq; in vita, „ neq; in morte. Quare nihil ad rem facere hunc locum. „ *Hoc tamen nihil conficere ipse fatetur.* Cæterum, *ait*, quia „ non facile omnes admittent futurum seculum incipere à die quo morimur: sed tempus quod incipit post „ exitum animæ à corpore.] Sic non posse intelligi supra demonstraui.

§. 6. Non tamen quia vidit Zanchius à suis in scripturarū expositione errari, idcirco illis de sertis Augustino adhæsit, sed graui eum calumnia petiit, dubitasse affirmans. [Ideo, *inquit*, aliter responderi potest ad hunc locū, nempe: Aut Augustinus ex Christi verbis argumentatus est, necessario quædā peccata in alio remitti seculo: aut id probabiliter consequi. Si hoc non est igitur necessariū dogma de purgatorio ex hoc collectū loco. Fides enim non est de probabilibus, sed de „ necessariis. Si illud: impie igitur Augustin. de hoc dogmate postea dubitauit: & cum dubitatione loquutus „ est, vt in multis patet locis.] At nullo loco docetur „ Augustinū dubitasse; de igne sensibili aliquando, modoque pœnæ, non de ipsa pœna dubitauit, vt constat, tum ex aliis, tū ex libro de cura pro mortuis gerenda.

§. 7. Deinde ipse solutionem aggreditur. [Deinde, *inquit*, manifestū est, ita explicari posse verba Christi: vt nec esse nō sit inferre: quod negauit Christus de peccato in Spiritum sanctum illud eum affirmasse de aliis „ peccatis. Non enim vno, sed multis modis potest aliquid de vna specie negari. Primū, ita, vt quod nominatim de vna negatur: id alicui alii competere, tacite „ asseueretur, quum scilicet constat, hoc alii alicui competere. Negamus homini conuenire, agi affectibus. „ Hoc certe cōuenire brutis constat. Proinde quod negamus de homine: hoc tacite affirmamus de brutis. „ Deinde potest aliquid nominatim negari de vna specie, quod tamen constat neq; vlli alii speciei eiusdē generis cōpetere. At quare igitur negatur de vna specie, „ cū neq; aliis cōpetat? Id fit per exaggerationem illius, „ de quo illa res negatur. Exemplo res illustretur. Dicimus Deo ita odiosam esse hypocrisim: vt eam ferre nō „ possit. Sequitur ne hinc: Ergo Deo non ita displicere „ reliqua scelera: quin ea ferre possit: vti sunt pauperum „ oppressiones, idololatriæ, obscenæ libidines? Non sequitur. Quid ita? Quia quod dictū est de hypocrisi: illud dictū est propter solam huius peccati exaggerationem; non autem quod tacite affirmemus, Deū alia ferre scelera. Omnia enim Deo displicent, & tam nō potest ferre pauperū oppressiones, & idololatrias: quam „ nō potest ferre hypocrisim. Possumus igitur & nos iuxta cōsuetudinem S. literarū verba Christi sic interpretari: nempe vt dicamus Christū exaggerandi peccatiin „ Spiritū S. causa, negasse, illud remitti vel in hoc vel in „ alio seculo: non autem vt tacite affirmaret, alia peccata remitti posse, sicut in hoc, sic etiam in alio seculo.] „

Respondeo eum amplius suam & symmistarū cauteriatam conscientiā ostendere. Nam exempla plane frustranea dissimilia sunt. Nō remittetur nec in hoc seculo, neq; in futuro: aliam expositionem requirit; aliā ista verba: *Deus hypocritam odit, vt tū ferre non possit.* In hac postrema propositione, vna est sententia: qua hypocriseos fœditas ostenditur, in priore sunt duæ sententiæ, & disiunctiue positæ. Neq; in hoc, neq; in illo. vt si dicat: alia peccata Deus remitter, sed hypocrisim nec in hoc, nec in futuro. Simile est. Responsum Sauli Deus non

dabit,

dabit, nec per propheras, nec per Vrim & Tummim. Quod inepte diceretur, si per Vrim & Tummim nunquam datur responsum. Hæc est autē regula prudenter loquentium. Vt cum aliquid de vtraque specie negant futurum, ob pœnam aliquam, aut præmium, talis sit species, vt fieri per vtramque, vel in vtraq; possint. Vt si Dido minetur. Nec viua nec mortua tibi parcā: stulte loqueretur, nisi putaret se omnibus locis vmbram ad futuram, pœnasque repetituram. Exaggerat igitur Christus peccatum in Spiritum sanctum, sed à distributione temporis, quod nec in hac vita, nec in futuro remittatur, quæ exaggeratio in risum abit, si nec alia vlla peccata in futuro seculo remittuntur.

Christi exposito.

§.8. Drusius l.1.c.12. [Iam multos, *ait*, annos est, cū „ quæritur quid sit, Neq; in hoc neq; in futuro seculo? „ Quid igitur est? Aliis aliter: mihi videtur esse prouerbiale, pro, nunquam; cuius generis sunt, à me notata „ in Prouerbiis meis, Neq; primus neq; vltimus: neque „ bonum, neq; malum; neq; ad dextram neq; ad sinistram, pro, nemo, nihil quicquam, in nullam partem. „ Locus est Matth.12.32. Non remittetur ei neq; in hoc „ seculo, neq; in futuro. Quidam exponunt ac si diceret, punietur & in hoc seculo & in futuro. Quod reperi in Theodori doctissimis annotationibus. Cetera mouebor autoritate viri, & similes locutiones sunt „ in antiquis libris, Non gaudet stulti pater: Non prosunt opes improbe partæ: Agnoscere personam in iudicio non est bonum, pro eo quod nos diceremus, „ dolet, obsunt, pessimum est.]

Incpte parentes nimium, vbi multa sunt.

Quantum laborat perfidiosa solertia, vt veritatem euertat? Dicit Dominus; Nunquam remittetur. Sed illud nunquam diuidit in partes duas, in hoc, & in futurum seculum, neutro ait condonati, quæ diuisio inepta est. decora est, si illud nunquam de solo præsenti sæculo dicitur. Quod illius prouerbia indicant. Nō enim nisi stolide dicerem; Neq; primus neq; vltimus pro nemine, si vel non est, vel nō est vltimus. atq; ita de reliquis sentiendum est. Faciunt omnes aduersarii contra orthodoxos, quod est in regula 35. in Moral. Basilii. ὅτι οἱ τὸν καρπὸν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐν ἑνὶ ὁρῶντες, παυτὸς τὸ ὅλον τῆς θεοσεβείας σῴζοντι, ἢ μὴ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἀναλίσκοντες, ἀλλὰ τῷ ἐναντίῳ διαφημίζοντες, εἰς αὐτὸ τὸ ἅγιον πνεῦμα βλασφημεῖσιν. i.e. [Quod qui fructum Spiritus sancti in aliquo animaduertunt, qui eundem vbique tenorem pietatis retineat, & illum non Spiritui sancto, sed aduersario assignant, ij in ipsum Spiritum sanctum blasphemi sunt.]

QVÆSTIO V.

An illis qui peccant in Spiritum sanctum data sit gratia sufficiens?

Pareus non possse bonos cōuerti docet.

§.1. CAluiniani eos maxime destitui gratia sufficiēte arbitrantur, ita Gommaristæ in Selandia, & Hollandia, & Pareus contra Bellarm. l. 2. de gratia & lib. arbitr. c. 4. Nonnullos non modo hypothetice, sed thetice ita deseri, vt non possint conuerti. & c. 6. „ [Tractat enim, *inquit*, quæstionem de peccantibus in „ Spiritum sanctū, cur blasphemia in Spiritum sanctum „ his nunquam remittatur? Rationem reddit: quia sic „ peccantes nunquam agunt pœnitentiam: & huius iterum: quia sic peccantes Deus punit finali cæcitate, vt „ resipiscere nunquā possint. Verba Caietani sunt: Sub „ hac Dominica reuelatione cadit nō solum negatio remissionis, sed negatio doni pœnitentiæ: tanquā si dicū fuerit, quod peccantibus spiritu blasphemiæ NVNQVAM concederetur remissio: quia NVNQVAM conceditur eis gratia pœnitendi, exigente hoc maxima eorū „ nequitia. Vnde sequitur auxilium conuersionis peccantibus in Spiritum sanctum, non vllo, sed nullo „ momento, id est, nunquam adesse, sed semper deesse, „ iusto Dei iudicio: Vnde rursus euertitur aduersarii quinta propositio huic contradictoria: Auxilium „ conuersionis pro loco & tempore omnibus dari.] „

Gratia sufficiens data est.

Idem in suam sententiam etiam Caietanum trahere conatur. Falsum vero est gratiā sufficientem nō omnibus dari, nec hoc Caietanus sensit, sed quibusdam interdum ob ingentia crimina, contumaciamq; negari. quanquam Caietanus nō de negata sufficiente gratia, sed efficaci intelligi potest. Pareus autem diuinæ misericordiæ hostis hoc ipso ex loco confutatur. Nemo enim in Spiritum sanctum peccat, nisi qui illuminatus, oblatam gratiam ex mera maleuolentia, lubens, volensque respuit. Habuit igitur sufficientem, sed vti noluit, voluntate mala eam reiecit. si vti non potuit, si accipere velle nō voluit, non sponte excæcatus est. Scripturas multi, tum impriis diligenter ad hanc veritatem comprobandam col'egit magister meus Serarius contra Franciscum Puccium Filidinum c. 12. *Iob.* 25. Super quem non fulget lumen illius? *Psal.* 18. Non est, qui se abscondat à calore eius. *Psalm.* 24. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. *Prouerb.* 3. Dominus in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris. *Eccl.* c. 18. Numerus dierum hominum, vt multum, centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt. Et sicut calculus arenæ; sic exigui anni in die æui. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super nos misericordiam suam. Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est, & cognouit subuersionem illorū, quoniam nequā est, ideo adimpleuit propitiationem in illis, & ostendit eis viam æquitatis. *Ioh.* 1. Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Actor.* 14. Non sine testimonio semetipsum reliquit (*Deus*) benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. *Rom.* 1. Sunt inexcusabiles (*gentiles*) quia cum cognouissent Deum, non sicut Deū glorificauerunt, aut gratias egerunt. 1. *Tim.* 2. Omnes homines vult (*Deus*) saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim est Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionē semetipsum pro omnibus. 1. *Tim.* 4. Qui est Saluator omnium hominum. *Apoc.* 3. Ecce ego sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum. *Secundo, indicant eadem scripturæ, diuinæ bonitati nequaquam propositum, vt ob peccatorum vllam vel multitudinem vel grauitatem, necessarius vllum adminiculis destituere velit. quin potius eos ipsos ferre, fulcire, monere, inuitare. Tob. cap.* 3. Hoc habet pro certo omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit, non enim delectaris in perditionibus nostris. *Isaiæ cap.* 49. Dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, Nunquid obliuisci poterit mulier infantem suum, vt non misereatur vteri filii sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. *Hierem.* 3. Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterū, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autē fornicata es cū amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. *Ezech.* c. 33. Tu ergo fili hominū, dic ad domū Israel, sic locuti estis dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimꝰ: quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos, Viuo ego, dicit Dominꝰ Deus, nolo mortē impii, sed vt cōuertatur impius à via sua, & viuat. *Matth.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onorati estis, & ego reficiā vos. 1. *Pet.* 3. Patiēter agit Deus, ppter vos, nolens aliq; perire, sed omnes ad pœnitentiā reuerti.

Ob peccata nō negatur gratia sufficiens.

Omnes per Christū hacbent gratiā.

§.3. *Tertio indicant eadem, omnes per Christum Iesum à diaboli tyrannide vindicatos, cœlestique patri cumulate reconciliatos. Psalm.* 106. Dicant, qui redempti sunt à Domino,

no, quos redemit de manu inimici. *Psal.* 129. Copiosa apud Deum redemptio. 1. *Corinth.* 6. Empti estis precio magno. 2. *Corinth.* 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. *Galat.* 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictū. *Ephes.* 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorū. *Coloss.* 1. In ipso cōplacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius. *Ibid.* 2. Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 1. *Tim.* 2. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. *Ioh.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. *Ioan.* 4. In hoc est charitas, nō quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. *Scripturū earum alumni succedunt. Dionys. Areopagita cœlestis Hierarchiæ c.* 9. *Irenæus l.* 4. *c.* 20. *Origenes homil.* 20. *in Numeros lib.* 3. *de principiis c.* 1. *Chrysostomus homil.* 7. *in Ioannem, &* 16. *in Hebræam. Cyrill. primo in Ioannem c.* 11. *Nazianz. oratione de laudibus Athanasii, Damascen. l.* 2. *fidei cap.* 29. *Cyprianus sermone de lapsis, & l.* 3. *epist.* 8. *ad Fidum. Ambros. Serm.* 8. *in Psal.* 118. *& lib. de paradiso c.* 8. *Hilarius l.* 1. *de Trinit. Hieronymus Ep. ad Ctesiphontem contra Pelagianos, & Epist. ad Cyprianum presbyterum. & in Psalm.* 89. *in Ezech.* 33. *Gregorius Magnus lib.* 33. *moralium cap.* 14. *Prosper.* 2. *de vocatione gentium cap. vltim. &* 3. *l.* 1. *c.* 7. *lib. ad articulos falsō Augustino impositos,* 15. *S. Leo Serm.* 16. *de passione Dius Augustinus lib.* 1. *retractationum c.* 10. *&* 22. *epist.* 49. *lib. de vera religione c.* 55. *lib.* 1. *ad Simplic. quæstione* 2. *de peccatorum meritis c.* 17. *libro de natura & gratia c.* 67. *libro de libero arbitrio. cap.* 19. *In Psalmum* 45. *lib.* 1. *de Genesi contra Manichæos. Omnes, inquit, homines possunt, si velint, se conuertere.*

Fides nō est propria electorum.

Fundamentum aduersariorū est, fidem electorum esse propriam, quod doctior & moderatior pars Caluinistarum reiicit. Arminius in respons. ad 31. articulos, 1. & 2. negat se publice docuisse vnquam, fidem „ non esse electorum propriam. [Etiamsi dixissem (*ait*) „ defensionem præsto esse. Nam vt omittam Scripturas, *Id scripturæ & Patres docere fatetur Caluinista, & Reformatos.* ex quibus prolixior esset istius rei disceptatio, partibus non sine verisimilitudine sententias suas inde tuentibus; Patrum consensus mihi hic pro scuto esset ad amolendam nouitatem; & harmonia confessionum ab Ecclesiis, quæ à Papatu secessionem fecerunt, & Protestantiū Reformatarumq; nomine veniunt conscriptarum, pro thorace vteret ad impactæ ἐπεροδοξίας „ iaculum auertendum. Ipsius etiam Belgicæ confessio„ nis & Catechismi Heidelbergensis trutinam hac qui„ dem in re non extimescerem. Ad consensum Patrum „ testandū veniant: Augustinus, Prosper, & auctor libri „ de vocatione gentiū, Aug. Mirandum est multumq; „ mirandum, quod filiis suis quibusdam Deus, quos re„ generauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem „ ded t, non dat perseuerantiam, cum filiis alienis tanta „ scelera dimittat, atque impartita gratia sua faciat filios „ suos. Prosper. Ex regeneratis in Christo Iesu, quosdam „ relicta fide & piis moribus apostatare à Deo & impiā „ vitam in sua auersione finire, multis, quod dolendum „ est, probatur exemplis. De vocatione gentium: Deus „ ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à „ perseueraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle „ non auferat. Alioquin nemo fidelium recessisset à fi„ de. Harmonia confessionum sic seruiret defensioni „ meæ. Si dogma illud, quod Fides sit Electorum pro„ pria, quodque fideles à fide & salute deficere finaliter „ non possint, sit dogma ad salutem necessarium, tum „ non potest illa confessio quæ istud dogma non habet, „ aut quæ contrarium dicit, censeri consentire cum reliquis in negotio Religionis. vbi enim harmonia est, neq; defectum, neque contradictionem esse fas est, in rebus ad salutem necessariis. At confessio Augustana dicit, se damnare Anabaptistas, qui negant semel iustificatos iterū posse amittere Spiritum sanctum. Præterea Philippus Melanthon & qui illum sequuntur & pleræque Ecclesiæ Lutheranorū sentiunt fidem etiam non electis contingere & tamen pro fratribus illos agnoscere nō veremur. Confessio Belgica idipsum dogma non habet. Ex Catechesi nostra citra controuersiam elici nequit: Nam quod dicitur in articulo de Ecclesia; Credo me membrum Ecclesiæ perpetuo mansurum. item: quæst. 1. Ita me conseruat Deus vt omnia saluti meæ seruire oporteat, intelligenda sunt de fideli, qua fidelis est: respondet enim Christianus, & vere talis, at nemo talis est nisi per fidem. Ergo fides præsupponitur.]

Qua ex re apparet, quam indignis nobiscum agant modis: qui nos ideo reprehendunt, quia id docemus, quod scripturæ patres, & moderatiores hæretici verum confitentur.

VERSVS 33.

Aut facite arborem bonam & fructū eius bonum aut facite arborem malam & fructum euus malum siquidem ex fructu arbor cognoscitur.

QVÆSTIO I.

An arbor bona malos fructus non faciat?

§. 1. SVpra illa quæstio disputata est. Hoc loco Christus probat, se non eiicere rem Beelzebub dæmonia, nec esse, vt inde illi concludebant, se veneficum. Si enim, inquit, ego sum arbor vt vos dicitis, mala, non possum ferre tam multos, tam continuo, tam præstantes fructus. Si enim sum δένδρον σαπτὸν, putris arbor, etiam καρπὸς σαπτὸς feram. At fructus sunt eiectio dæmonum, restitutio sanitatum, visus, auditus, resuscitatio mortuorum, institutio ignorantium, hominum ab omnibus malis liberatio. Pestilentissimæ igitur est malitiæ, eum, qui hæc omnia constanter agit, quem nullius culpæ commonere potestis, dicere hominem improbum. Vtitur Christus argumento in foro vsitato. Vnusquisq; præsumitur bonus, nisi probetur malus. Hic omnia argumenta bonum probant, cur illi ergo malum faciunt? hoc est, esse malum definiunt, & pronunciant? Constringit autem Iudæos syllogismo conuuto, seu vt vocant ἀφύκτῳ. Bona esse opera eius non poterant negare, diaboli talia opera nulla viderant, meritō igitur malitiā hæc diabolo tribuunt, perinde ac si spinis deserti, tribulisque vuas, & graueolenti centaureo balsamum tribuerent. Caluinus bonos ait vocari qui ad bonitatem aspirant: errore iam refutato.

§. 2. Fel xapud Aug. lib. 2. c. 2. de actis cum Felice Manichæo inde conficiebat naturas duplices & bonam & malam. Manichæus dicit duas esse naturas, & modo inde culpatur, quia, dixit duas esse, bonam & malam Christus in euangelio dicit duas esse arbores.

Respondet Augustin. Audi ergo de libero arbitrio. Primo ipsum Dominum, vbi duas arbores commemorat, quarū mentionem ipse fecisti, audi dicentem: aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Cum ergo dicit aut hoc facite, aut illud facite: potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest, sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala, & esse arbor mala: non quia mala ipsa quæ eliguntur, aliquam habeant

QVÆSTIO I.

Quomodo spargit qui non est cum Christo?

§. 1. Dictum Christi de diabolo interpretantur multi; ille enim non est cum Christo, sed ei præcipuè aduersatur: opera enim eius omnino diuersa sunt. Mihi certum de Pharisæis eorumq; assectis dictum esse. Negabant illi se Christo inimicos esse, sed causæ, violari ab eo leges, noua adduci, id se ferre posse negabant, velle doctrinæ eius esse iudices. Ea simulatione nihil opus esse respondet. Hoc ipso, quod doctrinam veram carpant, calumnientur que hostes esse. Horum enim esse primum eam recipere, alios ad eam adducere? Ciuium & militum qui regi Sacramentum dixerunt, officium est, eum tueri, si qui non defendit, non congregat cum Domino suo, proditor est. De exteris & gentibus dicitur Luc. 9. 50. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Aliud ab externo, aliud à domestico poscimus. Externus si neutram sequitur partem, amicus habetur, ciuis si excubias neglexit, capitis reus habetur, quin ille de quo loquitur, quædam faciebat, quibus Christi doctrina illustrabatur, dum in eius nomine dæmones eiiceret.

Occulti inimici hic reprehenduntur.

§. 2. Colligere cum Christo, seu συναγειν, est in eius cœtu esse. nam Christus venit filios Dei colligere in regnum suum. Collectio igitur est patris familias & conseruantis. Spargere verò est primò in dispersionem ire cum Satana. Quę enim sparguntur, pro perditis habentur. Verũ hic dispergere dicitur Satanas, quicquid enim Christus ædificat, colligit, seruat; hoc ille destruere, dispergere, perdere molitur. Eius strenui adiutores sunt Pharisæi, qui simul spargunt.

Colligere Christi est spargere dæmonis.

§. 3. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ hinc optimè ostendit, eos qui in Ecclesia non sunt, cum Christo non colligere. *Monet*, inquit, *Dominus & dicit: Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit, Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.* Et ad Quirinum c. 86. *Si potuit euadere quisquam*, inquit, *qui extra arcam Noë fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit. Monet Dominus & dicit: Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum fuit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.*

Schismatici spargunt.

Quod rectissimè dictum est, etsi commentarius Hieron. eum sensum reiiciat.

§. 4. Augustinus de peccat. mer. & remiss. c. 28. In paruulis docet esse peccatum originale, nec medium esse locũ vllum, vel enim cum Christo collectos, vel sparsos. Quæ eodem modo nostri vsurpant contra eos, qui Religionum variarum & superstitionum misturam inducunt, & omnia conciliando nihil veritati relinquunt. Exemplo Patrum æuo fuêre Bucerus, & Melanchton.

Paruuli in originali nõ sunt cum Christo.

QVÆSTIO II.

Quæ sit blasphemia in Spiritum sanctum?

§. 1. Augustinus in expositione Epistolæ ad Romanos difficilem quæstionem fatetur: *Factũ est*, ait, *quippe vt immorareinur cum vellemus soluere incidente sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in Spiritum sanctum, quod non remittatur, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro.* Idem Serm. 11. de verbis Domini hæc pertractat.

Arduaquæstio de peccato in Spiritum sanctum.

Quodnam illud sit variè disputatum est. Origenes in baptizatis solis esse docuit, in hunc locum. Nouatianus omnia baptizatorum in Spiritum sanctum esse sensit, ideo non remitti. Ita Hier. Epist. 141. De Origene testis Athan. hom. in hunc locum. Itemque Theognosto. Melanchton blasphemiam non esse aliud, quam incredulitatem. Quia non credenti nihil remittitur. Imperitè prorsus. Nam etiam non amanti nihil remittitur, nec tamen blasphemia est odium. Deinde alia peccata multa non remittuntur, nec tamen sunt in Spiritum sanctum. Constat etiam quosdam non credere sine obstinatione & malitia, quæ sit in Spiritum sanctum.

Variæ interpretationes.

§. 2. Alii finalem impœnitentiam esse arbitrantur. sed hic blasphemia dicitur. alii aliud. Videatur Athan. in opusculo de hoc dicto. & Richardus de S. Victore. D. Thom. 2. 2. q. 14. Nec est blasphemia in Spiritus sancti personam. hæc enim potest non semper esse peccatum in Spiritum sanctum: sed est blasphemia in filii personam. Dicunt enim: *in Beelzebub eijcit dæmonia, & Spiritum immundum habet.* Quod conuitium in Dei filium dicitur. Sed tamen dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia contra agnitam, claramque veritatem ex mera malitia profertur, ideò in Spiritum sanctum peccari dicitur. Si enim per ignorantiam, infirmitatem, negligentiam, in Spiritum sanctum peccetur, non dicitur, peccatur in Spiritum sanctum. Multi Christum falsarium, seductorem ex ignorantia dicebant, non peccabant illi in Spiritum sanctum, sed qui opera tam sancta, contra conscientiam, odio inuidiaque furentes dæmoni assignabant. Si quis Regis filium peregrè venientem ignoratione non excipiat, sed contumeliis affectum eiiceret, minus delinqueret eo, qui probè familiariter q; notum infesto animo persequeretur, & tanquam impostorem reumque Maiestatis in vitæ periculum deduceret. Tam improba crudelitas veniam non facilè acciperet.

Non quoduis peccatum quod sit in Spiritum sanctum vt obiectum hic intelligi probat. Aug. Epist. 50. *Quod autem*, inquit, *dicunt, si peccauimus in Spiritum sanctum, quia exufflauimus baptismum vestrum, vt quid nos quæritis, cum remitti nobis hoc peccatum omnino non possit, dicente Domino: Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neq; in hoc sæculo, neq; in futuro: non attendunt, quia secundum istum sensum nemo liberandus est. Qui enim non loquitur aduersus Spiritum sanctum, & peccat in eum, siue qui nondum est Christianus, siue qui est hæreticus Arianus, aut Eunomianus, aut Macedonianus, qui eum dicunt esse creaturam, aut Photinianus, qui eius omnino negat aliquam esse substantiam. sed vnum tantummodo esse Deum Patrem; siue alij hæretici, quos commemorare longum est? Nulli ergo istorum liberandi sunt? Aut ipsi Iudæi, quibus Dominus hoc obiecit, si in eum crederent non erant baptizandi? Non enim ait Saluator, in baptismo remittetur: sed, Non remittetur, inquit, neque in hoc sæculo neq; in futuro. Intelligant ergo non omne, sed aliquod significatum esse peccatum in Spiritum sanctum, quod omnino non remittetur: Sicut enim cum dixisset, si non venirem, peccatum non haberent: vtique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magnisq; peccatis, sed aliquod proprium peccatum: quod si non haberent, possent illis omnia dimitti quæ habebant, id est, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, si non veniret: sic etiam cum dixit, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, vel qui verbum dixerit aduersus Spiritum sanctum, non vtiq; omne quod in Spiritum sanctum peccatur facto siue dicto, sed aliquod certum & proprium intelligi voluit. Hoc est autem duritia cordis vsq; ad finem huius vitæ, quia homo recusat in vnitate Corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum.*

Basilius in Regul. seu quisquis auctor, sic definit peccatum in Spiritum sanctum. Ἐκ τῆς πρὸς βλασφημίας, ἣν ἐβλασφήμησαν οἱ Φαρισαῖοι, ἐφ' οἷς καὶ πρὸς αὐτὸν ἔτερόν ἐστιν, ὅτι καὶ υἱῷ ἐκείνῳ βλασφημεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃς ἂν τὰς ἐνεργείας, καὶ τὰ χαρίσματα ἃ ἀγίῳ πνεύματι τῷ ἐναντίῳ ὑπεφήνεν. ὅπερ παραμύθιον οἱ πολλοὶ, τὸν μὲν ἀπλούστερον, κενοδόξων παλλακίς ῥιψοκινδύνως ἐπικαλοῦντες, ἃ ὀφθαλμὸς ἀγαθὸν ὑπεδείκνυμεν ὀργὴν καταφρόνησιν. καὶ ἅπαντα τοιαῦτα τὰ πονηρίας πανηγύρεις ψευδῶς ὑπεφημίζοντες, id est, Ex ea blaspheNo remitti

no, quos redemit de manu inimici. *Psal.* 129. Copiosa apud Deum redemptio. 1. *Corinth.* 6. Empti estis precio magno. 2. *Corinth.* 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. *Galat.* 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictū. *Ephes.* 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorū. *Coloss.* 1. In ipso cōplacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius. *Ibid.* 2. Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 1. *Tim.* 2. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. *Ioh.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. *Ioan.* 4. In hoc est charitas, nō quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. *Scripturū earum alumni succedunt. Dionys. Areopagita cœlestis Hierarchiæ c.* 9. *Irenæus l.* 4. *c.* 20. *Origenes homil.* 20. *in Numeros lib.* 3. *de principiis c.* 1. *Chrysostomus homil.* 7. *in Ioannem, &* 16. *in Hebræam. Cyrill. primo in Ioannem c.* 11. *Nazianz. oratione de laudibus Athanasii, Damascen. l.* 2. *fidei cap.* 29. *Cyprianus sermone de lapsis, & l.* 3. *epist.* 8. *ad Fidum. Ambros. Serm.* 8. *in Psal.* 118. *& lib. de paradiso c.* 8. *Hilarius l.* 1. *de Trinit. Hieronymus Ep. ad Ctesiphontem contra Pelagianos, & Epist. ad Cyprianum presbyterum. & in Psalm.* 89. *in Ezech.* 33. *Gregorius Magnus lib.* 33. *moralium cap.* 14. *Prosper.* 2. *de vocatione gentium cap. vltim. &* 3. *l.* 1. *c.* 7. *lib. ad articulos falsō Augustino impositos,* 15. *S. Leo Serm.* 16. *de passione Dius Augustinus lib.* 1. *retractationum c.* 10. *&* 22. *epist.* 49. *lib. de vera religione c.* 55. *lib.* 1. *ad Simplic. quæstione* 2. *de peccatorum meritis c.* 17. *libro de natura & gratia c.* 67. *libro de libero arbitrio. cap.* 19. *In Psalmum* 45. *lib.* 1. *de Genesi contra Manichæos. Omnes, inquit, homines possunt, si velint, se conuertere.*

Fides nō est propria electorum.

Fundamentum aduersariorū est, fidem electorum esse propriam, quod doctior & moderatior pars Caluinistarum reiicit. Arminius in respons. ad 31. articulos, 1. & 2. negat se publice docuisse vnquam, fidem „ non esse electorum propriam. [Etiamsi dixissem (*ait*) „ defensionem præsto esse. Nam vt omittam Scripturas, *Id scripturæ & Patres docere fatetur Caluinista, & Reformatos.* ex quibus prolixior esset istius rei disceptatio, partibus non sine verisimilitudine sententias suas inde tuentibus; Patrum consensus mihi hic pro scuto esset ad amolendam nouitatem; & harmonia confessionum ab Ecclesiis, quæ à Papatu secessionem fecerunt, & Protestantiū Reformatarumq; nomine veniunt conscriptarum, pro thorace vteret ad impactæ ἐπεροδοξίας „ iaculum auertendum. Ipsius etiam Belgicæ confessio„ nis & Catechismi Heidelbergensis trutinam hac qui„ dem in re non extimescerem. Ad consensum Patrum „ testandū veniant: Augustinus, Prosper, & auctor libri „ de vocatione gentiū, Aug. Mirandum est multumq; „ mirandum, quod filiis suis quibusdam Deus, quos re„ generauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem „ ded t, non dat perseuerantiam, cum filiis alienis tanta „ scelera dimittat, atque impartita gratia sua faciat filios „ suos. Prosper. Ex regeneratis in Christo Iesu, quosdam „ relicta fide & piis moribus apostatare à Deo & impiā „ vitam in sua auersione finire, multis, quod dolendum „ est, probatur exemplis. De vocatione gentium: Deus „ ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à „ perseueraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle „ non auferat. Alioquin nemo fidelium recessisset à fi„ de. Harmonia confessionum sic seruiret defensioni „ meæ. Si dogma illud, quod Fides sit Electorum pro„ pria, quodque fideles à fide & salute deficere finaliter „ non possint, sit dogma ad salutem necessarium, tum „ non potest illa confessio quæ istud dogma non habet, „ aut quæ contrarium dicit, censeri consentire cum reliquis in negotio Religionis. vbi enim harmonia est, neq; defectum, neque contradictionem esse fas est, in rebus ad salutem necessariis. At confessio Augustana dicit, se damnare Anabaptistas, qui negant semel iustificatos iterū posse amittere Spiritum sanctum. Præterea Philippus Melanthon & qui illum sequuntur & pleræque Ecclesiæ Lutheranorū sentiunt fidem etiam non electis contingere & tamen pro fratribus illos agnoscere nō veremur. Confessio Belgica idipsum dogma non habet. Ex Catechesi nostra citra controuersiam elici nequit: Nam quod dicitur in articulo de Ecclesia; Credo me membrum Ecclesiæ perpetuo mansurum. item: quæst. 1. Ita me conseruat Deus vt omnia saluti meæ seruire oporteat, intelligenda sunt de fideli, qua fidelis est: respondet enim Christianus, & vere talis, at nemo talis est nisi per fidem. Ergo fides præsupponitur.]

Qua ex re apparet, quam indignis nobiscum agant modis: qui nos ideo reprehendunt, quia id docemus, quod scripturæ patres, & moderatiores hæretici verum confitentur.

VERSVS 33.

Aut facite arborem bonam & fructū eius bonum aut facite arborem malam & fructum euus malum siquidem ex fructu arbor cognoscitur.

QVÆSTIO I.

An arbor bona malos fructus non faciat?

§. 1. SVpra illa quæstio disputata est. Hoc loco Christus probat, se non eiicere rem Beelzebub dæmonia, nec esse, vt inde illi concludebant, se veneficum. Si enim, inquit, ego sum arbor vt vos dicitis, mala, non possum ferre tam multos, tam continuo, tam præstantes fructus. Si enim sum δένδρον σαπτὸν, putris arbor, etiam καρπὸς σαπτὸς feram. At fructus sunt eiectio dæmonum, restitutio sanitatum, visus, auditus, resuscitatio mortuorum, institutio ignorantium, hominum ab omnibus malis liberatio. Pestilentissimæ igitur est malitiæ, eum, qui hæc omnia constanter agit, quem nullius culpæ commonere potestis, dicere hominem improbum. Vtitur Christus argumento in foro vsitato. Vnusquisq; præsumitur bonus, nisi probetur malus. Hic omnia argumenta bonum probant, cur illi ergo malum faciunt? hoc est, esse malum definiunt, & pronunciant? Constringit autem Iudæos syllogismo conuuto, seu vt vocant ἀφύκτῳ. Bona esse opera eius non poterant negare, diaboli talia opera nulla viderant, meritō igitur malitiā hæc diabolo tribuunt, perinde ac si spinis deserti, tribulisque vuas, & graueolenti centaureo balsamum tribuerent. Caluinus bonos ait vocari qui ad bonitatem aspirant: errore iam refutato.

§. 2. Fel xapud Aug. lib. 2. c. 2. de actis cum Felice Manichæo inde conficiebat naturas duplices & bonam & malam. Manichæus dicit duas esse naturas, & modo inde culpatur, quia, dixit duas esse, bonam & malam Christus in euangelio dicit duas esse arbores.

Respondet Augustin. Audi ergo de libero arbitrio. Primo ipsum Dominum, vbi duas arbores commemorat, quarū mentionem ipse fecisti, audi dicentem: aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Cum ergo dicit aut hoc facite, aut illud facite: potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest, sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala, & esse arbor mala: non quia mala ipsa quæ eliguntur, aliquam habeant

habeant in seipsis substantiam, sed quia Deus omnia quæ condidit, gradibus suis condidit, generibusque distinxit, cœlestia & terrena immortalia atque mortalia, & omnia bona in suo genere condidit: animam habentem liberum arbitrium, sub Deo ipso & supra cætera collocauit: vt si seruiret superiori, dominaretur inferiori; si autem offenderet superiorem, pœnam ex inferiori sentiret. Hoc ergo Dominus dicens aut facite illud, aut facite illud: ostendit esse in potestate, quid facerent, ipse securus & certus in se tanquam Deus. Et quia si bonum eligerent, præmium eius acciperent, si malum eligerent, pœnam eius sentirent: semper autem ille iustus est aut remunerator aut damnator. Audi ergo iam quemadmodum Manichæus ipse tam peruersus tam superbus, vt aliam introducens naturam, se æqualem Deo faceret, Deum ad seipsum deponeret, confessus sit tamen esse liberum arbitrium: in thesauro vestro cui tale nomen ad decipiendos homines indidistis, certe sic loquitur, quod & tu ipse cognoscis. Hi vero qui negligentia suâ à labe prædictorum spirituum purgari se minime permiserint, & mandatis diuinis ex integro parum obtemperauerint, legemque sibi à Deo liberatore datam plenius seruare noluerint, neque vt decebat sese gubernauerint, &c. Vides in his verbis confirmatum esse, etiam à nescientè quid loqueretur liberum arbitrium. Qui enim seruare legem non vult, in potestate eius est, si velit. Non enim dixit non potuerint, sed noluerint: hoc certe quod nolunt seruare legem, non à gente tenebrarum coguntur: si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt: Si autem nolunt, non vtiq; coguntur vt non faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate est vt nolint, Peccatum est certe sine aliqua necessitate gentis tenebrarum. Hoc agnosce esse peccatum sine necessitate gentis tenebrarum. Et inde vides vnde veniant omnes culpæ, vnde merita culparum, vnde distributiones pœnarum.

Arbor bona est bona, &c.

Liberū arbitriū probatur.

§. 3. Quod tanquam diuinum responsum nostris sectariis merito considerandum damus, & sane aliqui eorum recte considerarunt, vt videre est in Arminio ad articulos sibi impositos. Fœde deprauauit Melanchthon locum illum. [Quoad hic viuimus, duplices arbores sumus, semper & dum caro est, sunt reliquiæ peccati, sed fructus mali non imputantur bonis, eo quod credunt in Christum. Affectum tam potest mutare homo quam vulpes pellem. Breuiter secundum naturam suam non potest homo nisi malum.]

Respondeo: si duplices arbores, bonæ igitur & malæ, seu partim bonæ partim malæ. Igitur & fructus aliqui boni, alii mali. Si enim fructus tantum malus, arbor etiam tantum mala. Ex fructu enim semper malo, non potest arbor iudicari bona. Deinde quam cunctis, quam pudendum illud profanis cordibus inscriptum. Fructus malos nō imputari bonis, eo quod credant in Christum. Hoc est, nullum flagitium in eo punirī, qui credit in Christum. Tertio, Non ita natura corrupta est, vt nihil possit, nisi malum; Virtutes morales multorum infidelium, etsi Deo gratæ non fuerint, non tamen damnabiles censendæ sunt. Nam certe ratio & quidem appetitus, seu naturalis inclinatio ad iustum, & honestum, à Deo est, ideo bona & actiones inde procedentes honestæ.

Arbores nō semper malæ.

Non omnia peccata, quæ agunt mali.

VERSVS 34. 35.

Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali, ex abundantia enim cordis os loquitur? Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.

QVÆSTIO I.

An non possint bona loqui mali?

§. 1. PRogenies viperarum venenatâ linguâ semper sibilat; malus mala loquitur, Bona loqui non potest, si naturæ suæ consentaneè loquatur. Potest loqui pia, fortia, plena salutis, verum non ex animo illa procedunt, verba illa laborum sunt, non cordis. De Pharisæorum calumniis agit, quos plenos odio, ira, inuidia, contentione, auaritia, suspicionibus, non mirum erat mala de Christo loqui, hoc erat ex propriis loqui.

Malus ex prauitate sua mala loquitur.

Annis mille iam peractis
Nulla fides est in pactis
Mel in ore, verba lactis
Fel in corde, fraus in factis.

§. 2. Thesaurus bonus est, animus sanctus, virtute præditus. Thesaurus malus animus impius. Alius thesaurus non profertur, nisi qui reconditus est, aut si alius; fucatus ille, & adulterinus est. Si vera sunt bona quæ proferuntur, non ex eo thesauro, sed aliunde procedunt. Thesaurus bonus, bonæ cogitationes: malus, malæ. Non fuit Bezæ causa, cur mutaret, & pro *potestis*, poneret posſetis. In Græco enim eadem mutatio facienda fuisset. Alludit ad verba Ieremiæ 13. 23. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Thesaurus autem in bonam & malam partem accipitur, hinc prouerbio dictum est, θησαυρὸς ἀνθρακες, *Thesaurus carbones: Ex redundantia*, περισσώματος, os loquitur; quamuis autem aliquando dissentiant animis & lingua, horum tamen ea erat malitia, vt bonum de Christo loqui non possent, & si forte id facere viderentur, simulate blandiebantur vt nocerent.

Thesaurus duplex.

Basilius Reg. breu. interrog. 28. Animi vitia non omnia manifesta omnibus sunt, ne ipsi quidem illi, in quo insunt, vt & in corpore. Vt igitur in corporibus, qui harum rerum periti sunt, signa habent quædam occultorum, & illius ipsius, in quibus illi insunt, sensum fallentium morborum: sic similiter in animo etiam, esto qui peccat, is morbum suum ipse non agnoscat, credere tamen Domino debet, qui & ipsi & cæteris similibus affirmauit, malum hominem de malo thesauro suo, corde videlicet, proferre mala. Etenim qui malus est, is bonum aliquod dictum, factumue sæpe numero, etiam si conetur simulare, proferre non potest. Bonus autem vt malum aliquod simulet, hoc vero prorsus fieri non potest. Prouidentes enim bona, inquit, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Loquitur de vtriusque secundum suam animorum dispositionem agentibus.

VERSVS 36.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.

QVÆSTIO I.

An de omni verbo otioso ratio reddenda?

§. 1. COnnexio est facilis. Etenim cum magnates insito superbiæ vitio, facile de pauperibus male contemptimque loquantur, nec id in censu peccatorum computant; Eos enim populi fæces, filios terræ, scurras arbitrantur, famam eorum nullius æstimant, ostendere voluit peccati illius magnitudinem. Si enim de omni verbo otioso reddenda est ratio, quanto magis de malitioso, noxio, detrectato-

Occasio doctrinæ de verbo otioso.

ctatorio, irritatorio, obsceno? Dictionem ἀργὸν aliqua exemplaria omittunt, alia eius loco substituunt, πονηρὸν, *malum:* Verum exemplaria pleraq; habent ἀργὸν, *ociosum*, & ita omnes interpretes, vsusq; Ecclesiæ vt insanum sit velle mutare. Possent quidem Pharisæi ex se coniecturam facere quanti Christo fama fuerit, cũ ipsi admoniti tam atrociter sæuiant: quod hodie etiam fieri videmus; si enim diuitem aut magnatem verbulo offendas, minimum eius vitium, & conspectissimum reprehendas. *Protinus ingentes sunt inimicitiæ.* Illi vero se impune maledicere pauperibus posse putant.

Quid verbũ ociosum. §. 2. Verbum ociosum est, quod nullum honestum finem habet nec profertur, vt vel prosit vel obsit, vel proximo, vel loquenti, nec Dei gloria in eo quæritur. Tertull. de patientia, vana & superuacua colloquia vocat.

§. 3. Hoc verbum in extremo die iudicabitur, & pœna dignum censebitur: quia malum est, cum nec ex natura sua, nec intentione dicentis in bonum finem dirigatur. Ociosa verba reproborum æternùm puniuntur, aliorum, quæ remissa non sunt ipso terrore iudicii imminentis, in illis qui viuunt:

Non saluat sola fides. §. 4. Non solum factorum, sed & dictorum reddenda ratio. Quomodo igitur fieri potest, vt sola fides reddat securos? fideles etiam ociosa verba proferunt, igitur & de illis ratio reddenda est.

§. 5. Bellarminus l. 2. de amissione gratiæ & statu peccati c. 9. Hinc probat esse quædã peccata venialia: De quibusdã peccatis mitius scriptura loquitur quam de aliis vt Matth. 12. de omni verbo ocioso rationem reddent: de aliis ibunt in ignem æternum, si verbum ociosum mille es, millies igniem æternum meretur, si

Esse venialia peccata. vnius verbi ocioſi minima cogitatio tantũ est facinus, & mirum sit propter eam totum mundũ non funditus euersum, Cur non etiã dixit Dominus, ob omne verbũ ociosum homines proiicietur in tenebras exteriores?

„ Obiicit Pareus. [Causa est, cur mitius loquatur
„ scriptura, non venialitas, sed ad alia inæqualitas. Qui
„ non poterunt de vno rationem reddere, ibunt ergo in
„ ignem æternum.]

Respondeo. Iam Beza istam causationem præcidit, si enim tam grauia, scriptura mitius loquens decipit. Rationem reddere, & damnari immani distant interuallo. Si officiosum verbum (inquit Hieronymus) quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur, & in die iudicii redditurus est, vnusquisque rationem sermonum suorum, quanto magis vos qui opera Spiritus S. calumniamini? neque si rationem reddere non poterunt, ibunt in ignem æternum, sed pro ratione delicti punientur, non omnis in ratione error inimicum Deo facit, nec ita sæuit Deus, vt alioqui amicum, & veræ caritati immorientem ob verbulum ociosum æternùm abdicet, & inferorum cruciatibus mancipet.

VERSVS 37.

Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

QVÆSTIO I.

An ex verbis iustificemur & condemnemur?

Verbis iustitia & damnatio. §. 1. MAgnam verborum rationem ducendam esse, Christus terribili illa sententia docuit. Nam ex verbis veris, sanctis iustificabimur, ex impiis, maledicis damnabimur. Quidam putant Pharisæos verborum peccata non æstimasse. Quod hactenus verum puto, vt sua impia & maledica verba in alios parui penderint, non autem, vt in genere negarint, blasphemias, obtrectationes, maledicta, non esse peccata; Christum enim de blasphemia aliquoties accusarunt.

Tertullianus contra Marcion. l. 2. c. 26. *Ex ore tuo,* habet, & hanc doctrinam confitendorum delictorum in Caino initiatam, & nobis exemplum conditum esse docet.

Martinus Delrio etiam aduersariorum iudicio doctissimus, dum exponit illa verba: *Mors & vita in manu linguæ*, hunc etiam locum recte adiungit. *Mors & vita in manu linguæ, hoc est, in arbitrio, potestate, & vsu linguæ. Si bene voles vti, id tibi, hic & in altero sæculo proderit; sin male, sæpe hic, semper ibi futurum exitio. Nonne Christus Dominus asserit? Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis Matth. 12. 37. Et Iacobus frater Domini asserit ex ipso ore benedictionem & maledictionem procedere Epist. canon. 3. 10. supra 13. 2. de fructu oris sui homo satiabitur bonis.*

QVÆSTIO II.

An verba, non sola fides iustificet?

§. 1. ITa Christus pronunciat, si igitur magna sit fides, mala autem verba, iustitiam tollent, damnationis reum facient. Itaque calumniatorem non seruabit sola fides, ex verbis enim suis condemnabitur. Beza respondere conatur. [Iustificaberis δικαιωθήσῃ, id est, absolueris. Opponitur enim τῷ καταδικάζεσθαι. Itaque „ inepti sunt, qui ex hoc loco & similibus conantur o- „ perum iustitiam (id est qualitatem, qua in nobis co- „ ram Deo iusti simus) stabilire: quum iustificari hoc lo- „ co nõ significet iustum fieri, sed iustum declarari. Di- „ uersum autẽ est illud ex quo iusti simus, ab ipsius iusti- „ tiæ testimonio: & Paulus præsertim ex tota scriptura „ testatur nos, quum in nobis iusti non simus, in Christo „ tamen (qui est iustitia nostra) per fidem apprehenso, „ iustificari, id est pro iustis censeri ac proinde absolui.]

Respondeo: Agi hic de vera absolutione, quæ sit in extremo die iudicii, coram Deo, teste & iudice Deo, qua quidem in re omnes conuenerunt omnino. Deinde exponendum est iustificari vel iustum fieri. Vel iustum à Deo iudicari, qua de re iam non disputo, vt vero obtineam quod isti nolunt, ex eorum eos interpretatione conuincam. Iustificari aiunt, iustum pronunciari, cui opponitur condemnari. Deus vero non ex sola fide iustum pronunciat, sed etiam ex verbis, sicut nec ex sola infidelitate condemnat, sed etiam ex verbis, vt patet ex Christi verbis disertissime prolatis. Non ergo ex sola fide iustificat; sed etiam ex verbis. nam iustificare aiunt esse pronunciari iustum.

Nec ad rem est quod ait Beza, diuersum esse id ex quo iusti sumus ab ipsius iustitiæ testimonio. Neque enim nos hoc controuertimus. Quis enim nescit, aliud esse pietatem, aliud testimoniũ pietatis. Sed hoc vrgemus; irrefragabili æternæ veritatis testimonio, nos declarari iustos ex verbis. Hunc enim in modum argumentamur. Ex quo nos Deus declarat iustos, ex eo iusti sumus, ex quo declarat iniustos, ex eo sumus iniusti. Ex verbis nos declarat iustos, vel iniustos, ex eo ergo iusti sumus vel iniusti. Nec respondere possunt; Ex verbis nos censeri quidem iustos, sed non esse: fidem enim imputari pro iustitia. Hæc enim responsio puerliter in se ipsa impingit, seque elidit. Si enim ex verbis iusti censemur, non ergo ex sola fide, sed ex aliquo opere. Illi autem ex sola fide nobis imputari iustitiam contendunt, nec nos censeri coram Deo iustos, nisi ex sola fide. Imo opera omnia esse peccata mortalia, non igitur ex illis iustificari nos posse. Ideo negant nos ex operibus esse iustos, aut censeri iustos. Verba autem, cum de operum iustificatione disceptant, etiam operum nomine comprehendunt.

Hinc apparet quid Christo opponant; ille ait. Ex verbis tuis iustificaberis. Illi vero; Ex nullo peccato mortali vel reipsa iustificaberis, vel iustus à Deo declaraberis. Verba, quantumuis sancta, sunt peccata

morta-

quotralia, non igitur ex illis iustificaberis, vel reipsa vel iudicis sententia.

Absolutio figurata.

§. 2. Aliud etiam effugium Caluinus inuenit. Iustificari nos ait ex dictis; quia purus sermo nos absoluit ne deprehendamur in lingua nostra improbi.

Non est obscura depravatio scripturæ, qua tamen suas hæreses Caluinus torquet. Non enim purus sermo nos tantum absoluit, ne deprehendamur lingua improbi, sed etiam silentium; sermo igitur purus absolutionem meretur, non modo amolitione sermonis mali, sed etiam aliquo suo bono, ex quo iustificamur. Deinde quis sermo purus adeo esse potest, vt absoluat nos ne lingua deprehendamur improbi, cum ex hæresi blasphema Caluinianorum, omnis sermo purissimus, purissime prolatus millies millies ignem mereatur æternum? pugnat igitur secum & segetes suas exuit hæresiarcha, aliter hac de re alii sentiunt. Chytreus, bona verba & salutaria dicentem præmiis ornandum profitetur.

§. 3. Quod vero Musculus in locis communibus de iustificat ait verba non reddere sed declarare iustum, vel iniustum, falsum est. Nam verba iusta, plena salutis loquentem iustum, amplius iustificant. Verba blasphema non declarant modo, sed omnino reddunt iniustum, adeo vt nec ipsos Pharisæos tam delire improbos fuisse putem, vt calumnijs reddi homines iniustos negarent.

VERSVS 38.

Tunc responderunt ei quidam de scribis & Pharisæis, dicentes: magister, volumus à te signum videre.

QVÆSTIO I.

Cur signum quærunt?

Petunt impertinenter.

§. 1. IMpudens & maligna signi postulatio fuit. Quasi hactenus nulla edidisset. Itaque omnia vetera in dubium vocant. Nouum aliquod, quale fuit Mosis, Samuelis, Heliæ exposcunt. Θέλομεν volumus Beza vertit velimus; causam addit, quod *volumus, nimiùm imperiosè dictum videatur.* Magna illi cura est, ne superbissimi hominum imperiosè egisse videantur, adeo vt ea causa Spiritum sanctum corrigendum puter.

§. 2. Melanchthon signum certitudinis de salute eos quæsisse putat. *Signum, inquit, quærimus, qui certi esse volumus de salute nostra, vt solet tentatio prædestinationis, vt solet vulgaris etiam omnium affectus quod est blasphemia.*

Omnia sic licet certitudinem illis sonant mirum ni Caluiniani fuerint. Non petiisse signum certitudinis de sua salute ex eo constat, quia tentantes quærunt. Deinde signum quærunt, non quo testetur eos iustos, fideles, electos esse, sed qua probet se Messiam esse. Nam id ex textu constat, à Christo signum electionis quomodo peterent, qui eum enim vt veneficum perdere cupiebant, qui non ignorabant se ab eo pro improbissimis haberi? Qui Dei ignarum, legi inimicum esse putarunt? Deinde quale signum prædestinationis vnum omnibus, an singula singulis?

VERSVS 39.

Qui respondens ait illis, Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.

QVÆSTIO I.

An non aliud signum quam Ionæ Prophetæ datum?

§. 1. GEneratio μοιχαλὶς adultera vocatur, vt Isa. 57. 3. Vocantur adulteri qui à Deo deficiunt, iidem etiam dicuntur filii alienæ. בני נכר *beni nachar.* Etsi enim filii Abrahæ, & hæredes ex fœdere censebantur, quia tamen degeneres, in fide Abrahæ non steterunt, quasi illegitimi hæreditatis erciscundæ iure priuantur. Beza adulterinam vocat, patetque degeneres esse, & spurios, non adulteros. Equidem non negarim vtrumque de illis dici verissime. Verum μοιχαλὶς idem quod μοιχὰς adultera. & Syrus רגירתא *vegaieratha*, sic & Chald. Prou. 30. *adulteram* significat.

Cur adulterina natio.

§. 2. Plura in posterum signa fecit: Verum non dabitur signum, de cœlo, quale ipsi poscebant. Marci 8. 11. *Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum.* & Luc. 11. 16. *Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.* Certum igitur genus signi petebant, quod ipse negabat. Nam tonitrua, & fulgura, & pluuias facilius tam calumniari poterant, quam sanitates & curationes.

Signum de cœlo petunt.

§. 3. Promittitur quidem signum Ionæ, sed comparatio in eo fit, quod Ionas & filius hominis tribus diebus futuri sint hic in corde terræ, ille in ventre ceti, quod non est de cœlo signum. Duæ responsiones dari possunt. Nam negari omnino signum de cœlo: dicere possumus, & dari signum de terra. vel sane etiam in Christi passione, sepulturaque signa de cœlo data esse; Nam sol obscuratus est, tenebræ factæ sunt, angelus lapidem remouit cœlo veniens.

Quidam interpretantur, non dandum signum ad iniquam eorum postulationem. Sed Christi benignitate, superbe enim & imperiose, quasi debitum signum poscunt. *Volumus à te signum videre.* Ionas ipse signum fuit, & Niniuitis historiam casus sui retulit.

VERSVS 40.

Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

QVÆSTIO I.

An filius hominis tribus diebus & tribus noctibus fuerit in corde terræ?

§. 1. COr terræ non esse sepulchrum: Id enim in petra excisum in superficie terræ constitit, multi sentiunt. sed potius infernum, vbi lymbus patrum constitutus est, ille enim prope inferos fuit, hoc est centrum terræ. Multi tamen sepulchrum fuisse putant.

§. 2. Ad passionis expositionem proprie pertinet. Quia tamen difficultas hic mouetur, solui etiam debet. Constat sane non tres integros dies aut noctes fuisse in sepulchro, & consequenter nec animam in lymbo. Post nonam sepultus est feria sexta, die Dominico mane resurrexit. Per synecdochen itaque tres dies nominantur, quia aliqua parte dierum in sepulchro fuit; postrema parte feriæ sextæ integro die Sabbati, initio diei Dominicæ. Ea quidem ratione de diebus res facilis explicatu est. De tribus noctibus maior est difficultas. Nulla enim nox alia inueniri potest, quam ea quæ interedit inter diem feriæ sextæ & sabbatum,

Dies naturalis etiam plectitur.

batum, & inter sabbatum & diem Dominicum. Quia tamen noctes sunt partes diei naturalis, accipiuntur eodem modo quo dies. Dies enim naturalis constat integra Solis reuolutione, lucem & tenebras complexus, itaque cum in rectium diem naturalem dicitur fuisse in corde terræ, non sunt noctes separandæ. Cui tamen obstare videtur aperta distinctio dierum & noctium. Dies enim naturalis dicitur, qui continet dies & noctes, sed Dominus diserte illas distinguit, verum noctes vt diei appendices adiungendæ sunt. Communis hæc est interpretatio, & Augustini q. Euang. cap. 7. *Sexta feria diei partem qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte & die accipias, hoc est, pro toto die: sabbati noctem & diem, & noctem Dominicam cum eodem die illucescente: ac per hoc accipiendo partem pro toto habes triduum & tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantes, nouem sunt pleni: sed initium decimi pro toto accipitur. Et quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies factum dicit vnus Euangelista: alter vero post octo dies dicit: partem posteriorem primi diei in quo futurum hoc Dominus promisit, & partem priorem nouissimi diei in quo completum est quod promisit, pro totis atque integris diebus annumerans: vt intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui vere toti atque integri completi sunt.*

VERSVS 41.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quam Ionas hic.

QVÆSTIO I.

An Niniuitæ iudices Israelitarum futuri sint?

Niniuitæ iudices impœnitentiæ.

§.1. IVdicium comparationis est; illi enim Ionam audierunt, miracula non facientem; hi Christum contempserunt. Hil. in Psalm. 2. *Tales erunt iudices terræ: quorum comparatione fidei ac timoris impœnitentes impiosque condemnet. Si enim pœnitentia Niniuitarum ex Ionæ prædicatione suscepta fructum adepta est pœnitendi: necesse est obediens eorum pœnitentia insolentem horum impœnitentiam iudicet. Aut regina Austri ex vltimis partibus terræ desideratam Salomonis sapientiam audiens, nonne infidelitatem & incuriam præsentium auditione peregrina damnabit? cum tamen inobedientiæ atque inaudientiæ iudicium differens à Salomone atque Iona Christus autor adcumulet. Absolute autem hos esse iudices terræ Apostolus demonstrat dicens: An nescitis quia sancti mundum iudicabunt, & in vobis iudicabitur mundus? quum per meritum adeptæ beatitudinis, criminosorum vitam sanctitas comparata condemnet.* Eodem modo Augustin. lib. 2. de ciuitat. cap. 5. Irridebant hoc Pagani miraculum apud S. Augustinum epist. 49. & 50. ad Deo gratias. *Postrema quæstio proposita est de Iona, nec ipsa quasi ex Porphyrio, sed tanquam ex irrisione Paganorum: sic enim posita est. Deinde quid sentire, inquit, debemus de Iona, qui dicitur in ventre ceti triduo fuisse, quod ἀπίθανον est, & incredibile, transuoratum, cum veste hominem, fuisse in corde piscis. Aut si figura est, hanc dignaberis pandere. Deinde quid sibi etiam illud vult, supra euomitum Ionam cucurbitam natam, quid causæ fuit, vt hæc nasceretur. Hoc enim genus quæstionis, multo cachinno à Paganis grauiter irrisum animaduerti. Ad hoc respondetur, quod aut omnia diuina miracula credenda non sint: aut hoc cur non credatur causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexit, non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum.*

§.2. Condemnandos suos Caluinianos à Niniuitis Bullingerus firmo argumento demonstrat. [Transferamus hæc ad nostra tempora, & applicemus nobis Domini hæc iudicia, vt appareat quam in periculoso versemur sæculo, & quantopere nobis impendus Dei ira sit metuenda. Prædicatur nobis hodie Euangelium, offertur vita beata gratis per fidem Iesu Christi, interim nihil aliud postulatur à nobis, quam obedientia, puritas, & honestas vitæ, vt calcatis prauis affectibus recte sapiamus. Verum sanctam hanc & diuinam postulationem strenue nec minus contumaciter contemnimus. Iudicabimur ergo & nos à Niniuitis & regina Austri. Nihil nunc dico de persecutoribus & oppressoribus diuinæ sapientiæ, de nostris loquor qui volunt videri euangelicissimi. Videas enim agricolas nostros pessime transigere dies diuinitus sapientiæ consecratos, sabbata. Alius mauult farcimina deuorare, vinum potare, & rebus se oblectare vanis & noxiis, quam salutarem verbi Dei tractationem audire, in cœtum venire sanctum, & supplicia, vota & gratias omnipotenti cum tota offerre Ecclesia. Ciues & oppidani non minus prophani & impii sunt. Cùrant enim res suas, merces suas componunt, peregre negotiatum abeunt, vel domi occupantur rebus prophanis, conciones sacras negligunt. Quod si semel & iterum templa Christi ingrediuntur, domi saccis suis reclusum relinquunt animum, ipsi in cœtu sacro ceu idola amentia astant. Non perpendunt quæ ipsis dicuntur de iustitia, charitate, temperantia, de contemnendo mundo, de vera fide, pœnitentia & beneficentia. Quod si minister grauius contrectet vlcera ipsorum, auaritiam, vsuram, furta, rapinas, ob quam hic saliunt molles isti mercatores, impostores & publicani. Si adulteris, scortatoribus, Apitiis, & potatoribus, vitam opprobret porcinam, mores plusquam spurios, & fœditates plusquam diabolicas, mirum quam hic glunniant porci, latrent canes, quam impudenter & confidenter valedicant Christi euangelio. Nobiles vero & aulici isti vix homines, sed semidei, immo semiferæ, mag s rapto viuentes, Deoque ipsi & sapientiæ eius dicam scribentes, vel indignum se prorosumque putant suæ nobilitati illustrique maiestati (rectius dicerent densissimæ tenebricitati ac extremæ vanitati) audire conciones sacras: vel concionatori præscribunt quid & quatenus doceat, moneat & accuset: ne non participes fiant illius increpationis, quæ in hæc verba apud Isaiam in 30. cap. legitur. Populus iste est rebell.s, & filii nothi ac spurii, filii qui renuunt audire legem Domini. Siquidem dicunt videntibus (episcopis siue pastoribus,) nolite videre: & vigilibus, nolite nobis prospicere recta: sed loquimini nobis blanda, videte errores. Doctuli nostri & quorum aures Ciceroniana phrasi molliores & delicatiores factæ sunt, hui quam offenduntur ad scabrum istum & parum suauitatis habentem stilum Bibliorum. His admodum graue est audire agrestem, simplicem, & probum aliquem concionatorem, nihil aliud proponentem quam simplices istos & inculctos Prophetarum & Apostolorum eâdem subinde chorda oberrantes, de fide, charitate & innocentia, eiectos potius ac extemporarios quam compositos profluentesue sermones: legunt ergo poetas interim dum prædicatur verbum Domini, ne non habeant semper similes labra lactucas, lenonesque legant & audiant lenonum Patriarchas. Non de omnibus loquor poetis, neque de omnibus poetarum lectoribus, sed de nimiis Ethnicismi admiratoribus, verubique Christi contemptoribus. Principes vero diuinam sapientiam segniter audiunt, segnius sapientiæ studia

studia iuuant atque promouent, imo opes & facultates Ecclesiæ destinatas, quasi alerentur studiosi diuinæ sapientiæ, turpiter ipsi prodigunt alea, pompa, luxu aulico, bellis, equis, bombardis & apparatu bellico parando, quasi non magis victoria speranda sit ex diuina sapientia quam ex potentia humana. Quid de Monachis dicam & sacerdotibus, qui & ipsi turpiter abutuntur bonis ecclesiasticis ad oppressionem veræ, diuinæ & cœlestis sapientiæ? Hi omnium grauissime peccant contra Dominum. Nisi ergo tam aduersarii quam amici veritatis ac diuinæ sapientiæ ardentiori zelo & sectentur sapientiam & sapientiæ studia promoueant, grauissimas impietatis & ingratitudinis pœnas dabunt vltori Deo, qui ab initio mundi contemptum verbi sui cœlestisque sapientiæ semper grauissime puniuit.] Cætera non improbo; Monachos bonos, & sacerdotes Catholicos vti bonis Ecclesiæ ad veritatem propagandam non dubito. Errat tamen toto cœlo Bullingerus, non enim vel nostra, vel eius sententia illi quos reprehendit tam seuere, delinquunt. Nostra quidem sententia minus delinquunt, res suas curando, quam hæreses & blasphemias prædicantum audiendo. Ipse vero nos ita agere docuit. Nam adire templa, audire concionatores etiam Euangelicissimos, ex Bullingeri opinione est peccatum mortale natura sua, vt est omne opus bonum. Hoc peccatum mortale quod millies millies gehennam meretur, vt censet Bezа, si reprobi sint, illis imputatur.

Sequitur q, minas, & atrocia verba
Supplicium, fixo non euitabile fato.

Imo ex Bullingero & eius Parastatis didicere, prædicationem ad maiorem ipsorum excæcationem, pœnamque à Deo institutam, nec posse se vnquam conuerti. Si vero electos esse se fiduciantur. Nihil earum minarum ad se pertinere didicerunt. Quando quidem siue deuorent farcimina, vt ait Bullingerus, siue Ministrorum sututas & blasphemias, nihil illis imputatur. Non enim sunt sub lege. Nec illis Deus irascitur. Malunt autem plerique τὴν ἀδοπάθειαν fruitionem voluptatis, quam fastidiosam ministri loquentiam. Cum suum sit aurium supplicium: male compositas audire nugas.

VERSVS 42.

Regina Austri surget in iudicio generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic.

QVÆSTIO I.

Quæ Regina Austri?

Vnde Regina Saba? §. 1. REg. 10. & 2. Paralip. 9. 19. Saba alia est Asiatica, alia trans Ægyptum Lybica, seu Æthiopica, quia dicitur venisse à finibus terræ, non videtur fuisse illa Arabica, quæ vicina est Iudææ.

§. 2. Quomodo iudicatura sit ostendit S. Basilius homilia in Psalm. 7. *Est & alia significatio ex hac voce (iudicare) vt ait Dominus: Regina Austri exurget & condemnabit generationem hanc. Eos enim qui doctrinam diuinam auersantur quique à se amoliuntur studia honesti ac virtutis & sapientiæ dogmata plena bonæ eruditionis fastidienter a se prorsus ablegarunt, eorum comparatione simul & collatione, qui in generatione suorum gentilium rerum bonarum studio excelluerunt, grauiorem astruit daturos esse pœnam, eorum gratia qua neglectim transmiserunt. Credo equidem non gentes similem relaturos esse sententiam ab æquissimo illo iudice, quot quot hoc terrestre corpus receperint: quod externi isti casus qui cuique nostrum contingunt, non paruo discrimine à se disideant: quo fit vt dissimilem quisque sententiam sit relaturus. Qui enim concurrunt casus non à nobis quidem profecti, sed vel inuitos circumstant, aut peccata nostra degrauant, aut leuiora efficiunt.*

Adami Conæi in Euang. Tom. I.

Vincentius putat Arabicam esse, ex Sabæa Asiatica, ad libros Regum quæstio pertinet.

VERSVS 43.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulans per loca arida quærens requiem, & non inuenit.

QVÆSTIO I.

Quo pertinet comparatio hominis à dæmone liberati, & iterum obsessi?

§. 1. ADinanem Iudæorum iactantiam retundendam. Minatus erat Iudæis non modo exitium, sed etiam Iudices exteros. Ninuitas & Reginam Sabæam, quos præ se illi contemnebant, fœdere Dei, & electione suæ nationis inflati. Quia enim Dei beneficiis assueti erant, illa sibi perpetua pollicebantur. Christus vero ex his ipsis demonstrat grauius eos iudicium subituros. Quemadmodum energumenus, si postquam Dei beneficio à dæmone tortore liberatus est, sibique redditus, si id agat, vt iterum sub eius potestatem redeat, ob ingratitudinem & culpam grauius punitur. Ita quoque huic generationi erit. Deus eam ab idolis liberauit, deinde à Pharaone, à variis periculis, & tyrannis, tandem filium misit, at illi obliti beneficentiæ diuinæ, nouis semper sceleribus nouas pœnas accersunt. Itaque posteriora deteriora erunt; quia nec cladibus prioribus nec beneficiis cauerent, ne essent peiores auis. Cladem itaque quam ab Romanis passuri erant, hodieque patiuntur, & æternum exitium prædicit. Peiores vero Iudæi erant illis, qui legem non acceperant. Dominus sane maledicentissimæ calumniæ veram prædicationem opponit: dixerunt illi, In Beelzebub eiicere Christum dæmonia. Respondet ille: dæmonem eiectum ab ea generatione, aliis septem comitatum rediturum, imo iam rediisse.

Iudæi frustra de genere superbiunt.

QVÆSTIO II.

Quæ loca arida?

§. 1. ALii fidelium, alii infidelium pectora arbitrantur. Græcus vocat τόπους ἀνύδρους, quod noster vertere solet *inaquosa:* Dæmon expulsus horret loca arida, seu solitudines; quia obesse nulli potest, vbi nemo est. Videtur autem similitudo sumpta ab eis, qui uitus colit: domo pulsi. Vndique loca habitationi idonea conquirunt: cum vero omnibus cultis, vt quæ possessores suos habent, pellantur, solitudines obeunt, si forte aliquam plagam fertilem inueniant.

Solitudine dæmon inest.

§. 2. Cur locis aridis & solis inhæreat dæmon, quæri solet. Id ita esse, docent Sagarum confessiones, multaque acta iudicum. Ego existimo dæmonem frequentiam, & negociorum inter homines celebritatem maxime confectari: nam sine suo periculo, maximo eorum damno inter eos versari potest. Solitudinem tamen plurimis dæmonum infestati experientia docet: sed magna Dei misericordia fieri non est dubium, vt impiorum spirituum potissima pars ab hominum consortio arceatur, & rabiem suam inuidiamque in deserto consumat. Sic videmus fulmina in

montes, & inuias syluas crebro, raro autem in vrbes incidere.

§. 3. Beza impie ad Monachos in Eremo agentes refert, quæ refutat præceptor meus Nicolaus Serarius in cap. 8. Tob. q. 9. *Et eiusmodi loca indicauit etiam Dominus, cum Matth. 12. vers. 43. eiectum dæmonem dixit ambulare δι' ἀνύδρων τόπων, per arida & inaquosa loca. Obseruant & hoc etiamnum, hoc tempore, sacri Exorcistæ, vt vel in imum inferorum barathrum, vel in tesquas & horridas quasdam solitudines dæmonia, quibus egressum imperant; ablegent, vbi ab hominum cœtu absint quam longissime, minoremque illis perniciem afferant. Quemadmodum leones, pardos, tygrides, aliasque id genus feras procul à nobis, in saltus, spelunca sque amandauit Deus; sic & dæmonum multitudinem maximam, salutis nostræ causa, in arenas & damnata quædam sola eiecit. Quo factum, vt de S. Antonio, Macario, aliisque veteribus eremorum sanctissimis incolis (quemadmodum à S. Athanasio loco citato, Palladio c. 20. Cassiano collat. 7. cap. 23. traditum) grauiter quererentur dæmones, quòd homines isti loca inuaderent, in eaque Christi Iesu crucem & cultum inferrent. Quo detestabilior Beza in Matthæi cap. 12. vers. 43. calumnia est scribentis: Quantum, in incultis & squalidis locis, valeant Satanica præstigiæ, docent mala per eremitas & monachos iampridem in Ecclesiam inuecta. Sed qui Christi Domini virtute, gratia, & cruce armati, æternum dæmonibus bellum indicere, in domum fortis intrare, ipsiusque vasa diripere ausi sint, quæ inuehere mala potuerunt? Exultiantur historiæ veteres, & per Eremitas, Monachosque in barbaros immanesque populos quam plurimos, adeoq; hanc in Germaniam nostram, Christianam fidem importatam, Euangelium propagatum, baptismum, cæteraque pietatis nostræ mysteria illata comperiemus. hæccine mala sunt? Hæretico scilicet mala. quia omnia hæc penitus sublata, vel certe non nisi deprauata & eneruata vult, mala inquam Satanæ administro, crucis Christi aduersario, gehennæ lenoni, & nisi respiscat; æternarum flammarum pabulo.*

Calumnia Bezæ.

VERSVS 43. 44. 45.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Reuertar in domũ meam vnde exiui. Et veniens inuenit eã vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

QVÆSTIO I.

Quomodo redeat?

§. 1. DE spiritu loquitur, vt de homine, qui domo pulsus inquirit, quibus terris considere valeat, quam cum inuenerit, dicitur quiescere: non quod spiritui vlla possit contingere, vel sperari requies, cum immania perpetuo tormenta secum deferat; sed quod eius requies sit, posse aliorum quietem tollere. Acquiescit odium cum nocere potest, inuidia cum alios miseros facit. Hanc malitiæ quietem inuenire non potest, in solis desertisque locis, ideo ad antiquos sedes reuertitur. De eius in homines odio curaque nocendi, Vide Delrium nostrum in proloquio disquisitionum magicarum.

Quies dæmonis est nocendi facultas.

§. 2. Domus sine dubio est homo, quam antè spiritus immundus insederat. Quod autem vacuam inuenit, σχολάζοντα ociantem, non ab alio occupatam, emundatam, & ornatam, non indicat: hominem ullum virtutum cultura instructum fuisse, sed ad excipiendum hospitem expeditum, & paratum, quemadmodum si hostis vrbem epulantem offendat, capiatque.

§. 3. Manet in eadem similitudine Christus. Nam hostis postquam speculatus est locum idoneum, & obtentu facilem, de eo retinendo cogitat, fœdera contrahit, & auxilia cogit, atque belli commoda partitur cum aliis, vt se eorum præsidio muniant. Plures enim difficilius pelluntur, quam pauci, aut vnus. Sic inquit erit huic generationi pessimæ, plures enim eam dæmones opprimunt.

VERSVS 46.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

QVÆSTIO I.

Qui fratres Christi?

§. 1. HEluidius filios B. Virginis esse finxit. quare cap. 1. disputaui. Quomodo matrem habuerit, ostendit Augustin. epist. 38. *Itane matrem terrenam non habebat imperator tuus? Quæ tamen cum ei nunciaretur agenti cœlestia, respondit: Quæ mater mihi, aut qui fratres? Et extendens manum in discipulos suos, dixit, non pertinere ad cognationem suam, nisi qui facerent voluntatem patris eius. In quo numero profectò etiam ipsam sanctam Mariam benignus imlusit: faciebat enim & illa voluntatem patris eius. Ita magister atque diuinus, & maternum nomen, quod ei quasi priuatum propriumque nunciauerant, quia terrenum erat, in comparatione cœlestis propinquitatis abiecit: & eandem cœlestem propinquitatem, in discipulis suis commemorans, quo sibi rursum consortio generis, cum cæteris sanctis virgo illa cohæreret, ostendit. Et ne isto saluberrimo magisterio, quo contemni carnalem affectum in parentibus docuit, adminiculum error acciperet, quo matrem habuisse id quibusdam negatur, alto loco discipulos monuit, ne se patrem in terris dicant habere, vt quomodo illos manifestum est habuisse patres, sic se habuisse matrem manifestaret, cuius tamen terrena cognatione contempta, contemnendarum talium necessitudinum discipulis præberet exemplum.* Quidam fratres Iosephi esse putant, quos contra aliàs egi.

Matrem habuerit.

Cognatio spiritalis præponenda carnali.

§. 2. Non sunt ingressi præ turba, vt ait Lucas. Causam exponit Marcus cap. 3. 21. dicebant enim in furorem versus est, & volebant in eum mittere manum. Quod neque ipsa matre, nec omnibus cognatis, sed aliquibus dicendum est. Alii vero cognatos id egisse, vt eum de manibus Pharisæorum liberarent.

§. 3. Humanam eius naturam quidam ex eo negarunt, quos contra Tertullian. lib. 4. aduersus Marcionem. *Superest & inspicere sensum non simpliciter pronunciantis, quæ mihi mater aut fratres? Quasi ad generis, & nationalitatis negationem: sed & ex causa necessitate, & conditione rationali. Tam proximas enim personas foris stare exspectantes intus defixis ad sermones eius, amplius & alacriter cum à solenni opere quærentes, merito indignatus est, non tam abnegauit quam abdicauit. Atque adeo cum præmisisset: Quæ mihi mater, & qui mihi fratres? subiungens, nisi qui audiunt verba mea & faciunt ea, transtulit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide indicauit.*

Opportunitatis negationem.

Nemo

Nemo autem transferè quid, nisi ab eo qui habet id quod transfert. Si ergo matrem & fratres eos fecit qui non erant; quomodo negauit eos qui erant? meritorum scilicet conditione, non ex proximorum negatione: in semetipso dicens, Qui patrem aut matrem aut fratres proponeret verbo Dei, non esse dignum discipulum. Ceterum ex hoc magis matrem & fratres confitebatur, quod illos nolebat agnoscere: quod alios adoptabat, confirmabat quos ex offensa negauit, quibus non vt veriores substituit; sed vt digniores. Denique nihil magnum, si fidem sanguini præposuit, quem non habebat.

Idem habet Augustin. lib. contra Manichæos cap. 15. *Sed dicunè, quare ergo negauit matrem suam, quando ei dixit: Quid mihi & tibi est mulier. Et quando cum ei nunciata esset, quod eum vellet videre, respondit, quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? ac hos potius in hunc affectum computauit, qui facerent voluntatem Patris eius? Quia exemplo suo iam docebat negandos esse terrenos parentes propter Deum. Opera enim diuina facienti, terrenus affectus obstrepere non debebat. Nam si propterea non habebat matrem, quia negauit matrem, nec Petrus & cæteri Apostoli habebant patres, quia monuit eos dicens: Et patrem ne vocaueritis vobis super terram; Vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Quod ergo eos monuit de patre terreno, hoc de matre prior fecit. Hoc ergo dicimus, sapientiam Dei suscipiendo hominem non esse coinquinatam, sed misericorditer ob hominum salutem hominem suscepisse, vt fieret, sicut Apostolus dicit Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.*

Diuinis rebus cognatio non debet obstrepere.

§. 4. Quomodo porro non matrem negauerit, sed cur ita responderit causam reddit S. Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 3. *Scriptum est in Euangelio, quod mater & fratres Christi hoc est consanguinei carnis eius, cum illis nunciati fuissent & foris expectarent, quia non possent eum adire præ turba, ille respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait: Hi sunt fratres mei, & quicunque fecerit voluntatem patris mei, ipse mihi frater & mater & soror est. Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præponere: nec inde beatos esse homines, si iusta & sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrina ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem.*

Oratio Christi proponendæ tarnali.

§. 5. Sanctus vero Basilius eius diuinitatem contra Eunomium tuetur. lib. 2. aduersus Eunomium. ὁ γὰρ πατροκῶς βλάπτων θεὸν, καὶ τὸν τοῦ Ἰωβ λόγον, οὐχ ὁμοίως τοῖς πεβώλους καὶ τὸν ὑὸν ἐτεκνώσατο. ἢ εἰ τῷτο λέγειν πελμήσουσιν, ὥστε ἐν τῇ πίστει καὶ τῷ οὐσίαν τῆς θεότητος ὀνομάζειν, πάντως ἁμαρτάνουσι πρὸς αὐτοὺς ἀπαλλάξαι λόγον, εἰς φανερὰν ἐπαισχυντίαν τῶν βλασφημιῶν προαγαγόντες. ἐὰν δὲ ὅτε μὲν πατὴρ πάντων ἡμῶν λέγηται ὁ Θεὸς, καὶ τῶν αὐτὸν τρόπον ἡμῖν πατὴρ καὶ μονογενοῦς ἐστι πατὴρ. εἰ ἦν πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, ὁ κύριος προσαγορεύεται, τάχα αὐτοὺς παιδοτριβεῖ πρὸς ἀνθρωπίνην διδασκόμενον ὁμολογίαν, ὅτι καὶ μητέρας ἔχουσι καὶ ἀδελφοὺς ὁ κύριος, τοὺς ἐκ τῶν ἔργων τὴν ἀρετὴν ἀκριβοῦντας προσαγορεύει. τίς γάρ ἐστι, φησὶν, ἡ μήτηρ μου, καὶ οἱ ἀδελφοί μου; ἀλλ' οἱ ποιοῦντες τὸ θέλημα τὸ πατρός μου τὸ ἐν οὐρανοῖς. ὥστε πατὴρ ἡμῶν ὁ Θεὸς, κατὰ χάριν καὶ υἱοθεσίαν, οὐκ ἐκ μεταφορᾶς. ἀλλὰ κυρίως, καὶ πρώτως καὶ ἀληθινῶς ὀνομάζεται. Νοῦ τῶν σωματικῶν γονέων, εἰς τὸ ἡμᾶς ὄντας μεταφύγωμεν, καὶ τὰς κηδεμονίας προσικειώμεθα. εἰ δὲ ἡμῶν τῶν χαλκῶν, τὴν ὑποθέσεως ἡξιωμένων ἀληθῶς κεκλῆσθαι πατὴρ ὁ Θεὸς, ἵνα ἀφαιρεθῇ τὸν λόγον ἐκ τῆς φύσεως υἱὸς καὶ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ προελήλυθεν, μὴ ἔχει πρεπόντως αὐτὸν πατέρα προσαγορεύεσθαι. Qui enim genuit guttas roris secundum verba Iob, non eodem modo guttas & filium genuit. Aut si hoc dicere audebunt, vt æquali ordine substantiam quoq; roris filium nominent, ab omni nos ad eos oratione liberabunt, cum ad manifestissimam impudentiam blasphemiam prouexerint. Non enim cum omnium nostrum pater Deus dicitur, eodem modo noster ac vnigeniti est pater. Quod si quoniam primogenitus totius creaturæ, & primogenitus in multis fratribus Dominus appellatur, ad impietatem id ipsos doctos redigit: doctiores ab Euangelio fiant, quod matres etiam & fratres suos, eos Dominus appellat, qui ex virtutis operibus sibi coniuncti sunt. Quænam est enim mater mea, inquit, & qui sunt fratres mei? qui faciunt voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quare pater noster est Deus, non abusione aut translatione, sed propriè primo & vere dictus, cum per hos corporeos parentes à nihilo nos ad esse produxerit, & curet sibi adiungere: quod si noster, qui per gratiam adoptati sumus, vere vocatus est pater Deus, quæ ratio prohibebit, ne naturalis filii, & qui ex substantia eius prouenit, merito pater appelletur?

§. 6. Basilius lib. 2. aduersus Eunomium probat recte Christum dici proprie filium, & Deum patrem. *Quod si quoniam primogenitus totius creaturæ, & primogenitus in multis fratribus Dominus appellatur, ad impietatem id ipsos doctos redigit: doctiores ab Euangelio fiant, quod matres etiam & fratres suos, eos Dominus appellat, qui ex virtutis operibus sibi coniuncti sunt. Quænam est enim mater mea, inquit, & qui sunt fratres mei? qui faciunt voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quare pater noster est Deus, non abusione aut translatione, sed proprie primo & vere dictus, cum per hos corporeos parentes à nihilo nos ad esse produxerit, & curet sibi adiungere: quod si noster, qui per gratiam adoptati sumus, vere vocatus est pater Deus, quæ ratio prohibebit, ne naturalis filii, & qui ex substantia eius prouenit, merito pater appelletur.* Christi fratres.

§. 7. De matre à Christo non negata, vide Tertullianum lib. de carne Christi cap. 7. Augustin. de sancta Virg. c. 3. & de fide contra Manichæos. Chrysostom. homil. 45. in Matthæum. Sed insignis est Tertulliani contra Apellem, & Marcionem argumentatio. *Primò quidem nunquam quisquam adnunciasset illi matrem & fratres eius foris stare, qui non certus esset habere illum matrem & fratres, & ipsos esse quos tunc nuntiabat, vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos. Licet propterea abstulerint hæreses ista de Euangelio, quod & creditum patrem eius Ioseph fabrum, & matrem Mariam, & fratres, & sorores eius optime notos sibi esse dicebant, qui mirabantur doctrinam eius. Sed tentandi gratia nuntiauerant ei matrem & fratres, quos non habebat. Hoc quidem scriptura non dicit, alias non tacens, quum quid tentationis gratia factum est circa eum: Ecce, inquit, surrexit legisdoctor tentans eum. Et alibi: Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes. Quod nemo prohibebat hic quoque significari tentandi gratia factum. Non recipio, quod extra scripturam de tuo infers. Dehinc materia tentationis debet subesse, quid tentandum putauerunt in illo, vtique natus ne esset, an non? Si enim hoc negauit responsio eius, hoc captauit nuntiatio tentatoris. Sed nulla tentatio tendens ad agnitionem eius, de quo dubitando tentat, ita subito procedit, vt non ante præcedat quæstio, quæ dubitationem inferens cogat tentationem. Porro si nusquam de natiuitate Christi volutatum est, quid tu argumentaris, voluisse illos per tentationem scisciari quod nunquam produxerunt in quæstionem? Eo adiecimus, etiam si tentandus esset de natiuitate, non vtique hoc modo tentaretur, earum personarum adnuntiatione, quam poterant etiam nato Christo non fuisse. Omnes nascimur, & tamen non omnes aut fratres habemus aut matrem. Adhuc potest & patrem magis habere quam matrem & auunculos magis quam fratres: adeo non competit tentatio natiuitatis, quam licebat & sine matris, & sine fratrum nominatione constare; facilius plane est, vt certi illum & matrem & fratres habere diuinitatem potius tentauerint eius quam natiuitatem, an intus agens, sciret quid foris esset, mendacio petitus præsentiæ eorum, qui in præsentis non erant, nisi quod etsi vacuisset tentationis ingenium, poterat euenire, vt* Hæretici de matre Iesu abstulerunt.

quos illi nuntiabant foris stare, ille eos sciret absentes esse, vel valetudinis, vel negotii, vel peregrinationis nota iam necessitate. Nemo tentat eo modo, quo posse se sciat ruborem tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis competente, liberatur simplicitas nuntiatoris, quod vere mater & fratres eius superuenissent. Sed quæ ratio responsi matrem & fratres ad præsens negantis, discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderunt in illum, sicut & in Euangelio ante Marcionem edito continetur. Mater æque non demonstratur adhæsisse illi, cum Martha & Maria alia in commercio eius frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum, cum is doceret viam vitæ, cum Dei regnum prædicaret, cum languoribus & vitiis medendis operaretur, extraneis defixis in illum, tam proximi aberant. Denique superueniunt, & foris substiterunt, nec introeunt, non computantes scilicet quid intus ageretur, nec sustinent saltem, quasi necessariis aliquid adferrent eo quod ille tum maxime agebat, sed amplius interpellant, & à tanto opere reuocatum volunt. Oro te Apelles, vel tu Marcion, si forte tabula ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuncio auocareris, nonne dixisses, quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans & probans Christus, Legem & Prophetas adimplens, tanti retro aui caliginem dispargens, indigne vsus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere reuocantium? Cetorum ad negandam natiuitatem, alius necessarius fuisset ei locus, & tempus, & ordo sermonis, non eius qui possit pronunciari etiam ab eo, cui & mater esset & fratres, quum indignatio parentes non neget, sed obiurget. Denique potiores fecit alios, & meritum prælationis ostendens, audientiam scilicet verbi, demonstrat qua conditione negauerit matrem. Quâ enim alios sibi adoptauit, qui ei adhærebant, eâ abnegauit illos, qui ab eo absistebant. Solet etiam id implere Christus quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nunciata matre & fraternitate desereret? Negauit itaq; parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.

QVÆSTIO I.

An mater Christi honoranda sit?

Hæretici negant matrē Dei esse magnæ prærogatiuæ.

§. 1. WOlffgangus Musculus operose contra cultum Dei matris disputat. [Dicant nunc quotquot beatam virginem colunt & adorant, quamobrem id faciant. An non ideo quod Christum Saluatorem mundi peperierit? Cur putant illam magnæ „ apud Christum esse prærogatiuæ? An non ideo, quod „ iuxta carnem est mater Christi? Certe ob id ipsum. „ Nam id testantur non solum ipsorum conscientiæ, sed „ & editi libri. Est qui de beatæ Virginis intercessione „ ita scribat: Salomon thronum matri suæ iuxta thro„ num suum collocari præcepit. Verū pacificus Salo„ mon Christus, honorans matrem suam, idem facit. „ Quæso quam ob rem Salomonis exemplum inducit, „ nisi propterea quod putat carnalem cognationem i„ dem esse apud Christum, quod apud Salomonem? „ Verum Christus aperte testatur hoc loco, se non tanti „ facere illam, quanti spiritalem. Non nego matrem „ Christi filio charam esse: hoc nego quod propter car„ nalem cognationem, tantopere extolli putatur, sine „ consideratione spiritalis, contra aperta Christi verba. „ Christus testatur matrem suam esse, fratrem & soro„ rem, quisquis fecerit voluntatem patris, qui in cœlis „ est, illamque cognationem, vt filius Dei, præfert car„ nali. Sed quæso, quis vnquam illam veneratus est pa„ ri suspectione, qua istam carnalem plerique hodie & „ iamdudum adorant. Atqui beata virgo multo feli„ cius & beatius est mater Christi, & soror Christi, per „ fidem & obedientiam Dei, quam ex eo, quod Chri„ stum carnaliter peperit. Imo beata non esset, nisi ad „ istum modum esset mater, & æque soror.]

Respondeo. Matrem Dei cultu & honore dignam esse, quia mater Christi: dignam etiam quia sancta, & gratia plena. Ea causa à nobis non vt Dea, sed vt ancilla Domini nostri, & mater colitur. Augustini de sancta Virg. cap. 3. sententiam probamus. *Scriptum est in Euangelio, quod mater & fratres Christi, hoc est, consanguinei carnis eius, cum illi nunciati fuissent & foris expectarent, quia non possent eum adire præ turba, ille respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait: Hi sunt fratres mei, & quicunque fecerit voluntatem patris mei, ipse mihi frater & mater & soror est. Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præponere: nec inde beatos esse homines, si iustis & sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, beatus venter qui te portauit; ipse respondit: Imo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt.*

Pluris est, quod credidit, quod amauit, quam quod concepit. Sed tamen & sua matri est dignitas, quia & mater. Ideo enim & Christus illi obediens fuit. Si enim ille subditus fuit matri; quis nostrum matris dignitatem negabit? Nestoriani matrem Dei negabant, sed ex eo tempore defendi cœpit, postquam Concil. Ephesinum, & Chalced. item sextum, & patres eorum temporum contra hæreses insurrexerunt.

Atque hæc de matris dignitate, quatenus materat, sancti Patres scribunt. Nazianz. epist. 3. ad Cleor. Hier. Ep. 47. August. tract. 119. in Ioan. Chrys. hom. 84. Cyrill. l. 12. c. 34. Qui aiunt, B. Virginem à Christo honoratam vt matrem, & Tertull. l. de carne Christi c. 7. Hoc vero loco ostendit maiorem esse spiritus cognationem quam carnis: nec se concionantem interpellandum. Dignitas vero matris moralis est, & Physica; Nam & de eius sanguine corpus Christi formatū est, & eius lacte creuit. Hanc dignitatem Petrus Damianus tanti facit, vt iubeat creaturam ad eam contremiscere. Matri autem gratiæ plenitudo debebatur, Cyprianus seu auctor de natiuitate Christi. Vide August. de assumptione. Bernh. hom. 2. super missus est. Anselm. l. de excellentia virginis. Damascenum de dormitione virginis. Sophron. de assumpt. Res facile intelligi potest, si discendi non contendendi animo legatur. Matris Christi dignitas, si per se sola spectetur, quia in sola relatione quadam ad filium consistit, minor est, quam dignitas filii adoptiui, & in gratia constituti. Præstat enim amicum Dei esse quam matrem, si mater sine Dei amicitia spectetur. At vero si matris dignitatem morali iudicio, qualem esse eam decuit, consideremus, scilicet omnibus spiritalium donorum ornamentis illustrem, maior est quam dignitas sanctorum aliorum. Nam, vt ait Sophronius: *Talibus oportebat virginem oppignorari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum.*

Porro hanc dignitatem matris etsi Caluinus allatret aliquando, hoc tamen loco ad suorum confusionem agnoscit. [Nec vero absurde, sed ex Scripturæ « more celebratur hæc Dei benedictio: scimus enim so- « bolem, præsertim eximiis virtutibus ornatam, tan- « quam Dei singulare donum aliis omnibus præferri. « Neque etiam negari potest, quin Deus Mariam Filio « suo matrem eligens ac destinans, summo eam honore « dignatus est.] «

De voce tamen mulieris sic nos accusat. [Mirus « vero Papatus stupor, quòd in Mariæ honorem cantil- « lant hæc verba, quibus tam diserte refellitur eorum « superstitio: in agendis vero gratiis mulierculæ vocem « decerpunt omissa correctione. Verum ita modis o- « mnibus obstupefieri decuit qui pro sua libidine sa- « crum Dei verbum data opera profanant.] «

Vsur-

vtrumnus recte vocem mulieris, quam ille bene vtrumdixit. Correctionem optimi epiphonematis non agnoscimus. Instructionem magno gaudio amplectimur, qua dicuntur beati, non modo ex quibus Christus est natus, sed qui verbum eius audiunt, & custodiunt, quod illi non possunt, quibus est factum impossibile. Quod vero ait in Scripturis raram eius mentionem fieri, & in primitiuâ Ecclesiâ, falsum est. Crebro fit eius mentio, semper cùm est opportunum; Nunc quoq; multi scribuntur libri, in quibus eius est nulla, vel rarissima mentio, quia non est occasio.

VERSVS 50.

Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus cognationem æstimat?

§. 1. NOn præponit discipulos matri, sed virtutum consanguinitati: nisi enim & illa filium mente concepisset Apostolis inferior fuisset. Ridiculè Arcius ad solam fidem refert. [Voluntas Dei Patris est, audire Filium, & ei credere, iuxta illud Ioan. 6. v. 40. Hæc est autem voluntas eius qui me misit, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et infra cap. 17. v. 5. Hic est Filius meus dilectus, &c. ipsum audite. Fides in Christum nos sorores, nos fratres Christi reddit, imo quod maius est; matres Domini efficit. Discamus fidei præstantiam, & quantum interest inter cognationem carnalem & fidei. Addit hic etiam sorores, vt vtrumque sexum in Christo coniungat; & matrem vltimò recenset, vt carnis prærogatiuam ad plenum deponat.]

Imo non modo fides, sed omnia virtutis opera. Non modo qui credit, sed qui sperat, amat, Dei voluntatem facit. Nam reuera Dei voluntas est non modo vt credamus, sed etiam vt operemur, & mandata eius custodiamus.

* *
*

CAPVT XIII.

IN illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauticulam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore. 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens. Ecce exiit, qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus Mar. 4. a. 1. *viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. 5. Alij autem ceciderunt in petrosa, vbi non* Luc. 8. a. 4. *habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6. Sole autē orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt: 7. Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonā: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli dixerunt ei:* Inf. 25. c. 29. *Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui respondens, ait illis. Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorū,* Isai. 6. c. 9. *illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet* Mar. 4. b. 14 *auferetur abeo. 13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audentes non audiunt, neque in-* Luc. 8. b. 14 *telligunt. 14. Et impletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes vi-* Ioan. 12. f. *debitis, & non videbitis. 15. Incrassatū est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos* 40. *clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Act. 28. f. 26 *16. Vestri autem beati oculi: quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis: quia multi* Rom. 11. b. 8 *Prophetæ, & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. 18.* Luc. 8. b. 17. *Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, &* Luc. 10. d. 24. *rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est. 20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. 21. non habet autem in se radicē, sed est temporalis, facta autē tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizetur. 22. Qui autē seminatus est in spinis, hic est, qui verbū audit, & sollicitudo seculi istius, & fallatia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. 23. Qui vero in terram bonā seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimū, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonū semē in agro suo. 25. cum autē dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici,* Mar. 4. c. 28 *& abyt. 26. Cum autem creuisset herba, & fructū fecisset, tunc apparuerunt & zizania. 27. Accedentes autē serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonū semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit: Serui autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? 29. Et ait. Non: ne* Mar. 4. d. 30 *forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. 30. Simite vtraq; crescere vsq; ad messem, & in* Luc. 13. c. 18 *tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendū, triti-* Luc. 13. c. 21 *cum autem congregate in horreū meum. 31. Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: 32. quod minimum quidem est omnibus seminibus:* Psal. 77. *cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis* Mar. 4. d. 32. *eius. 33. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorū fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: 35. vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscōdita à cōstitutione mundi. 36. Tunc, dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondēs, ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autē est mundus: Bonum vero semen, hi sunt filij re-*

quos illi nuntiabant foris stare, ille eos sciret absentes esse, vel valetudinis, vel negotii, vel peregrinationis nota iam necessitate. Nemo tentat eo modo, quo posse se sciat ruborem tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis competente, liberatur simplicitas nuntiatoris, quod vere mater & fratres eius superuenissent. Sed quæ ratio responsi matrem & fratres ad præsens negantis, discat etiam Apelles. Fratres Domini non crediderunt in illum, sicut & in Euangelio ante Marcionem edito continetur. Mater æque non demonstratur adhæsisse illi, cum Martha & Maria alia in commercio eius frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum, cum is doceret viam vitæ, cum Dei regnum prædicaret, cum languoribus & vitiis medendis operaretur, extraneis defixis in illum, tam proximi aberant. Denique superueniunt, & foris substiterunt, nec introeunt, non computantes scilicet quid intus ageretur, nec sustinent saltem, quasi necessariis aliquid adferrent eo quod ille tum maxime agebat, sed amplius interpellant, & à tanto opere reuocatum volunt. Oro te Apelles, vel tu Marcion, si forte tabula ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuncio auocareris, nonne dixisses, quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans & probans Christus, Legem & Prophetas adimplens, tanti retro aui caliginem dispargens, indigne vsus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere reuocantium? Cetorum ad negandam natiuitatem, alius necessarius fuisset ei locus, & tempus, & ordo sermonis, non eius qui possit pronunciari etiam ab eo, cui & mater esset & fratres, quum indignatio parentes non neget, sed obiurget. Denique potiores fecit alios, & meritum prælationis ostendens, audientiam scilicet verbi, demonstrat qua conditione negauerit matrem. Quâ enim alios sibi adoptauit, qui ei adhærebant, eâ abnegauit illos, qui ab eo absistebant. Solet etiam id implere Christus quod alios docet. Quale ergo erat, si docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum, ipse Dei verbum nunciata matre & fraternitate desereret? Negauit itaq; parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.

QVÆSTIO I.

An mater Christi honoranda sit?

Hæretici negant matrē Dei esse magnæ prærogatiuæ.

§. 1. WOlffgangus Musculus operose contra cultum Dei matris disputat. [Dicant nunc quotquot beatam virginem colunt & adorant, quamobrem id faciant. An non ideo quod Christum Saluatorem mundi peperierit? Cur putant illam magnæ „ apud Christum esse prærogatiuæ? An non ideo, quod „ iuxta carnem est mater Christi? Certe ob id ipsum. „ Nam id testantur non solum ipsorum conscientiæ, sed „ & editi libri. Est qui de beatæ Virginis intercessione „ ita scribat: Salomon thronum matri suæ iuxta thro„ num suum collocari præcepit. Verū pacificus Salo„ mon Christus, honorans matrem suam, idem facit. „ Quæso quam ob rem Salomonis exemplum inducit, „ nisi propterea quod putat carnalem cognationem i„ dem esse apud Christum, quod apud Salomonem? „ Verum Christus aperte testatur hoc loco, se non tanti „ facere illam, quanti spiritalem. Non nego matrem „ Christi filio charam esse: hoc nego quod propter car„ nalem cognationem, tantopere extolli putatur, sine „ consideratione spiritalis, contra aperta Christi verba. „ Christus testatur matrem suam esse, fratrem & soro„ rem, quisquis fecerit voluntatem patris, qui in cœlis „ est, illamque cognationem, vt filius Dei, præfert car„ nali. Sed quæso, quis vnquam illam veneratus est pa„ ri suspectione, qua istam carnalem plerique hodie & „ iamdudum adorant. Atqui beata virgo multo feli„ cius & beatius est mater Christi, & soror Christi, per „ fidem & obedientiam Dei, quam ex eo, quod Chri„ stum carnaliter peperit. Imo beata non esset, nisi ad „ istum modum esset mater, & æque soror.]

Respondeo. Matrem Dei cultu & honore dignam esse, quia mater Christi: dignam etiam quia sancta, & gratia plena. Ea causa à nobis non vt Dea, sed vt ancilla Domini nostri, & mater colitur. Augustini de sancta Virg. cap. 3. sententiam probamus. *Scriptum est in Euangelio, quod mater & fratres Christi, hoc est, consanguinei carnis eius, cum illi nunciati fuissent & foris expectarent, quia non possent eum adire præ turba, ille respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait: Hi sunt fratres mei, & quicunque fecerit voluntatem patris mei, ipse mihi frater & mater & soror est. Quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præponere: nec inde beatos esse homines, si iustis & sanctis carnis propinquitate iunguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, beatus venter qui te portauit; ipse respondit: Imo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt.*

Pluris est, quod credidit, quod amauit, quam quod concepit. Sed tamen & sua matri est dignitas, quia & mater. Ideo enim & Christus illi obediens fuit. Si enim ille subditus fuit matri; quis nostrum matris dignitatem negabit? Nestoriani matrem Dei negabant, sed ex eo tempore defendi cœpit, postquam Concil. Ephesinum, & Chalced. item sextum, & patres eorum temporum contra hæreses insurrexerunt.

Atque hæc de matris dignitate, quatenus materat, sancti Patres scribunt. Nazianz. epist. 3. ad Cleor. Hier. Ep. 47. August. tract. 119. in Ioan. Chrys. hom. 84. Cyrill. l. 12. c. 34. Qui aiunt, B. Virginem à Christo honoratam vt matrem, & Tertull. l. de carne Christi c. 7. Hoc vero loco ostendit maiorem esse spiritus cognationem quam carnis: nec se concionantem interpellandum. Dignitas vero matris moralis est, & Physica; Nam & de eius sanguine corpus Christi formatū est, & eius lacte creuit. Hanc dignitatem Petrus Damianus tanti facit, vt iubeat creaturam ad eam contremiscere. Matri autem gratiæ plenitudo debebatur, Cyprianus seu auctor de natiuitate Christi. Vide August. de assumptione. Bernh. hom. 2. super missus est. Anselm. l. de excellentia virginis. Damascenum de dormitione virginis. Sophron. de assumpt. Res facile intelligi potest, si discendi non contendendi animo legatur. Matris Christi dignitas, si per se sola spectetur, quia in sola relatione quadam ad filium consistit, minor est, quam dignitas filii adoptiui, & in gratia constituti. Præstat enim amicum Dei esse quam matrem, si mater sine Dei amicitia spectetur. At vero si matris dignitatem morali iudicio, qualem esse eam decuit, consideremus, scilicet omnibus spiritalium donorum ornamentis illustrem, maior est quam dignitas sanctorum aliorum. Nam, vt ait Sophronius: *Talibus oportebat virginem oppignorari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum.*

Porro hanc dignitatem matris etsi Caluinus allatret aliquando, hoc tamen loco ad suorum confusionem agnoscit. [Nec vero absurde, sed ex Scripturæ « more celebratur hæc Dei benedictio: scimus enim so- « bolem, præsertim eximiis virtutibus ornatam, tan- « quam Dei singulare donum aliis omnibus præferri. « Neque etiam negari potest, quin Deus Mariam Filio « suo matrem eligens ac destinans, summo eam honore « dignatus est.] «

De voce tamen mulieris sic nos accusat. [Mirus « vero Papatus stupor, quòd in Mariæ honorem cantil- « lant hæc verba, quibus tam diserte refellitur eorum « superstitio: in agendis vero gratiis mulierculæ vocem « decerpunt omissa correctione. Verum ita modis o- « mnibus obstupefieri decuit qui pro sua libidine sa- « crum Dei verbum data opera profanant.] «

Vsur-

vtrumnus recte vocem mulieris, quam ille bene vtrumdixit. Correctionem optimi epiphonematis non agnoscimus. Instructionem magno gaudio amplectimur, qua dicuntur beati, non modo ex quibus Christus est natus, sed qui verbum eius audiunt, & custodiunt, quod illi non possunt, quibus est factum impossibile. Quod vero ait in Scripturis raram eius mentionem fieri, & in primitiuâ Ecclesiâ, falsum est. Crebro fit eius mentio, semper cùm est opportunum; Nunc quoq; multi scribuntur libri, in quibus eius est nulla, vel rarissima mentio, quia non est occasio.

VERSVS 50.

Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus cognationem æstimat?

§. 1. NOn præponit discipulos matri, sed virtutum consanguinitati: nisi enim & illa filium mente concepisset Apostolis inferior fuisset. Ridiculè Arcius ad solam fidem refert. [Voluntas Dei Patris est, audire Filium, & ei credere, iuxta illud Ioan. 6. v. 40. Hæc est autem voluntas eius qui me misit, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et infra cap. 17. v. 5. Hic est Filius meus dilectus, &c. ipsum audite. Fides in Christum nos sorores, nos fratres Christi reddit, imo quod maius est; matres Domini efficit. Discamus fidei præstantiam, & quantum interest inter cognationem carnalem & fidei. Addit hic etiam sorores, vt vtrumque sexum in Christo coniungat; & matrem vltimò recenset, vt carnis prærogatiuam ad plenum deponat.]

Imo non modo fides, sed omnia virtutis opera. Non modo qui credit, sed qui sperat, amat, Dei voluntatem facit. Nam reuera Dei voluntas est non modo vt credamus, sed etiam vt operemur, & mandata eius custodiamus.

* *
*

CAPVT XIII.

IN illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauticulam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore. 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens. Ecce exiit, qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus Mar. 4. a. 1. *viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. 5. Alij autem ceciderunt in petrosa, vbi non* Luc. 8. a. 4. *habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6. Sole autē orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt: 7. Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonā: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli dixerunt ei:* Inf. 25. c. 29. *Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui respondens, ait illis. Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorū,* Isai. 6. c. 9. *illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet* Mar. 4. b. 14 *auferetur abeo. 13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audentes non audiunt, neque in-* Luc. 8. b. 14 *telligunt. 14. Et impletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes vi-* Ioan. 12. f. *debitis, & non videbitis. 15. Incrassatū est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos* 40. *clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Act. 28. f. 26 *16. Vestri autem beati oculi: quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis: quia multi* Rom. 11. b. 8 *Prophetæ, & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. 18.* Luc. 8. b. 17. *Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, &* Luc. 10. d. 24. *rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est. 20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud. 21. non habet autem in se radicē, sed est temporalis, facta autē tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizetur. 22. Qui autē seminatus est in spinis, hic est, qui verbū audit, & sollicitudo seculi istius, & fallatia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. 23. Qui vero in terram bonā seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimū, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonū semē in agro suo. 25. cum autē dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici,* Mar. 4. c. 28 *& abyt. 26. Cum autem creuisset herba, & fructū fecisset, tunc apparuerunt & zizania. 27. Accedentes autē serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonū semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit: Serui autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? 29. Et ait. Non: ne* Mar. 4. d. 30 *forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. 30. Simite vtraq; crescere vsq; ad messem, & in* Luc. 13. c. 18 *tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendū, triti-* Luc. 13. c. 21 *cum autem congregate in horreū meum. 31. Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: 32. quod minimum quidem est omnibus seminibus:* Psal. 77. *cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis* Mar. 4. d. 32. *eius. 33. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorū fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: 35. vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscōdita à cōstitutione mundi. 36. Tunc, dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondēs, ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autē est mundus: Bonum vero semen, hi sunt filij re-*

gni. Zizania autem, filij sunt nequam. 39. Inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus. Messis verò consummatio sæculi est. Messores autem Angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur,
Apoc.14.c.13. *sic erit in consummatione sæculi. 41. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno huius omnia*
Sap.3.b.7. *scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: 42. Et mittet eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.*
Dan.12.a.3. *43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet & emit agrum illum. 45. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. 46. Inuenta autem vna pretiosa margarita abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. 47. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. 48. quam cum impleta esset, educentes, elegerunt, & secus litus sedentes, bonos in vasa, malos autem foras miserunt. 49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum. 50. &*
Mar.6.a.1. Luc.4.a.16. Ioan.6.c.42. *mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium. 51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: etiam. 52. Ait illis: ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. 53. Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas transiit inde. 54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? 55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas. 56. Et sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? 57. Et scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. 58. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.*

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.

ARGVMENTVM.

CONcionum, quas Dominus ad populum habuit, specimen Euangelista exhibet. More enim Syrorum apologos, parabolas, αἴνους, apophthegmata vsurpare solet. Septem hoc capite parabolas habet, & comparationem vnam Scribæ cum patrefamilias: denique quomodo Christus in patria sine honore fuerit, enarrat. Parabolæ sumuntur à seminante, Zizaniis, Grano Sinapis, Thesauro abscondito, negociatore emente Margaritas, sagenâ. Finis est, ne auditores paucitate eorum qui fidem, pietatemque sincerè colunt, offendantur, imo sciant intra ipsam Ecclesiam esse scandala, interim ipsi verbo Dei obtemperent, Satanam lolia spargentem euitent, præstantiam Euangelicæ prædicationis, & pœnas eam contemnentium agnoscant. Insigne nobis veri doctoris exemplum sese esse demonstrat, vt qui tanto plebis accursu, plausuque non delectetur, sed fructum animorum, & conuersionis exspectet, nec more vsitato Rhetorum; celebritatem, frequentiamque concionis æstimet; sed agricolæ animo, verba profutura audientibus seminet; neque enim is qui seminat, latitudine ac spacio terrarum, sed bonitate & fœcunditate delectatur: nec bonus ac prudens doctor multis, sed proficientibus auditoribus, quorum in magnâ multitudine crebro est pudenda paucitas, laboris fructum æstimat. Nec raro enim accidere consueuit, vt concionum auditio improbis cooperetur ad exitium, dum audita non faciunt, aut doctrinam ipsam fastidiunt.

A parabola seminantis lectio sumitur, ad oblationem Dominicæ sacerdotum, דכהנא *decachane*. De qua dominica non immerito dubitant multi, quæ fuerit, & an vna, qua sacerdotes ordinabantur. à vers. 52. die amputationis Ioannis Baptistæ.

VERSVS 1.

In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare.

QVÆSTIO I.

Quando, & quo processit?

Matre dimissa in publicum procedit.

§. 1. *Illô die*, Beda interpretatur generatim pro *illo tempore*: quod quamuis idiotismo Hebræo, & Syro conueniat; nihil tamen vetat hic propriè accipi, pro illo die, quo mater, fratresq; aduenerunt, quos finitâ concione, quam domi habuit, allocutus dimisit: atque inde in publicum processit, vt plenibus audiendæ concionis opportunitatem præberet. Cum verò propriè accipi Scriptura potest, vt *dies* pro *die*, alta interpretatio quærenda non est. Quinimo non sine insigni boni pastoris commendatione Euangelistam dixisse iudico; *illo die*. Venerat mater, & fratres, officium & charitas filii exigere videbatur, vt intermissis paulisper docendi laboribus domesticorum affectibus inseruiret, idq; eo magis, quod fratres in eum non crederent, venirent etiam vt eum tenerent; *dicebant enim quoniam in furorem versus est*: Instruendi igitur illi primùm videbantur; ne populum docenti, domesticorum perfidia, & obtrectationes obsisterent: quid enim de eo dicerent Pharisæi, quem fratres furere asseuerarent? Verum diuinum consilium aliud fuit ablegatis interpellatoribus, eâdem die in publicum procedit, vt omnia obstantia perrumpat, ostendatque non cedenti aduersariis omnia proclinia esse. Quin nos docuit etiam illud: seruum Dei summam temporis rationem ducere oportere; neq; lucrandarum animarum occasio oscitanti præteruolet. Plinius, cum nepotem pedibus iter facientem vidisset; *Poteras*, inquit, *has horas non perdere*: vt refert ipse in vita Senioris iunior Plinius. Christus primum domi docet; dein de matrem cum

cum fratribus excipit, ac dimittit, ac tandem in littus maiore labore dicturus venit. Quid igitur Ecclesiastici illis faciemus, qui cum amicis & cognatis dies solidos exigunt, dapes struunt, ad Dei cultum desse tempus arbitrantur? Itaque eodem die similitudines illæ propositæ sunt. Si enim Christus cum fratribus tenere eum venientibus, & furiosum esse dictitantibus, discessisset, continuò Pharisæi ad blasphemiam hoc traxissent; Iam constare domestico, certissimoque testimonio quis esset, iam agnatis commendatum. Vatem insanum esse, in Beelzebub eiicere dæmonia. Tanto scandalo ne locus esset vllus, famam, & auctoritatem suam eodem die Dominus asseruit.

Et eam fratres non admirati.

§. 2. Locus ad quem accessit, fuit littus maris, Tiberiadis, seu Genezareth nostri vertit: *secus mare*, παρὰ τὴν θάλασσαν *ad mare*, seu iuxtà mare. Syrus habet: על יד ימא *ghal iad iamma, super manum seu littus maris*: nam Hebræum יד pro spacio, loco ue, adhibem, de qua agitur, accommodatè accipitur. Causa cur littus potius elegerit, est quia locus auditorio erat idoneus, sensim ac molliter acclinis, vt è naui docens, facilius audiri, & conspici posset, dum remotior quisque altius staret. Omnis enim turba vers. 2. stabat in littore ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν super littus. Non igitur ad solas cathedras, & templa alligatum est verbum Dei, omni in loco, omni in cœtu, in agro, in naui, in littore, miscenda sunt pia colloquia, nec priuata sacerdotum conuersatio concionem arguere debet. Quis enim fructus est, si publice semen à Deo acceptum vnâ horâ, priuatim ziziania totâ hebdomade spargas?

Ad mare turba stetit.

Vbiq; pia colloquia miscenda sunt.

VERSVS 2.

Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore.

QVÆSTIO I.

Cur nauiculam ascendit?

In nauiculam ascendit, vt commodius audiretur.

§. 1. CAusam Euangelista insinuat, cum ait: ita *multas turbas concurrisse vt ascendens in nauiculam sederet.* Ne itaque compressu nimio impedirent sese, & dicentem elliderent, nauem ingreditur, vt omnes in eum vultus velut in theatro obuersi respicerent, à tergo nemo esset. Studium porro turbæ Græcus textus indicat, συνάχθησαν, significat enim studiosè conuenisse, & à se ipsis cozctas; quod expressit Syrus, ואתבנשו *Veethcannaschu, & congregauerunt se*: Itaque tam sollicitè concurrentes docere statuit; & libero à turbis loco consedit. Sic Chrysost. Theophyl. Maldonat. Vincentius, alii. Nec aliud hic occurrit, nisi quod Syrus, qui supra dixit, Iesum sedisse *super manum maris*, hîc turbam dicatur stetisse, super littus ספר *Sephar* quod est littus, terminus, portus; etiam agnationem habet cum literis, & dictione idem verbum. Vtinam hodie ad audiendum vel in summa locorum commoditate venirent, memores in suis pastoribus hodie etiam Christum loqui.

Quamuis autem non omnes fides, charitasque, sed alios curiositas, nouitas, cupido miraculorum, nonnullos inuidia, studiumque cuncta carpendi attraxerit, Christus tamen omnibus diuinam doctrinam impertitur.

* * *

VERSVS 3.

Et locutus est eis multa in parabolis, dicens, Ecce exiit, qui seminat, seminare.

QVÆSTIO I.

Quid parabola?

Quid parabola?

§. 1. PArabola est oratio, quæ per rem similem nobis notam propositum conficit. Earum vsus frequens erat Orientalibus, & præcipue cum res diuinæ explicantur. Ita Græci definiunt esse λόγον δι' ὁμοίου, καὶ γνωρίμου πράγματος τὸ ὑποκείμενον δηλοῦντα. *Sermonem qui per similem & notam rem subiectam materiem ostendit.*

Finis parabolarum.

§. 2. Finis parabolarum est, vel docere, vel animos mouere: Atque est quod aiunt, parabolam habere vel πλὴν ἐνέργειαν, vel πλὴν σαφήνειαν τῆς γνώμης, vel vim efficaciamq; animorum mouendorum, vel sententiæ claram elucidationem. Habent vero parabolæ quædam suas παραβολοδόσεις, seu ἀνταποδόσεις, redditiones, seu applicationes, aliæ solo simili constant, cum quidam sensus celatur & auditoribus inuestigandus relinquitur, vel quia facilis est ex ipsa rei natura Christus aliquando exponit, aliquando vero solius similitudinis propositione contentus est.

Cur parabolæ sint efficaces?

§. 3. Cur vero ad intelligentiam faciant & motum animi parabolæ, rationes multæ sunt. Dum enim non nuda sententia, sed similitudine exornata profertur, magis animus eidem cogitationi insistit, ac retinetur, imaginationis adiutorio ad eandem perpendendam profectus, Vt si Æneæ constantiam audiam, dicentemque Poetam:

Mens immota manet.

Intelligo quidem eum nec precibus, nec minis immutari. Si vero addat: eum stare, vt contra fluctus

Stat Marpesia cautes.

Iam ad idem cogitandum iterum mens repellitur; idque eo vehementius, quo est aptior similitudo, & cum delectatione menti imprimit, vt magis placeat, quod dictum est. Facit etiam, vt quodammodo oculis cerni res videatur, non modo audiri: itaque se habent picturarum instar similitudines, quæ animis audientium insculpunt audita. Quantum vero memoria hisce rebus adiuuetur, docet ipsa ars memoriæ vetustis nota, & ab Egregio viro Lamberto Schenckelio iterum in vsum reducta: imaginum autem efficione, & ordinatione artis illius admiranda perficiuntur; mirumque est, cum res ipsa facile, acceleriter effluant, easdem tamen per imagines faculcati imaginatrici ac memoriæ ita illigari, vt interdum nolentibus sese ingerant, atque alia arte obliuionis abolendæ sint.

Parabolæ rem imaginationi imprimunt.

Hinc ars memorandi.

Parabolæ in rebus diuinis vtiles.

§. 4. Hæc vero ratio in rerum diuinarum & sublimium explicatione necessaria est, aut saltem magna commoda habet, ad tudium animos attentione detinendos, & illustrandos. Adeo vt Dionys. Areopagita de diuinis nominibus capit. 1. dicat; Non posse nobis diuina mysteria, nisi per ænigmata quædam similitudinesque innotescere. Cum enim naturalem mentis nostræ potestatem, ac vires exuperent, per similitudines vtcumq; percipiuntur. Itaq; omnes veteris memoriæ sapientes hoc docendi genus vt plurimũ vsurpabant. Qua de re consules Clementẽ Alex. l. 5. Stromatum. Hebr. vocantur חידות *Chideth*, à חוד *Chud*,

Chud, quod est ænigmatice loqui, multi formant à חדד Chadad, quod est acuere. Nam reuera omnis parabola ingeniosam rerum collationem exhibet, quâ causâ præcipue delectat. Iudicum 14. vers. 16. Ezech. 17. vers. 2. Habacuc 2. vers. 6. Psalm. 78. vers. 2. est ænigma, seu problema, quod quid sit intelligitur, non quid significet. Quid sit, *de vorace exire cibum*, & *de forti dulcedinem*, omnes intelligebant; at de ore catuli Leonini à Sampsone occisi acceptum fauum mellis, nemo conijcere potuit. Hoc nomen tamen Syrus non habet vocem à חדד deductam, sed בפלאתא Bephelatha, quod vel est à פל id est, *explicuit*, vel à פלא quod significat *miraculum*. Admiranda est in idoneis parabolis ingenii, prudentiæque lux; ideoque & efficientia, vt exposui. Quare vsus apud Hispanos, Italosque obtinuit, vt parabolam pro omni verbo vsurpent; Inde enim Italorum *Parola*, & Hispanorum Palabra, teste Maldonato & Vincentio nostro. Omnes porro allegoriam habent Parabolæ, & ænigmata. Nonnus ait Christum loqui παραβολήδιν, hoc est, allegoricè. & Lucæ 4. vers. 23. Parabola dicitur Prouerbium insigne dictum, seu משל *Maschal*, quod tamen etiam eo loco allegoriam habet. vbicunque vero est allegoria, ibi etiam est collatio, vel expressa, aut certè in mente recondita. Interim plerumque indigent explicatione, sunt enim, vt ait Nonnus in Ioan. cap. 16.

Parabola eget ingenio.

Vsus parabolarum.

Ὀργια λοξὰ μύθων ἑτέρης ὑπὸ δέρκα φωνῆς.
Mysteria obliqua verborum, alienæ vocis agentia.

Iam quidem, cum plurima apprimè sint nota, explicatione non indigent. Interim vim suam in sacris retinent: olim in profanis etiam vsitata fuerunt. Aristoteles apud Synesium perisse dolet. *Paræmiam*, ait, *esse nihil aliud, quam reliquias illius veteris Philosophiæ, maximis humanarum rerum cladibus exstinctæ: easq; seruatas esse, partim ob compendium breuitatemque, partim ob festiuitatem & leporem: ideoq; nec segniter, nec oscitanter, sed pressius atque penitius inspiciendas: subesse enim velut ignicolos quosdam vetustæ sapientiæ; quæ in perquirenda veritate multò fuerit perspicacior, quam posteriores Philosophi fuerunt.* Veteri igitur more vbique Parabolarum maximus vsus semper fuit.

Olim in Philosophia vsitata parabolæ.

§. 5. Basilius duo parabolæ tribuit, obscuritatem moderatam, & reconditam sapientiam, Λόγος, inquit, ὠφέλιμος μετ' ὀλιγῆς ἀποκρύψεως μετείας ἐπιδεδομένος, πολὺ μὲν τὸ αὐτόθεν χρήσιμον περιέχων. πολλῷ δὲ καὶ ἐν τῷ βάθει τὴν διάνοιαν συγκαλύπτων. *Sermo vtilis moderata cum obscuritate editus, multum quidem per se vtilitatis continens, multum verò etiam in recessu intelligentiæ recondens.*

Parabolâ obscuritatem reconditâ scientiâ compensat.

Hoc communis Græcorum definitio indicat. παροιμία ἐστι λόγος ὑπὸκαλύμματος τὸ σαφὲς τῇ ἀσαφείᾳ. Paræmia seu parabola est sermo id quod clarum est, obscuritate tegens: non frustra tamen in sacris, sed vt veritas diligentibus eam, & studiosis pateat, porcos, & canes celetur, vt docet Rupert. lib. 9. in Ioannem. Claram enim veritatem ludibrio habituri erant, quemadmodum porci Margaritas.

§. 6. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Parabolam facit speciem Prophetiæ χρῆται δὲ τῷ βαρβάρῳ φιλοσοφίαν, secundum barbaram Philosophiam, sic vocat Syrorum, & Palæstinorum sapientiam. De hisce vide Polydorum, Manutium, Erasmum, Petrum Garsiam Galatzam, lib. 2. institut. Euangel cap. 18. Salmeron. 7. vers. 7. tract. 1. alioſque. Quid Parabola, paræmia, Prouerbium, adagium, ænigma, apologus, differant, alios consule. Exigua est, si rem spectes differentia: in modo ferè omnia posita sunt.

Parabolæ species Prophetiæ.

Parabolas olim in rebus admodum magnis & seriis vsurpatas exemplo est Ioatham Iudicum 9. Apologum enim de lignis Regem vngentibus Suidas vocat παραβολὴν, & παροιμίαν. & 4. Regum 14. Ioas Rex Israel. Quod si Reges & Principes in re vrgente, & publica id fecerunt, non dubium id vbique vsitatum fuisse. Maxime admiror apologum Ioathami, cui vix superesse tempus videbatur, vt scelera breuissime fugiturus inimicis exprobraret. Veterum in hac re vsum etiam habemus apud profanos, Socrates Æsopi fabulas edidicit, & versibus astrinxit. Plato in Phædro. Vide Arist. lib. 2. Rhetor. de Stesichoro. Plutarchum in vita Demosthenis. Hieronym, Epistol. ad Saluinam & Marcellam, Augustin. lib. 2. contra Academicos Basil. Epistol. 80. Quint. lib. 1. cap. 14. Lutherus fabularum veterum nimius amator, admiratorque & auctor nouarum, Symposiacorum auctario, pag. 464. *Quantum iudicare ac intelligere possum, non habentur proximè post Biblia libri vlli meliores, quam sint Catonis scripta, & fabulæ Æsopi. Meliora sunt enim scripta ista, quam omnium Philosophorum & Iuristarum lacerata sententia.* Ita ille symbolicè mentiens.

Ascatici parabolis delectati.

VERSVS 3. 4.

Ecce exijt, qui seminat seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.

& 19. Omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus & rapit, quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est.

QVÆSTIO I.

An rectè noster verterit secus viam?

§. 1. EXiguũ est, quod negligi posset, & forte deberet, nisi docendi essent illi, qui sese solos eruditionis culmen conscendisse arbitrantur, sibique ab orbe deferendum

Grammatica.

Submissis fascibus imperium.

Verbum *Secus* peregrinitatis accusant, nec in vicinâ quidem relegant, sed Gothicum, Sarmaticum, aut his aliquod magis barbarum genus eius esse iactant. Video ea causa recentiores nouatores abstinere illius vsu, & vbi illo vsus est vetus interpres, substituere, *iuxta*, aut *simile*: Erasmus tamen ciuitati restituit, quod restem ciuilitatis habeat Donatum.

[Neq; videri, *inquit*, potest vox ab interprete conficta, qua tam frequenter vtitur. Vsus est ea Plinius lib. 24. cap. 15. Chameleucen, inquit, apud nos faranum siue farsugium vocant: nascitur secus fluuios, folio populi. Quintilian. l. Inst. 8. c. 2. tractans περὶ τῶν ἀδιανοήτων, hoc adducit exemplum, Conductus est cœcus, secus viam stare. Nec dubito quin alis compluribus locis inueniri possit. Si quis velit esse morosior, fortasse causabitur aliquis, non perindè apte dici, Sedet secus viam, ac Nascitur secus fluuios, aut Pascitur secus ripam, quod in his imaginemur ceu motum quendam rei sequentis. Nam apparet, secus & secundũ habere cognationem cum verbo, sequor. Itaq; de herba rectius dici, nascitur secus fluuios, quemadmodum salices secus ripam, quod in his intelligatur series quædam. De vno homine sedente non item.]

Ita

ra ille nimium etiam morosè; nec enim certum esse sequor, nec magis herba, quam homo sciem indicat.

§. 7. Equidem neutiquam assentiri illis possum, qui vocem *secus* barbaræ gentis esse volunt. Latinam esse testantur Plautus Epid: *ni tua secus sententia est*, pro aliter enim vsurpant, sic Casiæ. Aulul. Cicero ad Atticum 6. 113. & Virgilius

Vsus dictio Latina.

Non secus ac iussi, faciunt.

Cum igitur dictio ipsa Latina sit, de solo eius significatu, quo pro *iuxta*, vel *prope* ponitur, inquiri potest, quem à Gothis datum nullum est omnino argumentum: cum ante Gothorum & Sarmatarum bella noster interpres aliique, ita sint locuti. Ita Solinum intelligo cap. 64. *Arcent sanè afflatum noxium colles, qui salubri apricitate vndique secus abiecti pestilentes prohibent auras.* Syrus quoque hoc loco habet suâ dialecto, *secus manum via.* Merito igitur repudiandi sunt, qui nimia cura dictiones exagitant, rerum inanes, veri negligentes.

QVÆSTIO II.

Quæ ceciderint secus viam?

Via palestinæ.

§. 1. IN Palæstina viæ pleræque silicibus stratæ erant, aut saltè ob frequentiam commeantium omnino tritæ: itaque interiore sinu excipere semen non potuerunt, nec tegere: itaque volucribus in escam cedebat. Maximè hoc in Galilæâ locum habebat, ob pingue, & putre solum, & populi multitudinem, vbi stratas fuisse vias non dubito.

§. 2. Ex hoc quidem versu semen ipsum ad viam iactum esse intelligimus; at vers. 19. 20. 21. 22. dicitur alia forma, *qui secus viam seminatus est.* Semen enim seritur dum sulcis mandatur, & ager ipse etiam seminatur. Ager autem, seu terra sunt homines, quorum corda seminantur, seu conseruntur iuxta viam, hoc est, ita duri sunt, & ad recipiendum diuini verbi semen inhabiles, vt est terra iuxta vias, aut petram tenuiter integens, aut spinis obsita.

Qui iuxta viam.

§. 3. Christus igitur eum, qui iuxta viam seminatus est, esse dicit, qui audit verbum regni, & non intelligit. Græcè ponitur genitiuus absolutus. παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον τῆς βασιλείας, καὶ μὴ συνιέντος, ἔρχεται. *Omni audiente verbum regni, & non intelligente, venit*, &c. Hic itaque nec initia quidem habet, non germinat semen Dei in illo, sed continuò aufertur. Quemadmodum enim, vbi semen in terram calcatu tritam, compactamque incidit, eam solam pauire ac resilire videmus, ita quorundam aures verbi diuini sonitus tantummodo circumstrepit, nec tamen mentem intelligentiamque penetrat, sed primo appulsu retunditur. Quare illi à regno Dei longissimè absunt, qui legem eius primo congressu abigunt, & quasi ex professo inimicam repellunt, primâq; vetant consistere terrâ.

Cur nō intelligunt.

§. 4. Grandis hic controuersia à nouis Manichæis, Libertinis, & Caluinianis rigidis mouetur. *Non intelligit verbum*, inquiunt, nec intelligere potuit. Nemo igitur reprobus, aut credit, aut verbum Dei percipit intellectu.

Despor. Iouinianus & effutiens.

Respondent orthodoxi: Stuporem seu ἀιοησίαν quâ non intelligit esse voluntariam: non autem à naturâ, vitium posse eum intelligere, nolle vero. atque adeo ex eorum esse numero, qui *nolunt intelligere, vt bene agant.* Hic porro intelligere multi interpretantur, æstimare, attendere, perpendere. Impios igitur, & ingentibus flagitiis occupatos describit, qui nunquam sobriæ, aut honestæ cogitationi locum faciunt, toti in cupiditates effusi, ad Dei monitiones obsurdescunt: sic Hebræum שכל crebro accipitur, vt Psalmo 40. vers. 1. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.* Id Phrasis Syriaca hoc loco clarius significat. מסתכל בה *Mesthaccal bah. Intelligens in illo*, aut *considerans in illo.* Cerè Hebræum שכל insignem diligentiam, industriam, attentionem in omnibus actionibus, quibus tribuitur designat. Hoc probant loca Scripturæ, quæ ideo non adduco; quia omnes interpretes, atque adeo etiam Lexica sectariorum consentiunt; nam apponunt verbo שכל quod *inconsideratè est agere.* Quamuis apud Hebræos verbum שכל contrariam verbo שבל significationem habeat: est enim *inconsideratè agere.* Verum apud Syros, & Chaldæos retinet Hebræi verbi שבל significationem. ab eo enim est: Syri enim & Chaldæi solent Hebræam asperitatem mitigare, & pro Schin ponere Sin, aut Samech. Hoc sanè ita accipiendum est loco: accusatus enim quod non intellexerit, seu non attenderit; non autem, quod neglexerit. Bullingerus non potuit ab hac interpretatione recedere; *non reponunt animo, non retinent*, inquit. Beza verò etiam vertit: [Non attendit. Nec enim *inquit* hic agit Christus de hominibus prorsus rudibus, & qui nihil eorum quæ audiant intelligant, sed de iis qui audita nihil curent: quibus opponuntur quos mox dicit audita amplecti cum gaudio. Inter hos autem hoc est discrimen, quod audita illorum aures statim prærumpant, Satana prohibente, ne animo infigantur: Istis autem paulò post effluant, quæ animo quidem, sed non satis altè recondiderant: idque ita esse, nec Christum agere de iis qui vel audire penitus recusent, vel audita non percipiant, apparet ex eo quod istis eripi dicit à Satana, quod in ipsis satum fuerat, sed via ipsa, vbi quum solum non sit subactum, à terra quidem excipitur, sed terræ sinu recipi non potest.] *Ex Syro textu probatur.* *Beza nobiscum sentit.*

Astruit igitur veram sententiam suâ interpretatione Beza, & satis ostendit à nostris bene responderi. Quod autem verbum corrigit, facit imperitè; nam Latinum verbum ad modum Græci interpretari potuit.

§. 5. Planè autem aberrat à vero Bullingerus; dum sui immemor eodem in contextu, contradicentia habet Zwinglio.

[Vobis, inquam, & vestri similibus etiam in turba consistentibus, amantibus videlicet sitientibusque veritatem, piis, religiosis, alacribus & diligenter inuestigantibus. Illis autem non est datum. Illis inquam parum curantibus veritatem, suam potius quam Dei gloriam, sua magis compendia terrestria, quam animæ cœlestes thesauros sitientibus, irreligiosis impiis, torpentibus, & frigide mysteria regni inquirentibus. Ideo apud Marcum diserte dicitur, illis qui foris sunt. Idonei itaque verbi Dei auditores sunt homines alacres, veritatis sitientes, Deum timentes, ac diligentes. Parum idonei sunt segnes veritatem ac Deum ipsum non magnopere curantes, ad hæc etiam indiligentes. Et his quidem obscura & scrupulosa sunt verba & negotia Dei. Illis contra illustria, plana & expedita. Vnde sequitur vitium obscuritatis & ignorantiæ non in ipsum DEI verbum esse regerendum, referendumue, sed ad humani ingenii ignauiam malitiamque quòd ideo non intelligit, quòd vires suas non exerit.]

Et deinceps: [Rursus quando auditor mysterium Euangelii non intelligit, non profert fructus

Euan-

Euangelio dignos, neq; accommodat se Deo vas honorificum vsibus sanctis accommodum, id quidem non inde est, quod nullam accepit à Domino gratiam: Habet enim etiam ipse suum donum: verum vt non agnoscit suam felicitatem, ita non auget, non accommodat intellectum & voluntatem suam vsibus Dei: ergo quod habet habentis ignauia turpi dilabitur, dicente Domino qui non habet, etiam illud quod habet auferetur ab eo. At vbi sublata ex lux, ibi regnant tenebræ & excœcatio.]

Apparet itaque quantum etiam suorum iudicio diuinæ bonitatis & gratiæ decretis repugnet eorum blasphemia, qui Deo causam, cur non intelligant, transcribere solent. Verum de insequentibus plura textu exigente dicenda sunt.

QVÆSTIO III.

Quæ sint volucres cæli?

Quæ volucres?

§. 1. QVia tegi semen fouerique non potuit, in prædam cessit volucribus: sunt autem circa vias plurimum aliquæ volucres, quæ granis vescuntur. Volucrem vero Christus appellat τὸν πονηρὸν malum illum: seu Satanam, hoc est, auem fœdam, rapacem, harpyam, & qualem Aristoph. describit, γρυπόστομον ἀγκυλοχείλη, Grypaquilam aduncorostram.

Volucres sunt dæmones potestates aeris huius.

Comparantur volucribus dæmones, quia sunt potestates & Principes aeris huius, quemadmodum veræ aues in eo dominium, habitationem sortitæ sunt. Vide Ephes. 6. vers. 12. Alii malas cogitationes, quæ turmatim animas perditorum hominum inuolant, affectuque, rapiunt, & suggestiones, impulsusque sancti Spiritus, & oblatam gratiam expellant; nam vere rapiunt de corde eius, vt cum diuina aliqua cogitatio, motioque animum insederit, continuo sceleratis cupiditatum agitationibus obruatur, perinde ac si guttulam aquæ in grande incendium ieceris. Cogitationes igitur sunt, quibus Gryphus ille infernalis semen obruit, ille tamen auctor est, qui dicitur πονηρὸς malus, qui aera peruolans in superficie duri cordis positum semen facile eripit. Quâ re extrema impiorum incuria, ac oscitantia cernitur: non enim ab hominibus, aut porcis, ne aliis quidem beluis eripi thesaurum dicit Spiritus sanctus, sed à volucribus, quorum natura imbecillis, & meticulosa est, quæque sonitu facile abiguntur; Itaque vix aues volentibus quicquid de manu eripiunt, nisi mansuetæ, & ad hoc condocefactæ; dæmonum quidem magna est potestas, sed quæ in aere euanescat, si gratia Dei cooperatus obsistas. non enim premit Imperio nisi consentientes. Ingratissimam itaque hominum prauitatem castigat, qui gratiam diuinitus ita contemptim habent, exponunt ludibrio, ac ad vias prostituunt, vt etiam auibus prædæ sit.

Volucres cogitationes.

Dæmon cogitationibus malis pellit bonas.

Facilis est aduersum dæmones defensio.

QVÆSTIO IV.

An dæmones aërea animalia, quia volucres dicuntur?

Dæmones multiplices.

§. 1. PSellus *lib. de dæmonibus*, in sena genera eos diuidit, ratione locorum in quibus degunt, & affectus locis suis, & elementis congruos habere existimant; Igneos, aereos, terreos, aquatiles, subterraneos, quos in puteis & metallicis hærere putat, demum Lucifugos, quos longè degere sub terra ait, & frigore nocentissimos. Non est quidem obscurum omnibus illis in locis dæmones esse; non tamen verum locorum affectionibus, & naturis eos delectari, cum sint mentes sine corpore, quas proinde nec delectare corporum actiones, nec molestare possunt: in aere tamen vt plurimum versantur, quia locus aptus est ad nocendum; ideo dicuntur esse in *cœlestibus*, hoc est, *aerij regione*, quam ab causam auibus comparantur. Non esse corpore os Genes. 6. & Tob. 3. ostendi. Porro notandum est dæmonem dici malum, totumque cum suo Principe aereorum potestatum corpus esse πονηρὸν improbum, truculentum, homini inimicum. Quamuis enim nonnulli prodesse interdum videantur, aut ioculares esse; vt quos Guteolos appellant Germani, qui domi operari, in metallis apparere solent, de quibus Georgius Agricola de animantibus subterraneis, est tamen simulatissima illa mansuetudo, odium & immanitas tegitur, vt nocere valeat. Itaque quod Cassianus ait, Collat. 7. vers. 32. *Nonnullos immundorum spirituum (quos etiam Faunos vulgus appellat) ita seductores, & ioculatores esse manifestum est, vt certa quædam loca, seu vias iugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes patuerint decipere, delectentur: sed risu tantummodo & illusione contenti, fatigare eos potius studeant, quam nocere: alios ita esse furori ac truculentiæ deditos est manifestum, vt non sint contenti hominum tantummodo corpora, quos supplauerint, atroci dilaceratione vexare; sed etiam irruere super eminus transeuntes, & affligere illos sæuissima cæde festinent.*

Hoc inquam falsum est, si de eo quod sunt, non quod videntur, loquitur. Omnes infesti sunt, cruciatibusque hominum delectantur. Nullæ inducíæ, nulla pax, vbi nec inuidiæ, nec odii modus vllus, aut finis.

Gliscit atrox, animisque furentibus iras
Nutrit, nec damnis hominum exaturata quiescit

Illa belua. Neque aliquos inter eos esse miserostantum dicendum est, non malos. omnes damnati sunt. Qui inferiorum ordinum sunt, minus peccarunt, sed illi tamen præcipuè in hoc aere versari videntur. Quâ de re Petrus Tyreus noster lib. de terrificationibus nocturnis. cap. 7.

QVÆSTIO V.

Cur seminarit vbi sciebat infructuosum fore?

§. 1. AGricola nec ad vias, nec in petrâ, nec inter spinas lubens volens seminare solet. Cum vero hic seminator sit Deus, qui in creatione rationem, & liberum arbitrium dedit, vt ait Athanasius de semente, non ignorauit verbi semen mox aut de via rapiendum, aut in petrâ exurendum, aut spinis suffocandum. Cur igitur seuit?

Respondet S. Chrysostomus in hunc locum. vt Dei charitatem curamque suam ostenderet. Potest enim homo cum terra sit libera, Dei gratia noualia nouare, & ex sterili fertile solum efficere, si diligenter aret, occet, lolia exstirpet.

Non dissimilem rationem nobis adfert S. Ambrosius lib. de Paradiso capite octauo. par enim ratio est, eius, quod proposuit; cur Primis parentibus legem tulerit, quam præuidebat violaturos? Nempe vtius & paternum affectum ostenderet. Cum enim Deus omnia futura præuideat, id quoque, quod quisque liberè facturus est, prænouit, nec ideo continere gratiam suam debet, quia videt reiectum iri. Sed exitium offerre, vt certo constet ex se se non esse exitium, sed bonum

ab eo

ab eo, qui gratiam contempsit. Deus autem cum liberam, & ingenuam à creatura seruitutem exigat, & bene & male agendi potestatem largiri debuit. Nec præuidendo culpam cogit eam peccare, sicut neque homo videndo currentē sua visione eum cogit currere, vti insigni comparatione S. Augustinus ostendit. Vt vero posset semen amplecti, & fouere, dedit, quod satis erat, impudentis autem est querela, nolle contentum esse.

Tertull. libro secundo contra Marcionem capite 7. *Si semel homini permiserat arbitrij libertatem & potestatem, & digne permiserat, sicut ostendimus, vtique fruendas ea ex ipsa institutionis autoritate permiserat, fruendas autem quantum in ipso, secundum ipsum, id est, secundum Deum, id est in bonum. Quis enim aduersus se permittet aliquid: quantum vero in homine, secundum motus libertatis ipsius. Quis enim non hoc præstat ei cui quid semel frui præstat, vt pro animo & arbitrio suo fruatur? Igitur consequens erat vti Deus secederet à libertate, semel concessa homini, id & contineret in semetipso & præscientiam & præpotentiam suā, per quas intercessisse potuisset, quo minus homo male libertate sua frui aggressus in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrij libertatem, quam ratione & bonitate permiserat. Denique puta intercessisse, rescidisseque illum arbitrij libertatem; dum reuocat ab arbore; dum ipsum circumscriptorem colubram à congressu fœminæ arcet, nonne exclamaret Marcion? O Dominum sutilem, instabilem, infidelem, rescindentem que instituit? Cur permiserat liberum arbitrium, si intercedit? cur intercedit si permisit? Eligat vbi semetipsum erroris notet, in institutione an in rescissione. Nonne tunc magis deceptus ex imprascientia futuri videretur, cum obstitisset? & quod quasi ignorans quomodo euasurum esset indulserat, quis non diceret? Sed etsi prascierat male hominem institutione sua usurum, quid tam dignum Deo; quam grauitas, quam fides institutionum qualiumcunque? Vidisset homo, si non bene depunxisset, quod bene acceperat, ipse legi reus fuisset, cui obsequi noluisset, non vt legislator ipse fraudem legi suæ faceret non implendo præscriptum eius impleri. Hæc dignissimè peroraturus in creatorem, si libero arbitrio hominu ex prouidentia & potentia, quas exigis obstitisset, nunc tibi insusurra pro creatore, & grauitatem, & patientiam & fidem, institutionibus sui sancto vt & rationalibus & boni. Neque enim ad viuendum solummodo produxerat hominem, vt non ad recte viuendum, id respectu scilicet Dei legisque eius. Igitur viuere quidem ille ipse præstiterat, facto in animam viuam; recte vero viuere demandarat, admonito in legis obsequium. Ita non in mortem institutum hominem probat qui nunc cupit in vitam restitutum: malens peccatorū pœnitentiam quam mortem. Igitur sicut Deus homini vitā statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit.*

Multo vero minus hinc coniectandum est Deum voluisse, eorum quos male acturos vidit, peccata. vt Augustinus ad art. falso sibi impositos art. 10. *Non casu euentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit: sed plane prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissimè. Et omnis homo quem discretio diuina scientiæ in sinistra constituerit pars damnabitur: quia non Dei, sed suam executus est voluntatem.*

Exart. 11. *Si diabolo obijceretur, quod talium facinorum ipse author, ipse esset incentor, puto quod aliqua ratione excusare se hac posset inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret: quia etsi delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse vim criminum. Quæ ergo insipientia, quæue dementia definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum asscribi potest, qui in peccantium flagitijs illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est essegenerator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret: nec illam animam nequiter, turpiterque victuram, ad hoc, vt taliter viueret, præparauit: sed talem futuram non ignorauit & de tali iuste se iudicaturum præsciuit. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.*

Non tamen humana contra Deum insurgere cessat audacia. Cur me fecisti mutabilem? cur non hoc egisti, vt certo ac inuiolabiliter legem obseruarem? Ecce reum peragit Deum, diuinæ legis violator. Deus bonitatis & sapientiæ suæ imaginem fecit, Angelos, & homines, intelligentia, & libero voluntatis arbitrio vtrosque donauit, vt non bruta necessitate, sed prudenti caritate creatori seruirent. Et si vellent, recedere possent, si enim male agere non possent, vitati criminis laudem non haberent. Prudenter hac de insignis stoicismi Caluiniani oppugnator, quem, si viuere potuisset, non dubito ad antiquam veritatem accessurum fuisse, *in collat. contra Iunium.*

Improborum querela.

Homo peccator reus Deus.

[Sapientiæ fuit, quod has ipsas species imagine " *Quid*
sua præditas cum alijs tam multis condidit, & supra " *loquaalia*; vt perfectissimum suæ gloriæ speculum, quoad " *tur opus*
eius in rebus creatis fieri potuit, existeret. Sed cur fe- " *factori*
cit eiusmodi libertate mutabili? Nempe imaginem " *suo.*
suam fecit, non seipsum. Vnica est essentialis imago "
Dei patris, Dominus Iesus Christus, Deus vnus, æ- " *Omnis*
ternus & immutabilis cum Patre & spiritu Sancto. " *creatura*
Quisquis es qui hoc obijcis, audis serpentem insu- " *ex se est*
surrantem tibi, quod Euæ occinuit olim in perniciem " *mutabi-*
nostram. Satis esto tibi, quod factus es ad imaginem " *lis.*
Dei; non perfectionem diuinam habens, sed perfe- "
ctionis illius imaginem. Perfectionis diuinæ est pro- "
pria immutabilitas. Hanc Deus natura habet: crea- "
tura imaginem illius habuit communicatione qua- "
dam à Deo penes se depositam penes voluntatem "
suam: sed abiecit voluntate propria, quicunque lapsus "
est, siue Angelus, siue homo. Ne plura. tota hæc quæ- "
stio à Marcione est, quam totam copiosissimè ac ner- "
uosissimè Tertullianus bona parte l. 2. aduersus Mar- "
cionem persecutus est, inde à cap. 5. cuius lectio, tibi "
confido, satisfactura est.] Hæc professor Lugdunen- "
sis in Batauia. "

VERSVS 5.6.

Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

QVÆSTIO I.

Quodnam cecidit in petrosa?

Quomodo petra cum homine comparentur.

§. 1. SEminum, quæ ceciderunt in petrosa ista narrantur. Non habent terram multam. Deinde ideo exorta sunt continuo. Tertio sole orto æstuauerunt. Quarto, quia non habuerunt radicem, aruerunt. Comparationem Christus proponit. Primo est. se eos qui verbum audiunt, nec modo audiunt, sed cū gaudio accipiunt, quo à prioribus differunt. Itaq; hic iemē manet, & exoritur ἀνέτειλε, quod cōuenit è terra

nascentibus, sicut etiam Hebræum שוח *suach*, in Syro est ܫܘܚ *Scheuach*. R. Nathan formatà שח, quod eodem recurrit nec exortum modo, sed ἐνθὺς, Syrus eodem momento, seu eadem hora. Deinde radicem non habet, vt haurire succum, & alimenta possit. Tertio inde consequitur esse temporalem πρόσκαιρον, nam deficit, & aresc it. Si autem incidat tribulatio offendit, nec cursum persequitur.

Causa seminis in petra arefacti & hominis similes sunt.

§. 2. Causæ seminum in petra germinantium, & auditorum, non dissimiles sunt. Cum enim semen iacitur in petram, quam non profunda, sed rara terra contegit, celeriter magno calore, & humore mediocri subito germinat, sed cum deorsum radicem agere non possit obsistente petra necessario illa reflectitur, sole autem vrente, terraque & petra calfacta æstuat, ἐκαυματίσθη, Beza vertere maluit, *ardore tacta sunt*, minime proprie; ardore enim solis germina tanguntur omnia; nec tamen καυματίζεσθαι dicuntur: hoc enim de illis duntaxat dicitur, qui ardore concepto deficiunt.

Versio nostra defensa.

Beza vero negat æstuare ad germina pertinere. Sudantium esse. [Quòd æstus proprie de alio caloris genere, humente videlicet eoque suffocante, aut præfocante dicatur, hoc est de eo qui vdo cœlo sudorem nimium exprimendo nostra corpora penitus resoluit.]

Non ita est; æstus est καύσων, πνίγος, ardor etiam siccus, qualis est caniculæ, & solis.

Fornacibus etiam æstus tribuitur, aeri, tertæ, diei. Cicero 2. Tusc. Vlceris æstum dixit. Vis igitur caloris est æstus, siue *furit æstus ahenis*, siue *de fornacibus æstus incendia voluit*. Pari modo dicitur καῦμα, καύσος, & καύσων ardor. Quin seges quæ solis ardore maturescit καῦσις vocari solet.

§. 3. Cætera in promptu sunt: Petra est cor durum, terra Petræ superiniecta, dona naturæ, docilitas, ingenuitas, vocatio, gratia præcedens, gratia cooperans, vt semen recipiatur, & aliquandiu foueatur, radix bona voluntas, caritas, æstus, persecutio, desertio Euangelij, arefactio, & mors animæ.

QVÆSTIO II.

Quid sit fides πρόσκαιρος?

§. 1. MAtthæus ait πρόσκαιρος esse, *temporarios* esse. Quod Lucas explicat: *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Caluiniani negant fidem temporariam esse veram fidem: sed hoc ex loco refelluntur. Quemadmodum enim seminis vera est, propriaque & eiusdem speciei vita ac germinatio, cum ea, quæ est seminum, quæ in bonam terram ceciderunt, ita quoque fides illa temporaria, quamuis ad maturitatem procemij non perueniat, vera tamen fides est.

Fides temporaria, fides vera est.

Eiusdem speciei semen est, quod maturescit, & quod ante maturitatem arescit.

Hoc vt dicamus & natura parabolæ, & argumentum Christi requirit. Parabola ipsa eandem terram, duritie, profunditate densitate, mollitudine duntaxat differentem proponit, eandem etiam seminis naturam, idem Dei verbum agnoscit, & repræsentat. Eandem etiam germinationem seminis. Non enim alia est species, aut natura sati tritici, quod germinat, si in herba metatur; alia illius quod ad messem flauescit. Omnis tritici toto campo herbescens viror & herba vnius est generis. Itaque eorum etiam qui credunt, vnà est fides. Nec distinctionem fidei facit inconstantia, vel perseuerantia credendi: Sicut neque germinis, quod aliud ardore vel eluuione perit, aliud ad maturitatẽ peruenit. Qui igitur diuersas fides imaginantur, pulcherrimã parabolam sua hallucinatione euertunt. Deinde argumentũ Christi spectemus. Tã illi qui ad viam, & supra petrã, quã alter, qui in terram bonam seminatus est, semen inijcitur, hoc est, Verbum Dei. Ille qui ad viam est, non attendit, ille qui supra petram, credit; ille qui in terram bonam, perseuerantèr credit. Sed idem tamen vterque credunt.

Semen sit exempli causa. *Ego sum Christus filius Dei viui.* Hoc vterque credit, vterque eadem fide, & quidem ex gratia Dei. Nam semen eodem modo sese explicat, in radicem fruticat, &

Exerit è tenerâ molle cacumen humo.

Viua igitur fides est vtriusque; si enim in alio mortua est, cur semini fruticanti comparatur? Si vera non est, cur dicitur credere? Si crescit in culmum, viuit.

§. 2. Occurrunt tamen malæ causæ patroni, & fidem vnicam discerpunt. Terræ bonæ alumnus, inquiunt, credit *Christum filium Dei viuu*: At Petræ incola, hoc solum credit, hoc est assentitur, superaturam autem ab alio: Ille enim etiam fiduciam habet certissimam, Christum se prædestinatum esse: *nullum sibi scelus imputatum iri*. Hoc quidem est vltimum hæreseos propugnaculum, sed, quod parabola proposita concidit. Si enim is quitn terram bonam satus est, credit, *æterno Dei se decreto prædestinatum*: è verbo Dei hoc habet; hoc ergo semen in animum eius incidit, ac germinat: donec confidenter dicat: *Credo me prædestinatum*. Ille vero quitnui gleba hærens in petra arescit. Vel hoc semen accepit, vel non accepit. Eligant vtrum malunt, vt suo iudicio conuincantur. Si in petricosa hoc semen non cecidit, nec in viam, nec ergo à malo de corde ablatum est, in quo non fuit nec in petra solis exortus estuauit, aut aruit, nec πρόσκαιρος temporarius fuit, sed nunquam: quomodo ergo cum gaudio accepit ille semen à seminatore non sparsum. Fieri autem non potest, vt tam grande secretum quisquam credat, nisi Deus illi reuelarit. Quod si denique non est illi commissum, non potuit credere, & in tempore tentationis recedere.

Verum alteram partem eligant, aut, vt solent, fortiantur quid respondeant. Seminata sit in petricosa illa, quam illi summam veritatem, ego dementiam iudico. Fingamus Deum seminando dicere. *Tibi credendum est, te à me esse prædestinatum.*

Hoc ille si credit; iam secundum illos, non modo veram, sed indelebilem fidem habet. Tam enim Caluinus & Beza, quam Pareus docent: *Assystatum esse, & fidem saluificam esse, & delebilem esse, non ergo* temporalis est, nec ad tempus credit, sed nulla vnquam tentatione recedit. At credidisse eum Euangelista commemorat, & parabola hoc exigit.

Miris igitur modis parabolam intricant. Siue dicant illis qui in petra sunt sati, reuelatam prædestinationem, siue negent.

§. 3. Quin insuper etiam hoc demonstro: Totam Caluinianæ fiduciationis θλησοφοείαν Christi parabola destrui. Eorum enim opinione capitt verbi diuini, quod seminatur, est. *Crede te prædestinatum.* Sine ea fide neminem aiunt saluari. At verbum illud, nec ad viam, nec in petricosa, nec in senticeta prosemini potest, multo minus germinare, & credi. Quid enim? Nonne illi docent ex his quatuor hominum generibus tria prima esse reproborum, postremum electorum. Non ergo illis dicere veritas potuit; *Electos*, &c. nec illi credere tenentur, quod nec dici potuit, nec futurum erat.

§. 4. Hinc apparet, quàm è diametro verbis Christi Piscator contradicat, cum negat prima tria hominum genera fidem habuisse; de secundo enim

& ter-

& tertio manifestum est credidisse, Persecutione enim aduenient e, & θλίψει *tribulatione*, recedunt, vt iam ante exposui. Qui vero recedit, adfuit, qui arescit, floruit; non est flos caducus, nisi qui de calyce folia explicuit. De fide illa Christus loquitur à qua recedunt alij, in qua alij perseuerant: At fides illa à qua defecerunt, qui tormentis persecutorum succubuerunt, non erat, qua se electos crederent, sed qua in Christum credebant. De Christo abnegando, dijs adorandis, non de fiduciatione agebatur. Scandalizantur infirmi, inopinato impingentes resiliunt, currebant igitur, nec in carceribus, sed ante in medio cursu, quàm metam contingerent, ceciderunt. Si perseuerassent, in ea qua currebant via, ad propositum ab agonotheta brauium peruenissent. Quemadmodum semen quod in petrosa cecidit, nisi æstu exustum esset, & quod in senticeto nascebatur, nisi à lappis tribulisque oppressum, ad maturitatem peruenire, & in horrea dominica inferri potuissent, eiusdem cum felicibus granis naturæ ac speciei. Fides igitur, quæ in petricosis & senticetis cœpit, sine mutatione sui in vitam æternam credentes adduxisset.

Christus de duplici genere fidei.

Fides in filios per baptismum, salus per fidem.

§. 5. Pareus lib. 3. de iustific. cap. 4. Ex eo quod ait Christus non habere radicem, sed esse temporalem, concludere conatur, & ostendere apostatas verum viuam fidem nunquam habuisse, ac proinde fidem esse donum proprium electorum. Qua quidem tenon modo Christo, & orthodoxis, sed suis etiam repugnat: Nam P. Martyr teste Pareo, ait per grauia peccata fidem veram ita amitti, aut ita sopiri, vt actum suum non habeat. Vtrunque igitur vel concedit, vel vtroque dubitat. Pareus Kemnitium defendere non audet, sed eum parum cohærentia scribere existimat, ideo de eo se laborare negat. Quid est ergo radicem non habere? Pareo est; non habere fiduciam electionis suæ. Nec tamen de omni modo „ fiducia, sed de solo habitu intelligit. [De possibili„tate, *inquit*, loquendo quantum ad libertatem, mu„tabilitatem, fluxitatem, imbecillitatem humanæ vo„luntatis, ad Satanæ quoque astutiam, potentiam, „ mundi insidias, exempla, scandala, &c. Dicimus fi„deles nimis posse, quin & sibi relictos, nisi diuinitus „ custodiantur, nihil posse, nisi fidem & iustitiam amit„tere, neque ad momentum aduersus Satanæ, mundi, „ carnis insidias subsistere. Quantum vero ad Dei pro„positum, secundum quod eos vocauit, fide donauit, „ iustificauit, Dicimus tam esse impossibile, vere fide„les fidem & iustitiam eius *penitus* amittere, quam est „ impossibile, Dei propositum excidere. Addo *penitus*, „ quia sanctè aliquando sibi relicti, Deo manum subtra„hente, ad eos explorandos vel humiliandos, fidem „ & dilectionem lapsibus suis, quantum ad actus, ni„mis proh dolor, amittunt: quantum tamen ad habi„tum, nunquam *penitus* excutiunt, ita vt infideles & „ hostes Dei fiant, vti exempla Aaronis, Dauidis, Sa„lomonis, Petri, &c. ostendunt. Hæc nostra est *secundò* „ sententia.]

Verum ista parabolæ repugnant. Radicem enim non habet profundam; quia non habent τὸ βάθος, radiculam aliquam habent, nihil enim sursum germinat, nisi simul & radicem figat, imo prior est radix, & causa surgentis; herbæ: semper ergo cum germen videmus, etiam radicem subesse intelligimus, id quod clarius est in eo semine, quod inter spinas cecidit, quod exortum longius suffocatur complexu, vmbraque spinarum, & sine dubio radices habet. Hic igitur radix non est omnino nulla, sed non sufficiens, quæ humorem trahat, & coquat, quoniam ille deest, quocirca primo solis ortu exarescit herba. Si igitur radix est, fidei habitus, aliquem quamuis exiguum adesse necesse est. At omnis habitus illorum opinione sufficit: Ideo perdi omnino non potest. Salui igitur sunt etiam qui in petricosa seminati sunt. Verum de habitu absurda est sententia, nec parabolæ conueniens. Christi verba sunt: *Radicem non habent, à spinis suffocantur*, hoc est, *curis sæculi, ad tempus credunt, tempore tentationis recedunt.* Hoc est Pareo interprete: Actum fidei habent, eum amittunt, habitum non acceperunt. At vero hi id acceperunt, quod retinendo salui esse potuerunt. Veram ergo fidem, & qua salutem consequerentur, acceperunt. Deinde de habitu recentior est insania quorundam sophistarum inter eos, primipili vix mentionem inducant, & plerique docent: *Non per habitum sed actum*, seu per *το credere*, nos iustificari. Ita Bertius in Epistolica dissertatione contra Lubbertum, qui pag. 81. ait, *pudere se istarum ineptiarum, maiores suos docuisse actum correlatiuum esse, qui respicit obiectum, non ipsum obiectum.* Itaque actui tribuerunt iustificationem, vt facit Zanch. [Non ignoro, *ait*, Mosen & Paulum de „ fide Abrahæ, quod hæc fuerit illi imputata ad iusti„ tiam, locutos fuisse, cum apertè Apostolus ab Abra„ hæ exemplo generalem doctrinam colligens, subdat „ hæc verba: Ei vero, qui non operatur, sed credit, in „ eum qui iustificat impium, imputatur Fides eius ad „ iustitiam, hoc est, ideo apud Deum pro iusto habe„ tur, quia credit in eum, qui iustificat impium. Quo „ loco luculentissimè à vera nostri iustificatione exclu„ duntur opera nostra, & soli fidei, tam quoad fi„ nem, quam quoad initium, illa tota penitus assci„ bitur.]

Habitus fidei Pareo iustificat.

Id alij negant.

Actum alij putant iustificare.

Ipse Bertius hoc ágit vt ostendat opere nos iustificari. Et Lubbertus negat, *opere & qualitate fidei nos iustos reddi*, nisi tantum relatiuè.

Denique repugnat habitus ille certitudini fidei. Nam si actum credendi amittunt, vt credant se non electos, aut Christum non esse Saluatorem, non possunt non esse infideles. Cum Pareus toties dicat, *dubitationem esse barathrum inferni.*

Habitus iustitiæ incertus.

Quo ex opinionum confl ctu hoc argumentum oritur. Fidei actus, sed fides quoad actum per grauia peccata sæpe amittitur; atque contrarius fiduciæ actus exoritur; aut minimum dubitatio de salute. At qui non credit se electum, aut dubitat, iam est in barathro inferni. Pareus in Roman. ergo qui actum fidei amisit, iam est infidelis. Propositio est ex verbis Parei. Assumptio est ex eiusdem doctrina in comm. Epist. ad Roman. 691. b. 1009. b. 1012. D. 1014. D. vbi vocat *desperationis officinam*, & *barathrum inferni.* & 785. *Argumentum Antichristi.* 744. *Vestibulum inferni.* Non ergo iusti sunt, qui tanta in peste hærent, quamuis sopitum habitum animo latentem teneant.

Dubitans de prædestinatione, Pareo est Antichristianus.

Ad Dei propositum quod attinet, non dicimus neque nos, neque Lutherani, sic Electos perire posse, si Dei electionem spectes: à iustitia tamen & fide penitus, etiam quoad habitum aliquando excidere constat, ante mortem tamen Deo miserante redire.

Ideoque incertos esse suæ salutis, quamdiu hanc labendo & resurgendo degunt vitam. Monuit illos ex eorum castris Arminius ad 31. articulos. 1. & 2. magnum esse discrimen inter hæc duo enunciata. Fideles possunt à fide deficere, & fideles possunt à salute deficere. Hoc postremum negat rigide examinatum admitti posse.

Impossibile enim esse fideles, dum fideles manent deficere à salute posse. Vinceretur enim Dei potentia. Verum eodem modo de defectu à fide dici-

Nam fidelis manens fidelis à fide deficere non potest, & fidelis manens fidelis viua fide à salute non decidit, nec decidere potest. In sensu composito, vt loqui solent Theologi. Sic Augustinus, Prosper, & ex eis Scholastici. Deficere autem docet. August. de corrept. & gratia. cap. 8. Prosper ad capitula Gall. respons. 7. Ita etiam Caluiniani molliores in Belgio. Confessio Augustana damnat Anabaptistas docentes: Eos qui semel iustificati sunt, non posse amittere Spiritum sanctum. Et Zwinglianus Bullingerus in hunc locum.

„ [Vult autem vt scintillam hanc cælestis luminis, & „ semen diuinum nostris iniectum pectoribus excite- „ mus & colamus exercitijs pijs: quod qui faciunt, aug- „ mentum recipiunt donorum: qui negligunt, quod „ semel acceperunt, etiam amittunt. Hoc ipsum tradi- „ dit Dominus suis per parabolam Talentorum apud „ Matth. in 25.]

VERSVS 7.8.

Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea: Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.

QVÆSTIO I.

Qui sint seminati in spinis?

Semen in spinis germinat.

§. 1. MAior inter spineta spes fuit messis, radicem enim habuerunt, in culmos excreuerunt, cū spinis certarunt, sed victæ & oppressæ segetes succubuerunt. Terra itaque ferax fuit, sed parum culta, & subacta. Culmum cum spinis exurgere, & fructum ferre videri, ait etiam hoc loco Bullingerus, sed fructū non ferre ad iustam enim frugem non peruenium. Spinas vocat curas sæculi, hoc est quicquid à virtute

Diuitiæ fallaces.

homines auocat. Vt sunt sollicitudo familiæ, honoris, maxime vero fallacia diuitiarum, seu fallaces diuitiæ, quæ nunquam firmiter tenentur, sed quasi sint æternæ animum insident, amantur. Itaque.

Plures nimiâ congesta pecunia curâ strangulat.

Grauis censura Domini, qui diuitijs spinas comparat, in quibus plerique mortalium acquiescunt. Quis diuitias pungere spinarum instar crederet, nisi Veritas diceret?

§. 2. Hoc loco omnia de fide dici possunt, quæ versibus superioribus exposui. Nam hic semen penetrat, & crescit, sed tandem suffocatur. Nec videtur à se discedens id negare Caluinus comm. in hunc lo-

„ cum. [Danda igitur, *inquit*, singulis opera est, vt spi- „ nas è cordibus suis euellant, nisi verbum Dei suffo- „ cari velint: quando nemo est qui non ingenti spina- „ rum copia & quasi densa sylua refertus sit. Et certe vi- „ demus quam pauci ad maturitatem perueniant, quia „ vix decimus quisque non dico ad extirpandas, sed ne „ ad resecandas quidem spinas intentus est. Atqui ipsa „ multiplex copia quę torporem excutere debebat, ple- „ risque fatiscendi causa est. Impostaram diuitiarum „ Christus pro auaritia posuit. Sed consulto diuitias vo- „ cauit fallaces vel deceptrices, quo magis ab earum la- „ queis sibi cauere discant homines. Cæterum quot „ sunt carnis nostræ affectus, quorum innumera est co- „ pia & varietas, meminerimus totidem esse noxas ad „ corrumpendum vitæ semen.]

Iubet ille spinas euellere, ne fidem obruant, si fi- *Fides mortua* des mortua est, aut sanè sibi videntur habere, non ta- *spinas non* men habent, non potest opprimi. Si veram fidem ha- *audent* bent, illa indelebilis est, ita vt non modo spinis & vir- *habere.* gultis non obruatur, sed neque si arbores simul enas- *Fides viua* cantur, aut incidant, pati detrimentum possit. *non opprimi.*

Non igitur nisi grauissime detorquendo hunc locum respondere possunt. Si enim fides horum vera non est, si mortua, non igitur ἄκαρπον & infructuosam spinæ faciunt, sed propria natura. Et si omnes spinas cum fibris industrij agricolæ tolleret runcina, non ideo mortua fides fructum edet; nam fructificare vitæ opus est, non mortis. Quam vero improbe scripturam tractent, qui fidem eorum qui credunt, & deficiunt, nunquam fuisse verā pronunciant, voce Christi disertissima explicatur. Luc. 8. 7. *Et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud*, ἀπεπνίξαν αὐτό, & v. 17. ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου, καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι, à curis, & diuitijs, & voluptatibus vitæ suffocantur, & non ferunt fructum in finem, seu perfectum. Hoc fieri quî potest, vt mala ista, & illecebræ suffocent fidem iam ante demortuam, & non eam, quæ floret, & viuit?

VERSVS 9.10.

Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimū. Qui vero in terrā bonam seminatus est, hic est qui audit verbū, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum.

QVÆSTIO I.

Qui in terram bonam sati?

§. 1. BOnæ terræ felix prouentus describitur, Va- *Fructus* rio tamen prouentu, alia enim grana centu- *terræ bonæ* plum, alia minus proferunt. In Græco est ἑκατὸν ἑξηκοντα, τριάκοντα, noster vertit vtitatiore modo, ἑκατονταπλασίονα, centesimum &c. Sic quoque Syrum interpretantur, sed ille habet ܡܐܐ centū &c. Esse terras adeo fertiles ex historijs notius est, quam vt probare sit necesse. Vide Plin. lib. 5. cap. 4. de agro Babylonio. Bonam terram intelligo non modo, quæ natura mollis est, sed quæ cultu subacta est, à stirpibus, fruticibusque noxijs purgata.

§. 2. Daniel Tossanus Maldonatum nostrum re- prehendit. [Sed hic bis, *inquit*, errat Maldonatus, „ dum contra nostros asserit, nostram naturam aliquid „ boni habere, & comparari bonæ terræ: & ea loca „ quæ profert ex Augustino, nempe ex lib. 2. de serm. „ Domini, contra ipsum faciunt. Ibi enim diserte osten- „ dit Augustinus, nos naturâ esse malam arborem & „ malas arbores, sed ex gratia fieri bonam terram: iuxta „ illud Ioh. 15. sine me nihil potestis, &c. & Gal. 5. bona „ opera fructus spiritus S. vocantur, nobis scilicet gra- „ tis donati. Et 1. ad Cor. 3. nihil prodesse culturam, „ nisi Deus benedictionem largiatur. Alter error est, „ quod contra omnium veterum, Hieronymi impri- „ mis & Augustini, imo & Scholasticorum interpreta- „ tionem, & huius textus veritatem fructus, quos „ alij centenos, alij sexagenos proferunt, de vita „ æterna,

" æterna, & diuersis præmijs intelligit. cum manifeste
" Christus, præsertim Luc. 8. id referat ad fructus bono-
" rum operum ex corde honesto & bono, id est, rege-
" nerato, cum patientia, id est, constantia, quæ opponi-
" tur illis πετρωδεσι.]

" Nos, si Tossano credimus, ter Maldonatum errasse dicemus, bis scripturam male interpretando. Semel Augustini dicta in aliam sententiam trahendo. Verum citasse Maldonatum est calumniam refutasse.

" [Bonam autem terrā, *inquit*, appellat non solū quę
" natura sua bona est, sed quæ bene culta, quæ suba-
" ta, quæ purgata est. Nam &, quæ secus viam est, bo-
" na est, sed arata non est: &, quæ spinis operta, bona
" fortasse, sed inculta. Illa absolute bona dicitur, quæ
" & natura pinguis, & diligentia bene culta est. Sic ex-
" emplum magis in homines conuenit. Quorum eā-
" dem. id est bona per se natura est, bona per se volun-
" tas, sed eam alij aut non colendo vię similem, aut non
" arte arando petrosam, aut non sarriendo spinosam
" faciunt.]

Bona igitur natura hominis, sed ex peccato vitiosa. Ex originali mala, sed ex consuetudine peccandi deterior, non sic vt nihil habeat boni, sed vt nihil possit, quod placeat summo bono. Hoc ergo, de bona terra, quam cum Deus creasset, vidit bonam esse, sed à diabolo consensu hominis vitiatam: Maldonatus.

Alter error nullus est. Verba Maldonati sunt. *Fructum vero, ait, vocat, aut opera bona, quæ fidei, & verbi* DEI *fructus esse solent. vt, auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus eius c. 21. 43. aut, quod magis credo, vitam æternam, vt 2. Cor. 9. 6. qui parce seminat, parce & metet, &, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, & ibid. vers. 10. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. & ad Gal. 6. 7. 8. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam. Et Iacob. 3. 18 fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.*

Fructus diuinus & æterna vitæ sunt.

Ecce non modo docet, sed demonstrat etiam esse vitam æternam. Proximus est fructus bona opera, perfectus vita æterna. Mirorque Tossanum verbi Dei, & fidei fructus facere bona opera, cum sint eius indicio peccata mortalia, non potius eum fructum dicere, qui lolium esse non potest. Deinde ex fructibus est primarius magna in Deum, & constans caritas, illa non in hac tantū vita, sed etiam in æterna manet, vt docet Apostolus: non igitur opus est ad bona opera huius vitæ dictum Christi astringere.

Hoc nequaquam tolerandum est, quod ait esse contra omnium veterum interpretationem, fructum illum de æterno præmio accipere. Vetus est Cyprianus, at ille de gloriæ præmio accepit. Ep. 77. Cuius numero, nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quasque ad cœlestem coronam gloria geminata prouexit. ne vero non mercedem intelligas, clarius explicauit l. de disciplina, & habitu virginum. *Primus, inquit, centenarius martyrum fructus est, secundus sexagenarius vester est. Vt apud martyras non est carnis & seculi cogitatio, nec parua, nec leuis, nec delicata congressio: sic & in vobis, quarum ad gloriam merces secunda est, sit & virtus ad tolerantiam proxima. Non est ad magna facilis ascensus, quem sudorem perpetimur, quem laborem cum conamur ascendere colles & vertices montium: quid vt ascendamus ad cœlum? si præmium pollicitationis attendas, minus est quod laboras. Immortalitas perseueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur. Seruate virgines, seruate quod esse capistis, seruate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, minus maximum castitatis.*

Ad loca Augustini quod attinet, nulla vel hoc loco vel Luc. 8. vel Marc. 4. profert Maldonatus quæ contra ipsum faciant: vt alibi ostendi.

QVÆSTIO II.

An meritum hinc doceatur & præmij inæqualitas?

§. 1. MAldonatus duos errores Caluinistarum ex hoc loco refutari docet. Primum, quo negant meritum. Alterum, quo præmij æqualitatem constituunt. Quod miror non legisse, aut desperasse de solutione Tossanum: nullam enim mentionem facit, alias Maldonati semper Aristarchus Meritum ex eo conficit: Quia non modo præmium bonitati terræ, sed etiam colentium diligentiæ & latori respondet. Itaque laborant, & consummant opus magno præmio destinatum, vt loquitur Cypr. de disciplina & habitu virginum. *Meritum negant, æquale præmium asserunt Caluiniani.*

Præmij autem inæqualitas numeris positis à Christo ostenditur; non enim eadem mensura cuncti fructus ferunt. Sed in beatitudine tamen omnes continentur. Falsa itaque est Wolffgangi Musculi doctrina: [Non minus carus est qui trigecuplum, eo qui centuplum habet. Qui duo talenta lucratus erat, audiebat & ipse illud: Euge serue bone &c. qui ergo perfecti fructum adferunt centuplum, non contemnant infirmiores: qui infirmiores 30. tantum habent, non inuideant perfectioribus.] *Nō omnes æque cari Deo.*

Nam omnes intrant in gaudium, sed diuerso gradu dignitatis, ac meritorum. Caluinus certe Musculo contradicit. [Atque hinc docemur, minime spernendos esse, qui minus excellunt, quando ipse paterfamilias, licet vnumquenque pro abundantiæ suæ gradu alijs præferat, communi tamen bonitatis elogio inferiores quoque dignatur.] *Caluinus suis contradicit.*

Præferri alios alijs à Deo est maius præmium accipere, non modo gaudiorum, sed etiam diuini iudicij. Nam à Deo præferri præmium est.

§. 2. An triplex ille gradus tribus hominum statibus recte accommodetur? Caluinus vnum Hieronymum taxat: [Ceterum tres istos gradus insulse Hieronymus ad virgines viduas, & coniugatas detorquet, quasi vero prouentus quem exigit à nobis Dominus ad solum cœlibatum pertineat. ac non sæpe vberior sit in proferendo omni virtutum fructu coniugum pietas. Hoc quoque obiter sciendum est, Christum non hyperbolice loqui de fructu centuplo, vt tunc fuit quarundam regionum fœcunditas: sicut ex historicis plerisque & quidem oculatis testibus constat.]

At primus istius interpretationis auctor non est Hieronymus, sed vetustiores. Ita res habet. Hieronymus, centenum virginitati, sexagenum viduis, tricenum coniugibus tribuit. Al jeodem ordine, Martyribus, virginibus, coniugatis, Aug. quæst. Euang. c. 9. qui viduas continentes aut virginibus, aut coniugatis accensere potest. Veteres quorum mentionem Hieronymus facit, Martyribus, Virginibus, viduis, omissis coniugibus. *Gradus fructuum & status hominum diuerso modo assignantur.*

Theophylactus, Anachoritis, cœnobitis, coniugatis. Est & alia apud Aug. l. 21. de ciuit. c. vlt. fuisse refert, qui dicerent, sanctorum nonnullos centum, alios sexaginta, alios triginta damnatos, sua deprecatione liberaturos, qui error ex Chiliastis, & Origenianis est.

§. 3. Patres eam interpretationem, non tanquam literalem, sed velut moralem statibus hominum accommodarunt. Literalis enim sensus aliud non intendit, quam fidelium diuersos esse fructus, *Diuersi dōnorum, & præmiorū gradus.*

& præmia, & diuersa dona; esse in Ecclesia maiores & minores pios, omnes tamen magnos. Qua in comparatione S. Augustinus l. *de Sancta virginitate* versatur, vt ostendat virgini præceptis Dei obedienti maius esse præmium constitutum, quam mulieri Dei præcepto obedienti. Statibus enim ibi Augustinus cap. 44. accommodat, qui solet virginum esse perfectior.

Coniuges multi etiam boni virginibus meliores.

§. 3. Apte prudenterque veteres ista statibus accommodarunt: Tametsi enim pij coniuges interdum viduis, virginibus, atque ipsis adeo confessoribus, & martyribus sanctiores inueniantur; si tamen status ipsos spectes, habent inter se analogiam, qualis fructuum est. Martyrum terra fertilis, sanguine suo rusfata, gladijs arata, vngulis occata, quæ adeo alto semen excepit sinu, radicesque depressit, vt viscera potius tyrannus, quam verbum Dei potuerit exscindere; quin laceris in membris lætius exuberauit: exemplum igitur fructus centupli martyrà patribus proponitur. Quia supremus caritatis apex est, pro Christi caritate mori.

Status virginum perfectior.

Alij centesimum, alij sexagesimum virginitati tribuunt, pro suo quisque sensu; Nam ruera cum terræ bonæ obstent, curæ, opes, voluptates mundi, quibus sementis verbi Dei suffocatur, maxime ea fugiunt virgines, quarum vnica cura est, vt Deo, non mundo, aut marito placeant: itaque si cætera paria sint, status ille, quo remotior est à mundi etiam licitis voluptatibus, eo magis regno cœlorum fructificat. Quæ omnia etiam in pijs, & secundis nuptijs, renunciantes viduas suo gradu conueniunt. Quod vero à martyribus, alij à virginibus initium fecerunt; ratio est, quod martyres in Ecclesia non statum aliquē esse, sed ex persecutione publicum fortitudinis documentum esse putarunt.

§. 4. Hæretici nostri veterum sese sobolem profitentur, cum eadem patribus obijciunt, ad quæ olim illi responderunt. Hieronymo Iouiniani sectatores obiecerunt coniugium ab eo damnari, quod virginitatem præferret, Ille, *in apolog se tuetur aduers. Iouinianum, ad Pammachium.*

Sed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptijs nascitur præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, si aurum pretiosius est? Aut arboris & segetis contumelia est, si radici & folijs, culmo & aristis præferantur poma & fructus? Vt poma ex arbore, frumentum ex stipula, ita virginitas ex nuptijs. Centesimus & Sexagesimus, & tricesimus fructus, quanquam de vna terra, & de vna semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, quia & ipsa digitorum Coniunctio, qua molli osculo se complexans, & fœderans, maritum pingit, & coniugem: Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia, & tribulatione sint positæ. Vnde & superiori digito deprimuntur: quia quanto maior est difficultas, experta quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius & præmium. Porro numerus centesimus (quæso diligenter Lector attende) de sinistra fertur ad dexteram: & ijsdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læua, nuptæ significantur & viduæ: Circulum faciens, exprimit virginitatis coronam. Oro te, qui hæc loquitur, damnat nuptias? Aurum virginitatem, argentum diximus matrimonium, centesimum, tricesimum, & sexagesimum fructum de vna terra exposuimus, & de vna semente generari: licet multum differat in numero, & quisquam tam iniquus lector erit, vt non ex meis dictis, sed ex suo me sensu iudicet. Et certè multo clementiores erga coniugia fuimus, omnibus pæne latinis & Græcis tractatoribus, qui centesimum numerum ad martyres referunt, sexagesimum ad virgines, tricesimum ad viduas: atq; ita fit iuxta illorum sententiam, vt de bonæ terræ, de patrisfamilias semine excludantur mariti. Verum, ne in principio cantus, in reliquis forsan improuidus fuerim: nonne post partitionem opusculi, cum ad quæstiones veni-

rem, statim intuli? Vos quæso vtriusque sexus virgines & continentes, mariti quoque & bigami, vt conatus meos orationibus adiuuetis. Cunctorum in commune Iouinianus hostis est. Quorum ergo orationibus indigeo, & quos adiutores mei operis precor, eos possum Manichæi errore damnare?

VERSVS 9.

Qui habet aures audiendi, audiat.

QVÆSTIO I.

Quæ dicantur aures audiendi?

§. 1. Ὦτα ἀκούειν, seu τῶ ἀκούειν aures ad audiendum sunt, quæ id efficiunt, ad quod datæ sunt; nempe vt doctrinam accipiendo intellectui ministrent. *Prouocamur autem ad dictorum intelligentiam,* inquit Hieron. comment. *quoties his sermonibus commonemur.*

Caluiniani qui horrendo Dei decreto, reprobos nihil nisi peccare posse contendunt, aures audiendi more suo solis electis tribuunt. Caluinus l. 3. c. 23. §. 13. [Præcipit Christus vt in se credatur, neque tamen vel falsa est eius definitio, vel præcepto contraria, vbi dicit, Nemo potest venire ad me nisi cui datum fuerit à Patre meo.

Cursum igitur suum habeat prædicatio, quæ adducat homines ad fidem, & continuo profectu in perseuerantia contineat. Neque tamen impediatur prædestinationis cognitio, vt qui obediunt non tanquam de suo superbiant, sed in Domino glorientur. Non abs re dicit Christus. Qui habet aures audiendi audiat. Ergo dum exhortamur & prædicamus, qui auribus præditi sunt libenter obediunt: qui vero carent, in illis impletur quod scriptum est, vt audientes non audiant. Cur autem (inquit Augustinus) illi habeant, illi non? quis cognouit sensum Domini? Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Hæc fideliter ex Augustino retuli.

Sed quia plus forte auctoritatis habebunt eius verba quam mea, agedum prodeant in medium quæ apud ipsum leguntur: Nunquid si hoc audito non nulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore procliues ad libidinem post concupiscentias erant: propterea de præscientia Dei falsum putandum est quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos fore præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur: & si malos fore præsciuit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter huiusmodi causas, quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda? tunc scilicet quando, si non dicantur, in alios itur errores.]

Hæc Augustinus, cuius verba ad suam hæresin detorquere conatur Caluinus, qui tantum ab illius Manichæismo abest, quantum cœlum à terra. Primo enim fatetur nescire se cur hi habeant aures audiendi, non habeant illi: non autem dicit esse quosdam qui non possint habere.

Deinde ait, *eos quos Deus præsciuit fore malos, eos fore malos in quantalibet nunc bonitate cernantur.* at Caluinus eos qui mali futuri sunt, in vlla vnquā bonitate versari posse negat. Nam præciso Dei decreto, & potentia irresistibili negant Caluiniani reprobum vnquam aliud facere posse, quam peccare. *Nam quicumque,* ait Caluin. l. 3. instit. c. 23. §. 12. sunt ex reproborum numero, vt sunt vasa ad contumeliam formata, ita non desinunt perpetuis flagitijs iram Dei in se prouocare.

VER-

VERSVS 10. & 13.

Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident; & audientes non audiunt, neque intelligunt.

QVÆSTIO I.

Cur loquatur in parabolis?

§. 1. INitio cum de parabolis agerem, dixi eas vim habere monendi, & elucidandi. Itaque nisi Dominus causam cur ita loquatur aperuisset, claritatis & doctrinæ gratia parabolas adhibitas suspicari quispiam posset. Verum Christus ideo se ita loqui asserit, *vt videntes non intelligant*. Discipuli enim cum ipsi parabolam nō intelligerent, viderent etiam turbam attonitam potius, quam dicta capientem, communem causam egerunt, & cur in parabolis loqueretur, quæsierunt. Consultum igitur & sibi, & populo volebant. Verum notum est parabolas esse quasdam difficiles, quæ non exponuntur, alias faciles, si similitudo rei accommodetur, de qua agitur. Hæc parabola, & zizaniorum eiusmodi erant, vt sine expositione non intelligerentur. Quasdam alias exposuit, & respondent se omnia intellexisse auditores. Has autem non intellexerunt, quia attendere noluerunt; quia etiam postquam intellexissent, contemnere parati erant. Vitium obscuritatis non est Christi verbis, quæ explicaturus erat, idoneis auditoribus, sed in animis auditorum animalium, monita spiritalia fastidientium.

Intelligent, qui hæc eorum mysteria.

VERSVS 11.

Qui respondens, ait illis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum.

QVÆSTIO I.

Cur datum Apostolis non aliis?

§. 1. QVidam interpretantur ideo datum Apostolis, quia electi, non datum aliis, quia reprobi. Hoc quidem loco illud dici non potest: Iudæ datum est, quod & cæteris, nec tamen ille misericordia electus est, secundum propositum; Et aliqui in grandi illa turba fuerant, qui honesto & bono corde semen fructificaturum exceperunt: itaque cuidam non electo mysteria explicata sunt, aliis electis ad tempus negata expositio. De quibus vere Chrysostomus dixit: Noluisse eis tunc dare, vt postea pulsantibus, & orantibus daretur.

Electionem aut reprobationem non datum.

§. 2. Deinde causam subiicit, cur illis explicet, aliis minime; quia habenti dabitur, non habenti & illud quod habet auferetur. Habebant igitur aliquid Apostoli, vt plura daret, carebant aliquo alii, propter quod etiam illud quod habebant auferebatur. Non agitur hic de prima omnino gratia, sed maiore eius abundantia. Nam in prima danda, aut cur huic det illi neget; non potest ratio inueniri, sed sola εὐδοκία seu beneplacitum operatur, & miseretur cuius vult: cum vero iam prima gratia bene accepta est, eaque bene vtitur, quæ tamen & ipsa gratia est, iam ex fidelitate promittentis, alia etiam gratia datur, & iustitia augetur. Nec hoc loco prædestinationem suam Caluiniani magnopere vrgent. Alias enim causas inueniunt: cur sit negatum turbis: Beza: [Mysteria vero dici meminerimus, non quæ in Ecclesia sua Deus quibusuis parere velit, sed quæ soli Ecclesiæ suæ patefacit Filius, cæteros iusto suo iudicio deserens in tenebris: & præsertim hoc iudicium (vt ex hoc loco apparet) in eos ferē qui Dei beneficium sunt pertinaciter aspernati.]

Caluiniani causam dandi & negandi non referunt ad electionem.

Aretius quoque in discrimen auditorum confert. Rationem ait esse *grauem, & euidentem, quia πρέπον hoc requirat*, vt discrimen doctrinæ, quale est in auditoribus. Deum vero improbos perterrefacere, cum perspiciunt seuerum Dei iudicium contra ingratitudinem, & pertinaciam suam. *Culpa*, inquit idem Aretius, *non seminis, sed animi audientis*. De eo negocio, & altissimo Dei consilio Augustinus de gratia & libero arbitrio ad Valentin. c. 22. *Cuius*, inquit, *vult miseretur, & quem vult obdurat; in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala eius merita credite; in eo vero cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro bonis, sed bona pro malis fideliter & indubitanter agnoscite.*

Doctrinæ est discrimen, quale est auditorum.

Similia l. de corrept. & grat. c. 5. 6. 7. & de dono perseuer. c. 9. & 11. Verum vt Caluinianorum rigor paulisper emolliscat, & in Deum insurgere desinat, Proponam hoc loco Bullingeri, quem multi eorum compendio describunt, enarrationem in hunc locum. Chrysostomum enim ille sequitur, & sequi profitetur. [Quasi dicat, *inquit*, Ideo vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, quia lumen illud vobis inditum cælitus non extinguitis, quia fideliter indagatis veritatem, quæ vobis cordi est, quia cupitis illam vobis augeri, & quotidie fieri perspicatiorem magis ac magis. Isti vero quia veritatem parui faciunt, nihil inquirunt, donum illud sibi concessum, Domini gratia, non locupletant, imo ægre illud quod ante pedes iacet subleuant; ideo sua culpa & inertia ea etiam, quæ alioqui satis intelligibilia sunt, non intelligunt, tandem & omni gratia amissa occæcantur & indurantur. Nam habet in præsenti, qui donum Dei quantumuis exile & minutum sit, pro Dei dono agnoscit, qui modico illo initio bene vtitur, & talento sibi credito, quo ditior reddatur, fideliter negotiatur. Huic dabitur, & reddetur habitior, abundantior, opulentiorque. Auget enim Dominus dona sua gratis piis & piarum rerum studiosis. Rursus non habet, qui tamesi dono Dei, aliquo saltem, non destituatur, ideo tamen nihil se doni habere diuinitus concessum arbitratur, quia exile est & modicum illud quod habet. Talis inquam non agnoscit se habere, quod tamen reuera habet. Nam mox sequitur, etiam illud quod habet tolletur ab eo. Diuina ergo bonitate donum habet Intellectus illuminationis bonæ voluntatis, &c. Et à non habente quicquam nemo abstulerit quicquam: verum non habere dicitur ingratus, quia quod habet nihil, aut quasi nihil, prorsus habeat iniquissime reputat. Culpa ergo sua & merito suo maximo, nulla Dei morositate, difficultate aut tyrannide huiusmodi homines sui relinquuntur erroribus & ignorantiæ crassæ, recedente ab ipsis Dei Spiritu quem negligunt atque contemnunt. Non alium sensum sequutus est etiam Ioannes Chrysost. Homel. in Matth. 46. sic scribens. Hic locus non parua caligine obductus est, & ineffabilem diuinæ maiestatis iustitiam aperit. Huiusmodi enim est quod dicitur, Cum enim quispiam desiderat, ait, & magno studio atque cura virtutem inquirit, tunc ei ex Deo cuncta præstabuntur. Cum autem nullo studio atque voluntate ad recte faciendum pronus est, tunc ei diuinum auxilium non conceditur, & quod etiam habet auferetur ab ipso. Non aufert certe Deus, sed non præbet indignis fauorem & patrocinium suum. Hoc ipsi quoque nos facitamus.

Causa in auditoribus cur explicetur verbum.

Negligēs auditor cōmmittur.

„ mus. Cum enim negligentem aliquem ad audien-
„ dum perspexerimus, adhortamur & admonemus, vt
„ diligentius attendat: & si crebro id facientes non
„ persuaserimus, silentio vtimur, præsertim cum vi-
„ deamus ex maiori cura in maiorem illum deuolui
„ desidiam: Attentiores autem discendique cupidos
„ attrahimus libenter & complura docemus.]

Diuitibus & dono, & mutuo dant.

§. 3. Prouerbium igitur è medio sumptum est. Qui enim multa habent, facile illis multa donantur, imo lubens volens quisque illis mutuum dat, si egere cœperit, sua quisque mature reperit. Ablata sunt à Iudæis, quæ habere videbantur, & data gentibus. Mihi hinc duo manifesta documenta colligi videntur. Primum est, veteres martyres, patresque, in quibus tanta caritas, tantus ardor orandi, tantum studium scripturarum fuit, largiter mysteriorum notitiam accepisse. Si enim habere, est *aliquantum profecisse*, vt ait Beza: Si bene sperandum est illi, *qui vel scintillam fidei habet*, vt docet Piscator, quid non operandum illis, qui fide mundum, & tormenta superarunt, & signa victoriæ, cicatrices & mutilationes in triumphali corpore gesserunt?

S. Patres habuerunt & acceperunt.

Scriptura non seipsa, sed explicatione clarescit.

Alterum, Scripturam non esse facilem, sed explicatione indigere, non modo enim aliis, sed Apostolis ipsis Christus dicta interpretatur, non modo sua, sed Prophetæ etiam verba. Hinc tot hodie contrariarum hæreseon labores intuemur, quarum vnaquæque in solidum cognitionem Scripturæ sibi arrogat. Nec tamen facile fides illis habenda est, qui videntes non vident, & audientes non audiunt. Difficiliorem rem faciunt ipsorum decreta; monet Piscator, *Intelligentiam hanc datam solis electis*; at vnde cognoscam huius vel illius commentarios esse auctoris electi? Credo ne illos quidem existimare inter tot millia stentorum, clamantium, & scribentium nullum esse reprobum. Idque multo magis in tanta discordia, & litigio.

Scriptores Caluiniani non omnes electi.

§. 4. Tertullianus contra hæreticos tuetur Apostolos, obiiciebant enim Dominum *non omnia Apostolos* docuisse, inde ipsi nouandi occasionem acceperunt. *Solent*, inquit, *dicere, non omnia Apostolos scisse eadem agitati dementia, qua rursus conuertunt: omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in vtroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit. Quis enim integræ mentis, credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu; quibus obscura quaque seorsim differebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret?*

Christus omnia Apostolis explicuit.

Nostri hæretici veterum discipuli.

Idem de Patribus, totaque Ecclesia nostri hæretici dicere solent, vt monet in hunc Tertulliani locum Macereus, & Pammelius: Tam autem impium est, dicere, Ecclesiam Christi sponsam post Apostolos veram doctrinam amisisse, quam negare illi ab Apostolis prædicatam, Spiritus enim Dei, qui rudimenta prima dedit, perfecitque, eadem conseruauit.

Non omnia, non semper in parabolis locutus est.

§. 5. Nec dum depranandi Euangelii finis est. Marcionitæ, aliique resurrectionis negatores, prosapia Saduccæorum apud Tertullianum de resurrectione carnis cap. 33. obiiciunt, *Christum omnia in parabolis locutum*, proinde & de carnis resurrectione. *Satis hac de prophetico instrumento ad Euangelia nunc prouoco, hic quoque occursurus prius eidem astutiæ eorum, qui proinde & Dominum omnia in parabolis pronuntiasse contendunt, quia scriptum est: Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, & sine parabola non loquebatur ad illos, scilicet Iudæos. Nam & discipuli, Quare, aiunt, in parabolis loqueris? & Dominus, propterea in parabolis loquor ad eos, vt videntes non videant, & audientes non audiant, secundum Esaiam. Quod si ad Iudæos in parabolis, iam non ad omnes: Si non ad omnes in parabolis, iam non semper, nec omnia parabolæ, sed quædam & ad quosdam. Ad quosdam autem dum ad Iudæos. Nonnunquam plane & ad discipulos, sed quomodo referat scriptura, considera. Dicebat autem & parabolam ad eos, ergo & non parabolam dicebat: quia non notaretur quum parabolam loquebatur: si ita semper loquebatur: & tamen nullam parabolam non aut ab ipso inuentas edissertam; vt de seminatore in verbi administratione, aut à commentatore Euangelij præluminatam, vt iudicii superbi & vidua instantis ad perseuerantiam orationis; aut vltro conciliandam, vt arboris sici dilatæ in spem ad instar Iudaicæ infructuositatis. Quod si nec parabolæ obumbrant Euangelij lucem, tanto abest vt sententia & definitiones, quarum aperta natura est, aliter quam sonant sapiant.*

Poterant ea ratione non modo resurrectionem, sed omnia plane Christi dicta, suasque hæreses instaurare. Nam si ita vere sentiebant, nullum Scripturæ testimonium poterat. Mihi satis sufficienterque hoc ipso refutari videntur, quod parabolarum expositiones non esse parabolas concedere illos oporteat.

Contra Nouatores etiam illud notandum est. In definitionibus, & dogmatis Tertullianum non admittere parabolas, multo minus in breuissimo testamento eas admisisset, quæ nunc profanare religio Christo imputat.

Idcoque Caluinismus ad Arianismum & Turcismum est gradus; Si enim, cum dicit in condendo Testamento: *Hoc est corpus meum*, intelligit signum, & mnemosynon corporis. Cur non & illi dicent; cum dicit; *Hic est filius meus*, non intelligi filium naturalem, sed adoptiuum, figuratum?

VERSVS 14.

Et adimpletur in eis Prophetia Isaiæ dicens: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.

QVÆSTIO I.

Rectene nostri interpretes verterint?

§. 1. DIscrepant, aut discrepare videntur apud Hebræos verba, sensus idem est. Principio noster, & Græcus omittunt illa verba: *Vade & dic populo huic.* quæ necessaria ad sensum non sunt. Id solum notandum, & illi populo conueniisse, & illis quibus Christus prædicabat, itemque Iudæis, quibus Romæ Paulus Actor. 28. loquebatur; Eadem erat enim diuersis temporibus, locis, populi Israelitici contumacia. Tempora, personæque mutantur, sed manent eadem constanter vitia.

§. 2. Adimpletur in illis, ἀναπληροῦται Euangelista; nam & olim impletum erat, cum prisci obsisteretur; non erat vero tum tantummodo exprobratio contra præsentes. Sed prædictio etiam de futuris. Syrus habet שלמא *Schalema perficitur, completur.* Ἐπ' αὐτοῖς, pro ἐν αὐτοῖς Syrus בהון *behun in illis.* Ita Hebr. 8. 1. Poterat & verti *super ipsos*, quod de graui, onerosa, & minace prophetia Scripturæ vsurpant. Sic fere vertunt illud: Iliad. a.

Οὔτις ἐμὲ ζῶντ' ὀν καὶ ὀπὶ χθονὶ δερκομένοιο
Nemo me hinc, & in terra seu super terram videnti.

Sic

Sic ἐπὶ καιρῷ in tempore. Posset & exponi ἀφ' ἑαυτοῖς apud ipsos. Sed in his omnibus idem est sensus, nisi ἐπὶ quodammodo efficacius, quam πρὸν esse videatur.

§. 3. Auditu audietis. Hoc nec ad verbum cum Hebræo conuenire videtur, nec inter se interpretes consentiunt In Hebræo est שמוע שמועו schimghu schamnagh, *audite audiendo*, vbi 70. ἀκοῇ ἀκούσετε, auditu audietis. Chaldæus, *audientes audietis*. Sic reliqua verba apud Prophetam sunt imperatiui modi; nolite intelligere, vel, ne intelligatis אל תבינו *al thabinu*. *Videte visionem, & ne cognoscite.* vbi Septuag. βλέποντες βλέψετε, *videntes videbitis*. In Hebræo est diuersa dictio ראו videte oculis scilicet, Messiam, & אל תדעו velo thedaghu, & *ne cognoscite* Ex his apparet verba paululum immutata esse, positumque in futuro, quod Propheta dixerat impetrandi modo.

Hebræi imperatiuum exprimunt futuro.

Causa cur factum sit, est in Hebraismo; Visitatum illis est, sic futura exprimere. Septuaginta, Chaldæus, Christus, Paulus alio modo expresserunt, quia sensum reddiderunt. Nec putat Hieronymus ideo factum ne Deus videatur imperare excœcationem; quia alibi septuaginta & Apostoli eadem loquendi formula vtuntur. Sic ille in 6. Isaiæ caput. Neque dicendum textum à Iudæis postea corruptum; ridiculum namque foret, Christum sic protulisse, sicut Iudæi postea erant corrupturi.

Cum vero vt obseruauit Origenes, Christo vel Apostolis nunquam obiectum fuerit Scripturæ deprauatio, non dubito eos omnes scripturas recitasse eo sensu, quo tunc accipiebatur, & in Synagoga exponebantur. verbi gratia. Cum dicitur. *Audite & ne intelligite*: Sic explicabant. vt dicerent. Non imperare Deum, ne intelligant, ne studeant, ne inquirant; contrarium enim mandatum habebant. Nec poterant illi exponendi prouinciam suscipere, si intelligentia auditoribus prohiberetur. Sed prophetiam esse dicebant, minantem fore, vt malitia, & ignauia excœcati nollent verbum Dei intelligere. Hoc ergo sensu, quem omnes animo tenebant, Dominus Scripturas producens, nullum habuit obloquutorem, qui quereretur, non verba singula annumerari.

Christus semper scripturam citat vera, & tunc nota sensu.

Parui momenti est, quod Erasmus vertit *auribus audietis*, cum non sit ἀκοαῖς, sed ἀκοῇ, vt obiicit illi Beza. qui tamen errat cum אוזנים Oznim ponit pro אוזנים Oznaim. Noster interpres Actor. 28. 26. *aure audietis.* ἀκοῇ pro auribus solet accipi, vt ὄψις pro oculis. Sic dicimus ἀκοῇ αἰσθάνομαι *aure sentio*. Plato in Timæo. διὰ ἀκοῆς ἐπεδέχετο, *nec auribus egebat*, Cicerone interprete. Sic ἀκοὰς ὑποφράττειν, *aures obsepire* est apud Lucianum in Philipp. Nec abludit ab hac Prophetia, qua paulo post dicuntur, *Auribus grauiter audisse*. Aliud discrimen non occurrit, nisi quod Syrus non habet. ἡ προφητεία λέγουσα, sed refert verbum *dicens* ad Isaiam hoc modo. Prophetia Isaiæ dicentis, hoc enim indicat verbum ראמר *damer*.

Beza in Hebraica errat.

Deinde in Hebræo est תבינו thabinu intelligite, Syrus licet alterum verbum retinuerit, nam, *ne cognoscite*, dicit eodem quo Hebræus verbo. Hic tamen mutauit, & pro תבינו vtitur verbo תסתפלון thestackelum, quod supra expositum est.

VERSVS 15.

Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauibus audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

QVÆSTIO I.

Rectene Hebræa conuersa sint?

§. 1. VEtus Isaiæ interpres ita habet: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* *Versionum varietas.*

Septuaginta vero: ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μὴ ποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.

Hebræum exprimit Chaldæus, nisi quod pro השמן *Impingua vel excæca*, habet טפש *Infatua*. In hisce primo obseruandum est, in Hebræo imperatiuum pro futuro poni, vel præterito; nam Prophetis vsitatum id est. Erat populi cor incrassatum, eius populi quem Propheta reprehendit, & eius quem Christus Apostolique docturi erant, cor etiam excœcandum erat. Itaque Septuaginta, eosque imitatus Dominus in præterito vertit. Itaque nihil contra veritatem ex hac modorum, & temporum analloge effici potest, vt postea ostendam.

§. 2. Quod est in Hebræo השמן incrassa, impingua, quod 70. ἐπαχύνθη vertunt, id noster *excæca* cõuertit. Ratio est, quia quæ pinguia sunt obtuso sunt sensu, & pinguedo, seu adeps est sensus expers. Hinc pingui Minerua fieri dicitur, quod ruditer, & stupide peragitur, & in Prouerbiali hebetudinis opprobrio, dicimus, *pingues ventres*, cum abesse ingenium significamus: ita Cicero se aduersarii cuiusdam adipem non timere dixit. Cum vero vtrunque sit metaphoricum, crassum, & cœcum cor, noster interpres vsitatius verbum vsurpauit. Nam intelligendi crassitudo, seu pinguedo non est aliud quam cœcitas, ex cura rerum terrenarum, & diuitiis. Verum ea dere in Isaiæ expositione agendum. *Pinguitudo pro hebetudine ponitur.*

§. 3. Quidam ex septuaginta corrigunt Hebræa. Nam pro השמן *haschmen, Impingua*, legunt mutatis punctis חשמן *hoschman*, impinguatum est. quod quidem hoc in verbo facile fieri potuit, sola punctorum mutatione, apud veteres autem puncta non fuerunt, in aliis tamen verbis opus videtur maiore mutatione. Nam vbi habet aures eius aggraua, In Hebræo est הכבד *Hachbed*, legendum ergo plurali numero, nam in Græco est, βαρέως ἤκουσαν, *grauiter audierunt*. Itaque vel legendum הכבדו *hachbadu, aggrauata sunt*, quod clarius expressit interpres dicendo, *grauiter*, hoc est, difficulter, more surdastrorum audierunt. Verum legere potuerunt, הכבד *aggrauata est*: & quia de collectiuo multitudinis agitur pro singulari pluralem ponere.

Eodem modo dicendum de השע *Haschagh*, pro quo si non legerunt plurali numero השעו Hoschaghu, certe legere potuerunt השע clausus est. Verum hisce lectionibus repugnant Hebræa verba, quæ plurali *De Hebræa lectione cõiecturæ.*

plurali numero ponuntur. Itaque tenenda est Hebræa lectio. Tum quia D. Hieronymus eam, vt suo tempore communem vsurpat, & Origenis æuo fuisse testatur, tùm quia vetus interpres Latinus & Chaldæus eam retinent. Hoc denique obseruandum est. In Septuaginta interponi causalem ὅ, *enim*, itemque apud Matthæum. Redditur enim ratio cur dicat cor incrassatum, quia sensus ipsi obstupuerunt. Et reuera est in homine nimia interdùm aruina causa hebetudinis.

Pingues tardo ingenio. Quin & Physiognomones magnum cor, ac multo adipe fultum tardi ingenii signum esse aiunt. Fuligines enim generare, & circumfuso cerebro stoliditatem efficere. Verum vtcunque illa habeant, constat saginâ carnis mentem suffocari; oraculum est:

Παχεῖαν γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
Pinguis venter non gignit sensum tenuem.

QVÆSTIO II.

An Deus incrasset corda?

Deum excæcantem Manichæi malum aiunt. §. 1. VNus est hic ex illis locis quibus olim Manichæi probare nitebantur duo esse Principia, bonum & malum. à malo esse vetus Testamentum, à bono nouum. Sic Marcionitæ apud Irenæum l. 4. cap. 48. Sic Marcionem apud Tertull. l. 2. disputantem videmus. Etiam Archelaus Mesopotamenus Episcopus apud Cyrillum Catechesi 6. Augustinus variis locis quæstionem pertractat. Præsertim l. de gratia & libero arbit. cap. 21. 22. 23. De prædestinatione & gratia cap. 15. De prædestinat. sanctorum cap. 8.

Irenæus quidem ex hoc loco respondet ad blasphemiam eorum alio ex loco sumptam. *Sed indurauit*, ait, (*inquiunt illi*) *Deus cor Pharaonis, & famulorum eius. Qui ergo hæc imputant, non intellegunt in Euangelio, vbi discipulis dicentibus Domino, Quare in parabolis loqueris eis? Respondit Dominus: Quoniam vobis est datum cognoscere mysterium regni cœlorum, illis autem in parabolis loquor, vt videntes non videant, & [audientes non audiant] intelligentes non intelligant, vt adimpleretur apud eos Prophetia Esaiæ dicens, Incrassa cor populi huius, & aures eorum obtura, & oculos eorum obcæca. Vestri autem beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, & aures vestræ, quæ audiunt, quæ auditis. Vnus enim & idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert cœcitatem. Quemadmodum Sol qui est creatura eius, hù qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen eius: his autem qui credunt (et,) & sequuntur eum, pleniorem & maiorem illuminationem mentis præstat. Secundum hunc igitur sermonem & Apostolus ait in secunda ad Corinthios. In quibus Deus, saculi huius, excæcauit mentes infidelium, vti non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi. Et iterum in ea quæ est ad Romanos. Et quemadmodum non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, facere quæ non conueniunt. In secundo autem ad Thessalonicenses, manifeste ait de Antichristo dicens: Et ideo (mittet Deus operationem) erroris, vt credant mendacio, (vti) iudicentur, omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Si igitur & nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & auertit faciem ab huiusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt: quid mirum si & tunc nunquam creditурum Pharaonem, cum his qui cum eo erant, tradidit eos suæ infidelitati?*

Idem dens in veteri, & nouo Testamento excæcat.

Deus excæcat vt Sol.

Excæcat relinquendo in tenebris.

Non ergo Irenæus iudicat eos fuisse efficienter à Deo incrassatos, aut excæcatos, sed in tenebris quasi ipsi sibi elegerant relictos. Et Augustinus l. 20. de ciuit. Dei cap. 9. ad permissionem refert. *Nec dubitauit*, ait, *addere, & dicere: Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Deus enim mittet, quia Deus diabolum ista facere permittet. iusto ipse iudicio: quamuis faciat ipse iniquo malignoque consilio. Sed consenserunt iniquitati.*

Et de natura & gratia c. 22. *Materiam peccati dicit esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, vt plura peccaret. Nec cogitat præuaricatorem legis, quam digne lux deserat veritatis, qua defertus vtique fit cœcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq; non surgat, vt ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Saluatoris. An nulla pœna est eorum, de quibus dicit Apostolus. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, vtique ista obscuratio vindicta & pœna iam fuit: & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente loco sapientiæ, & in plura, & grauia peccata collapsi sunt. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Grauis hæc pœna est. si quis intelligat, & ex hac pœna vide, quo ierunt, & immutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, ista fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum.*

Et c. 23. *Fortasse respondet Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri, tantum deserere. si hoc dicit, verissime dicit, deseri quippe, vt dixi, luce iustitiæ, & per hoc contenebrati quid pariant aliud, quam hæc omnia, quæ commemorauimus opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus? Mortuos Veritas dicit: vnde est & illud, Sine mortuos sepelire mortuos suos.*

§. 2. Consentiunt his ipsa verba: *oculus suos clauserunt*, ἐκάμμυσαν, fecerunt vt conniuerent. Conniuere autem dicuntur non quos natura prohibet videre, sed quos voluntas, cum vel offertur quod inuiti intuentur, vel quod videre dissimulant. Quid igitur mirum si talibus gratiam Deus denegat? Nec verbum Hebræum שׁוּע *schuch*, ab ipsa re abludit: de voluntaria enim obturatione accipitur. Isa. 6. Psalm. 38. & Chald. hoc loco habet עמיעם gham-gham, R. Salomon & R. Abraham habent, *limi, complana, incrusta.* oculos ergo claudunt, & liniunt, ne opus sit intueri Dei mandatum, quod segnibus, & reluctantibus crebro ingeritur. Iam vero supra ostendi orationem non esse iubentis, sed exprobrantis. Qualis illa,

I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas,
I, nunc argentumque aurumque, & marmora,
Suspice cum gemmis, Tyrios mirare colores.

Ne vero Propheta id Dei iussu agere ab aliquo putaretur, ideo Christus formam locutionis immutat. Quamuis Arias Montanus in hunc Isaiæ locum inuitiuos esse arbitratur, non imperatiuos.

§. 3. Qui hoc tempore omnia congerunt vt Manichæorum, aliorumque hæreses reducant, quo prædestinationem, & reprobationem Zvinglianam stabiliant, hanc excæcationem ad media reprobationis reuocant. [Media pertinentia ad executionem decreti reprobationis ad æternam mortem, partim omnium reiectorum & reproborum (siue ad adultam ætatem perueniant, siue ante eam moriantur) partim quorundam solum propria esse. Medium omnium commune, desertionem esse in peccato per gratiæ salutiferæ negationem, eius quæ cui ad salutem necessaria & sufficiens sit. Hanc negationem duobus constare membris; primum enim Deum non velle vt Christus pro ipsis moriatur aut ipsorum Seruator sit, neque quoad voluntatem Dei antecedentem, vt quidam eam vocant, neque quoad sufficientiam, aut valorem precii reconciliationis; quum pretium hoc neque respectu decreti Dei, neque respectu virtutis & efficacitatis pro reprobis quidem obla-

Sunt Dona dantur prius Spiritum Sancti.

„ oblatum sit, alterum vero huius negationis membrum esse, quod Deus non vult reprobis Spiritum „ Christi communicare, absque quo tamen Christi „ & beneficiorum eius participes fieri non possunt.

„ Medium quorundam solum reproborum pro„ prium obdurationem esse: quæ adultis contingit, si„ ue quia sæpius atque enormiter contra legem Dei „ peccauerint, siue quia gratiam Euangelii repudiaue„ rint. ad executionem primæ indurationis pertine„ re conscientiæ per notitiam illuminationem & con„ uictionem illius de iustitia legis. Hanc legem non

Legem impossibilem illi datã sunt.

„ posse non necessario eos in iustitia detinere, vt in„ excusabiles fiant. Ad executionem secundæ indu„ rationis, Deum vocatione vti per prædicationem „ Euangelii, quæ inefficax atque insufficiens sit, tam re„ spectu decreti Dei, quam respectu ipsius euentus. „ Hanc vocationem aut externam solum esse, cui ne„ que velint neque possint obedire; aut etiam inter„ nam esse, qua quidem quidam in intellectu excitentur ad accipiendum & credendum quæ audiunt; sed „ fide tamen solum tali, qua præditi Diaboli contre„ miscunt: quidam vero etiam vlterius prouehuntur, „ vt aliquo modo desiderent cœlestia dona gustare. „ Hos vero omnium infelicissimos esse, quippe qui in „ altum tollantur, vt lapsu grauiore ruant. Idque non „ posse non ipsis euenire; necessario enim redire eos „ ad vomitum & à fide deficere.]

Fidenda maxime Manichæi dicebant.

§. 4. Sicilli qui hodie in Europa, præsertim Hollandia, omnia veterum errata incrustare noua fa- cundia conantur.

Responsionem à suis audiunt, propriis iudicibus damnati: eam dignam meliore auctore referam, nec tamen lectu indignam, quia à Catholicis sumpta est, reuocant ergo, & restitui auctoribus suis debet. Nec iniucundum fuerit audire pro Catholicis argumentantem dissensionem hæreticorum. Cur ergo dissentiat, causas addit.

Olim damnatus Gommarus.

Quòd hæc doctrina inde à Christi tempore primis sexcentis annis, in nullo vnquam Concilio siue generali siue particulari admissa decreta aut probata sit. Non in Concilio Niceno, in quo contra Arium de Deitate & ὁμοούσιον filii Dei actum est. Non in primo Constantinopolitano, in quo contra Macedonium de Deitate Spiritus Sancti decretum factum est. Non in Concilio Ephesino, in quo contra Nestorium de vnitate personæ Filii Dei actum est. Non in Calcedonensi, quod Eutychem damnauit, decreuitque in eadem vna Domini nostri Iesu Christi persona duas distinctas naturas esse essentia sua inter se differentes. Non in Constantinopolitano secundo, in quo Petrus Episcopus Antiochenus & Anthymus Constantinopolitanus cum aliis quibusdam damnati sunt, adserentibus Patrem quoque passum esse. Non etiam in tertio Constantinopolitano, in quo Monotelitæ damnati sunt, adserentes in Iesu Christo non nisi vnam solum voluntatem & operationem esse. Imo vero etiam hæc doctrina in Conciliis particularibus, Hierosolymitano, Arausicano, quin imo nec in Mileuitano Africæ, quod contra Pelagium, eiusque errores celebratum est, ventilata aut confirmata fuit; prout apparet ex articulis doctrinæ, qui in eo contra Pelagium eiusque errores decreti sunt. Tantum vero abest, vt doctrina ipsius etiam Augustini de prædestinatione, in illis Conciliis recepta sit, vt Celestinus Episcopus Romanus, qui illo tempore viuebat, ad Episcopos Galliæ scribens & Pelagianorum doctrinas condemnans, in fine suarum litterarum in hæc verba concludat. Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus, ita non necesse habemus adstruere; quia ad confitendum gratiam Dei cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt, &c. Quod vero attinet ad regulas à Cœlestino in illa Epistola positas, atque etiam in præcedentibus tribus particularibus Conciliis decretas, de illis nullo negotio inter nos conueniet, maxime quantum ad ea, quæ pro gratiæ adstractione necessaria sunt contra Pelagium, eiusque errores.

Calumnia multis in Conciliis probatur.

Quarto quod hanc doctrinam nunquam vlli bene sentientes & orthodoxi Ecclesiæ doctores, primis sexcentis post natum Christum annis, in medium attulerint atque approbauerint; ne quidem aliquis ex illis, qui præcipui atque acerrimi gratiæ adstructores contra Pelagium exstiterunt: quales fuisse constat Hieronymum, Augustinum, auctorem libri qui inscribitur de vocatione gentium, Prosperum Aquitanicum, Hilarium, Fulgentium, Orosium: quod ex ipsorum scriptis apparet. *Nulli veteres hanc doctrinam professi sunt.*

Quinto, quod non congruat neque conueniat cum Harmonia confessionum earum, quæ sub nominibus Ecclesiarum reformatarum atque protestantium, vno simul in libro Genuæ impressæ editæque in lucem sunt. Si hæc confessionum Harmonia fideliter consulatur id appariturum est, multas confessiones non eodem illas modo de prædestinatione loqui, quasdam non nisi obiter solum illius meminisse: quæque maxime exstant atque vrgentur in hac de Prædestinatione doctrinæ capita, nuncque à me adducuntur, ea plane me attingere quidem semel. *Ipsi hæretici damnant.*

Nullam vero penitus confessionem sic eam tradere, prout ea à me antea proposita fuit. Cõfessio Bohemica, Anglica, Wirtenbergensis, prima Heluetica, quatuor ciuitatum, Argentorati, Constantiæ, Memmingæ & Lindauiæ, huius Prædestinationis nullam mentionem faciunt. Basiliensis & Saxonica non nisi obiter tribus solum verbis illam destringunt. Augustana sic de ea loquitur, vt annotatione aliqua eam opus habere ad præmonendos nos Genuenses iudicauerint. Heluetica postrema, cui adstipulati sunt & subscripserunt magna pars reformatarum Ecclesiarum; sic etiam ipsa de ea loquitur, vt ego quidem optem videre, quanam tandem ratione cum ea, quæ modo à me producta est, Prædestinationis doctrina, subsistere possit; licet etiam eam Genuensis & Sabaudica Ecclesiæ approbauerint.

Sexto. Optimo iure sine contentione aut cauillatione in dubium vocari potest, vtrum hæc doctrina concordet cum confessione Belgica & Catechismo Heidelbergensi; quod breuiter demonstrabo; in confessione Belgica Artic. 14. hæc leguntur. *Homo seipsum sciens & volens peccato & per consequens morti ac maledictioni subiecit, dum diaboli verbu & impostoris aurem præbens, &c.* *Confessio Belgica eam damnat.*

Vnde concludo hominem non peccauisse necessitate aliqua vllius præcedentis decreti prædestinationis; quod cum hac, contra quam ago, Prædestinationis doctrina ex diametro pugnat. In Articulo deinde 16. in quo de æterna Dei electione agitur, hæc verba leguntur. *Deus se demonstrauit misericordem, ex damnatione liberando & seruando eos quos in aterno & immutabili suo consilio, pro gratuita sua bonitate elegit in Iesu Christo Domino nostro, absque vllo operum ipsorum respectu; iustum vero, in illo suo lapsu & perditione alios relinquendo, in quem sese ipsi præcipites dederant.* Quæ verba quomodo cum hac de Prædestinatione doctrina conueniant, plane non video. *Homo peccauit non coactus.*

In Ca-

In Catechismo Heidelbergensi, quæstione vigesima, hæc leguntur: *Non omnibus qui in Adamo perierant per Christum salutem reddi, verum ijs tantum, qui Christo vera fide inseruntur, eiusque beneficia amplectuntur.* Vnde concludo, Deum nullos homines præcise ad salutem prædestinauisse, quin ipso in decreto suo tanquam credentes intuitus sit. Quod cum primo itemque tertio capite huius prædestinationis pugnat. Similiter quæstione quinquagesima quarta hæc leguntur. Credo filium Dei, sibi ex vniuerso genere humano cœtum ad vitam æternam electum, per Spiritum suum & verbum, in vera fide consentientem ab initio mundi ad finem vsque colligere: Vbi electio ad vitam æternam & consensus in fide, iuxta se mutuo collocantur, idque sic vt postremum hoc priori non subordinetur; quod tamen iuxta sententiam huius Prædestinationis fieri debuisset, verbaque hoc modo collocari: *Filium Dei sibi cœtum ad vitam æternam electum, spiritu & verbo suo vocare atque colligere, idque vt credant, & in vera fide inter se consentiant:*

Quæ cum ita sese habeant, nulla causa est, cur qui hanc de Prædestinatione sententiam amplectuntur & defendunt; vt tanto conatu contendant Symmistis suis siue Ecclesiæ Christi eam obtrudere; aut in pessimam partem accipiant, si quid cum ea doctrina non congruens aut etiam pugnans cum ea, in Ecclesia aut Academia doceatur. Tanta Testimonia habet antiqua veritas ex illis locis, in quibus igne, & ferro oppugnata, plurimos, & insignes martyres dedit.

Veritas ab inimicis defensa.

§. 5. Obiicit Pareus l. 2. de amiss. grat. & statu peccati cap. 12. *Dici homines indurare, excœcare, idque in Hiphil, quæ coniugatio actionem significat.* At vero ex 1. Corinth. cap. 10. v. 13. intelligendum est de permissione quod ait. *Fidelis Deus, qui vos non permittet tentari*, &c. Nec argumentum ex Grammatica Hebræa firmum est. Nam tum aliorum, tum Capitonis regula est. *Actiuas coniugationes esse sæpe permissionis.* Deuter. cap. 20. v. 16. Iud. c. 21. v. 14. Iosuæ c. 2. v. 23. & c. 6. v. 25. Verum hac de materia pluribus l. de idolo Caluinistarum.

Actione permissio exponitur.

§. 6. Obiiciunt denique verba Ioan. cap 12. v. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excœcauit oculos eorum.* Verum illa verba suo loco expendam, nunc solutione S. Augustini contentus ero. Ille tract. 53. in Ioannem in hunc modum quæstionem dissoluit. Quidam ergo inter se mussitant, & vbi possunt aliquando proclamant, & turbulenta disceptatione contendunt, dicentes, Quid fecerunt Iudæi, vel quæ culpa eorum fuit, si necesse erat, vt Sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Quibus respondemus, Deum præscium futurorum, per Prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum: prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit; ipsorum enim præsciuit peccata, non sua, non cuiusquam alterius: sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præsciuit ipsorum, non sunt ipsorum: non vere ille præsciuit. Sed quia illius præscientia falli non potest: sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præsciuit. Fecerunt ergo peccatum Iudæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur: & hoc facturi præuiderentur ab eo, qui nouit quid sit quisque facturus, & quid sit pro eius opere redditurus. Sed quæ sequuntur Euangelii verba plus vrgent, & profundiorem faciunt quæstionem: adiungit enim & dicit, *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos.* Dicitur enim nobis, si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis, quod non potest non facere? Si autem non credendo peccauerunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Euangelium, propterea non poterant credere, quia iterum dicit Esaias, *Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*, vt quod est grauius, ad Deum referatur causa qua non crediderunt: quandoquidem ipse excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum? Non enim saltem hoc de Diabolo dicitur, sed de Deo, quod ipsa Prophetica Scriptura testatur. Nam si arbitremur hoc dictum de Diabolo, quod excœcauit oculos eorum, & cor induraurit: laborandum est, quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, possimus ostendere, de quibus dicitur, non poterant credere. Deinde quid respondebimus de alio Prophetæ ipsius testimonio, quod posuit Paulus Apostolus dicens, *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excœcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem?* Audistis fratres mei propositam quæstionem, nempe quam profunda sit cernitis: Sed respondemus, vt possumus. Non poterant credere, quia hoc Esaias Propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit. Quare autem non poterant, si à me quæratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per Prophetam prænuntiauit ille cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? *Quia dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, & excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excœcat, sic obdurat Deus, deserendo & non adiuuando: quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet inuiolatumque seruare, sicut Apostolus dicit cum eandem ipsam tractaret difficillimam quæstionem. Quid ergo dicemus, inquit? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Si ergo absit vt sit iniquitas apud Deum: siue quando adiuuat, misericorditer facit, siue quando non adiuuat, iuste facit: quia omnia non temeritate, sed iudicio facit. Porro si iudicia sanctorum iusta sunt, quanto magis sanctificantis & iustificantis Dei? Iusta ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quæstiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille Deo deserente excœcetur: ille Deo adiuuante illuminetur: non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis vsurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo, *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

Illis peccant quos peccaturos præsciuit.

Alioqui vsitatum est, vt qui omnino rem aliquam refugiunt, dicant se non posse. Sic Iosephus Gen. 39. 9. *Quomodo possum hanc rem facere?* At posset, si vellet.

VERSVS

VERSVS 16. 17.

Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

QVÆSTIO I.

An beatiores veteribus Apostoli?

Veteres exoptarunt Apostoli viderunt.

§. 1. IRenæus l. 4. cap. 24. præclarè ostendit, quomodo beatiores Apostoli; cum enim omnes iusti aduentum cupide exspectarint, Apostoli tandem venientem exceperunt. *Quoniam autem*, inquit, *non solum Prophetæ, & iusti multi præscientes per Spiritum aduentum eius, orauerunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum suum, & sermones audirent eius, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis. Multi Prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quemadmodum igitur concupierunt, & audire, & videre, nisi præscissent futurum eius aduentum? Quomodo autem præscire potuerunt, nisi ab ipso præscientiam ante accepissent? Quomodo autem Scripturæ testificantur de eo, nisi ab vno & eodem Deo omnia semper per verbum reuelata, & ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando vero exhortante, ac demcepsliberante seruum suum, & adoptante in filium, & apto tempore incorruptibilem hæreditatem præstante, ad perfectionem hominis?*

Salus igitur promissa tot sæculis exspectata, Apostolis repræsentata est. Prophetæ & iusti exspectatione felices fuerunt, non igitur dubium, quin Apostoli fructu præsentis fuerint beatiores: eorum autem felicitatem comparat illustrissimis quibusque Prophetis, iustis, & Lucæ cap. 10. v. 24. regibus. Illi enim à longe aspexerunt, & salutarunt, nondum enim venit plenitudo temporis Hebr. c. 11. v. 13.

Non sola præsentia sed gratia beatiores fuerunt.

§. 2. Non sola autem corporali Messiæ præsentia, sed vbertate gratiæ, & fide Apostoli beatiores fuerunt. Nam Christum quoque viderunt incredduli, & beneficentiam experti sunt ingrati, iustis & Prophetis non modo non comparandi, sed etiam Tyriis, & Sidoniis infeliciores futuri. Prætulit ergo Apostolos priscis, quia Thesaurum quem sperabant, exhibitum possederunt. Ita 1. Petri 1. 12. *Eos scisciatos esse, sed illis fuisse reuelatum, quod non sibi, sed nobis ea ministrarent, quæ per Euangelium annunciantur.* Porro duabus in rebus Apostolorum beatitudo consistit: Prima est, quod ita Christi in familia vitam egerunt, vt claram mysteriorum cognitionem haurirent. Alte-

Magna Apostolorum augentur.

ra, quod institutione, & exemplo Christi id consecuti sunt, vt magna caritate, gratiaque & miraculorum virtute pollerent. Quorum neutrum Prophetis, iustis, & regibus contigit. Magna igitur horum pauperum dignitas; Abraham, Dauid, Daniel, omnes opes, dignitates q; deserere parati fuissent, vt vel vna die cum Christo conuersari potuissent.

Abraham vidit in ænigmate.

§. 3. Non obstat Apostolorum felicitati, quod Abraham diem Domini vidit, & gauisus est; vidit enim in ænigmate, & Spiritu Prophetico, non quemadmodum Apostoli facie ad faciem. Hic sane status Apostolorum multo melior ostenditur, quam fuerit antiquorum. Lux ea, quæ nunc omnibus affulget, tunc paucorum animos penetrabat, obscuritatem semper, quia de futuris sermo erat, adiunctam habebat. Nec beatiores Apostolis, qui nunc non vident, & credunt; Nam illi quoque multa non videntes crediderunt. Quod si aliquando quidam eorum tardi ad credendum sunt inuenti, id postea pœnitentiâ, & alacri celeritate expiarunt. Discimus itaque tempora, gradus vocationis, omniumque donorum à Deo statutos, nec ad eum sine Christo perueniri; quando & Prophetæ Christum videre cupierunt, vt S. Cyprian. l. 2. aduersus Iudæos num. 27.

VERSVS 24. & 37.

Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo, Qui seminat bonum semen, est filius hominis.

QVÆSTIO I.

Quis est paterfamilias?

Paterfamilias mundi solus est Deus.

§. 1. VErsu 24. vocatur *homo*, vers. 27. dicitur *paterfamilias*. vers. 37. dicitur esse *filius hominis*, & 41. dicitur missurus Angelos suos. Quæ omnia coniuncta, præsertim cum ager sit mundus, ostendunt Christi diuinitatem. Qui enim est non œconomus, sed paterfamilias totius mundi, qui triticum & zizania crescere iubet, cuius messores & serui sunt Angeli, qui absoluto iudicio hos cœlo recipit, illos inferis addicit, Deus est. Ille seminanti se confert, omnium enim manibus seminat triticum. Noster habet, *seminauit*, ἔσπειρεν legit. Ad eum detrimenta serui referunt, Dominum appellant, ipse Christus vocat בירא ביתא *mare baietha, dominum domus.* Quod enim fit in familia, hoc fit in regno cœlorum, seu in Euangelio. Seminatur à Christo bonum semen, à dæmone superseminantur zizania.

Nō est malum à Deo.

§. 2. Quam blasphemè diuinum Numen conuitientur atque irritent, qui illi tribuunt, quod nemo sanus bono patrifamilias imputaret, hinc apparet. Serui eius mirantur, & torquent se, vt sciant vnde sit malum, certo enim statuunt à Patrefamilias non esse. At si Caluinianus esset ille, nulla dubitationis adferri posset occasio.

Responderet Paterfamilias cum Szegedino Caluinista locis communibus, pag. 232. *Volui illa fieri, voluntate beneplaciti; nam si me nolente fierent, infirmus essem.* Imo facio, *quod enim sic volo, hoc facio.* vt Zanchius, Szegedinus, alii, præsertim Vrsinus volum. 1. operum Theolog. Pareus in Catechism. *Geneu.* 1603. *pag.* 191.

Dicet cum Beza, *Volum.* 1. 417. *Non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas prædestinasse lolium; Volui ac volo lolium hoc ad interitum creare.* pag. 738. *Hæc mea voluntas est ineuitabilis. Hoc malum in inimico peccatum est, in me minime.*

Zuingl. ad Philippum Hassum anno 1530. cap. 5. [Porro, *inquit*, iniustitiam in se nobis ostendere numen cum nulla ratione posset, vt quod vndique verum, bonum, sanctum natura sit, per creaturam iustitiæ exemplum produxit, non quasi creatura, illam suo marte produxerit, quæ nec est, nec viuit, nec operatur sine numine, sed quod numen ipsum autor est

Numen auctor e-

Quod tu nobis iniustitia est.

tor est eius, quod nobis est iniustitia, illi vero nullatenus est.]

Hæc omnia pugnant cum natura Patrisfamilias, multoque magis cum natura Dei. Non enim Deus potest seminare, aut decernere, vt seminetur semen malum. Finis enim malus est: quem bonus propositum habere non potest. Nec dici potest, ideo seminasse, vt exurat, creasse vt perdat, ad suæ iustitiæ demonstrationem; Nam iustitiæ contrarium est, quam maxime, ideo facere malum ineuitabili voluntate, irresistibili potentia, vt sit quem perdas. Non enim simplex malum est, non modo bonum perdere, sed ideo facere malum vt perdas.

VERSVS 38.

Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam.

QVAESTIO I.

Quis ager?

Ecclesia est vniuersalis.

§. 1. NOn sola Iudæa semen acceptura erat, sed totus mundus: ne Apostoli putarent, vno angulo labores suos includendos esse, sed campum industriæ suæ esse totum mundum. Gentibus enim gratia Dei communicata est. Vera igitur non erat Ecclesia solius Africæ paucis terminata partibus, cum totum mundum Christus in fundo suo computet. Nunc etiam idem maiore euidentia veritatis, ideo minore excusatione errorum contra Sectarios contorquemus. Vno in angulo, vno in oppido, se continet aliqua portio Lutheranorum, aliqua sectiuncula Caluinianorum, & totum agrum Dominicum condemnant. Qui igitur à Christianismo per totum mundum sparso dissentiunt, Christi promissiones elidunt, audiant Augustinum Serm. de verb. Dom. *Christus semen suum per totum mundum spargit, ergo in toto, non in sola Africa Ecclesiam colligit.* Cum vero Aretius agrum

Ecclesia toto orbe sparsa.

dicat Ecclesiam, necesse est, vt toto mundo diffusam concedat, qui vero per Synecdochen totum pro parte poni aiunt, non intelligunt; Deum promisisse fore, vt cultura & sementis toto mundo spargatur. Apud Irenæum ager vocatur *saculum*, hoc est, homines qui in hoc sæculo versantur. l. 4. cap. 78. Vide Epistol. Cypriani contra Nouatianos, & Augustini contra Donatistas, qui ex eorum singularitate, & ab vniuerso corpore, facta separatione, eos schismaticos, & hæreticos probant.

QVÆSTIO II.

An eo modo, quo ager dicitur esse mundus, inimicus, diabolus, ita etiam de Eucharistiâ sit intelligendum. Hoc est corpus meum?

Ex parabolu hæretici tropos ad sacramenta transferunt.

§. 1. ITa Beza, Piscator, alii contendunt. [Est ἔστιν, id est, significat mundum, in hac videlicet parabola. Sic etiam quum Symbola tum baptismi, tum Cœnæ Domini, signa sint earum rerum, quibus significandis adhibentur, simili metonymiâ dicuntur id esse, quod significant, quod qui negant, meram peruicaciam ostendunt. Sed hoc in sacramentali metonymia non est omittendum, non esse nudam sacramentalem significationem, sicut in istis & similibus parabolis: sed quod verbo promittitur, & symbolis significatur, vere quoque à Deo præberi sumendum.]

Respondeo argumenti vim nullam esse. Quamquam enim aliquo in loco *est* pro *significat* poneretur, non tamen ad alia loca transferri illud potest; nam à singulari ad singulare ratiocinari puerile est. Pariter enim modo concludam Corpus Christi non esse verum corpus. Nam 1. Corinth. cap. 12. v. 27. dicitur: *Estis corpus Christi*, certè non verum, propriumque corpus; ergo pariter cum dicitur: Hoc significat meum corpus, non est corpus proprie, sed tropice intelligendum. Cur enim sequitur: Ideo *est* in Eucharisticis verbis tropice intelligendum, quia hic tropice accipitur? Non corpus eodem modo, quia alibi sic accipitur.

Respondeo 2. Magnum documentum esse, quo ostendatur diuersa ratio. Hoc loco Christus parabolam ex professo exponit; ideo constat, parabolicam esse locutionem. At in definitionibus & præsertim Testamento, proprietate sermonis certas facere oportuit, quid daret abiturus, nec enim figuras, sed res ipsas dedit. Iam olim figurarum emblemata transierunt, veritatis solidum corpus nobis contraditum est. Quod si tam breui sermone discessurus locutus est tropice Dominus, quid habent, quod obiiciant vetustis hæreticis, & Machomedistis Christi mortem negantibus? Crucem enim & omnia Passionis mysteria poterant tropice interpretari, vti Caluiniani verbum *Est*. at sane olim fecerunt, qui Christum crucifixum negabant, Simonem Cyreneum eius loco substitutum esse blasphemabant. Simonem autem fuisse typum Christi crucifixi. Itaque Christum non nisi Metaphoricè fuisse crucifixum. Imo quid respondebunt Valentino, qui Christi non nisi Metaphoricum corpus concedit? Epiph. hæres. 31. Augustin. 11. Itaque illa consentanea sunt præsentium tropis. Vide Staphil. l. 1. de concordia disc. p. Lutheri de Suenckfeldio. Cochl. l. 1. de erroribus Monasterienſium. Anabaptist. à qua hæresi nec Andreas Musculus immunis; non enim tropi fingendi sunt, vbi est aperta dogmatis definitio. Si igitur pro arbitrio tropum statuitis in Christi verbis. Si Lango creditis, & eius magistro, à quo etiam didicit, potius quam omni retro antiquitati. Si Valentinus Crotoaldus tantum valet, vt ex eo Institutum (in 2. Apol.) Græcas literas docere Langus conaretur, cur non eadem audacia corpus ipsum conuellunt? Nec est, quod Caluini censuram metuant; ille de resurrectione cum dubitet, de morte etiam, adeoque corporum veritate dubitare discipulis permittet. Resurrectionem ipsi visam incredibilem constat ex Epistola Farelli, quæ in Epistolis Caluini 73. *Quod res tibi incredibilis videtur*, ait, *huius carnis resurrectio, nihil mirum. Quod autem hac ratione permotus sufficere statuis, si credas nouis corporibus aliquando nos esse induendos, hoc à Scripturæ doctrina alienum est.*

Vnde illa hæresis, nisi quia resurrectionem Metaphoricam arbitrabatur, & animæ potius in aliam carnem esse migrationem, adeoque μετεμψύχωσιν & cur eum articulum tropis inuertit? Si Piscatorem audimus, quia cum dicitur: *Ager est mundus*, tropus est. ergo & cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, Tropus. Cur igitur non eodem modo, si non libeat resurrectionem credere, obiicienti scripturam; *Christus resurrexit. & nos resurgemus*, respondebo tropus est. Verum hæc omnia sunt à somnio Zvinglii decantatissimo. de quo vide Schlusselb. l. 1. de doctrina Caluinian. pag. 76. ante vero Smidelinus ostendit contra Grynæum. Wittemb. in confutatione orthodoxi consensus. Et clarissime demonstrat Gretserus noster in disputatione de somno Zvinglii.

Cui

Cui somnio opposuit se anno 1525. Secretarius senatus in hunc modum. [Equidem Patres conscripti, „ non eo sum animo, aut loco, vt mihi coram vobis „ verba facere liceat, dummodo causa ageretur quan- „ tumuis magna, quæ ad Rempublicam attineret: „ Cum autem hic animarum salutis cardo versetur, „ ipsaque fides periclitetur, cuiusque esse sentio, vt in „ medium adducat, quæ sentiat. Ego igitur firmiter „ credens in isto pane verum corpus ac sanguinem e- „ die testor me in hac esse opinione, neque me patiar „ ab ea diuelli, speroque de vobis, quod nullo pacto si- „ tis me ad opinionem Zvvinglii adacturi. Cum ergo „ duodecimo Aprilis die ad Senatum reditemus, at- „ que vt Missa in vniuersum aboleretur, ageremus, „ prodit denuo scriba iste, atque eandem cantilenam „ canit: additque, me quidem sic docuisse, vt ista vox, „ EST, in præsentibus Christi verbis, pro, SIGNI- „ FICAT, posita sit: at ægre Scripturæ testimoniis „ probauisse ad hunc modum accipi debere. Nam isti „ dæmones: *Semen est verbum Dei.* Luc. 8. *Ager est mun-* „ *dus: Inimicus homo est diabolus.* Matth. 13. ad hoc pro- „ positum nihil faciunt. Christus enim hic paraboli- „ ce locutus est, non etiam istic, cum dicit: Hoc est „ corpus meum.] Optime ille: multo doctior Lango, de quo Claudius Sainctes in repet. veritatis de Eucharist. in Catal. 84. interpret. Varie deinde alii explicuerunt, vt Ioannes à Lasko, Bucerus, de quibus Prateolus, Sanderus. Bellarminus lib. 1. capit. 8. de Eucharistia. Maldonatus in cap. 25. Matthæi.

Ab hac igitur argumentatione Zvinglius deiectus, alia præsidia quæsiuit. Vt mirum sit, discipulos eo usti argumento, quod magister ἀδόκιμον iudicauit; quod vniuersæ Sectæ non minus opprobrium intulit, quam Lutheranis ab orco magister, Lutheri victor. Detropis in vniuersis vide eruditissimas Maximiliani Sandæi nostri commentationes 15. 16. 17. Cuius in notis hæc verba notabis. *Horum exemplorum nullum esse plane simile recte docent Catholici Doctores, quos nominauimus: nam in iis semper prædicatur dissaratum de dissarato, vt boues sunt anni, semen est verbum: itaque necesse est refugere ad tropos: Pronomen autem, Hoc, nihil refert dissaratum à Christi corpore. Deinde multa falsa admiscentur: quædam enim non sunt in Sacra Scriptura: quædam reperiuntur, sed male explicantur. Tandem si in quibusdam est tropus, aut obscurus, explicatur paulo post verbis clarioribus, quod egregie deducit Bellarminus lib. 1. de Sacra Eucharist. Cap. XI.*

QVÆSTIO III.

Quod est semen bonum, quæ zizania?

§. 1. SEmen bonum sunt filij regni. *Zizania vero sunt filij nequam.* Non igitur aut filii regni, aut filii nequam, in vna parte, sed vbique simul sparsi, lætique, vbique simul crescunt. Nec sunt verba Christi ad doctrinam applicanda. Vt semen bonum sit vera, ac salutaris doctrina, malum vero vana, falsa, hæretica. Hoc enim repugnat non modo Christi expositioni: Sed etiam diuinis legibus. Non enim permittenda sunt hæresibus incrementa, sed impiæ doctrinæ, & blasphemiis in primo ortu contradicendum est. Quamuis enim homini parcendum sit, errores tamen euellendi sunt, illisque obsistendum. Christus Pharisæorum errores crebro ac palam refutauit. Pharisæis ipsis vim nullam intulit.

§. 2. Zizania siue ἀπὸ τῦ ζέειν, à nocendo siue aliunde dicantur, sunt *filij nequam* τῦ πονηρῦ רבישא nequam, fœtentis, damnati dæmonis videlicet. Nam zizania αἶρος, ζιζάνιον, lolium complexu suo triticum enecat, frugum pestis est, teste Plinio. Vertiginem inducit. Vide Plinium. Theophrastum. Knellium de natura stirpium l. 2. cap. 30. Cum vero nonnulli vocant zizania malam doctrinam, aut mores malos: Ita intelligendi sunt, vt semen corruptum per hæc dicere censeantur: atque ita mala doctrina, moribusque imbutos in medio agro Domini triticum opprimere. Nec enim doctrina, & mores mali, sine improbis seritur, nec sine his improbi sunt.

VERSVS 39.

Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio seculi est. Messores autem Angeli sunt.

QVÆSTIO I.

Quis inimicus?

§. 1. DIabolum Dominus esse dicit. Malos ergo filios ille seminat, Deus bonos fecerat. Nam qua mali sunt, à dæmone sunt. Quid igitur Manichæi noui, causas peccatorum Deo affcribunt? Inimicus seminauit ea, non pater familias. Alia oratio est Angelorum, alia Caluinianorum. Angeli quærunt, vnde sint Zizania? ea euellere cupiunt. At Caluiniani seminata, iussa, coacta aiunt. Minus illi errarunt, qui duos Deos, bonum & malum, quam qui vnum malum tantum finxerunt. Contra veteres depugnant antiqui patres, cum peioribus nobis est certamen.

A dæmone non Deo sunt mali.

Caluiniani sunt Manichæis deteriores.

Irenæus l. 4. cap. 78. Vnum Deum ostendit contra dicentes: *Alium esse, qui donat requiem, patrem, alium qui ignem præparauit Deum.* at hoc loco vnus idemque est, qui in horreum colligit, & qui in caminum deiicit. Verba Irenæi sunt. *Qui ergo regnum*, inquit, *præparauit iustis pater, in quod assumpsit Filius eius dignos, hic & caminum ignis præparauit, in quem dignos mittent ij, qui à Filio hominis missi sunt Angeli, secundum iussum Dei. Hic enim in agro suo bonum semen seminauit. Ager autem*, (inquit,) *seculum est. Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania inter frumentum, & abiit. Ex tunc enim Apostata est Angelus hic & inimicus, ex quo zelauit plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est. Quapropter & Deus eum quidem, qui à semetipso zizaniam abscondse seminauit, id est, transgressionem, quam ipse intulit, separauit à suâ conuersatione. Eum autem qui negligenter quidem, sed male accepit inobedientiam, hominem miseratus est, & retorsit inimicitiam, per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum authorem auferens quidem suam, quæ erat aduersus hominem inimicitiam, retorquens autem illam, & mittens illam in serpentem.*

Idem Deus regnum & ignem præparauit.

QVÆSTIO II.

Quomodo dormientibus hominibus seminauit zizania?

§. 1. CAluinus hoc loco. *Quibus curiositas tantopere arridet, si rogentur, quomodo Christo sopito, & nescio diabolus zizania bono semini inspergat, quod respondeant, non habebunt.* Profecto quod respondeat orthodoxus non habebit: Caluiniano non deerit præpropera, sed impia responsio.] Orthodoxus nemo

Nemo dicit Christo dormiente inspersa zizania.

Christi ignorantiam tribuit, omnes diaboli non modo sationes, sed etiam cogitationes Christo perspectas affirmat. Nihil ignorat omnes seminum fructus, omnes loliorum fibras in numerato habet: itaque non dicimus dormiente Christo, vel patrefamilias zizania semini super inducta: sed cum dormirent homines. Quod duas habet interpretationes. Prima vt dicatur id noctu fecisse, cum scilicet

Noctu sata zizania.

Hominum pecudumque genus sopor altus habebat.

Ideo vero noctu, quia inimicus infirmior nocere palam non ausus est, fraude vsus est, & posità leoninâ vulpem viduit: id vero etiam impio facto conueniebat; nox enim amica est sceleri. Malitia igitur imbecillitas inimici indicatur, qui non opprimere aut euellere semen potuit, sed lolijs premere, & contaminare. Alia est interpretatio, factum id esse, cum agricolæ & serui patrisfamilias, hoc est, Episcopi, pastoresque negligenter officio suo fungerentur, aditum factum esse Satanæ. Nec modo Catholici, sed etiam eos imitantes hæretici sic explicuerunt, vt Aretius hoc loco. Qui posteros Apostolorum interpretatur. Et admiror Caluinum tam anxie quærere eorum verborum expositionem, & curiositati delegare. Cum Bullingerus ex Catholicorum libris „ iam olim explicauerit. [Filii itaque regni, quam „ quàm sint filii Dei, reuera tamen homines sunt, vnde, nihil humani ab eis alienum est: proinde dormiunt aliquando, & cessant tam ipsi pastores gregis dominici quam ipse grex nimium quandoque securus, quando prouerbio iactatum sit, nonnunquam & bonum dormitare Homerum. Ea porro occasione ad suum institutum bene vtens Sathanas, irrepit & agrum Domini inuadit, hoc est, falsam doctrinam, hypocrisin, scandala, scelera, arteſque prauas segeti Dominicæ interserit. Ea vbi proruperint in lucem, miramur omnes vnde illud lolium infelix in agrum Domini seminatum sit, quando satis constet tritici boni duntaxat semen aruo esse iectum. Nam arbitramur omnes feliciter nos omnes numeros religiosi & officiosi doctoris vel auditoris expleſſe, neque expendimus nostram hic quoque ignauiam in culpa esse. Dominus ergo indicat vnde corruptio illa proficiscatur, nimirum ex Diabolo, qui callide nostra abusus dormitatione lolium tritico immiscuit.]

Negligentia pastorum inuitat lupos.

Homines Aretio sūt posteri Apostolorū.

Bullingerus cōtra Caluinū.

§. 2. Catholicis ista, quæ respondeant, suppeditata sunt. Caluinianis expeditior est solutio. Christum enim ignorasse vt alia multa, ita & nocturnam sementem inimici dicet Braubomus initio florum flaminiorum: ille enim cum pag. 9. profiteatur se noua adferre. *Ausim dicere, nulli antehac visa in lucem profero, ab alijs allata vera astruo, falsa corrigo, dubia stabilio.* & pag. 5. *nec sine præsperrimo successu, præsiscine dixerim.*

Caluinista Christo ignorātiam obijciunt.

Tandem eo stodilitatis progressus est, vt dicat, nec Danielem, nec Ioannem, *nec sacram Christi animam intellexisse* numeros Danielis, se vero intelligere. Si Christus igitur Caluiniani iudicio scripturam & Prophetias, quas implere iussus erat, non intellexit, quid mirum igitur si nocturni seminatoris astum dormiens non senserit? Hæc illi ergo, sed omni supplicio dignis blasphemiis respondent.

Caluinista se Christo peritiorem putat.

QVÆSTIO III.

Quæ messis?

Mali seruantur propter bonos.

§. 1. COnsummatio sæculi, συντέλεια; quamuis enim maior loliorum, & palearum; quàm tamen omnia illa tritici causa instituta sunt, quæ hic aguntur, idcirco θερισμὸς, vocatur; pereuntium enim ratio non habetur.

Vocatur autem collectio electorum in cœlum, messis, vt ostendatur quis sit finis, in quem omnes conditi sumus, eumque in hoc sæculo vltimum non esse. Quemadmodum enim agri, arationis, sationis, occationis, rigationis, omniumque laborum finis est messis. Ita etiam totius mundi, omniumque Dei operum, motuumque & vicissitudinum scopus est, vt electi Dei seruentur, luce fidei, & ardore charitatis in æterna gaudia cœlo maturescant.

§. 2. Generalis illa & extrema messis est, iudicii suprema dies; quia triticum perfectè in horrea inferetur, in mortibus tamen singulorum inchoatur. Porro hoc in agro vix triticum & lolium in quibusdam distinguuntur, tantâ similitudine germinant, imo crebro triticum putamus, quod lolium est, & è contrario. Quare non facile separatio cuiliber permittenda est. Sed in plerisque dies vltima est exspectanda, cum excussis spicis, secretaque gluma ac palea, pura grana frugis bonæ, & adultera loliorum cernentur. Imo nec sibi quisquam securitatem promittere potest, cum quotidie videamus & triticum degenerare, & auenas in triticum mutari.

QVÆSTIO IV.

Qui messores?

§. 1. ANgelos Christus dicit. Bonos quidem Angelos fore tritici collectores nemo ambigit: hic vero cum d cuntur mitti vt colligant, de regno eius omnia scandala, nonnulli putant indignum esse, vt tormentis malorum Angeli sancti occupentur. Verum vtcunque res sese habeat; non est indignum Angelo punire fontes, aut ad supplicium conquirere: In dæmonum pœnis id certo constat; victos enim ad infetos detruserunt. Deinde ne Deo quidem indecorum est, multo minus Angelis; nec verendum, ne prauè politi homines vereantur, Angelos lictorum, & carnificum loco haberi, nihil enim illi indecorum existimant, quod Deus imperat; non enim res ipsas, sed iubentis voluntatem intuentur. Cum autem dæmonem vocet inimicum, nomine Angelorum eum vocari eodem loco non puto. Quin ipsa parabolæ ratio ostendit Angelos bonos esse. Sunt in domo filii hominis Angeli, quod apud patremfamilias serui querentes de zizaniis, & ad exstirpanda operam pollicentes quod messores qui non erant inimici patrisfamilias, sed administri. Quis enim per inimicos, qui sata in prima herba corrumpere satagebant, messem colligit? Angeli igitur in Iudicio stant non otiosi, sed ad iussa capienda succincti. Inimicus autem damnatus ad supplicium ducitur, non enim messor est, sed lolium, ex seminatore zizaniorum. Simul enim cum zizaniis, qui seuit in caminum ignis coniicietur.

VERSVS 29. & 30.

Et ait, Non. ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus,

bus, Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

QVAESTIO V.

Quomodo scandala toleranda?

In Ecclesia semper scandala. §. 1. IN Ecclesia scandala fore prædictum est; itaque mirari nemo debet, cum prædictionis euentum experitur. Si enim in aliquo cœtu scandala nulla essent, quod tamen nusquam fieri solet, Ecclesia cœtus ille non esset. Nec modo in Ecclesia Catholica sunt scandala nimium multa, sed etiam in omni genere sectarum innumera. Monuit suos Caluinus l. 4. ca. 12. §. 11. Instit. non discedendum ab Ecclesia propter scandala. Itaque in vera Ecclesia sunt non modo mediocres, sed magni etiam, & pernicios exemplis infames peccatores. Contra quam Nouatiani, Donatistæ, aliique docuerunt. At contra, nos per omnes offensiones ire iubet Dominus, & cauete, ne vel scandalo simus, vel scandalosa virtute depellamur. Ita Cyprian. Epist. 51. *Etsi videntur in Ecclesia Zizania; non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra: vt quoniam zizania in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus: nobis tantummodo laborandum, vt frumentum esse possimus.*

Scandala tanda, non emendanda tñt.

Et Epistol. ad Antonianum accusat Nouatianos, qui Angelicam, & omnino puram Ecclesiam sibi imaginabantur. *Quantus arrogantiæ tumor est, vt quis aut audeat aut facere se posse credat, qui nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumento discernerent, & aream plane repurgarent.* Quod non esse futurum ante extremum diem Parabola indicat.

Hæretici & primi omnium. §. 2. Zizaniorum nomine non solli hæretici, sed omnes, qui scandala quocunque crimine præbent, censentur. Sunt tamen præcipue scandalo hæretici, dum occulti hypocritæ diu latitantes tandem erumpunt. Sunt autem agro Dominico vt & triticum, communi loco, aura, pluuia, sole cultura augentur, & matuescunt, sed finis eorum est ignis. Plurima enim illis cum granis tritici communia sunt.

Multa eis dem diuersa. Verum hæc particularia singulis. Triticum seritur à Deo, lolium à Satana non creante hominem, sed corrumpente creatum. Triticum prius est, lolium superseminatur. Triticum interdiu, lolium nocte seritur. Triticum amatur ab Angelis, lolium perdere gestiunt. Triticum salubre est, lolium noxium. Lolio tantum parcitur propter triticum. Denique in messe lolii felicitas desinit, tritici vero incipit.

§. 3. Ex quo apparet, non solos prædestinatos in Ecclesia esse, quæ olim fuit hæresis, Hussiana, Wicleffiana, & nunc quibusdam in partibus Caluiniana. Electos autem suos perpetuo iustos imaginantur. Hæc eorum sunt. Hæc Bertius obiicit Crocium sentire. pag. 201. & 64. & 57. vt est in Hyperaspiste. pag. 175. [Agnoscis hæc tua. Nihil potest dici verius, quam, credentes ne peccatis quidem suis posse seperari à dilectione Dei. Peccata ipsis proficere ad salutem. Credentes etsi peccent contra conscientiam, tamen obsignatos esse in diem redemptionis. Oues Christi non posse degenerare. Credentes nunquam desinere credere, itaque semper manere in Christo, ac perseuerare vsque ad finem, nec penitus posse deficere.] Hæc sunt Caluinianorum.

Caluiniani Pseudoprophetæ.

Hæc ex Irenæo sunt ipsissima Borboritarum dogmata. *Sicut aurum, inquit, cœno immersum, pulchritudinem suam non deponit, sed propriam suam naturam seruat, non valente luto auri naturam ladere: ita dicunt electos, quibuscunque materialibus inficiantur actionibus, non ledi, neque deponere spiritualem suam substantiam.*

Magistratus in maleficos debet. §. 4. Non prohibentur Christi verbis ordinariæ magistratuum in improbos leges, quæstiones, & supplicia. Multo minus actiones in hæreticos. Grauiterque Illyricus errauit, dum vetat hæreticos vltra reprehensionem & excommunicationem molestare. Sensit id aliquando Lutherus, & disputat Bellarmin. de laicis lib. 3. cap. 22. Itaque magno consensu docent nunc hæretici, verba Christi non facere contra doctrinam de disciplina Ecclesiæ, scopum eius esse, vt consoletur pios contra molestiam, quam percipere coguntur ex conuersatione hypocritarum. Quin etiam vbi rerum potiuntur, triticum euellunt, hoc est, orthodoxos, illud enim loliis scandala esse putant. Et ne longe exempla petantur, videri possunt, quæ hoc anno 1621. Rupellenses & Deo, & Regi Christ. aniissimo rebelles in sacerdotes Catholicos, Patresque Oratorii patrarunt.

Hæretici quasi in zizania sæuiunt.

Augustinus docet hæreticos puniri posse. Disputauit hac de re Augustinus lib. 3. contra Epistol. Parmeniani cap. 2. & Epist. 45. ad Vincentium. & 50. ad Bonifacium. Tandem ratione & experientia edoctus concludit, non vetari magistratum in hæreticos legum vigorem exercere. Cur enim blasphemiæ, & conuitia in homines puniuntur, ea quæ contra diuinum numen scelerate docetur, impune transeant? Cur sanctior habeatur maiestas terreni principis, quam æterni, & immensi? Itaque grauiter in Anabaptistas hoc loco Caluinus inuehitur. [Peream igitur, *ait*, hoc testimonio Anabaptistæ & similes abusi sunt, vt gladii vsum arcerent ab Ecclesia. Atqui facilis est refutatio: nam quum excommunicationem ipsi admittant, quæ malos & reprobos saltem eradicat, cut non in scelerato, quoties res ita postulat, gladium exerent pii Magistratus? Exciipiunt locum dari pœnitentiæ, vbi capitalis pœna non est. quasi vero latro in cruce remedium salutis non inuenerit.] In thesi itaque nobiscum consentiunt, at cum ad rem ventum est, triticum euellunt, vt zizanio sit locus.

Caluinus in Anabaptistas.

§. 5. Alii tamen hæretici, vt Wolffgangus Musculus, arbitrantur, non esse supplicio puniendos. Primò quidem instituendos. Deinde occultos non protrahendos. Denique sibi displicere ait, vbi *interficiendi sunt errores, interfici homines.* Ita etiam Augustinus lib. 1. contra lit. Petit. cap. 29. *Diligite homines, interficite errores.* Sed Augustinus sententiam correxit. Quod vero negat à Christianis Imperatoribus capitalem pœnam in hæreticos constitutam. Sed ad Antichristum, seu vt ille vult, Pontificem eam refert sæuitiem, mirot. Etenim bis errat; nam & Imperatores orthodoxi in eos gladium strinxerunt, & Pontifices de sanguine iudicare soliti non sunt.

Hæreticorum rundam opinio.

§. 6. Lex tolerandi vnica est præscripta, vt tritico ne noceatur, *ne eradicetis & triticum.* Vix enim radices tritico assitæ, implicitæque, sine eius pernicie possunt exstirpari. Itaque minus patitur triticum cum lolio crescens quam eradicatum. Ea causa ferre cogitur Ecclesia. Augustinus de fide & operibus cap. 5. *Nos, inquit, ad sanam doctrinam pertinere existimamus, tutam sententiam sic moderari, vt canes aliquando in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & sanctum canibus; vbi pax Ecclesiæ tuta est, non demus: nec pro-*

Tum parcendum lolio, cum periculum est tritico.

pter zizania, de Ecclesia recedamus, cum Christus monstret, malos bonis permixtos vsque ad diem iudicij, & nihil bonum in participatione Sacramentorum, qui eorum malis non consenserint, obfuturos. Eradicari ergo nemo prohibet, vbi nullum tritici damnum est.

§. 7. Cum vero ea causa non fuit, oportuit magistratum hæreticos pœnis opportunis corrigere, aut tollere. Leges canonum excommunicatione contentæ sunt. At Imperatorum, etiam morte multant. Primo quidem pecuniariam multam probat, vt est in Possidon. & doceri iubet Epist. 48. Idem l. 2. cap. 10. contra Epist. Parmen. demonstrat Imperatores posse eos morte punire, &c.

Augustinus morte hæreticos puniendos docet.

§. 8. *Quin etiam audet conqueri Parmenianus, quod eos Constantinus ad campum, id est, ad supplicium duci iussit, qui victi apud Ecclesiasticos iudices, nec apud ipsum quæ dicebant probare potuerunt, & adhuc in sancta Ecclesiæ præcisione sacrilego furore fremebantur: & hoc eum tanquam immaniter iussisse, Hispano Osio suggerente criminatur, suspicionibus videlicet suis sicut semper, damnando inauditos. Quasi vero non humanius ac probabilius alius crediderit Osio tanquam Episcopo suggerente potius factum, vt in Seniorem coercitionem quamuis immanissimi sceleris, id est, sacrilegi schismatis, sententiam flecteret Imperator. Quid enim non isti iuste patiuntur, cum ex altissimo Dei præsidentis, & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admonentis iudicio patiuntur, & merito criminum, & ordine potestatum?*

Theodosii etiam & aliorum vehementes leges contra illos latas defendit. & tractatu 11. in Ioannem, etiam oportere reges morte eos punire docet. *Sic ergo quando vult Deus concitare potestates aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exufflatores Christi, aduersus blasphematores baptismi, non mirentur: quia Deus concitat vt à Sara verberetur Agar.*

Reges Ecclesiam defendunt.

Mirantur autem quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo mouerentur? Et quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat charitas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad reges sæculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, vnde spiritaliter nati sunt. Legimus Danielis visiones & gesta Prophetica, Tres pueri in igne laudauerunt Dominum: miratus est Nabuchodonosor Rex laudantes Deum pueros, & circa eos ignem non nocentem: Et cum admiratus esset quid ait Nabuchodonosor Rex, non vel Iudæus, vel circumcisus, ille qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes coegerat: tamen laudibus trium puerorum commotus, vbi vidit maiestatem Dei præsentis in igne, quid ait? Et ego proponam decretum omnibus tribubus & linguis in omni terra. Quale decretum? Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. Ecce quomodo sæuit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolunt vt sæuiant reges Christiani, quia Christus exufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberatur? Nam tres illi pueri, fratres mei, liberati sunt ab igne temporali. Nunquid non ipse est Deus Machabæorum, qui & trium puerorum? Illos ab igne liberauit: illi in tormentis igneis corpore defecerunt, sed in legitimis mandatis animo permanserunt. Illi apertè liberati sunt, illi occulte coronati sunt. Plus est liberari de flamma gehennarum, quam de fornace potestatis humanæ. Si ergo Nabuchodonosor laudauit & prædicauit, & gloriam dedit Deo, quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, vt decretum mitteret per regnum suum, Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem: quomodo isti reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando vident Christum, à quo liberati sunt, exufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, dic te non esse Christianum? Talia facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Nam videte qualia faciunt & qualia patiuntur. Occidunt animas, affligunt in corpore. Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Et tamen quas patiuntur? Exempla proponit eorum, quos præcipitio periisse, & in puteos coniectos circumcelliones dicebant. Nec ait id non licuisse, sed Catholicos refert dicere; eos à seipsis præcipitatos; quod verum esse probat: cum quia solebant esse ἀυτόχειρες, sibique consciscere necem: tum quia Romanis illa supplicia consueta non erant.

Regum ius est in hæreticos.

§. 9. Multæ porro leges contra hæreticos ab orthodoxis Imperatoribus latæ sunt: & inter eas nonnullæ capitales, vt constat ex tit. 5. codicis. Nam lege Constantini, Constantii, Constantis tolluntur priuilegia Rescript. ad Oracul. lege Copronimi, Valentin. Theodos. vetantur esse, docere, discere hæretici.

Theodosius & Valentinianus omnes pellendos censent, & Manichæos vltimo supplicio puniunt. *Ariani*, inquiunt, *& Macedoniani, Pneumatomachi, Apollinariani, Nouatiani seu Sebatiani, Eunomiani, Tetraditæ, seu Tessaredecaditæ, Valentiniani, Pauliani, Papianistæ, Montanistæ, seu Priscillianistæ, vel Phryges, vel Pepuzitæ, Marcionistæ, Borboritæ, Messaliani, Euchitæ, siue Enthusiastæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparastatæ, Tescodrogitæ, Batrachitæ, Hermogeniani, Photiniani, Paliniani, Marcelliani, Ophitæ, Encratistæ, Carpocratitæ, Saccophori, & qui ad imam vsque scelerum nequitiam peruenerunt Manichæi nusquam in Romanum locum conueniendi morandique habeant facultatem, Manichæis etiam de ciuitatibus pellendis, & vltimo supplicio tradendis, quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria.*

Valentin. & Martian. Fustibus puniunt viles personas, alios pecunia eodem titulo. l. Quicunque. Eadem lex doctores morte punit. *Vltimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint. Omnes vero huiusmodi chartæ, ac libri, qui funestum Eutychetis scilicet & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur, vt facinorosæ peruersitatis vestigia flammis combusta depereant. Aequum namque est, vt immanissima sacrilegia pars pœnæ magnitudo percellat. Scientibus moderatoribus prouinciarum, eorumque apparitoribus, defensoribus etiam ciuitatum: quod, si ea, quæ legis huius religiosissimâ sanctione custodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari: denarum librarum auri multam fisco nostro inferre cogantur, insuper etiam existimationis suæ periculum sustinebunt. Dat. Const. Id. August. Constantino & Rufo Conss. 457.*

Quin constitutio Anastasii, Synopsis Basilii, & alia eius Epitome. Itemque Iustini, morte damnant Manichæos. Cum vero plerique Imperatores leges priorum citent, plurimas fuisse non dubito. Certe Constantinus etiam Arii librorum occultatoribus pœnam capitis constituit. Sozomen. lib. 1. cap. 20. *Concilium autem tum Arium tum suæ opinionis fautores pariter abdicauit, decreuitque ne veniret Alexandriam. Quinetiam & verba, quibus eius explicabatur opinio, & librum quem de eadem ediderat, inscripseratque Thaliam, legi vetuit, cuius libri stylus, vti audiui (nunquam enim illum legere contigit) ita dissolutus est, vt præ mollicia quâ diffluit, Sotadæis cantibus similis videatur. Est porro intelligendum Eusebium Episcopum Nicomediæ, & Theognidem, Nicææ Episcopum, quamuis fidei formulæ consentirent, minime tamen à re approbasse abdicationem, neque ei subscripsisse. At vero Imperator non solum Arium mulctauit exilio, verum etiam*

Episco-

episcopis omnibus, & populis edictum scriptum misit, vt tum illum tum eius opinionis fautores impiorum numero ducerent: & si qui liber reperiretur ab illis scriptus, in ignem conijcerẽt: quo neque ipsius neq; opinionis cuius author fuerat, vllum monimentum extaret. Quod si quis aliquem librum eius occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum productum incenderit, vt capitis mulctaretur supplicio.

Occultatorum librorum arg. mors mitis.

Si tanta pœna librorum Arianorum occultatoribus à sæculari potestate est irrogata, quid de auctoribus, euulgatoribus, doctoribus censendum sit, facile cuiuis promptum est iudicare. Minus enim est pestilentem librum domi occulere, quam impiam doctrinam propalando animarum mortes efficere.

VERSVS 31. 32.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

QVÆSTIO I.

Quid significet parabola de sinapi?

Natura sinapis Euangelio simile.

§. 1. MVlta sunt in eo herbæ genere, quæ Euangelio accommodari possunt. Plinius, l. 19. Historiæ nat. c. 8. Et acerrimum sapore, ignei effectus ac salubertimum corpori, sinapi, nulla cultura, melius tamen planta tralata. Quin è diuerso vix est fato semel eo liberare locum, quoniam semen cadens protinus viret. Vsus eius etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectum acrimoniæ. Coquuntur & folia sicut reliquorum olerum.

Et lib. 20. c. 22. Sinapi, cuius in satiuis tria genera diximus, Pythagoras principatum habere ex his, quorum sublimè vis feratur, iudicauit, quoniam non aliud magis in nares & cerebrũ penetret. Ad serpentium ictus & scorpionum tritum cum aceto illinitur. Fungorum venena discutit. Contra pituitam teneatur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa. Ad dentium dolorem manditur. Ad Vuã gargarizatur cum aceto & melle. Stomacho vtilissimum contra omnia vitia, pulmonibusque: Excreationes faciles facit in cibo sumptum: datur & suspiriosis. Item comitialibus tepidum cum succo cucumerum. Sensus, atque sternutamentis caput purgat, aluum mollit, menstrua & vrinam ciet. Hydropicis imponitur: cum fico & cumino tusum ternis partibus comitiali morbo. Et vuluarum conuersione suffocatas excitat odore, aceto misto: item lethargicos.

Libro 21. c. 12. florum eius auidissimas apes esse docet. Hæc omnia Euangelio & Christo admirabiliter conuenientia omitto. Ea quæ ad rem præsentem faciunt proponam.

§. 2. Parabolam discipulis domi expositam esse non dubito. Duo in sinapi notantur à Christo. Esse minimum omnibus seminibus, deinde maius omnibus oletibus.

Semina

An minus sit omnibus seminibus multi dubitant, papauerum enim, aliorum q; minora esse semina: Apud Plinium lib. 7. nat. hist. cap. 10. Sic cupressos semine satas & ipsas. Minimis id granis constat, vt vix perspici quædam possint: non omittendo naturæ miraculo, è tam paruo gigni arbores. Itaque illud interpretantur μικρότερόν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων, minimum est omnibus s. minibus, hoc est, inter minima seminum est. Sed tamen tam Græco & Latino, quam Syro textui vis adferri videtur; nõ enim paruum, sed minus semen dicitur, &: *minus est*, inquit Syrus, *præ omnibus seminibus*. itaque omnino proprie accipi malim. Dicereque minimum omnium seminum inter Laxana seu olera, non omnia plane, sed ea quæ non modo in caules abeunt, sed quæ arboreſcunt, seu frutescunt. In his nullius semẽ minus est. Non est Christus vsus parabola seminis cupressini, non enim in vulgus res nota, at sinapi vbique obuium, & semen passim terebatur. Similia autem nota esse oportet.

quædam sinapi minora.

Cypressi semen.

Fruteſcentiũ seminũ minimum est sinapi.

§. 3. Facilius est intelligere, quomodo maius sit omnibus oleribus, fit enim arbor, & in ramos extenditur. Refert quidem Herodotus milium, & sesamum in arbores crescere, in prouincia Babyloniæ, sed non est dubium eorum magnitudinem esse infra sinapi. Maldonatus noster in Hispania ait crescere in arbores.

Magnitudo sinapis.

¦Thalmud Ierosolymitanum tractatu de Angulo agri cap. 7. legitur quidam Simon filius Halaphtha dixisse. Plantam sinapis se habere tantam vt in eius summitatem ascendere possit, vt in ficum. Alius plantam sinapis tres ramos habuisse, quorum vnus curuatus figulis sub eo laborantibus vmbraculum præstiterit, & seminis tres cabos, id est, medium modium dederit. Tanto in spacio aues multæ insident, vt in illa, quam rex videbat, Daniel. 4. 9.

VERSVS 42.

Et mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus & stridor dentium.

QVÆSTIO I.

Cur vocat caminum?

§. 1. GRæce articulus vtrique voci additur, τὸν κάμινον τοῦ πυρός. *Illum caminum* grandem scilicet illius ignis, qui non exstinguitur. Perinde igitur est, ac si dicat fornacem ardentem, qui æterna incendia voluit. Regnum igitur commutat cum fornace, in qua grauissimus est æstus reuoluta in se flamma, exitu negato. Ostenditur & ex voce fornacis, non esse, sperandum vllum effugium. Iren. lib. 3. cap. 27. Hinc æternas impiorum probat pœnas, quemadmodum & gloriam beatorum nunquam desituram.

Graue & æternum supplicium fornace inmatur.

§. 2. Tertullianus veram corporum resurrectionem hisce ex verbis probat, quia ait *fletus & stridor dentium*. l. de resurr. c. 35. *Ceterum vnde erit fletus & dentium frendor in gehenna, nisi ex oculis & dentibus?* occiso scilicet etiam corpore, in gehennam & detruso in tenebras exteriores, quæ oculorum propria sunt tormenta.

Corporum etiam ex plicia.

§. 3. Contrariam opinionem suam Caluinus producit. [Quod ad Caminum ignis, *inquit*, spectat, " metaphorica est locutio. Nam sicuti gloriæ est infinitas quæ reposita est Filijs Dei, sensus omnes nostros " longe altius exuperat, quam vt possit vllis verbis exprimi: ita supplicium quod reprobos manet, quia incomprehensibile est, pro modulo captus nostri ad-

"Caminus Caluino & ignis "Metaphoricus,

umbratur. Cuius rei insciția fecit, vt sophistæ frustra, » nihili disputationibus se torquerent, sicut alibi atti- » gimus. Scio quosdam subtilius minutas quasque » particulas persequi: Sed quia timendum est ne argu- » tiæ minus solidæ nos ad ineptias deducant, parcius » philosophari malo, simplici & genuino sensu con- » tentus.]

Mirum est hominem ignem & caminum Metaphoricum constituere, cum toties Christus ignem, & gehennam ignis nominet. Quasi vero nouum sit, aut non conueniens, post resurrectionem corpora ignibus torqueri; & quia dæmon incorporeus est, cui ignis ille paratus dicitur, potest veluti Dei instrumentum etiam Spiritus cruciare, qua de re sancti patres, & Theologi sine reprehensione hactenus disputarunt. Docentque etsi non sit de fide esse ignem corporalem, temerarium tamen esse id negare. Caminus autem infernus rectissimè dicitur, quia in infima mundi parte, terra vndique est conclusus fornacis instar. Quamuis autem locum certum damnatis constitutum negent Caluiniani, certum tamen omnes cœteri, atque ex illis multi fatentur. Ignem esse ait S. Augustinus, sed cuiusmodi sit, aut qua mundi parte, scire neminem nisi cui Spiritus Sanctus reuelarit. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 16. Non quod neget loco inferiore esse, sed quod, in qua mundi plaga sit, nemo sciat. Posse autem corpora in igne viuere docet. lib. 21. de ciuit. cap. 9. *Etiam dæmones cruciari etsi Spiritus sint.* Cap. 10. *Cur enim non dicamus, quamuis viris, tamen veris modis etiam Spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis attigi, si Spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora Spiritus dæmonum, imo Spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, qua consistent spiritu & corpore: sed vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.*

Infernus caminus.

Spiritus igne torqueri possunt.

QVÆSTIO II.

Cur inimicus dicitur superseminasse?

Hæreses semper fide posteriores.

§. 1. QVia tum primum, vbi semen Dei exceptum, & fructicare conspicit, vehementèr efferatur; prius enim in paradiso, deinde in mundo Dei opus apparuit, deinde per dæmonem destructio consecuta est. Hæreses itaque & hæresiarchæ ab inimico sunt; quia superinductæ sunt veritati. Ita Tertullian. l. de præscript. aduers. hæret. cap. 31. *Sed ab excessu, reuertar ad principalitatem,* inquit, *veritati, & posteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, qua bonum semen frumenti à Domino seminatum primo constituit, auenarum autem sterilis seni adulterium ab inimico diabolo postea superduci. Proprie enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum* DEI *seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit aduersus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem.*

Falsum est quod superinductũ est.

A diabolo igitur illa doctrina est, quia veritate est posterior. *Principalitas* est prioritas: nam opponitur illi *posteritas*, vt docet Quintinus Tertull. interpres. Qui à principali hoc est prima successione recedunt, & absistunt, hæretici sicut, aut schismatici. Iren. l. 4. c. 43. Quæ enim à Deo principio tradũtur, illa vera sunt & perfecta, neque enim se cũdæ cogitationes Dei sapientiores sunt prioribus, quod humanæ imbecillitati ad excusationem pœnitentiæ prouerbio tribuimus. Eodem modo idem Tertull. aduersus Praxeau. cap. 1. *Fructificauerunt auenæ Praxeanæ, hic quoque superseminate, dormiẽtibus multũ in simplicitate doctrinæ.* Et Pammelius: *Vtrobique sic circumloquutus, quæ Matth. 13. nuncupantur zizania, adludens, quantum adparet, ad illud Virgilij Georgicon. 1.*

Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.
Id Dominicum & verum esse, quod sit prius traditum, &c.

Hanc aduersus hæreticos præscriptionem sæpissimè in medium adducit Tertullianus, non modo hoc libro supra c. 29. & infra c. 36. sed pene sub initio singulorum librorum aduersus hæreticos. Sic lib. aduers. Hermogenem: *Solemus,* inquit, *hæreticis compendij gratia de posteritate præscribere. In quantum enim veritatis Regula prior, quæ etiam futuras hæreseis prænuntiauit, intantum posteriores quæque doctrinæ hæreseũ præiudicabuntur.* Item lib. de carne Christi. *Quod traditum erat, id erat verum, vt ab eis traditum, quorum erat tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti.* Et apertius l. 1. aduers. Marc. *Non negabunt discipuli eius primam illi nobiscum fidem fuisse, ipsius literis testibus, vt hinc iam desinari possit hæreticus, qui, deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit, quod retro non erat. In tantum enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro & primordio traditum est.* Ac aduers. eund. l. 4. *In summa si constat id verius quod prius, id prius quod est ab initio, ab initio quod ab Apostolis, pariter vtique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctum.* Denique aduers. Praxean. *Quo pereque aduersus vniuersas hæreseis iam nunc præiudicatum sit, id esse verum quodcunque primum: id esse adulterum, quodcunque posterius.*

§. 2. Tandem firmum, euidens, & quod nulla aut gutia eludi potest argumentum ex his conficitur, ex quo clarescit Ecclesiam esse aspectabilem. Si enim ager est totus mundus, si inimicus in eo seminauit Zizania, si crescunt fruges & Zizania vsque ad extremũ mundi diem. Si inter se premunt triticum & Zizania, quî fieri potest, vt Ecclesia multo tempore defecerit, non fuerit vllus cœtus, qui publice culturis veri Dei verum retinuerit? Quid ad ista respondere possunt, qui semper in Ecclesia fuisse hypocritas, bonis & sinceris mistos fuisse docent? Sane non in alio loco, sed in agro in quo triticum, nec in angulo agri, sed in medio tritici Zizania crescunt, sed cum tritico, neutrum igitur latere potuit.

§. 3. Occultam crescendi vim Euangelij hac parabola demonstrat, nam quod alij Christum, alij Ecclesiam per granũ sinapis intelligant, eodem recidit, nã & Christus lapis abscissus in montem crescit, hoc est eius regnum, & Ecclesiæ incrementum cum ipso Euangelio pari gradu proficit.

Paruis enim initijs Christiana religio in regna multa ac tandem in orbem terrarum propagata est. Non igitur resiliendum, aut timendum est, si vires exiguæ videantur, contra ingentem mundi & dæmonis potentiam; Deus enim est qui conseruat Euangelium, qui per abiectos crescere, & roborari arcanâ sui Spiritus efficientia, non humanis artibus opibusque religionem voluit; nec enim humana aut ludicra præmia petuntur. sed æternæ gloriæ aut damnationis negocium agitur. Etenim omne robur quod humano ingenio, & industria coactum est, facile dissoluitur, quod Dei virtute fulcitur æternum est.

§. 4. Quid igitur Christo respondebunt illi, qui tam per aliquot sæcula Ecclesiam, Euangeliumque latuisse contendunt? non potest arbor illa inter olera eminens

eminens abscondi. Quomodo inuisibilis est, aut fuit, si volucres aduolitent, & in ramis κατασκηνοῦσιν insident, vt Beza vertere maluit, nidulantur, & quasi tabernacula ponunt. Ecclesiam ait Sophron. cœtum infirmum, exiguum, egenum & pauperem, sed sperantem in nomine Domini, qui etiamsi collatus regnis, & imperijs contemptus est, tamen maior sit & superior ac gloriosior omnibus regnis, quæ delentur, aut Ecclesiæ per fidem subijci. Volucres non tantum pij sunt, sed etiam mali, qui tamen credentes ad Ecclesiam veniunt. Pertinent, inquit Aret. huc exempla Philosophorum & doctorum, qui ex Ethnicis sese ad Ecclesiam contulere, qualis Origenes, Gregorius, Chrysostomus, alijque. Deinde accessio gentium sensim & sensim facta, donec totum orbem quasi hortum occuparit illud granum. Imperium ipsum & principes subegit. Illa vis est latens, & clam penetrans hominum pectora. Sed expendatur hic etiam officium huc confugientium, non solum in vmbra eius delitescendum est: sed opera danda vt nidificent, & inde soboles propagetur. Hæc iste vere, vtinam hæc eadem cogitarent, qui Ecclesiam toto sparsam orbe, regibus & principibus imperantem, gentes subijcientem fide, occultam tamen fingunt, & inuisibilem.

Fermentū eiusmodi & nimorum. Eadem est vis alterius similitudinis vers. 33. & 34.

Fermentum Euangelij indicat. Quæ vis fermenti.

§. 3. Aliam parabolam locutus est eis: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.*

Fermentum duo habet, corruptionem naturæ, & gratum acorem. Est enim quod in vino acetum, id in massa fermentum, ideo in malam partem sumi interdum solent, vt Corinth. 5. 6. & 7. Est vero hæc corruptio seu acor ex putrefactione inchoata, ideoque calorem continet, vt omnia quæ putrescere incipiunt; per eum efficit, vt cum miscetur massæ, eam dilaret, acorem indat, & quidem celeriter maxime cum massa est tritica, & in regionibus calidis, ab hoc effectu sumitur parabola, qua incrementum Euangelij demonstratur, corruptionis hic nulla habetur ratio. De fato vide Brug. Vincentium, Villalpan.

Abscondit, ita commiscet, vt non appareat. Mulier, illarum enim erat pinsere. Sara Gen. 18. 6.

Tota massa mundus est, fermentum est Euangelium, quod totum eum afficit, & peruadens omnia non potest esse absconditum i. Miscetur à muliere, sapientia æterna. Massa enim ex sese iners, insipida, immota manet, fermenti calore crescit.

VERSVS 43.

Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum: Qui habet aures audiendi audiat.

QVÆSTIO I.

Qualis iustorum fulgor?

Excellentia gloriæ.

§. 1. FVlgor sanctorum huius mundi squalori, tenebris, afflictionibus opponitur, dein tenebris exterioribus, in quas impij conijcientur, qui erunt ignobiles velut stercus terræ. Omnes vero iustos clara in luce refulgentes conspicient. Deus lux dicitur, & filius lux de luce, & lucem *inhabitare inaccessibilem*. Lux igitur Dei puritatem, sanctitatem, maiestatemque significat, atque ex ea luce lux minor magnæ lucis ἀπαρχὴ tiuus de gloria sanctorum dicitur. Hinc & Angeli lucis nominantur, vt dæmones potestates tenebrarum. Et fere cum apparent, magna luce apparent.

Vera in cœlo lux.

§. 2. Veram etiam corpora beatorum induent, erit enim primaria corporum immortalium dos, fulgor: ideoque cœtus admirabilis, vbi myriades solis instar collucentium. Caluinianus Tossanus Metaphoricè lucem interpretatur, atque ex eo probat non posse etiam caminum ignis proprie accipi. Nos potius inuertimus argumentum, & quia lucebunt illi proprie, etiam alij ardebunt. Erit autem talis gloria, qualis non auferet naturam, sed adferet gloriosam immortalitatem: Augustin. Enchirid. capite 19. Si enim Sol & Luna septemplice luce splendebunt, cur veram corporibus lucem negemus? Angeli in resurrectione fulgentes & ascensione apparent, cum corpora non habeant, cur non ergo corporibus beatorum lucem veram tribuamus.

Vera lux sanctorum corporum.

§. 3. Tossanus probare conatur, non fore diuersos in gloria cœlesti gradus, quia cum omnes iusti fore dicantur instar solis: [Nam quod 1. Cor. 15. cc aliam scribit esse lucem, & gloriam solis, Lunæ, & cc aliorum astrorum: non huc spectat vt diuersos gradus gloriæ exponat, sed illis respondeat, qui assequi cc non poterant, quomodo vnum & idem corpus possit esse in terris humile & corruptibile, in cœlis autem gloriosum. Id ostendit Apostolus exemplis obcc uijs, quod eadem animalia, & corpora diuersam tacc men habeant formam & pulchritudinem: Alia enim cc est caro piscium: alius splendor Solis, alius Lunæ.]

Non est omnīū eadem lux.

De loco ad Corinthios alia disputatio est, suo ordini reseruanda. Nunc hoc explicandum, non ideo paritatem gloriæ esse, quia omnes Soli comparantur. Neque enim lucis æqualitas indicatur, vt nec minor, nec maior sit in aliquo, quam in Sole. Sed magnam lucem fore prædicit, qualis est Solis, in quibusdam maior, forte in nullo minor. Daniel. cap. 12. 13. comparat eum splendore firmamenti, eosque qui ad iustitiam erudierint multos stellis confert, lucebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Quamobrem si non pugnant Daniel & Christus, non debet de æqualitate intelligi comparatio, sed de similitudine. Quemadmodum enim insigni luce Sol & Luna in firmamento refulgent, ita & iusti. Soli vicos illustres conferre vsitatum est,

Non æqualitas sed similitudo indicatur.

Viri illustres soli comparātur.

Brutum Æsia solem, stellasque salubres, appellat comites, rudis adulator apud Satyricum. Clypeum solis instar fulgentem esse iubet comicus Thraso: Sic etiam scriptura loquitur Ecclesiastici 50. 6. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet, quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.*

Nec solis eadem semper lux diffunditur; interdum obscure fulget, aliquando lucet in virtute sua, Apoc. 1. 16. Denique vsitatum est in his non indicari paritatem. Quis enim dicat. Sanctorum omnium soli omnino æqualem esse lucem. Nullum maiorem habere, nec minorem.

VERSVS 44.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Quid similitudo Thesauri?

§. 1. PRecium Euangelij hæc parabola indicat. thesaurus, magnæ pecuniæ sunt, & opes, inuenti magnum gaudium, tale est Euangelij auditi. Absconditur, ne quis præripiat, non quod vnius fides alteri obstet, sed accommodate exponit inuentoris curam & sollicitudinem, quamuis interdum ita de beatitudine loquitur, quasi vnus eam adipisci non possit, nisi alter amiserit, Rom. 11. 19. Apoc. 3. 11. sed more humano. Ardenter enim hoc appetitur, quod æmulos & riuales habet. Magnum enim bonũ putant, quod multi petunt. Scopus igitur istius parabolæ est, dignitatem Euangelij, qua reddimur beati, demonstrare.

Euangelij dignitas.

Non ita Euangelium prædicandum dicimus, vt faciunt Flacciani, vt negemus, in eo vllum præceptum esse: pœnitentiam enim prima voce inculcat. Quod etiam Caluinista Scharpius fatetur, cursu Theol. de Euangelio.

Nec ab hac explicatione receditur, cum Christus thesaurus dicitur, quia in Euangelio Christus reuelatur, & à fidelibus retinetur. Irenæus lib. 4. cap. 43. sic intelligendus est. Nam Christum olim in agro absconditum, nunc inuentum, ait. Ita sane Christum nunciat, vt simul exhibeat. Per Euangelium vinimus. 2. Tim. 1. 10. *Manifestata autem est nunc* (gratia) *per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam, & incorruptionem per Euangelium.*

Christus Euangelium.

Per Euangelium mors abolita est: quia eo Christus vsus est, vt aboleret: homines erudiendo, gratiam dando. Per hæc sacrificium sanguinis, quo precium soluit, applicatur.

VERSVS 45. 46.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna preciosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

QVÆSTIO I.

Quid margarita?

§. 1. MArgarita est regnum cœlorum, seu Euangelium, nos negociatores. sensus ergo, Id quod negociator agit in emendis margaritis, id nos agere debere in acquirendo regno cœlorum: seu tale quid agitur in regno cœlorum, seu in Euangelio, quale fit in negociatione gemmarum. Margaritam vero pro omnibus gemmis nominat, quarum magnum est precium.

Margarita Euangelium.

Precia Margaritarum.

„ De Margaritis Plin. lib. 9. c. 35. [Origo atque genitura conchæ, est haud multum ostrearum conchis „ differens. Has vbi genitalis anni stimulauerit hora, „ pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido „ conceptu tradunt, grauidas postea eniti: partumque „ concharum esse margaritas pro qualitate roris ac„ cepti: si purus influxerit, candorem conspici: si vero „ turbidus, & fœtum fordescere, eundem pallere, cœlo „ minante conceptum: ex eo quippe constare, cælique „ eis maiorem societatem esse, quam maris; inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina sere„ num. Si tempestiue satientur, grandescere, & pa„ tus.]

Hæc in Euangelium præclare conueniunt, cuiuis autem facile est accommodare, nec plura addo, cum plerique hoc in genere nimij sint.

§. 2. Euangelium Margaritæ etiam in eo simile est, quod in paruo angustoque vtriusq; sit precium; ideoque non nisi à peritis æstimari soleat. Pueri & rudes ludicra, aut poma præferunt: nec enim magni quicquam æstimant, nisi quod tale oculis apparet, nec vtile, nisi cuius vsum in præsens intuentur. Euangelium vero Iudæis scandalum, gentibus stultitia est. Mirantur pro tantillo margaritæ corpusculo, agros, domos, vitam denique ipsam impendi.

VERSVS 47. 48.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

QVÆSTIO I.

Quæ vera lectio?

§. 1. IN Græcis non est, *ex omni genere piscium*: nam *Piscium*, omittitur, ideo Beza alijque algam, herbas, fordes intelligunt. Beza. [Vetus interpres addit piscium nomen, quoniam videlicet de piscatione agitur, necinde videtur τῶν σκληρῶν epitheton piscibus conuenire. Sed perpauci sunt nullius vsus, & si quis forte in aquis ipsis mortui computruerunt, quod raro accidit, cum supernatent, vix possint in sagenam dici incidisse. Itaque τὰ καλὰ potius dicendum vocari pisces, σκληρὰ autem vocari algam, silices, arenulas, fordes denique, quales solent ex aquarum fundo à piscatoribus attrahi, & rursum in aquas proijci: quamuis fortasse non fuerit ineptum de cæteris rebus intilibus accipere, quæ vnà cum piscibus ex aquarum fundo euerriculo attrahuntur.]

Addendum tamen, & ex latino Græcus & Syrus Latinus textus corrigendus est. Nam omnes Latini patres ita legunt. Origenes vero etiam, & Græci alij de piscibus interpretantur, vt est apud Origenem in cap. 13. vbi ait, malos pisces foras abijci. Erasmus subaudiri ait, non tamen ex Hieronymi Chrysostomique interpretatione colligi, additum sit, nec ne. Quod quidem ad Hieronymi nomine editos commentarios attinet, non est dubium; in illis enim legitur, & exponitur.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, Hom. &c. Impleto Hieremiæ vaticinio dicentis: Ecce ego mittam ad vos piscatores multos: postquam audierunt Petrum & Andream, & Iacobum, & Ioannem filij Zebedæi: Sequimini me, & faciam Vos piscatores hominum: contexuerunt sibi ex veteri & nouo testamento sagenam euangelicorum dogmatum, & miserunt eam in mare huius seculi: quæ vsque hodie in medijs fluctibus tenditur, capiens de falsis & amaru gurgitibus quidquid inciderit, id est, & bonos homines & malos, & optimos pisces & pessimos. Cũ autẽ venerit consummatio & finis mundi (vt ipse infra manifestius disserit) tunc sagena extrahetur ad littus: tunc verum secernendorum piscium signũ demon-

demonstrabitur, & quasi in quodam quietissimo portu, boni mittentur in vasa cœlestium mansionum: malos autem torrendos & exicandos gehennæ flamma suscipiet.

Ille igitur sine dubitatione σαπρὸς intelligit malos pisces, & inutiles. Bezæ oppono eius præceptorem Ioannem Piscatorem. ὅτι παντὸς γένους, inquit, scilicet piscium. Tam ex putribus, quam ex bonis piscibus: vt declaratur σαπρὸν de putribus dicatur. Nam supra audiuimus, arbores ferre fructus σαπρούς, non quod fructus sint putres cum eos ferunt arbores, sed mali saporis. Nam & bonarum arborum fructus putrescunt. Porro σαπρὸν, vt & σήπεσθαι etiam de alijs vitijs dicitur. Sic enim sepia piscis, & cruor eius dicitur. σαπρὸν autem est, quod putre, rancidum, marcidum. σαπρὰν εἰρήνην vocat Aristoph. in pace. Plut. in Galba eodem modo σαθρὸς vocat, quorum commotus, & irritatus est animus. Significat etiam debilem, futilem, friuolum; ita σαθροὺς λόγους vocat Eurypides, nugas, & sermones inanes. Malos itaque intelligit pisces sapore inutili, & noxios, plurimi enim pisces sunt venenati, aut a quo sapore abhorret natura hominum. Denique c. 10. 17. δένδρον σαπρὸν, non est arbor putris, nec carie quidem vitiata: talis enim si integra tulit bonos fructus, etiam cariosa ferret eiusdem naturæ. Sed arbor mali succi, cuius fructus amari sunt.

Sophist. elench. c. 4. text. 1. §. 13. Vitium quod inest vitiatum.

Vitijs præditos pœnire.

QVÆSTIO I.

An boni & mali sint in Ecclesia?

Boni cum malis in Ecclesia sunt.

§. 1. TEstimonium illud contra veteres produxerunt Catholici patres, vt ostenderent in Ecclesiæ sagenam recipi bonos & malos. Quia namque Ecclesiam inuenisse thesaurum abscõditum, & margaritum præstantissimum docuerat, ne quis in illa omnia munda, pretiosaque esse suspicaretur, ideoque non putaret Ecclesiam, vbi præter thesauros & margaritas sordes & quisquilias cerneret, hanc similitudinem adiunxit. Est vero idem huius parabolæ, & illius de Zizanijs argumentum. Quo hæresis Donatistarũ, & Anabaptistarum penitus damnatur. Augustinus l. post collationem ad Donatistas parabolam Zizaniorum & hanc iungit. *Hoc agebamus etiam similitudinibus Euangelicis, vt causa & persona Zizaniorum non præiudicaret causæ & personæ tritici, quamuis in eodem agro eadem plunia simul cresceret vsque ad messem, quando separari oporteret: vt causa & persona paleæ non præiudicaret personæ frumenti, quamuis in eadem area simul triturarentur donec nouissima ventilatione separarentur: vt causa & persona hædorum non præiudicaret causæ & personæ ouium, quamuis communibus pascuis vtrag; pecora permixta seruentur donec à pastore summo in iudicio nouissimo, alij ad sinistrã alij ad dextrã segregentur: vt causa & persona piscium malorum non præiudicaret causæ & personæ piscium bonorum, quamuis intra eadem retia tenerentur in extremo littore separandi; hoc est, in fine mũdi, quod significat finem seculi. Quibus parabolis & figuris Ecclesia prænunciata est vsq; ad finem seculi bonos & malos simul habitura, ita vt nec mali bonis obesse possint, vel cum ignorantur, vel pro pace & tranquillitate ecclesiæ tolerantur, si eos prodi aut accusari non oportuerit, aut alijs bonis non potuerit demonstrari: ita sane vt nec emendationis vigilantia quiescat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisque coercitionibus licitis atque concessis, quæ salua vnitatis pace in ecclesia quotidie fiunt secundum præceptum Apostolicum.* Et idem tract. 6. in Ioan. Nicolaus Papa. de cons. dist. 1. Melchior Canus l. 4. c. 6. de locis Theol. D. Th. 2. 2. q. 1. Probat Aug. ex Cypr. l. 3. Ep. 3. ad quę negat. aduersarios Episcopos respondisse, vel potuisse respondere.

§. 2. Sumpsit ad suorum defensionem ista Caluinus lib. 4. c. 1. §. 13. [In vitæ autem imperfectione toleranda multo longius procedere indulgentia nostra debet, hic enim valde lubricus est lapsus; neque vulgaribus machinamentis hic Satan nobis insidiatur. Fuerunt enim semper qui falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, tanquam aerij quidam dæmones iam facti essent, omnium hominum consortium aspernarentur, in quibus humanũ adhuc aliquid subesse cernerent. Tales olim erant Cathari, & (qui ad eorum vesaniam accedebant) Donatistæ. Tales hodie sunt ex Anabaptistis nonnulli, qui supra alios volunt videri profecisse. Alij sunt qui incõsiderato magis iustitiæ zelo quam insana illa superbia peccant. Dũ enim apud eos quibus Euangelium annunciatur, eius doctrinæ non respondere vitæ fructũ vident, nullam illic esse Ecclesiam statim iudicant. Iustissima quidem est offensio, & cui plus satis occasionis hoc miserrimo seculo præbemus. Nec excusare licet maledictam nostram ignauiam, quam Dominus impunitam non sinet: vt iam grauibus flagellis castigare incipit. Væ ergo nobis, qui tam dissoluta flagitiorum licentia committimus, vt propter nos vulnerentur imbecilles conscientiæ. Sed in hoc vicissim peccant illi quos diximus, quod offensioni suæ modum statuere nesciunt. Nam vbi Dominus clementiam exigit, omissa illa, totos se, immoderatæ seueritati tradunt. Quia enim non putant esse Ecclesiam, vbi non est solida vitę puritas & integritas, scelerum odio à legitima Ecclesia discedunt, dum à factione improborum declinare se putant. Allegant, Ecclesiam Christi sanctam esse. Verum, vt simul intelligant esse ex bonis & malis permixtam, illam ex ore Chtisti parabolam audiant, in qua reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, neque seliguntur donec in littore sint expositi. Audiant agri esse similem, qui bona fruge consitus, zizanijs, inimici fraude inficitur: quibus non expurgatur, donec in aream aducta fuerit messis. Audiant denique aream esse, in qua sic collectum est triticum vt sub palea delitescat, donec vanno & cribro repurgatum, in horreum tandem reconditur. Quod si hoc malo ad diem vsque iudicij laboraturam Ecclesiam pronunciat Dominus, vt improborum permixtione oneretur: frustra nullo nævo insperſam quærunt.]

Caluini doctrina.

Caluinus malos pisces, non algam &c. intelligit.

§. 3. Vera est fateor illa doctrina, sed nobis, non autem illis profuit. Principio enim cum esset magna Catholicorum multitudo, exiguus cœtus Sectariorũ, nulla re magis, quam vera falsaque referendo, & cõuitiando populum traxerunt. At vero cum apud suos vix decimum quemque sincerum, pleroſque ex professo improbos cernerent, tum demum orta est de scandalis oratio. Si vero ob scandala non oportet exire de Ecclesia, ne à nobis quidem exire oportuit, at postquam à nobis secessionem fecerunt, à suis etiã seductoribus ad alios transeunt. Vident viam in qua sunt veram, & rectà ducentem non esse: itaque in aliam, cum primo se diuerticulum offert, temere transiliunt.

Ex doctrina mala, mali mores Caluinianorum: Qui se coactos ad scandala putant, nõ cauent.

§. 4. Deinde ob mores Caluinianorum ab illis recedendum est, quia malæ doctrinæ illi respondent. Atque hoc est grande inter nos & illos discrimen. Qui in Ecclesia Catholica offendiculo sunt, contra quam docentur agunt. Qui in illorum cœtu flagitiose viuunt hoc sunt, quod docent. Hoc agunt quod audiunt. Negant eos posse à peccatis desistere, negant peccatis reddi iniustos, aut de salute periclitari. Itaq; doctrina illa noxia est saluti: ex se enim impedimentũ pœnitentiæ ponit. Conscientia enim peccati non tãguntur, qui non modo per ineuitabile decretum Dei id se fecisse, sed etiam Dei potentia in id se præcipitatos fuisse persuadentur.

[Deinde

Arminius. [Deinde quia aufert, *inquit*, piam sollicitudinem conuertendi se à peccato ad Deum. Qui enim pure se passiue habet planeque instar mortui, non solum ad sentiendum excitantem & præsentem Dei gratiã, sed etiam ad ei assentiendum, eique obediendum; quique sic per irresistibilem vim conuertitur, vt non solum gratiam quæ intus pulsat, non possit non sentire; sed etiam ei necessario debeat assentiri, sicque se conuertere, aut potius conuerti; plane non potest in corde suo talem sollicitudinem in animum inducere aut concipere, nisi prius ante irresistibilem talem motum senserit: aut si quam sollicitudinem in animum inducet, ea frustranea erit atque nullius rei, vera enim sollicitudo esse non potest, quę non nisi per vim irresistibilem in animo ingenerata est ex præciso proposito & absoluta intentione Dei ad saluandum. 3. Quia zelum & studium bonorum operum inhibet in conuersis, cùm statuit regenitos, neque plus, neque minus boni præstare posse, quam præstent. Actus enim à gratia salutari, debet operari, neque id intermittere potest; ab eadem autem gratia non actus, non potest quicquã agere, sed id omittat, necesse habet. 4. Quia extinguit zelum ad precandum; quum oratio tamen efficax medium sit à Deo institutum ad impetrandum à Deo quidlibet boni, maxime verò salutem. Ex quo enim antea destinatum est immutabili & ineuitabili decreto, eiuscemodi homines salutem adepturos, oratio nequaquam medium esse potest ad salutem impetrandum. Sed solum modo cultus Dei: quia ex absoluto decreto prædestinationis suæ talem hominem decreuerit seruare. 5. Tollit saluberrimum timorem & tremorem, in quo iubemur salutem nostram operari. Statuit enim quod electus & credens non potest plena & tota voluntate peccare sicuti impij peccant; neque vero etiam totaliter aut finaliter à fide siue gratia excidere. 6. Quia in homine desperationem gignit tam faciendi quod officium nostrum postulat, quam obtinendi in quod desiderium nostrum fertur. Cùm enim docetur gratiam Dei, quæ quidem ad boni aliquid faciendum necessaria est, maiori parti hominum ex præciso & absoluto Dei decreto denegari, idque propterea, quod decreto præcedente æque absoluto decreuerit salutem ipsis non conferre; sed vero damnare eos, vix potest, quin cito accidat, vt qui sibi haud ita persuadet electum se esse, ex reproborum se esse numero statuat. Vnde non potest deinde non oriri desperatio quædam faciendi iustitiam, & obtinendi salutem.]

Caluiniani curam bene agendi ex doctrina sua nulla habent.

QVÆSTIO III.

An quia omnes mali sunt in ignem conijciendi, etiam paruuli pœnam sensus experiantur?

§. 1. BEllarminus l. 6. c. 5. de amissione gratiæ & statu, ait paruulos in hoc Apostolico reti non esse: Atque ita respondet ad eorum argumentum, qui objiciunt. *Omnes mali pisces in ignem conjciuntur, paruuli non baptizati sunt mali pisces, in ignem ergo conjciantur.* Qui igitur baptizati non sunt, cum non sint in sagena Apostolica, non possunt etiam eodem iudicio damnari. Agi enim hic de illis, qui in Ecclesiã allecti sunt & per fidem & Sacramenta in nassã Apostolica comprehensi.

Paruuli non sunt in sagena.

§. 2. Pareus tamen obstrepit. [Eadem ratione diceret, ad adultos malos extra Ecclesiam non pertinere: hosq; à camino ignis immunes fore. Sed manifesta est descriptio iudicij vniuersalis. Sagena quidem ministerium ecclesiæ seu prædicationem verbi significat: sed mare est mundus, ex quo boni & putres pisces capiuntur. Manent nihilominus multi putres in mari, qui caminum ignis non effugient.]

In sagena Respondeo. Si hoc Bellarminus diceret, non rectè diceret, nec eadẽ ratione. Multi pisces putres sunt in sagena, plures in mari. Omnes qui sunt in sagena, vel boni sunt, vt ad mensam Domini veniant, vel ita mali, vt non modo in peccato originali sint sed etiam actuali. Nam in sagena nemo est, qui tantum sit contaminatus peccato originali; paruuli enim qui in ea sunt lauacro regenerationis mundati sunt, pariter & adulti, qui igitur in sagena mali sunt, suo proprio à se perpetrato scelere mali sunt. ideo sceleri respondentẽ pœnam excipiunt. In mari vero sunt pisces dupliciter mali, sed discrimine ingenti, quidam sunt originaliter mali tantum, alij originaliter, & actualiter. Priores pœna damni tantum, posteriores pœna etiam sensus afficientur. Itaque iudicij imbecillitate labitur, cũ sic ratiocinatur. Nemo, qui est verum Ecclesiæ membrũ, solius originalis peccati pœnam sustinet, ergo nemo extra Ecclesiam eam solam subibit. Ex eo enim consequeretur baptizatis fidelium liberis non condonari peccatum originale. Qui in Ecclesia est, illi per baptismum remissum est peccatum originale, ita vt nullum actuale commiserit: atq; eo statu moriens, cœlorum regni particeps est, si paruulus est. Si vero adultus in Ecclesia etiam est per baptismum, vel fidei professionem, nec solum habet originale si damnatur. Itaq; in sagena nemo est cum solo originali. Omnis ergo qui in sagena est, si damnatur, ob aliquod actuale peccatum damnatur, ideoque in ignem conijcitur, mitius, aut grauius pro diuini iudicij æquitate cruciandus. Quod vero ad rẽ attinet, verior est sententia, eos qui suo facto non peccarunt, solo damno Gloriæ puniri, non alio sensuum tormento: nec tamen nimium dui iudicandi sunt, qui aliud sentiunt. Pœna enim ignis, etsi grauis videatur, non tamen in corpora, animasq; naturali efficientia, sed Dei nutu agit: vt pro merito grauius, leuiusque molestet. Si igitur pœna sensuum paruuli afficiantur, non tamen eam admodum grauẽ esse iudico, vt qui nullum peccati fructum senserint, damnati, ante quam nati. Diuersum autem eiusdem ignis effectum esse constat. Nam potentes potenter tormenta patientur.

VERSVS 51. 52.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam. Ait illis, Ideo, omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

QVÆSTIO I.

Quomodo omnia intellexerint? & quorsum similitudo scribæ?

§. 1. DOmi seorsum omnia illis exposuit, vt est apud Marcum, ideo se intellexisse profitentur. Illud λέγει αυτοῖς ὁ ἰησοῦς in vetustis exemplaribus quibusdam non fuit. In multis Græcis & Syriacis omnibus est, *Etiam Domine.* Latina tamen exemplaria omittunt, licet sit in quibusdam. Paterfamilias repositam domi annonam habet, vt cum epulæ instituendæ sunt, non faciat sumptum emendo; ita scriba non cum docendum est, primum discit, sed iam ante instructus est, vt ea tradat, quæ didicit. Non enim in diem viuit.

§. 2. Scribæ docto Apostoli conferuntur. Dicitur vero doctus μαθητευθεὶς, vt doctus sit participium, nõ nomen. Deinde εἰς βασιλειαν in regnum, scilicet, vt sit instructus ad regnum cælorum intelligendum, docendumq;: obiectum enim doctrinæ est regnum cælorum. Eo modo quo dicuntur, docti ad Cyathos, ad cancellos,

cellos, ad organa, qui res eas tenent, vt ministrare, scribere, canere valeant. Syrus textus etiam idem declarat מיתח לבר למלכותא *docti ad regnum cœlorum*, nam particulâ ל non ב vtitur Syrus, quæ hoc loco per πρὸς seu, ad, explicanda est.

Druſij verba adducere opere precium puto: tum quia ex Hieronymo verſionem noſtra probat, tum, quia noſtrum interpretem à calumniatoribus vindicat. l.3. quæſt. Ebraic. c.57. [Recens interpres, idemque omnium quos viderim optimus, vidit Ebraiſmum qui eſt Matth.13.57. voce Scriba in his verbis: Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum. Sed vidit tantum; non explicauit. Explicabo ego, omnis ſcriba, id eſt, omnis ſapiens, aut, omnis Magiſter. Nam antiqui Ebræi, ſapientes quos nunc dicimus aut magiſtros, ſcribas appellabant. Vnum teſtem habeo, ſed lucu'entum. Elias Germanus Thesbite: Scribæ ſunt ſapientes, qui alio nomine vocantur Magiſtri. Idem notat indiſcriminatim poni SOPHER ſcriba pro RABBAN magiſter, & contrà. Hoc ſignificatu vſus videtur Hieronymus epiſt.142. Eſt vir quidam à quo ego plura didiciſſe me gaudeo, & qui Ebræum ſermonem ita elimarit, vt inter ſcribas eorum Chaldæus exiſtimetur. Matth. 8. ſcribam vocat, quem paulò ante litteratorem dixerat, qui à Græcis γραμματεὺς nuncupatur.]

Nouæ & veteris rerum genera.

§.3. Noua & vetera, ad omnia ciborum, & potus genera poteſt referri. Theſaurus hic eſt penu, & apotheca boni patrisfamilias, & prouidi. Qui omni rerum genere abundat, nam in quibuſdam cibis nouitas delectat, in alijs vetuſtas precium conciliat, vinis præſertim, ad conuiuarum ergo palatum tantam ferculorũ varietatem proferebat, omnes enim fere diſſentire videntur in conuiuio, dum alius aliud probat. Tales igitur apoſtoli fuêre, qui omnia facti omnibus, Græcis, Barbaris, hominum ingenijs ſeſe accommodabant, & de ingenti ſapientiæ theſauro promebant, quæ diuerſis eſſent idonea. Quod etiam magnopere hodie agendum eſt concionatoribus, exemplo Pauli, qui cum Iudæis ex veteri ſcripturâ, cum Athenienſibus ex nouâ idoli inſcriptione diſputat. Ridiculos hac in re experimur hæreticos, qui tum ſe egregie doctos arbitrãtur, ſi veteris & nouæ ſcripturæ ſententias congerant: quod non monerem, niſi ipſi teſtes mihi eſſent. Wolff. Muſculus [Imperiti putant, eum eſſe doctum in regno cœlorum, qui multos ſcripturæ locos, vt ſcriptos reperit, aceruatim inducit: & ſi quem audierint, qui non multos vſurpet, ſed rem ipſam clarè & perſimilitudines dicat, prout putarit exigere captum auditorum, eum putant non eſſe doctum, cum hoc ipſum ſit hominis docti in regno cœlorum.]

Diuersi tendi modi in Ecclesia.

VERSVS 54.

Et veniens in patriam ſuam, docebat eos in Synagogis illorum, ita vt mirarentur, & dicerent, vnde huic ſapientia hæc, & virtutes?

QVÆSTIO I.

Cur venit in patriam, & quæ ibi acta?

Patria doctrinæ cur petita.

§.1. PRima ratio, vt ipſis quoq; vbi educatus erat, ideoq; nomen trahebat, gratificaretur, ſalutemq; annunciaret. Sabbato autem Synagogam ingreditur, quod tum Dei verbum legeretur, & de ſacris rebus diſputationes haberentur. Hoc etiã notandum, licet dominus ipſe ſabbatum coluerit, non tamẽ Christianos id agere voluit, ne cæremonias omnes iuſſas eſſe putemus. Vſus autem ſabbati, omniumq; feſtorum eſt, vt cultus Dei augeatur, non vt inani otio tempus tranſigatur.

Sabbati vſus.

§.2. Magna etiam ratio erat, quod fratres eius ſparſerant, inſanire eum & furere. Ideoq; ſpeciatim recẽſet Euangeliſta eos admiratos dixiſſe. Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes. Sciebant enim Ioan.7.15. literas eum non didiciſſe. Lucas hanc hiſtoriam ſubiungit c.4 16. poſt ingreſſum in Galilæam, ſed tamen indicat, non inicio, ſed poſtquam multa ſigna feciſſet in Capharnaum v. 23. Quamuis multi diuerſam profectionem arbitrentur. *Scand. lo occurrit.*

§.3 Homines autem profani, cum viderent tot inſignia Prophetæ, ideo ſolum eum contemnunt, quia ciuis eorum eſt. Mirantur, non tamen conuertuntur. Nec grati ſunt, cum ciuem ipſi ſuum tantum colere, & amare debuerint. Itaq; & nunc vrbs illa deſijt, nec vnquam deinde nomen habuit.

VERSVS 55.

Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria; & fratres eius, Iacobus & Ioſeph, & Simon & Iudas: & ſorores eius nonne omnes apud nos ſunt?

QVÆSTIO I.

An Ioſeph faber, & qualis?

Christus fabri filius fatetur.

§.1. MArci 6 3. vocant eum fabrum, vtrũq; igitur dixerunt, & fabri filium, & fabrum, fabrilem itaq; cum patre exercuit. Qualis faber Ioſephus fuerit, incertum eſt: alij murarium, alij aurificem, alij ferrarium, plures tignarium fuiſſe arbitrantur. Græcum τέκτων, & Syrum גרא commune eſt pluribus opificijs. Quamuis autem τέκτων generale ſit, ſolet tamẽ accipi pro fabro materiario, ſeu tignario, cum abſolutè, & ſine addito ponitur: Sic Xenoph. Cyrop. l. 5. χαλκεῖς τε καὶ τέκτονας καὶ σκυτοτόμους. Vbi χαλκεῖς appellat fabros æ rarios, τέκτονας vero tignarios, atq; ab alijs diſtinguit. Confirmat hoc priſca opinio Chriſtianorũ. Nam Chriſtianus pædagogus Libanio Philoſopho quærenti, quid facit fabri filius, reſpondet: Parare loculum Iuliano, quod apte nõ diceretur, niſi de fabro tignario loqueretur. Hiſtor. Trip. l.6. c.44. In Antiochiâ vir quidam adoleſcentum pædagogus habitabat, eratq; illic famoſiſſimus Sophiſta, Libanius impius, expectans Iuliani victoriam, habens præ oculis eius minas. Ergo interrogauit pædagogũ, quaſi noſtram deridendo religionem. Nunc, inquit, fabri filius, quid putas agit? At ille (quod poſt paululum contigit) completus gratia diuina, reſpondit: O Sophiſta, creator omnium, quem tu fabri filium nominaſti, loculum ſepulturæ Iuliano componit. Poſt paucos enim dies mors illius nunciatur, &c. *Fuit tignarius.*

Habet aliquam fabrilis ars cum arbore in quâ peccatum, & quâ peccatum expiatum eſt, communem analogiam, & non negligendam ſignificationem.

VERSVS 57.

Et ſcandalizabantur in eo, Jeſus autem dixit eis, Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua?

QVÆSTIO I.

An non ſit propheta ſine honore niſi in patriâ?

Prophetæ in patriâ sine honore.

§. 1. PEregrinis in regionibus etiam sine honore Prophetæ, imo Apostoli ontumeljs & ludibrijs affecti. Nonnulli etiam in Patriâ honorati fuerunt, vt Samuel, Dauid, Salomon, Nathan. Si tamen rem penitus inspiciamus, facile apparebit, illos ipsos non pro merito honoratos, Samuelem senem reiecerunt, nec acquieuerunt. Dauidem optime meritum deseruerunt. Et iam post mortem odiose clamant. *Nunc vide domum tuam Dauid.* Qui si irrita Dei promissa reddere suâ rebellione possent.

Ciuibus inuident.

§. 2. Cur in patriâ Prophetæ sine honore sunt, plures sunt rationes. Commune malum est inuidia, naturale autem penè est, ciues ciuibus inuidere. Ciuibus inquam non exteris. Nec enim Senator Romanus cum Senatore Carthaginis simultatem gerit. Etenim qui remoto in loco ædificat, luminibus obstruere non existimatur: Proximi culminis fastigia tristes aspiciunt. Vicinæ prosperitatis successus vrit, cognatæ virtutis odio premuntur etiam amici. Deinde multi, qui se parentibus & familiæ ex quâ ortus est Prophera præferunt, ringun ur se ab ipso Propheta superari. Quod tanti superbis videtur vt etiam beneficia aspernentur, quod ea testimonio sint, inferiores esse, & obnoxios, qui illa accipiunt. Ipsa etiam familiaritas contemptum parit. Contrà peregrina mirantur. Ignota enim pluris esse putantur.

redderet. Aliqua signa fecit, ne patriæ contemptor videretur. Dicitur facere non potuisse, non impotentiâ, sed iudicio, quod indignos se redderent, operum tantorum calumniatores.

Fides & infidelitas.

§. 2. Causa dicitur eorum ἀπιστία, incredulitas, quam male nonnulli vertunt diffidentiam. Non enim ideo miracula omisit, quod illi non crederent se prædestinatos esse, aut nō crederent nulla sibi peccata imputatum iri, seu omnia preterita, præsentia futura remissa, etiamsi de præcipitio Christum deturbarent. Quæ igitur sit hoc loco ἀπιστία ex contextu constat. Nam quærunt, *vnde huic sapientia hæc & virtutes?* & apud Marcum 6. *Vnde huic hæc omnia?* Non credebant eum à Deo habere, ideo mirantur, si enim id credidissent, non fuissent in eo scandalizati, vt aiunt Euangelistæ. Scandalum igitur ex eo fuit, quod obsessum à dæmone, aut eius operâ illa effi ere putarent. Quo circa apud Lucam, Christus v. 17. exponit locum Isaiæ 61. 1. vt vocationē suam illis approbet. At illorum vt monet S. Augustinus: *Mira stultitia mirantium, vnde sapientia habeat sapientiam, virtus virtutem*: personam contemnebant, nec aliam contemptus causam habebant, quam quod notum erat Prophetæ genus, quod esset ὁ τέκτων ille Faber. Indignum enim putabant Fabro sapientiam dari, non sibi, quasi diuitū fastidio, aut Doctorum illa supercilio deberetur. Duo autem illa gratiam diuinam vehementer impediunt. Dum scilicet arrogantes sibi deberi omnia præsumunt, cū ipsum, propter quod superbiūt à Deo habeant. Alterum est, quod dona in alios collata odio, & contemptu personarum despiciant. Ideoq; se indignos illis reddant.

Superbia grauis impedimentum.

§. 3. Cum igitur eâ causâ miracula non fecerit, quod illis ipsis scandalizarentur, nec à Deo crederent, facile apparet, quid dicat ἀπιστίαν, incredulitatem scilicet iudicium intellectus, quod dissentit, ab eo quod Deus proponit, ex quo constat, ex contrariorum ratione πίστιν esse consensum intelligentiæ cum eo quod ille reuelauit. Hæc enim incredulitas non opponitur fiduciæ, nisi remotè, quatenus illa eam tollendo fidem etiam tollit, sed fidei, aut credulitati, quam propositus à Deo articulis assentimur.

VERSVS 58.

Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

QVÆSTIO I.

Cur multa miracula non fecit in Patriâ?

Non tulit in Patriâ virtutes facere.

§. 1. NOn modò multa non fecit, sed ne potuit quidem facere, vt est apud Marcum 6. 5. Dicimur autem id facere non posse, cuius faciendi causam legitimam nullam habemus, & insuper iustam rationem cur non faciamus.

Chrysost. & Hieron. comm. monent ideo aliquas fecisse virtutes, ne grauiori damnationi obnoxios

CAPVT XIV.

Marc 6 b 1. Luc. 9 a 7. Mat. 6. c. 17. Luc. 3. d 19. Inf. 21. c. 26.

IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu: 2. & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Ioannem & alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam: 5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. 7. Vnde cum iuramento pollicitus est et dare quodcunq; postulasset ab eo. 8. At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. 9. Et contristatus est rex: propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari. 10. Misitque, & decollauit Iohannem in carcere. 11. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli eius, abstulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & venientes nunciauerunt Iesu. 13. Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in

Luc 9 b 10. Mar. 6 d 26. Ioan. 6. b. 9.

locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus. 14. Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præteriit: dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas. 16. Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. 17. Responderunt ei: non habemus hic nisi quinq; panes, & duos pisces. 18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. 19. Et cū iussisset turbā discumbere super fœnum, acceptis quinq; panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. 20. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus, quinq; mill. a virorum, exceptis

Mar. 6. f 43. Ioan. 6 b. 9. Ioan. 6. b. 17.

mulieribus, & parvulis. 22. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. 24. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. 25. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. 26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. 27. Statimq; Iesus locutus est eis, dicens:

Habete

Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. 28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. 29. At ipse ait, veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. 30. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. 31. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi. Modicæ fidei, quare dubitasti? Matth. 32. Et cum ascendissent in nauiculam, cessauit ventus 33. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Vere filius Dei es. 24. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. 35. Et cum cognouissent viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: 36. & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunq; tetigerunt, salui facti sunt.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM

ARGVMENTVM.

CHristi potentiam multorum miraculorum enarratione manifestat, adeo vt ad Herodem Tetrarcham fama manaret, qui surrexisse Ioannem Baptistam coniectat. Recensetur autem historia Ioannis die natali Herodis in gratiam saltatriculæ occisi. Deinde quinque millia hominum cum mulieribus & paruulis, quinque panibus & duobus piscibus pasta, relatis duodecim cophinis reliquiarum. Adiunguntur miracula Christi ambulantis super mare, Petrum dubitantem seruantis, tempestatem sedantis, ac denique vniuersa quæ in regione Gerasenorum etiam tactu fimbriæ vestimenti effecit. In Syriaca Ecclesia à v. 15. ad 24. vsque in quotidianâ oblatione solebat legi: habetur enim קוּרְבָּא דְצַלּוֹתָא *cureba deculiom, oblatio omnis diei* seu quotidiana. Indead finem legebatur ad vesperam feriâ primâ hebdomadis secundæ post resurrectionem. Ioannis & Herodis mentionem ideo facit, vt appareat, totâ Iudæâ nomen Christi notissimum fuisse. Nec sine causa historia Baptistæ subiungitur illi, quod de auditoribus suis diuersis dixerat: nam in Herode apparuit non fuisse fructum boni seminis, qui facili negotio suffocatus est in primo germine, spinis voluptatum subito exortis. Interim dubium non est, hac Baptistæ constantiâ discipulos insigniter confirmatos, si enim vel minimo signo raptum approbare voluisset, magnis ab Herode honoribus fuisset affectus. Quin etiam constantia sua docuit, nullius se commodi gratia Christum prædicasse, sed exemplo se præire, vt cognoscant fideles Ecclesiæ Doctores quâ conditione laborent, vt iudicium Dei præmia æterna redditurі patienter expectent. Insigne documentum est opertere Dei seruos etiam cum vitæ periculo monere delinquentes, Nathan Dauid, Ambrosius Theodosium monuit. Ioannes, etsi multa Herodes faceret, non tamen conniuere in tanto scelere voluit.

VERSVS 1.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu.

QVÆSTIO I.

Quando audiit Herodes.

Fama Christi magna. §. 1. IN illo tempore, quo iam Apostoli ex legatione prima redierant, narrabantque quæ gessissent. Iam enim non vni, sed pluribus regnum Dei prædicabatur, & loco vnius occisi Ioannis duodecim Apostoli præter Christum, atq; adeo discipuli 72. totam Iudæam & Galilæam Enangelio complebant. Non enim latere amplius lucerna potuit super tot montes posita, sed vitali lumine domum æterni patris collustrabat.

§. 2. Magis adeo mirum videri posset, tam sero rem tantam ad aures Herodis peruenisse: cùm ægri sanati omnibus locis apparerent, ingentesque fierent hominum concursus, præsertim cum Herodes occidendi Baptistæ prætextu simulauerit seditionis metum. Itaque aliqui Romæ eum hoc tempore fuisse, alij bello Arabico occupatum arbitrantur. Verùm iam Româ redierat, & negocijs confectis sese incestis nuptiis polluebat.

§. 3. Vera mihi causa videri solet, Herodis Tetrarchæ superbia, & in rebus diuinis negligentia, virtutisque odium, & contemptus. Est enim hic Herodes Antipas, magni Herodis filius, Christi in passione illusor. Vulpecula ab eodem nominatus. Eusebius in Chronico, Archelaum, Antipatrum, Antipam, Philippum filios Herodis, Tetrarchas appellat. de Tetrachiis vide Plinium l. b 5. c. 18 & dixi in Lucæ caput 3. Syrus Tetrarcham vocat טטרכא Tetracha Rex etiam quandoq; appellatur, Marci 6. & Lucæ 9. Licet Augustus Tetrachias tantum regno Iudæorum debilitando, & viribus diuidendis instituerit, vt Iosephus libro 17. antiq. cap. 10. & 13. Certe regem se putauit, cum dimidium regni saltatriculæ sponderet: Itaque regium nomen affectauit, & ita à suis vocatus est. Fastus autem illum egit transuersum, vt de Christo vix audire dignaretur. vt Chrys. hom. 49. in Matth. Οὐχ ἁπλῶς δὲ τὸν καιρὸν ὑπεσημήνατο ὁ εὐαγγελιστής, ἀλλ' ἵνα μάθῃς τὸν τύφον τὸν τυφλώσαντα καὶ τὴν ὀλιγωρίαν. οὐδὲ γὰρ πεφροιμίοις ἔμαθε τὰ καθ' αὐτὸν ἀλλὰ μετὰ χρόνον ἄπειρον. τοιοῦτοι γὰρ οἱ ἐν δυνασείαις καὶ πολὺν τὸν ὄγκον πεφιβεβλημένοι οὐδὲ ταῦτα μανθάνουσι, διὰ τὸ μὴ πολὺν αὐτῶν ποιεῖσθαι λόγον. *Non autem otiose tempus Euangelista signauit; verùm vt fastum Tyranni & negligentiam omnes intelligere possemus. Non enim ab ipsis statim miraculorum exordiis famam Iesu, sed post multum tempus percepit. Huiusmodi certè sunt qui in Principatibus viuunt. Nam, quoniam fastu rerum plurimum sibi arrogant, parui facientes cetera, sero ea perdiscunt.* *Tyrannorum fastus ab audiendo Dei verbo impedit.*

§. 5. Decollatio porro Ioannis Baptistæ, vt colligit ex Lucæ 9. & Marci 6. Mercator, alijque incidit in illud tempus, quo discipulos ad prædicandum ablegauit, sic enim dæmoni itum est obuiam, missi multis in vineam operarijs pro vno occiso. Itaque fieri vix poterat, vt tot miraculis, tam multis locis non commouerentur animi, & ad Herodem res deueniret. *Officium concionatorium.*

VERSVS 2.

Et ait pueris suis. Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis & virtutes operantur in eo.

QVÆSTIO I.

Cur Baptistam existimauerit?

§.1. LVcæ 9.7. alij referunt illi omnia quæ Christus fecit, aiuntque vel Baptistam, vel Eliam, vel aliquem de antiquis prophetis esse, Herodes principio dubitauit. Quis est hic? tandem in eam sententiam inclinauit, vt Baptistam esse crederet, quod suis familiaribus est confessus, non sparsit in vulgus. Qua ex re etiam nequitia regis innotescit, vt qui tanti Ioannem æstimarit, & tamē occiderit; qui putat à mortuis resurrexisse, & virtutes in eo operari, nec tamen illis de Christo testimoniis fidem haberet. Par est contumacia Hæreticorum, qui cum Martyrū & Sanctorum Patrum pietatem, & miracula agnoscant, fidem tamen quâ ista fecerunt, insolenter oppugnant. Pro οὗτος iste. in quibusdam est, μήτι οὗτος, an iste?

Herodes ancipiti opinione turbatus.

§.2. Apparet sanè Herodem non abhorruisse ab eorum sententiâ, qui μεμψύχωσιν probabāt, vt multi arbitrantur. Ideo tam diserte ait ipse surrexit à mortuis, quædam exemplaria habent: ὅτος ἐστιν Ιωάννης βαπτίσας ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα. *Hic est Iohannes Baptista quem ego decollaui*: quod tamen ex Lucâ huc traductum esse non dubito. Syrus suo more dicit, *surrexisse* בין בית מיתא Men beth methe, de domo mortuorum.

Rediuiuum Baptistam Herodes putat.

§.3. In eo post mortem virtutes operati arbitratur, quas in viuente non aduerterat (neq; enim Ioannes signa fecit) quod post mortem augustiorem putaret, & quasi in Deos relatum, & ampliore cum potestate remissum. Vnde magis superstitiosus homo metuere cœpit rediuiuum. Ἐνεργοῦσιν, inquit efficaciter vim suam exerunt, seq; ostendunt: alij verò quod indignarentur Herodi ob Baptistæ necem, iam quasi illo rediuiuo gaudebant. Sanctorum resurrectionem maiore cum dignitate futurā putabant. Ita Anselmus. Δυνάμεις nō sunt angelicæ potestates, vt multi existimant, sed à Deo insitæ virtutes & potestates. Conscientia regis impia omnia sæua præsumit, & cæco verbere pulsatur, dum primo dubitat, deinde certo statuit Baptistam resurrexisse. Egregie Chrysost. hom. 49. Σὺ δὲ μοι σκόπει ἡλίκον ἡ φρενῖτις. ὅτι καὶ τελευτήσαντα οὐδὲν ἔδοικε, καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου τοῦ περὶ ἀναστάσεως φιλοσοφεῖ. Tu autem hic etiam animaduerte, quàm ingentes virtus habeat vires. Nam hic Herodes adeò Ioannem mortuum perhorruit, vt à nimia formidine de resurrectione philosopharetur. Mira Dei vindicta, inter vincula securus est Ioannes, Herodias vinctum formidat, vox Baptistæ de catena clamat in conscientia meretricis. Tyrannum veris tortoribus Deus exagitat, vt quantumcunque illecebris indormiant, identidem tamen stimulis torpentem animam fodiat.

VERSVS 3. & 4.

Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim illi Iohannes: Non licet tibi habere eam.

QVÆSTIO I.

Quæ causa occidendi Iohannis?

§.1. EVangelista factum ait propter *Herodiadem vxorem fratris sui*. Quædam Exemplaria habent: *vxorem fratris sui Philippi*, quod additum ex glossâ satis constat. Iosephus etiam illum vocat *Herodem*. Natus est ex Herode magno, & Cleopatra, Ierosolymitanâ. Tetrarcha fuit Iturææ & Trachonitidis, vir animi placidi. Historiam Iosephus recensēt prolixè. Inuenitur etiam apud Gorionidem lib. 6. cap. 63.

§.2. Ioannes vltro adijsse Herodem videtur, cùm publico scandalo, & infamiâ fratri vxorem eriperet. Martyrem autem fuisse nemo dubitauit, & sic eum appellat August. in Psal. 140. Quin etiam probabile est, sæpius Herodem esse monitum. Nam idcirco Herodias illi insidiabatur, quod sciret, nullo promisso, aut metu eum impediri posse, quo minùs prophetica libertate regias libidines insectaretur.

§.3. Non fuit Herodias vxor demortui Philippi, vixit enim ille ad annum vsque Tiberij 20. hæc facta sunt biennio ante Christi mortem, quæ incidit in annum 18. Tiberij. Porro non immerito patrem quamuis lenti ingenij timere Herodes debuit, præsertim cū ab Arabe socero, ob repudium alterius coniugis bellum immineret. Grauior autem metus ex Ioanne, qui summæ apud Iudæos erat auctoritatis, exurgebat. Sponte autem furenti etiam Phatisæi & sacerdotes faces subdiderunt, cum monitores ipsi, & correctores esse deberent. Quod Caietanus nomine composito, Herodem Philippum, vel Philippum Herodem vocari suspicatur, non videtur aut verum esse, aut Iosepho excusando sufficere. Non enim mos erat nomina geminare apud Hebræos, & Iosephus non rectè Philippum nominaret, si nomen integrum erat Philippus Herodes, aut Herodes Philippus.

§.4. Non igitur recte concludunt nonnulli, esse naturali lege nuptias duarum sororum & duorū fratrum irritas, vt hæretici nostri temporis nonnulli faciunt. Nam Philippum mortuum fuisse comminiscuntur, Herodem vero reprehendi ob defuncti ductā vxorem. Eos sane lex, quæ defuncti fratris sine liberis, vxorem duci imperat, satis refutat, vt vetitum esse nō fingerent, quod etiam imperatū legerunt. Nec aliter sentiunt etiā multi sectariorum, & collegas suos oppugnant. Aretius fratrem adhuc vixisse indicat. *Iudicium Ioannis de hoc facto Herodis tale est. Non licet tibi habere eam*, hoc est, *fratris tui legitima vxor est, & eo inuito adire non debet transire, raptus est turpis, nam fratri iniuriam facit, raptu thori sociam.* Et Mulculus viuentem fratrem fuisse pronuntiat, cum filiam haberet Philippus, etiam mortuo illo nuptias illegitimas futuras fuisse contēdit. Caluinus historiæ insciti ā factum ait, vt multi superuacuam disputationem ingesserint. Liceat ne mihi ducere vxorem, quæ prius fratri meo nupta fuit, vi aut fraude abductam ait. Eodem modo Bullingerus viui fratris vxorem vocat, ideoque ineptè prorsus hinc doceri nos affirmat, gradus consanguinitatis, & affinitatis non esse abolitos, cum non de incestu, sed raptu accusetur Herodes. Errat igitur Kemnitius, qui ex reprehensione Ioannis colligit legem graduum Leuiticorum etiamnum durare. Præterquam enim quod de raptu & adulterio reprehenditur Herodes, etiam in eo ipse errat, quod existimet, Ioannis Baptistæ tempore legem cessasse, cum eam Dominus ipse postea abrogarit. Constat sanè Philippum vixisse, vt ex Iosepho, & Gorionide notaui. Bullingerus vxorem fratri eripuisse ait, idq; ex Iosepho docet.

§.5. Tertullianus tamen defunctum fuisse Philippum existimauit lib. 4. contra Marcionem c. 34. p. 871. *Ioannes enim retundens Herodem, quod aduersus legem vxorem fratris sui defuncti duxisset, habentis filiam ex illa (non alias hoc permittente, imo & præcipiente lege, quamsi frater illiberis decesserit, vt à fratre ipsius & ex costa ipsius supparetur illi semen) conjectus in carcerem fuerat, ab eodem Herode postmodum & occisus. Facta igitur mentione Ioannis*

Demis-

Bonimus, & vtiq; successus exitus eius, illicitorum matrimoniorum & adulterij figura taculatus est in Herodem: adulterium pronuntiatus, etiam qui dimissam à viro duxerit: quo magis impietatem Herodis oneraret, qui non minus morte quã repudiatam à viro duxerat: & hoc fratre habente ex illâ filiam, & vel eo nomine illicitè, ex libidinis, non ex legis instinctu: ac propter a Propheten quoq; assertorem legis occiderat. Verum ille iam tum secundis nuptiis iniquus ne defuncto quidem marito putauit solutam vxorem vinculo matrimonij. Pammelius lectionem Montani probasse Tertullianum putat. Non igitur defendi nouus error per veterem hæresin debet, sed antiquæ veritati cedere, cui etiam pleriq; nouatores repugnare formidant.

Zwinglij sedenda sententia.

§. 6. Grauis hoc loco & damnandus error Zwinglij, ad cuius normam si Rempublicam instituas, actum de magistratuum potestate fuerit. Verba eius proponam, vt cunctis appareat, quid inconsultus ferue patturiat. *Nefandum, inquit, & imprudens scelus tyrannus hic committit, nec solum ipse in culpâ est; sed & populus, qui impudentem viuere impune sinit. Magna nimirum conscelleratio est, vbi regi tam impudenter viuere, atq; impune licet. Si aliqua ratio, aut amor honesti, & iusti fuisset in populo, increpasset regem, corripuisset, & contumacem eiecisset.*

Zwinglius pœnam in rege concitat.

Quintam confusionem in Rempublicam imprudens inducat credo latere neminem. Si populus in culpâ est, qui regem impudentem viuere impunè sinit, iudex ergo est regis sui populus, & cum rex adulter, aut raptor est, eum punire ad populum pertinet. Si conscelerati, quod regem non punierint, non ius tantummodo, sed etiam mandatum puniendi habent, increpare, corripere, contumacem ejcere debuerunt. Quid autem integrum in Republica erit, si in Magistratum tanta plebi furenti licentia concedatur. Si totus populus conscleratus est, qui regem impudentem non increpat, corripit, ejcit, quid superest, nisi vt se quisque illo scelere liberet, & tyrannum occidat? Multa crudeliter docent, & seditiose Zwingliani, nihil autem hac doctrinâ est pernicioſius; peccata enim regum maiore scelere vindicanda docent.

Populus non punit regem peccatorem.

Alia scripturæ & prudentium norma, non docet illa reges peccatores occidere, sed parere Dominis etiam fœlicis. Alioqui etiam Dauid improbus, & populus conscleratus, qui Saulem non mactabat vtpote Dauidis persecutorem, & Sacerdotum interfectorem. Multi regum Iuda, & omnes Israelis impij fuerunt, non tamen cædem eorum Deus populo mandauit, nec Prophetæ populum accusarunt, quod eos non occiderent, sed quod imitarentur. Improbè igitur ad seditionem concitandam hæc ille proponit, atque ex Wicleffitarum erroribus, qui Magistratum peccatorem tolerandum negabant: quod aliud non est, quam orbem sanguine vsque ad frenos equorum implere.

§. 7. Timet populum, ne velut Prophetâ occiso tumultuaretur. Non repugnant quæ apud Marcum 6. v. 19. leguntur: *Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Herodes enim in vincula eum coniecit, & occidere peroptabat, sed metu populi non audebat: accedebat & illud quod sciret virum iustum & sanctum, & eius monitis multa faciebat, vt videlicet se populo commendaret, spemque moderationis præberet ex Prophetæ familiaritate, sic vt Paulum Festus audiebat, & Senecam Nero. Vnica igitur causa differendæ necis erat, metus infamiæ & seditionis, quem in consuetudinis luxuriosæ blanditiæ vicerunt. Timebat autem Herodes Ioannem vt virum iustum & gratiosum apud populum. Ingenium autem est tyrannorum inuidere bonis, fortes trucidare. Vehementer eius desiderasse necem Syrus ostendit צבא Zeba, quod est cum appetitu & delectatione velle.

VERSVS 6.

Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

QVÆSTIO I.

Quæ celebritas diei natalis?

§. 1. MArcus fecisse cœnam principibus, & tribunis, & primis Galileæ. Τοῖς μεγιστᾶσιν, καὶ χιλιάρχοις καὶ τοῖς πρώτοις. Conuiuium illud Machetunte institutum fuit, in eo enim castro Ioannes in carcere seruabatur. Dies natalis Syro est, בית ילדה beth ialdeeh *domus natiuitatis*, γενεσίων ἀγομένων, *cum natalitia agerentur.*

Conuiua similes inuitatori.

§. 2. Principes illi & tribuni paulo post bello Arabico periêre: quod Græcus habet ἐν μέσῳ, in medio apud Syrum est: קדם מבריא kedam memiche, *coram assidentibus*, & eorum quoq; improbitas ostenditur, quibus rex impius hoc spectaculum exhibuit, haud moribus eorum consentaneum, & proin placiturum.

Maldonatus defenditur.

§. 3. Non est natalitiorum dierum vetita celebritas, si luxus absit, qualis erat apud veteres, idololatria, aliaque humanæ superbiæ vitia.

§. 4. Maldonatus merito Caluinum accusat, quod natalitia conuiuia Herodis approbet, Christi & beatæ Virginis natiuitati impensum honorem reprehendat. Caluinum excusat Daniel Tossanus: *ab eo Herodis Thyestium conuiuium, & in genere omnia lasciua conuiuia reprehendi, non improbare tamen, si quis natali suo sit hilarior, & Deo gratias agat, quod ab eo in hanc lucem productus sit, seq; ipsi totum consecratum meminerit.* Itaq; fieri iniuriam Caluino queritur. At Maldonatus non omnes hominum natales cum vitio celebrari contendit, sed ex Hieronymi & Bedæ obseruatione, non nisi impiorũ in Scriptura recenseri verissime contestatur. Nec absolutè Caluinum ob concessam natalium celebrationem reprehẽdit, sed odiosam illius hæresim proscindit, qua hominum natalibus æquus est, Sanctorum abrogat. Verba Maldonati: *Caluinus tamen, quasi curasset se omnibus in rebus hæreticum esse, hunc morem non solum excusat, sed etiam laudat. Hac enim ratione gratias nos Deo agere, quod in lucem eius beneficio editi simus: & profiteri anteactam vitam inutiliter transigisse. Quis hæreticum non agnoscat spiritum? Pharaonis & Herodis natales dies celebrari vult; Petri & Pauli, imo matris Dei; imo Christi natalem celebrari prohibet. Viuentium natales, vbi ambitionis & gloriæ plurimum est, agi laudat: mortuorum, qui Deo seruierunt, & eo iam securi fruuntur, vbi nulla ambitio nulla humana gloria esse potest natales agi vetat. Conuiuiis homines nequissimos in lucem editos fuisse Deo gratias agendas esse docet: orationibus, & laudibus homines sanctissimos, & de Ecclesia Christi optime meritos natos esse, si quis Deo gratias agat, superstitiosum putat. Superiorem vitam inutiliter nobis effluxisse comessando, & potando agnoscere sanctum est: ieiunando & pœnitentiam agendo profanum, anile, Papisticum. Quid ita? quia ipse dixit.*

§. 5. Augustinus tom. 4. ex vtroq; Test. natalem nostrum celebrari vult, quod templa simus spiritus Sancti. Cætera apud eundem lege.

VERSVS 7.

Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunq; postulasset ab eo.

QVÆSTIO I.

Quomodo peccauit Herodes promittendo?

§.1. PRincipio quidem stolida temeritate, etiam si rem ciuiliter æstimemus, vt in leuiculæ mulierculæ votis fortunas suas collocaret. Quid enim si dimidium regni illa petijsset? Quid si aliud, aut stultum, aut damnosum?

Temeritas Herodis.

§.2. Deinde flagitiosum etiã fuit, temerariam pollicitationem iuramento confirmare. μετ' ὅρκου ὡμολόγησεν. *cum iurando spopondit*: hoc enim verbũ propriis sponsionibus seruit. Vt spondes, spondeo; Do, vt des.

Non omne iurandũ est seruandum.

§.3. Tertiò sceleratiuo promissum expleuit, non enim seruandum hoc iramentum docetur. lib. 3 sentent. dist 39. Nunc superest videre: vtrum omne iuramentum seruandum sit. Si enim quis alicui iurauerit contra fidem & charitatem, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, potius est mutandũ quam implendum. Vnde Ambro. *Est contra officium Dei nonnunquam promissum soluere iuramentum vt Herodes fecit.* Item Isidorus. *In malo pomissis resipe in fidem: in turpi voto mutatio decretum.* Quod incautè vouisti ne facias: impia est promissio quæ scelere adimpletur. Idem. *Non est obseruandum Sacramentum quo malum incautè promittitur:* vt si quis adulteræ constantiam cum eâ permanendi polliceatur. Tolerabilius enim est non implere Sacramentum, quam permanere in stupro. Item Beda. *Si quid nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum: liberè illud sa ubriori consilio mutandum nouerimus: ac magis instante ne esse tate peierandum esse nobis, quam prouitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum.* Deniq; iurauit Dauid per Deum occidere Nabal virum stultum: sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis remisit minas, reuocauit ensem in vaginam: nec aliquid culpæ se tali periu io contraxisse doluit. Item August. *Quod Dauid iuramentum per sanguinis effusionem non implenit, maioris pietatis fuit. Iurauit Dauid temere: sed non implenit iurationem maioris pietate.* Ex his aliisq; pluribus ostenditur quædam iuramenta non esse obseruanda: & qui sic iurat, vehementer peccat: cum autem mutat, bene facit. Qui autem non mutat, dupliciter peccat: & quia iniuttè iurauit: & quia facit, quod non debet.

Votum castitatis falso iuramento violandum.

§.4. Hæc citat etiam & approbat Bullingerus, at non est probandum, quod ipse adiungit: *tale esse iuramentum eorum, qui votum pe putuum cœ ibatum, qui quotidianis tentationibus sentiunt, quam stultè fecerint, qui stupris, adulteriis, omnibus immunditiis quotidie polluunt.* His matrimonium suadet, sed fallit; non enim matrimonio votum soluitur, sed stringitur, & conscientia polluitur. Qui enim votum castitatis habet, continere se debet, & quod promisit, explere. Non potuit ille quod tam multi, & multæ præstiterunt? Nec libidinis causa est, votum Deo nuncupatum, sed animus in transversum actus, & promissionis suæ oblit⁹. Nec profecto si quispiam agrã coniuge, vel absente sentiat Satanæ & carnis ad crimen impulsus, recte illi suaseris, vt matrimonio se nouo illiget, sed vt gratia diuina inuocata, corpore castigato fidem coniugi, Deo castimoniam conseruet. Libidinis enim remedium non est adulterium, sed oratio, ieiunium, labor, studium. Quæ autem peruersitas est, eos, qui castitatem Deo vouerunt, ad sacrilegium incitare, & coniugium vocare, & hoc prætexere nomine culpam?

QVÆSTIO II.

An licita saltatio fuerit?

Saltationes lasciuæ.

§.5. Ingenuæ in conuiuia induci ad saltationem non solebant, sed hic nihil mirum sic prostitui filiam adulteræ matris, & lenæ, vt lasciuâ saltatione impium conuiuium ad libidines concitaret. Saltationes alioqui honestæ, & quæ sine lenocinio sint, non prohibentur, aliàs naturali & diuina lege vetantur.

§.6. Gebennenses. & Synodi Caluinianicæ in Francia, exemplo Waldensium saltationes sustulerunt; rectè id quidem, Herodiadis petulantiam in speciem detestati, verum crudelitatem, & libidines auxerunt. Non enim gladio truncare seruos Christi satis habuerunt, sed exquisito cruciatu longa morte necarunt, vt sanguinaria voluptate fruerentur. Nec Herodes quã Caluinius adulter ad nuptias Baptistam compulit, at il i Eu- nap. lib. angelici, Deo sacras virgines carnificibus suis prostituerunt. Multas fuisse saltationes pudicas & virium, agilitatisque exercitationes, non leuitatis fuisse constat. Polluxin onomastico lib. 4. cap. 14. eas recenset.

VERSVS 8.

At illa præmonita à matre sua. Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ.

QVÆSTIO I.

Cur petit caput Baptistæ?

§.1. NOn petit sua sponte puella, sed forte inscia fraudis maternæ, quanquam iam teneræ esse non potuit, quin crudele votum suum esse cognosceret, ideo dicitur ἠ δὲ προβιβασθεῖσα hæc vero inducta, incitata à matre. Syrus, רמלבא edocta. Causa erat matri, ne Herodes multis Baptistæ admonitionibus persuasus adulteram res suas sibi habere iuberet, ac domo pelleret, adulterium itaq; sanguine præcursoris sanciendum putauit. Syrus addit particulam causalem. *Ipsa verò propterea quod edocta fuit à matre.* Plinius lib. 9. c. 9. nulla, inquit, sponsione ad hoc productus, quod est propriè προβιβασθεῖσα.

Ludibrio etiam post mortem caput Ioannis habetur ab improbis, magna Prophetæ, & Dei contumelia; haud dubiè enim illa omnia ad monitoris ignominiam, despectumq; instituta fuerunt. Quarè & nos è contrario concludimus honorem Sanctorũ corpoporibus exhibitũ, ad ipsorum gloriã pertinere. Quis etenim non animaduertit epularum regiarum ferculum fuisse caput Prophetæ ὀπ' αὐλαῖα in disco? Imo perditi hominis natalem esse fatalem iusto. Καὶ ὁ χρυσ., inquit Chrysost. δὲ ὑμεῖς ἐν εἰς καλλωπισμὸν συντελοῦσι πολυτελείας αὐτῆς. ὅτε γὰρ αὐτὸν ἐγκαρῆ ἐν ἐχρῆν τὸν θεῖον τὴν ἡμέραν ἐκείνην εἰς φῶς αὐτὸν ἄγαγε τότε τὰ ἀθύρματα ἐκεῖνα τολμᾶται ὅπλα σαι ἐχρῆν δεδεμένον, τότε σφαγὴν τοῖς δεσμοῖς ἐφεστήκειν. *Temporu quoq; psi u inopportunitas, scelus Herodu mirum in modũ amplificat. Nam quando gratias Deo agere oportebat, qui eũ illo die produxit in lucem, tunc nefandissimam eadem omnimittit: quando vinctum ex gaudio soluere decebat, tunc ad vincula iussu mors suo ac ipsit.*

QVÆSTIO II.

Cur contristatus Herodes?

§.2. Quidam simulatè, quasi se doleat cogi vt virum sanctum occidat, idq; vi iuramenti, & religione, alij verè, quia probrosum erat, virum sanctũ conuiuiali præcepto, ad saltatricularum sanditias occidi: quid enim de tali rege sperarent, aut quid nõ timerent subditi? & illi ipsi mensæ assecla quibus præsentibus hoc fiebat. Marc. 6. 26. περίλυπος. Et si ergo verè tristatus ob illas causas, simulauit tamen ex alia causa dolorem, vt vultu mentiatur & verbis, tamen videri voluit religiosus vt occideret.

§.3. Caluinus hinc concludit vota monastica non magis conscientiã ligare, quam magicos exorcismos quod illis coniuncta sit manifesta impietas, vt iuramento Herodis. Respondeo; Deploratæ malitiæ hanc esse extremam dementiam. Quid enim simile habent

cum

cum scelere Herodis vota monastica? Vouerat à religiosis castitas auxilio diuino seruanda, Herodes iurat temerè vt motte Prophetæ adulteriũ sanciatur. Vouent hi paupertatem, vt relictis omnibus Christum nudũ sequantur, Herodes flagitiosis illecebris ebrius, optandi arbitriũ puellæ permittit, daturus omnia, etiam dimidiũ regni sui. Deniq; obedientia homini, vice Dei imperantis promittitur, eaq; in rebus honestis & licitis præstatur: at Herodes quod temerè, stulteq; iurauit, sceleratissime fecit. Nihil igitur in votis Monasticis sceleris, nihil in iuramẽto Herodis excusationis.

§. 4. Non sola religione iuramenti adducebatur rex vt facinus mandaret, sed propter simul discumbentes, ne quis Dei metu, aut reuerentiâ factum tantum nefas putet. Opprobria hominum timuit, quasi rex promissum irritum redderet.

VERSVS 15.

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Desertus est locus & hora iam præterit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas. Iesus autem dixit eis, non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei: non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces. Qui ait eis: afferte mihi illos huc.

QVÆSTIO I.

Quid in historia de quinque panibus obseruandum?

§. 1. EXmonte, vbi requiescere iussi erant, venerunt, Vespertinũ tempus iam propinquabat. Tempus præteriit sibi, inquit Syrus. Nondum tamen crepusculum aduenerit, nam ante tenebras & cæna data est, & discipuli ad nauem compulsi.

§. 2 Syrus habet pro fœno אוּרְאָא fortè legendum אִסְבָּא fœnum. Panes afferri sib iussit, vt ostenderet se esse, qui mundũ pasceret, & cibo, & verbo, allegoriâ videapud Hugonem elucidator. annot. 12. in Euang.

Deus sine semper sustentat.

§. 3. Discubuerunt, vt Lucas habet cap. 9. 14. per quinquagenos, vt numerus hominum cognosceretur, & ordo seruaretur, ordinis enim amator Deus est. Inopinata autem Christi munificentia solatio est fidelibus, non deforenaturæ, quo sustentetur, si modo Domino auctori suo sese committat, eiq; confidat. Non enim est inopia timentibus eum, Psal. 32. Non desert suos Deus, quos condidit.

VERSVS 19.

Et cum iussissent turbã discumbere super fœnũ acceptis quinq; panibus & duobus piscibus, aspiciens in cœlũ benedixit & fregit & dedit discipulis panes, discipuli autẽ turbæ.

QVÆSTIO I.

Quid sit εὐλόγησε, benedixit?

§. 1. MAgna est hoc loco controversia, an εὐλογεῖν sit εὐχαριστεῖν, an vero εὐχαριστεῖν sit εὐλογεῖν, considerato cuiusque vocis etymo, & proprietate. Nam Ioannis 6. 11. in hac eadem historia legimus εὐχαριστήσας, gratias agens. Contendunt autem sectarij, εὐλόγησε, non retulit ad panes, quasi panibus benedixerit, sed ad Deum, cui gratias egerit.

Indubitatum est Deo benedixisse, Deum laudasse, hoc est enim εὐχαριστήσας. sed ita vt Dei gratia aduocetur, quâ panes augescant. Benedictionẽ etiam ad panes pertinere clarius est ex Lucæ cap. 9. v. 14 quam vt probatione opus habeat. Expressè enim habet, εὐλόγησεν αὐτούς, benedixit eos, sic benedicendi verbo vtitur, 1. Cor. 10. 16. ὃ εὐλογοῦμεν, quod vel cui benedicimus. Sic 1. Timoth 4. 4. cibus sanctificatur.

Panes benedicuntur.

§. 2. Quinillo etiam modo Sectarij nonnulli exponunt. Piscator in Lucam εὐλόγησεν. id est, πρὸς θεὸν ηὐχάρισεν, *Deo sanctificauit*. Aretius, indicasse panes præter naturæ beneficium consuetum nouo robore, & virtute threplicâ imbui, quod quidem ad benedictionem panibus factam referri commodè potest: non tamen in eo sita fuit benedictio, vt nouâ virtute nutriendi imbuerentur panes, sed vt augerentur. Bullingerus, *benedixit*, interpretatur, *orauit*, suis auxit, quod tenebat in manu: rectius diceret: orando auxit; vtrumq; enim fecit. Quemadmodũ Deus Gen. 1 benedixit vt multiplicarentur. Miratus itaq; sum etiã contra suos stare Danielem Tossanum, negat benedictionem ad panes, asserit ad Deum referri. In confesso est autem omnem creaturam Dei verbo benedici, & benedictionibus Dei seruari, augeri, integrari, vt merito Bezam impium iudicemus, cum benedictiones creaturarum ad magicos susurros refert. *Beza error.*

VERSVS 20.

Et manducauerunt omnes & saturati sunt, & tulerũt reliquias duodecim cophinos fragmentorũ plenos.

QVÆSTIO I.

Quantum superfuit?

§. 1. DVodecim cophini. Reddentibus singulis in testimonium, quod superfluũ erat. סַל Hæbræis appellatur, Gen. 4. 16. 17. & Psal. 8. 70. non est סַל sed דּוּד. Mensuræ autem modus est סַל vt à viro, capite vel brachio gestari possit.

§. 2. Cophinus aridorum & liquidorum mensuram habet; ita Pollux & in liquidis tres choas seu congios continet, probabile etiam in aridis eandem esse mensuram, fuere igitur congij 36. Minores sportis fuere, in altero miraculo σπυρίδες sunt sportæ, vt cap. 10. & 11. hic cophini, solebant circumferri Iudæi. Iuuenal. Satyra 3. de Iudæis *quorum cophinus, fœnumq; supellex*, non dissimilis apud Francones orientales ratio. Fœnũ ad tegendum fundum erat. Quinq; millia ὡσεὶ ita alij Euangelistæ, & noster apud Ioannẽ, vt hic quoq; videatur addendum. Mulierum & puerorũ non minorẽ numerũ crediderim. Potus è vicino fonte, amne, imo & mari: dulcis enim erat aqua, & laudatissimas aquas Iordanis fuisse ex historiis manifestũ est. De piscibus etiã esse superflua docet Marcus c. 6. 43 separatim vero pisces in cophinis collocatos fuisse arbitror.

VERSVS 22.

Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam & præcedere eum transfretum donec dimitteret turbas.

QVÆSTIO I.

Quomodo iusserit discipulos discedere?

§. 1. COmpulit eos inuitos à se recedentes. Ioan. 6. 15. Paulo aliter: sed hæc est historiæ series. Relatis cophinis fragmentorũ. Iesus, discipulos iussit ea deferre ad mare, & se præcedere, interim turba eũ laudat, ventura vt raperet, & regẽ faceret: tũ Christus clam ascendit ad montẽ, dum quæritur à turba, & Apostoli interrogantur, quæruntq;, aduesperascit, illi nauigant, & cum iam appe Capharnaũ esset, ventus ortus est, atq; ita tota nocte laborant, nam quarta vigilia ad eos venit Dominus. Verũ quæ in vrbe Capharnaũ acta sunt reliqui omiserũt, sed recẽsent quæ cõsecuta *Ordo historia.*

VERSVS 25.

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.

QVÆSTIO I.

Quomodo Dominus super aquas ambulauerit?

§.1. MAtutina vigilia ambulauit super mare. Noctem lege militari in quatuor vigilias diuidebant. Quarum prima ab occasu solis inchoabatur, vltima in ortu desinebat.

Dominus ambulat super mare.

§.2. Caluinus aquas duratas asserit, alij alio modo ambulasse, aquis liquentibus, non tamen ita eas pressisse, vt mergerentur. Ita contra Caluinum Bullingerus. *Dominus*, inquit, *molli in ambulat vnda.*

§.3. Alij corpus grauitatem exuisse, atque ita non mirum vel per aërem ambulasse. Verum dicendum diuina virtute factum esse, vt corpus eius vnda sustentaretur, quo id modo factum sit, solus ille nouit, qui per furentes fluctus inambulans, maris se Dominum ostendit, & suis se adesse, dum per minaces seculi procellas ad æternæ vitæ portum contendunt.

VERSVS 26.

Et videntes eum supra mare ambulantes turbati sunt dicentes: Quia phantasma est. Et pra timore clamauerunt.

QVÆSTIO I.

Cur spectrum existiment?

§.1. CAluinus torporis & crassæ ignorantiæ Apostolos accusat, quod eum non agnoscerent, Excusat tamen eos tempus matutinum, cum maligna lux non sineret planè, & plenè cognoscere, præcipuè medijs in fluctibus. Deinde nunquam viderant Christum aquis inambulantem, semper vsum nauigio sciebant, non ergo venerat in mentem Dominum esse. Nec torpebant omnino, cum omnem socordiam præsens periculum excuteret.

Apostoli occæcati.

§.2. Marcus adiungit, non intellexisse de panibus, cor enim eorum occæcatum fuisse, πεπωρωμένην καρδίαν, occalluisse cor. Nempe hoc magnopere mirabantur, vndarum potentem Dominum sine nauigio fluctibus inniti, cum maior fuisset potentia in panum multiplicatione: Nam substantiæ fuit commutatio in panes plures, hic tantum corporis ne mergeretur detentio. Itaque hæc ambulatio nihil aliud requirebat, quam vt Deus cum grauitate ad effectum eius nõ concurreret, aut diuina virtute corpus graue detineret, ne deorsum vergeret. Miraculum vero in panibus factum ignorare non poterant, quod vulgus hominum adeo extulit, vt eum regem constituere decreuerint, vt est apud Ioannem. Itaque in tanto terrore non satis diuinam potentiam perpendebant, vt ex maiore miraculo, fidem de minore constantem susciperent.

Τὸ φαντάζεσθαι non modo de falsis imaginationibus, sed veris etiam apparitionibus accipi solet. sic enim Heb. 12. 21. Τὸ φανταζόμενον dicitur visio quæ Mosi oblata est. Syrus hoc loco habet רחזוא הר דגלא *dechezua hu dagla*, visio ista mendax. Auguſt. Epist ad Nebidium multis in hoc genere explicando est. Causa cur phantasmata metuant, alibi exposita est.

Phantasma.

§.3. Phantasma non fuisse Christi corpus contrà Marcionẽ & Manichæos docet D. Hieronym. phantasmata vero & spectra vocamus, quæ oculos ludificant, tanquã corpora sint, cum aut πνεύματα, Spiritus aut vmbræ, aliaq; sint. S. Hieronymus, Marcionem & Manichæum confutat, qui hoc in loco verum Christo corpus negabant: Si enim Christus verum corpus non habuit, cum super aquas ambularet, sequitur & Petrum phantasma fuisse, qui Christum accesit. Imo Petrum Christus in miraculi consortium admisit, vt ostenderet & se verũ corpus habere, & aquas calcare.

VERSVS 30.

Videns vero ventum validum timuit, & cum cepisset mergi clamauit, dicens, Domine salua me.

QVÆSTIO I.

An amiseris fidem?

§.1. NOn amisit fidem, sed rimuit, & contra timorem, tamen Dominum inuocauit, quod sine fide non faceret: dubitauit an mergendus, non an à Domino seruari posset, non ergo de potentia Christi dubitauit, sed fiduciam ex voluntate & mandato Christi receptam amisit. Syrus ait, eum durus esset ventus. Plurimum vero refert, scire quod sit ὀλιγόπιστος & modicæ fidei, & quænam fuerit dubitatio. Si enim Petrus non dicitur ὀλιγόπιστος, quod de prædestinatione sua nõ dubitarit, sed aliam ob dubitationem manifestũ fuerit, cum de fide & dubitationibus circa fidẽ agitur, nõ intelligi eam fidem quæ est de prædestinatione; non enim Petrus de salute æterna sed de vento validò, an obsistere posset, dubitauit, ideoq; timuit.

Petrus non dubitat.

§.2. Pareus de iustif. lib. 1. c. 11. conatur probare fidem esse fiduciam: oppositum timiditatis est fiducia. Fides hic opponitur timiditati, ergo est fiducia. Respondi quæstione in Matth. 6. 30 falsum enim est, omne quod opponditur timiditati esse fiduciam specialem de prædestinatione. Nam timiditati, quæ est in corporum periculis opponitur alia prorsus fortitudo. Deinde vni timiditati opponitur & fiducia, & audacia, non enim vni vitio vna solum virtus opponitur, sed etiam vitium contrarium. Deniq; timiditati fiducia, hoc est spes firma immediatè quidem opponitur, sed eidem tamẽ etiam fortitudo, fides, caritas contraria sunt. Præcipue tamen fides, ex ea enim fiducia nascitur, qua timiditas expellitur. Fortitudo etiam cum sit considerata periculorũ susceptio vincit timorem, & caritas foras mittit timorem. Mirum est porro non considerasse Pareum dubitationi hic opponi, quod etiam Caluinus docuit. Si igitur dubitationi fides opponitur hoc loco, & de propriâ ac immediatâ oppositione sermo est, vt vult Pareus, sequitur fidem hoc loco assensum esse, cuius suspensio est dubitatio.

Quid Pareus.

§.3. Græcè est θαρσεῖτε, *fortes sine trepidatione estote.* Syrus, *cordati estote.* Non venit vlli veterum, nec recentiorum in mentem, vt fiduciam interpretarentur, certam remissi peccati fidem: Sectarijs quibusdam hoc tamen placuit. Petrum enim arrogantiæ, stulti feruoris, curiositatis Caluinus, Centuriatores cent. 1. l. 2. c. 20. alijque accusant. Et primo curiositatis eum accusant. Respondeo fidem, amoremq; non curiositatem fuisse. Hoc Maximus agnouit de natali Apostoli Serm. 1. vt est etiam apud Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. c. 26. Quanto melius D. Bernardus lib. 2. de consid. hunc esse generalem Christi vicarium docuit. Excusat eum, & defendit Augustinus hisce verbis. Non dubitauit de Christi potentiâ, sed voluntate, & præsentiâ, non enim certo constabat esse Christum, quocirca ait Si tu es, iube me ad te venire super aquas. Deinde velletne se venire ambigebat, etiamsi Christus esset, fidei autem & charitatis erat, credere se consentiente Domino super mare ambulare posse, & quam celerrime Domino adesse velle.

§. 4.

§. 4. Christus eius desiderium vt iustum & pium approbat, non accusat, petita concedit, non cessurus superbiæ. Nec eius stultitiam arguit, vt Caluinus ait. Nam fides est Christo iubente credere super aquas ambulare se posse, non est stultitia. Iubet Petrum venire ne putent phantasma, cum se Petrus & alij cernerent.

VERSVS 33.

Qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.

QVÆSTIO I.

Quomodo adorarunt?

§. 1. NAutæ pariter, & Epibatæ, etiam Apostoli, nouo miraculo victi, nouâ fidei professione dominum honorarunt: adorabant autem, vt verum & naturalem Dei filium; nam talem se dicebat, & talem dici Iudæi sentiebant. Ioan. 20. 33. & 19. 7. & cap. 27. 40. Cyrillus libro 2. dial. de Trinit. diuinitatem Christi verè inde probari docet. *Vix autem simul ingressus, naui rectus est, quamuis faciles si quidem voluisset, potuisset etiam ipsis vehi flatibus. Considerantes autem illi & inuictam potestatem reputantes, adorabant dicentes. Vere filius Dei es. Nunquid non & cum iuramento iam causam agentes, esse filium Dei, verè dicunt? arguentur merito, vt mendaces, & à vero aberrantes, deprehendenturq; & reprehendentur. Si enim est non filius ex genitoris substantia natus, sed creatura potius filiationis gloria honestatus, & agnominationem huiusmodi sortitus, quam ob causam adorarunt? cur autem & filium nominarunt Doctores & veritatis præcones.*

§. 5. Piscator hoc loco carnem Christi adorandam negat. Verùm de ea re aliàs & alibi.

VERSVS 36.

Rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunq; tetigerunt salui facti sunt.

QVÆSTIO I.

An ex fimbriæ tactu reliquiarum vsus probetur?

§. 1. CAluinus eos superstitionis accusat, quod ad tactum vestis Christi gratiam restringere viderentur: sed refutat Christus, sanando tangentes, non probando, superstitiones. Deinde refutat eum narratio, *Vt vel fimbriam, ἵνα κἂν κράσπεδον, vt vel solum, fimbriam tangerent*, quo significant se habere fidem, solo etiam vestimenti tactu, non modo verbis, tactu manuum, sanitatem consequi posse. Deinde ac si dicant, solis se micis vt illa Syrophœnissa contentos, non ideo diuitias ad micas restringunt, sed cum illas tantas agnoscunt, intelligi volunt, multo pluris esse integras dapes. Chrys. Si illi ex tactu fimbriæ, quid nos ex tactu integri corporis? & Beza ad Emphasin facere, vt, quod fimbriam tangere cupiuerunt.

Non restringebant gratiã Dei ad tactum fimbriæ.

§. 2. Daniel Tossanus negat à Caluinistis tactum illum haberi superstitiosum, sed tamen à fimbriâ Christi viuentis, & exercentis virtutem suam, malè colligi ad reliquias sanctorum mortuorum, quorum contactum superstitiosum indicat. Respondeo. Hoc sane consequi tangere reliquias Christi regnantis superstitiosum non esse, si bonum est tangere viuentis, eodem enim animi proposito, diuersis temporibus tangi possunt. Deinde verò etiam sanctorum viuentium reliquias non sine fructu tangebant veteres, vt semicinctia Apostolorum: Nam sanctis honorem illum Christus contulit, vt in effectu rerum mirabilium Domino æquarentur, non faciendi potentiâ, quæ à Christo pendebat, sed ipsis rerum effectionibus. Sanctorum autem reliquiæ non modo viuentium sunt in his terris, *sed etiam cum Deo regnantium.*

§. 3. Quod verò iniuriam Caluinistis fieri à Maldonato scribit Tossanus, iniuriosa querela est. Verba Caluini sunt pag. 201. Credibile superstitione aliquâ fuisse implicitos, quum ad tactum vestis restringerent Christi gratiam: Saltem illum fiaudabant honoris sui parte, quum nihil virtutis sperabant ex simplici eius verbo. Sed ne linum fumigans exstinguat, se accommodat eorum ruditati. Interea nõ est quod inde sibi placeant, qui gratiam Dei, in ligno, aut clauis, aut vestibus quærunt, cum diserte pronũciet scriptura: nefas esse quicquam nunc concipere de Christo, nisi spirituali, cœlestique gloriâ dignum. Hæc sane Caluini non modo superstitionis illos, sed pene infidelitatis accusant. Nam ait nos ad tactum restringere Dei gratiam, quod magno errore non carebat, cum toties verbo maxima miracula Christus fecisset, tactu autem haud frequenter, etsi aliquando. Deniq; fimbriam vestimenti quærere, esse signum, diuinitatem ignorari. Non igitur Caluinistis iniuriam facit Maldonatus, nisi si quis eorum à Caluino recedit magnam autem iniuriam tangentibus fimbriam Christi Caluinus infert. Nam omnes illos ignorantes diuinitatis Christi fingit: cum tamen Deus vbique existens per certas res, certo loco operari soleat. Nec magis illi diuinitatem ignorant, quam Salomon, qui in templo à se constructo Deum adorabat, & tamen simul eum implere cœlum, & terram implere, non in templis manifestis habitare protestabatur. Quam porro vanum est, vestium Christi tactores, verbis Christi virtutem negasse. Plus verbo tribuunt, cum hoc tantum satis esse sibi ducunt, vt liceat vestem tangere. Nos à veste Christi, aut clauis, aut lignis gratiam non quærimus, sed à Christo, non enim ferrum aut lignum nos saluauit, sed ea tanquam pignora, & Syngraphas diuinæ bonitatis decenter retinemus, & Dei misericordiam imploramus. Nec indignum est gloriâ Christi regnantis, clauos suos, aut vestes, vel signa, vel instrumenta esse suæ beneficentiæ. Imo magna gloria Regis frustilla ligni, aut floccos vestium, fa iendorum miraculorum organa esse. Habuit hæc Caluinus à Iuliano, qui honorem Iouis, eiusque insignium dolebat ad cultum crucis transferri, vt habet Cyril. l. 6. contra Iulianum. De his potius audiendus Chrysost. Sermon. de veneration. crucis. Amb. de obitu Theodos. Paulin. Epist. 11. ad Seuerum. Hieronym. Epist. 17. c. 8. Leo Prim. Ep. 72. alijque, actotius Ecclesiæ consensus.

Caluinus accusat, quos Christi sanat.

CAPVT

CAPVT XV.

Marc.7. a.1. TVnc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes: 2. Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas, cum panem manducant. 3. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: 4. Honora patrem, & matrem, &: Qui maledixerit patri, vel
Exo.20.c.12. matri, morte moriatur. 5. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque eſt
Deut.5.b.16 ex me, tibi proderit. 6. & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum
Epheſ.6 a.2 Dei propter traditionem veſtram. 7. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Iſaias, dicens: 8. Populus hic la-
Exo 21.c.16 biis me honorat: cor autem eorum longe eſt à me. 9. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & man-
Leu.20.b 9 data hominum. 10. Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. 11. Non quod intrat in os, co-
Prou. 20. c. 20. inquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes diſcipuli eius, dixe-
Iſai 29.d.13. runt ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? 13. At ille reſpondens ait: Omnis plantatio,
Marc 7.a 6. quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. 14. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus au-
Ioan.15 a.2. tem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. 15. Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere nobis para-
Luc. 6 f. 39 bolam iſtam. 16. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? 17. Non intelligitis, quia omne, quod in os in-
Mar.7.c.17. trat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coin-
quinant hominem: 19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. 20. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non
Mat.4.c.25. coinquinat hominem. 21. Et egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. 22. Et ecce mulier Chananea
à finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur.
Sap.10. a. 6. 23. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia cla-
Ioan.10. a 3 mat poſt nos. 24. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael: 25. At
illa venit & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. 26. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. 27. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de
menſa dominorum ſuorum. 28. Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.
Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. 29. Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus Mare Galilææ: & aſcendens in
Iſai.35.b 5. montem, ſedebat ibi. 30. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, &
alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos: 31. ita vt turbæ mirarentur videntes mutos lo-
Marc.8.a 1. quentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Iſrael. 32. Ieſus autem, conuocatis diſcipulis ſuis dixit. Miſereor turbæ, quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via 33. & dicunt ei diſcipuli. Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam? 34. Et ait illis Ieſus. Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos
pſciculos 35. Et præcepit turbæ, vt diſcumberent ſuper terram. 36. Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo. 37. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas. 38. Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres. 39. Et dimiſſa turba, aſcendit in nauiculam, & venit in fines Magedam.

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM

ARGVMENTVM.

IN ſignem diſputationem, & duo miracula continet caput decimum quintum. Diſputatio inſtituta, eſt de traditionibus & doctrinis hominum, lotionibus manuum, imilibusq; cæremoniis, quarum nonnullæ adiaphoræ, aliæ noxiæ, quædam etiam honeſtæ videbantur. Chriſtus quasdam adiaphoras reiicit, & noxias reprehendit.

Deindè veniens in partes Tyri & Sidonis filiam Syrophœniſſæ poſt multas preces matris ſanat. Deniq; ſeptem panibus quatuor hominum millia ſatiat, & ſuam in fideles prouidentiam manifeſtat. Magnum deindè malè affectorum numerum ſanat, oſtenditq; ſe verum eſſe redemptorem miſſum in ſalutem Iudæorum, ad oues quæ perierant domus Iſraël.

In Syriacâ Eccleſiâ à principio uſq; ad v. 21. leguntur omnia Dominicâ poſt Pentecoſten. Inde ad v. 32. ad veſperas dominicæ quartæ ieiunij. Hinc ad finem, in oblatione quotidianâ.

VERSVS 1. 2. 3.

Tunc acceſſerunt ad eum Ieroſolymis ſcribæ & Phariſæi dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum, non enim lauant manus ſuas cum manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionẽ veſtram: Nam Deus dixit.

QVÆSTIO I.

Cur accedunt illi qui erant ab Hieroſolymis?

§. 1. SPARſi per omnes tribus & familias erant ſcribæ & Phariſæi, & ex omnibus oriundi partibus,

Scribæ Hierosolymitæ.

bus, omnesq; partes inhabitabant: at hic Christum aggrediuntur οἱ ἀπὸ τῶν ἱεροσολύμων, *illi qui erant ab Hierosolymis*, ita etiam Syrus habet: apud Marcum 7. 1. τινὲς ἀπὸ Ἱεροσολύμων. Quid ergo arbitrantur hos fuisse omnium sapientissimos habitos, & publicâ authoritate ad Christum legatos, vt aliàs ad Ioannem missi sunt, qui de eo quærerent. Equidem publicè fuisse legatos nõ adducor vt credam: nõ enim vlla est eiusmodi legationis in scripturâ mentio, quod argumentũ quamuis sit ab auctoritate negatiuâ, ideoq; debile videatur; non tamen infirmũ est, si circumstantiæ spectentur: tantam rem n. Euãgelista nequaquã silentio inuoluisset, cum aduentum & disputationem Pharisæorum Hierosolymitanorum referret. Deindè nequaquam consentaneum est superbiæ, contumaciæ, odijsq; scribarum, vt, quem toties iam accusarant, ex eo scisciterentur, an Messias esset? Hos ergo suapte sponte venisse perspicuum est, nõ vt veritatem, & salutem ab eo acciperent, sed occasionem calumniandi doctrinâ, aut mores inuestigarent. Itaq; tanquã censores & inquisitores ex consistorio Hierosolymitano venerunt, vt Bullingerus interpretatur. Non poterat tam fastuosum supercilium Magistro se subdere, sed inuidiâ & malignitate acti festucam in discipulorum oculis quærebant, vt Beda obseruat, & antè eum Chrysostomus. Quamuis autem crebro experti damna senserunt, & ex disputatione confusi abierunt, iterum tamen ad nocendum incitati veniunt. Contumax, audax, & inquietum genus hominum.

Impij inquieti sunt ex hostis.

§. 2. Ansam calumniæ mox arripiunt ex discipulorum facto, qui vt est apud Marc. 7. 2. *communibus manibus manducabant*. In eo autem se ridiculè maleuolos & calumniatores ostendunt, dum acerrimi Coryphæi, & Censores morosissimi, nec in Christo, nec in familiâ illius copiosâ aliud, quod obnoxiũ culpæ existiment, inueniunt, quam lotionis neglectum: q̃ tamen nec in Ioãnis discipulis, nec in reliqua turba carpebant. Nõ enim ab omnibus hanc ciuilitatis partem fuisse obseruatam consuetudo discipulorũ ostendit, & aliorum auditorum, qui litem hac in causâ nunquã illis intenderant. Etquamuis Marcus dicat, omnes Iudæos nisi crebro lauerint non manducare, non ita intelligendum, quasi id semper necessariũ iudicarint: nam frequenter aquarum copia deerat, festinatio, inopia alius fuadebat. Quis enim credat in castris, aut obsidionibus fuisse curam?

Innocentia familiæ Christi.

§. 3. An antè cibum non lauerint, an inter edendũ lotionẽ non repetiuerint, quærunt interpretes. Chrys. Theophyl. Abulen. Remig. Lyranus, Carthusianus, necantè, nec in prandio, lauisse aiunt. Iansenius, Caiet. eos idcirco reprehendi putant, quod initio quidẽ lauerint, sub prandio lotionem non repetiuerint. Prior sententia sine dubio vera est. Dicuntur enim communibus manibus, hoc est, illotis manducare: nec necesse erat nouorum ferculorũ attactu eos vel inquinari vel mundari. Nec credibile est, Apostolos mensam in longum produxisse, sed pane atq; vno obsonio contentos vixisse. Huc & illud pertinet, quod ait Marcus, *à foro nisi baptizentur non comedunt*, quasi eis Apostolos opponat, sine Baptismo comedentes.

Ante cibum non lauant.

§. 4. Manuum lotio ciuilitatis fuit, quæ si vel occasio deesset, aut alioqui mundæ essent, omitti poterat: at scribæ ex eâ traditionem fecerũt, quæ sine culpâ intermitti non posset. Nec eò tamen progrediuntur, vt in Dei legem committi quicquam asseuerent, sed tantũ contrà παράδοσιν traditionem seniorum. Syrus vocat משלמנותא Maschlamenutha, à שלם, quod est impletum & perfectũ esse: legem enim Dei suis traditionibus perfectissimè impleri existimabant. Traditiones igitur ἀφέσεως nõ omnes, sed quasdam, vt posteà dicã, inter adiaphora reponit. De quibusdã est disputatio, quarum Auctorem Mosen ferebant; Δευτερώσεις enim multas ad eum referebant, vt apud Iosephum l. 13. antiq. sed vt aliquæ fuerint, multas tamen posteriorũ fuisse in confesso est. Hieron. ad Algasiam q. 10. quasdam esse ab Sammæi, Kisel, Achiba, fuisse tamen alias antiquiores ex eo constat, quod Ilaias sui temporis populum reprehendens, & de posteris prophetans, abusum sui sæculi demonstrat.

Traditionum origo.

§. 5. Munditiem lex exigebat, Leu. 11. 13. Num. 14. & 19. 22. verum nimium multa addiderunt illi, qui Macchabæorum temporibus vixerunt, indè & liber, quem Misnaioth appellant, qui innumeras traditionum nugas continet. Discipuli aut soliti erant rem nõ necessariam omittere, aut sanè grauioribus intenti, & sublimioribus, friuolorum non recordabantur. Itaq; non inciuilitatis erat, sed occupationum. Alioqui quod adagio dicitur,

Veris interponi vana contemnunt.

Illotis manibus nil agendum,

aliam sententiam continet; nempè ad negotia non oportere impararos accedere. Videntur autem Gentiles à priscis Iudæis accepisse de manuum ablutione & lustratione. Hinc ille apud Poëtam putat,

Attingere Deos esse nefas, nisi antè se

Flumine viuo abluerit.

Malitia scribarum.

§. 6. Pharisæorum in illâ calumniâ multiplex se malitia, & audacia prodidit. Nam cum tot opera admiranda, tantamq; innocentiam viderent, vt nõ modò in Christo, sed ne in eius quidem familiâ, vt dixi, quicquam calumniæ obnoxium inuenirent, ad putidam de manuum lotione accusationem deuoluũtur, ipsi rapinâ & sanguine, & manus, & animum contaminati. Miratur q̃ Hieronymus, Beda, Rabanus, Remigius eorum dementiam, qui à filio Dei humanarũ legum obseruationem flagitarent. Deindè munditiam exteriorem corporis ad sanctitatem & animi puritatem facere arbitrabantur, quod Christus refutat. Corporum enim vel splendor, vel impuritas nihil animæ officit, aut prodest.

Traditiones prolatæ scripturis.

§. 7. Chrysostomus traditiones ab illis esse scripturis additas & prælatas ait: Θέα δέμοι πῶς καὶ ἀπὸ τῆς ἐρωτήσεως αὐτῆς ἁλίσκονται. οὐδὲ γὰρ λέγουσι, διατί παραβαίνουσι τὸν νόμον μωϋσέως, ἀλλὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, ὅθεν δῆλον, ὅτι πολλὰ καινοτόμουν οἱ ἱερεῖς. καὶ τοι μωϋσέως μὲν πολλὰ τὰ φόβερα καὶ μετὰ πολλῆς τῆς ἀπειλῆς διατυπώσαντος, ὥστε μήτε προσθεῖναι, μήτε ἀφελεῖν. ὁ προσθήσετε γὰρ πρὸς τὸ ῥῆμα, ὁ ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον καὶ οὐκ ἀφελεῖτε ἀπ' αὐτοῦ· ἀλλ' ὅδεν ἦλθον καινοτόμουν. οἷον δή φησιν, τὸ μὴ δεῖν ἀνίπτοις χερσὶν ἐσθίειν τὸ ποτήριον βαπτίζειν καὶ χαλκεῖα τε καὶ αὐτοὺς βαπτίζεσθαι ὅτε γὰρ δέοι λοιπὸν αὐτοὺς ἀπαλλαγῆναι τῶν παραδόσεων τὸ χρόνῳ προελθόντες, τοσοῦτον αὐτοὺς μᾶλλον πλείοσιν ἔδησαν τοῖς παραδόσεσι, δεδοικότες μή τις αὐτῶν ἀφέληται τὴν ἀρχήν, καὶ φοβερώτεροι εἶναι βουλόμενοι, ὡς δὴ καὶ αὐτοὶ νομοθέται. εἰς τοσοῦτον δὲ προῆλθε παρανομίας τὸ πρᾶγμα, ὡς τοὺς μὲν αὐτῶν φυλάττεσθαι σκεύας τοὺς δὲ τοῦ θεοῦ παραβαίνεσθαι. καὶ τοσοῦτον σκεύασεν, ὥστε μὴ κατηγορεῖν λοιπὸν τὸ πρᾶγμα εἶναι. ὅπερ δικαίως καὶ αὐτῷ ἔγκλημα ἦν, ὅτι τὰ καινοτόμουν, καὶ ὅτι ἅτοις ἐξεδίκων τὰ ἑαυτῶν, τοῦ θεοῦ ἀδένα ποιούμενοι λόγον. *Tu autem considera, quomodo ab ipsa interrogatione capiuntur: non enim dicunt, cur legem Mosi, sed cur traditionem seniorum transgrediuntur. Vnde patet multa fuisse à Sacerdotibus innouata: & quamuis Moses magno terrore comminatus fuerit,*

Verbum quo Chrysostomus vtitur καινοτομεῖς in malum accipi solet.

fuerit, ne quid addant aut auferant. *Non adiicietis enim ad verbum, aut, quod eg præcipio vobis hodie, nec auferetis ab eo: plura tamen noua induxerunt. Ex quibus illa erant, ne illota comederent manibus, calices ac vasa ænea & seipsos baptisarent. Cumq; oportuisset eos progressione temporis huiusmodi obseruationes contemnere, pluribus ac maioribus seipsos coarctauerunt. Ita cum timerent ne principatum amitterent, ceu lucrifactores, vt maiores viderentur plurima innouarunt. Quæres ad tantam perueniendi nequitiam, vt præcepta ipsorum magis, quam Dei mandata custodirentur, adeò vt iam iure reprehendi viderentur, qui obseruationes ipsorum negligebant. Quæ ex re duplicem culpam contrahebant: nam & innouatio ipsa non parum erat crimen, & quia nullam de mandatis Dei curam facientes, obseruationum contemptores vlciscebantur, maximo delicto obnoxij erant.* Quo loco vocat rectè καινολογίαν & καινολογεῖν, quod in malam partem accipi consueuit, vti apud Latinos, *res nouas moliri*, nempè cum veteris Reipubl cæ legumq; contemtu & abolitione. Et paulò post duplex in lenioribus crimen esse ait: Καὶ δείκνυς ὅτι διπλοῦν τὸ ἁμάρτημα ὅτι καὶ τοῦ θεοῦ ἀπείθουσι, καὶ δι' ἀθεωτέρους τοῦτο ποιοῦσιν. *vt duplex id esse crimen ostenderet, primò quia Deo non parerent, deindè quia hominum gratia id facerent.*

§. 8. Quod nonnulli mitius Pharisæorum calumniam interpretantur, quasi discipulos Christi non accerserent peccati alicuius, sed tantummodò ciuilitatis neglectæ admonerent, falsum esse textus ipse demonstrat: Christus enim in eo versatur, vt demonstret, illotis manibus manducare nō coinquinare hominē; sed ea quæ egrediuntur ex corde coinquinare hominē. Peccare igitur discipulos illi iudicabant, aut sanè id existimare populū cupiebant, se autē sanctissimos haberi, vt qui minima aliorum ferre nō possent.

Culpæ arguunt discipulos.

§. 9. Pharisæorum calumniam gnauiter imitatur Caluinus: *Non negat*, inquit, *Papa cum tota cleri sui colluuie, quin sit obediendum Deo: Sed vbi ad rem ventum est, quia non secus ac capitale crimen detestantur modicum carnis gustum, quibus furtum, vel scortatio, vt iam diximus, veniale delictum est, propter suas traditiones euertunt legem Dei.*

Aperta calumnia.

Respondeo: non posse non bonam esse causam, quæ non nisi tam manifestis mendaciis potest oppugnari. Nemo modicum carnis gustum, vt capitale crimen detestatur. Nemo scortationem veniale delictum esse dixit: nec modò scortationem ipsam, sed voluntatem scortandi, & in eâ illecebrosam cogitationem omnes capitale crimen asserunt. Quia verò & Marloratus, & posteri illas patrum suorum mendaces traditiones perpetuò repetunt, satis ostendunt se veritati agnitæ repugnare. Constat enim Simonem Magum, teste Irenæo, Epiphanio, Gnosticos, Valentinianos ab Ecclesia damnatos, quod negarent scortationem esse peccatum. Pari modo Michaël Caluinistarum antecessor eadem de causa damnatus. Zon. t. 3. ann. Ecclesia Romana damnauit Græcos, qui fornicationem simplicem negabant peccatum mortale. Vide Guidonem de erroribus Græcorum. Quod si fornicatorum Patroni quæruntur, sunt illi Caluinistarum antecessores: Waldenses, testibus Antonino, Guidone, Emerico. Albigenses, vt testatur Cæsarius l. 5. c. 22. fratricelli, vt Sabell. l. 7. Ennead. 9. Item Begardi, vt docet Clemens 5. de Hæreticis c. 3. Deniq; Picardus & Picarditæ, vndè Adamitæ. Vide Æneam Syluium Bohem. hist. cap. 41. Idem error est Moscouitarum, vt refert Ioannes Sacrauis in Elucidario errorum Moscouit. errore 31. De Libertinis vide Lindanum Dial. 2. In illis lustris ista quærenda sunt flagitia sententiarum, inter Catholicos nemo hoc docet. Parisiis quidam Almaricianī id senserunt, sed damnauit eos Guilielmus Episcopus, & deindè Ecclesia. Verum audite Catholicos præstat, qui ista doceant. Ita ad probationem prouocamus.

Catholici scortationes aiunt peccatum mortale.

VERSVS 4.

Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri & matri, morte moriatur.

QVÆSTIO I.

Cur adduxerit testimonium de maledicentibus parenti?

§. 1. ABulensis, aliiq́ue, idcircò factum volunt, vt ostendat, quo supplicio digni sint, qui necessaria parentibus denegant: re ipsâ enim illi malè faciunt, non verbis modò. At sanè atrocior est factorum quam verborum iniuria. de lege illa vide Exod. 21. Abulensis negat occisos, qui semel leuiter, & ex calore iracundiæ maledixissent, idem etiam de leui percussione intelligi putat, quamquam etiam leuiter parentem percutere valdè graue sit, non ob nocumenti grauitatem, sed contumeliæ magnitudinem, quæ ex personarum circumstantiâ augetur, non minus, quam si quis leui percussione magistratū violet. Voluit autem Deus parentum securitatem omni modo sartam tectam esse, & cultum, auxilia, defensionem, alimenta vno honoris vocabulo scriptura complexa est. De honore parentibus exhibendo dixi in explicatione 4. præcepti.

Porphyrius tradita-ni error.

Honor quid.

§. 2. Omnes sectarij ex composito Pharisæorum & scribarum criminationes nobis impingunt: Caluinus, Bullingerus, Musculus, Beza, Piscator. Pontifices, Episcopos, Catholicos omnes Pharisæis & scribis: traditiones Ecclesiæ eorum traditionib⁹ assimulant. De his Caluinus l. 4. instit. c. 10. §. 10. & Bell. t. 1. l. 4. c. 10. contrà eum Sibrandus Witthakerus, alij; procò lacobus Gretserus, & in colloquio Ratisb. idem Gretserus, & Tannerus. Et Caluinus quidem hoc loco tri- *Tria plices traditiones constituit, primò manifestè impias, impia* deindè profanè ineptas, deniq; quæ aliquo vitio notabili nō sunt infectæ, vt est lauare manus, de his agere Christum arbitratur. Eas legi superadditas, vt illa meliùs seruaretur, vitium autem in eo esse, quod necessariæ existimentur, & conscientiam obligare.

Respondeo: ex ipso textu constare, reprehendi quasdam traditiones, alias non necessarias iudicari, non tamen earum obseruationem culpæ deputari. Exempla vtrarumq; Christus adducit. Impia illa fuit, de qua v. 3. & 4. non necessaria hæc de lotionibus, quare errabant Pharisæi, qui eam vt necessariam vrgebant. Portò traditiones verbo Dei aduersas omnes repudiamus: necessarias nullas affirmamus nisi vel ex verbo Dei tradito, vel boni ordinis causâ ab Ecclesiâ mandatas. Quas tamen posteriores non semper obligare docemus.

Caietanus hunc in locum optimè distinguit inter custodiam humanorum mandatorum & sustentationem cultus diuini ex mandatis hominum. Iudæos enim Deum timuisse non mandatis Dei, sed hominum doctrinâ: tamquam timor Dei consisteret in obseruatione mandatorum hominum.

§. 3. Caluinus calumniam vlterius extendit. *Porro multum fallantur, qui aspersionem aquæ lustralis, quæ benedicta vocatur apud Papistas, cum lotionibus Iudaicis comparant. Vnicum enim baptismum totius structo, quantum in se est, obliterant Papistæ. Deinde ad exorcismos confertur, & ad expianda peccata valere creditur friuola illa aspersio.*

Aqua benedicta.

Paulò pluribus citat Caluini verba Marloratus, additq́; de abstinentia carnibus die Veneris. Respondeo: Nihil tale quemquam Catholicorum docere: Aquam, quam Benedictam vocamus, neq; necessariā dicit.

dicimus, neq; eius aspersionem Baptismi iterationem asserimus. Nec inter tot voluminum myriades, vel vnicum auctorē Caluinus producere potest, cui id vel per calumniam possit affingi. Vsus verò aquæ benedictæ vt liber est, & voluntarius, ita in Ecclesiâ antiquissimus, qua de re alias dixi. Verum quid his agamus, qui in irridendis cæremoniis omnes Libanios, Iulianos, Porphyrios exsuperant: De illo sic Nazianzenus, orat. 4. *Iam sufflationes & reflationes, quas admirandus ille vir, doctrinaq; nostræ sugillator, vetulis mulierculis in contrarium ostentabat, altaris ignem accendens, quo tandem orationis loco ponemus?* Et clarius exponit Elias Cretensis Interpres Nazianzeni. *In diuino nostro ortu, quemadmodum sacerrimus Dionysius inquit, ad Sacerdotem quidem is adducitur, qui spirituali regeneratione donandus est. Ipse autem & pedes eius, ad habita ministrorum eorum, qui ad hæc constituti sunt, opera, calceis nudat, & corpus vniuersum detegit. Postea eum ad occasum intuentem statuens, manusq; in altum extensas habentem, ac velut aliquid repellentem, ter eum aduersus Satanam exsufflare iubet. atq; insuper abrenunciationis verba profiteri. Quod cum ab eo factum est, rursus eum ad ortum traduxit, atq; in cœlum suspicientem, ac manus exporrigentem, ad Christum vt se adiungat, omnesq; diuinitus traditos sacros sermones amplectatur, tuetur, reliquaq; omnia faciat quemadmodum sacrorum virorum traditiones docent. Porrò sacrosancta hæc traditio per hæc signa multa nobis subindicat. Nam per id quod ille excalceatur ac denudatur, prioris vitæ, affectionibus vitiosis addictæ, denudatio, atq; ad extremos et ἀνίσχ, ipsius habitus abiectio significatur. Per manuum autem ad occasum vel repulsionem & exsufflationem tetri & caliginosi vitij abnegatio & auersio, atq; improbæ illius affectionis, quæ ipsi coniuncta est, velut expiratio. Ad hunc igitur modum his omnibus nudato, quid ad Baptismum accedit, iam cum ad ortum traduxit, stabilitatem videlicet in diuino lumine, ac mentis in altum erectionem, eiq; perfecto à vitio abesse nuntians. Has igitur symbolicas nostras sufflationes, quibus iniquæ habitudinis velut expiratio quædam significatur, reliquaq; ex, quæ sacrosanctè proferuntur apud nos in diuino Baptismo celebrantur, in calumniam & risum trahens impius iste Homo vetulis ostentabat, sacris nostris traditionibus aduersus, cum scilicet ipse aræ ignem ad Deorum suorum cultum sufflaret.*

Porphyrius traditionis irrisor.

Caluinus igitur pias traditiones oppugnat, irridet; tamquam vnus ex illis, qui Iuliano contrà Ecclesiam Christianam militabant. Verum nos traditiones quasdam necessarias esse tenemus, quibus de sacrorum librorum veritate edocemur, alias vtiles & testimonio antiquitatis nobis relictas, mandata etiam Conciliorum quorum nihil scripturæ repugnat. Vide Dionys. de Hierar. c. 1. Iren. l. 3. c. 4. Athanas. ad Epict. Basilium Mag. de Spiritu sancto c. 27. & Ep. 60. Cyrillum Ierosolymit. Catech. 5. Greg. Nazianz. carm. de Spiritu sancto. Epiph. hæres. 75. Chrys. 2. Thess. Orat. 4. Damasc. l. 4. c. 13. Cyprianum Sermone de ablut. pedum. Augustin. de Eccles. dogmatib. c. 69. De Baptis. contrà Donat. l. 2. c. 7. Epist. 118. ad Ianuar. & Epist. 86. ad Casulan. Hier. c. 4. aduersus Luciferianos. Sic Leontius, Seuerianus, Sophronius, Theodoretus, Cœlestinus, Vincentius Lyrinensis, alijq; innumeri.

Mihi satis fuerit Synodi Nicenæ secundæ verba ponere. act. 7. *Si quis traditionem Eccl sie siue scripto, siue consuetudine valentem non curauerit, anathema sit.* Ad exorcismos sæpe valuisse non suauis, sed Ecclesiæ precibus, quatū est tessera, nos multa exempla docuerunt. Quia verò à sacris libris abhorrere solent Caluiniani videat lector, quæ è multis noster Delrio selegit. l. 6. c. 2. l. 3. q. 3.

VERSVS 5.

Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit.

QVÆSTIO I.

Quomodo excusabant se, ne parentes honorarent?

§. 1. MOre vsitato verba Pharisaicæ legis non citat integra Christus, quia nota erant, quâ ex re ortæ sunt variæ interpretationes. Deindè obscura sunt verba ipsa: nam quod Matthæus vocat donum, Marcus dicit Corban.

In confesso est sententiæ aliquid deesse: citat enim Christus traditionē Pharisaicam; verum vt in re nota fieri assolet, non integram, sed dimidiatam: perficietur autem si addatur; immunis erit à peccato, rectè faciet, legem Dei seruabit, aut aliquid eiusmodi.

Syrus ad verbum habet קורבני מנם דתתהנא בניך *Kurbani medem dethethehane mimi.* Oblatio mea est id, ex quo proderit tibi ex me.

Interpretatio prima. Vocem esse filij indignantis, & repellentis parentum petitionem: idque dupliciter; alij enim interrogationis figuram esse existimant, alij affirmationem ironicam. Interrogationem sic exprimunt: An donū seu corban, quod ex me Deo offerendum est, tibi proderit? hoc est, an æquum est, vt sacrificium Deo oblatum tibi alendo impendatur, tuq; Deo anteponar? Eadem est sententia, si ironicè affirmetur: Munus meum Deo sacratū tibi scilicet proderit. Nam vt interrogatione vehemētius, ita per ironiā contumeliosius negamus. Chrysostomus in hunc sensum sed sine figurâ accipit. ὁ δὲ λέγει, τοιοῦτόν ἐστιν, ἐπιμόδως τῆς νέας δυσκόλους ἀγνώμονι καὶ φρονεῖν τῶν πατέρων. πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; εἴ τις τῶν γονέων εἶπε τῷ παιδί. δός μοι τὸ πρόσφατον τοῦτο ὃ ἔχεις, ἢ τὸν μόσχον, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον, ἔλεγον, δῶρόν ἐστι τοῦτο τῷ θεῷ ὃ θέλεις ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆναι, καὶ ἃ δύνασαι λαβεῖν. καὶ διπλῶς συνῆθες ἐνταῦθα κακόν. οὔτε γὰρ τῷ θεῷ προσῆγον, καὶ τοὺς γονεῖς ὀνόματι τῆς πρὸς θεὸν εὐσεβείας ἀπεστέρουν τὰς τε γεγεννηκότας διὰ τὸν θεὸν ὑβρίζοντες, καὶ τὸν θεὸν διὰ τοὺς γεγεννηκότας. *Quod enim dicit, tale quid est: Pretatu simulatione desperare parentes adolescentes fuerunt erudi ti. Quo pacto? si quis parens à filio ouem flagitaret, aut vitulum, aut huiusmodi aliquid, præmonitus à scribis & Pharisæis filius respondebat: Quod à me in vtilitatem tuam pater petis, donō, iam Deo promissum est, ac ideò dare non possum: ita dupliciter peccabant. Nam neq; Deo offerebant, & parentes oblationis nomine defraudabant. Parentes igitur quasi Dei causa, & Deum parentum nomine contemnebant.* *Interpretatio Chrysostomi.*

Sic Origenes in Matth. 15. Theophyl. & Enthymius, & quidam recentiores. Altera interpretatio; filiū consolari parentes alimenta petentes & subsidia. Negare quidem illis se daturum, quod poscunt, vt colere tamen pietatem videatur, alia ratione illis profuturum pollicetur, nempè se Deo obtulisse, atq; eo sacrificio necessitatem parentum Deo commendatam esse ad eò, vt plus profutura sit res Deo oblata, quam si eam parentes recepissent. Ita Hieron. Ep. 11. ad Agerusiam. Vide & Amb. Luc. 8. Tertior erat hac in re simulatio, nam parentes non sine contumelia, quasi iniqua petentes, & religionis nescios docebant. *Interpretatio Hieronymi.*

Tertia interpretatio. Exprobrationem quandam esse, cum proteruia & austeritate. Parentibus enim auxilium petentibus filium respondere. Quicquid ex me tibi proderit, seu quicquid tibi contulero, non ex iure aut lege debetur, sed munus est donatioq; gratuita. Ita quidam apud Chrysostomum. τινὲς γὰρ ἑτέρως ἐξηγήσαντο τὸ δῶρον. ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. τοῦτο οὐκ ὀφειλόμενόν τι μοὶ, ἀλλὰ χαριζόμενός σοι. ἂν ἔρασθε πρόσω. *Nonnulli aliter id exponunt, donum quodcunq; tibi ex me proderit: id est, nullum honorem tibi debeo, sed dono tibi datum sit, si à me honoratus fuisti.* *Tertia.*

Hanc ille refutat, quod non de quolibet dono agatur, sed eo, quod est Corban, vt est Marc. 7.

Quarta interpretatio. Quicunq; Deo offert, quod est dandum parentibus, immunis erit à peccato.

Quinta. Munus quod pro me offerre consueuisti, pro te offer, tibi proderit.

Sexta. Genus esse iurisiurandi. *Per corban iuro, si à me iuuaberis*: itaq; impium iuramentum seruandum esse Pharisæi docebant. Hanc multi recentiores sequuntur, quâ nonnulli sic exponunt. Voti reus ero, vt Deo Corban offeram si te iuuero, atq; ad omnes, deindè parentũ preces religione voti prætentâ obsurduisse.

Impium iuramentum. Arias Montanus in traditionum libro expresè positum dicit, *si quis iurarit nolle parentibus auxilio esse, iuriiurandi religione teneri*, addit etiam Deo vouere solitos debita desperata, quod sine dubio fœdum erat diuinitatis ludibrium. Iosephus libro 1. aduersus Appionẽ meminit iuramenti Corban. admirabile est, quod Burgensis ait in libro נדרים *votorum*, à Thalmudicis scribi, *Bona aliqua Deo consecrari posse, tantummodo vnius alicuius respectu, ita vt ipse illa vti sine sacrilegio non possit, quamuis alij possint*: atq; ita facilè apparet, quanto legis contemptu bona sua Deo vouerint, non absolutè, vt ipsi, & liberi eorum, atq; amici illis vti non possent, sed tantum ratione parentũ, ne eos honorare possent.

§. 2. Speciosa videbatur ratio, quâ Deus homini, pater æternus & optimus peccatorib⁹ parẽtibus præponebatur, sed contra Dei legem nulla valet argutia; *Parentum cura sacrificio potior.* auaritiæ verò artes illæ fuerunt. Nam voluntaria necessarijs cedere oportet. Parentum honorem seuerâ lege Deus sanxit, sacrificiorum liberalitatem ex illis esse voluit, quæ nullo alio titulo, vel parentibus, vel alijs deberentur. Viua enim Dei templa lignis & lapidibus præferenda sunt. Eruditè exponit hoc Caietanus. Non quidem pluris esse pietatem erga parentem, quam religionem in Deum, res tamen ipsas ita debitas pietati ex ordinatione diuinâ, vt ad religionis vsum non debeant transferri: lex enim Dei supernaturalis ordinem naturalem tuetur. Hinc necessaria corpori detrahenda nõ sunt, vt sacrificio sumptus suppetant; quin etiam sacrificia & res Ecclesiæ in necessitate vitæ seruandæ, sunt impendendæ. Itaq; obijcit illis Dominus: ἀκυροῦτε, *irritum facitis mandatum*, omnem illi vim, auctoritatem derogare conati estis, vt vestram traditionem stabiliretis.

§ 3. Pharisæi in hac traditione sua emolumenta quærebant, nec enim, cum essent, vt scriptura docet, *Crudelitas scribarum.* auari, tam improbam legem, qua Dei mandatũ abolerent, sine spe cõmoditu fuissent. Hoc igitur agebant, vt sacrificiorum sanctitatem & dignitatem in immensum extollendo, victimarum, & donariorũ multitudine sese & sacerdotes locupletarent: nam & ipsi pleriq; sacerdotes erant, aut sacerdotum & leuitarum in acquirendo actores & adiutores: quod si tanta erat sacrificiorũ dignitas, vt etiam eorum causa parentibus negari possent alimenta, de ceteris facilis erat coniectura: communes etenim pauperes negligere minus graue videbatur, vt sumptus in sacrificia suppeditarentur. Omnem igitur φορὴν, amorem, eleemosynam, humanitatem, commentitiâ sanctitate euertebant, nisi quod & ipsi pleni iniquitate & rapinâ ad *Ex gentibus orta.* conciliandam famam eleemosynas interdum largiebantur. Inducta est illa barbaries in mores Iudæorum ex vicinâ gentilitate, quæ in Deos suos profusa, pauperes crudelissimè negligebat, vt cogerentur se vel ad gladium vel bestias auctorare, qui seruos reijculos exponebant, & ægros.

VERSVS 6.

Et non honorificabit patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

QVÆSTIO I.

Quomodo legem Dei transgressi sunt propter hominum traditionem?

§. 1. DVplici argumento aduersarios Christus cõfutat, ac reijcit. Primum est per τὸ ἀντιστρέφον, quo vicissim Pharisæos grauioris criminis accusat, nõ autem discipulos excusat. Sic enim in eos accusationẽ retorquet. Discipuli transgrediuntur traditionem seniorum τῶν πρεσβυτέρων, hoc est, hominum, qui in homines potestatẽ non habuerunt, qui quamuis seniores sunt, nõ tamen ius legis ferendæ habuerunt, quod est summi magistratus. At vos legem Dei æterni, conditoris vestri, atq; adeò legem à naturâ insitam, de colendis parentibus, per traditionem vestrâ violatis, & quasi contrariâ lege abrogatis, & refigitis. Præposteri igitur censores iudicesq; sedetis, humanarum traditionum vindices, diuinæ legis impij contemptores. Ab illis autem diuinam legem per traditionẽ tolli docet, v. 4. 5. & 6. Deus enim iussit honorare patrem & matrem: illi prætextu pietatis parentes deserere docebant. Ad indignitatem verò rei ostendendam non dicit traditionẽ seniorum, sed vestram, quasi eos auctores faceret, qui necessitatem in illis obseruandis finxerunt. Nam per τοὺς πρεσβυτέρους non intelligo τοὺς παλαιούς, veteres seu prisci temporis homines, sed eos, qui nunc rerũ potiebantur. Pari modo קשישׁ *Kaschisch*, quo verbo hîc Syrus vtitur, senem designat. Abulensis concilijũ sanedrin dici seniores arbitratur. Ita enim saptuaginta vocantur, n. 11. & 13. Deut. 17. Verumtamen nõ videtur lex ea publicè & à magistratu lata fuisse; alioqui omnes obseruassent. Sed Pharisæi ita tradidisse videntur, plurimiq; paulatim acceptasse, ita vt legis instar obseruaretur. Nõ obseruasse omnes omninò constat ex illis, quos Christus pauit panibus. Ita Marci 7. particula *omnes* restringenda est ad eos, qui hanc traditionem sequebantur, cum esset occasio. Cum ergò traditiones non sint à Sanedrin, vt etiam Beza testatur, sed Cabalistarum, quæ postea in Thalmud relatæ sunt: Eos enim vocabant ἐρχαῖοι. Ex quo apparet nihil contrà leges Magistratuum dici, sed scriptorum, & priuatorum traditiones repudiari, quod illis neglecta Dei lege inhærerent.

VERSVS 7.

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens:

QVÆSTIO I.

Cur vocet hypocritas ex Isaia?

§. 1. HYpocritas appellat, quod *solis verbis Deum honorarent, cor eorum longè à Deo abesset.* Inuidiâ reprehendebant discipulos, liuori tamen mista vanitas erat, reprehensione enim alienorum erratorum cõmendare se populo conabantur, veluti diuini honoris cupidissimos, quin etiam in lege Dei violandâ illis artibus vtebantur, vt gloriam Dei solius spectare viderentur, cum tamen suis commodis inhiarent, Dei gloriã contemptui haberent. Syrus suo more appellat, *acceptores vultuum*, quòd speciem pietatis præferant, virtutem ipsam eiurent. Omnia autem scenæ & populo tribuebant, vti solent illi, qui veri sunt hypocritæ, ex theatro & histrionia viuentes.

VERSVS 8.

Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Quid in populo illo Deus reprehendat?

§.1. QVod de sui temporis Israëlitis Isaias locutus est, Pharisæis, eorumq; discipulis Christus accommodat. Cærimonijs enim vtriq; affixi, charitatem & misericordiam, atq; adeò veram religionem parui pendebant. Hæc autem in populo reprehendit.

Honorat labijs.

Primò, *labijs me honorat*, Græcus habet: ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσι με τιμᾷ. *appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat*, ita verba integra apud Isaiam leguntur, sed partem legit Latinus & Syrus. Marcus etiam sine variatione habet vnicam solam partem, quæ est apud Matthæum: vt probabile sit, ab aliquo addita ex Isaiâ, primũ in marginem, deindè in textum. *appropinquare* est colere, vt Psal. 148. *populo appropinquanti sibi*, alludit autem ad id, quod dixerat Corban, hoc est, appropinquatio, quæ scilicet fit admouendis aræ victimis, donisue, nã קרב quod generaliter est appropinquare, crebrò pro sacrificare vsurpatur. Corde igitur longè aberant, per rapinas & fraudes congerendo diuitias, ore sacrificia sonabant. Rabanus, & Remigius de honore intelligunt, quem Christo interdum impendere videbantur, sed tamen reuerà eum recipere noluerunt. Honor autem ille, qui ore exhibitus dicitur, de omni illo intelligitur, qui externo apparatu & pompâ cerimoniarum peragitur.

Appropinquare.

§.2. Verba sunt Isaiæ 29.13. in quibus animaduertendum est, non esse in Hebræo particulam μάτην frustra, sine causa, vanè. Sensum igitur Christus hoc addito apertiorè fecit. Imò ex editione 72. citauit; nam illi μάτην addiderunt: vt mihi probabile videatur in Hebræo etiã fuisse, quando illi expresserunt. & Christus approbauit. Isaias habet. וַיֹּאמֶר אֲדֹנָי יַעַן כִּי נִגַּשׁ הָעָם הַזֶּה בְּפִיו וּבִשְׂפָתָיו כִּבְּדוּנִי וְלִבּוֹ רִחַק מִמֶּנִּי וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה *Vaiomer adonai: ghanki niggasch hogham hasseh bephiu vbphsiphathan cibbeduni, vel libo rachak mimmenni, vathehi yrathã otimizuat anaschim melummeda.* Nec Chaldæus abeo sensu abit. Nisi quod verbum נגש *niggasch* absolutè intellexit, & vertit דאתרבב deithrabrab, *magnificatus est*, vel *magnificatur se*. Deindè, *cor autem eorum longè est à timore mei*, dicit, pro, *à me*. reliqua sic conuerit: *fuit timor eorum coram me, ruxtà mandatum virorum doctorum.* גברין מלפין *gabrin mallephin*, hoc est, virorum Doctorum, seu præceptorum, & ducum viæ. Doctorum igitur indoctorum erant illæ præstigiæ, qui superstitionibus animos implebant. Syrus habet, *frustrà me reuerentur, cum docent doctrinas, quæ (sunt) constitutiones hominum.*

Textus Hebræus.

§.3. Docentes doctrinas & mandata hominum. Hebræus igitur habet מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה *mizuath anaschim milleneda*, hoc est, *mandatum hominum doctum*, διδασκαλίαν ἀνθρώπων ἐντεταλμένην. at 72. interposuerunt coniunctionem ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας, *mandata hominum & doctrinas*. Euangelista in Græco appositionem facit, διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων, *doctrinas, mandata hominum.*

Traditiones diuinæ.

Non est firmum, quod hinc concinnant argumentum contrà traditiones, quæ sunt in Ecclesiâ. Variæ autem illæ sunt. Primum diuinæ, quæ continent veritatem diuinitus reuelatum, etsi non scriptam. Nec enim solo scripto æterna veritas continetur, & multo tempore Deus sine scripturis Ecclesiam gubernauit, ac conseruauit. Eiusmodi traditiones plurimæ sunt: vt Apocalypsin esse sacram & authenticam scripturam. Dominicam diem celebrandam.

Aliæ sunt Ecclesiasticæ, vtiles, piæ, traditæ ab Ecclesiæ Pastoribus, & Concilijs: vel deuotioni augendæ, vel ornamento Christianis, quales sunt variæ tem-

plorum cærimoniæ, cantiones, organa, similiaq; quæ partim auferri, partim mutari possunt, & pro diuersitate gentiũ variantur. Nec illæ traditiones reprehenduntur; Cum enim externus Dei cultus in Ecclesiâ retinendus, cum administranda fidelibus sacramenta sint, necesse est aliqua certa ratione atq; ordine id fieri, ne agendi varietas ignaris scandalo sit, atq; vt sunt diuersa hominum ingenia affectusq;, ad ineptias vsq; omnia perueniant. Miras enim non sine ludibrio religionis nouitatis auidi, & veterũ fastidiosi quotidie cærimonias fabricarentur, de quibus miræ sunt inter nouatores digladiationes, adeò vt ob solas Eucharistiæ, fractionisq; cæremonias in sectiunculas minutas diuidantur.

Cærimoniæ in Ecclesiâ statæ.

§.4. Tertium genus est traditionum & mandatorũ humanorũ, quo in policia vtimur, de quibus controuersia nulla est. Patendum est enim Principũ mandatis, ordoq; præscriptus in republica seruandus, alioqui nulla conseruari ciuitas potest, nec omnia illa sunt speciatim à Deo præscripta: Nã omnibus in locis alia quædã vsurpãtur, quæ alijs accomodata nõ sunt.

Cærimoniæ ciuiles.

Cærimoniæ igitur, & mandata, quas Christus reprehendit, ex his non erant, sed partim improba, Dei legibus repugnantia, partim inutilia. Deindè mandata hominũ nulla auctoritate præditorum. Erant n. Doctorum, Sacerdotum, Pharisæorũ inuentiones, tamq̃ priuatorũ, non autem magistratuũ aut Conciliorum.

Cærimoniæ quæ reprehensa.

Denique mandatis illis erat adiuncta superstitio, quasi externa mundicie, aut sordibus, animus vel nitesceret, vel inquinaretur, quod existimasse illos Christi defensio demonstrat.

§.5. Obijcit Piscator ideò traditiones omnes tollendas, quia Deus auersetur omnem ἐθελοθρησκίαν, hoc est, voluntarium cultum à se non præceptum.

Cultus voluntarius Deo gratus.

Respondeo, nunquam in scriptura præceptum esse, ne quicquam faciamus, nisi quod præceptum est. ἐθελοθρησκεία vitiosa est, cum cultu aliquo Deus honoratur, qui cum liber sit, tamquam necessarius proponitur: aut si alioqui in re illicita versetur. Quod autem lege à legitimo Magistratu præscribitur, iam liberum esse desijt. Quis Mariæ præcepit aut pedes Christi lacrymis lauare, aut capillis tergere, vnguentum effundere, quod secundum legem pauperibus dari potuit? & ἐθελοθρησκίας tamen Christum habuit patronum: Deus peccata pœnitenti remittit, & vnctionem toti Ecclesiæ celebrem esse voluit.

VERSVS 10.

Et conuocatis ad se turbis dixit eis: audite & intelligite.

QVÆSTIO I.

An nihil quod intrat in os, coinquinet hominem?

§.1. CHristus ad se turbam vocat à Pharisæis seductam, & obstinatè perseuerantibus in errore Doctoribꝰ ad auditores instruẽdos se conuertit. Nihil autem inquinatè hominẽ absolutè pronuntiat, quod intrat in os. Græcè est κοινοῖ, *communem reddit*, seu *cõmunicat*. Commune autẽ sancto, separatoq; opponitur.

Cibũ putabant inquinari se scriba.

Crasso prorsus ac gentili modo Iudæi arbitrabantur, hominem inquinari, si illotis sordes digitis adhæsissent, quæ corpus ac deindè animã contaminarent, hac illos in opinione fuisse Abulẽsis testatur, & textus ipse demonstrat. Non enim discipulos, quasi inciuilitatis rẽos, sed tamquam vero crimini obnoxios reprehendunt, & in vulgus traducunt. Labem autem illam contrahi ex eo putabant, quod ipsa digitorũ immunditie polluerentur. Christus enim in refutatione illũ errorem exagitat. Nam primùm illi, quod in os ingreditur, id opponit, quod ex ore egreditur. cogitationibus malis, homicidijs, quæ natura mala sunt, homi-

nemq; sceleratum, immundum, Deo abominatũ efficiunt. Nam horum criminũ immundities natura sua spurca ac tetra est, ciborũ autẽ nulli sunt natura mali.

Abusus non vsus inquinat.

Deindè stolidam illam ac supinam ignorantiam illis objicit, cum ait: Adhuc & vos sine intellectu estis? v. 16. ἀσύνετοι *insipientes*. Non esset autem tantus stupor, si aliundè in ciborum vsu animam contaminari iudicassent, optimi enim & purissimi alimenti abusus ex corde egrediens hominem contaminat. Ita superbia infidelitasq;, qua vetitum pomum parentes primi comederunt, non fructus ipse iustitiâ primogeniâ nudauit. Sic Iudæos carnes porcinæ, & carnes cum sanguine voratæ non suo tactu, sed inobedientia sumentium reos fecerunt. Sic ebrios quotidie non merum, sed intemperantia Deo facit odibiles. Nam ipso proposito legem temperantiæ violandi ante ciborum & vini contactum redduntur immundi.

Videtur hoc quibusdam subtile, nec ad rem facere. Nam hic quærebatur, an discipuli peccent illotis manibus cibos sumendo? Id fieri potest, etsi non sint natura cibi immundi, verum si solum contra legem latã sumantur. Respondeo. Christum tamquam certum statuere, legem non esse ratam, idcircò ex ea causa hominem non contaminare. Imo ipsos cibos nõ contaminare. Signum etiam Iudaici stuporis est, quod Christo objcere violationem legis Mosaicæ non sunt ausi: nam alioqui sanè, nisi alio quodam sensu dixisset, poterant dicere; & eos, qui suillam ederent, & qui in paradiso vetitum pomũm attigissent, peccare. Itaque confusi recesserunt, vt notauit Chrysostomus.

§. 2. Accommodant ista licentiæ suæ, qua omni die sibi omnem cibum permissum, & à ieiunio immunitatem sibi noui Epicuræi indulgent. Non coinquinat quod per os ingreditur, inquiunt: non ergò caro in quadragesima, non vllo tempore cibus, aut potus.

Quibus facilè respondent orthodoxi. Non cibos, sed obedientiam, intemperantiam, legis Ecclesiasticæ & diuinæ contemptum reos facere. An qui contrà legem Actor. 15. 20. latam, sanguinem & suffocatũ edebant, non contaminabantur cibis, quos Apostoli prohibuerunt? Imò quos Spiritus Sanctus vitari voluit? Nec tamen natura sanguinis aut suffocatorũ immunda fuit: sed legis à legitimo magistratu latæ obligatio vsum rei bonæ illicitum fecit. Sic 1. Cor. 8. 13. propter scandalum ab immolatitijs carnibus abstineri iubet Paulus. Non enim immolatio carnis, quâ idolo offertur eam immundam facit, sed neglectus proximi, qui infirmum sua libertate lædit. Porrò Christus hic agit de cibo ex natura suâ operante, qui mundus est, nec coinquinare potest, multò minùs illotæ manus, 1. Timoth. 4. Aug. lib. 16. contrà Faustum.

Quio contaminet.

VERSVS 12.

Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?

QVÆSTIO I.

Cur scandalizati sint Pharisæi?

Christus legem Mosis non violat.

§. 1. QVod legem Moysis de ciborum delectu Leuit. 11. & 19. & Deut. 14. tot modis inculcatam, abrogare videretur, sed ille loquitur de cibis lege nulla vetitis, & contra eorum errorem, qui cibos immundos iudicabant, agit.

Sic August. contrà Adimantum, hinc Manichæos conuincit, & probat carnes non esse immundas. Nam quod ad cibos attinet, omninò nihil immundum esse, sed malum esse homini, qui per offensionem manducat, manifestissimè apparet. De eo, quod in Leuitico scriptum est; *separate à mundo immundum, & nemo mandu et carnem cameli, asini, & leporis, & porci, & aquilæ, & milui, & corui, & vulturis, & reliquorum. Nusquam manifestius plenissima dolus & fraudibus anima huius hominis deprehendi potest, qui tanquam sibi aduersa atq; contraria de verbo testamento capitula obiecit, quam in hoc loco, vbi commemorauit id Leuitico scriptum esse, vt à nonnullis animalium carnibus temperetur. Namq; huic sententiæ illud ex Euangelio credidit opponendum, vbi Dominus dicit: Nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, sed ea, quæ procedunt ex eo, coinquinant. Hoc si imprudens fecit, nihil cæcius, si sciens, nihil sceleratius. Nonne ipse paulo antè posuerat Apostoli testimonium dicentis: Bonum est fratres non manducare carnem, neq; bibere vinum, dum cupit de nouo testamento veteri aduersari, vbi dictum est: Secundum desiderium animæ tuæ occide & manduca omnem carnem? quomodo ergò nunc placet ei sententia Domini, qua dicit: Nihil esse ingrediens in hominem quod coinquinet eum, sed ea coinquinare quæ de homine procedunt? vbi se iste abscondet ab hac sententia? Quò fugiet, dicat mihi, quando immunditiã carnium fugiendam, & à cibis sanctorũ separandam, peruersa & superstitiosa imaginatione continentiæ præcipit? Certè enim si verum est non coinquinare illa quæ ingrediuntur in hominẽ, cum magno errore immundas esse dicunt escas Manichæi, cum homines carne vescuntur. Si autem immundæ sunt tales escæ, quid de isto testimonio facient quod Euangelica & diuina authoritate prolatum est, vbi Dominus dicit, non inquinari hominem iis quæ ingrediuntur in eum, sed iis quæ procedunt de illo?* Imò quia contrà vetus testamẽtum Christi verba vsurpabant, ipse alterutrũ concludit. Vel cibos esse naturâ immundos, atq; ita Deum rectè illos prohibuisse: vel Christum rectè negare immundos; atq; ita Manichæorum errorem esse eliminandum. Duo enim illi pugnantia docebant. Nempè in veteri lege malè ciborũ delectum institutum, & tamẽ quosdam cibos à Dæmone, non à Deo factos. Nos alia causa ciborum delectũ tenemus. Habemus certè apud Clementem Rom. Can. Apost. 68. & constit. Apost. l. 5. c. 12. & c. 14. & Ignatius Ep. ad Philipp. Clemens Alex. Strom. l. 7. c. 7. Orig. Hom. 10. in Leuit. Dionys. Alex. ad Basilidem. Iren. Ep. ad Victorem. Athanas. ad Orthodoxos. Naz. in Baptism. Chrys. integris homiliis. Ath. in vita Antonij. Clemens Alex. l. 2. Para. c. 1. Cyrillus Catech. 4. Epiph. hær. 75. Theoph. Alex. Ep. 3. Paschali. Telesphorus Epist. cyclica. c. 1. Amb. l. 3. de Virginibus. Hier. l. 1. contrà Iouinianum. Aug. l. 50. contrà Faustũ c. 5. Leo primus Serm. 4 de ieiunio quadrag. Prosper l. 2. c. 22. de vitæ contemplatiua. Fulgentius de fide ad Petrum. c. 3. Quamquam quid opus est aliquos nominare, vbi omnes consentiunt?

§. 2. Pharisæos relinquendos censet, quod non modò cæci sint, sed duces etiã ὁδηγοὶ cæcorum, vt & ipsi & populus cum eis in foueam cadat. De illis Iustinus de veritate Christ. religion. *Ad hæc ridiculum quoq; est, inquã vos esse opinione proselytorum quidem ipsorum apertos esse oculos, vestros autẽ minimè: ac vos audire, cæci & surdi: at illos, illuminati: ridiculosius etiam multò vobis accidet, si legem (Euangelicam) gentibus datã esse dixeritis, & vos neq; illã (Mosaicam) legem nouerit is. Vitassetis enim vtiq; iram Dei, ac filij iniqui & vagabundi (ῥαμβόνλοι, extrauagantes) non essetis: puderetq; vos illum identidẽ audire, dicentem: Filij, quibus non est fides in ipsis. Quis cæcus, nisi serui mei? & surdus, nisi qui dominatur eis? Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionẽ, & nolite cognoscere. Esa. 6. Et excæcati sunt serui mei: Cæci scilicet cæcorum duces Matth. 15. Quod si per sæpe etiã non observastis aperias aures vestras, & non audiuistis, an bona sit lauu vestra, qua Deus vos celebrat, & Dei testimonia quæ seruos decent: nimirum nec erubescitis sæpenumero ista audientes, neq; Deo comminante exhorrescitis: populus certè quidem stultus & durior estis. Propterea ecce addam, vt transferam populum hunc, dicit dominus: & transferam eos. Et perdam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium abscondam.*

Cur ita vocet.

§. 3.

§. 3. Grauissimam eam pœnam esse, cum malis Pastoribus oues errantes committuntur, nemo dubitat. Explicuit August. in c. 34. Ezech. seu l. de Pastoribus.

Mali Pastores. *Sed quoniam terret non solum cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem, (nec enim ait, cadat in foueam ducens, & non cadit sequens: sed cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadunt) admonuit, audi, & ait: quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Cum enim non facit ea quæ faciunt mali Pastores, non vt ipsi pascant: cum facit is autē quæ dicunt, ego vos pasco: mea enim dicunt, & non faciunt. Securi, inquiunt, sequimur Episcopos nostros. Dicunt hoc sæpè Heretici, quando veritate manifestissima conuincuntur. Nonne oues sumus? illi de nobis reddent rationem. Reddent planè malam de morte vestra. De morte ouis malignè reddet malus Pastor malam rationem. Numquid ideò viuit ouis, quia assignatur pellis ipsius? Increpatur Pastor, quia neglexit ouem errantem: & propterea in fauces lupi ruit, vt deuoraretur. Quid illi prodest, quia assignat pellem signatam? Paterfamilias vitam ouis inquirit. Sed ecce malus Pastor attulit pellem: reddit de pelle rationem.*

Nostra verò Hæretici excusationem non habent, cum peruicaia & noua errorū duci se videant, cum suos ducesin annos singulos viā mutare, alioq; se vertere.

Hæretici inexcusabiles. Nulla enim probabili ratione dicere poterunt: Hic aut ille me Episcopus seduxit, sed ille gurges, ille gladiator, stigmatias, apostata, adulter: nemo enim insignium hæreticorum sine publicis atq; infamibus sceleribus ab Ecclesiâ desciuit, vt causam reddere nullam possint, qui talibus crediderint, & à veteri Apostolorū, Martyrū, Patrumq; doctrinâ discessione fecerint.

VERSVS 13.

At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

QVÆSTIO I.

Quæ plantatio dicatur patris cælestis?

§. 1. PLantatio est doctrina, seu homines doctrinâ aliquâ imbuti: Petindè ac si dicat aliquis, Religionem aliquam vt sectā institui, quod vel Deo vocante, & iubente fieri potest, vel hominum tantum errore & conatu. Comparari autem plantis arboribusq; homines, notius est, quam vt doceri necesse sit. Il. 5. 2. & 60. 21. Ier. 2. 21. Amos 9. 15.

Plantatio non est electio. Falsum est igitur, quod Bucerus, Caluin. l. 3. Inst. c. 24. §. 6. alij de prædestinatione interpretantur. Hic n. non confertur reprobatio & electio. Nam etsi electio sit plantatio Dei, non tamē reprobatio est ab aliâ manu, quam Dei. Nec illa ipsa eradicabitur. Sed confertur doctrina & lex Dei cum friuolis hominum inuentis, quæ etsi ad tempus auctoritatem obtinent, posteà tamē pereunt. Contra Caluinū & recentiores stat ipse Zuinglius, qui de legibus & doctrinâ interpretatur.

Duæ naturæ. §. 2. Apud Hieronymum Manichæorum soboles hunc locum obiectat Catholicis, vt duas naturas esse probaret. Vnam à Deo bono patre Christi: alteram à Deo Prophetarum settero & malo principio. Imò ex hoc loco legem repudiabant. Eam enim plantationē esse asserebant. Sed esse Hæreticos interpretatur Hieronym. in c. 5. Isa. *Quod autem ædificatio & agricultura referatur ad intelligentiā spiritualem, etiam alio loco Paulus Apostolus docet:* Fundatos & radicatos in charitate credētes esse contestans. Vnde & Ecclesiastes: Non solùm sibi ædificauit domos: sed plantauit vineas, & fecit hortos & pomaria: & instituit omnes arbores pomiferas, exstruxitq; piscinas vt irrigaret saltū. Porro Hæretici imaginem tantum habentes vmbramq; virtutum, & non ipsam veritatem, absque fructu operum, verborum folia pollicentur. De quorū arboribus dicit Dominus: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. De vineâ enim Sodomorū vinea eorum, & propago eorū de Gemorra: Vua eorū vua fellis, & botrus amaritudinis eis: furor draconū vinum eorum, & furor aspidum insanabilis, quā non plantasset pater cœlestis. Verū præstat audire eâ de S. Chrysost. τοῦτο φησὶ τὸν νόμον φασὶν εἰρῆσθαι οἱ τὰ τῶν μανιχαίων νοσοῦντες. *Hoc de lege dictum esse aiunt, qui Manichæorum morbo laborant:* quos ille sic confutat. ἀλλ' ἐπιστομίζει τὸ ἔμπροσθεν εἰρημένα αὐτοῖς. εἰ γὰρ περὶ τοῦ νόμου ἔλεγε, πῶς ἀνωτέρω ἀπολογεῖται ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ μάχεται λέγων. διὰ τί φθονεῖ τὸν ὑπηρέτην τοῦ θεοῦ διὰ τὴν φθόνον ὑμῶν; πῶς δὲ τὸν προφήτην εἰσάγει εἰς μέσον μεγάλα. ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσίμε τιμᾷ, καὶ τὰ ἑξῆς; ἀλλὰ περὶ αὐτῶν, ἐκείνων καὶ τῶν φθόνον αὐτῶν πευσόμενος φησίν. εἰ γὰρ ὁ θεὸς εἶπε τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα, πῶς οὐκ ἔστι φύσεια θεοῦ τὸ φθονεῖ θεοῦ εἰρημένον; καὶ τὸ ἑξῆς δὲ δείκνυσιν, ὅτι περὶ αὐτῶν εἰρηκὼς καὶ τὰ παραδόσεων αὐτῶν. ἐπήρκεσε γ' ἂν. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. εἰ δὲ περὶ τοῦ νόμου ἔλεγε τοῦτο, εἶπεν ἂν, ὁ δηγός ἐστι τυφλὸς τυφλῶν. *Sed ea, quæ præcesserunt, ora ipsorū penitus obstruunt. Nam si de lege hoc dictum est, quo modo superius acerrimè pro lege ipsa pugnabat, dicens: Quare mandatū Dei propter observandas traditiones vestras transgredimini? Quo modo etiā Prophetam induxit dicentē, populus ist. Labiis mē honorat, &c. Non igitur de lege, sed de illis ipsis, ac de traditionibus illo ū hæc disputat. Præterea si à Deo dictum est: Honora patrem tuum & matrem tuam: quomodo non est planatum à Deo, quod dictum à Deo est? à sequentibus autē id etiam patet, non de lege, sed de ipsis & traditionibus dictam esse. Quippe cum subiunxerit, duces sunt cæci cæcorum: ita legem ab omni accusatione vindicat, & ad illos omnem culpam traiecit. Quod si de lege illud dictum esset, dixisset vtique, dux est cæcus cæcorum.*

Refutantur Manichei.

VERSVS 15.

Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

QVÆSTIO I.

Cur Parabolam vocat Petrus?

Parabolam cur vocet. §. 1. SYrus vocat parabolam מילתא *malthæ*, à מתל *mathal*, quod parabolicè loqui significat. Petrus igitur cū offensos videret Iudæos, eò quod Christus ciborum delectum tollere videretur: cum nec legē ab eo abrogari putaret, nec falsum tamē esse, quod ex ore veritatis audiebat, suspicari posset, sermonē parabolicum esse interpretatur, ideò parabolæ expositionem postulat. Ita Hieron. & Euthymius rectè exponunt, minus commodè Theopylactus, qui ignorantiā simulasse putat, cum, vt est in Marco, omnium fuerit illa dubitatio, & Christus obijciat, adhuc illos sine intellectu esse, v. 16. ἀκμὴν καὶ, &c. hoc est, καὶ ἀκμὴν τοῦτον, *ad hoc vsq; momentum*. Propriè se locutum ostendit, nō parabolicè. Multa autē iam Paulo in parabolis dixerat, vt notauit Remigius & Abulensis, vt occasio fuerit, etiā hic de parabolis suspicandi. Culpabilem tamē & Hieronymus & Beda ostendunt, quod tam claram sententiam, rationi adeo consentaneam nondū intelligeret. Petrum quæsisse omnium nomine existimat Abulensis, alij apud Marcum, qui discipulos interrogasse refert, putant esse Synecdochen numerorum, omnibus enim tribui, quod solus Petrus fecit. Prior sententia vera est; Christus enim non vnum Petrum, sed cæteros etiam reprehendit, quod sine intellectu essent, quæ reprehensio ex imperita quæstione orta est. Hic autem non agebatur de delectu ciborum constituto lege: sed de illis cærimonijs, de quibus nec Deus, nec Ecclesiæ Magistratus quicquam constituerat.

VERSVS 19.

De corde n. exeunt cogitationes malæ homicidia, adulteria, fornicationes furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

QVÆSTIO I.

Quomodo mala ex corde exeunt?

Principium mali animus.

§ 1. COr est principium & fons malarum cogitationum, & affectuum: ideò peccatum non est hominis substantia, tam enim originale quam actuale indè originem suam habet, vt Bellarm. t. 3. l. 4. c. 31.

Hieronymus monet, quosdã fuisse, qui hinc Christum clamarent esse ignarum disputationis Physicæ, quod ea quæ in hominis substantiam conuerterentur alimenta, non reijcerentur in aphedrona, sed more vulgi dominus loquitur, exiguum est enim quod alit, præ eo, quod in fæces abit.

Quod si aliquid ciborum inquinaret animam, ipsam attingere oporteret. Itaq; cauilla illa Iuliani & Porphyrij rectè Hieronymus refutat. Nam & Marcus 7. ait, non intrare in cor, sed in ventrem. Iuliani, Porphyrij, Libanij nugas, quod Christus Physicen nescierit, quasi omnes cibi in ἀφεδρῶνα abijcerentur, nihil in substantiam edentis verteretur, iam olim Hippocrates reiecit.

Cibus in alimentum exiguus.

Nec aliter locuti sunt prudentissimi & doctissimi gentium, ille enim in sano corpore æqualem esse magnitudinem alimenti & fœcium esse oportere discernit. Neque tamen nesciuit in substantiam corporis nonnullam portiunculã conuerti: sed eius, quod minimum est, rationem sibi habendam non putauit.

Blasphemias v. 19. Beza vocat obtrectationes, cum tamen in sactâ scripturâ pro illo, quod contrà Deum est vitio accipiatur. Nec blasphemus dicitur obtrectator. Quod verò idem Beza versionis causam reddit dicatq; de solis hominum dissidiis dominum loqui, falsum est. Nam cogitationes malæ, & apud Marcum ὑπερηφανία, & ἀφροσύνη, superbia, stultitia, etiam cõtrà Deum sunt. Itaq; de omni peccatorũ genere dominus loquitur, etiam eo, quo hominibus interdũ bene fieri videtur, vt si quis vitam alteri periurio conseruat. Omne n. quod corde egreditur, mentẽ inquinat.

Beza sine causâ mutat versionem.

VERSVS 22.

Et ecce mulier Cananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.

QVÆSTIO I.

Quæ mulier Cananæa?

§. 1. IN fines, inquit Marcus, in ipsas eorum regiones. Addit Marcus venisse & latere voluisse, per fines eorum transibat, & fortè declinando Iudæorum rabiem, aut vt ostenderet iam cærimonias desiisse, & breui omnes desituras, ad gentes transitum parari. Quocirca falli eos existimo, qui negant in Sidoniorũ aut Tyriorum fines ingressum. Latere enim voluit, & Iudæorum rabiem mitigare, atque interim, vt docet Chrysostomus, gentium conuersioni præludere.

Venit in fines Sidoniorum.

Syrophœnissa ἀλλογενὶς.

§. 2. Syrophœnissa fuit, nam in Syria fuit Phœnicia, imò Phœnices Lybici seu Pœni ab his oriundi. Cananæam à Cana maiore, vrbe vicinâ tribui Aser dictam existimant, Ios. 28. alii quod ex Chanaan, Marcus ἀλλογενίδα vocat, non Græcam genere, sed superstitione: solent n. opponi Iudæi & Græci, dũ agitur de religione.

Per ב & ע scribitur, non ק & K. itaq; à Canaan esse videtur. Vna est ex septem illis gentib⁹ Iosue 3. 10 quæ iuxta mare. n. 13. 30. nec deleta fuit omninò. Iud. 1. 30. Quos Hebræi Chananæos Græci Phœnices vocarunt Ios. 5. 1. reges Chanaã, 72. Reges Phœniciæ. Phœnices nauigatione & mercatura celebres fuêre, & Chananæi Os. 12. 7. Is. 23. 8. Prou. 31. 24. Iob. 40. 25. Zach. 14. 21.

Syrus vocat כְּנַעֲנִיתָא *Cenaghanaitha*, quod indicio est à veteribus Chananæis esse. Non autẽ קְנָא ex Cana.

§. 3. Marcus in domum ait venisse & latere non potuisse. Non repugnant autem Euangelistæ: nam, vt docet August. l. de consensu Euangelistarum, *cum venit in partes Tyri & Sidonis mox vt lateret domum ingressus, hoc audito secuta est Syrophœnissa, & pro filiæ sanitate eum adijt, ipse autem cum videret se non latere, porrò egressus est, & eum secuta mulier.* Sic etiam Abul. qu. 63.

Castellio, quod Matthæus ait δαιμονίζεται, vertit: Cui furiata est, nõ tantum impropriè sed etiam periculosè: nam morbum esse naturæ posset quispiam suspicari, non agitationem mali dæmonis, quemadmodum quidam humori melancholico mala ista tribuerunt.

VERSVS 23.

Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

QVÆSTIO I.

Cur non respondit?

§. 1. DVas præcipuè causas existimo. Prima, quod Messias venisset ad oues, quæ perierunt domus Israël, non ad gentes. Altera, vt ingentem eius ardorem etiam fidemq; monstraret.

Posteriorem Chrysostomus pulchrè exponit, διὰ τοῦτο ἠρνεῖτο τὴν δόσιν, ἵνα δείξῃ αὐτῆς τὴν φιλοσοφίαν. οὐ γὰρ ἔμελλον, εἰ ἀνέμενε τοῦτο ἔδοσαν, εἰ δὲ ἀνεστρέφετο, πάλιν. Ideo negabat gratiã, vt Philosophiam eius omnibus patefaceret, nõ quia curare filiã eius nolebat, quam certè curauit.

Christus in diebus carnis ingentem ergà populum Israëliticum affectum ostendit, quem illi cum impiè & contumaciter reijcerent, tandem deserti sunt.

Augustinus Serm. 74. de tempore aliam causam adducit. *Petebat beneficium instantissimè curandæ filiæ suæ, quæ male à dæmonio vexabatur. Tyrus & Sidon non erant ciuitates populi Israël, sed gentium, quarum vicina illi populo. Clamabat ergò auida impetrandi beneficij, fortiterq; pulsabat, & dissimulabatur ab eo, non vt misericordia negaretur, sed vt desiderium accenderetur:* nec solùm vt desiderium accenderetur, sed, sicut antè dixi, vt humilitas commendaretur. Clamabat ergò Domino non audiente, sed quod facturus erat in silentio disponente.

VERSVS 24.

Ipse autem respondens ait: non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.

QVÆSTIO I.

Propter quos Christus fuerit missus?

§. 1. CAluiniani errorem suum, quo Christi misericordiam impugnant, ex hoc loco nequicquam stabilire conantur. Dum aiunt ad oues Israël missum esse dumtaxat, ideoq; ob solos prædestinatos verbum assumpsisse humanam naturam. Contrariũ verũ esse conuincitur: Iudæi enim fidem repulerunt, indigni vitâ æternâ. Nec per oues Israël soli electi sunt intelligẽdi, sed omnes quotquot in gente Abrahamidum versabantur, cum quâ fœdus Dei percussum fuit. Quocircà nonnulli hæreticorum etiam in suos præceptores impingunt, dum Christi verba ad suam impieta-

pietatē detorquent. Disertè enim Caluinus hoc loco. *Oues domus Israel non solum appellat electos, sed quicunq; genus à Sanctis Patribus trahebant: quia omnes complexus fuerat dominus in fœdere & promiscuè omnibus redemptor promissus erat: sicut etiā sine exceptione omnibus se patefecit, & obtulit.*

VERSVS 26.

Qui respondens ait: non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.

QVÆSTIO I.

Quomodo illam Christus repellit?

Gentes Canes. §.1. NOn est bonum, καλὸν honestum, & vt Syrus שפיר schaphir, decorum, conueniens, accipere panem filiorum, & mittere, βαλεῖν proijcere canibus. Canes appellari gentes à Iudæis notum est. 2 Reg. 3. 8. & 16. 9. & 4. Reg 8. 13. Sic etiā gentes se mutuò nominabant. Et apud Homerum κυνὸς ὄμμα, & similia vsitata sunt.

§. 2. Panis filiorum est nō modò miraculorū, & sanitatū effectio; sed omne id quod filijs suis Deus elargiri solet, apud Marc. 7. additur: *sine prius saturari filios.*

QVÆSTIO II.

An hinc aliquid contrà sanctorum intercessionem conficiatur?

§. 1. MVlier Apostolos appellat, & cum parum proficere se videret, iterū ad Dominū conuertitur. Apostoli pro eâ intercedunt. Itaq; vnius pro alio oratio nō modo vetita non est, sed etiā laudabilis, quocirca etiam Chrysostomus eos συναγόρους appellat.

§. 2. Excipit Zuinglius. Nec possunt Papistæ hinc diuorū intercessionem probare, nam diui affectibus nostris nō tanguntur, nisi felicitatem eorum dicamus interrumpi nostris malis. Alienis enim malis compati, aut illa sentire dolorē ingerit, quem sancti non habēt.

Sancti non miseri nobis stupore illo paralogismi, sed æterni numinis etiam beneficentiam tolli. Non tanguntur in illā felicitate diui nostris affectibus, vt doleant aut tristentur: ideò quod in illo statu beatitudinis nulla potest miseria, nullus luctus etiam alienæ calamitatis commiseratione. Nostras tamen miserias tolli cupiunt, & sine interruptione suæ felicitatis succurrunt. Neq; etiam Deus dum miseratus exaudit, nostra mala sentit, aut felicitatis suæ iacturā nobis auxiliatur. Quantum verò absit à religione, existimare, non posse nostros fletus audire, aut pro nobis intercedere, nisi etiam ipsi fleant, & in luctu sint, neminem ignorare puto. Angeli enim hominibus adsunt, eos dirigunt, subleuant, sine vllo beatitudinis detrimento, semper enim etiam ista agentes stant in conspectu Dei viui.

Obijcit Bullingerus hæc Chrysostomi verba. *Non opus est Patronis apud Deum, neq; multo discursu, vt blandiatur alius, sed licet solus sis Patronoq; careas & per teipsum Deum deprecaris, omnino tamen voti compos eris. Neq; enim tam facile Deus annuit, cum alij pro nobis orant, vt cum ipsimet oramus: etiamsi plurimis pleni simus malis.* Repulsam dicit cum alij rogarent, cum ipsa precaretur auditam.

Chrysostomus probat, psalmos refellunt Papistarum opinionem, hinc colligentium sanctos in cœlis intercedere pro nobis, ideoq; inuocandos.

Deindè concludit Bullingerus, *hæc Chrysostomi verba, psalmos refellunt Papistarum opinionem, hinc colligentium sanctos in cœlis intercedere pro nobis, ideoq; inuocandos.*

Resp. Si quidem Chrysostomi sententia res definienda est: facilè veritas Catholica causam obtinebit. Nam hoc loco nihil contrà Catholicos loquitur, aliis locis fidem nostram astruit verbis clarissimis. Hic n. comparat preces intercessorias Apostolorum, qui eius clamoribus moti dimitti cupiebant orantem, & mulieris magnā fide & humilitate precantis, & constat talem orationem cuiusq; pro se precantis gratiorem esse, quam languidam aliorū; id quod Chrysostomus docet: Nec talis anima aliena oratione magnopere eget. Quod si confici hinc aliquid contrà veritatem posset, potiùs concluderetur: Viuentium orationes pro aliis non esse Deo acceptas; comparatio est enim inter orationes viuorum: at nec hoc Bullingerus, nec sectariorum quisquam concedit. Non igitur Chrysostomus orationes aliorum pro aliis tollit.

Quanti vero orationes defunctorum pro viuis faciat, multis verbis ostendit sermone de pœnitent. & conf. Item in Liturgiâ εἰς τὴν τιμιὰν καὶ μνήμην τῆς ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ἧς τὰς πρεσβείας πρόσδεξαι κύριε τὴν δυσωδίαν ταύτην εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον. *In honorem & memoriā super benedictæ, gloriosæ dominæ nostræ, Deiparæ & semper virginis Mariæ, cuius deprecationibus suscipe Domine hoc Sacrificiū in supercœleste altare tuū.* Ecce in ipso sacrificio deprecatores, seu socios precibus suis adhibet sanctos, quomodo igitur eorū intercessiones repudiat? Idē homilia 66. ad populū Antiochenū, cum de sanctis agit. & hom. 31. & 41. & 28. & hō. 42. de sancto Ignatio Romæ martyrio affectū, & Antiochiam deinde translatum.

Cum omni gaudio, atq; lætitia Sacrum hunc locum frequētemus, vt contubernii, mensæq; cœlestis participes cum Sanctis fieri valeamus precibus ipsorum Sanctorum & gratia ac benignitate Domini nostri Iesu Christi. Non festa modo sanctorum celebrat, sed etiam sacram lætitiam populo suadet, & participem eorum felicitatis se fore precibus ipsorum sperat.

Quamuis autem sanctorum tam viuentium quam defunctorum orationes ille probet, monet tamen, ne securi salutis causam sanctorum precibus committamus, sed vt nos quoq; operi accingamur ita nos docet in c. 2. Matth. Laudatione in S. Pelagiam. c. 15. & Hom. 26. in 2. ad Corinth. Deniq; Diacono hunc in modum in Liturgiâ Chrysostomi sacerdos benedicit. ὁ θεὸς διὰ πρεσβειῶν τοῦ ἁγίου ἐνδόξου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ (τοῦδε) δῴη σοι χάριτα εἰς τὸ εὐαγγελίζεσθαι τὸ εὐαγγέλιον μετὰ δυνάμεως πολλῆς. *Deus per intercessiones, sancti gloriosi Apostoli & Euangelistæ huius, tib. det verbum ad euangelizandum ei, qui euangelizatur virtute multa.* vbi notabis, illud τοῦδε poni loco sancti, cuius memoria agitur.

Hoc enim expressissimè ponitur in eadem Liturgia, sic enim Sacerdos loquitur. Τὰ ἁγίου ἰωάννου τοῦ προφήτου, προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ καὶ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων τοῦ ἁγίου (τοῦδε) οὗ καὶ τὴν μνήμην ἐντελοῦμεν. καὶ πάντων τῶν ἁγίων σου. ὧν τῇς ἱκεσίαις ἐπίσκεψαι ἡμᾶς ὁ θεός. *Sancti, Ioannis Prophetæ, præcursoris, & baptistæ, sanctorum optime nominatorum Apostolorum, & sancti huius cuius & memoriam celebramus, & omnium sanctorum suorum, supplicationibus visita nos Deus.*

VERSVS 27.

Quid mulier respondet Domino?

§. 1. DVo sunt in responso mulieris. Primò approbat Domini sententiam. ναὶ κύριε, ita domine. Syrus אין מרי *In mari*, etiam domine mi. Deindè rationem reddit, καὶ γὰρ *Etenim*: Syrus אף *aph*: quin imò quidam interpretantur, vt sensus sit. Non est id bonū quidem, sed tamen catelli comedunt de mensa dominorum suorū. Qui sensus planus est, sed verbis minus accōmodari potest. Verus igitur sensus est, vt respondeat ad id, quod Dominus non dixit quidem, sed tamq; certum notumq; statuerat. Dum enim roganti non respondet, dū contemnere videtur, & tandē asserit, nō esse bonū accipere panē filiorum, & dare canibus non obscurè illam canem appellat, quasi nō magis ad eius preces, quā canis latratum attendat. Hoc illa ingeniose ad suam causam trahit. Lubens volens me catellam fateor, verè dixisti me catellam esse, non offendor illâ contumeliâ, quā mihi saluti fore spero. Nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Iudæa impleta est doctrina & miraculis, aliqua & nos obiter beneficia experiamur: canes enim sumus, non lupi, ideò de mensa dominorum alenda.

Humilitas Syrophœnissæ.

ita ferè Abulensis quamuis plurib⁹ exponit. Tu domine dicis, quod non est bonum accipere panem filiorum, & dare canibus, & tamen bonum est de illo dare saltem micas cadentes: ita tu potes.

VERSVS 28.

Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

QVÆSTIO I.

Quæ fides illa fuerit?

§.1. MVsculus, ceteriq; fiduciam de prædestinatione interpretantur.

Fides Catholica non fiducia Caluiniana erat.

Constat principio fuisse fidem, qua credidit, posse à Christo filiam sanari; deinde sperabat auxiliũ, adeò vt etiã videns μαθ' ἑαυτὸν ἡ τὴν συναγόρευς ἐξαπορηθέντας, *Patronos suos secum repulsam passos, non tamen desperarit*, vt monet Chrysost. Quod si quispiam asserat, eam certò credidisse se prædestinatã, eaq; fide impetrasse filiæ sanitatem, id sine vllâ verisimilitudine pronuntiabit, atq; adeo non sine rubore; tota in eo est, vt filiæ sanitatem impetret. & Christus: magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, fides ergò de Christi potẽtiâ erat, & spes de bonitate. De sua prædestinatione verbum diuinũ non habebat, cum enim canis vocaretur, non reuelabatur illi sua prædestinatio. Quin imò fides prædestinationis filiæ sanitatem impetrare non poterat. Quis verò eam doceret; eam in omni scelere permanentẽ, esse iustam antè pœnitentiam, eam iustitiam amittere nullo vnquam crimine posse? Nondum ista docebantur, nondum prodierat talium author Zuinglius. Ipsa simpliciter filiæ sanitatem, cum tot miracula vidisset, à Christo petebat.

VERSVS 29.

Et cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem sedebat ibi.

QVÆSTIO I.

Quid in Iudæa præstitit?

§.1. DIscessit à finibus gentilium, & Iudææ latitudine transitâ, à mari mediterraneo veniens consedit ad mare Galilææ.

Sanat autem Primò χωλὸς claudos, latini multi libri habent primo loco mutos, sed cum Græco consentit Syrus.

Deinde τυφλὸς cœcos.

Tertio κωφοὺς mutos.

Quartò κυλλὸς debiles, Erasmus mutilos.

§.2. Objicit Bullingerus, *non ad sanctos, sed ad Christum deferendos.* Quæ obiectio locum haberet, si non ad sanctos Christi virtute sanaturos adducerentur. Quid de sanctis factum sit, acta Apostolorum nos docent, & sequentium temporum historiæ.

VERSVS 38.

Erant autem, qui manducauerunt quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres.

QVÆSTIO I.

Vbi Christus subsedit?

§.1. MArcus 8.10. vocat Dalmanutha, Græcus μαγδαλα hoc 1.Reg.17.20. legitur, sed apud Marcum in partes Dalmanutha. Aug. l.2. de consensu Euangelistarum c. 51. Beda, aiunt olim fuisse Magedan, non Dalmanutha, sed hoc nusquam alibi legitur.

Quædam exemplaria μαγαδαν, Syrus μαγδδα, fortè locus Maceda dictus. Alij Magedan, & esse volunt in tribu Iuda.

Hieronym. suo tempore regionem dictam Magedenam. Nobilis illa Zaeh 12 11. est Maggeddo, sed alia omnino est. Græcus μαγδαλα. Syrus autem vocat finem רמגדר *demagedu*, nisi scriptum est רמגלר *demaggelu*, Maggelu, nam facilis est commutatio inter ד & ל. His in locis complura fecit miracula, diutissimeq; docuit. Miraculum de panibus multiplicatis omitto: quia satis explicatum est c.4. id quod simile est. Sunt tamen nonnullâ obseruatu dignissima: Nimirum exauditoribus multos triduanam inediam sustinuisse, amore audiendi verbi Dei, iamque debilitatos fuisse, vt si dimitterentur ieiuni, in via deficerent. Quod magnam eorum debilitatem indicat. Nec enim procul à locis habitatis, & oppidis aberant.

Quin & illud notandum. Iam plures panes, pauciores conuiuas esse, & pauciores tamen sportas referri, vt appareat solius diuinæ potentiæ hoc opus esse, quæ ex paucioribus plura, ex pluribus pauciora facit. Plenum illi ius est in omnes, & in omnia. Tam ex vno pane mille, quam ex decem potest centum efficere. Qui enim mundum fecit verbo, cur non in mundo faciat, quæcunq; facere placuit?

CAPVT XVI.

Mar 8.b.11. Luc.11.g.54. Sup.2 g 39. Ioan. 2

Mar 8.b 14. Luc.12. a.1. Sup.14.c.17. Ioan.6.b.9. Sup 15 a 43. Marc 8 c. 17. Luc.9 c.18. Ioan.6 g.69 Ioan.1 f 42. Isai 12 g 24 Ioan.10.c.

Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cœlo ostenderet eis. 2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum enim est cœlum. 3. Et mane: Hodie tempestas erit, rutilat enim triste cœlum. 4. Faciem ergo cæli diiudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit. 5. Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. 6. Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. 7. At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus. 8. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? 9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? 10. neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? 11. Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum. 13. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens. Quem dicunt homines esse filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. 15. Dicit eis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei viui. 17. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis

pio petro et paulo

cælis est. 18. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. 19. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. 20. Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. 21. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. 22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. 23. Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. 24 Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 25. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 26. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? 27. Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

IN CAPVT DECIMVM SEXTVM

ARGVMENTVM.

SIgnum de Cœlo petunt Pharisæi, & Sadducæi, quibus, vt etiam c. 12. negatur: Discipulos cauere iubet à fermento doctrinæ Pharisæorum, & Sadducæorum; qui maiore nunc rabie contra Christum insurgebant, & turbas in eum concitabant. Interroganti, quis sit filius hominis? Petrus profitetur esse filium Dei viui; ita ille & fundamentum Ecclesiæ fore dicitur, & claues regni Cœlorum promittuntur, cum ob eam confessionem beatus diuinâ voce pronunciatus esset, de passione suâ multa prædicit, & Petrum dehortantem increpat, omnes ad abnegationem sui, & tollendam crucem hortatur, eo quod filius hominis venturus sit, & redditurus vnicuiq; secundum opera eius, atq; proinde tolerantiam fidei recompensaturus. Inde monet quosdam præsentium, nisi visa antè gloria Domini non morituros, vt certitudinem remunerationis firmâ spe sanciat.

A versu 18. ad 20. vsq; in Syrâ Ecclesia legitur, in commemoratione Apostolorum Sanctorum בדוברנא *beducherana*: nam eorum festa celebrare, vti latina Ecclesia solebat, in quâ idem textus eo tempore legi aliquando solet.

A versu 21. ad 28. Secunda Dominicâ post Pentecosten.

Ab vltimo versu 28. incipiunt, & cum sequentis capitis priore parte legunt Syri, *in festo Tabernaculorum*, hoc est enim quod habent דמטאלא *dematale*, non quòd Iudaicum tabernaculorum festum Syriaca celebraret Ecclesia; Sed quod nobis est festum transfigurationis, illis est tabernaculorum, quod Petrus tantâ gloriâ obstupefactus tria tabernacula construere vellet.

Tres primos versus olim desideratos in multis fuisse testatur Hieronymus, sed omnes iam Latini, Græci, Syri habent. Qua de re vide nostrum Maldonatum.

VERSVS 1.

Et ascenderunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum, vt signum de cœlo ostenderet eis.

QVÆSTIO I.

Cur signum è cælo petunt.

Diabolum facilis conijcitur. §. 1. HOstes Christi capitales Pharisæi & Sadducæi, inter se alioqui discordes, in tentando & oppugnando Christo conueniunt. Sic etiam hodierno die infestissimos sibi Hæreticos, non inter se modò, verum etiam cum Turcis & gentibus aduersus Catholicam religionem, videmus conspirare. Veritas enim, quia peregrina est in terris, ideò tot hostes habet, vt iam olim obseruauit Tertullianus, interim de eorum tam consensione, quam discordia Ecclesia triumphat; nam totius mundi procellis opprimi non potest, cum perpetuitatem illi Dominus promiserit. Noster interpres paulo aliter legit, quâ nunc in Græcis habeatur. Hodierna Græca habent καὶ προσελθόντες οἱ φαρισαῖοι, καὶ Σαδδυκαῖοι πειράζοντες ἐπηρώτησαν αὐτὸν. *Et accedentes Pharisæi & Sadducæi, tentantes rogabant eum.* Noster καὶ προσελθόντες οἱ φαρισαῖοι, καὶ Σαδδυκαῖοι πειράζοντες, καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν. *Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes, & interrogabant eum.* Hanc meliorem esse constructionem fatentur omnes, etiam ipse Beza. Quin etiam ita penelegit Syrus לה מנסין וסרבו & ורשאלין *vocarebu, &c. Accesserunt &c. tentantes eum, & rogantes.* Vbi tamen Caluiniani vertere maluerunt: & petebant, cum in Syro participium sit. Quod ideo moneo, quia Iunius & Trem. versionem Syriaci textus propriam, & ad verbum profitentur.

§. 2. Signum de cœlo petunt, quale Moses, Iosue, Elias, Elisæus dederant: non credo id illos bono animo fecisse, vt viso illo crederent. Nam tentandi animo venisse constat. Marcus addit, cœpisse cum eo συζητεῖν *conquirere, disputare, captiosè, curiosè, diffidenter & malitiosè.* Itaq; inportuna eorum disquisitione Dominus offensus *ingemuit*, vt est Marci 8. 12. Signum de cœlo nullum hactenus inaudierant ab eo factum, ægros sanatos, dæmones eiectos, paucis panibus multitudinem pastam, & similia viderant, quæ cum terrena dicerent, non iudicabant ad fidem faciendam idonea, vt igitur plebem ab eo auerterent, alia signa & quidē de cœlo poscebant, quod si non præstaret, facile se eius auctoritatē euersuros putabant, vt, qui signum de cœlo edere nō posset: Si verò postulatis annueret, hoc signū non minus q̄ cætera calumnijs impeterent. ἐπηρώτησαν autē postularunt, seu interrogarūt cū auctoritate & imperio, vti illi in deserto. *Nunquid panē poterit dare, aut parare mensā populo suo in deserto?* Theophylus eos signū petisse, vt Solē aut Lunam sisteret. Remigius & Beda vt ma- *Signum de cœlo petūs.*

vt manna daret, non est dubium, quodlibet tale petiisse, forte etiam nominatim hoc, illudue.

§. 3. Valde ridiculus est Caluinus cum se Christo, Catholicos, Pharisæis & Saducæis comparat. *Sic hodie Papistæ, qui si nunquam sancita esset Euangelij doctrina, nouis miraculis sibi probari postulant.* Non postulant doctrinam probari Euangelij, cui crediderunt, pro quo & quotidie moriuntur mactati à Caluinianis, sed profanas nouitates contra Euangelium quotidie emergentes probari sibi postulant. Christus multa miracula fecit. Nullus Caluinianus vllum; quod suas impias ζωϊκὰς δόξας, & axiomata Euangelij nomine honestent, suis ne quidem persuadent ita esse, cæteri eos detestantur, quo nunc signo docent verba: *Hoc est corpus meum*, significare: *Hoc est signum corporis mei*? aliaq; similia: Hæc non sunt scripturarum elogia, sed apostatarum corruptelæ. Signa igitur apostolatus sui exhibeant, quod non curiose, non proterue petimus sed necessario, cum aliam causam nullam adferant cur illis credamus. Quam autem nostra & Pharisæorũ ratio sit diuersa, facile Iudex æquus discernet. Christus non eâ modò signa fecerat, quæ Prophetæ de Messia prædixerant, sed maximo etiam numero tota Iudæa multis hominum millibus circumstantibus, quibus indubitatum exhiberet virtutis suæ testimonium. Ita vt si ea cum Prophetarum oraculis conferre vellent, non possent non palpare Redemptoris aduentum. Quocirca discipulis Ioannis aliud non respondit, quam vt referrent, quæ vidissent, cœcos videre &c. Erant enim signa illa ad fidem conciliandã sufficientissima. Ex quo constabat Pharisæorum contumaciam esse inexcusabilem, cum signa cœlestia flagitarent, de quibus Prophetæ non dixerant. Nos autem cum videamus cœtum Caluinianum à veteri Ecclesia, à nouis omnibus sectis penitus diuersam, & nouæ interpretationis in scripturis sectatricem, miracula quærimus, paucissimis contenti, atq; ita statuimus, nullam esse veram Ecclesiam in qua miracula nulla cernuntur. Nostro itaq; iure postulamus, vt vel vnum hominem de tot millibus nobis repræsentent, qui Caluini dogma secutus minimum miraculum fecerit. Inter veræ enim Ecclesiæ χαρίσματα & indicia, est donum miraculorum, quæ aliquando frequentia, aliquando rariora, semper aliqua sunt. Deus enim propter infirmitatem multorum, aliorumq; errores, suam præsentiã varijs locis, beneuolentiamq; exhibet. Ecclesiæ autem necessaria esse miracula, si non propter fideles, saltem ad conuersionem gentium experientiâ docemur. Nullæ enim gentes sine miraculis Christianæ se religioni iunxerunt. Quocirca etiam videmus hæreses non effundere virus in gentes, sed tantum in agro dominico grassari, & palearum aceruos ad se trahere. Ecclesiam igitur non habent, quos deficiunt dona S. Spiritus, sanitatum, aliaq; quæ in Catholica Ecclesia semper effulgent. Manet hodieq; illud, quod Marci 16. 17. dicitur: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur*, non adeo multos, sed tamen aliquos, qui etiam profecti prædicant vbique *Domino cooperante, & Sermonem confirmante sequentibus signis.* Catholicæ ecclesiæ per omnes ætates vbiq; signa & miracula vigent. Testis est India vniuersa, ad vtrumque solem posita: & ne solis gentibus data miracula arbitremur, haud pauca in mediâ Europa facta videmus. Videatur Damascenus, Turonensis, Ionas Aurelianensis, Turselinus, Lindanus, Canisius, Bredenbachius, Lipsius, cæterique scriptores. Imo adeantur loca illa, quæ miraculis Deus nobilitat, qua quidem in re inexcusabilis est hæreticorum peruicacia, quod ad omnia illa, quasi Pharisæi & Saducæi obbrutescant. Inter hæc nullum vllius Hæretici miraculum vsquam appareat, nisi quod Lutherus & Caluinus conati sunt. De Luthero Fredericus Staphylus in absoluta responsione contra Iacobum Schmidelinum; pag. 404. De Caluino Hieronymus Bolsecus. cap. 13. optimè de his iudicauit Erasmus illorum alioqui læpe laudator & promotor in diatribe de libero arbitrio. *Apostoli quondam excutiebant viperas, sanabant agrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant donum linguarum, vna ita demum creditum est illis, & vix creditum paradoxa docentibus. Nunc cum iuxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit qui vel aquum claudum sanare potuerit.*

Caluini error ridiculus.

Merito miracula petimus.

Ecclesia non est vbi nulla miracula.

Verum cum se miraculorum dono destitutos vident, ad eorum reprehensionem vertuntur, nec id sine exemplo. Pharisæi in Beelzebub dicebant Christum eijcere dæmonia. Celsus magicis illa artibus tribuebat, Orig. l. 1. contra Celsum. Ariani miracula Gerualsij & Protasij ridebant, quæ tamen præsentes videbant, vt habet Amb. Serm. 9. Eâdem insaniâ laborabat Vigilantius, vt est apud S. Hieronymum. Hoc de Waldensibus Guido cap. 15. testatur. Secuti sunt Wicleffus & Hussus: vt mirum non sit, ad vocem parentum crocitari Caluinum.

VERSVS 2.

At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum.

QVÆSTIO I.

Quid Dominus in tentatoribus reprehendit?

§. 1. *Faciem cœli*, inquit, *diiudicare nostis: Signa autem temporum non potestis?* Perinde ac si dicat, in rebus profanis, & saluti nequaquam necessariis eos oculatissimos esse, in sacris cœcutire. Non esse causam stuporis naturalem ostendit, cum enim signa tempestatum prænoscere possent, per tot admiranda non cognoscunt adesse redemptorem? Hoc tempus tot miraculis prædictum, ablato Sceptro, cognoscentibus ab oriente Magis, clamantibus ipsis Dæmonibus, fulgentibus signis non poterant cognoscere. Malitia ingenio obstabat.

Πρόσωπον, seu *faciem cœli* appellat, externam cœli speciem ac constitutionem, Virgilius *Maris placiti vultum*, appellat, & alibi *vultus ferarum*. Lycophron. cœlum ποικιλοπρόσωπον, *variorum vultuum* appellat: πρόσωπον & faciem de homine fere dicunt, sed motis est, alijs etiam rebus personas & membra humana tribuere. Hebræorum פנים latissime patet: verum hoc loco in Syro est פרצופא *pharzupha* quod Psalm. 34. & Prou. 16. dicitur de hominis facie. Hebræi dicunt hominem creatum duplici facie: mentis & corporis.

§. 2. Chrys. & eum secutus Theophyl. sine interrogatione exponunt. Cœlestem quidem faciem cognoscere potestis, signa autem aduentus mei non potestis, non enim ex sideribus, sed oraculis Prophetarum reuelatur. Vera est sententia, an vero sit vis argumenti, quo Christus vritur, merito dubitatur. Nam Hieronymus, Hilar. alijq; esse argumentum à minore ad maius existimant. Si enim cœli faciem, quod difficilius est, cognoscitis, quomodo hoc tempus ignoratis? ita Luc. 12. 56. cum enim cœli facies maximè sit mutabilis, nunc tempestates, nunc subita serenitas, ad hæc tamen cognoscenda idonei sunt. Tam certa, magna, crebra signa Messiæ non aduertunt. Sicut enim plurima signa pluuiarũ & serenitatis notarunt & docti, & indocti, vt Poeta dicat. *Nunquam imprudentibus imber obfuit*, ita quoq; multo certiora signa aduentus dominici fuerunt. Voluit Deus signa tempestatum præcedere, & comitari, vt caueri possent.

Ait illi

Atq; hæc vt certis possimus discere signis
Æstusq;, pluuiasq; & agentes frigora ventos
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret.

Sed hæc tamen minora & incertiora signa sunt, quam illa quæ Messiæ aduentum denunciant. Aratus quidem in Phænomenis etiam longinqua ex astris prædici putat, sed fallitur cum ita canit.

Αὐτὸς γὰρ τέκμαρ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διαπρύσιος σκεδάσας ὁ δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας ὅσσε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνθρώποισιν ὡρέων ὁππότε ἕκαστα πέλεται φύσασθαι.

Ipse enim numero signa in cœlo firmauit, astra spargens, prouidit autem astra in annum, quæ maxime facienda significabant hominibus, horarum quibus statâ omnia nascerentur. Verum in his erroribus se quotidie Calendariorum coniecturæ ridendas exhibent. At Messiæ aduentus tot signis indicatus est (Ioannis Baptistæ natiuitas, atq; adeo ipsius Domini, satis argumento fuerunt) hominum fuisse supinum torporem, quo factum est, vt tempus visitationis non agnoscerent. Iustinus quæst. 108. eos esse inexcusabiles demonstrat. *Quando prater voluntatem prouenientis ignoratio, ab ignorantibus reputatur pronatione: tunc euentus interpositus rei per ignorantiam gestæ aut veram fuisse, aut erroneam imprudentemq; notionem declarat. Cum autem qua notio habita est per euentum ignoratio fuisse demonstrata sit: Si ignorans in ignorantione perseuerasset, nullam secum affert veniam, sed panam, quam effugere nequeat. Sed enim Iudæos Christum crucifixisse, perindeatq; ipsum cognouissent Dei esse aduersarium, & eius rei suffragatorem habuerint in cæde sua Deum, cuius liquet. Non enim illum crucifixissent, si nouissent Deum ipsum post mortem suam ex mortuis resuscitaturum fuisse. Resuscitatus vero ex mortuis à Deo Christus, illam quæ contra eum habita erat notio, reuera ignorantiam fuisse ostendit. Quandoquidem igitur post resurrectionem Domini à mortuis, & post probationem, siue ostensionem, neq; Deum suffragatorem Iudæu fuisse in morte Christi, neq; Christum ultra resuscitationem in morte manssisse, secundum eorum spem, qui illum crucifixerant, Iudæi ipsi adhuc in incredulitate & inobsdientia perseuerarunt: ob hanc ipsam causam venia fuere indigni. Quod enim argentum dederunt, vt resurrectio eius premeretur, & pro furto in vulgus spargeretur; atq; Apostolos prohibuerunt in nomine ipsius diuina perficere, quæ vi & efficacia Spiritus Sancti edebantur opera: non est prater voluntatem obuenientis, & veniam secum ferentis ignorationis; sed destinatæ & voluntariæ, suppliciumq; secum trahentis aduersus Deum rebellionis. Nam si ea spe Iudæi Christum cruci affixerunt, vt ne doctrina eius inualesceret, & Iudaismus ne abrogaretur: quomodo quum vtriusq; spei euentu deciderint, qua prater voluntatem obuenit aduersus Christum ignorantiam ipsorum ea res non coarguit & refellit? Porrò illud: Tu pater remitte illis; nesciunt enim quid faciunt: in hanc est dictum sententiam. Quum agnouerint quod me per ignorantiam crucifixerunt, & peccati commissi gratiam & absolutionem petierint, præsta hanc eis. Non enim datur noxæ remissio ei qui peccatum suum non pro peccato, sed pro iustitia habet.* Et illud quod à Paulo dictum est; *Testimonium illi perhibeo, studium eos habere Dei, sed non secundum scientiam: parcentis modo est prolatum, dicto illi consentaneo: Infirmu factus infirmus; vt (iuxta ea verba) curaret infirmos.*

VERSVS 3.

Et mane: hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.

QVÆSTIO I.

An signum tempestatis mane rutilans triste cœlum? & serenitatis, vespere rubicundum?

Vide sum §. 1. gra.

SIgnum ponitur tempestatis cum rutilat triste cœlum, πυρράζει γὰρ συγνάζων, hoc est, rubeum colorem exhibet, sed tristiorem, obscuriorem & ad nigrorem magis inclinatum. Syrus ait בְּמִרְאִית *cemiraith*, quod triste significat aduerbialiter, & tamen etiam nigroris habet notam: Camar apud Hebræos est in luctu. Thren 5.10. גְּבַמְּרוּ *exusta vel denigrata*, pelles dicuntur, & 2.29.23.4. כְּמָר *cumar* sacerdos idolorum à nigro vestitu. Sic Elias ait, *omnem Sacerdotem idolorum vocari* כְּמָר *cumar, quod atris vestibus induerentur*, quod etiam vsitatum apud Veteres fuit, cum dijs inferis facerent, ipse Elias tamen *recluſos* dici maluit. Itaq; cum rubor est mistus atrâ quadam & tristi caligine, idq; matutino tempore, signum est tempestatis.

§.2. Quod vero apud Lucam additur, pluuiam fieri, si nubes ab occidente surgat, id in Palæstina ordinarium erat, nubes enim illæ humentes, & pluuiarum fœtæ, ex mari mediterraneo oriebantur, quod occidentale Israelis latus cingebat. Sic 3. Reg. 18. Cum Elias pluuiâ impetrat, nube de mari oriente, iussit autẽ septies puerũ respicere contra mare. Hic in Germaniâ, Italiâ, Hispaniâ Ventus occidentalis humidior est. *Pluuiæ in Palæstinâ.*

Auster Iudææ siccus & calidus erat, ex Æthiopia & Ægypto veniens, ideoque à Sole & arenis calens. In Europâ pluuius est idem Ventus, ob mare mediterraneum, Paludes, montes niuosos. Tellus enim nostra vegetatur *Pluuioq; madescit ab austro*, & ex tempestatum obseruatione dixit Poëta: *Creberq; procellis Africus.* Quidam typicè hæc ad primum & secundum Christi aduentum accommodant, sed in illis non immoramur.

§.3. Obseruandum ruborem cœli prognosticon vespertini temporis esse ὀψίας γενομένης, cum hora scilicet venerit. Nam matutinus cœli rubor, aut meridianus, non idem designat. In Græco dicitur pro eo quod noster vertit, *Serenum erit* εὐδία, serenitas, ab obliquo εὐδὸς vt ille canit;

Sub Ioue frigido.

εὐδία vero opponitur χειμῶνι, Syrus צַחוּתָא זַכּוּתָא *Zachutha*, *claritas, serenitas ipsa*, vel ipsum. Vt sensus sit, ipsum hoc, quod cœlum rubet, est serenitas. Plura dixisse Christum ex Luca constat, c 12. 5. *Cum videtis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: imber venit, & ita fit. Et cum Austrum flantem, dicitis quod æstus erit, & fit.* *Serenitatis signa.*

§.4. Rubor cœli dicitur lætior, ideo πυῤῥάζει, igneum colorem præfert. Syriacè סמיקא *Semcaih*, quod rubicundum significat, & aliquando flauum interpretantur, & סמיקן *Samkan* est lapis sardius, tenui est rubore.

§.5. Cur autem rubor cœli lætior, vespere serenitatis sit indicium, ratio est, quod vapores siccati & radijs misti, quasi accensi sint, ideoq; generandis imbribus haud quaquam idonei.

Cum vero mane rutilat triste, indicat vapores, spissos, humidosq; qui confestim in Aquam soluuntur. Hæc in Iudæa certa prognostica erant, & vicinâ Asiâ, adeo vt omnibus nota haberentur, à notis enim similitudinem Christus accipit. Quibusdam in locis vbi vna die sæpius tempestas mutatur, incerta, quam uis crebro ita contingant.

§.6. Eiusdem sunt generis prognostica, quæ Virgilius lib. 1. Georgicon à Luna & Sole accipit, colores enim Solis & Lunæ ab aere sunt.

Si verò Solem ad rapidum, Lunasq; sequentes,
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
Hora, neq; insidijs noctis rapiêre serenæ, &c.
Si nigrum obscuro comprendit rit aera cornu,
Maximus agricolis pelagoq; parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe. *Solis & Lunæ signa.*

In Lunâ diuersitas apparere videtur, licet alia paria sint: Nam primò si nigrum aëra obscuro cornu comprehen-

Prehenderit, *maximus agricolis pelagoq; parabitur imber.* Si obscurum cornu, seu niger aër, cœlum est, quod in Palæstinâ dicebant triste rutilans. Aratus vocat Lunam μελαινομένην. S. Basil. Hom. 6. in Hex. παχείαν, Claudianus

Lunaq; non gracili surrexit lurida cornu.

Color ille nigricans, aut triste rubens, quem Cœruleum appellant.

Olli Cæruleus supra caput astitit imber.

Sic Vegetius: *Color cæruleus indicat pluuiam*, & paulò post Virgilius de Sole. *Cæruleus pluuiam denunciat, igneus Euros* Cæruleo nigrum indicari constat ex Arato, vnde ista sumpsit poeta.

ἢ εἴπερ μελανεῖ καὶ οἱ τὰ μὲν ὕδατος ἔσω
Σήματα μέλλον.

Si quando nigrescit, hæc tibi signa erunt futuræ pluuiæ. Hoc est ergo ὄψεαι συγκαίζων triste rubens. sic etiam Virgilius.

Si maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tum pariter ventis nimbisq; videbis
Feruere.

Vegetio etiam imbre impendente Sol est maculosus. Hic autem etiam conditur in nubem, quæ ipsa atrâ rutilo miscetur.

§. 7. Hæc igitur in re consentiunt Scriptura, & obseruationes Paganorum. Vna in re videtur diuersitas. Iudæi cum cœlum vesperi vident πυρράζον serenitatẽ fore prædicunt, at Virgilius cum Luna rubuerit, ventum esse ait. *At si virgineo suffuderit ora rubore, Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe.* Et de Sole. *Cæruleus pluuias denunciat, igneus Euros.* ibi quoq; est Sol πυρράζων, *Igneus.* Sic Vegetius: *Ventis vrgentibus igneus.* Sumptũ ex Arato. Τὰ δ' ἐρεύθεα καὶ ἀνέμοιο. *omnia rubra sunt (signa) venti.*

Posset quispiam dicere, cum, sunt in Palæstinâ venti, videri εὐδίαν: valde enim refrigerat regionem positam plagæ suæ ardentem. Nec ratione caret, si distinguamus Solis & Lunæ rubores, ab aeris rubore hilari & diluto. Nam opus est intensiore & spissiore aliquanto rubore aeris, vt astra illa rubeant: medio etem enim facile luce sua vindicant. Itaq; si tenuis sit & lætus rubor vesperi, serenitas erit, si grauior, vt Sol vel Luna rubeant, ventus erit. Si rubor Lunæ ad nigrotẽ tendat, & Solis color variauerit, tristi cœlo, imber erit. Tria igitur prognostica diuersa sunt. Cœrulens aeris color, rutilo tristiore & nigricante, qui Solem & Lunam condat, maculis variet, quo signatur pluuia. Rubor aeris lætior qui Solem & Lunam coloret, ille ventos indicat, siccior enim, sed copiosa est materies exhalationũ & vaporum. Deniq; color vespertinas rubens, sed dilutus, qui vel post Solis occasum apparet, vel Solem nuoñ imbuit victũs lucis candore, tũm nec venti nec pluuia exspectanda fuerit. Porro Lunæ cornua obtusa aeris per quem videntur spissitudinem designant, ideoq; pluuiam denunciant maiora enim videntur, si medium densius sit, ita Solis orbis mane per vapores aspectus maior, at in medio cœli minor apparet. Hæcilli considerarunt, spiritualia neglexerunt, negat Christus aliud signum se daturum, quam Ionæ Prophetæ de quo c. 12. Plinij etiam præsagia conueniunt. l 18. c. 35.

Conciliatio ἐναντιοφανείας.

Signa Tempestatum.

„ Primumq; à Sole capiemus præsagia. Purus oriens, „ atq; non feruens, serenum diem nunciat: at hybernã „ pallidus grandinem: si & occidit pridiè serenus & o„ ritur tanto certior fides serenitatis. Concauus oriens „ pluuias prædicit: item ventos cum ante exorientem „ eũ nubes rubescunt. Quod si & nigræ rubentibus in„ teruenerint, & pluuias. Cum orientis atq; occidentis „ radij rubent, coire pluuias. Si circa occidentem rube„ scunt nubes, serenitatem futuræ diei spondet. Si in ex„ ortu spargentur partim ad Austrum, partim ad Aquilonem, pura circa eum serenitas sit licet, pluuiam tamen ventosq; significabunt. Si in ortu, aut in occasu, contracti cernentur radij, imbrem. Si in occasu eius pluet, aut radij in se nubem trahent, asperam in proximũ diem tempestatẽ significabunt. Cum orientẽ radij nõ illustres eminebunt, quis circumdati nubenõ sint, pluuiã portendent. Si ante exortũ nubes globabuntur hyemem asperã denunciabunt. Si ab ortu repellentur, & ad occasum abibunt, serenitatem, si nubes Solem circumcludent, quanto minus luminis relinquent, tanto turbidior tempestas erit: Si veto etiã duplex orbis fuerit, eo atrocior. Quod si in exortu fuerit, ita vt rubescant nubes, maxima ostendetur tempestas. Si non ambibunt, sed incumbent, à quocunque veuto fuerint, eum portendent. Si à meridie, & imbiẽ. Si oriens cingetur orbe ex qua parte is se aperit exspectetur ventus. Si totus defluxerit æqualiter, serenitatẽ dabit. Si in exortu longe radios per nubes porriget, & medius erit inanis pluuiam significabit. Si ante ortum radij se ostendent, aquã & ventum. Si circa occidentem candidus circulus erit, noctis leuem tempestatem. Si nebula vehementiorem. Si cadente Sole, ventum. Si ater circulus fuerit, ex qua regione is rupent se, ventum magnum.

VERSVS 5.

Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere.

QVÆSTIO I.

Quomodo obliti sunt panes accipere?

§. 1. PRæcedente versu dicitur abijsse, Marc. c. 8 15. admonet lacum traiecisse, abijt enim *trans fretum.* In longiorem autem profectionem solebant panes accipere. Nempe antequam nauigarent, obliti fuerant, εἰς τὸ πέραν *in ripam vlteriorem.* Negligentiã Apostolorũ accusare morosi est interpretis. Fieri enim poterat, vt feriâ re occupati, Domini miraculis, & sermonibus intenti corporis curandi cogitationẽ deposuerint. Diuina autem ordinatione obliuio contigit, vt admonitionis sequentis occasio daretur, imo & noui miraculi, nam Christus eorũ sollicitudinem in animo latentem & debilẽ fidem detexit. Sportas quæ superfuerant, aut tubæ, aut pauperibus distribuerunt, ad miraculi magnitudinem & certitudinem cunctis indicandam. Proficiscuntur igitur & ignorant commeatum deesse, donec iam ad stationem peruenirent.

VERSVS 6.

Qui dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

QVÆSTIO I.

Quod fermentum Pharisæorum?

§. 1. OCcasione parũ de quibus ipsi solliciti erant, Christus eos de fermento Pharisæorum cauendo hortatur, geminatione verborũ efficaci: ὁρᾶτε καὶ προσέχετε; *videte atq; aduertite.* Marcus cap. 8 15. ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ ζύμης *v. d. tecernite, à fermento.* Paulus eodẽ simili ab hæreticis cauendum nos hortatur. 1. Cor. 5. modicum fermentum totam massam corrumpit. Semel attactu & mistura nocet. Et mirum est totam massam corrumpi, & acescere fermentum autem à totâ massâ non edulcorati.

§. 2. Fermentum sumu ζύμην quidam interpretantur ἐδιδα- quicquid proprium Pharisæi diuino verbo admiscerent, ita fere hæretici. Calu. l. 4. Instit. c. 10. 26. Verum expositiones multæ, illustrationesque addi verbo diuino solent, non tamen quæ parem cum ipso verbo

verbo habeant potestatem. Improbæ tamen depraua-
Non omnes euangelistæ fermentum Pharisæi. tiones, quæ amaram reddant massam diuinorum elo-
quiorum, fermentum dici potest. Verum non est opus
nouam requirere expositionem, cum Christus veram
dederit. Luc. 12. 1. ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις. & vers. 12. de do-
ctrina interpretatur, quidquid enim agebant, amarulentum & noxiumerat, cum non animo Deum colendi, sed ex impia gloriæ & opum cupiditate procederet, quamuis longe aliud in vulgus iactarent. Hinc etiam doctrina peruersa originem habuit, vt nempe de deserendis parentibus, quâ legem Dei ad traditiones suas stabiliendas euertebãt. Hinc doctrina tota fucata erat & ad libidines eorum composita, ac deinde mores doctrinæ similes: quod enim docebant, hoc faciebant.

§. 3. Caluinus fermentum Pharisaicum esse pronunciat, *quidquid à Deo non est profectum.* Inde concludit. *Cum nominatim ab eorum doctrina prohibeat suos Christus, sequitur repudiandos esse omnes, qui sua figmenta admiscent verbo Dei, vel quidquam alienum ingerunt, quocunque tandem polleant honoris gradu, vel titulo superbiant, quare maledicta est & præuaricatrix eorum subiectio, qui vltro Papæ commentis & legibus se subijciunt.*

Respondeo. Temerarium esse furorem, damnare omnium magistratuum leges, siue Ecclesiæ siue politiæ, quamuis enim à Deo non sunt profectæ, ἀμέσως seu immediatè; potestas tamen, quâ feruntur, à Deo
Dubium non est aliquâ Deo. est. Nos quoque eos toto animo detestamur, qui sua commenta verbo Dei admiscent, si vel, falsa sunt, vel si vera, & tamen D. i verbo æquiparare contendunt. alioqui vtorum sanctorum & doctorum in verbum Dei factos commentarios veneramur. Verbum Dei intelligimus vero, non nudas literas, aut scriptiones, sed textum & verum sensum, verbum etiam traditum, quo sublato, non est quo scriptum credamus. Traditiones autem à Deo profectas, verbũ Dei profitemur, tam enim quod Deus dixit, quam quod scripsit, eius est verbum. Nec minorem autoritatem habet viuę vocis oraculum, quam literis exararum eloquium. Nec
Quid rebus Dei. maledicta est subiectio, quâ se Papę legibus vltro fidelles subiiciunt, cum ouium salus sit imperio sui parere pastoris, & si sua libertate euagantur exitio reddantur proximæ. Ipse Caluinus fatetur, v. 18. *Omnes fideles Petro aggregari. Nam Christus,* inquit, *hoc commune fore totius Ecclesiæ fundamentum, denuncians, quidquid piorum in mundo futurum Petro aggregare voluit.* Nos igitur Petro aggregati, Petri igitur Successori communicare oportet, & ab eo religionis expositionem exspectare. Fate-
Petro aggregari oportet. tur etiam v. 18. eximiam Petri inter alios excellentiam notari. Maledicta igitur & præuaricatrix est eorum contumacia qui diuisione facta, postquam à Petri sede decesserunt, per tres quatuorue diuersas & aduersas hæreles apostataram, Sectatores tandem ad atheismũ dilabuntur. audiatigitur fidelis antiquæ fidei assertor Hieronymum potius quam Caluinum. Ille Epistola ad Damasc. quæ est 57. his verbis Caluinum damnat. *Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus indissutam Domini tunicam & desuper textam minutatim per frusta discerpit; & Christi vineam exterminant vulpes; vt inter lacus contritos qui aquam non habẽt, difficile vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, posit intelligi: ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neq; vero tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretiosa margarita potuit inquisitione prohibere. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos interrupta patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hic obruta sulcis frumenta in lolium auenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur: in Oriente au-*
Catholica Petri.

tem Lucifer ille, qui ciderat. Supra sidera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa & argentea: hic testacea vasa, vel lignea, virgam ferream & æternum operiuntur incendium. Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito. Faciesat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit profanus est. Si quis in arcâ Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat; nec possum sanctum Domini tot interiacentibus spatijs à sanctimoniâ tuâ semper expetere: ideo hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem. Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

VERSVS 8.

Sciens autem Iesus dixit: quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?

QVÆSTIO I.

Cur vocat modicæ fidei?

§. 1. ANxie non modo cogitabant, sed etiam inter se disceptabant. Marc. 8. 16. Christus cogitationum inspector, & verborum remotus auditor exemplo ostendit; eos de panibus sollicitos esse non debere.

Ὀλιγοπίστους porrò appellat, non quod de prædestinatione dubitarent, sed quod nescirent vndè sibi victum pararent. Fidei defectus in eo cernitur, quod cum Christus fermenti inducere mentionem, illi se reprehendi putarent, quod panes non accepissent, & *Parua fides.* Christum eâ de re tanquam damno loqui aliquo. Itaque quamuis vidissent eum turbas pascentem pane multiplicato, non tamen credebant id eum iam posse facere, non quod re verâ iudicarent, id eum non posse. sed quod solliciti non exercebant fidem, quô crederent illum posse. Omissione igitur actus delinquunt, non autem contra fidem iudicium conceperunt. Ita crebro fieri solet dum languidâ fide in aduersis tractamur, vt non cogitemus Dei potentiam, atque inde fiduciam capiamus. De hac incogitantia grauiter eos Christus increpat: vt monet Chrysostomus: nam & in ipsum Dominum quodammodo ὀλιγοπιστία erat contumeliosa, quasi fermenti mentionem ideo faceret, quod panes deesse sciret, ideoque sollicitus esset.

§. 2. Quid porro hîc ὀλιγοπιστία? Non est defectus fiduciæ, qua certi esse deberent se prædestinatos, se fidẽ amittere non posse, se semper iustos esse mansuros. Igitur nec μεγάλη πίστις *magna fides*, est talis fiducia. Ap- *Fides non est fiducia electionis.*
paretque quantum à vero abhorrent, qui fidem illam præsumptione definiunt. Quid ergo hæsitant? *Quia panes non accepimus*; hoc enim intra se dicebant. Et Christus; *quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?* Hæc igitur cogitatio erat, in qua modica fides cernebatur, nempe anxia de pane disquisitio, & quod ad Christi potentiam, quam recentissimè experti erãt, se non reflecterent, vt omnem sollicitudinem ex animo reiicerent. Hic vnicus igitur locus satis superq; demonstrat: quid magna, quid parua fides sit in Euange-

lio; Christus cum vobis eius obiectum charissimè ob oculos ponit, vt dubitare non sit iam contumacis, sed etiam amentis.

VERSVS 13.

Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis.

QVÆSTIO I.

Quæ Cæsarea Philippi?

Cæsarea Philippi in fine terræ sanctæ.

§. 1. DIsertè dicitur Καισαρείας τῆς Φιλίππου Cæsareæ non alterius, sed quam extruxit Philippus Tetrarcha in honorem Tiberii Cæsaris, Ioseph lib. 18. c. 3. & lib. 20. c. 6. Diuersa est ab illa quam Herodes in honorem Augusti ædificauit. Hæc enim ad Libani radices posita est, dictaque olim Læsem, & Laïs. Ios. 19. 47. Iudic. 18. 29. Deinde postquam eam tribus Dan occupauit, ab ea tribu dicta est Dan. Terminus erat sanctæ terræ Libanum versus. Paneada appellabant gentiles. Altera Cæsarea olim Turris Stratonis dicta est. Constat itaque Christum ad extremos vsque fines terræ sanctæ peruenisse.

QVÆSTIO II.

Cur ex discipulis quærit hominum opinionem?

Lectio.

§. 1. QVæstio instituitur in partibus, Cæsareæ Philippi, seu vt Syrus habet לתרע *latera in regione*, siue loco. Marc. 8. 27. in viâ facta ait. Luc. 9. 18. cum esset solus orans. Non est vlla inter veritatis assertores pugna. Egressus enim in vicos Cæsareæ Philippi, in viâ alibi subsistit & in locum solitarium horum scilicet aliquem, secessit & orauit ac tum discipulos interrogauit. Hunc enim in modum concilianda sunt quæ apud Euangelistas narrantur.

§. 2. Græca non leguntur in diuersis exemplaribus eodem modo. Vulgata habent τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; *Quem me dicũt esse homines, filium hominis?* seu, *qui sum filius hominis?* alii libri omittunt pronomen με, Nonnulli etiam: *filium hominis*, Syrus, *me*, bis repetit. *Quid dicunt super me homines me esse filium hominis?* vel *qui sum filius hominis?*

Lucas & Marcus constanter habent, τίνα με λέγουσι; & omittunt τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *filium hominis*. Hieronymus pronomen omisit, Erasmus in codicibus nonnullis ait, tantum esse ea, quæ sunt apud Marcum & Lucam. Beza με, additum putat ab aliquo qui timuerit, ne non de se Christus, sed de aliquo tertio loqui videretur. id non fuisse difficile putat, quod formula loquendi de se quasi de tertio aliquo, sit à Græca & Latina lingua aliena. Denique eos accusat, quod Hebræam linguam contempserint, quæ res fecerit, vt plerisque in locis miserabiliter cœcutierint. Ipse tamen, quia in anchorato Epiphanii inuenitur, retinendum sensit.

Beza error.

Respondet, ad rem ipsam quod attinet, dubium non est, Christum vsurpasse pronomen; quia apud Marcum & Lucam est, & in plerisque Matthæi exemplaribus. Deinde cum plurima & correcta habeant etiam Filium hominis? id quoque dixit. Fieri potuit vt bis interrogaret, cum ad primam vocem non continuo responderent, cum fieri amat, cum quæstio est inopinata.

Quod Beza veteres ignaros Hebrææ pronunciat, malitiosè facit, cum tot autores linguæ Hebrææ non modo imperitos facit, sed etiam contemptores. etenim ex magnis autorib. nullum noui Hebræi idiomatis non amatorem. Quamuis autem eam linguam multi ignorarint, plurimi tamen vt Dionys. Origenes, Epiphanius, Hieronymus accuratissimè nouerant, neque enim Origenes Æxapla, & Octopla sua ignaris linguarum scripsit. Quod vero in plerisque miserabiliter lapsos comminiscitur, non alio modo interpretor, nisi quod lapsum censeat errorum Caluinisticorum condemnationem. si aliquem in aliquo lapsum diceret, in tanta Scripturarum obscuritate mirum videri non deberet. sed in plerisque lapsos esse, & quidem miserabiliter, impudentius dicitur, quam vt credi possit. Magistri illi Ecclesiarum fuerunt magna parte martyrio aut miraculis clari, virorum Apostolicorum conciones, & scripta habuerunt, vt nos errorum in plerisque accusare non modo impium sit, verum etiam stolidum.

Quod ait in Græca & Latina lingua vsitatum non esse, vt de se in tertia persona quispiam loquatur, non mille non exemplis, sed integris commentariis refutatur. Nemo dicere id poterit, qui vel Xenophontis ἀνάβασιν, vel Iulii Cæsaris historiam viderit.

VERSVS 14.

At illi dixeruut: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.

QVÆSTIO I.

Quem esse Iesum homines opinabantur?

§. 1. OMnes in eo conueniebant esse vnum ex prophetis, alii Baptistam, alii Eliam, alii Ieremiam veterem prophetam esse existimabant, quod suum seculum tantæ Virtutis fœcundum esse non putarent. Hæc tamen fuit opinio non omnium, sed plurimorum: Nam Pharisæi & scribæ prophetam negabant: multi credebant filium Dei, & nouum prophetam. Cæsareæ interrogasse aiunt. Chrys. & Theophilus, quod longius à Iudæis Zelotis abesset, ideoque liberior responsio dari posset. Verum hic separati erant sine Iudæis arbitris rogari & respondere poterant, sciebat ipse, quidde se quisq; cogitaret, sed quæstionem mouet, vt veritatem ostendat. Iudicia populi errantia, Petri vera monstraret. Denique monet, raro turbas de suis doctoribus rectè iudicare, nec gloriam propriam, sed salutem errantium quærendam. Sententiam Pharisæorum & Saducæorum omittunt, quia odii, inuidiæ & malitiæ erant. ita S. Chrysost.

§. 2. Ioannem videntur existimasse quod baptizaret; Etiam, quia reditum eius exspectabant.

Ieremiam, quia ille singulatim intercedebat pro populo Dei. 2. Macc. 15. aut vnum ex prophetis. V. G. Helisæum, qui tot miracula fecit, aut alium quemuis siue id factum μετεμψυχώσει, seu παλιγγενεσίᾳ Pythagoræa existimarunt, siue resurrexisse putarunt. In priore opinione est Ianssenius, Baronius, alii. Mihi probabilius de resurrectione cogitasse, hanc enim credebant plerique; transanimationem, vt gentilium figmentum plures horrebant.

VERSVS

VERSVS 15.

Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis?

QVÆSTIO I.

Quem Apostoli Iesum dicunt?

§. 1. PEtrus cæteris tacentibus respondet, & quantum Apostolica fides ab opinionibus vulgi distet, insigni confessione demonstrat. Primo Christũ appellat, deum, filium Dei viui. Christum officio, regem Israelis, & sacerdotem; Filium Dei viui, viuum ipsum & naturalem. Magnum diuinitatis Christi argumentum. Nam cæteri qui Baptistam, aut vnum ex prophetis existimabant, filium Dei adoptiuum credebant, Petrus autem maius aliquid indicauit, nempe naturâ esse filium Dei. Hilar. in com. & de Trinit. lib. 6. Dyon. Alex. contra Arianos. Athanas. serm. 3. contra Arian.

§. 2. Blasphemant tamen Christi maiestatem Ariani in Transyluaniâ ministri. l. 2. c. 7. & Blandrata. disp. 6. Albana. Ideo Christum dici filium Dei viui, quia de Spiritu sancto, non de viro conceptus fuerit. Scripturæ tamen hoc effugium occludunt. Si enim ideo solum Dei filius, quia à Spiritu sancto in vtero formatus est, ergo filius Spiritus sancti dici potest. & debet: at Spiritus sanctus ab eo procedit & in sanctissimæ Trinitatis inuocatione, filius præponitur Spiritui sancto.

Trinitas in diuinitate Christi fingatur.

Deniq; si non alio modo, quam Adam atq; Angeli filius Dei diceretur, nempe creatura sine Patre producta, vel à solo Deo, non est causa cur tantopere cæteris præferatur, aut filius Dei viui dicatur, quasi Filius naturalis Dei. Est autem firma confessio, veraque & inuiolabilis fides, inquit S. Hilar. *Ex Deo Deum filium professum esse, perfecta confessio est qualis Petri est, qui complexus omnia, qui & naturam & nomen eius expressit, in quo summa virtutum est, atque vltra humanos oculos respexit, non quod excarne & sanguine est, contuens, sed Dei filium cœlestu patris reuelatione conspiciens, dignusque iudicatus est Petrus, vt primus diuinitatem in Christo esse cognosceret.*

§. 3. Petrus respondet: fide enim & charitate eminebat, vt Hieronymus & Hilarius. non Commissarius omnium, nesciebat enim sensum omnium, sed omnium silentio eius responsum probatum est. Deinde quia *Princeps erat*, vt Chrys. homil. 55. *& dignitate primus*, vt Cyprianus. Abulensis. sane inter causas recensent, quod Petrus futurus esset vniuersalis Pastor, ideo per eum solum factam esse confessionem, vt constet talem esse tuendam fidem, qualem prædicat Romana Sedes, quæ est caput & mater Ecclesiarum, cui Petrus præfuit.

Petrus Princeps.

§. 4. Cum vero filium Dei viui vocat, Apostolica sententia hæresin Nestorianam condemnat. Vnam enim personam in Christo asseuerat. Quæstio à Christo proposita est. Quem dicitis me esse, qui sum filius hominis? Respondet Petrus. *Tu es Filius Dei viui.* Filius enim hominis est filius Dei, non alia persona filius hominis: alia, filius Dei, sed vna eademque persona. Insignis itaque locus est contra Nestorium. Christus autem eodem deinde modo Petro respondet, eum quoque qui Petrus est, eum esse super quem sit ædificaturus Ecclesiam. Nestorius Christi personam distraxit, Petrus viuum Deum & hominem agnouit. Vide Cyrillum Alexand. de fide ad Reginas. *quod Iesus Christus, Christus sit Dei filius & Dominus, idem*, Epistol. ad Nestorium. Iren. lib. 3. cap. 18. Hippolit. ad Psal. 2. Eustachius Antiochen. sermon. in illud: *Dominus creauit.* Procl. ad Armenios. Isidorus Peluſiot. lib. 3. Epist. 130. Concilium Chalced. Act. 5. Concilium 5. Constant. Maximus monachus, *de duabus in Christo naturis.* Eutychianus Papa ad Ioannem & Episcopos Bœticæ. Caius Papa ad Felicem. Ambros. lib. de fide c. 6. Eucherius Lugdunens. Dominica in pentecoste. Boëtius de duabus in Christo naturis, & vna persona. Ioannes 2. Papa de duabus in Christo naturis. Greg. Mag. lib. 18. in Iob. cap. 27.

Eadem persona in Christo.

VERSVS 17.

Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

QVÆSTIO I.

Cur Petrus beatus?

§. 1. HOnoris causa Petrum ita compellat: vt dicat Simon Bar Iona, appellatione enim parentis eum sibi commendatum asserit. Latina & Græca quædam exemplaria habent Simon Ioanna, & Ioan. 21. 15. & 16. & 17. Simon Ioannis dicitur. Hoc loco cum Syri. cè dicatur בר יונא *Bera deiauna*, plerique interpretantur filium columbæ, verum cum sæpius dicatur filius hominis, non est dubium, hoc quoq; nomen esse contractum ex יהונא *Iechauna.* omisso ה litera guturali. Syrorum enim & Chaldæorum est illa contractio. imo & apud Hebræos in nomine Ioannis esse solet. Nam primo dicitur יהוחנן *Iehouachanan*, inde Iouchanan, vel Iochanan, tandem Ionan & terminatione Syra Iauna. Sic ex בעל *baghal*, faciunt בעיל *beghil*, & quia ב hic vix auditur: *Bil*, & *bel*, pronunciant, non iam primum vocatur Petrus, sed initio vocationis ita appellatus est, vt habet August. lib. 2. de consensu Euang. & constat ex Marc. 3. 16. Luc. 6. 14.

Iona. Ioannis.

Vna est pars beatitudinis ex confessione ad tantum decus esse electum Chrysost. egregiè explicuit: *quemadmodum tibi Pater vt me cognosceres dedit, ita tibi ego claues regni cœlorum do. sicut Pater tibi diuinitatem meam manifestauit, ita tuam ego tibi excellentiam ostendo.*

§. 2. Beatitudinis causam reddit, quia fidem veram, non caro & sanguis, nullus homo, nulla ratio, aut ingeniũ, sed Pater cœlestis reuelauit, arcana & supernaturali virtute. Fides n. de Deo, non est à mundo, sed à Deo. Ita Synodus Chalced. Act. 3. *Ter beatissimus, & omni laude dignus beatus Petrus Apostolus qui est petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Wittakerus excipit, *Est*, non *fuit.* At si tum erat, igitur & ante fuerat: cœpit esse cum illi hoc Christus dixit, non desiit esse, quia in successoribus manet. Et peculiare hoc Petro non aliis Apostolis tribuit. atque hoc est quod Nazianzenus Petrum esse talem petram, *cuius fidei etiam Ecclesiæ fundamenta concredita sunt.* Alia nempe ratio Apostolorum, & Episcoporum, illos enim per Petrum Deus sustentat. Mira cauillatio hominis hæretici; *esse, non fuisse*: quasi vero non fuerit antea si tum erat. Quorsum vero illæ verborum aucupationes, si de re constet sententia Concilii, neq; aliter quam de dignitate Pontificis Romani potest intelligi.

Fides ex solâ reuelatione.

VERSVS 18.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccle-

siam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.

QVÆSTIO I.

Cur dicit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus?

§. 1. GRæca habent Καγὼ δέ λέγω; *sed & ego dico tibi*, particula δὲ à quibusdam libris abest, noster interpres non legit. Syrus habet אם *aph*, etiam, itaque nostro more legit. His tanquam solennibus verbis diuina prouidentia fundamentum Hierarchiæ Ecclesiasticæ posuit: magnam enim vim habent illa verba: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Certe hoc quilibet dicere illi potuit, qui nomen eius nosset, at Christus magnum in eius nomine mysterium esse indicat, ac si dicat. *Tu es ille Petrus super quem Ecclesiam ædificabo.* Iustinus quoque de veritate Christianæ religionis: *Atque ex discipulis suis vnum Christus, Simonem prius nominatum Petrum appellauit, quod se per Patris, sui reuelationem Dei filium esse cognouerit.* Prius scilicet Simonem, hoc est, obedientem, deinde Petrum, hoc est, firmum appellauit. Interrogatus enim de filio hominis, respondet de filio Dei, vt Augustinus monet. Petrus.

§. 2. Petrus linguâ Syriaca dicitur כיפא *Kipha*, quod Latini & Græci suo more immutant, & dicunt *Cephas*. Syrus ita habet דאנת הו כיפא *danth hu Cipha, tu ille Cipha* deinde ועל הדא כיפא *Veghal hada cipha, & super hanc Cipha.* Idem itaque est vocabulum Cipha, quod Petrus, & Petra dicitur Latinis. Itaque in Syro non est agnominatio, sed vnum omnino vocabulum, Cipha quod est Petrus, & Cipha super quam Ecclesia ædificatur: Quod fatentur Iunius Tremellius, Beza, Piscator, & qui minus rudes sunt Caluinistæ. Quin etiam πέτρος & πέτρα in Græca lingua idem sunt vt etiam Beza fatetur. Itaq; cum dicitur: *super hanc Cepham*, intelligitur ille Petrus, de quo facta est mentio. Græcus non vertit ἐπὶ τῷ πέτρᾳ sed πέτρᾳ, vt magis appositè metaphoram exprimeret: super saxo enim, non homine accommodatè ædificium stare dicitur.

§. 3. Porro futilia sunt, qua Danæus, Iunius, alii adferunt, Petra fœmininum non conuenire Petro Masculo, Syriacè Cepha præponi articulum, Petrum vnum esse lapidem, non sufficere in fundamentum, opus esse saxo magno, rupe, caute, monte.

Respondeo. Cum metaphoricè Christus loquitur, non haberi verborum, sed rerum inter se similium rationem: Homo dicitur belua, scelus, Virago, Caro, Apostoli, lux: Ioannes lucerna, duo testes in Apocalypsi duæ oliuæ. Ita Petrus Petra: nullo generum respectu. Deinde articulum præponi propriis nihil noui est. Quin & Cepha rupes est, munitio, fortitudo. Ita Elias Iudæus etiam interpretatur & Rabbi Eliezer שמעון בן חיפא היה אחד מתי למדרין של ישוע *Simeon filius Cephæ fuit vnus ex discipulis Iesu.* Vbi fallitur ignorantia nostrarum rerum, cum vocat filium Cepha. Recte tamen exponit Christianorum sententiam cum addit de quo in Euangelio, quod ipsis est, nomen eius fuisse initio Simon Bariona. Iesum autem vocasse illum Cepha, quod fortitudinem & munitionem significat, quod ille vocat חוזק & מבצר *chozec mibzar*, adiungit Chaldaice, seu in Thargum vocari סלע, quod significat fortitudinem; & petram ideo innuisse Iesum, quod futurus esset caput fidei suæ, ideoque vocasse eum Cepham. Ita ille de Thisbi,

Ex quo planum est, Petrum, saxum, rupem munitionem, fortitudinem significare.

QVÆSTIO II.

Super quem ædificabit Ecclesiam suam?

§. 1. NOnnulli, vt Hilarius lib. 6. de Trinit. Nyssenus contra Iudæos Chrysostomus, Cyrillus, super fidem Petri & confessionem ædificari Ecclesiam aiunt. Sic Chytræus ait, *omnes fideles Petros esse, & super eorum fidem Ecclesiam ædificari.* Idille ex Origene, Tractat. 1. in Matthæum. Super Petri fide.

Respondeo. Magnum aliquid Petro & nouum attribuit, hoc autem loco aliud fingi non potest, nisi quod super eum Ecclesiam ædificaturum dixit. Ipse etiam contextus hoc indicat, Perinde est enim ac si dicat: Tu es Petrus, seu petra, super quem ædificabo Ecclesiam meam. Quod ad Chytræum attinet, omnino stolidum est omnibus tribuere, quod ne quidem Apostolis omnibus Christus largitur. Beatum Petrum dicit, à patre ei reuelatum, ille solus locutus respondens Domino: Itaque solus etiam hic fundamentum ponitur, quamuis enim Chrysostomus & Augustinus arbitrentur, pro omnibus eum respondisse, non tamen sic intelligendum, quasi hoc ab omnibus commissum fuerit; nam non omnes beatos dixit: nam si omnium fuisset responsio eadem, etiam par fuisset præmium. Super Petri fide confessa. Super Petrum fundatur.

§. 2. Authores porro, qui super fidem, aut fidei confessionem ædificatum aiunt, non ita intelligendi sunt, quasi negent super Petrum ædificatam, fidem enim causam esse dicunt, cur super Petrum sit extructa. Sic Ambrosius lib. de resurrectione ait, *non corpus Petri, sed fidem super aquas ambulasse.* Non ignorauit verè corpus ambulasse, & cœpisse mergi, sed fidei fuisse efficaciam, non corporis proprietatem, causam considerauit, non opus ipsum. Ita se ipsi Authores exponunt. Itaque super Petrum credentem & confitentem Ecclesiam censent ædificatam. Nam Hilarius, *super hanc confessionis Petram, Ecclesiæ ædificatio est.* Petra autem confessionis, est Petra confitens; non ergo separatà Petra confessionem. Et Cyrillus lib. 4. de Trinit. *Petram opinor nihil aliud quam inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit.* Fides confessa. Vnus Ecclesiam regens est.

Non potest autem absolute super confessionem ædificari. Nam cum dicat Christus se ædificaturum, alio modo de fide Petri, quam de beatæ Virginis, Baptistæ, aliorum fide loquitur, super eorum fidem aut confessionem non ædificauit sed super Petram ædificaturum pollicetur.

Deinde cum Ecclesia sit hominum cœtus, vocetur que domus spiritalis, cuius fundamentum est Christus. Deinde Prophetæ & Apostoli, pari analogia dicendum est, cum Petrus sit Apostolus, vocandum fundamentum, eodem modo quo Prophetæ & cæteri Apostoli, videlicet, vt Petrus credens, confitens sit fundamentum, non separata fides, aut confessio. Hacenim in causa debet par eius esse ratio. Licet hæc prærogatiua sit, quod fundamentum sit vicinius, quam cæterorum & inter duodecim fundamenta primum. Hic & Ioannes in Apocalypsi ex lapidibus preciosis fundamentum esse videt, nempe homogenea & similia ipsi ædificio seu ciuitati. Similitudo & columna Calixti.

§. 3. Non est tamen negandum, fidem Petri fundamentum suo quodam modo esse, seu potius rationem fundandi, aut causam cur fundamentum sit Petrus & Petri successores. Promisit Christus fidem eius non defecturam, vnde certitudo cõstat, eorum quæ à Pontifice in causa fidei, solenniter, atq; ex officio definiuntur. Ita Amb. l. 6. in Luc. c. 9. Chrys. hom. 55. in Matt. Cyrill. l. 4. de Trinitate. Fundamenta multa.

§. 4. Ob-

§. 4 Obiicit Sutlinius, *si claues accepit, ergo ab alio, non est ergo summus Paterfamilias.*

Petrus Oeconomus & Ianitor est.

Respondeo. Deum esse Patremfamilias, Petrum Oeconomum & Ianitorem: Non enim summus est Petrus absolutè, sed hominum, in hoc officio: Ideo Vicarius. Sibrandus Petrum improprie concedit dici fundamentum. Quod verum est quia spirituale fundamentum metaphoricum est; & in hoc ipso genere fundamenti Petrus secundarium est fundamentum, sed in secundariis primum; cum enim sint duodecim fundamenta duodecim Apostoli, primum est Petrus. Sibrandus impium putat Ecclesiam ædificari super Petrum, nam ædificare eam super Christum, est Christo per fidem inseri, at impium est dicere, eam Petro per fidem inseri: at fallitur & fallit Sibrandus. Non enim Christo per fidem tantum insita est Ecclesia, sed ab eo regitur & sustentatur. alio autem modo à Christo, alio à Petro: alio modo nos Christus, alio Paulus saluos facit. Nihil magis Philosophiæ aut Theologiæ aduersum, quam cùm eadem Deo & creaturis tribuuntur, censere eodem modo dici. Deus omnia regit, alit, Dominus, Pater, Iudex est. Patentes etiam & Principes regunt, alunt, Domini, Patres, Iudices sunt, sed longè alio modo. Sic Deus Ecclesiæ fundamentum est, & alia fundamenta sustentat. Terra fundamentum est ædificiorum, Deus terram sustentat. Hæc go omnia friuola sunt, quando constat, nomina creatori, & creaturarum communia, multo aliter de creatore, aliter de creaturis dici. Quod nemo in Categoriarum serie versatus ignorare solet.

§. 5. Insurgit Musculus, non posse ab vno totam Ecclesiam regi, id ex Schmalcaldico libello Lutheri de potestate Papæ sumpsit. Idem sensit Beza in Confess. c. 5. artic. 3.

Vnus Ecclesiam regere potest.

Respondeo. Posse omninò; constitutis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, vt vnius sit cura generalis, cæteri in parte sibi commissâ administrent, non vt Vicarii Pontificis, sed vt veri Episcopi. Quod si de singulari & immediata omnium cura agatur, ne vnum quidem Episcopatum vnus admin strare posset. Paulus certè 1. Corinth. 11. curam totius orbis Ecclesiarum gessit. Id vero in Monarchiâ etiam facilius est quam aristocratiâ, imo in plurium gubernatione vix est possibile. quomodo ex omni orbe conuenient pari omnes potestate præditi, vt res desinant? quin apparuit Romanum Imperium cum esset amplissimum rectius ab vno, quam pluribus administratum.

§. 6. Caluinus in Harmoniâ impetu fertur, sed extrationes, & verum. *Porro ne longior sim, quum illud Basilii inter nos pro certo & confesso habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam, quam in Christo solo, non sine sacrilega blasphemia aliud fundamentum Papa commentus est. Et certe quantopere vel vno hoc nomine tyrannidem Papæ detestari nos decet, nullis verbis exprimi satis potest, quod in eius gratiam sublatum fuerit Ecclesiæ fundamentum, vt apertum infernus gurget animas absorbeat.*

Simulatio & calumnia Caluini.

Respondeo. Tum vero hominem deprauatum esse improbissimum, cum iustitiæ & pietatis se causam agere simulat. Primo enim pro certo & confesso accipio: solum Christum esse Ecclesiæ fundamentum, seu lapidem angularem imum, cui tota structura nitatur. Deinde hoc fundamentum, æternum, immobile, omnipotens esse. Tertiò alia esse fundamenta secundaria, creata, ædificium sustinentia, quæ tamen & pars sunt ædificii, & primo fundamento innituntur.

Fundamenta multa.

Nam Apocalyp. 21. vers. 14. Duodecim ciuitatis Ierosolymorum fundamenta sunt & illis inscripta duodecim nomina Apostolorum. Quo loco fundamenta vocantur Apostoli, cum nomina eorum inscripta sint lapidibus preciosis. Nec mirari decet, si Apostolos fundamenta dicat Ioannes; cum Pignetius, quem citat in eo loco Augustinus Marloratus, dicat *Apostolos & omnes verbi Dei ministros illis fundamentis significari:* & causam reddit: *Sunt enim inquit in medio populi puritate doctrinæ, & vita integritate, diuinæ claritatis splendorem emittentes.*

Quin Marloratus per fundamenta cœtum piorum intelligit, vel etiam vt alii, promissiones & testimonia Dei. Certum igitur esse debet, manente primo, summo, immenso, increato immobili, æterno, immutabili, primo, inquam, fundamento Christo, alia quædam fundamenta infinitis modis minora in eodē esse ædificio. Nec sacrilegam esse blasphemiam eorū, qui id agnoscunt, qui Petrum, Linum, alios, fundamenta agnoscunt, non magis à Christo in alium transferre fundamentum, quam eos, qui in ministros Caluinianos conferunt. Cur igitur sacrilegum os, maledicit sanctis Patribus, qui fundamenta secundaria agnoscunt, & non aduertit se Ioannem accusare, imo in Spiritum sanctum blasphemum esse, qui duodecim fundamenta recenset? De loco ad Ephes. 2. vers. 20. dicam, cum eam Epistolam explicuero. Hoc tantummodo moneo, non esse Papam, aut Monarchas, qui Petrum fundamentum primi appellant sed sanctissimos martyres Cyprianum Ep. 40. *Deus vnus est, & Christus vnus & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata.* & Epistol. 71. *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam,* &c. Eadem de vnitate Ecclesiæ. Sic Marcellus 1. Epistol. Hilarius in Psalm. 131. *Petrum primum filij Dei confessorem appellat.* & capite decimo sexto in Matthæum. *O in nuncupatione nouti nominis felix, & Ecclesiæ fundamentum.* Ambrosius lib. vndecimo. de mirabilibus. Petra dicitur (Petrus scilicet:) *Eò quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam Saxum immobile, totius operis Christiani compagem, molemque contineat.* Et sermon. 68. Sic Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum. lib. 1. aduersus Pelag. capit. 4. Augustinus sermon. 5. de Petro & Paulo. *Dignum qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Athanasius Epist. ad Felicem, Concilium Nicenum primum, can. 39. Basilius ad cap. 2 Isai. & libr. 2. contra Eunonium; Cæteros omitto, hos paucos citaui, vt appareat, quales & quantos viros sacrilegæ blasphemiæ reos faciat.

Qui Petrū vocent fundamētum.

§. 7. Wittakerus alio etiam argumento vtitur. Causa efficiens non est fundamentum; quia externum aliquid est, fundamentum ædificio internum est. Petrus est causa efficiens ædificii, non igitur fundamentum.

Respondeo. In Metaphoricis & architectum & fundamentum idem esse. Deus mundum architectatus est, eius fundamentum est. Quod si cum Wittakero sentiendum est, Christus esse fundamentum non potest, nam ipse sibi Ecclesiam parauit, ille ædificauit. Par ratio est in capite; Christus est caput Ecclesiæ, & tamen architectus Ecclesiæ. Nec timendum tamen est, ne non possit esse caput, si sit architectus, aut non sit architectus, si sit caput. Hæc in controuersiam vocare est Sophisticen odiosam veritatis vexatricē exercere, & Theologiam pueris ridendam proponere. Quis enim si audiat Romulum esse Romani Imperii conditorem, non mox eodem modo argumentabitur: ergo caput Imperii non est, non rex igitur; sed regno suo exterus. Apage eiusce modi apinas: anilia sunt deliramenta.

Fundamentū & architectus idem.

§. 8. Fundamentum esse Petrum Musculus negat. Non potest esse, inquit, fundamentum, qui moritur;

nam ædificii æterni perpetuum fundamentum esse debet.

Respondeo. Apostolo eum contradicere, qui Ephes. 2. ædificatos nos ait super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, qui mortui sunt. Et Ioannes duodecim fundamenta agnoscit. alioqui nec Christus fundamentum esset, mortuus enim est; Multo minus ministri Calumianorum; moriuntur enim & illi. Moriuntur quidem Pontifices, sed fundamenta manent, dum Successor in potestatem mortui venit.

Fundamentum mori.

§. 9. Deinde obiicit: Si Petrus fundamentum, cur non Antiochenæ Ecclesiæ illa prærogatiua manet, Nam ibi etiam Episcopus fuit.

Respondeo. Petrum ipsum causam esse, qui iussu Domini Cathedram Antiochiâ Romam transtulit, & Romæ sibi Successorem constituit, audiendus hac in re Augustinus, Epistola 165. *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verius ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus; Lino, Clemens; Clementi, Anacletus; Anacleto, Euaristus; Euaristo, Alexander; Alexandro, Sixtus; Sixto, Thelesphorus; Thelesphoro, Hyginus; Hygino, Anicetus; Aniceto, Pius; Pio, Soter; Soteri, Eleutherius; Eleutherio, Victor; Victori, Zepherinus; Zepherino, Calixtus; Calixto, Vrbanus; Vrbano, Pontianus; Pontiano, Antherus; Anthero, Fabianus; Fabiano, Cornelius; Cornelio, Lucius; Lucio, Stephanus; Stephano, Xystus; Xysto, Dionysius; Dionysio, Felix; Felici, Eutychianus; Eutychiano, Haius; Haio, Marcellinus; Marcellino, Marcellus; Marcello, Eusebius; Eusebio, Miltiades; Miltiadi, Sylvester; Sylvestro, Marcus; Marco, Iulius; Iulio, Liberius; Liberio, Damasus; Damaso, Siricius; Siricio, Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur. Sed extranfuerso ex Aphrica ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Aphris in vrbe Româ Maximianensium vel Cuzupitarum vocabulum propagauit.*

Pontificum ordo.

Augustinus dubitauit de loci expositione, de Petri principatu nequaquam. Quæstionum veteris & noui Testamenti. quæstio. 75. *Dicunt ergo Exactores didrachma ad Petrum Apostolum. Magister vester non soluit didrachma, &c. Quo dicto, Magistrum, vt pro omnibus discipulis solueret, conuenerunt. Saluator autem cum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ Magisterij: ita & pro Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim instituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis dominici. Nam inter cætera dicit discipulis, vigilate, & orate ne intretis in tentationem.*

Petrus magister post Christum.

Et Petro dicit, *Ecce Satanas expostulauit, vt vos ventilet sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quid ambigitur? pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro pro omnibus rogasse dignoscitur: Semper enim in præposito populus aut corripitur, aut laudatur. Quia & alio loco dicit, *Ego pro his rogo, quos mihi dedisti Pater, & volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* Tractat. 56. primum dicit Apostolorum: de Baptismo. libro secundo, capite primo. primatum illi concedit.

§. 10. Denique aliam sententiam Augustini obtendunt Tractat. 50. in Ioan. Augustinus ita disputat. *Quomodo intelligendum est, me autem non semper habebitis? Nolite expauescere. Iudæ dictum est. Quare ergo non dixit habebis, sed habebitis? Quia non vnus Iudas. Vnus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, imo corpus Ecclesiæ, sed in bono. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus; Tibi dabo claues regni cœlorum: quæcunque solueris in terra, soluta erunt & in cœlis: & quæcunque ligaueris in terra, ligata erunt & in cœlo. Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia: Si autem & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur in cœlo ligentur: & quæ soluuntur in terra soluantur in cœlo: quia cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus: cum reconciliatur ab Ecclesiâ, in cœlo soluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesiâ fit. Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit. Si in Petri personâ significati sunt in Ecclesia boni, in Iudæ personâ significati sunt in Ecclesia mali: ipsis dictum est, Me autem non semper habebitis. Quid est enim non semper? Et quid est semper? Si bonus es, Si ad corpus pertines, quod significat Petrus: habes Christum & in præsenti, & in futuro. In præsenti per fidem, in præsenti per signum, in præsenti per baptismatis sacramentum, in præsenti per alterius cibum & potum,* &c.

Hic Augustinus aliud non docet, quam Petrum significasse corpus bonorũ, sicut Iudas malorum. In Petro dicit esse sacramentũ Ecclesiæ, non q̃ non verè acceperit Petrus potestatẽ clauium, sed quia & caput, & totam Ecclesiam proinde repræsentans accepit. Sicut Iudas aptè significat corpus malorum, vt non metaphoricè, sed vere proprieque Dominum prodiderit. Ita Petrus corpus bonorum, vt vere proprieque claues acceperit. Non est hoc Petro tantum dictum, vt priuato, sed Petro vt capiti, ideo omnibus Successoribus in Ecclesia futuris. In Ecclesia autem fieri dicit, & Ecclesiam dicit excommunicare, cum tamen id Antistes non populus faciat. Discite dixit Tractat. 124. in Ioan. *Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita erumnosa, cuius Ecclesiæ beatus Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figuratâ generalitate personam.* Tantum igitur abest, ex figuratâ generalitate, quæ in Petro erat, Augustinus primatum aut potestatem tollat, vt potius ex primatu generantatem figuratam probet. Ideo enim gerebat personam Ecclesiæ, quia caput erat. Quemadmodum Rex totius regni potestatem, dignitatemque repræsentat.

§. 11. Petrus fundamentum est, non solus, sed etiam alii Apostoli, sed ille fundamentum proximum Christo, claues ille accepit hoc loco, sed acceperunt postea Apostoli, sed minore potestate, vtpote quæ etiam Petro fuerint subiectæ. Claues Petro, vt principatum habituro dedit, non cæteris eodem modo. Imo cum illis ligandi & soluendi potestatem confert, clauium mentionem non habet. Apostoli fundamenta sunt Apocalyp. 21. Ephes. 2. Nam ipsi Ecclesias plurimas fundarunt, docuerunt, rexerunt, & eodem modo nunc quoque, sed modo inferiore Episcopi, Martyres, aliique, qui gentes conuerterunt, fundamenta dicuntur. non tamen Apostolis æquantur, vt nec cæteri Apostoli Petro. Nam cæteri legati fuerunt, & Pastores, Petrus autem, & omnium aliorum, & aliorum pastor ordinarius, quo interposito ipsi etiam fundamenta sunt.

§. 12. Sententiam communem fuisse, super Petram, quæ Petrus est Ecclesiam ædificatam esse, testatur August. *Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit.* Bell. l. 1. c. 10. de Pontifice citat Origenem, Athanasium, Basilium, Chrys. Tertull. Hilar. Hieron. Aug. Maximum, Leonem, Anacletum, Marcellum, Pium, Iuniura.

VERSVS 19.

Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis, & quodcunq;

cunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

QVÆSTIO I.

Quæ claues regni cælorum?

§.1. CLaues potestatis & imperii insigne esse nemo dubitat; cui igitur claues regni cœlorũ commissæ sunt, ille admittendi in cœlũ habet potestatem. Hoc loco potestatem promittit, postea Ioan. 21. 15. dedit. Sic Isa. 22. Eliacimo imperium promittitur his verbis: *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiat.* Sic Christ. Apoc. 3. *Habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Clauium sane traditio, œconomiæ & imperii est oblatio, aut eius cum vicaria potestate administratio: Soluere & ligare est effectus clauium.

Claues imperij signa.

Ligare quid.

§. 2. Chytreus ligare, esse ait excõmunicare & pronunciare iræ Dei obnoxiũ. Soluere, remissionem peccatorũ annunciare. Alii ligare, esse peccatorem coercere. Beza, Hoc fieri Euangelio, quod sit in salutem omni credenti, & odor mortis illis, qui pereunt. Insulse Caluinus l. 4. Instit. c. 11. 1. ad solum verbi ministerium hanc potestatem coarctat, cum tamen eodem libro c. 12. 1. ad excommunicandi vim extendat. Quod si docendo soluunt, non docendo ergo ligant, quod non modo Apostolis, sed omnibus etiã mulieribus conuenit. Paulus Corinthium ligauit, 1. Cor. 5. Non docendo, aut tacendo sed diabolo tradendo. Ex Matth. 23. & 18. ligare est præcipere, aut aliquid iurisdictionis exhibere, quiergo solutionem & ligationem sola doctrina definiunt, quod si verum est, nihil aliud Apostolis quam Pharisæis & Scribis concessum est, nam & illi docuerunt, multi etiam hodieque docent, qui tamen hac potestate carent. Discipuli septuaginta ad docendum publice missi sunt, nec tamen claues illis datæ, aut soluendi ligandique potestas qualis Apostolis.

Ad legendam pertinet.

§. 3. Ample complexus est omnia Christus, nõ enim tantummodo dixit: *Quæcunq; solueritis, sed quodcunq; soluueritis*, vt non modo ad homines & peccata referantur, sed leges etiã & interdicta: lex enim à magistratu Ecclesiastico non minus ligat & obligat, quam ciuilis. Ita Bellar. l. 4. de Pontifice c. 16. Sarauia libro de diuersis ministrorum gradibus hæresin illam licet Caluinianam refutat eumq; Britannia sequitur. Quæ hac in re vmbram veteris Ecclesiæ sequitur, quam Saraiia pag. 437. depingit. [Anglicana Ecclesia in 24. Episcopatus diuisa est, habetq; duos Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem. Qui vt Christi Domini ser-
Anglicana Ecclesia.
» ui, pastores & Episcopi sunt suarum Ecclesiarum, cum
» inspectione & cura vicinarum suæ prouinciæ dioce-
» seon. Quatenus autem regni ciues & subiecti sunt Re-
» ginæ, secundum leges huius regni, inter Pares & Pro-
» ceres numerantur. Quæ duo cum Domini præceptis
» non pugnare, vt idem homo vtramq; personam cum
» bona conscientia nequeat sustinere, alibi disputaui: il-
» lud nunc tanquam non esset controuersum adsumo.
» Sed prius de Episcoporum, & Archiepiscoporum An-
» glicanæ Ecclesiæ officio dicam: postea quem honoris
» gradũ in regno teneant paucis tangam. Episcopo præ-
» ter Pastoris & Doctoris in Ecclesia Christi munus, de
» quo non est controuersia, totius Ecclesiæ suæ diœce-
» seos gubernatio commissa est: ad ipsius functionem
» pertinet præcedente vitæ morumque examine, mini-
» stros Ecclesiæ ordinare, tam diaconos, quam presby-
» teros. Verum quia quibusdam ratio ordinationis pres-
» byterorum Anglicanæ Ecclesiæ improbatur, tanquã
» in ea suo iure priuetur Ecclesia; lectorem admonitum

cupio, nõ sine calumnia id dici: sed consensum Ecclesiæ in creatione omnium ministrorum Angliæ intercedere longe grauissimum. Nisi forte leue cuiquã videatur, quod lege sancitum est à regia maiestate, rogante vniuersa nobilitate cleroq; & populo: & non consensisse Ecclesiam dici possit in creatione ministrorum, quam lege lata probauit, & ratam habuit: hic ego iudicium & modestiam requiro: iudicium vt recte de latis legibus iudicent; modestiam ne suum priuatum iudicium temere præferant iudicio totius regni & Ecclesiæ. Nam hodie non tam in regnis & rebuspublicis Christiani orbis versantur Ecclesiæ, quam ipsa regna, & respublicæ sunt Ecclesiæ, visibiles (inquam) & externæ, in quibus boni cum malis, electi cum reprobis permixti sunt. Spectat præterea ad officium Episcopi, loca sacra, in quibus conueniunt Christiani ad publicas preces, & sacramentorum perceptionem similiter & cœmiteria sepulturæ fidelium consecrare, pueros catechisatos examinare, aut examinatis eo præsente, & ipsius iussu manus imponere, & eis bene precari, beneficia conferre, præsentatos vel nominatos instituere, & institutos inducendos, vel in possessionem mittendos mandare, beneficiorũ vacantium fructus sub tuto sequestre ad vsum proximi successoris colligendos & custodiendos mandare, congruam portionem vicario assignare, literas dimissorias vel testimoniales concedere, diœcesim suam per se, vel vicarium suum, tempore legibus constituto, & per archidiaconum etiam bis in anno visitare, & Ecclesiasticis censuris, quicquid tam ab Ecclesiarum ministris peccatur, quam à populo, pro delicti & personæ ratione corrigere: quia multa tolerantur in laicis, quæ non sunt dissimulanda in Ecclesiarum ministris. Speciatim tangere ea, quæ apud iudices Ecclesiasticos disceptantur mitto. Habent enim præter iudicia eorum, quibus violatur religio & vitæ Christianæ integritas, quædam ex huius regni consuetudine & legibus; quæ apud alias gentes, mere habentur ciuilia: cuiusmodi sunt dispositiones testamentorum, & bonorum ab intestato relictorum. Ad Archiepiscopum præter suæ diœceseos curam pertinet, prouinciæ suæ diœceses certis temporibus, legibus & consuetudine constitutis visitare. Item appellationes ab inferioribus iudicibus admittere: & si quid contra ius & leges Ecclesiasticas erratum sit, iudicium rescindere, aut emendare: sin bene est iudicatum, sententiam latam confirmare. consecrare electos episcopos, prouincialem synodum iuxta rescriptum regium conuocare, & Synodo præsidere, eamque moderari, & vltimum ferre suffragium. Et in his omnibus (vt ante pluries monui) nihil Episcopi, nec Archiepiscopi possunt contra leges, aut sine legibus: vt miter quosdam potestatem vndique alligatam legibus finitamque vocare tyrannidem, aut dominationem: nisi forte ipsæ leges displicent, & tyrannicæ cuiquam videantur, vt quæ aut iniquæ sint, aut verbo Dei repugnent: quod prius esset euincendum. Sed hoc tam difficile erit, quam facile gubernatio Episcopalis bonis alligata legibus tyrannis & dominatio dicitur. Ad Archiepiscopos & Episcopos spectat Ecclesiasticarum regularum custodia & cura, vt omnia decenter & ordine secundum verbum Dei & Ecclesiasticas regulas in Christi fiant Ecclesia, & censuris ecclesiasticis mali coerceantur, & in officio contineantur. Censuræ autem ecclesiasticæ hæ sunt: Monitio, interdictio à sacris. Suspensio vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à perceptione Sacramentorum, Excommunicatio, Anathema contra hæreticum pertinacem. Hæ censuræ communes sunt, tam contra presbyteros, quam laicos. Ministris vero Ecclesiarum peculiares censuræ sunt, suspensio ab officio simul & beneficio, depriuatio, depositio, quæ

Potestas Anglicanorum Episcoporum.

Censuræ Anglicanæ.

„ quæ duplex est, verbalis per sententiam, & realis per
„ degradationem. Et hæc quidem omnia fiunt secun-
„ dum leges Ecclesiasticas tam communes, quam mu-
„ nicipales, publice auditis partibus, & tota examinata
„ causa finitur negotium; non ex arbitrio vnius Episco-
„ pi aut Archiepiscopi, sed iuris & legum. Si quis grau-
„ari se sententia Episcopi putet, appellare ad Archie-
„ piscopum potest. Quod si etiam sententia Archiepi-
„ scopi iniqua videatur, ad delegatos regiæ maiestatis,
„ iudices in causis Ecclesiasticis concessum est prouoca-
„ re.] An hæc sunt eorum, qui potestatem Apostoli-
cam, ad solum docendi restringunt. Ecce quam mul-
ta illis permittit, imo imponit Adrianus Sarauia, ipse
rex & proceres regni; quæ alii negare solent. Quid
autem est, quod addi possit, nisi vt ad vitandum schi-
sma vno sint sub capite, quod etiam prouiderunt re-
ges, cum se caput visibile Ecclesiarum suarum consti-
tuerunt.

Interpretatio scripturæ ad claues pertinet.

§. 4. Claues non prædicandi tantum Euangelii, soluendi, ligandi, sed etiam scripturam interpretandi continent facultatem. Non enim potest Euangelium rite annunciari, si non est vlla nisi flexibilis, & quæ falli ac fallere potest auctoritas, qua præcones diuini verbi nitantur. Cum enim inter tot Iudæorum calumnias, gentium irrisus, hæreticorum errores, Petri veritas explicationis scripturarum tenenda sit, idque cœlo aperiendo maxime necessarium sit, tam salubri eum Christus potestate instruere debuit. Si enim clauis sententiæ caret, si eius sententia ambigua est, clauem regni cœlorum, non nisi ex parte accepit. Quid autem doctrina boni præsulis aliud continet, nisi scripturam, & genuinum eius, ac germanum illius sensum, qui propria interpretatione non colligitur, sed Spiritus sancti inspiratione. Nec in primæua illa duntaxat Ecclesia hoc necessarium fuit: sed multo magis post mortem Apostolorum, cum insurrexerunt lupi rapaces, & circa extrema tempora, cum abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Clarissime id nobis Augustinus, de vtilitate credendi. *Quoniam Christum ipsum quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi, quibus de illo crediderim, vt ad te iam tali fide præstructus accedam, nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ. Hos autem populos Ecclesiæ Catholicæ mysteria vsquequaque occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissime requiram, Quid Christus præceperit, quorum authoritate commotus, Christum aliquid vtile præcepisse credidi? Tunc mihi melius expositurus es, quid ille dixerit; quem fuisse aut esse non putarem, si abs te (solum) mihi hoc commendaretur credendum? Hoc ergo credidi. Vt dixi, famæ, celebritate, consensione, vetustate, roboratæ. Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est quin nihil dignum autoritate proferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? Illis (Catholicis) crede Christo (seu scripturæ) esse credendum & à nobis disce quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quicquam docere possent, multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo quicquam, nisi ab iis, per quos ei creditum fuisset, discendum, &c. Et infra rursum: cohibe tandem (ô Hæretice) pertinaciam, & nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem: & mone potius, vt huius multitudinis primates quæram, & quæram diligentissime ac laboriosissime. Vt ab his potius de his literis aliquid discam; qui si non essent, discendum omnino esse nescirem. Tu vero in latebras tuas redi, nec quicquam infidiare, sub nomine veritatis quam conaris eis adimere, quibus autoritatem ipse concedis.* Ita Augustinus contra Manichæos, nos contra Lutheranos.

Inter tam varia documenta à cœlo auocantia, inter tot errores, & laceratum omni improbitate non modo scripturæ sensum, sed etiam textum, opus est auctoritate, quæ tanquam diuina clauis veritatis ostium pandat. Hæc Petro promissa est & data, cum peculiaris illi gregis vniuersi cura commissa est. Hæc data est in suo principe toti Ecclesiæ, vt ab ipso videat sensus scripturarum aperiri & Pseudoprophetas fugiat. Puerilia porro sunt, quæ Wittakerus, Hunnius, Sibrandus in contrarium obiiciunt, & à nostro Iacobo Gretsero doctissime refutata in defensione, l. 3. c. 6. Bellarmin. de verbo Dei. Et in appendice ad 3. lib. Bell. contra Rullum, qui imperitissime negabat, ius, auctoritatem que, controuersias decidendi, scripturasque interpretandi clauem esse. Manet certe argumentum ferreum & adamantinum Iacobi Gretseri in Colloquio Ratisbonensi propositum: *Omnis iudex ita debet dicere sententiam, vt altera pars euidenter sciat, se causam obtinuisse, quantum est ex parte huius iudicis, altera, secundisse causa, siue iuste, siue iniuste.* Sed sacra scriptura, & Spiritus sanctus loquens per hanc scripturam, illud non potest ex sua parte. Ergo non est iudex: Et illud est ferreum argumentum & adamantinum, quod non soluetur in æternum. Nec responsio Hunniana, quicquam ad rem facit. Spiritum sanctum ita obsignare animum alterius partis, vt viciisse se credat, alteram in extremo die iudicii cognituram. Hoc enim non est controuersiis finem imponere sed fouere, debet enim reus, qui causa cadit, agnoscere se cecidisse, si vni parti non iudicat, nisi in die iudicii, non igitur scit ante illum diem, nec scire potest; quia iudex tacet, & causam suam integram esse putat, donec sententiam audiat, quod non fit nisi extremo die. Quanta esset Reipublicæ perturbatio, si in causa ciuili iudex Victrici parti sententiam declararet, qua, illa se causam obtinuisse euidenter sciret, Victæ nihil indicaret, sed differret ad extremum diem iudicii? Quomodo victa victrici crederet, si illa diceret se obsignatam in corde de victoria sua, alteram partem in extremo iudicii die sensuram? Itaque ad priuatum Spiritum nos reuocat, & cum authoritate Ecclesiæ scripturam interpretantis tollunt, ipsam scripturam eneruant. Cur enim scripturam hoc iudicare existimas? Quia, inquiunt, Spiritus sanctus obsignauit me de certitudine in corde meo. Vnde scis corpus Christi esse omnipræsens, humanitatem eius omnipotentem. Quia hunc sensum esse scripturæ Spiritus sanctus obsignauit in corde meo, ad Spiritum igitur priuatum omnia reuocantur & ille est iudex, seu idolum vniuscuiusque.

§. 5. Caluinus solutionem sola peccatorum remissione definit. Respondeo. Soluere & ligare, habere claues, amplius est, quam remittere, vel retinere peccata, nam est etiam imperare, excommunicare, Sacramenta conferre, vt iam ante ostendi. Quod de verbo reconciliationis habet, suo loco exponetur, non enim sola concio reconciliat, sed fides, spes, pœnitentia charitas, quæ ex concione gratia adiutrice consequuntur.

Quid vero collatum est Apostolis, si retinere peccata, est declarare eos, qui sunt obstinati, æternis pœnis mancipandos. Hoc scriptura, hoc mulier, hoc quilibet fidelis facit. Fide enim credendum est, omnes obstinatos in peccato perituros, si vero tantum soluta denunciant, iam ergo ante in cœlo soluta erant, non ergo in cœlo soluitur quod ille soluit in terris, sed è contrario, quod in cœlo solutum erat, illi declarant solutum in terris, inuertunt igitur sententiam Christi dicentis, *Quod solueris super terram, erit solutum & in cœlo.* Hunc errorem etiam detestantur Caluiniani, in Anglia plerique, qui Puritani non sunt. Queritur magnopere Adrianus Sarauia lib. de Variis Ministrorum Euangelii gradibus, primatum tolli, & veterem ordinem seruandæ disciplinæ necessarium. Et homines sui seculi ita comparatos, vt totum Ecclesiæ ministerium

ad nu-

ad nudam Euangelii prædicationem redactum cupiant. in præfat. Videatur & c. 4. vbi de diuersa potestate Apostolorum, & 70. discipulorum rem multis exponit.

QVÆSTIO II.

Cui Claues datæ sunt?

§. 1. Petrus data claues. A Deo ex natura sermonis clara sententia est, vt ante nostri temporis hæreses nemo dubitarit. Christus enim caute, circumspecte, & quasi legũ formulis, rem ita pronunciauit, vt nulla apparere posset occasio dubitationis. *Tu es*, inquit, *Petrus, tu es filius Iona, tu beatus es, tibi nõ caro & sanguis reuelauit.* Tibi Petro, filio Ionæ, beato, à patre reuelationem habenti, tibi, inquam, dabo claues regni cœlorũ. Petro igitur si non dedit, sed alteri, quid sincere. Vere, literaliter, in scriptura nobis exponitur? An Petrus hæc audiens sciebat sibi non dandum, quod daturum dicebat Christus? Et vnde hoc sciebat? an sermonem parabolicum esse putabat, an non cum dixit: *Vade post me Satana, dictum Petro increpanti, & beatus es, non dictum est Petro confitenti?* Quorsum tandem illa verba. Et ego dico tibi? Nonne Petro illa dicta sunt?

§. 2. Acceperunt quidem & alii claues, sed non eo modo quo Petrus. Æquales erant qua Apostoli, sed Petrus caput, vt schismatis tolleretur occasio. atq; hoc est quod ait Hilarius, Petrum confessione sua locum supereminentiorem meruisse. Non modo illa est Catholicorum, sed etiam aduersariorum multorum sententia. Adrianus Sarauia, *Petrum præfuisse Apostolis dum Ierosolymis manserunt.* Pag. 85. [Quod ad Apostolos attinet qui simul aliquamdiu Ierosolymis vixerunt, certũ est à Domino non fuisse creatos vt simul eodem loci, siue regionis vnius, siue vrbis manerent: quam ob rem collegio aliquẽ præfici nihil necesse fuit. Tamen quamdiu simul vixerunt Ierosolymis, vnumquemplam tunc præfuisse collegio duodecim Apostolorũ, non est absurdum: quod dum obstinatius negatur, nihil bona causa contra Romanum Episcopum iuuatur. Quis vnquam conuentũ vidit aut cœtum conuenisse, in quo non aliquis præsederit, qui quæ agenda essent proponeret, & sententias rogaret, atque suffragia colligeret? Quod etiam si Petro delatum fuisse à collegio Apostolico, cum priscis Patribus dicamus, nil ea re cuiquam Romani Episcopi datur, vnde suam tyrannidem stabiliat: fuit enim hoc in Petro temporarium, & dispersis Apostolis finitum.] Petro non potuit Apostolis.

§. 3. Contra illa tam clara, tamen calumnia inuenit obiectionem. *Ecclesiæ inquiunt illa data sunt, cuius personam gerebat Petrus, Petro data non sunt*, Caluin. l. 4. Instit. c. 6. §. 5. Lutherus de potestate Papæ. Vide Danæum, Wittak. Sutlinium Iunium. Ecclesiæ sine dubio data sunt, quia illi, qui Vicarius Christi futurus erat, promissa & data sunt, qui ipse Ecclesiã repræsentabat, tanquam Vicariũ, & aspectabile, post Christi assumptionem, caput. Ecclesiæ commodis, & saluti totum hoc, quod promisit Dominus, datum est: sed datum est in Petro, & per Petrum, sic cum Apostolis dictum est: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remissa sunt, & quorum retinueritis retenta sunt.* Data est illa potestas Ecclesiæ, sed data est tamen Apostolis, cur non ergo Petro datum est, quod hic promittitur? Quamuis autem Petrum Ecclesiæ typum gessisse concedamus, non tamen ideo ille non accepit, quod daturum se Christus appromisit. *Tibi dabo*, inquit, *Dominus, non dicit Ecclesiæ dabo, vt illa tibi det.* Nam postea ipse Petro ipsi dedit, non dedit Ecclesiæ, vt Petro ipsa porrigeret. *Pasce oues meas*, inquit, *pasce agnos meos.* Et cum Apostolis dixit. Accipite Spiritum sanctum, &c. nõ dedit Ecclesiæ seu ouibus, vt pastores ipsæ instituerent ac potestatem donarent, sed ipsis Apostolis. Imo si totius Ecclesiæ personã sustinuit, & sic accepit, ipse certe primario accepit, non enim legatus ab Ecclesia constitutus erat, vt cum nuncius mittitur, vt nomine Domini feudum accipiat, nec enim illi dicitur: Tibi dabo feudum, sed Domino tuo. Caluinus sui erroris parum est memor: in Harmonia enim docet, iam agere de publico munere Christum, hoc est de Apostolatu. Petro ergo claues datæ sunt: nam illi datus Apostolatus, vt eo munere & dignitate fungeretur, & sese, ac gratiam collatam Ecclesiæ impenderet. Nam Apostolatus non est datus proprie Ecclesiæ, cum Apostolus, hoc est legatus sit ad Ecclesiam Petrus, sed dicitur datus Ecclesiæ per Petrum, quia illius vtilitati seruit. Contra veritatem tamen obstrepunt. *Posi hanc promissionem Apostoli adhuc dubitant, quis eorum videretur esse maior. at si hoc loco Petrum principem constituit, ambitiosæ contentionis causa sublata erat, sed neque Christus illis respondet; Petrum esse principem, sed humilitatis admonet.* De lite illa Matth. 18. Marci 9. Luc. 9. & 22.

Respondeo. Apostolos nõ ignorasse aliquem fore maiorem cæteris, nec hoc in quæstionem venisse. Sed quis ad hoc fastigiũ euehendus esset, nec Christus hoc repudiat, sed qualem esse velit maiorem, describit. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & præcessor, sicut ministrator.* Cur autem de Petro non intellexerunt? Respondeo, Ipsos vtrumq; intellexisse, Petro dari principatũ, & idcirco disputasse, ex ea enim suspicione contentio nata videtur. Interim dum Petrus Satanas appellatur, dum in Ioannem propensior animus ostẽditur, dubitare cœperunt, nec forte verba Christi, vt rudes erant, satis expenderunt. Et profecto plurima quæ clare & diserte dicebantur, non attenderunt, non intellexerunt. Si ex dubio discipulorum de verbis Christi facienda est coniectura, negandum etiam fuerit Dominum de sua eos passione præmonuisse. *Ipsi enim nihil horum intellexerunt.*

§. 4. Obiiciunt tamen Petro. Si claues Petro datæ sunt, quo illo mortuo peruenerunt? si perierunt, nemo iã soluitur: si in ecclesia manserunt, Ecclesiæ igitur datæ sunt, & illa successori donat. Vnde enim ille habet?

Respondeo. Facilẽ esse dissolutionem nodi vulgaris. Petro moriente illius potestatẽ, quæ illi singularis erat, interire, electo successori rursus eam à Christo cõferri, non noua lege, sed veteri instituto. Vicarii morte eius potestas desinit, alteri eadẽ à rege confertur. Hinc Danæi, Pouelli, Wittak. Sutlinii, Iunii scurrilia, & futilia facile redarguuntur. Danæus suspicatur claues mortuo Petro ad Christum reuolare. Wittak. Christũ Petro claues dare, Petrum Christo, Papæ Christum. Christo Papã succedere. Quis Christum vidit claues tradere? Nos vno verbo Histrionibus istis respondemus, claues esse semper penes Christum, vt patrem familias, penes Pontificem, vt Oeconomum supremũ; eo electo ex instituto à Christo conferri illi claues, hoc est, potestatem ex prima promissione, nec Petro Christus per Angelos misit claues, sed verbo suo dedit: q si omnes habent claues in Ecclesia, & vno ministro mortuo alius substituitur, apud quos residebunt claues? an in toto cœtu? at plures sunt fœminæ. immo nõ credentes, qui non sunt in eorum Ecclesia, vt dicunt. Quando autem claues accipiunt singuli? quomodo prædicanti conferunt? Non esse in Ecclesia, sed penes Episcopos, docet Adrianus Sarauia. Nam docet ille ab Episcopis ordinatos Presbyteros, & oblatos posse reiici ab Episcopis. *Patres omnes fuisse Sutlinius probat. Christus misit discipulos, sicut ipse missus est à Patre. Ioan. 20. at ipse missus est cum amplissima potestate, eos igitur eadem potestate misit.* Claues nouus Pontifex à Christo accipit.

Respondeo. Iam nimio paritatis studio illum, quod hæreticis necesse est, in blasphemiam reuolui. Si eo-

Apostoli Christo impares.

Si eodem modo, hoc est pari potestate, Christo ergo pares Apostoli: Ecce ne Petro sit primatus, Imperium Christo adimit. Christus summam habuit potestatem & dominium, Petrus summam, sed ministerialem, summæ illius seruam, sed inter hominum potestates summam. Nam vt recte Chrysostomus ait, his verbis: *Petrus constitutus est Pastor, & caput Ecclesiæ.* Et Eusebius l. 2. hist. c. 4. Petrum appellat κάρτερον καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν λοιπῶν ἀπάντων προήγορον, καὶ ἡγούμενον & θεῖ στρατηγόν. *Fortem & magnum Apostolorum principem, & generosum Dei Ducem.* Ducem, aduocatum, os Apostolorum vocare solent. Nazianzenus ordine primum fuisse ait. Et Cyrillus, vocat principem excellentissimum Apostolorum, Cyrillus Alexandrinus, caput.

§. 5. Ridiculum porro cauillum est eiusdem Lutheri ex Rom. 4. Abrahamo credenti fides reputata est ad iustitiam, ita & omnibus credentibus reputatur ad iustitiam. Ita etiam Petro confitenti promissæ sunt, omnibus ergo credentibus datæ sunt claues.

Respondeo. Quis enim nõ putet hominem illum Bachanalia agere? similis formæ est argumentum. Abrahæ obedienti promissum est semen benedictũ terra sancta, ergo omnibus Christianis. Si omnibus confitentibus datæ sunt claues, omnes soluunt & ligant, etiã mulieres, vbi remanet tandem ministerium? Errat autẽ imperitia, qua fit, vt non distinguat inter effectus proximos & remotos, necessarios & contingentes. Fidem veram & viuam ex Dei ordinatione semper iustitia sequitur, sic Abraham, sic omnes sunt iustificati. ob eandem fidem Abrahamo promissa est posteritas, terra Palæstina, reges ex illius posteris, hoc non est ex natura fidei, sed speciali decreto Dei. Sic etiam fides & confessio Christianorum iustitiam parit, non autem potestatem in Ecclesia, non claues, non soluendi aut ligandi facultatem.

Non omnibus credentibus datæ claues.

Semper opus est in Ecclesia potestate soluendi.

§. 6. Quod Petro datũ est, ad Successores pertinet, semper enim homines semper peccatores futuri erant, qui vel pœnitentes soluendi, vel contumaces ligandi erant. Rid culũ plane foret, ad solã paucorum annorum Ecclesiã illa beneficia restringere. Nam posteris eadẽ sunt necessaria, quæ primis, vt ante exposui. Philippus non abhorruit à restituenda Episcoporũ potestate, quocirca zelotas exacerbauit, ita ad Lutherum de Sacrano magnopere queritur, neutiquam amenter ea de re secum expostulasse. & in historia Confess. Augustanæ, p. 303. Bucerus de vi & vsu ministerii. [Tertia disciplina clericalis pars est subiectio peculiaris, qua clerici gradus & ministerii inferioris se subiiciunt illis qui sunt in ordine, & ministerio superiores. Hanc disciplinæ partem docuit Dominus nos, & exemplo suo, qui discipulos suos futuros doctores electorum Dei, per vniuersum orbẽ, peculiari ad hoc mutuus magisterio & quadã domestica disciplina instituit, quem imitati Apostoli suos quoq; discipulos vnusquisq; habuit, quos ad sacrũ ministerium, rite obeundũ formaret. Omnis enim difficilior vitæ functio peculiarem quoq; ac perpetuã requirit doctrinã, institutionem ac custodiam: Vti videre est in Philosophiæ studiis, & institutione militari. Quod perpendens Lycurgus Rempub. Lacedæmoniorũ sic instituit (vti Xenophon refert) ne vllus in Repub. ordo sine suo proprio esset magisterio. Item & Plato in suis legibus, & Repub. requirit, ne quid omnino sit in ciuibus ἀφρόντιστον. Hinc & Dominus noster, cũ vult suos sic committi inuicem, & cohærere vt membra, in corpore commissa sunt & cohærent: subiicit sane vnumquemq; suorum aliis, à quibus tanquã à membris, amplioris ac latius patentis virtutis & efficaciæ, custodiatur, moueatur, & regatur. Idẽ præcepit Sp. sanctus, subiicimini inuicem in timore Dei, Eph. 5. Ista itaq; considerantes sancti olim patres, cũ Cleri ordinem descripserunt, vt cæteri omnes clerici à Presbytero singulari cura custoditentur & gubernarentur. Inter Presbyteros vere Episcopus, vt Consul inter Senatores Reipub. ita hic primam cũ totius Ecclesiæ, tũ singulariter ordinis clericalis vniuersi curã gereret, atq; custodiam. Episcopos vero ordinauerunt singulis frequentioribus Ecclesiis, atq; cuique talium Ecclesiarũ viciniores, quæ in minoribus essent oppidulis vel pagis Ecclesias commendauerunt, eoq; voluerunt Presbyteros atq; curatores, istarũ Ecclesiarũ, quos vocauerunt Chorepiscopos, quosq; vicinioribus sibi Episcopo & Presbyterio auscultare: quos Episcopi illi primores, subinde cũ omni clero suo cõuocabant, & in scientia atq; diligentia muneris sui instaurabant. Cũ vero velit Dominus. Vt sui homines se mutuo cõplectantur, & curã sui inuicem gerant, quam longe lateq; possunt (sunt enim Christiani omnes vnũ corpus) cõstituerunt sancti Patres, vt Episcopi cuiusq; prouinciæ (in prouincias enim iam omnes Romanis subiectæ ditiones erant distributæ) conuenirent vna cũ presbyteris, quoties quidẽ id Ecclesiarũ vsus deposceret: certo tamen bis in anno, deq; Christi doctrina atq; disciplina, vt illa in quibusque Ecclesiis administraretur & vigeret inquirerent: ac vbi peccatũ esse deprehendissent, id corrigerent: quæ cognouissent recte habere cõfirmarent & proueherent. Vt hæ vero Synodi recte & ordine administrarentur, voluerunt illis præsse, & conuocandis & moderandis Metropolitas. Episcopos cuiusq; Metropolis: sic enim vocabatur præcipua in vna quaqua prouincia, ciuitas, vbi supremi præsidis prætoriũ erat. Ac proinde his Metropolitanis Episcopis iniunxerant curam quandam & solicitudinem omnium Ecclesiarũ per suã prouinciam: Vt si quid minus recte, vel à ministris Ecclesiarũ vel à plebibus institutum factumue intellexissent, monerent de eo in tempore: siq; id suis admonitionibus non possent emendare, vt ad corrigendũ illud, Episcoporum cõuocarent Synodum: nonnihil iudicii in illis concessum erat, quod sua propria authoritate exercerent in Ecclesiis, quæ ipsæ duos haberent Episcopos. Omne enim & in plebem & cleru iudicium erat penes cuiusq; Ecclesiæ Episcopum & presbyterum: Episcopos autẽ iudicabat Synodus. Eoq; cũ Ecclesiis essent ordinandi Episcopi, constitutũ erat, vt ad eandem Ecclesiã conuenirent cum cunctis (si id fieri Ecclesiarũ commodo posset) sin cum aliquibus, non minus tamen duobus aut tribus prouinciæ suæ Episcopis; qui electionem Episcopi (si facienda adhuc esset) gubernarent factumq; examinarent, & in electũ inquirerent quam seuerissime, v. tamq; omnem eius & facultatem ad Episcopale munus explorarent: ac tum demum ad Episcopalem functionem initiarent. Quæ omnia eo erant instituta, & valebat, vt esset inter Ecclesias, & earum ministros, quanta omnino posset esse, notitia, curaq; mutua: & ad arcenda atq; depellẽda cuncta doctrinæ morumq; offendicula, & ad fidei atq; vitæ Christo Domino dignæ ædificationem sustentandã, prouehendam, atq; efficiendã efficatiorem, adeo vt si aliqui, ab officio cessarent suo, cæteri Episcopi succurrerent, etiam vsq; ad obstinatorũ abstentionem ac etiam à munere Episcopali deiectionem. Considerentur quæ diuus Cypr. ad Stephanum Romanum Pontificem de Martiano Episcopo Arelatensi, qui in sectam Nouatiani transierat, lib. 3. Epist. 13. tum illa quæ scripsit in Epist. 3. lib. 4. de distributa cuiq; Episcoporum certa gregis portione & quæ præfatus est, & in Cõcilio Carthaginensi scripsit ad Quirinum. Porro vbi orbis Ecclesiis referrus fuit, ac ipsi quoque Metropolitani sua singulari cura, opus haberent: nec enim prout cœperunt esse plurimi ita omnes pro suo loco, satis vel sapiebant, vel vigilabant (pauci enim semper & in omnibus hominũ ordinibus

præ-

bhæstantes) Episcopis quibusdã primarum Ecclesiarũ aliquot prouinciarũ cura demandata est. Vt Romano, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, deinde & Cæsariensi Cappadociæ, & aliis quibusdã, prout fidelium Christi, Ecclesiis multiplicatis necessitas videbatur requirere. His tamen primatibus Episcopis (quos postea vocauerunt Patriarchas) nihil omnino iuris erat, in illos Episcopos alios, vel Ecclesias, vltra quam dixi cuique fuisse Metropolitæ, in Ecclesias atq; Episcopos suæ prouinciæ. Quisque suæ portioni Ecclesiarũ debebat singularem curam & solicitudinem: monere quoq; Episcopos in tempore, si quid peccaret aliquis, aut in suo munere cessaret: & si nihil proficeret monendo, Concilii adhibere auctoritatem. Inter hos primus locus delatus est Romano, cum propter diui Petri reuerentiam, tum propter vrbis maiestatem, quam rationem secuti postea Patres, secundum tribuerunt Constantinopolitano, vt alteri Romæ, sedisque imperii Episcopo; cum Antiochenus ante secundum locũ inter hos Patriarchas obtinuisset.] Et Caluinus de necessitate Reformat. Eccles. Sic Herbrandus locis Theologicis, Philippus Hailbronner in Epist. ad Timoth. & Titum. Hunnius in Epist. ad Titum. Chytreus in historia Confess. Augustanæ. Consentanea sunt hæc vetustis Ecclesiæ institutis. Vt est apud Eusebium, hist. Eccles. l. 3. c. 4. nisi quod Romanæ Ecclesiæ primatus à principio fuit. *Quod vero Paulus gentibus verbum Dei prædicarit, quodq; Ecclesiarum fundamenta ab Hierusalem & eius finibus vndiq; ad Illyricum vsque fecerit, non solum ex suis ipsius vocibus, sed etiam ex libro Lucæ, qui Acta Apostolorum inscribitur, satis perspicuum est. Porro quibus in prouinciis Petrus Christi Euangelium, his qui erant ex circumcisione adnunciarit, nouumque testamenti sermonem tradiderit, ex sui ipsius verbis, petitis ex epistola illa, quam illius vere esse omniumque approbatione consummatum fuisse diximus, quam denique hebræorum stirpe oriundus, qui dispersi & vage Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bythiniam incoluerunt scripsit satis euidenter & aperte constat, &c. Ibidem. Quot vero & quinam viri & ingenui horum Apostolorum imitatores facti satis habiles, & idonei ad Ecclesias, quas isti fundauerant, pascendas, regendasque æstimati fuerint dictum certe non est procliue, solis illis exceptis, quos aliquis fortasse ex Pauli scriptis obiter possit colligere. Eorum accedit Lucas, qui discipulos Pauli, dum in actis eos enumerare contendit, nominatim percensit. Ex quorum numero fuit Timotheus, qui Ecclesiæ, quæ est Ephesi, primus episcopatum obtinuisse traditur. Titus itidem qui ecclesiis quæ sunt in Creta præfuit, &c. Ibidem. Ex cæteris Pauli comitibus & discipulis vnum fuisse Crescentem, quem in Galatiam profectum Paulus ipse testatur, alterum Linum, quem in secunda ad Timotheum Epistola, simul cum illo Romæ versatum memorat; quemque primum post Petrum in Romana Ecclesia Episcoporum sorte dilectum supra demonstrauimus: alterum Clementem qui Romanæ Ecclesiæ tertius constituebatur Episcopus, quem Paulus cooperatorem suum & concertatorem in Domino fuisse, testimonio confirmat. Adde his Areopagitam illum, Dionysium nomine, quem in Actis Apostolorum post Pauli concionem in Areopago apud Athenienses habitam, ad fidem conuersum fuisse Lucas in Actis Apostolorum scribit, quemque primum Ecclesiæ Atheniensis Episcopum designatum, alius quidam Dionysius Ecclesiæ Corinthiorum pastor sane perantiquus narrat.*

Idem Eusebius lib. eodem, cap. 31. *Et præter istos alios complures erant eadem ætate percelebres: qui quidem & Apostolis proxime successerunt & tanquam discipuli tantorum & tam insignium virorum eximia & diuina virtute decorati Ecclesiarum fundamentis ab Apostolis vbique locorum præclare tactis structuram concinnam illam quidem adiunxerunt: qui & plenius cumulatiusque amplificarunt prædicationem verbi diuini & salutaria regni cœlorum semina, fuse, lateque per vniuersum orbem disseminarunt: Etenim plerique omnes discipuli, qui eo tempore vixerunt ardentiore sapientiæ cœlestis studio, amoreque incensi, & præ quodam diuini verbi desiderio animis perculsi, præceptum seruatoris antea traditum exquisite executi sunt: & his qui indigebant facultates suas libenter impertierunt. Deinde à domiciliis suis peregre profecti, munus obierunt Euangelistarum, atque iis qui ne adhuc quidem omnino verbum fidei audiuissent, Christum prædicare & scripturas sanctorum Euangeliorum tradere omni cura & cogitatione studuerunt. Qui cum in locis quibusdam peregrinis fidei duntaxat iecissent fundamenta, pastoresque alios constituissent, illisque curam eorum qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Christi sedulo excolendorum commisissent, ipsi ad alias regiones, gentesque cum gratia & virtute diuina se contulerunt. Quippe virtutes permultæ admirabiles, & miracula sacrosancti Spiritus ope per eos ad id vsque tempora gerebantur: ita vt frequens hominum multitudo, ipsa prima prædicationis auditione persuasa, propenso studio pietatem, & cultum qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis exciperet, amplecteretur que.*

Porro datus Petro peculiariter omnis ordo veteris Ecclesiæ ostendit, cap. 7. Niceni Concilii. τὰ ἀρχαῖα ἤθη κρατείτω, τὰ ἐν αἰγύπτῳ καὶ λιβύῃ, καὶ πενταπόλει, ὥστε τὸν ἀλεξανδρείας, ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ῥωμαίῳ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθες ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις. τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ὅτι εἴτις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γίνοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον, ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον, id est, *Antiqua consuetudo valeat, quæ in Ægypto, Libya & Pentapoli fuit. Vt Alexandrinus Episcopus super hæc omnia potestatem habeat: quoniam & Romano Episcopo hæc ipsa consuetudo est. Similiter autem & apud Antiochiam & in cæteris prouinciis primatus Ecclesiis conseruetur. Illud autem omnino constat, quod si quis sine consensu Metropolitani fiat Episcopus, hunc magnum Concilium definit Episcopum esse non oportere.*

Canones Apost. τὸν ἐπίσκοπον ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἀνώτερον αὐτῶν, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν καὶ μηδὲν τι περᾶτέον αὐτὸν ἄνευ γνώμης, ἐκεῖνα ἃ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνον ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιεῖτο τι, ἕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται καὶ δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι. *Episcopos singularum gentium scire oportet, quis inter eos primus sit, qui habeatur veluti caput, præter cuius sententiam nihil quod maioris momenti sit agant, sed illa tantum quis agat, quæ ad ipsius paræciam & ad villas quæ ei subsunt pertinent, sed nec ille præter omnium conscientiam quicquam faciat: sic enim vnanimitas erit, & Deus glorificabitur per Dominum in Spiritu sancto.*

Et Concilium Antiochenum. τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πάντοθεν συντρέχειν πάντας τοὺς πράγματα ἔχοντας, ὅθεν ἔδοξε, καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν πλέον τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ἐπ' αὐτὴν χώραις. ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας διοικεῖν τε, κατὰ πλῆθος ἐκάστου ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καὶ τὰ κατὰ μέρος ἕκαστα διακρίνειν. περαιτέρω μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν δίχα τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου: μηδὲ αὖ τὸν ἄνδρα τῶν λοιπῶν γνώμης. Episcopi qui sunt in singulis prouinciis scire debent, eum qui Episcopus in Metropoli præest, curam etiam totius prouinciæ gerere, propterea quod in Metro-

Metropolim vndique concurrunt, qui habent negotia. quare visum est vt ipse honore reliquis antecellat, & alii Episcopi nihil quod maioris sit momenti sine ipso gerant, secundum vetus decretum patrum nostrorum: sed ea sola, quæ ad cuiusque parœciam ipsique subiectas regiones pertinent. Vnusquisque enim Episcopus habeto potestatem suæ parœciæ, eamque pro sua quisque pietate administrato, & curam habeat totius regionis quæ sua vrbi subiecta est, vt presbyteros creet, & diaconos, & cum iudicio omnia disponat. Præterea nihil agere tentet sine Metropolis Episcopo, neque ille ipse sine reliquorum sententia.

§. 6. Vtilissime lector inspiciet, cap. 18. Adriani Sarauiæ, quo probat non minus conseruandis & confirmandis Ecclesiis opus esse autoritate Apostolica, quam nouis plantandis. Quos enim Apostoli constituerunt successores, hæredes etiam fuerunt auctoritatis. Essentiam autem constituit Apostolatus in forma gubernationis & auctoritate, cum verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum administratione. Claues ait in vnius Petri persona, vel etiam omnium reliquorum Apostolorum datas Ecclesiæ, proinde donum non fuisse temporarium, sed perpetuum, & ad posteros transmittendum. Deinde iterum repetit: Per potestatem hanc clauium Apostolatus totam intelligo essentiam, quæ tria continet: Nempe verbi Dei doctrinam, Sacramentorum administrationem, & Ecclesiasticum regimen, hoc est, potestatem constituendi ea, quæ ad Ecclesiæ ἐυταξίαν & ædificationem sunt necessaria. Hæc potestas multa continet: leges de ordine Ecclesiæ, ius excommunicandi, interdicendi templo, ordinandi idoneos, alios reiiciendi, cæremonias moderandi, mores censendi, accusationes contra presbyteros admittendi, viduas honorandi, presbyteros ordinandi, nullum enim ex omni historia exemplum dari, vbi presbyter sit ordinatus ab alio quam Episcopo. Vide pag. 423. Auctoritatem Episcoporum, probat ex Ignatio Epist. ad Antiochenam Ecclesiam, & ad Smyrnenses. Itaque si eius sententia, & Britanniæ res definiatur, antiquus ordo Episcoporum & iurisdictio reponetur.

Apostolatus officia.

Qvæstio II.

Quæ portæ inferi?

Portæ inferi.

§. 1. Portæ inferi omnis potestas diaboli; nam in illius iudicia. & 1. Corinth. 10. 4. ὀχυρώματα vocantur quasi vrbes munitæ & propugnacula: totum regnum Satanæ sic intelligitur apud Euryp. in Hecub. ἅιδου πύλαι sunt ipsi inferi, & æque odit ille apud Homerum ἀίδαο πύλησιν. sic manet hodieque locutio in Turcia, vt alta porta vocetur palatium, & comitatus, prævalebunt, κατισχύσουσιν αὐτῆς, alii superabunt, proprie de illis, quæ vi & prælio superant, vt deprimant & dominentur. Portarum nomine accipi potentiam, aut regnum in Gen. explicui, *possideat semen tuum portas inimicorum tuorum.* Quo quidem ex loco nostram Ecclesiam probamus, defecisse nunquam. sectarias autem aliquando non fuisse constat. Vnde constat vel ab Apostolis non fundatas, sed posterius aliunde doctrinam hausisse, vel à primæua puritate defecisse. Stetit Ecclesia contra portas inferorum, doctrinæ puritate, successionis ordine, omnibus conspicua. Ita Iren. lib. 3. c. 3. *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui verè velint audire & habemus annumerare alios, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, nec cognouerunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & Successores relinquebant suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habent ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Sic Theophylus Alexand. Epist. ad Ephes. Qui inter regna terrena & Ecclesiam discrimen constituit, quod illa oriuntur & occidunt, *Ecclesia integrum corpus conseruetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena præualeant,* Et Basilius in c. 8. Isaiæ. Chrysost. serm. de Pentecoste. Philo Carpath. in cantica. Theodoret. in Psalm. 49. Germanus Constantinop. ad Thomam Episc. Claudiopoleos. Martialis Epist. ad Burd. c. 11. *Sed firma Ecclesia Dei & Christi, nec cadere, nec dirumpi poterit, vnquam,* Cyprian. de vnitate Eccles. Ambros. lib. 4. Hexam. c. 1. obscurari posse. deficere non posse. Hier. ad c. 4. Isaiæ. Augustin. l. 15. contra Faustum, c. 3. & Is. 47. *Si ergo Deus eam fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum,* Leo magnus, Serm. 1. in Natali Petri & Pauli cap. 6. & Serm. 2. c. 2. *Supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, super hanc inquit fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiam cælo inferenda sublimitas, in huius fidei firmitate consurget, hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, vincula mortis non ligabunt.* Eadem S. Gregorius magnus, ad Psalmum 2. pœnitentialem.

Qvæstio III.

An particula, super terram, excludat defunctos?

§. 1. Ita Hæretici comminiscuntur. Non sunt enim super terram defuncti. Respondeo. Particulam super terram, pertinere ad eos qui soluunt, non qui soluuntur. Quidquid enim vos, qui super terram habitatis, solueritis, id Deus in cœlo habitans soluet. Non est autem sensus. Quoscunque vos, super terram constitutos soluetitis, eos Deus in cœlo habitantes soluet. Qui enim in cœlo sunt, ita soluti sunt, vt non possint ligari amplius. Sicut igitur solui dicitur aliquis in cœlis, non quod is qui soluitur, in cœlis existat, sed eius solutor Deus sit in cœlis, ita quoque dici potest solui aliquis in terra, etsi sit in purgatorio, solutor autem eius in terra. Hanc autem veram expositionem esse, & ipsa textus analogia docet, & vsus Ecclesiæ, ligatur enim Corinthius absens, per absentem Paulum, & in tribunalibus etiam iudicum sæcularium legum vigor in absentes stringitur. Ita autem sentiunt omnes Patres, qui suffragia pro defunctis approbarunt, quod fecerunt omnes orthodoxi.

Qvæstio IV.

An hoc loco Confessionis necessitas colligatur?

§. 1. Contra hanc pœnitentiæ partem multa Calui- Cal-
nus, lib. 4. instit. c. 12. 4. aliique scripsere, vo- nus
rum nos hunc locum expendimus duntaxat, & quid inde conficiatur, ostendemus. Aperienda peccata sacerdoti esse, ex eo constat, quod soluere & ligare, remittere & retinere in eius est manu. Cognoscere ergo oportet, quando soluendus, quando ligandus sit reus. Non enim eius iudicium in cœlo ratum erit, nisi legitime vsus, sua potestate soluerit, aut ligauerit. Nec se Christus sua potestate exuit, sed supremum sibi ius retinuit, ministeriale sacerdoti concessit. Montanistarum er-

tum error fuit peccata celare, Hier. l. 54. ad Marcellam. Nouatiani confessionem tollebant, pœnitentiam nō imponebant. Theodor. l. 4. hæret. fab. Messaliani eos iniciati sunt: Damascenus de hæresibus. Augustini expositio est Homil. 49. c. 3. *Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo. Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei, frustramur verba Christi, promittimus nobis, quod ille negat.*

VERSVS 20.

Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.

QVÆSTIO I.

Cur præcepit vt nemini dicerent?

§. 1. NOluit dici ab illis se esse Christum, Messiam, nempe exposita diuinitate, hactenus enim id actum erat, vt Prophetam à Deo missum cognoscerent, illique crederent, quamuis passim etiam diuinitatem illis demonstrauit. Cur vero prohibuerit, id temporis, Apostolos hoc prædicare, causa est vel quia illi nondum idonei, vel quia auditores erant infirmiores. Ipse tamen Paulo, se Deum, Dei filium, Messiamque esse significauit. In græcis quibusdam exemplaribus est ἰησοῦς ὁ χριστὸς, *Iesus ille Christus*, in aliis deest, vt etiam in latinis & Syriacis. Singularis causa quæ sit, certo proponi non potest.

Mysterium Trinitatis sensim promulgandi.

§. 2. Videtur noluisse ingens ex morte sua scandalum consequi, si omnes eum Deū credidissent, Deum enim immortalem sciebant, homines sanctos mortales. Minus videtur id expediens fuisse, vt passim in vulgus id spargeretur, ne plures Deos illum dicere & Iudæi & Gentiles existimarent. Ex quo Iudæi ab illo penitus abhorrerent, Ethnici in idololatria sua confirmarentur. Itaque sensim S. Trinitatis mysterium promulgandum fuit.

VERSVS 21.

Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

QVÆSTIO I.

Cur deinceps de passione hortatur?

§. 1. Ἀπὸ τότε *ex eo tempore*, vel, *ex tunc*, vt nonnulli loquuntur, iam enim constituta fide de eius diuinitate, facilius capaces erant eorum, quæ de resurrectione dicenda erant. Hierosolymis autem, loco sacrificiorum passurus erat, quia suo sanguine consummaturus erat sanctificatos. Totius porro passionis mentionem iniicit, vt cum recordati fuerint omnia prædicta esse, minus offenderentur. Ita Ioan. 16. 1. *Hæc locutus sum vobis ne scandalizemini.*

§. 2. Quod dicitur, *oportere* ὅτι δεῖ, recte exposuit Syrus רעתידה דעתיד למיתי *quod futurum erat.* Non enim significatur absoluta necessitas, sed quod futurum Deus decreuerit, id fieri oportere dicitur, alias modus redimendi genus humanum esse potuerat, sed hic aptissimus erat, Deoque placitus.

VERSVS 22. & 23.

Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: absit à te, Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro. Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.

QVÆSTIO I.

Rectene Petrus Christum increpet?

§. 1. PEtrus magno erga Christum amore, & maiore amoris fiducia eum reprehendit, προσλαβόμενος & seducit, à consilio patiendi eum deterrere conatus. ἐπιτιμᾶν accipiendum est in leniorem partem, pro vehementi admonitione, Syrum verbum למבאשא *ad obiurgandum*, maiorem vim habet. Sed tamen tota increpatio his verbis exponitur, *absit à te Domine*, ἵλεώς σοι κύριε, *propitius tibi Domine.* Sic & Syrus חס לך מרי *cham lach mari. propitius tibi Domine mi.* Cum enim clementissimus in aliorum malis auertendis esset, sibi ipsi Petrus clementem esse voluit, credebat enim Christo inuito nihil horum posse contingere. Latinus sensum reddit, sicut & illi qui vertunt: *Propitius esto tibi Domine*: atque idcirco quidam interpretantur προσλαβόμενος, *assumens* quasi προσλαβόμενος assumens solandi causa, miserans, vt Roman. 14. 1.

§. 2. Non est excusandus Petrus, quem Christus *ire post se* iubet, *Satanam* vocat, & *sapere* ait *non quæ sunt Dei, sed quæ hominum.* Nec id in aurem illi dixit, sed vt Marcus ait, conuersus & videns discipulos, comminatus est Petro. Hilarius quidem distinguit eo modo. Vt Petrus non vocetur Satanas, sic enim habet: *Vade post me.* Deinde subdit: *Satana non sapis? &c.* Idem tamen in Psal. 134. Petrum asserit appellatum esse Satanam. Mirum autem visum tam breui interuallo dici *Satanam & Beatum.* Hieronymus ait nondum fuisse Ecclesiam super eum ædificatam. Vt iam olim Bezæ responderit, qui valde illo Petri titulo delectatur, Pontificique eum concedit. Quemadmodum autem Petrum excusare non conuenit, quem accusat Christus, non tamen grauius verba Christi sunt accipienda. *Vade post me*, inquit, ὕπαγε *abscede post me*, hoc est, abscede seruus meus es, non dux & auctor consilii, sed Satana, hoc est, aduersarius, סטנא, Satana, ita enim Syriace locutus est, aduersarius erat non malitia, sed imprudentia, non infestando sed amando. Errabat, quia quem Deum credebat, moriturum non putabat, humana mente suadebat, diuini mysterii ignarus.

§. 3. Obiicit Lutherus lib. de potestate Papæ. *Petrum Dominus vocat Satanam non sapientem quæ Dei sunt, non igitur Petro datæ claues, sed Ecclesiæ.*

Respondeo. Hoc argumento euerti Ecclesiæ gubernationem & Wiclefismum reduci. Etsi namque Christo Petrus aduersabatur, dissuadens passionem, non tamen ideo potestatem accepturus non erat, nam & Paulus Apostolica gratia donatus est, quamuis ante persecutor & blasphemus: vbi abundat delictum, abundat & gratia. Quam multa millia sunt improborum ministrorum, qui iurant legem Dei nullam

Peccatum potestate nō priuat.

seruare se posse, & tamen sectarii claues illis, potestatemque etiam nequitiam professis, non eripiunt. Peccatum enim potestate Ecclesiastica non priuat, multo minus futuram impedit.

§. 4. Quod ait scandalum sibi esse, non de effectu, sed causa loquitur: quantum enim in se erat, Petrus hoc efficere moliebatur, ne Christus mori vellet. Christus facessere iubet, non tamen, vt Orig. habet, Matth. & Comment. Hieronymi sequi se iubet, hoc est, imitari. Porro quod Magdeburgenses horrendum Petri lapsum hic notarunt, aliter visum est aliis. Errat sensu non affectu; Eodem pertinet, quod est apud Luth. lib. 4. cap. 7. de potest. Papæ. *Si omnia, quæ de Petro dicuntur etiam de Papa dicantur. Papa Satanas erit.* Nam quæ personalia sunt, de solo Petro, quæ ad officium pertinent, de Papa etiam dicuntur.

VERSVS 24.

Tunc Iesus dixit discipulis suis. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

QVÆSTIO I.

Quid abnegare seipsum?

§. 1. SE ipsum abnegare est id repudiare, in quod natura vitiosa propendet, nihil sui, omnia Dei causa facere, omnia grauia, adeoque crucem Dei causa ferre. Crucis autem nomine omnia pœnarum genera & contumeliarum intelliguntur. Beza *abdicare* maluit dicere, sed hoc minus latè patet. Syrus, *Abneget animam suam*, seu de anima sua. De abnegatione sui quod est perfectum opus Christiani, multi passim libri pij, & tractatus conscripti sunt.

Volentibus crucem imponit.

Inuitat volentes, quamuis ille quoque det voluntatem; itaque recte Chrysostom. hinc liberum arbitrium confirmat. Non enim crucem inuitis imponit; sed volentibus offert, & vt velint gratiam præstat, non cogentem non violentam, sed suauiter, & suæ iacturâ libertatis inclinantem.

VERSVS 25.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

QVÆSTIO I.

Quid inuenire & perdere animam suam?

§. 1. PErdere animam est vitam Dei causa impendere: quod non est proprie perdere, sed hominum opinione amittere. Inuenire est se ipsum lucrifacere, seu vitam æternam adipisci. Similitudo videtur esse à seminante: quod seminatur, abiici videtur & perire, sed magno fœnore redit, quod vero recondi

Quod seminatur abiici videtur.

videtur, non modo sterile permanet sed etiam tandem perit. Notandum est Græcum ἐυρίσκειν etiam de illis dici, quæ labore comparantur. Vt Vlpianus in oratione Demosthenis, contra Timocratem notauit, vt sciamus, in æterna vita laboris etiam nostri esse precium, & recompensationem, quod qui negant omnes virtutis neruos incidunt.

VERSVS 26.

Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

QVÆSTIO I.

Quanta animæ præstantia?

§. 1. CHristus eam toti mundo, hoc est opibus, imperiis, honoribus, voluptatibus præfert. Nihil enim prodest totius mundi lucrum, si anima suâ, siue seipso homo mulctetur. ζημιοῦσθαι, quod iudicium est pœnas reposcentium. Quorsum enim vitæ bona, cui vita tollitur. Syrus: quid homo lucratur si vniuersum mundum possideat. Ratio adiungitur: quia non potest dare commutationem ἀντάλλαγμα pro anima sua, agrum pro agro, aurum pro cibo dare potest. Pro anima compensationem dare nullam potest. Illa enim perdendo, & seipsum abnegando seruatur.

VERSVS 27.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

QVÆSTIO I.

An hinc operum merita colligantur?

§. 1. COntra mercedem, quam bene operantibus Christus promittit disputat Caluinus lib. 3. Institut. cap. 18. §. 1. Verum omnia hic fidem orthodoxam confirmant. Probant enim eos, qui animam seruare volunt eam perdituros, qui perdere, seruaturos. Nam filius hominis reddet illis, κατὰ τὴν πρᾶξιν, *secundum praxim*, qua vel abnegauerunt, vel seruare voluerint. Deinde quia ipse dabit ἀντάλλαγμα recompensationem, pro anima perdita: & pœnam pro seruata. Quanto cum honore id futurum sit à circumstantiis exponit, venturum in gloria patris cum angelis suis, quædam exemplaria addunt, ἁγίων *sanctis*, quod etiam Syrus habet, verum de similibus locis iam aliàs dictum est.

VERSVS 28.

Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

QVÆSTIO I.

Quid Regnum Dei?

§. 1. CVm præmio virtutis proposito ad tollendam crucé eos esset exhortatus, ne illud incertū aut lon-

longinquum, aut etiam impossibile putarent, subdit esse ex præsentibus, ὀλίγων ὧδε ἑστηκότων, *de hic stantibus*, qui non gustabunt mortem, donec venientem filium hominis in regnum suum viderent. Si igitur filius hominis post crucem, & mortem mox in regno erit, & à quibusdam astantibus videbitur, de eorum præmiis, qui regnantis amici sunt, bene etiam sperare licebit. Quid porro nomine regni intelligatur. Valde ambiguum faciunt expositores. Multi aduentum Christi, in extremo die iudicii interpretantur, veniet enim eo tempore ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ *in regno suo*, ita est enim in græco, Quia totam regni potentiam & maiestatem circa se collectam adducet, & pro tribunali consedebit, iudex viuorum & mortuorum: Confirmari videtur ex Marco; ille enim dixit, *donec videant regnum Dei, veniens in virtute* ἐν δυνάμει *in potentia*: at regnum Dei, quamuis in resurrectione Christi, & Ecclesiæ constitutione venerit in virtute, tamen præcipue veniet in illa die, quando omnes inimicos ponet scabellum pedum suorum. Lucas absolute dicit, *Donec videant Regnum Dei*. Denique videntur hæc explicanda, vt cohæreant cum illis quæ proxime connectuntur. Dicitur enim filius hominis venturus in gloria patris, cum sanctis angelis: minatur apud Marcum & Lucam, *Si quis filium hominis erubescat, aut confusus fuerit, fore vt filius hominis eum confundatur, & erubescat, cum venerit in maiestate sua, & patris & sanctorum angelorum*: deinde affirmat quosdam discipulorum non morituros, donec ista videant. Illi ergo tum comparebunt & subita morte immutabuntur. Alia interpretatio est S. Gregorii Homil. 32. Intelligendum de ecclesiæ constitutione: sed præter illa quæ dicta sunt, hoc etiam obstare videtur, quod non aliqui, sed omnes eam non modo viderunt, sed etiam in eius constructione architecti & adiutores fuerunt. Deinde non dubitabant iam breui Christum esse inchoaturum regnum suum. Eodem modo & illud quod Caietanus intelligit de resurrectione & ascensione refutari videtur. Plurium sententia est, de proxima transfiguratione in monte Thabor loqui Christum. Ita Hieronym. Hilar. Chrysostom. Theophylact. Euthymius, D. Thom. Lyranus. Nam eam aliqui, hoc est, tres Apostoli viderunt. Verum id difficile est cognoscere quomodo vna visio quam timuerunt, & à sensibus ita alienati sunt, vt nescirent quid dicerent. Multo magis improprie dicitur filius hominis venire in regno suo, cum exhibuit illis visionem, & loqueretur cum Elia & Moyse, de excessu quem completurus erat in Hierusalem, itaque denunciatio illa fuit passionis. Vt minus reipsa postea discipuli turbarentur. Marcus autem cum dicit: Eos visuros regnum Dei in virtute, maius aliquid indicare videtur, quam vnicam visionem, quam etsi maximi Petrus fecit, tamen firmiorem pronunciat esse propheticum sermonem. Quapropter probabiliorem iudico primam interpretationem.

*

CAPVT XVII.

ET *post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum.* 2. *& transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* 3. *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* 4. *Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* 5. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* 6. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* 7. *Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* 8. *Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum.* 9. *Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* 10. *Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* 11. *At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* 12. *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis.* 13. *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.* 14. *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.* 15. *Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum:* 16. *Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.* 17. *Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* 18. *Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum?* Dixit illis Iesus: *Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* 20. *Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium.* 21. *Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum.* 22. *Et occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.* 23. *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma acceptabant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma?* 24. *Ait: etiam. Et cum intrasset domum, præuenit eum Iesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* 25. *Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.* 26. *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, dà eis pro me, & te.*

Marc. 9. a. 2. Luc. 9. d. 28.

2. Pet. 1. d. 17. Sup. 3. d. 17.

Mar. 9. b. 11. Mal. 4. b. 5. Sup. 11. b. 14. Sup. 14. a. 9. Marc. c. 17. Luc. 9. c. 18. Luc. 17. b. 6.

Mar. 9. c. 31. Luc. 8. c. 44. Inf. 20. c. 18.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM

ARGVMENTVM.

COntinetur capite decimoseptimo insignis reuelatio facta in monte sancto, quâ glo-riam suam tribus Apostolis Dominus ostendit, præsentesque testes adhibuit Mosen & Eliam Prophetas. Occasione autem Eliæ soluit quæstionem de Elia, qui venerat in Ioanne Baptista, & venturus est in propriâ persona, omniaque restituturus. Lunaticum deinde sanat eiecto dæmonio, quod propter incredulitatem suam discipuli pellere nequiuerunt, atque etiam ideo, quia nonnisi per orationem & ieiunium pelli hoc genus poterat. Tandem veniens Capharnaum didrachma soluit, ne scandalizaret exactores, alioqui protestatus liberum se esse, tanquam filium regis, atque vt se Dominum rerum ostenderet, staterem ex ore piscis acceptum solui imperat. Syriaca Ecclesia cum vltimo cap. præcedentis versu legit in festo tabernaculorum. Vt supra exposui.

A versu 14. ad 22. vsque *feriâ secundâ hebdomadis tertiæ ieiunij*. Inde ad finem vsque feria tertia, tertiæ hebdomadis ieiunij. Ex quo apparet, aliisque similibus eam Ecclesiam tempore quadragesimali singulis diebus, alia atque alia Euangelia solitos proponere.

VERSVS 1.

Et post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum.

QVÆSTIO I.

Quando assumpsit in montem discipulos?

§. 1. MAtthæus ait post sex dies, Marcus etiam, sed apud Lucam est ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ, *quasi dies octo*, facilis est tamen conciliatio. Lucas enim quasi octo dies confusè dicit, eo modo quo solemus dicere: octo dies circiter. Potest tamen dici, & post sex dies factum, & esse quasi octo dies. Vt Augustin. de consensu Euang. lib. 2. Chrysost. Hier. Damascenus, Theophylactus exponunt. Si enim inter sex dies non numeratur ille, quo Petrus eum increpuit & iussus est facessere, de tollenda cruce exhortationem audiuit, deinde dies ille, quo assumpsit discipulos excludatur, vt sensus sit inter diem quo hæc acta sunt, & eum quo Christus ascendit in montem sex integros dies interceßisse, verissime dixit Lucas fuisse quasi dies octo: primum enim & extremum adnumerauit sex intermediis, qui quia integri non fuerunt dixit quasi octo. Sic etiam Damascenus & Abul. q. 2. Mald. Barrad. Iansen. Hugo Carthusian. Beda.

§. 2. Cur post sex dies vel octauo die facta sit transfiguratio, causa certa dari non potest, nam quæ Rabanus de ætatibus mundi habet, coniecturæ sunt, quæ Origen. de numeris, ad historiam non pertinent. Eodem modo incertum, cur non statim sese glorificauerit, postquam dixit; sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec veniat regnum Dei: sed his non immoror. Vide Abulens. q. 4. & 5. momenta enim quibus singula perageret, posuit in sua potestate, & ratio quæ omnia argumenta exsuperat, est decretum diuinæ voluntatis, sæpe occultum, semper sapientissimum.

QVÆSTIO II.

Quis Mons?

§. 1. DIcitur mons excelsus רמא *rama* opinio est, esse montem Thabor, quem Hieronymus in Galilæa collocat. Brocardus de situ terræ sanctæ, à Nazaretho abesse duas Leucas, Orientem versus, esseque ibi ruinas palatiorum regalium. Inclytus fuit victoriâ Barac, & Deboræ. Hegesippus Thabyrium appellat, alii Itabyrium. In Galileæ campo est, tribu Nepthalide; Chades & Edrahi vrbes vicinas habet, altitudo 30. stadiorum, planitiem habet 20. stadiorum, à septentrione est inaccessus, alius est in Isachar Thabor, & latius patet. Sanctus Petrus vocat ex hac visione montem sanctum. Vide Iosephum lib. 4. de bello c. 2. Hieronymum de locis Hebr.

§. 2. Lucas orandi gratia ascendisse narrat, ἀνέβη γὰρ ὄρος enim προσεύξασθαι: solebat enim in montibus orare. Causa igitur præcipua erat, oratio, ante Transfiguration, in ipsa, & post ipsam; nam & in monte pernoctarunt, sine dubio in oratione. Chrysostomus montis sublimitatem, conuenientem fuisse, ad gloriæ sublimitatem ostendendam. Remigius vt animos significaret à terrenis rebus abstrahendos, & ad cœlestia extollendos. Noster Barradius recte docet cœli Empyrei altitudinem in qua gloriam suam Deus patefacit monte adumbratam. In montibus porro pleraque olim gesta sunt, quæ admiranda fuerunt. In monte lex data, in monte maledictio & benedictio promulgata, in montem fugit Elias. Hic vero montem elegit victoriâ prophetissæ celebrem, vbi exercitus hostium cecidit.

QVÆSTIO III.

Cur tres solos?

§. 1. DVcit eos in *montem excelsum* ἀναφέρει, quasi ferat sursum, alia exemplaria habent ἀνάγει *sursum ducit*. Syrus habet ראסק *vasek*, vbi miror cur Iun. & Tremellius verterint, *subduxit*, cum sit, *sursum duxit*; seu fecit ascendere. Duxit autem κατ' ἰδίαν seorsum ab aliis: Syrus בלחודיהין *balhudihin*. Tres pro accepit, quia ad Testimonium dandum sufficiebant. Præcipuos elegit, Petrum confessione recenti nobilem, & promissione clauium cæteris antelatum, Iacobum fratrem Ioannis, Ioannem longæuum & vltimum testem futurum, à Petro maxime diligebatur, & rationi consentaneum erat, amicos secretorum conscios reddere. Ioannem ipse diligebat castitatis prærogatiua carum, Iacobus inter primos semper fuit, cui & nomen Christus immutauit, ita Origen. Tract. 2. in Matth. Augustin. 2. ad Galatas. Chrysostom. hoc loco.

§. 2. Hoc tamen etiam hic obseruandum est, inter pauca illos etiam Petrum primo loco nominari: Vt ei primatui vbique Spiritus sanctus consulat. Tres prima-

primarios discipulos accepit; quia in lege scriptum est, in ore duorum, aut trium testium stare omne verbum. Non o lensam gloriam omnibus putat Damascenus, ne Iudas etiam videns efficeretur deterior. Plures causas vide apud Abul. q. 8. Rationem inter cæteras hanc etiam Abul. adfert, vt res cælaretur: Nam inter paucos facilius arcanum continetur: Quin etiam eorum meritis hoc tribuit; non quod id ipsi meruerint, sed quod virtute principes essent, ideo illos honorare constituerit. Theophilus ait, Tanquam vortices discipulorum & potentes miraculum occultare assumptos. De Iacobo nonnulla est difficultas, uter ex duobus fuerit. Constat ex Matthæo fuisse fratrem Ioannis, cum scil. ei quidam dictus est maior. Augustinus primum ad Galatas, & Glossa eum esse aiunt, qui fuit primus Episcopus Ierosolymorum, qui minor fuit, non filius Zebedæi nec frater Ioannis. Ambrosii & Augustini videntur ἀμφότερα μνημονικῶς. nisi Ambrosium excuses quod Iacobus minor fuerit ante mortem Episcopus Ierosolymorum, atque illi maior successerit, quod probabile indicat Iansenius. Verum omnes veteres historiæ Iacobum alterum faciunt primum Episcopum Ierosolymorum.

Tres latebræ.

Petrus illos adhibuit suæ potentiæ, vt & ipsi firmarentur in fide, & tori Ecclesiæ post resurrectionem testes essent, diuinio consilio, testibus Mose & Elia Christum sponte mortem crucis obiisse. tam enim facile erat, mortem euadere, quam facile nube sole circumdare, solis lucem faciei inducere, vestibus candorem fulgurantem appingere. Quis enim hostium tanta maiestate fulgentem inuadere auderet? Ex dignitate autem etiam delectum factum ait Chrysostomus.

VERSVS 2.

Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

QVÆSTIO I.

Quæ transfiguratio?

§. 1. Μεταμόρφωσιν Græci vocant. Syriace habetur תשתחלפ *veschithachalaph*, quod significat: *mutatus est, aut se vertit, aut.* Radic. m volunt esse חלף chalaph. Vide Syri forment addito ש Schaphel, vt fit Actorum 28. 6. ponitur; Vbi in græco est, μεταβαλόμενος, *mutari*, secundum opinionem illorum. Et Hebræorum lex cum Christianis, eam latiorem tribuit: ait enim esse מין חלם *min chalaph* a chalaph, & addit: גרוע שחלם Nozer, hoc est, *mutatio*, dicit *schachalaph*. Itaque Syris Chr stianis hoc verbum tribuunt, quod omnis generis mutationem significat.

Metamorphosis.

Mutatio accidentis.

§. 2. Primo constituendum est, non fuisse hanc mutationem essentiæ, sed accidentium duntaxat; idcoque recitius vertisse nostrum interpretem, cum dixit *Transfiguratum*, quam hæreticos, qui fere vertunt: *Transformatus est.* Quamuis forma sit etiam accidentalis; Verbum tamen transformandi apud Latinos vti receptо facilius de substantiali mutatione accipi solet.

In noua fert animus mutatas dicere formas, Corpora.

§. 3. Transfiguratione probauit diuinitatem suam, corporis enim splendorem gloriam solus Deus efficere potest; deinde euocare Mosen, & Eliam illius est, cuius in manu sunt viui & mortui. Tertull. de resurrectione. Augustin. contra Felic. Arian. c. 9. 10. Ep. 52. ad Dardanum. Tract. 50. in Ioannem. Vigilius Tridentl. b. 1. contra hæreses. & lib. 4. contra Eutychianos, Probauit etiam corpora nostra post resurrectionem immortalia fore, & magna maiestate vestienda, dum in sua adhuc mortali carne tantam lucem constituit. Non sunt mutata corporis lineamenta, sed facta illustriora, add. to lumine, faciem non subtraxit transfiguratio, sed dignitatem addidit. Hieronymus eo splendore adiudicandum ventutum dicit. Insaniunt igitur, qui gloria cœlesti præditum corpus existimant, immensum esse, nullo loco circumscriptum & orthodoxas vocare solent, creaturistas. 2. Scandalum crucis ostensa potentia & maiestate valde imminuit, vt habet S. Leo Sermon. de Transfiguratione. *Cur enim de resurrectione non bene sperent, cum Mosen mortuum in tanta gloria cernunt? Et Eliam raptum, diuina potentia hucusque custoditum? vt ipse quoque appareret in gloria.* Hoc veteres obseruarunt.

Diuinitatē, resurrectionem, gloriā corporum ostendit transfiguratio.

Cyprian. de Resurrectione typum resurrectionis fuisse demonstrat. *Mirati sumus in transfiguratione, quæ facta est in monte, præsentibus Apostolis Petro, & Iacobo, & Ioanne, quando sicut sol resplenduit facies Saluatoris & vestimenta eius candorem omnem exsuperantia Apostolorum nebetauere conspectum: sed momentaneus ille decor imaginem, non speciem, sum Lunaeum non substantiam, partem, non plenitudinem transformationis mirifice explicauit. Prudentis vero æstimatoris erat, non aduersa modo aduertere, sed spe meliorum animos erigere. Et cum Christi Domini atque Mosis, & Eliæ vaticinia de passione & resurrectione audirent, vtrumque fide apprehendere.* 2. Duo effectus sunt Transfigurationis. Primus, *splenduit facies eius sicut sol. Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Solis splendorem facies habuit, non lucem exiguam, qualis apparebat in facie Mosis, vt ostenderetur ille esse, vnde omne donum, omne lumen procederet. De vultu Marcus silet, Lucas *aliam faciem* fuisse ait, καὶ ἐδόξασθη ἡ ἰδέα τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, & *species faciei illius alia.* An solius vultus fuerit ille splendor, an cæterarum etiam partium? Negat Abulensis quod reliquum corpus vestibus opertum non cerneretur, ideo vestium tantum fuisse fulgorem. Mihi probatur sententia S. Ephrem. in orat. de Transfiguratione, & Hieronymi, Caiet. Barrad. non solius vultus & vestium, sed totius corporis eum fuisse splendorem; Nam si manus, quæ oculis discipulorum patebant, non reluxissent, magna ea in re deformitas apparuisset. Deinde Elias, Moses, forte etiam internum corpus videre potuerunt. Decebat sane potius, vt corporis interioris luce vestes refulgerent, quam vt vestium esset maiestas, corporis autem nullus decor: præsertim cum beatorum in cœlo corporum post resurrectionem glorioſorum dotes, hæc glorificatio repræsentaret. Talem etiam vidit in Apoc. Ioan. 1. 15. Vbi non solum caput & oculi, sed pedes etiam splendebant, vt χαλκολίβανον. Quod Abulensis existimat corporis lucem non potuisse vestium opacam densitatem transmicare nimium restringit vim lucis supernaturalis, cum etiam sol interdiu nubibus conditus tamen lucem præbeat, hic vero tanta lux erat, vt siue naturaliter, siue supernaturaliter facile omnia compleret. Alba autem glorioſis conueniunt corporibus, Marci 16. Ioan. 20. Apoc. 7. Sancti sunt candidati, olim quoque sic nobiles vocatos apud Hebræos ostendi in Genesi, sic etiam profanæ gentis candidatos suos coloris luce honoratos esse voluerunt. Quia festa candidati celebrabant.

Lux corporis per vestes translucet.

Et populus festo concolor ipse suo est.

Eadem causa Moses & Elias etiam apparuerunt ἐν δόξῃ *in gloria.* Vt Domini gloriam seruorum dignitas etiam ornaret. Alterum erat splendor vestium quæ

corporis glorioſi ſocietate refulgebant, Totus igitur ſplendidus erat.

Claraq; in luce refulgens,
Os humerosq; Deo ſimilis.

§. 4. Quod noſter legit, & vertit: *ſicut nix*, id quædam græca habent, ὡς χιών, conſentiunt veteres interpretes. Hilar. Auguſtin. & fere recentiores omnes: quamuis Origen. homil. 3. legat φῶς, lux. Veruntamen videtur potius legendum: vt nix. Huic enim conuenit verbum λευκὸν quod album ſignificat. Et Lucas habet λευκὸν ἐξαστράπτων, *album ſcintillans ſeu fulgurans.* Marcus fuiſſe veſtimenta σίλεοντα ſplendentia λευκὰ λίαν ὡς χιών, *alba valde ſicut nix*, & addit, *qualia non poteſt fullo ſuper terram candida facere.* Cum autem Marcus veſtigia Matthæi quaſi compendiator legere ſoleat, probabile eſt, eum ſic apud Matthæum legiſſe: Syrus tamen habet נהרא *nuhara*, lux. Quod Zwinglius hyperbolen hic comminiſcitur, falſum eſt: niue enim candidior erat veſtis, ideoque fulgens. Cum vero Olaus Magnus, quoddam animal niue candidius eſſe referat, eoque ſolo in niue capi, quod candore ſuo, qui niuem ſuperat, prodatur, cur non maior candor in veſte Chriſti maieſtatem ſuam oſtendentis potuit exhiberi? Quin ipſe Zwinglius ſibi contradicit: cum ait *maiorem fuiſſe ſplendorem quam poſſit humanâ mente comprehendi*, at niuis ſplendorem, & oculis & mente comprehendimus. Non ergo eſt hyperbole, quando niui comparatur. Forte Zwinglius quemadmodum apud poetas legerat, ſincera pectora. Et *non calcatâ candidiora niue*, per hyperbolen dicta, ita in Chriſti maieſtate etiam nihil maius ſuſpicatus eſt. Nam in anxiis laboribus, quos perfidiæ cauſa ſubiit, Tiguri, Homerum, Ariſtotelem, Demoſthenem, Platonem Thucydidem, Lucian. Theocritum, Heſiodum, Ariſtophanem, reliquoſque perluſtrauit, vt auctor eſt Oſwaldus Myconius, Epiſt. ad Agathum Beronenſem. Lucæ igitur & Marco credamus non eſſe hyperbolen, ſed fuiſſe ita candida. Vt *fullo ſuper terram tam candida facere non potuerit*, niuem æquaſſe, imo & ſuperaſſe.

Veſtes vt nix.

Non eſt hyperbole.

QVÆSTIO II.

An Chriſti diuinitatem viderint?

§. 1. ITa ſentiunt plerique veterum, & recentiorum. Et Prudentius

Illuſtre quiddam cernimus
Quod neſciat finem pati
Sublime, celſum, interminum
Antiquius cœlo, & chao.

Hæc diuinitati ſoli conueniunt. Nec videtur de ſigno gloriæ diuinæ ſatis explicari, quod enim addit.

Non viſa eſt diuinitas.

Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ.

Nam lux faciei, & candor veſtimentorum, typus erat æternæ gloriæ, non tamen quod *neſciret finem pati, interminum, antiquius cœlo & chao.* Verum quicquid ſenſerit Prudentius, & nonnulli viri ſane non indocti, communis ſententia vera eſt; neminem viuentem diuinam eſſentiam vnquam eſſe intuitum, qua de re in Exodo diſputaui.

VERSVS 3.

Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.

QVÆSTIO I.

An Moſes & Elias verè, & cur adfuerint?

§. 1. STrabus imagines adfuiſſe. S. Thomas, Eliam vero, Moſen adſcititio corpore adfuiſſe, animis vtrumque. Et ante vtrumque Tertullianus, *Moſen in imagine nondum receptæ carnis, Eliam in veritate nondum defunctæ apparuiſſe.* Cæterique autores vtrumque vere adfuiſſe integre corpore animaque. Et Moſes quidem ante 1500. annos obierat. Elias autem ante Chr. 1100. raptus fuerat. Nunc Domino ſiſtuntur, vt quæ antea vaticinati erant de Chriſto, de illo præſentibus Apoſtolis differerent. Ne vero dubitari poſſet, veniunt cum magna maieſtate & gloria.

§. 2. Cur illos ſuæ gloriæ teſtes adhibere voluerit, cur omnes Prophetas & Patriarchas vocare potuerit, nobis incertum eſt. Cauſæ reddi multæ poſſunt & paſſim traduntur. Moſes legem dederat, lex ad Chriſtum ducebat, iam olim vaticinatus erat, prophetam venturum, eumque audiri iuſſerat, nunc præſens eum Apoſtolis indicat. Eduxerat populum ex Ægypto, ſigna & portenta fecerat, Deo facie ad faciem loquebatur, hominum manſuetiſſimus erat, typus itaq; Chriſti nobiliſſimus, præſertim cum Rempublicam Hebræorum inſtituiſſet, ſicut Chriſtus Chriſtianorum. Non pauciores rationes de Elia ex eius geſtis, zelo, raptu adduci poſſent, de quibus varii Patres multa & præclara ſcripſerunt.

§. 3. Noſtram fidem admirabiliter roborat, cum videmus à Prophetis non modo prædicta quæ credimus, ſed eos à Deo miſſos, & ſuum vitæ reſtitutum, vt ſuum Domino obſequium exhiberent, teſtimonium darent. Tertullian. lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. Eliam vocat noui Teſtamenti *conſummatorem*, ſed quia locus inſignis eſt, totum adiungam. *Nam & hoc vel maxime erubeſcere debuiſti, quod illum cum Moyſe & Helia ſeceſſu montis conſpici pateris, quorum deſtructor aduenerat. Hoc ſcilicet intelligi voluit, vox illa de cœlo: Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite: id eſt, non Moyſen iam & Heliam. Ergo ſufficiebat vox ſola ſine oſtentatione Moyſi & Heliæ. Definiendo enim quem audirent, quoſcunque alios vetuiſſet audiri. Aut nunquid Eſaiam & Hieremiam, cæteroſque quos non oſtendit, permiſit audiri, ſi vetuit quos oſtendit? Nunc eſt Chriſti præſentia illorum fuit neceſſaria, non vtique in colloquio oſtendi derentur, quod familiaritatis indicium eſt: nec in conſortio dilectionis charitatis, quod dignationis & gratiæ exemplum eſt: ſed & in ſordibus aliquibus, quod deſtructionis argumentum eſt, immo in tenebris creatoris quibus diſcutiendis erat miſſus, longe etiam diſcreti à claritate Chriſti, qui voces & literas ipſas eorum ab Euangelio ſuo erat ſeparaturus, ſic non alienos demonſtrat illos, dum ſecum habet, ſic relinquendos docet, quos ſibi iungit, ſic deſtruit, quos de radiis ſuis extruit. Quid faceret Chriſtus ipſorum? Credo ſecundum peruerſitatem, tales eos reuelaſſet, quales Chriſtus Marcionis debuiſſet: aut quoſcunque alios ſecum, quam Prophetas ſuos, ſed quid tam Chriſtus creatoris, quam ſecum oſtendere prædicatores ſuos? cum illis videri, quibus in reuelationibus erat viſus: cum illis loqui, qui eum fuerant locuti: cum eis gloriam ſuam communicare, à quibus Dominus gloriæ nuncupabatur: cum principalibus ſuis, quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque: alter initiator veteris Teſtamenti, alter conſummator noui.*

§. 4. Venerant vt ſerui ad Dominum, cum ipſo familiariter agebant, tabernacula illis facere cogitabat Petrus, vt circa Chriſti tabernaculum habitantes illi ſeruirent.

§. 5. Loquentes cum Chriſto apparuerunt, materia apud Lucam eſt, *exceſſus quem completurus erat in Ieruſa-*

lem,

lem, id factum audientibus discipulis & Mosem Eliamque cognoscentibus. Christus enim & Prophetæ declararunt, qui nam essent. Apostoli orante Christo forte dormierunt, deinde gloria illa obstupefacti recreati sunt & territi. Communicatio sermonis signum est, inter eos magni amoris, consensus, & cuiusdam familiaritatis. Elias nihil scripsit, cæterorum fere magnorum prophetarum scripta de Christo testantur, ipse suo more veniens præsenti, præsens loquitur, inusitatis olim Domini typus. ita συλαλοῦσι, hoc est, familiariter inter se colloquuntur, vt dixi.

Conuersatio in cœlestibus.

§. 6. Solida ratio videtur. vt veterem legem eiusque præcones approbaret. ex quibus vnus fuit legislator ministerio, alter zelator insignis. Mosen & Eliam igitur præcipue produxit, vt viderent cum Mose & Elia optimè conuenire, nec sel egem soluere, vt qui legislatorem à mortuis excitatum sibi sisti iusserit, & qui zelum Eliæ pro Dei gloria probaret. Vide alias causas, quas Chrys. adducit. Tertull. l. de Monogamia hoc adducit. cap. 8. vt secundas nuptias damnet, quia Spondonem & Monogamum apparere voluit, fe errat, dum omnia ad opinionem hæreseos suæ firmandam detorquet.

VERSVS 4.

Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.

QVÆSTIO I.

Cur ad Tabernacula facienda Petrus se offert?

§. 1. DVlcedine gloriæ dominicæ abreptus, omnium rerum securus, & regni & sociorum, manere duntaxat animus est. טוב *bonum, decorum pulchrum est*, nos manere, inquit. Marcus 9. 6. Luc. 9. 33. nescisse ait, quid loqueretur. Et reuera in gloria illa nihil tabernaculis opus erat. Apud Marcum est, καὶ ποιήσωμεν, *& faciamus*; alia exemplaria ποιήσομεν *faciemus*. In Regiis est, aliisque εἰ θέλεις, *si vis*, quod alia omittunt, legit tamen vetus interpres, & Si coniunctionem omisit. Syrus, *Et si vis*. Dicebat autem ista, cum discederent à Christo, cum ipse euigilasset. Magnopere veritus ne tanto priuarentur bono, qui Christi gloriam spectando fruebantur.

Dilectione abreptus manuteneri.

§. 2. Caluinus Petrum stultè accusat, *quod stulte æquarit Domino seruos Mosen & Eliam.*

Caluini calumnia.

Respondeo. Non hoc illi imponunt Euangelistæ, sed tria Tabernacula facere voluit; primarium Domino, duo deinde seruis honoratis. Nec enim Centuriones Imperatori æquantur, etsi illi quoque sua habeant tabernacula. Nec Eliam æquare Christo potuit, qui iam ante Christum non Eliam sed filium Dei viui confessus erat: eaq; confessione beatus est iudicatus. Et profecto ad sui suorumque confusionem hæc Caluinus pronunciat, si enim in confessione illa nobili fidem veram habuit verissimam, à cœlesti Patre reuelatam, nunc vero Mosen & Eliam Domino æquauit, fidem amisit. Nam homines Deo stulte æquare perfidia est, blasphemia est. Vbi igitur fides Caluinianorum indelebilis refidet, si in Apostolo defecit? *Hoc quoque*, inquit, *peruersum fuit, Mosen & Eliam collegas fingere filio Dei: quasi non omnes in ordinem cogi necesse sit, & solus ipse emineat.* Si hæc Petrus audisset, toto animo & corpore clamaret, non se collegas, sed seruos, amicos Christi, non collegas nouisse.

VERSVS 5.

Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos: & ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.

QVÆSTIO I.

Quod Testimonium Patris cœlestis?

§. 1. TEstimonium duorum prophetarum audierant, adiungitur testimonium æterni Patris. Cuius maiestatem describit: *nubes enim lucida obumbrauit eos*, & in ea Moses & Elias recesserunt. Deus autem Mosi olim in nube apparuit, & Elias nube ignea, seu curru igneo abreptus est. Ponit autem Deus *nubem ascensum suum qui ambulat super pennas ventorum.* Nube illis gloriæ conspectum eripit, vt admoneat nondum capaces arcanorum Dei, adhuc longum &ærumnosum superesse vitæ cursum, donec beatitudinis portum attingant.

Petri confessionem Deus probat.

§. 2. *Filium sum dilectum* appellat, quemadmodum explicatum est c. 3. Interim obseruandum est, quandam esse ob circumstantiam personarum inter Christum & Prophetas antithesin, non enim illi filii dilecti sed serui in domo patrisfamilias fideles. Quin etiam testimonio Patris laudatur Petri confessio qui dixerat. *Tu es filius Dei viui.* Hoc Deus viuus propria voce coram testibus maximis Mose & Elia testatum voluit, vt cœlesti præconio constaret; Petrum non ex carne & sanguine, sed Patris cœlestis reuelatione locutum.

Christus soleus audiendus.

§. 3. Caluinus. lib. 4. c. 8. §. 1. Christum ita vnicum magistrum esse contendit, vt solus audiendus sit. atq; eo nos verbo ab omnium hominum doctrinis abduci.

Respondeo. Audiendum ita Christum, vt tamen etiam eos audiamus, de quibus ipse dixit: *qui vos audit me audit.* Nec audire duntaxat iubet, sed etiam obedire. Quod si de verbis Christi, prophetarum, aut Apostolorum dubitatio incidat, aut controuersiam moueant infideles, audiendi illi sunt, quos Ecclesiæ suæ præpositos, & doctores constituit. alludit autem ad Deut. 18. 15.

Audiendi quos audiri iubet Christus.

§. 4. Timuerunt autem intrantibus illis in nubem. Syrus: Timuerunt cum viderent Mosem & Eliam qui intrabant in nubem. an Christus, Moses, Elias intrarint in nubem, an vero post discessum prophetarum Christus & ipsimet Apostoli, an solus Moses & Elias, controuersum est. Quidam putant Christum & Apostolos intrasse in nubem post discessum prophetarum. Ex Luca constat, cum discederent Moses & Elias Petrum dixisse. *Faciamus tria tabernacula, & hæc eo loquente nubem obumbrasse eos.* Cum autem in nubem intrarent illi ἐκεῖνοι valde timuisse, itaque Christus & Apostoli circumdati sunt nube, credo & Prophetas, qui nondum longe abierant, eadem nube comprehensos, ideo post auditam vocem solum Iesum vidisse dicuntur, iam enim cum nube euanuerant Moses & Elias, alioqui adhuc videri abeuntes potuissent. Causa autem timoris erat, quod se nube lucidâ & quasi ignea circumdatos viderent, ideo in facies corruunt, vt nihil videant, nec nisi tangente, & loquente Christo resurgunt. maximè vero horruisse videntur vocem, quæ audita est, instar tonitrui, vt putat S. Ephrem: Certe ad vocis sonum consternati videntur.

§. 5. Bullingerus *Petrum omnium rerum terrenarum oblitum ait. Similem fore beatorum in cœlo statum. abstergi enim lachrymas ab oculis eorum, nullis curis mortalibus aut mortalium obturbari.* Hoc August. lib. de cura pro mortuis gerenda, c. 13. docet:

Respondeo. Hic quædam vera, quædam falsa, quædam mendacia esse. Verum est sanctos in cœlo nulla cura obturbari, nulla enim vel minima tristitiæ nebula potest beatitudinis perfectæ serenitatem obducere, nulla violare. Falsum est non posse res nostras cognoscere, cum ipsi videre in Deo, Deus illis reuelare, venientes renunciari, Angeli ascendentes & descendentes referre possent. Nec illa cognitio magis sanctorum quam Angelorum beatitudinem obturbat. Falsum est argumentum ex Petri facto esse validum, Petrus enim territus erat, nesciebat quid loqueretur, Deum non videbat, stultè de Tabernaculis cogitat, & si Caluino credimus Mosen & Eliam Christo æquat. Horum nihil beatitudo electorum habet. Verum perfectionem, scientiam, visionem Dei, charitatem, benignitatem, qualem in Angelis videmus & experimur. Denique de Augustino est mendacium impudens, docet ille mortuos non interesse rebus viuentium, Deinde nescire quid inter viuentes agatur, sic Abrahamum nescisse nos, & Iosiam mortuum ne videret mala gentis suæ. Sed hæc exponit, c. 14. *Abraham enim Mosem & prophetas habere Israeliticum populum cognouit, diuitem in deliciis, Lazarum in extrema inopia vixisse. Sciebat igitur hæc, quæ vtique apud viuos, non apud mortuos gesta fuerant. Verum non cum agerentur in viuis, sed ex mortuis potuit Lazaro iudicante cognoscere, ne falsum sit, quod Propheta ait, Abraham nescivit vos.* Tandem addit c. 15. *Proinde fatendum est, nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum hic agitur, postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, quæ sinuntur etiam ista meminisse: & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ agũtur hic præsunt, audire aliquid mortui, quod vnumquemq; illorum audire debere iudicat cui cuncta subiecta sunt. Nisi enim essent Angeli qui possent interesse, & viuorum & mortuorum locis, non dixisset Dominus Iesus, Contigit autem mori inopem illum, & ferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Nunc ergo hic, nunc ibi esse potuerunt, qui hinc illuc quem Deus voluit abstulerunt. Possunt etiam Spiritus mortuorum, aliqua quæ hic aguntur quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est, eos non nosse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura Spiritu Dei reuelante cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hic viuerent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse reuelanda Dei prouidentia iudicabat.* Nec hoc solum loco, sed aliis quam plurimis sanctis esse curam de nobis, adeoque inuocandos docet. In Iob. cap. 14. sermon. 17. de verbis Apostoli, de cura pro mortuis agenda, cap. 4. lib. 21. de ciuitate Dei. lib. 6. contra Donat. cap. 1. & serm. 1. de S. Stephano. in Psal. 88. ait eos de nobis *si illos imitemur gaudere & orare pro nobis.* in Psalm. 85. *omnes martyres interpellare pro nobis.* Et serm. 5. de sanctis, Eam fuisse consuetudinem ipse docet totius Ecclesiæ. lib. 20. contra Faustum, c. 21. *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat & ad excitandam imitationem & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur.*

Sancti nostra vident.

Mortui cognoscunt res viuorũ.

Orant pro nobis sancti.

Cyprianus de mortalitate, *turbam sanctorum de sua immortalitate securam ait, & adhuc de nostra sollicitam incolumitate.* Sic Paulinus Nolanus. *Non est cura hæc noua sanctis. Exorare Deum pro peccatoribus agris,* Et, in sancto Felice, *Deus per quem bona dona*

Et medicas exercet opes terrasq; mariq;
Omni nam q; die testes sumus vndiq; crebri
Cæcis aut sanos gratantia reddere vota
Aut ægros varios petere ac ambire medelas.

Hæc sanctissimus ille Episcopus, & de sancto Felice, & consuetudine Ecclesiarum, quæ tum florebant. Omitto antiquas Liturgias, Irenæum lib. 5. cap. 19. Origenem, alios. Cognoscere res nostras & curam nostri gerere, non instar Petri alio abreptos, etiam docuerunt ipsi hæreticorum primates. Luth. de decem præceptis. c. 5. & respons. ad Louanienses. Brentius, in cap. 16. Lucæ. Chythræus. ad c. 25. Matth. Basilius Faber de statu defunctorum c. 7. Non dubito quin defunctorum animæ, parentum, fratrum, sororum, & propinquorum, quos hic reliquerunt recordentur, & Deum rogent, vt ipsos ex valle lachrymarum eripiat: & probat exemplo. Confirmat hanc Doctrinam exemplum diuitis. Luc. 16. Nam si damnata anima suorum recordatur; multo magis beata anima ita afficitur erga suos, parentes, liberos, fratres, sorores & propinquos. Cum enim sancti qui hac in vita versantur sæpe illa quæ remotissima sunt Dei ope videant, cur non possent hoc illi qui in cœlo sunt. Samuel. 1. Reg. 9. v. 19. Eliseus. 4. Reg. 5. v. 21. &c. 4. Reg. 6. v. 8. Ananias Act. 5. 1. Antonius vt in vita eius habet Athanasius, Macarius, vt Palladius habet. cap. 19. Sixtus futurum Laurentii statum prædixit. Plena exemplis sunt omnia, non posset hoc Deus conferre beatis, quod tam multi in hac vita accepe runt. Nec impediuntur obiectu molis alicuius, aut spaciis quo minus cognoscant. Ambrosius de viduis. *Isti enim,* inquit, *sunt martyres, præsules nostri, spectatores vitæ actuumque nostrorum,* verissimè nec modo nostrorum, sed etiam damnatorum, quorum pœnas æternas tuentur. Vere igitur Prudentius de sancta Eulalia dixit.

Illa Dei sita sub pedibus
Prospexit hæc populosque suos
Carmine propitiata fouet.

Et August. lib. 2. de ciuitate. cap. 29. pluribus prosequitur. Quare insulsa est cogitatio Zwinglii dum sanctorum gaudiis intelligentiæ, & charitatis aciem obtundi & obturbari fingit, quo minus alia recordentur, cum sint sicut Angeli Dei, qui & ante Deum conspectum consistunt, & hominibus simul ministrant.

Damnatorum curam habent.

Si olim visuri sunt cum corpora habebunt etiam oculis clausis, cur non nunc etiam eodem modo? corpora enim animæ cognitioni nihil conferunt noui, quemadmodum nec Eliseus, ideo puerum videbat absentem, qui corporatus erat, sed quia Deus reuelabat.

§. 6. Caluino etiam visum est nubem suæ ἰσοπομαχίæ opportunam. *Corpus Dei & faciem,* ait, *non videri, ne decepti similem homini putemus: cum autem interposita nube nos voce sua ad se inuitet, quam absurdum est in nuce ligni, vel lapide eius præsentiam velle ante oculos nostros sistere.* Hæc ille: sed non ignarus fraudum suarum, interponit solutionem. *Verum quidem,* inquit. *Variæ species olim sanctis Patribus visæ esse, in quibus Deum agnoscerent, semper tamen à Symbolis abstinuisse, quæ fabricandis idolis materiam præberent.* Hæc verba veritati Catholicæ testimonium exhibent. Variæ species Patribus visæ sunt, quibus Deum agnoscerent, falsum ergo est faciem eius non videri, seu faciei speciem; de hac enim loquitur. *Ex nube loquitur, imagines igitur prohibet?* Nerui olius argumentum conuertitur: varias species Patribus visas esse, non ergo semper de nube Deum sonare. Deinde fingi & pingi eas species posse. Cur enim antiquum dierum, Deut. 7. aut Dominum solio insidentem, vt apud Isa. 6. describitur, non pingam? Ipse eiusmodi picturam seu figuram prophetis videndas proposuit, cur non imitetur penicillus pictoris quod refert stylus scribarum? Non dicimus præsentiam eius ante oculos nostros sisti per imagines, nec oculis Deum videri humanis; quem nec Daniel, nec Esaias, nec dilectus discipulus Ioannes in Apoc. vidit. Nubes autem Dominum suscepit vt ostenderet se quoque illum esse, qui in veteri testamento in nube locutus fuerit. Deinde nihil opus esse tabernaculis, cum nubes illa more tabernaculorum tegat, ita Theophylactus: aliique.

VERSVS

VERSVS 9.

Et descendentibus illis de monte præcepit eis, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

QVÆSTIO I.

Cur vetuit vulgarirem?

§. 1. VAriæ disputationes futuræ erant ex euulgatione, & incommoda, quæ euitare Christus maluit. Ne Apostolis quidem dixisse constat ex Marco & Luca: causa vetandi, quod incredibilis res, & plane insolita videretur. Deinde si post cruci affixum viderent, omnia illa viderentur illusoria. vt Chrysost. Euthym. Theophylact. Primaria causa videtur, quod non viderentur tantæ rei ac tam mirabili idonei adhuc testes & præcones. Viderunt enim post resurrectionem non creditum esse illis, qui dixerunt se Christum vidisse. Quod si affirmarent dormiuisse se, deinde Lucem vidisse, Mosem, Eliamque conspexisse, post multas disputationes, & altercationes id futurum videretur, vt non crederent. Mosem enim resurrexisse, aut saltem animam adfuisse credere difficulter sane poterant.

Quare vetuit quod non essent credituri.

VERSVS 10. 11. 12. 13.

Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est; & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & ille Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

QVÆSTIO I.

An vere Elias sit venturus?

§. 1. IN descensu montis à tribus discipulis est interrogatus: an Elias esset venturus? Versabantur illi in communi errore scribarum, Christum in gloriâ venturum, & regnaturum, atque immortalem omnino futurum, atque ita redditurum vnicuique secundum opera sua. atque ante illum diem Eliam venturum. quod si fieret non videbant quomodo de excessu in Ierusalem loquerentur. Iam viderant Eliam sperabantque mansurum: Pharisæorum enim erat argumentum contra Christum, non esse Messiam, quod eum non præcessisset Elias. Hunc enim aduentum Christi & vltimum confundebant. Quia enim Elias subito discesserat, quem mansurum sperabant, de communi traditione inquirunt, quam etiam in Ecclesiastico scriptam habebant. Christus cum distinctione respondet, vt habet Abulensis. Errabant scribæ quod venturum putabant ante primum aduentum Messiæ, seu ante omnem aduentum illius, vn cum enim solum imaginabantur, non errabant in eo, quod venturum dicebant. Christus igitur ait, venturum scilicet in propria persona, & venisse in Spiritu. Discipuli itaque, vt habet Comment. Hieronym. Euthymius, mirantur. cur Elias non ante venerit. cur nunc simul appareat, & mox recedat. Non ea præstabat, quæ Scriptura promiserat, vt daret pœnitentiam gentibus, & conuerterent corda filiorum, &c.

Quare Elias descendisse dicatur.

§. 2. Christus respondet. *Elias quidem venturus est*, ἔρχεται, Syrus ܐܬܐ *Venit*, addit autem prius, vt sensus sit; Elias prius veniens erit, vt omnia restituat. De futuro tempore loquitur. Itaque illa verba non possunt intelligi de Ioanne Baptista, qui iam non modo venerat, sed etiam obierat. Deinde illud ἀποκαθιστάνει *restituet*, non potest de præterito accipi. Elias igitur venturus erat. Conuertendo cor Patrum in filios. Et quamuis in Luca sit ἀποκατέστη *restituit*, hoc ipsum tamen de futuro est intelligendum. Nec dici potest esse sensum; *Elias venturus erat, & omnia restituturus*. vt ipsi dicunt, sed iam venit. Nam expresse dicit, ἐλθὼν *cum venerit, restituet*. quod de futuro necessario dicendum est.

Elias venturus post Christum.

§. 3. Musculus occurrit: cur non dixit; *Se Eliam in persona missurum*? Respondeo. Eliam venturum dicit: Elias ad fuerat, de illo ergo loquitur. De Ioanne etiam locutus est, satis erat dicere: Eliam venisse & venturum. Quod dixit Dominus, *Helias quidem venturus est, & restituet omnia*: id est: vel eos quos persecutio Antichristi perturbauerit, vel vt ipse restituat moriendo quæ debet.

§. 4. Obiiciunt: Discipuli Christum de Ioanne Baptistâ locutum intelligunt, hoc enim Euangelista non modo recenset, verum etiam, veram fuisse sententiam res ipsa declarat. In Ioannem enim, non in Eliam sæuierunt.

Respondeo. Duplicem esse responsionem Domini. Primam de Elia venturo; alteram de Elia, qui iam venerat. Idcirco dicit ἔρχεται, & ἀποκαθιστάνει, *venit & restituet*. Deinde de altero ἦλθε *venit*, præterito tempore. Transiit ergo Elias, & occisus est, & tamen postea restituet omnia. Baptista non veniet, nec restituet quicquam, quia iam in Spiritu & virtute Eliæ præcursoris munere functus est. August. Tract. in Euangelia. & lib. 20. de ciuit. c. 29. probat eum venturum. Cum autem admonuisset vt meminissent legis Moysi: quoniam præuidebat eos multo adhuc tempore non eam spiritaliter, sicut oportuerat accepturos continuo subiecit: *Et ecce ego mittam vobis Heliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magnus & illustris: qui conuertet cor Patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum, ne forte veniens percutiam terram penitus.*

Augustini sententia de Eliæ aduentu.

Per hunc Eliam magnum mirabilemq; prophetam exposita sibi lege vltimo tempore ante iudicium. Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros celeberrimum est in sermonibus cordibusq; fidelium. Ipse quippe ante aduentum Iudicis Saluatoris non immerito speratur esse venturus: qui etiam nunc viuere non immerito creditur. Curru namq; igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissimè sanctæ Scripturæ testatur. Cum venerit ergo exponendo legem spiritaliter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt: conuertet cor Patris ad filium, id est, cor Patrum ad filios. Singularem quippe pro numero plurali interpretes septuaginta exposuerũt. Et est sensus vt etiam filij sic intelligant legem, id est, Iudæi, quemadmodum Patres eam intellexerunt, id est, prophetæ, in quibus erat & ipse Moyses. Sic enim conuertetur cor Patrum ad filios, cum intelligentia Patrum perducetur ad intelligentiam filiorum: & cor filiorũ ad Patres eorum, dum in id, quod senserunt illi, consentient & isti. vbi & Septuaginta dixerunt, & cor hominis ad proximũ suũ. Sunt enim inter se valde proximi Patres & filij.

Quan-

Quanquam in verbis septuaginta interpretum, qui prophetice interpretati sunt, potest sensus alius idemque electior inueniri: vt intelligatur Helias cor Dei Patris conuersurus ad filium: non vtique agendo, vt Pater diligat filium: Sed docendo quod Pater diligat filium: vt & Iudæi, quem prius oderant, diligant eundem, qui noster est Christus. Iudæis enim nunc auersum cor habet Deus à Christo nostro: quia non putant eum Deum esse, neque Dei filium. Eis ergo tunc cor eius conuertetur ad filium, cum ipsi conuerso corde didicerint dilectionem patris in filium. Quod vero sequitur: Et cor hominis ad proximum suum, id est, conuertet Helias cor hominis ad proximum suum: quid melius intelligitur, quam cor hominis ad hominem Christum? Cum enim sit in forma Dei Deus noster: formam serui accipiens, esse dignatus est etiam proximus noster. Hoc ergo faciet Helias. Ne forte inquit veniam, & percutiam terram penitus. Terra enim sunt, qui terrena sapiunt: Sicut Iudei carnales vsque nunc: ex quo vitio contra Deum murmura illa venerunt: quia mali ei placent, & vanus est qui seruit Deo.

Impudens ergo est Caluini & maledica calumnia, cum ob Eliam, aduentum à nobis exspectatum, Catholicos accusat; cum enim Christi tempore hanc sententiam in Ecclesiâ Iudaica fuisse dixisset, adiungit eodem modo, diabolum fascinare Papistas. Vt non exspectent iudicii diem, nisi cum apparuerint Enoch & Elias. Quos autem conuitietur ex Augustino constat, ipsum nempe Augustinum, & Christi fideles, quorum in sermonibus & cordibus hoc celeberrimum esse testatur Augustinus. Vide Suarez. 3. P. T. 2. disp. 55. Perer. in Daniel: Viegam in Apocalyp. 11. & Riberam. Mendozam in quodlib. Bellar. de Elia & Enoch.

Caluinus conuitia dicit Augustino.

Chrysostomus non suam modo sententiam. Sed Scripturarum & Ecclesiæ proponit verbis clarissimis, vt dubitari non liceat, quid de Elia Ecclesia olim crediderit. *Diuinæ namque Scripturæ duos aduentus Christi testantur, quorum alter iam factus est, alter vero futurus est: quos significauit Paulus, dicens:* Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, vt ab negantes impietatem, & seculares cupiditates, modeste, ac piè viuamus. *Ecce de primo aduentu, audies nunc quomodo & alterum significans subiunxit:* Exspectantes beatam spem & aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. *Sed Prophetæ quoq; vtriusque mentionem faciunt, & secundi, cui præcursorem Eliam asserunt futurum: primi enim Ioannes fuit præcursor, quem etiam Heliam Christus appellabat, non quia Helias esset, sed quoniam ministerium Heliæ faciebat: Nam sicut ille secundi aduentus præcussor erit, sic primi fuit Ioannes. Sed scribæ ista confundentes, & populum peruertentes secundi aduentus solummodo recordabantur, & dicebant ad plebem: Si Christus hic esset, Helias venisset: quapropter discipuli quoque dicunt, quare igitur scribæ Heliam oportere prius venire asserunt? Hac de causa Pharisæi miserunt ad Ioannem, ac interrogabant, Helias ne es tu? nullam prioris aduentus mentionem facientes: quam solutionem attulit Christus quia scilicet Helias quidem tunc veniet, scilicet ante secundum meum aduentum, & nunc iam Helias venit, ipsum Ioannem ita vocans. Si vero Thesbitem quæritis, veniet: ideo dicebat.* Helias quidem veniet, & restituet omnia. *Quænam omnia? Quæcunque Malachias Propheta dicebat.* Mittam enim vobis Heliam Thesbiten, *ait*, qui restituet cor Patris ad filium, ne veniens percutiam terram penitus. *Vides exactam diligentiam propheticæ prædicationis? Nam quoniam propter ministerij similitudinem Ioannes quoque poterat Helias nominari, ne confusio fiat, patriam adscripsit, Heliam Thesbitem vocans. Ioannes enim non erat Thesbites. Aliud etiam signum addit: dicens: ne percutiam terram penitus: Secundum atque terribilem illum aduentum significans: non enim ad feriendam terram primò venit.* Non veniait, vt mundum iudicem, sed vt saluem. *Quodxit vt expresè significaret ante illum aduentum, quo iudicium exercetur, Thesbitem esse venturum: causam quoq; cur venturus sit, docuit. Quænam vero causa est? Vt Iudæis credere in Christum persuadeat, ne omnes illo aduenientè penitus perdantur: quam rem ipse in memoriam reducens inquit:* Et restituet omnia, *incredulitatem videlicet Iudæorum, qui tunc erunt residui ad fidem conuertet. Exquisitissime autem dictum est, qui restituet, non filij cor ad Patrem, sed Patris ad filium. Iudæorum enim filij Apostoli erant, ad quorum dogmata pectora Patrum, id est, Iudæorum generis mentem conuertet.* De diuersis loqui Prophetis Chrysostom. ostendit. *Sed ne turberis, neque in sermone vllum esse errorem putes, si modo quidem venturum esse; modo vero iam venisse dixerit: ambo enim hæc vera sunt. Quando enim dicit,* Helias quidem veniet & restituet omnia: *ipsum Heliam dicit, & eam quæ tunc futura est Iudæorum conuersionem. Quum vero dicebat, ipse est qui venturus erat, ipsum Ioannem propter ministerij similitudinem Heliam vocabat.*

Est hæc scripturæ nixa traditio, cui testimonium omnes Patres perhibent. Vtrumque enim viuere vitam certum est. Paulus ad Hebr. 11. Translatum ait Enoch ne videret mortem. Elias eodem modo raptus est, nec dum mortuus, morituros tamen constat, sed ad magnum al quod opus diuinâ prouidentiâ conseruari. Vt est Eccles. 48. 9. Vbi cum dicitur *Scriptus in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini; conciliare cor Patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Hæc de eodem Eliâ dicuntur, qui raptus est. non de alio. Cõnati sunt hæc euertere Iudæi, nam Abenesra illud Genes. 5. *Translatus est*, de morte interpretatur, contra receptam olim sententiam Synagogę; contra Philonem, lib. de vitâ sapient. Hæc quidem mansit in Ecclesiâ Catholicâ Scripturarum interpretatio. Nam & Iren. lib. 1. c. 5. & l. 4. c. 30. & Hieron. aduers. Pelag. lib. 3. ita sentiunt. Et Tertull. de anima, c. 50. *Translatus ex Enoch, & Elias nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Caterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.* Et c. 35. *Helias non ex discessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non est pollinimio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, idem ipse & sui nominis, & sui hominis.* Vide & Hieron. Epist. 148. ad Marcell. Interim amplectimur testimonium Caluini, qui hanc sententiam Papistarum asseuerat: vt omnibus sit manifestum, quantos viros, & quam Ecclesiam Papistarum inconsideratè agnoscat, omnem nempe ab Apostolis vsque antiquitatem.

§. 5. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. c. 22. *Petri nouam prophetiam esse putat. Igitur & Petrus meritò contubernium Christi sui agnoscens indiuiduitate eius suggerit consilium: Bonum est nos hic esse, bonum plane, vbi Moyses scilicet & Helias. Et faciamus hic tria tabernacula: Vnum tibi, & Moysi vnum, & Heliæ vnum. Sed nesciens quid diceret. Quomodo nesciens? Vtrumne simplici errore an ratione quam defendimus. In causa nouæ Prophetiæ gratia, Ecstasin, id est, amentiam conuenire? In Spiritu enim homo constitutus, præsertim quum gloriam Dei conspicit, vel quum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute diuina, de quo inter nos, & Psychicos quæstio est. Interim facile est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen & Heliam cognouisset nisi in Spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset, & similitudines, lege prohibente nisi quia in Spiritu viderat: & ita quod dixisset in Spiritu, non in sensu constitutus, scire non poterat.* Hocille ad confirmandas Montani nouas prophetias: Caphryges enim insanire, bacchari & gentilium more furibari solebant, cum suas prophetias proferrent.

VERSVS

VERSVS 14. 15.

Et cum venisset ad turbam, accessit ad eam homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

QVÆSTIO I.

Quis Lunaticus?

§. 1. PAter afflicti filii accedit Christum γονυπετῶν; *ingenua prouolutus*, vt Syrus habet, *super genua*, nam quod Beza ait esse illud κυλινδόμενον, non aduertit, Latinè nos dicere solere, prouolui in genua, etiamsi id fiat, sinè vlla omnino volutatione solum procidendo. Sic dicitur de Pindaro. *Verba deuoluit.* Dicere voluit Euangelista, parentem in genua procidisse, genibusque volutum, nec continuò surrexisse.

Genuflexio.

§. 2. Lunaticum vocat Græcè σεληνιάζεται. agitatur prolunari scilicet influxu, Syriacè dicitur בראגרא quod non nisi hoc loco inuenitur, & Matth. 5. versu penultimo. Dicuntur autem lunatici, qui ad Lunæ periodos morbis corripiuntur melancholicis, insania, & sub eius defectum morbo Herculeo. Nam ad mutationem humores valde immutantur. Recte igitur Origen. Medicos reprehendit, qui omnia illa humoribus attribuunt. Verum de Lunaticis, Atrabiliariis, & eiusmodi morbis alibi actum. Qui caduco morbo laborant, videntur aliquid interdum pati, quod dæmonis malitiæ tribuendum potius, quam passioni videtur, vt obseruat Iansenius. Verum id rarum est.

Lunatici.

§. 3. Lunaticum ergo esse ait, & Dæmoniacum: vtrumque fieri potest, vt & eo morbo correptus fuerit, & insuper à dæmone vexatus. Hoc enim fieri facile potest vt morbum ipsum dæmon exasperarit. Hieronymus arbitratur, secundum tempora Lunæ magis dæmonem sæuire, vt creaturam Dei infamet, ac deinde in ipsum autorem Deum blasphemiam deriuet. Vide locum Matth. 4. Ineptè prorsus Zwinglius dæmonium vocat, die Teuffelung *quasi dæmonitatem dicat, non tamen puram actionem, sed personale partim*, die beschwärd vt Buß die der arm Mensch hat, *nam dæmonium pro omni malo accipi potest, quod nobis aduersatur.* Quæ interpretatio falsa est, omnes enim circumstantiæ ostendunt, de dæmone seu damnato Angelo sermonem esse. Nec vnquam in sacris literis dæmonium aliter accipitur. Crudelitas dæmonis ex effectu apparet, nam coniicit in ignem & aquam. Fortem tamen illum dominantem crudeliter, mero imperio Dominus eiecit; nam ἐπετίμησεν αὐτῷ *increpuit* & cedere coactus est.

VERSVS 16. 17.

Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscum? vsq; quo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

QVÆSTIO I.

Cur discipuli non potuerunt sanare Lunaticum?

§. 1. CAusam Christus reddit: incredulitatem eorum. Marc. 9. 14. multo plura recensentur, & discipulorum cum Pharisæis disputatio. Sine dubio exprobrauit, quod dæmonem eiicere non possent. Generationem ἄπιστον incredulam, non credentem vocat, Syrus, & peruersam, distortã. διεστραμμένον similitudinem à lignis incuruis, aut etiam oculis sumptâ cum à recto deflectunt. An Patri adolescentis, an Iudæis dicat? an vero discipulis? controuertitur. Marc 9. v. 19. habetur, *Qui respondens eis*, id est, Patri & Iudæis circumstantibus; nam in Græco & Syro est singularis αὐτῷ *ipsi*. Sic Hila. Chrys. Hierony. Beda. D. Thom. Patrem non credidisse constat, cum dicat. *Si quid potes adiuua nos.* Et tandem credit, & rogat. *Vt adiuuet incredulitatem suam.* Origenes ad discipulos refert: Et certe Dominus eos incredulitatis arguit. Ex Marco tamen constat scribas redargui. vers. 16. *Et interrogauit scribas. Quid disputatis inter vos? Et respondens vnus è turba*, &c. Cum etiam irrito conatu discipuli dæmonem essent aggressi, malitiosè & peruersè insultabant, quasi exinanita Christi virtute, præteritorum contemptores, peruersus animus de aliena calamitate potius gaudere, quam de successu sanationis: quæ malitia planè intolerabilis Christo visa est. Ipsi quoque Christi interrogatione perculsi conticescunt. Patrem miserabilis filii dolor exclamare cogit. Sic Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Theophylactus.

Incredulitas Iudæi.

VERSVS 19.

Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis monti huic Transi hinc illuc & transibit, & nihil impossibile erit vobis.

QVÆSTIO I.

Quæ fides sicut granum sinapis?

§. 1. NOn erant discipuli ita infideles, vt fidem omnino amiserint. Nam quod 19 versu dicit, *si esset in vobis fides instar grani sinapis* non pronuntiat nullam esse, sed non efficacem. In grano enim sinapeos duo consideranda sunt, paruitas, & efficacia, vireſque, vtráque ex proprietate comparationes deduci solent. Vsitatum est enim ob diuersos effectus easdem res ad varias interdum etiam contrarias similitudines adhibere. Leo ob fortitudinem dicitur tribus Iuda, & Christus, propter rapacitatem autem & crudelitatem, etiam tyranni Leones appellantur vt cum dicitur educasse mater vnum *de leunculis*, & *effectus esse Leo. didicisse prædam capere*, & *hominem vorare*, sic fermentum quod mulier miscuit in farinæ satis tribus, significat Euangelium, Pharisæorum fermentum est Hypocrisis, & falsa doctrina. Hunc in modum, cum sit sinapeos magna vis & ardens, tam potest ad similitudinem trahi efficacitas illa, quàm paruitas.

Similitudines ex vna contrariæ.

paruitas. Itaque sensus verborum Christi est. Ideo eiicere dæmonem non potestis, quia deest vobis fides magna, efficax, æstuosa, quæ tanto par sit miraculo, ea si adesset: adesse autem debuit, postquam & tot mea vidistis miracula, & ipsi fecistis. Nunc cum miserum adolescentem videtis, quem à puero pessimus dæmon possedit, fides vestra elanguit, cum potius instar grani sinapeos quod frictu inardescit, & vim exerit, sese animare, & contra difficultates insurgere oporteret. Fides ergo, vt granum sinapeos est firma per spem & charitatem operatrix. non timida, non languida, sed excitata, animosa, rem arduam aggrediens.

Fides paruа non est efficax.

§. 2. Talem requiri fidem in Apostolis in confesso est. In Christum sanè credebant, & ante dies octo præeuntis Petri confessionem consensu approbarant: Non igitur infideles erant. Nec hoc vllo modo dicere Caluinistæ possunt, cum doceant, fidem semel acceptam nunquam amitti. A vero autem penitus alienum est, nullam Apostolos fidem habuisse ne minimam quidem, quale est granum sinapeos. Incredulitas igitur est fides imperfecta, quæ ad montes transferendos non satis virium habet. Paulus sanè ad montium translationem, non exiguam, sed ingentem fidem requirit: *Et si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam.* Omnis igitur fides, hoc est, perfecta, necessaria est: non sufficit exigua; non igitur Christus in paruitate grani sed efficaciâ similitudinem constituit. Cur enim si de solâ paruitate sermo est, vteretur potius exemplo grani sinapis, quam arenæ, festucæ, aut aliarum rerum. Si autem vires magnas in angusta mole, & latentem præstantiam demonstrare voluit, aptissimam similitudinem vsurpauit. Exigua res est, ne pulchra quidem, sed abiecta, granum sinapeos: at vires ingentes tam paruo corpusculo continet. De sinapi actum est à me, cum explicarem quomodo fiat arbor. Fides credentium in oculis hominum abiecta est, iactantiæ fugax, nimiæ simplicitatis contemptum trahit, stultitiæ opprobrio grauatur, sed tamen fortis est, adeoque potens, vt nihil illi sit impossibile.

Magna fides est montibus transferendis necessaria.

§. 3. Qui paruitatis comparationem esse interpretantur, triplici ratione mouentur. Nam & grani eam comparationem vsitatam aiunt, deinde hoc requirere montis antithesin volunt, denique nihil mirum esse, si magnâ fide mons loco moueatur, si vero paruâ id fide fiat, id vero esse admirabile.

Respondeo. Iam ante ostendi, rerum vnde similitudines capiuntur, non vnam esse affectionem, quæ proposito seruiat, vbi serpens nunc prudentiæ, nunc astutiæ & malitiæ Symbolum est. Granum sinapis quidem propter exiguitatem vsurpat CHRISTVS, sed tamen si rem spectemus etiam vires eius perpendit. Cum enim regnum cœlorum esse grano sinapis simile pronunciat, duabus ex rebus comparationem sumit, paruitate & efficacia. Nam minimum est omnibus seminibus, & tamen ita crescit, vt fiat maius omnibus oleribus, & fit arbor; ita regnum cœlorum initio minimum fuit, sed virtute sua creuit, vt omnia regna superaret. Hoc exemplo iam etiam de fide loquendum est. Si haberetis fidem sicut granum sinapis, quæ à tenui principio orta, celeriter suo calore excresceret, & in arborem roboraretur, non illa cederet difficultatibus. Sed continuo augeretur & diuina virtute firmata montes transferret. Iam vero quod ad antithesin pertinet, non consistit in eo, quod parua fides magnam molem transferat, sed quod fortis & magna præstet ingentia. Nam Paulus magnam fidem ad montium translationem requirit. Quin & hoc admirabile est, paruam fidem magna celeritate crescere, vt montem transferat, quemadmodum granum sinapis in arborem crescit, vt volucres habitent in ramis eius.

Sinapeos paruitas, & vires considerandæ.

Magna fides magna præstat.

§. 4. Fidem miraculorum nonnulli aiunt esse donum gratis datum, & ad voluntatem pertinere, siue spem firmam esse, alii vero sentiunt esse fidem Catholicam, seu certitudinem quandam illius peculiarem ex qua miracula oriuntur. Mihi certum est, fidem, quæ ad miracula pertinet, ad intellectum seu iudicium pertinere, licet ex ea Spes oriatur. Scriptura enim fidem credendo definit, & obiectum facit veritatem à Deo reuelatam: quod etiam hoc loco cernitur. Iudæorum enim & patris, cuius filius erat lunaticus, incredulitas seu ἀπιστία, in eo versabatur, quod existimarent Apostolos non posse, nec CHRISTVM sanare dæmoniacum, aut saltem dubitabant. *Si quid potes adiuua*: & hæsitationem fatetur, cum flens dicit, *adiuua incredulitatem meam*: in eo conueniunt interpretes, atque adeo non dissentiunt Caluinus, & hæretici: De Apostolorum incredulitate maior est difficultas: Non enim de Christi potentia dubitarunt, multò minus iudicarunt esse eum miraculi impotentem. Hinc alii fidem eorum imperfectam fuisse iudicarunt, alii alio in defectu incredulitatem constituerunt. De Apostolorum incredulitate etiam statuo, non fuisse illam voluntate, ideoque nec fidem, qua miracula facerent, in eadem potentia. Si enim in voluntate est fiducia, opponeretur & esset miraculi futuri desperatio, aut saltem Spes infirma, quæ miraculo non sufficeret. Si miraculum omnino desperabant, iam ergo præcesserat iudicium, non esse futurum. Quod enim iudicio fieri posse moraliter, & crebro expertus sum, non despero futurum.

§. 5. Non agitur itaque hic de fide miraculorum, quæ diuersa sit ab ea fide, quæ Catholica est, aut per quam fideles, & Christiani sumus, Parentem enim adolescentis pariter Christus reprehendit, & Iudæos, quod incredulus sit, nimirum ea fide careat, qua Centurio, Chananæa, cæterique beneficium impetrarunt. At verò nec ille reprehendi meruit, quod fide miraculorum careret, nec illi quod eam haberent laudati sunt. Bonum enim illud est, quod ex solo Dei nutu, non consensu voluntatis humanæ dependet, vt dona linguarum, sanitatum, aliaque ob quæ non laudantur, qui habent, nec vituperantur, qui carent; imò quæ sæpè impiis in aliorum gratiam conferuntur. Miracula enim à viuentibus facta non semper signa vitæ sunt innocuæ, sed diuinæ potentiæ testimonia.

Caluinus de fide speciali agi putat, & eam Apostolos sua ignauia suffocasse. Addit tamen: *Sed quod de particulari fide pro circumstantia differit Christus, ad communem totius Ecclesiæ fidem extenditur.* Qua ex re duo contrà Caluinianos porismata deduco. Nempe si quis communem totius Ecclesiæ fidem habeat, vt granum sinapis, eum montes posse transferre, nec esse separatam fidem miraculorum. Alterum ex Caluini opinione Apostolorum communem totius Ecclesiæ fidem ignauia sua suffocasse, quod enim de speciali fide dicitur, ad communem extendendum. Fidem ergo perdiderunt, ac proinde iustitiam, quæ sine fide nulla esse potest. Quandoquidem autem multi de fide miraculi varie disputant. præcipue ex hoc loco, vt ostendant, quod Apostoli non fuerint infideles, & quomodo fides vt granum Sinapis ad montes transferendos valeat, mihi breuiter res explicanda est.

§. 6. Fides

§. 6. Fides igitur, qua miracula fiunt, non est confidentia, seu fiducia, aut spes, quamuis spe sit opus ad facienda miracula. Rationes aliquas iam attuli, & aliæ supersunt. Paulus Apostolus. 1. Cor. 12. Fidem qua montes transferuntur, distinguit à spe & charitate. Pari modo Hebr. 11. Fides definitur, quæ ad intellectum pertinet; & cà tamen miracula facta esse Paulus dicit. Imperiti porro sunt, qui confidentiam constituunt fidem miraculorum. Si enim certa & infallibili voluntate speret, aut confidat, iam fore miraculum à Deo patrandum, vel præcessit iudiciũ certum & immutabile, quo iudicauit id futurum, vel absque eo iudicio spei rectitudo consistit. Hoc secundum fieri non potest, non enim fiducia est certissimæ adhæsionis, nisi fundamentum æque sit certum. Quis certissima confidat voluntate, si intellectus dubitet? Si rectum iudicium antecessit seu assensus, ille vel est reuelatione, vel naturali euidentia, vel singulari supernaturali impulsu. Si ex reuelatione iam fides est, ideo non propria spes. Si enim fide credit iam miraculum futurum, non sperat; quemadmodum Deum credo omnipotentem, non spero. Si non est reuelatio, non est fides, itaque nec spes quæ ex fide non oritur; fides miraculorum vocari debet. Cur enim fidem vocemus, quod nec fides est, nec ex fide ortum est? Quod nonnulli fiduciam ex bona conscientia ottã interpretantur, id quoque non potest dici. Nam illa fides non est, cum verbo Dei non nitatur.

Fides miraculorum negatur.

§. 7. Fides miraculorum non est particularis illa, qua Deus alicui reuelat miraculum futurum. Cum enim Deus Mosi reuelaret futurum, vt virga in draconem verteretur, multaque signa coram Pharaone faceret, fides, qua ista futura credidit, Catholica fides erat, qua omnibus à Deo reuelatis credebat. Multi autem miracula faciunt, quibus eiusmodi reuelatio antea nequaquam facta est. Quanquam autem ad miracula facienda est fides illa necessaria, non tamen est separata fides, aut distincta ab illa, quam fidem Theologicam nominamus.

Fides specialis explicatur.

§. 8. Ne illa quidem fides specialis est, & ad miracula pertinens, qua credimus Deum facturum miracula, positis conditionibus, sub quibus id promisit. Hoc enim est non minus virtutis Theologicæ, quam credere Deum veracem esse, & in promissis stabilem.

§. 9. Fides miraculorum non est iudicium particulare, quo quispiam iudicet, absque singulari tamen reuelatione, Deum præsenti rerum statu miracula facturum. Exemplo rem declaro. Abest Christus, adsunt Pharisæi, protrahitur lunaticus, fidei opus est ad dæmonium ejiciendũ: Fides qua ejiciendus est, non est iudicium seu assensus huius propositionis. Deus hoc loco & tempore per vos dæmonem ejiciet. Fides enim siue in intellectu, siue in voluntate collocetur, niti debet reuelatione diuina, ab ore Dei pendet. Cum enim certitudo sit, nec ex rebus naturalibus haberi possit, necesse est vt à Deo eam sortiatur. Itaque neque hæretici fidem illam appellant, nec quæ contra illam indicia sunt, possunt infidelitatis nomine accusari: cum valde incertum sit, quando, quomodo & vbi Deus velit miracula operari.

§. 10. Quod si absque reuelatione Deus animum ita occulto motu inclinet, vt omnino sibi persuadeat, iam futurum miraculum, vt iudicium hoc firmet: iam futurum miraculum, nec contrarium elicere possit, ita & ad actum. Et specificationem actus à Deo determinetur, erit quidem hoc bonum, & gratia, certoque miraculum consequetur, non tamen hoc iudicium fides est, quia caret formali ratione fidei, quæ est reuelatio. Hic autem actuale auxilium & motionem. Sine reuelatione, assensum fidei operari negamus. Nec Apostoli reprehenduntur, quod tale auxilium non acceperint à Deo. Denique nolo, hac in re fidem, aut infidelitatem vocari eam, quæ non habet pro obiecto rem reuelatam, si enim reuelatio accedat, iam ad fidem quæ est virtus Theologica pertinet.

§. 11. Apostolorum igitur incredulitas in eo cernebatur, quod cum dæmoniacum cernerent, se etiam potestatem accepisse ejiciendi cognoscerent, fidem tamen actualem non excitarent, non considerarent Christi promissionem & potentiam, sed torperent, & quia non credebant actu, ideo vocatur incredulitas, quod tali occasione peccatum est, cum Dei honor ageretur, & hominis salus miseri, cum opus esset omni modo conniti, non excitarent in se fidem, hoc est actus eius heroicos, oraient etiam, & ieiunarent. Ideo fides non erat, vt granum sinapis, vim enim & actiuitatem non exercebat, habitus manebat, nullum fidei articulum negabant, sed cum fides esset alioqui adhuc debilis, vera tamen, non poterat ad miraculum faciendum inualescere. Incredulitas ergo fuit causa, non eiecti dæmonis, sicut orationis & ieiunij neglectus: Non actio contraria fidei, sicut nec actio contraria orationi, vel ieiunio. Non enim vel Deum blasphemabant, vel luxui vacabant.

Fides actus negligunt.

§. 12. Vnde fidei tanta relaxatio fuerit, non potest nobis constare. Non est facta sola Christi absentia; missi enim ad prædicandum signa faciebant absente Domino. Qui inuidiam in causa esse existimant, quod solos tres secum Christus in montem adduxerit. Suspicioſi sunt, vt Lyranus, ne sciebant enim quantorum illi mysteriorum participes facti fuerint. Alij dæmonis proteruia, scribarum disputatione, vt insultatione, fractos arbitrantur, quod probabile est, quamuis teporem aliquem præcessisse non dubium; alioqui deiecti non fuissent. Ardor igitur fidei elanguit, orationem & ieiunium aduersus tam ferocem dæmonem non adhibuerunt. Hæc tamen omnia in gloriam Christi cesserunt, dum verbo & mero imperio dæmonem ejicit, Iudæos redarguit, Apostolos ad fidem, orationem, ieiunium incitat, ad modestiam reuocat, omnemque gloriandi occasionem præcidit. Hæc tamen integram causam non conficiunt, miracula enim, faciunt sæpe homines improbi, quemadmodum linguis loquuntur, qui tamen fidem, charitatem iunctam non habuerunt.

Tepor præcessit.

§. 13. Cum tamen miracula improbi faciunt, vel etiam infideles, alia ratio esse videtur. Nam fideles & impij interdum miracula faciunt, magnam vim & insignes actus eliciunt, atque ita Deo concurrente miracula edunt. Cùm infidelium opera in miraculis Deus vtitur, id solum facit, vt gloriam suã manifestet, & atheismum è medio tollat. Sic quosdam permisit in nomine Christi dæmonia ejicere, qui Christum tamẽ non sequebantur. De fide igitur communi agitur, *quam torpor*, vt ait S. Hilarius, *relaxarat*, non imminuto habitu, sed ex occasione, actibus suppressis. Caluinus ait partem credidisse, partem non credidisse: quod si ita intelligat, quasdã propositiones fidei credidisse, alias falsas putasse, seu de illis dubitasse, fallitur. Qui de vno fidei obiecto dubitat fidem amisit. Zwinglius vacillantes fuisse dicit, & desperantes de salute hominis. Illa tamen desperatio contra fidem non fuit, non erat enim

contrarium reuelatum, temeraria tamen fuit, & valde culpabilis, si fuit exorta ex tepore, quod fidem suam non excitarent.

§. 14. Atque hinc redditur facilis ratio, cur si fides miraculorum sit fides Catholica, non omnes fideles eijciant dæmones? Ita Aragonius 2. q. 1. & Abulens. Non enim omnes fidem habent adeo excitatam, aut illos actus producunt, quibus miracula fiunt, oportet enim fidem esse, vt granum sinapis. Hinc fit, vt etiam qui fidem illam habent, aliquando ex ea miracula faciant, aliquando nequaquam vt iam apparet in Apostolis. Nam etsi hoc dæmonium Apostoli eijcere non potuerunt, non tamen ideo fidem miraculorum semel datam amiserunt, alia enim eijcere poterant, verum hoc genus non eijciebatur, nisi per orationem & ieiunium. Augustinus litem decidit Serm. de verbis Domini. serm. 36. Et Chrys. Ex imperfectione Apostolis accidit, vt maiore infirmitate languerent. Et Hilar. can. 17. interpretatur. Marci. 11. 23. obiectum fidei describi videtur. Verum iam antecessit, *Habete fidem Dei, vel vt alij, credite Deo.* Hoc est quod promisit. Nam si non promisit, non erit causa credendi, aut sane loquitur de illis, quæ fide petuntur vera, hoc est, quæ ita petuntur, vt iudicet quispiam, se accepturum, si conditiones adsint omnes, quibus positis Deus datutus sit. Iubet credere, futurum vt accipiant quidquid petierint, multi tamen non accipiunt; quia subest causa non dandi, vel quia melius aliquid dare constituit, vel quia quod petitur, melius negatur.

QVÆSTIO II.

An nihil impossibile sit fidei?

§. 1. NIhil erit impossibile vobis, οὐδὲν δυνατήσει ὑμῖν, Syrus habet ומידם לא נחסנבון *Vmedem la nechsanchun: aliquid non erit potentius vobis.* Seu, *non præualebit vobis.* Fide omnia quisque potest; non enim sua, sed Dei manu operatur. Magna igitur est potentia fidelium, cum omnia à Deo impetrare atque efficere possint, idque quod mirabilius est, etiamsi Dei amici non sint.

Fidei potentia.

§. 2. Accipienda illa Christi verba sunt, vti alia quæ generalem doctrinam continent, positis nempe conditionibus, quas recta ratio dictarit. Non enim fides peraget negotia, si quis ociosus spectator, suarum rerum negligens manum non admoueat. Nec ad curiositatem sed necessitatem & sobrietatem miraculorum virtutem Deus elargitur.

§. 3. Impium est, quod Caluinus in hunc locum commentatur. *Certum quidem est*, inquit, *hyperbolicam esse loquendi formam, cum fide transferri pronuntiat arbores & montes.* Summa tamen *huc redit, Deum nunquam nobis defore, modo ianuam aperiamus gratiæ eius.* Impia est illa interpretatio. Christus cum dixisset, credenti nihil esse impossibile, duo quæ maxima videntur opera fidei producit. Montium & Arborum (apud Lucam cap. 17. 6.) translationem. Si hyperbole est, ementiens ergo superiectio, non ergo inter miracula continentur. Non nego in Scripturis esse interdum hyperbolas, quæ tamen verum sensum habent, huic loco conuenire nego. Quia Christus magna asseueratione hoc futurum pronunciat, si falsum est, eos decipit, non enim effici per fidem hoc potest. Deinde Paulus frustra dicit; *Si habeam omnem fidem ita vt montes transferam,* Si id fieri non potest. Habuit Caluinus vnde ista disceret, quosdam religionis Christianæ irrisores apud Hier. in Commen. qui negabant Apostolos fidem habuisse, quod montes nullos transtulissent. Potuisse fieri, si occasio aut causa fuisset. Deinde factum esse, vt est in historia Gregorij Neocæsariensis. Addo etiam Pauli Veneti. lib. 1. c. 18. in Armenia monte translato. Nec dubium montes cessuros fuisse, si Apostoli mandassent.

Non est hyperbole.

VERSVS 21.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum.

QVÆSTIO I.

Cur orationem & ieiunium dæmoni eijciendo necessarium dicat?

§. 1. INcredulitatem causam esse dixerat, cur non possent eijcere dæmonium, addidit: habentibus *fidem vt granum sinapis, nihil esse impossibile.* Quorsum igitur nunc orationem & ieiunium requirit, quasi fides sola sine his propositum tenere non posset? de ieiunio exorcistæ loquitur, quamuis & Energumenis sit vtile? Aduersus dæmonum, inquit Augustinus Serm. 230. de tempore, *nequitiam, qua nobis Dominus arma ostendit, debemus vtique retinere. Hoc autem genus in nullo eijcitur, nisi in oratione & ieiunio.*

§. 2. Diuersa dæmonum sunt genera, hic de obstinatissimo & ferocissimo agitur, cui eijciendo plura sunt adhibenda remedia, oratio & ieiunium. Iam autem Christus semina ieiunij spargere cœpit, vt monet S. Chrysostomus. Chrysostomo autem è diametro Zwinglius aduersatur. Per ieiunium enim νηστείαν intelligit abstinentiam ab omni scelere. Atque ita loquitur, vt fidei omnia tribuat, non autem ieiunio quicquam. *Sæpe*, inquit, *redeundum fidelibus & innouanda fides: Nam caro distrahit, & subinde de abstrahit à Deo, oratione igitur & ieiunio redeundum,* Mitt betten vnnd Ernst/ *hoc est, oratione & serio.* Itaque ieiunare est Zwinglio, *Serio agere.* Ita Deus dat in reprobum sensum, qui suo fastu scripturam premunt, & deprauare conantur, veteri Ecclesia contempta. Bullingerus cum de oratione, & ieiunio dicit Dominum subducere orationem fingit ad omnes tentationes & impuritates diaboli. Monet tamen Ecclesiam, vigilet, abstineat, oret. De vero itaque proprioque ieiunio Dominus loquitur, Etsi enim ieiunium interdum mystice de omnium vitiorum fuga Patres interpretantur, non ille tamen huius loci sensus est. Vt ijdem docent.

§. 3. Risi cum legi apud Aretium Caluinistam, *ieiunium esse sobrietatem.* Si enim ad certum hoc genus dæmoniorum eijciendum sobrietatem requirit, ad cætera ergo eijcienda non est necessaria, sed ebrij quoq; inter pocula exorcistarum officio fungi possunt. Quin etiam in Apostolos contumeliosus est, quasi sobrij parum fuerint. Si enim ieiunare est Sobriũ esse, ergo non ieiunare est, sobrium nõ esse. Caluinus videtur verum ieiunium cum vera famis molestia intelligere: cum negat posse in hoc certamen descendere molles exorcistas, dæmonem nisi summa contentione non vinci.

§. 4. Ne aliquid ieiunio tribuant hæretici, tantum-

tumne

tummodo excitari per illud & acui fidem commiscuntur, languori Fidei remedium præscribi orationem, orationi præsidium peti ex ieiunio, ait Calu. in Harmon. Hunc vero errorem Christus excludit. Nam si sola fide dæmon pellitur, sufficit eam esse, quale est granum sinapis, siue à ieiunio, siue aliunde excitata sit, at nunc duo alia proponit, & adiungit diuersa remedia sine quibus fides efficax non est. Quo ex loco etiam satis intelligi potest, quam vocet fidem sicut granum sinapis, nempe ardentem charitatem, orantem, ieiunantem, corpus pro aliena charitate affligentem, ne vero putetur tantum dicis causa dici de ieiunio. Marcus 9. 29. clarius exponit. *Hoc genus in nullo ἐν οὐδενί Seu nullare*, vt Beza vertit, potest exire nisi in oratione & ieiunio. Orationem & ieiunium facit instrumenta ejiciendi Dæmones, quia de fide mentionem non facit. Concludit tandem. *Hinc clare apparet, quam ridicule papistæ antidotum in ieiunio constituant, fugandis diabolis, quin Dominus non alio refert, quam ad acuendum precandi ardorem.* Antidotum fugandis dæmonibus est non modo oratio, ieiunium, Eleemosyna, castitas, aliæ virtutes, sed imprimis charitas. Non iussit eos Dominus orationis ardorem acuere ieiunio, & ita fidem accendere, Sed oratione & ieiunio pelli dicit, & sine illis pelli non posse. Nec potest exire nisi per precationem & ieiunium. Cur ergo non sit nobis antidotum, sine quo pelli non possunt, & per quod pelluntur? Fides accendi, non solum oratione & ieiunio potest, verum etiam audito, vel lecto verbo Dei, pia creaturarum consideratione, Sacramentis, & vt nuper quidam poetæ impuri Tubingæ falso cecinerunt, concubitu. Hoc enim modo posse aiunt intelligi, Dei patris amorem in filium, si ipsi quoque filios generent, alio modo non posse, Si igitur fidei augmentum duntaxat erat necessarium, id dicendum erat, de oratione & ieiunio nulla facienda mentio.

Calvinus deinde verba Christi inuertit ita tamen, vt suam etiam opinionem refutet. Quum autem illud genus dæmonij aliter ejici posse negat, quam precibus & ieiunio. Sensus est, *Vbi altas radices fixit Satan & diuturna possessione inualuit, vel vbi effrenâ licentia grassatur. Difficilem esse & arduam victoriam, ideoque totis viribus pugnandum.* Orare ergo & ieiunare est totis viribus contra dæmonem pugnare. Nam sola fides non magnopere in pugna laborat.

Multi quoque putant, illud dæmoniorum genus hic signari quod diu hominem obsedit. Vt Stapl. in antid. Lyranus, Spiritum fornicationis. Caietanus genus esse, quod surdos & mutos faciat. D. Thomas, & Chrysostomus: omne genus dæmoniorum. Verum constat hic singulare genus indicari, contra quod ieiunio pugnandum. Basilius ieiunium vocat armaturam, qua aduersus impios Spiritus sit pugnandum. Sed si fidei sit opus, cur ieiunare oportet: quærit Chrysostom. *Quia vna cum fide non paruas vires adfert ieiunium. Qui orans ieiunat, binas habet alas, inquit, quibus ipsos ventos volando præteruehitur*, sic Clemens Roman. Constit. Apost. lib. 5. cap. 19. Iustinus ad Anton. Pium. Irenæus lib. 2. §. 56. Athan. Exhortat. ad Monachos, allato Exemplo Niniuitarum, Bethulienſium, Mardochæi, & addit. *Hu* (ieiunijs) *Saluator noster in carne hominis, quam assumpserat suadelas diaboli tentantis obtundit. Quas etsi aliter potuisset expellere, docendos tamen populos voluit hac imitatione formare.* Ieiunium sane Christi fidem, quam non habebat, non accendit. Plura, l. de virginitat. Et Ephrem de Ieiunio. Epiphan. in comp. doctrin. ieiunare nos, ait, vt pro peccatis nostris ieiunia nobis apud Deum *supputentur*. Hil. in Psalm. 118. *Alius ieunio placet, alius simplicitate fidem promeretur, alius vitia Eleemosyna redimit.* Ambr. de Helia & ieiunio. *Magna virtus ieiunij & tam speciosa eius militia est, vt ieiunare delectaret & Christum. Tam valida, vt ad cœlos homines eleuaret.*

Tubingenſium portentum impium.

Vide valetudinarii portentum.

VERSVS 22. 23.

Et occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma.

QVÆSTIO I.

Quomodo contristati sunt?

§. 1. AVdito iam sæpius de morte Christi præsagio turbantur, & contristantur valde. Marcus. 9. 31. *At ipsi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum.* Et Lucas. 9. 45. *Fuisse occultum, vt non sentirent illud.* Aliquomodo igitur intelligebant. Sed tamen aliud latere existimabant. Verba enim ipsa audire & percipere necessario debuerunt. Sed tamen quia vix tantam Christi cladem & ærumnam ad animos admittebant, parabolas, aliaque secum cogitabant. Qua de causa etiam de Petri primatu post non satis considerarunt, ambitione aliqua impediti.

Tarde credimus, quæ fieri nolumus. Et ipsa tamen dubitatio animum magis, ac magis angit. Id explicuit Chrysostomus, & causam reddit, cur post vocem patris, & tam multa audita adhuc hæsitarint. Factum est hoc, inquit, quod adhuc ignorarent, vim eorum quæ dicebantur, quod Marcus, & Lucas innuendo dicunt. Quod quidem ignorabant verbum, & interrogare timebant. Sed quomodo si ignorabant, dolebant? Respondet. ὅτι οὐ πάντα ἠγνόουν. Quod non omnia ignorabant. Nam de morte sciebant, continuo enim audiebant. Sed quod mortem breui euasurus, & resurrecturus esset, quæque inde bona secutura, non perspicue cognoscebant. Malebant eius sine morte gloriam videre. Amor autem magnus etiam breuia amici mala abesse vellet, & immortalem amicitiam esse volebant, eam morte rumpi morte grauius existimabant. σφόδρα γὰρ ἀνεσείχοντο τῷ διδασκάλῳ, valde enim adhærebant magistro, inquit Chrysostomus. Stabilis erat amor, qualem & mundani amici quærunt, sed non inueniunt. Dicunt illi:

οὐδεὶς ἐρᾷ σης ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ

Nullus amator, qui non semper amat.

Apostolorum amor immortalis erat, ideo & maior ex aduerso dolor. φιλία, est τῶν βεβαίων, stabilium fortium, dolor amantium.

VERSVS 24.

Ait, etiam. Et cum intrasset in domum præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum: à filijs suis, an ab alienis?

QVÆSTIO I.

Quod fuerit didrachma?

§. 1. Τὸ δίδραχμα vocatur, quædam tamen exemplaria habent, τὰ δίδραχμα. Ita etiam Beza, alijq; legunt. Didrachma Maldonatus ait duo regalia, duos iulios decem solidos gallicos. Siclum autem Hebraicum fuisse Tetradrachmum. Syrus habet: תרין זוזין דכסף רישא. *Theden Zuzin dacteseph risicha.* duo Zuzin argenti capitatim. In margine Bibliorum regiorum ex Elia adscriptum est דינר וזוזהרא אלא שבור הוא שבסם ודינרש זהב וארבם זוזין הם סלע

Denarius. Hoc est ad verbum, *Et zuz & denarium vnum est, nisi quod zuz est de argento, denarius de auro: quatuor zuzin faciunt selaph, hoc est siclum.* Quod distinctionem de denarijs addit, id certe in lingua latina falsum est, sæpius de argenteo denario agitur.

§. 2. Quis porro census ille fuerit, non consentiunt. Sunt quibus ille videtur esse, de quo Exod. 30. 13. *Hoc dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli, mensuram templi. Siclus viginti obulos habet*, Media pars sicli offertur Domino. Siclus autem est tetradrachū, dimidia pars didrachma. Nonnullis videtur id esse quod datur Num. 3. 46. & 47. pro primogenitis. Verum illud tum solum datum est, non postea. Non igitur hoc vllo modo probabile est, licet autores habeat magnos.

Siclus.

Census Romanus. §. 3. Tributum Augusti fuisse plures existimant. Ille enim censum egit cum Christus nasceretur. Postea Vespasianus id quod templo dari solebat iussit Capitolio inferri. Ioseph. de bello. lib. 7. c. 26. Imo ante Augustum & Romanos Asiatici reges fecerunt, & Romani cupidè, vt erant auaritissimi, sunt imitati.

§. 2. Ratio, qua se liberum à censione demonstrat difficilior est vt dixi ipsa sententia, quæ probâda erat. Reges, inquit, ab alienis tributum accipiunt non à suis filijs, ego sum filius, ergo liber à tributo. At non erat filius regis alicuius terreni, Augusti vel Tiberij, aut Herodis. Deinde reges etiam tributum accipiunt à filijs regum alienis. Respondent aliqui, agi de didrachma quod templo soluebatur, hoc est, regi Deo, regi æterno, liberum ab eo esse filium naturalem Dei: eius etiam ministros domesticos, qui cum eo versabantur. Tota enim aula regia libera est: sed soluere gratuitæ liberalitatis erat.

§. 3. Nec minor etiam vis argumenti fuerit, si alio modo proponatur. Filij regum liberi sunt, nec census dant patribus, multo magis igitur liberum esse oportet filium Dei, cuius potestas est in ipsos reges? Si Herodes aut Philippus Tetrarchæ filios suos non censent, nec eorum domesticos, multo minus, filios Augusti, aut Tiberij Cæsarum, dominorum suorum censere debent. Cur ergo filium Dei cuncta videntis? Cuncta supercilio mouentis? Cuius in femore scriptum est, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Cum autem Dominum maris se ostenderet, testatur se non obligatum censionibus tyrannorum. Errant ergo qui Petrum arbitrantur metu sic respondisse, ne dubitare videretur, aut Magistratui se opponere.

§. 4. Christum enim alijs annis soluisse probabilius est, eiusque rei Petrū consciū fuisse. Quærunt enim an non soluat, hoc est, non soleat soluere? De consuetudine autem ille respondet. De metu quod dicunt: leue videtur, poterat enim cum Christus in conspectu esset, ab ipso quærere, quid faciendum esset. Nec periculum erat ne indignarentur, si etiam in re nota Magistrum discipulus rogaret, quid agendum esset. Præsertim cum non nisi Domino conscio solui census ille posset.

§. 5. Qui Christum tributo dando obligatum docent, mihi sane errare videntur. Nec Paulus illis fauet vllo modo. Nam quod ait, nobis similem per omnia, excepto peccato, hoc de carnis mortalitate. & imbecillitate dictum est, non de subiectione, qua magistratibus obligatus erat. Nemo enim est, qui legibus imperatorijs Christum subijciat, vt nempe nomen daret militiæ, vt susciperet onera ciuilia ciuitatum: tutor, testamentarius, decurio esset, aliaque subiret, ad quæ ciues lege cogebantur.

VERSVS 26.

Vt autem nō scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies stater em: illum sumens da eis pro me & te.

QVÆSTIO I.

An Christus debuerit tributum soluere?

§. 1. NOn est in ipsa sententia difficultas, sed in ratione, qua eam Christus probat. Christus enim filios regum liberos à tributo significat, & se tanquam filium æterni regis eadem libertate gaudere concludit. Nec tributum dare tanquam debitum. sed ne eos scandalizaret. Deum igitur se esse indicat omnique onere immunem, & tamen nobis indicat, scandalum omni modo fugiendum esse.

QVÆSTIO II.

Quomodo dedit?

§. 1. DVo proposita Christo erant, libertatem suam suorumque tueri, nec tamen scandalo occasionem præbere. Itaque dari iussit. Sed magno miraculo soluit: piscem enim præparauit, qui staterem in ore habuit, quem staterem ipse formauit & ori imposuit. Non enim solent pisces stateres ore retinere. sed si capiant in ventrem dimittere. Stater autem siclus erat seu Tetradrachum, Syrus vocat אסטירא *Estira staterem*, paululum nomine græco variato: piscis est apud Plinium qui Faber dicitur, & Piscis sancti Petri Christi anis.

QVAESTIO III.

An scandalo fuisset illis Dominus, si non dedisset?

§. 1. DIstinctione rem expediunt: acceptum scandalum futurum fuisse, non datum. Hoc tamen ipsum vitare charitatis esse. Timendum vero erat, ne

rat, ne si non solueret, turbæ eius autoritate vterentur, & tributum recusarent. Constat enim paulo post Christum accusatum, quasi prohibentem tributum dare Cæsari.

QVÆSTIO III.

Cur pro se & Petro soluit?

§. 1. HÆretici ne Petrum præ ceteris honoratum concedant, eum domum Capharnaum habuisse fingunt. *Petrus erat ciuis*, inquit Musculus, *ideo exigebatur tributum.*

Respondeo. Andræam quoque ciuem fuisse, & Christum non fuisse. Ideoque à Petro & Andræa petendum fuisse, non à Christo. Beza etiam domum habuisse Capharnaum existimat: At è contrario Christus non habuit vbi caput reclinaret. Nec domus erat causa huius census, Capitatio enim erat, vt expresse Syrus interpres ponit. Pro Petro igitur soluit, non pro reliquis, quia ipse caput erat Collegij Apostolici, & singulari illo honore donandus. Irridet Caluinus Catholicos. *Ridiculi ergo sunt Papistæ*, inquit, *qui tam friuolo prætextu Petrum dignitatis socium Christo faciunt. Vicarium*, inquit, *sibi elegit, & pari secum honore dignatus est, quem solutione tributi sibi æquauit. Atque hoc modo subulcos faciunt omnes Christi vicarios: quia tantundem & illi pendebant.*

Respondeo, Infelix præstigiator & verba & sensum Catholicorum deprauat. Nemo Petrum dignitatis socium Christo facit, monarcha solus, socium regni sui non admittit, licet omnes Sancti cum ipso, & sub ipso regnent. Pari honore nunquam Petrum dignatus est, nunquam sibi æquauit; infinitissimis enim spatijs distat honor Petri, à maiestate Christi. Par tamen aliquid præstitit Petro, quod sibi etiam exhibuit, cum soluit parem pro se & Petro censum, quo Petrum non fecit sibi parem. Sed par pretium pro vtriusque capite, hoc alteri Apostolorum nemini præstitit, cum facile plures stateres posset dare. Petrus Domum Capharnaum non habuit, iam enim dudum omnia reliquerat. Nec tamen ideo subulci omnes vicarij Christi: Eos enim nec Christus tributo immunes pronunciauit, nec stateram miraculo pro illis dedit. Non sunt Vicarij Christi, qui tributa pendunt, sed honoratus est à Christo, quem solum ex omnibus Apostolis elegit tanti miraculi administrum, & pro quo miraculosum stateram dedit. Apostoli cæteri non magis immunes erant, quam Christus aut Petrus. Christum vero cõtumelioſe aggressos exactores existimat. Quærunt inquit an solutus sit legibus, quia tanquam incertus hospes, huc illuc discurrat. Atque id in alios etiam Apostolos conueniebat, quos eodem modo sine dubio sunt aggressi, si verum est quod de Christo ille fabulatur. Et tamen pro illis Christus non soluit, postquam illum liberum pronunciasset. Quod si subulcorum quempiam Christus aduocasset, immunem à tributo edixisset, & tamen ne alios scandalizaret miraculo, stateram pro se & subulco dari iussisset, dubio procul magnum ille sibi honorem à Christo habitum haud falso iudicasset. Aliter sensit de hoc Aug. l. 99. vet. & noui testamenti. Dicunt ergo exactores didrachmæ ad Petrum Apostolum. *Magister vester non soluit didrachma &c.* Quo dicto Magistrum vt pro omnibus discipulis solueret, conuenerunt. Saluator autem cum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causę magisterij, ita & post Saluatorẽ in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Non igitur subulcum Augustinus Petrum, sed pastorem Dominici gregis iudicauit à Christo honoratum.

QVAESTIO IV.

An Christiani omnes à tributo liberi?

§. 1. ANabaptistarum error seditionum & rebellionum fons, Christianos liberos esse, & immunes à dandis tributis. Filij enim Dei sunt, filij autem liberi. Respondeo. Filios Dei qui adoptione tales sunt non esse liberos, filium Dei naturalem liberum esse. Petrum autem & Apostolos ratione vocationis, & contubernij liberos fuisse. Alios vero Christianos oneribus ciuilibus teneri, & si in seruitute sint, obedire Dominis oportere. Spiritus enim libertatem nobis, non carnis Christus contulit.

§. 2. Ciuili lege seu priuilegio non modo corpora Clericorum, sed feuda etiam & possessiones Ecclesiarum exempta sunt à censione ciuilis Magistratus. Habent vero hoc varijs regum & principum piorum donationibus, quæ reuocari non possunt, cum iam in pacta & publica fœdera transierint, quæ sunt inter regnum & Ecclesiam.

§. 3. Quærit Beza: Vnde Pontifici ius ciuile in magistratus, cum Petrus soluerit didrachma.

Respondeo. Non esse Pontifici Romano potestatem ciuilem supra magistratus, sed spiritualem, vt Pastoris supra oues. Quam porro ridiculum sit ex Christi facto de iure Pontificis argumentari, cuilibet considerandum relinquo. Soluere stateram Christus iubet, non tanquam debitum, sed ne ignorantes scandalizarentur, non ergo Pontifici ius detraxit, sed potius asseruit. Quin ipsi exactores, siue pro templo siue pro Romanis pensionem exigebant, non suo more audacter, & pro imperio postulant, nec Christum adeunt, sed modeste à Petro quærunt. Deinde solutione stateris contenti sunt. Miror etiam Bullingeri intemperiem, qui post multa in Pontificem conuitia tandem concludit, Christum se publicis nõ subtraxisse oneribus, imo etiã dimidium siclum pro Petro soluisse, ne eius successores tributa sancto Magistratui negarent, concidere ergo Decretales, Clementinas & Extrauagantes. At Christus soluit ne scandalizarentur; hoc est, vt ipse Bullingerus interpretatur, alij ne imitarentur, ne turbam excitemus, fateturque Christum suo iure cessisse; cum ergo ea de re Christus protestetur, quomodo præiudicium voluit Petri successoribus adferre?

§. 4. Hussus olim hoc loco contra Clericorum immunitatem abusus est, & auorum memoria Marsilius. *Christus*, inquiunt, *ipsemet dedit tributum potestati seculari pro se & Petro.* Agnouit ergo se ciuili magistratui subiectum. Et Ioan. Marsilius. [Ostenditur rursum idem ex Matt. 17. vbi sic scribitur, *Accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum &c.* & consequenter paucis interpositis subditur, quod Christus dixit Petro; *Vt autem non scandalizemus eos &c.* nec dixit tantummodo Dominus *da eis*, sed dixit, *da eis pro me & te. &c.* Quo igitur modo ex virtute verborum Euangelicæ scripturæ, sunt exempti Episcopi & presbyteri ab hoc, ne vniuersaliter à principum iurisdictione, nisi gratiosa eorum concessione, cum Christus & Petrus exemplum præbentes alijs, tributa soluerint? Et licet Christus secundum carnem de stirpe regia, hoc non debuisset fortasse, Petrus tamen de stirpe regia non existens, nec talem exemptionis habebat causam, sicut nec habere voluit. Quod si Christus putasset inconueniens futuros sibi successores in officio sacerdotali tributa soluere, ac ipsorũ tempo-

Hæreticorum argumẽtum.

temporalia subiecta fore principibus seculi, potuisset ipse absque mali exempli exhibitione (videlicet subijciendi sacerdotium iurisdictioni principum seculi) aliter ordinasse, atque expediuisse illos exactores didrachmæ, vt puta, remouendo ipsis petendi talia intentionem, aut alio conuenienti modo; sic autem facere non reputauit inconueniens; quin imo soluere voluit singulariter inter Apostolos Petrum sibi associans in hoc. Quitamen Ecclesiæ præcipuus Doctor, & Pastor, futurus erat, vt tali exemplo aliorum nullus sic facere recusaret &c.]

Hunc ego admiratus sum pro serenissima Republica talibus vsum argumentis. Quid enim si Christus & Apostoli Venetijs vitam agitassent, ab eis se tributum iure exigere existimarent? aut Christum tributarium Romanis censent, id vero cum ipse solenniter se liberum esse protestetur? At illi ad normam Hussi & Wicleffi à delinquentibus bona Ecclesiastica auferri posse docent, qui etiam Pontificem Magistratui ciuili subdit. Verum iam olim exempti fuerunt etiam ante Iulianum Apostatam. Sozom. lib. 4. cap. 5. Idem leges Iustin. Capitula Caroli magni. cap. 2. & 33. & 34. & Iren. lib. 7. cap. 205. & legum Francic. lib. 6. 187. Vide Trid. sess. 22. & 20. Lateran. sub Leone 10. Verum de illa quæstione vide eos, qui ante paucos annos contra causam Venetam scripserunt. Cæsaris Baronij, & disceptationem Nicodemi, etiam Cardinalem Bellarminum, varios tractatus, Theodorum Eugen. Bonif. Bedraz. Hugel. Bartholomæi Medices Bernardi Iusti. Denique Iacobi Gretseri tres. & Adami Tanceri duos libros, de immunitate Ecclesiastica.

De Christi vero immunitate hunc in modum Chrysost. disputat. ὅ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν. ἐλεύθερός μού εἰμι ὁ θεῖναι κλῶσον. εἰ γὰρ οἱ γῆς βασιλεῖς ἀπὸ τῶν ἰδίων υἱῶν οὐ λαμβάνουσιν, ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων. Πολλῷ μᾶλλον ἐμὲ ἀπαλλάττειν δεῖ ἀπὸ τῆς ἀπαιτήσεως ταύτης, ὡς θυγατρὸς βασιλέως, ἀλλὰ τῶν ἀρχόντων ὄντα με υἱὸν, καὶ βασιλέα. ὁρᾷς πῶς διέστειλε τοὺς υἱοὺς καὶ τοὺς ἀλλοτρίους: ἡ δὲ ἐκ τοῦ υἱὸς εἰκὴ καὶ τὸ ὑπόδειγμα παρήκασε τῶν βασιλέων. ναὶ φησιν υἱός. ἀλλ' ὡς γνήσιος. ὡς ἓν οὐχ υἱός. εἰ δὲ οὐχ υἱός, οὐδὲ γνήσιος, οὐδὲ αὐτὸς, ἀλλὰ ἀλλότριος. εἰδὲ ἀλλότριος, οὐδὲ τὸ παρεδείγμα ἔχει πρὸ ἰδίαν ἰσχύν, αὐτὸς γὰρ ὡς τῶν υἱῶν ἀπολῶς, ἀλλὰ ὡς γνήσιον διαλέγεται καὶ ἰδίων, καὶ τῶν κοινωνούντων τοῖς γεγεννήσι τῆς βασιλείας. διὸ καὶ πρὸς ἀντιδιαστολὴν ἔθηκε τοὺς ἀλλοτρίους, οὕτω καλῶν. τοὺς ἐκ ἐξ αὐτῶν γεννηθέντας. τοὺς δὲ αὐτῶν, οὓς ἐξ αὐτῶν γεγεννήκασι. σὺ δὲ μοισκόπει κἀκεῖνο. πῶς τὴν ἀποκαλυφθεῖσαν τῷ πέτρῳ γνῶσιν, καὶ ἐντεῦθεν βεβαιοῖ. καὶ ὁδὲ ἐνταῦθα ἔστι. ἀλλὰ καὶ διὰ τῶν συγκαταβάσεως τὸ αὐτὸ τοῦτο δηλοῖ. ὅπερ πολλῆς ἐστὶ σοφίας. id est. Quod autem dicitur, tale quid est. Immunis ego à censu sum. Nam si reges terræ non à filijs sed à subditis censum capiunt, multo magis me, qui non terrarum, sed cœlorum regis filius sum, liberum à tributis esse oportet. Perpendis quo modo distinxit filios à non filijs? Si enim filius non esset, hoc profecto regum exemplo vsus non fuisset. Sed filius quisquam, inquies, est: non autem proprius, nec omnino eius, sed alienus. Ita exemplum nullas vires habebit. Non enim de filijs simpliciter, sed proprijs & regni hæredibus disputat. Atque ideo distinguendo alienos opposuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab ipsis Regibus nati non sunt: suos vero quos ex se genuerunt. Tu vero illud etiam considera, quomodo reuelatam Petro cognitionem hic confirmauit neque hic terminauit, sermonem, sed condescendendo, quod sapientiæ inæstimabilis est, id ipsum approbauit.

Filius pro prius liber à censu.

§. 5. Porro cum duplex sit immunitatis Ecclesiasticæ priuilegium, vt scilicet libere possint exercere munia Ecclesiastica, etiam adiaphora studere, proficisci, ædificare, contrahere, nihil impediente magistratu, alterum vero in negatione consistat, vt ne tributis premantur, non citentur ad tribunalia secularia, non grauentur oneribus ciuilibus, omnis illa concessa est iure diuino, quantum ad ea quæ officij & vocationis sunt, in confesso est. Hæc deinde considerantur, vel in sacerdotum personis, vel facultatibus. Tam enim ipsi quam eorum facultates seruitute ciuili exemptæ sunt. Antiquissimum hoc ius fuit. Dionysius cum olim tempore Apostolorum eam libertatem defendit. *Nefas est sacerdotem à ministris, quite superiores sunt, atque à tui ordinis viris iudicari, etiamsi impius in diuina esse re videatur: Etiamsi quid aliud ex his quæ interdicta sunt, egisse deprehendatur. Nam si distinctiones, ordinesque confundere, sacratissimas Dei sanctiones & iura transgredi est, omni profecto ratione caret, Dei causa peruertere traditum diuinitus ordinem. Neque enim in se ipsum Dei sermo diuisus est; Aliquin quomodo ipsius staret regnum? Et si Dei est iudicium, vt sacra Eloquia testantur: Sacerdotes autem Angeli sunt; diuinorum iudiciorum continuo post pontificem magistri: ab ipsis tu diuina congruè, ac suo ordine per medios ministros, cum tempestiuum fuerit, disce, per quos etiam cultor esse meruisti. An vero non hoc ipsum sacra signa proclamant? Neque enim sancta sanctorum omnibus simpliciter sunt inaccessa; verum his appropinquat magis Pontificum sacra distinctio, deinde sacerdotum ordo, quos deinceps & ministrorum sequitur gradus.* Immunitas

QVAESTIO V.

An Clerici liberi à tributo & seculari tribunali?

§. 1. CLericum nullum constat ita liberum esse lege diuina, vt bonorum ciuilium, ædium, feudorum censum dare non cogantur. Onera enim ciuilia ipsæ possessiones annexa habent, nec possunt nisi ciuili autoritate eximi. Postquam autem feuda & possessiones Ecclesijs datæ sunt, non possunt sine iniuria premi onere, quo liberati sunt. Immunitas

§. 2. Clerici ab omnibus ciuilibus oneribus exempti sunt lege diuinâ, quæ eorum vocationi repugnant & officia impediunt. Hoc in 13. ad Roman. & in Polit. ostendi, & lib. 9. polit. Adamus Tannerus doctissimo libro de Ecclesiastica libertate, Christi factũ & dictũ, hunc in modũ exponit. *Vnde triplex stantissimum argumentum sumi potest ad probandam disputationem causa eorum Christi & sacerdotum, qui eis successerunt immunitatem à tributo. Primum quia Christus tantum pro se, & Petro (& nec id quidem nisi vitandi scandali causa) soluit tributum, soluturus etiam pro aliis si obligati fuissent ad eius solutionem. Secundo quia satis aperte indicat, S. Petrum fuisse immunem à tributo hoc ipso, quod pro eo quoque non nisi vitandi scandali causa tributum soluit, iuxta illud: vt autem non scandalizemus eos, &c. Tertio quia asserit Christus, filios Regum est liberos à tributo, aut hoc nomine cunctos significans Apostolos; aut se ipsum, tanquam filium naturalem regis eterni, ac propterea liberum; exemplo humanæ politiæ. Quod exemplum si bonum est probat etiam familiares ipsius Christi à tributo liberos esse, cum & in humanâ politiâ non tantum filius ipse Regis, sed etiam familia eius à tributis libera esse soleat. Vnde & Hieronymus in eum locum ait: Pro illius (Christi) honore, & tributa non reddimus, & quasi filij regis à vestigalibus immunes sumus. Et S. August. lib. 1. quæst. Euang. q. 23. scribit. In omni regno terreno non esse vestigales filios regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ.*

Addi

Addi potest. Christum vel ob hanc etiam causam, quod bona pauperum & Ecclesiæ, in tributa conuertenda non essent, noluisse ex communibus loculis ad suorum victum destinatis, tributum soluere; sed alia quasi fortuita occasione acquisitam pecuniam in tributum impendere voluisse.

Ne vero Ecclesiasticæ libertatis oppressor se excusaret, scelera corrigi oportere, Clericorum crimina non opotere esse immunia, hunc ille etiam præteritum excludit. *Verum Demophilo fas non est ista corrigere. Nam si diuinus sermo iusta iuste prosequi iubet (iuste vero prosequi est, vnicuique quod suum est, pro meritis reddere:) iuste hoc omnes prosequi, non præter suum meritum, aut ordinem debent. Nam quod & Angelis iustum est, officia secundum merita diuidi, vt & profecto diuisa sunt. Verum hoc illis non à nobis ô Demophile, sed per illos nobis ex Deo, & ipsis quoque per superiores Angelos. Atque vt breuiter dixerim: in omnibus quæ sunt per prima secundis à dispositissima omnium, ac iustissimâ prouidentia, iusta pro meritis tribuuntur: vt ij quidem, quos Deus præesse aliis statuit inferioribus atque subiectis secundum merita tribuant. Verum enim Demophilus iræ & concupiscentiæ ratione moderetur, eisque secundum merita tribuat, neq; suum violet ordinem, sed regat subdita superemineus ratio. Nam si cum forte in foro aspicimus famulum Domino Senori adolescentulum, siue etiam filium Patri maledicere, simulque impetu facto plagas inferre: pietatem violare videmur, nisi accurrentes præstantioribus opem ferre studeamus, quantumlibet illi fortasse prius, iniuriam perpessi fuerint; cur quæso non erubescimus, qui rationem ab irâ & concupiscentiâ violari, & à tradito sibi diuinitus principatu deijci videmus, atque negligimus, & inter nos ipsos impiam, & iniustam temeritatem, ac seditionem, confusionēq; excitamus. Merito sane noster à Deo nobis indultus legifer, Ecclesiæ Dei præfici prohibet eum, qui domui suæ tatenus non bene præfuerit. Qui enim se ipsum regere nouit, & alterum reget; qui alterum etiam domum; & qui domum ciuitatem quoque; & qui ciuitatem etiam gentem; atq; vt summatim dicam iuxta veritatis vocem. Qui in modico fidelis est, etiam in multo erit fidelis; & qui in modico infidelis, & in multo quoque infidelis erit. Ipse igitur concupiscentia & iræ, atq; verbo congrua iure tuo impartire; tibi autem venerandi ministri moderentur, ministris sacerdotes, sacerdotibusque Pontifices atque illis ipsis Apostoli, Apostolorumq; successores conuenientia dictent. At si quis forte & inter ipsos à recto tramite deuiarit, is aqualibus & sui ordinis sanctis corrigatur, vt non ordo in ordinem ruens, cuncta permisceat, sed vnusquisque in suo ordine suoque officio maneat. Ista tibi interim idcirco dixerimus, vt & scias & facias, quæ tui muneris sunt.*

Plane ille ex instituto præceptoris sui Apostoli Pauli, qui non impunita delicta esse iubet, sed iudicari ab Ecclesia: vetat, iudicari Christianos apud infideles. Ideo ipse sua auctoritate nouum tribunal instituit. Potuit igitur etiam illud Petrus, & successor Petri. Multi hac de re doctissime scripserunt, vt Ludou. Molina. T. 1. de Iust. disp. 31. Petrus Binsfeld. de iniuriis & damno dato, Dominus Sotus. l. 4. Sent. dist. 25. q. 2. Michael de Palatio. l. 4. sent. Fran. Victoria relect. 1. Couarruuias l. quæst. practic. c. 31. Henriq. aliique. Alii vero etiam exemptionem iuris diuini esse putant, vt pleraque Canonistæ. Verum in quibusdam ita esse nemo dubitat. Nunc tamen satis est ostendere immunitatem esse & fuisse.

§. 3. Recolligetecum lector, quæ veteres in mediis persecutionibus Ecclesiæ statuerunt. Anacl. Ep. 3. *Omnes causas sacerdotum iudicio vult terminari*, & ad eos appellationem factam approbat. Pari modo Alexander primus, Epist. ad omnes orthodoxos: Pius primus ad omnes fideles. Anicetus ad Gall. Episcopos. Victor ad Thephylum Alexandrinum. Fabian. ad Hilar. Caius Papa, Epistola ad Felicem Marcell. Ep. 21. ad Episc. Orientales. *Clericus vero*, inquit, *cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu, nullum præsumat ad seculare iudicium attrahere.* at vero post hæc tempora multo magis libertas Ecclesiarum, videatur constitutio Augusti. dat. 3. Non. Maij. Constant. Et Valent. Theodos. Arcad. quæ est causa. 11. q. 1. can. 5. *continua lege sancimus, vt nullus Episcoporum vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum protrahatur. Habent illi suos iudices, nec quicquam his publicis est commune cum legibus.* *Immunitas tribunalibus.*

§. 4. Libertatem autem Ecclesiasticam ratio ipsa & natura demonstrat. Cum enim Ecclesia sit Respublica quædam, à principio ius tribunalis constituendi accepit, & ex facto Pauli clarum est. Tam autem potest magistratus Ecclesiasticus suos à Christianorum principum iurisdictione, quam gentilium eximere. Nam Christiani principes Ecclesiæ subiecti sunt, eamque audire debent. Fieri autem potest, vt Clerici subiecti principibus, & secularibus non possint ea libertate, auctoritate, potestate, munere suo fungi, & vitia corrigere. Videmus quomodo Chrysostomus contra Reginam. Ambrosius contra imperatorios gryphos depugnarit, legatur vita vtriusque. Et ipse Ambros. l. 2. off. cap. 29. *Ministris quoties aduersus regales impetus, pro viduarum, imo omnium depositis certamen subierimus.* Et sane videmus Pontifices ista serio egisse. Gregor. Mag. in priuilegio Monasterii S. Medardi. Alexand. 3. cap. relatum. 1. Vide Azor. l. 5. cap 21. Molin. T. 1. disp. 134. Iason. l. 1. n. 21. cod. de Sacrosanctis Ecclesiis. Tiraquell. Tract. de priuilegiis causæ piæ. Nec dubitarunt pii Imperatores sese multis in rebus Ecclesiæ subiectos esse, & multi Episcopi etiam antiquitus imperatores coercuerunt. *Ecclesia est quædam respublica.*

Fabianus Philippum, Chrysostomus Arcadium, Ambrosius Theodosium, Ioannes Gregorius Henricum, alii alios, pro officio suo, iniurias creatori & Ecclesiæ illatas, necessaria seueritate vindicando & iustitiam asserendo.

Imo testantur hæretici huius Reipublicæ vexatione plurima mala in orbem inuecta. In præfatione sua de variis ministrorum gradibus suos, licet non veros Episcopos, prisca Ecclesiæ consuetudine, & priuilegiis defendit Adrianus Sarauia contra Bezam, & Gebennenses.

[In meo tractatu de diuersis ministrorum Euangelii gradibus quicquid homines cogitent, non tantum vestras dignitates defendere, in animo habebam, sed omnium Ecclesiarum Christi tam Galliæ quam Germaniæ Episcopis, & aliis viris doctis & priscæ Ecclesiæ gubernationis non igharis, datas offensiones à nostris hominibus pluribus in locis, si non tollere, saltem minuere, & vulnus (quod nunquam sanabunt qui inflixerunt) lenire, & quantum liceret, remoras propagationis doctrinæ Euangelicæ amoliri conatus sum. Nunc videtis quantus vir malæ causæ patrocinium suscipiat: cuius opinio hoc nomine populari inuidiæ, & quorundam cupiditati grata est; quod Episcoporum opes cessuras sibi in prædam sperant. & hæc vna est ipsis reformatio, bonorum Ecclesiasticorum direptio. In hac renouata disputatione Episcopalem autoritatem diuinæ institutionis, & Apostolicæ traditionis esse defendo: & id tam verbo Dei, quam vniuersali omnium Ecclesiarum consensu doceri, & gubernationem illam Ecclesiarum qua Sacerdotes in veteri testamento vsi sunt, & Apostoli & Euangelistæ in nouo, esse optimam & vtilissimam tam Ecclesiæ quam Reipublicæ, nec eâ meliorem inueniri, aut excogitari posse neminem posse negare, pro fundamento assumo.]

§. 6. Videntur etiam exactores notasse, Petro quiddam concessum singulare præ cæteris, licet discipuli de primatu disquirerent. Humanum quid passi discipuli sunt, quod Euangelista quoque significauit dicens: in illa hora, quando scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam cum ex Iacobo & Ioanne, alter primogenitus esset, nihil tamen tale pro ipsis fecisse videtur: veriti autem turbationem profiteri suam, non aperte quare Petrum ipsis præponeret, sed confuse. Quis ergo maior est, interrogarunt. Quando tres illos præferri conspexerunt, nihil tale passi sunt: cum vero ad vnum delatus honor est, tunc nimirum doluerunt: quamuis non ex hac re solum. Sed ex aliis quoque multis inflammati fuerunt: Tum quia dixit illi. *Dabo tibi claues regni cœlorum*: Tum quia: *Beatus es tu Simon Bariona*, tum etiam hic: *Da tu pro me & te*: Tum denique, quia liberius eum multò Christo colloqui conspiciebant.

CAPVT XVIII.

Mar.9.c.34. Luc.9.f.46 Inf.19.b.14 1.Cor.14.d.20. Mar.9.f.42 Luc.17.a.1 Sup.5.c.30. Mar.9.g.43. Psal.33.a.8. Luc.19.b.10. Luc.15.a.4 Luc.17.a.3 Leu.19.d.17. Eccl.13.b.13. Iac.5.d.19. Deu.19.b.15. 2.Cor.13.a.1. Heb.10.c.28. Ioan.8.c.17. 2.Thes.3.d.14. 1.Cor.5.b.9. Io.20.c.23. Luc.17.a.4

IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas, maior est in regno cœlorum? 2. Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum. 3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. 4. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. 5. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. 6. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. 7. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: verum tamen væ homini illi, per quem scandalum venit. 8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscinde eum, & proiice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. 9 Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est cum vno in vitam intrare quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. 10. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est: 11. Venit enim filius hominis saluare quod perierat. 12. Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? 13. Et si contigerit vt inueniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta nouem, quæ non errauerunt. 14. Sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. 15 Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: 17. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. 19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. 20. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? 22. Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies: sed vsque septuagies septies. 23. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. 24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat & reddi. 26. Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 27. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit ei. 28. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. 29. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem donec redderet debitum. 31. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. 32. Tunc vocauit illum Dominus suus: & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: 33. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? 34. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. 35. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM

ARGVMENTVM.

DISCIPVLIS, quis in cœlo maior esset? ambitiose quærentibus, modestiam & honoris fugam suadet, vocato in medium paruulo, seriò asseuerans, non posse eos in regnum cœlorum ingredi, nisi efficiantur sicut paruuli, & eum maiorem fore, qui se humiliauerit, vt paruulus iste. Eâdem occasione scandala vitare monet etiam si opus sit, membrorum abscissione. Paruulos contemni vetat; se enim venisse saluatum, quod perierat. Charitatem porro suam, pastoris ouem perditam quærentis, exemplo demonstrat. Deinde ordinem modumque corrigendorum fratrum exponit, vt primo priuatim,

uatim, deinde coram testibus, tertio coram Ecclesiâ fiat, quam si non audierit, sit sicut Ethnicus & Publicanus. Rationem subiungit; quia daturus sit potestatem illis, ligandi & soluendi. Consensum autem, & congregationem in sui nomine factam impetraturam ait, quod petierit. Ignoscendum denique fratribus ait septuagesies septies, idque exemplo serui decem millia talenta regi debentis confirmat, qui cum crudeliter à conseruo centum denarios extorquere conaretur, condonationem decem millium fecit irritam. A principio ad versum 15. legitur in Syriacâ Ecclesiâ, feriâ primâ tertiæ hebdomadis post pentecosten. Inde ad versum. 23. Feria primâ quartæ post pentecosten. Vocant autem Syri etiam pentecosten vocabulo Græco. Scriptum enim est: פנטיקוסטי *pentecosti.*

Hinc ad finem in parasceue Sabbathi secundi ieiunii. Hæc est enim דערובתא *degharubetha*, quod etiam infra cap. 27. est parasceue, ערבית *ghiarbith* in Zochare est oratio vespertina.

Humilitatis igitur & charitatis, quâ proximo condonamus debita, commendationem tota illa Historia continet. In his enim Christianæ religionis fundamentum & perfectio consistit.

VERSVS 1.

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis, putas maior est in regno cœlorum?

QVÆSTIO I.

Quonam ordine res acta sit in quæstione, de maiore in regno cœlorum?

§. 1. MAtthæus refert d. scipulos *in illa horâ* accessisse, & quæsisse *quis maior esset in regno cœlorum?* At Lucas ait. *in viâ cogitasse, quis eorum esset maior,* Dominum cognouisse illam cogitationem, & *vocasse paruulum ad se.* Marcus amplius addit, Christum domi quæsisse, quid in itinere disputassent, illos tacuisse, sed postquam consedit, accersiuisse duodecim & dixisse. Qui vult primus esse, &c. Nulla est inter Euangelistas dissensio, verum alius recenset, quod alius omittit. Cogitationem recenset Lucas, ab occulta enim ambitione disputatio orta fuerat, atque etiamnum dubitabat æmulatio. Cum domum ventum est, interroguit illos Christus. Sed ipsi pudore siluerunt. Hæc ad primum ingressum facta sunt, dum Petrus piscem capere, & soluere tributum iubetur, postquam rediit Petrus, vocauit ad se duodecim, qui tum audaciores quæstionem in Thesi proponunt; *Quis maior esset?* Non, Quis eorum maior esset? Syrus habet מרי מרי *manni kirab.* Quisnam est Magister, seu magnus, aut princeps? Græce est ἄρα, quasi sit expletiua particula, quam noster vertit, putas, quod Latini etiam quasi interiectionem vsurpant. Non semel, sed sæpius ista cogitasse, ait Chrysostomus; ac tum demum interrogasse. Lucas sane solius cogitationis mentionem facit. Quamuis etiam post hanc admonitionem iterum illa cogitatio subiit. Nam de dignitate hæret diutissime cogitatio. Est enim pallium, quod nunquam Philosophus, sero Christianus deponit. Hoc vitium nondum efficaci Spiritus Sancti gratia oppressum erat. Potentiam enim appetit, bona destruit, & in recte factis præcipue venenum eius pernicioſum est, consortium odit, inuidiam comitem habet. Gratiam sæpe impedit, nisi eam sanet gratia, superbiam Deus aliquando non cito sanat, pro qua tamen sananda, anima cum lachrymis & multis gemitibus supplicat.

Concordia Euangelistarum.

VERSVS 3.

Et dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

An nemo maior fuerit in regno cœlorum?

§. 1. NOn euertit regna Christus, aut Magistratuum iura, nec Ecclesiasticorum munerum distinctionem tollit, sed ambitionem, & intempestiuam honorum cupidinem. ad regnum quidem cœlorum tendere, fidei & charitatis est, verùm Apostolorum alia mens fuit. Per regnum cœlorum, Christi regnum imaginabantur plenum opibus, dignitate, felicitate, & in hac vita etiam splendidum, & Romana maiestate augustius, in illo primatum ambiebant, & superbiam stimulabat honor tribus in monte collatus, quasi familiarius adhiberentur, didrachma pro Petro solutum, & quod iam instare regnum videretur, postquâ Dominus à mortuis resurrexisset. Ex illa dignitate ad cœlorum tendebant regnum illud æternum, & in illo quoque primatum ambiebant. *Apostoli sæculare regnum cogitabãt.*

§. 2. Quare impudens est Bullingeri Epiphonema, cum Catholicos accusat, quod diligentes sint disputatores & feruentes, cum disputatur de maioritate & obedientia, affirmatque hæc argumenta ex carne & corruptissimis proficisci affectibus. Impudès est inquam calumnia: illi enim, qui obediendi partes habent, de legitima potestate, & ordine Ecclesiæ disputant, quo sublato necesse est Ecclesiam interire. Itaque non ambitiosæ, sed modestæ sunt disputationes, quibus subditi suorum magistratuum iura asserunt. Quin Caluinus hic etiam de disciplina & iudicio Ecclesiæ agi pronunciat, eiusque iudicium vult esse Dei iudicium, cur non igitur de nostra Ecclesia asseueremus, cui datæ sunt promissiones? Vbi certè, vbi est iudicium, ibi necesse est, vt sit iurisdictio. *Obedientia in Ecclesiæ est necessaria.*

§. 3. Occasionem ambitiosæ disputationis ex prærogatiuis Petri ortam docet Chrysostomus. Quantum igitur à Sanctis recedant hæretici apparet, dum in solutione census, Petrum cæteris prælatum negant: Nec modo cæteris prælatum, sed subulcis etiam æquatum censent, vt supra ex Caluino citaui. *Ex Petri prærogatiua contentio.*

§. 4. Regnum cœlorum nec pro sola vita æterna, nec Ecclesiæ primatu accipio, sed pro coniunctis. Chrysost. Maxim. Euthym. D. Thom. Haymo. Baradius, pro vita æterna accipiunt, verum discipuli & illam optabant, & regnum Christi in terris amplum, & glorio-

glorioſum rati in eo quoque primatum ambiebant, atque hac ratione Lyranus, Carthuſianus, Maldonatus & alii, facilius cum aliis conciliari poſſunt. Nemo eſt enim qui iudicet Apoſtolos, ita de terreno primatu diſputaſſe, vt gloriam æternam ſecluderent, & ex ambitione, quam Dominus reprehendit clarum euadit, eos etiam humanitus quid paſſos. Splendorem regni terreni ſpectaſſe, iamque ſuæ militiæ quaſi emeritos præmia poſtulaſſe. Neſciebant enim, quanti illos labores, quanta certamina, contumeliæ, cruciatuſque manerent. Ipſi labores & incommoda reſurrectione terminabant; ad tum primum initia præliorũ futura erant. Poſt reſurrectionem certe rogabant, an eſſet reſtituturus regnum Iſrael illo tempore, quo iam cum illis verſabatur. Hæc illi tum ſentiebant, vaſa quidem electa, ſed adhuc fragilia, virtute Spiritus Sancti, poſtea firmata ſunt & ſolidata, cum principibus ſacerdotum & regibus non cederent.

Petrus præfectus fuit.

§. 5. Audacter ſane Zvvinglius: *Apparet*, inquit, *ex iſtis, nullum præfeciſſe ex diſcipulis Chriſtum: quemadmodum Papiſtæ de Petro & ſuis ſucceſſoribus ſtulte, ne dicam impie contendunt.* Præfecit ipſe, ſed ambitum præfecturæ reprehendit. Paſcere iuſſit eum omnes, qui plus cæteris diligebat. Ordinem enim conſtituere neceſſe fuit. Congregare & ordinari Concilium Apoſtolorum & Seniorum Eccleſiæ concordia poſtulat. Opus eſt vno, qui conuocet, qui ſententiam quærat, qui etiam Apoſtolatus principium teneat. Petrus præficiendus erat, electione Chriſti, non ſuperba prenſatione. In Chriſto beatus erat, in ſe Satanas, vt etiam cæteri. Quin ipſe Caluinus in Actor. 1. Apoſtolos ait Petro detuliſſe primas, cum eius rei nullum indicium det ſcriptura, Chriſtus autem id ſæpius fecerit. Iam olim & Zvvinglium & Bullingerum non modo Catholici, verum etiam ipſorum diſcipuli refutarunt, vt in præfatione ſua oſtendit Sarauia: Errorem ſcilicet illum de æqualitate miniſtrorum Eccleſiæ, exitialem factum eſſe toti Eccleſiæ, ideo à multis confutatum.

Apoſtoli nõ dixerunt Petro Apoſtolatum.

Præclarè ille nouit, quid Collegæ Caluiniani machinentur, quid per inuidioſas conciones ſibi quærant, quo tendant. Et Pontificem & Epiſcopos ſublatos cupiunt, non religionis, ſed prædæ cupiditate. Epiſcoporum autem contemptu, hæreſes & ſchiſmata oriuntur, vt iam olim Cyprianus totam Eccleſiam monuit.

QVÆSTIO II.

An fuerit mortalis ambitio?

§. 1. NOnnulli ita viſum eſt; niſi enim conuerſi fuiſſent, non intraſſent in regnum cœlorum. ἐὰν μὴ στραφῆτε, *niſi conuerſi fueritis*: at iam non erant vti paruulus iſte. Honorum enim cupiditate tenebantur. Inter ſe diſceptabant, æmulabantur, at in paruulo erat aperta ſimplicitas, ſine inuidia. Sine ambitione, innocentiæ illius ſimiles eſſe voluit. Syrus ſignificanter expreſſit, תתהפכון *Thethaphechun*, *vos mutaueritis*, ſeu conuerteritis. Solet autem verbum הפך quod eſt conuertere, reuerti, euertere, etiam pro pœnitere accipi: Siquidem hæreticos conſulamus, g auium peccatorum damnare Apoſtolos, inueniemus; Bullingerus hinc coniicit, non tantum reliquias peccatorum in ſanctis, ſed grandia etiam peccata manere. Multi mortalem ambitionem eſſe non exiſtimant, quod vero ait, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum, non ſignificare eos tales, iam non eſſe, ſed alludere ad eorum ætatem, vt qui iam grandes eſſent deberent fieri pueri. Hoc ſane conſtat ad ſummum, eos modeſtiam ſimplicitatemque contendere oportere, non tamen eodem cum pueris gradu eam obtinere ad ſalutem eſſe neceſſarium; Valde tamen grauis mihi ſane videtur, & maior quam in re leui caſtigatio. Nam primo præmittit grauiſſimam poteſtationem; *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis*, hoc eſt, ab inſtituto de ambiendo primatu diſceſſeritis, & mente mutata efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum. Hoc argumento Abulenſ. q. 22. & Carthuſ. vtuntur. Non enim erant vt paruuli, vt enim efficerentur, vt paruuli, conuertendi erant. Motum mutationemque in illis requirit non poſſunt ingredi, erat igitur aliquod ne ingrederentur obſtaculum.

Hæretici.

§. 2. Non tamen neceſſarium eſt, vt omnes peccata grauiter lapſos eſſe iudicemus, vnus aut alter mortaliter, alii venialiter delinquere potuerunt. Iudam etiam hic principatum tenuiſſe credo, vt qui loculos haberet, & fur eſſet. Auaritiæ autem & ambitio inter ſe amice coniurant. Opum enim cupiditas ambitione inardeſcit, cum ad honores non niſi per diuitias eatur, & ambitio hoc ſe præſidio per fas & nefas inſtruere ſolet. Alias tamen quilibet peccarunt in præcipite ſtetiſſe certum eſt, facile caſuros, niſi Dominus mature inuidiam & ſuperbiam increpatione repreſſiſſet. Magna humilitatis commendatio. Non modo paruulorum eſt regnum cœlorum, verum tam ſunt illi diuina æſtimatione magni, vt vos propter ſuſceptationem regnum cœlorum ſitis accepturi, illi igitur ingrediuntur, & ſuis cultoribus, ac amicis Dei fauorem conciliant. Nullo igitur modo ſunt contemnendi, cui omnes ſimiles eſſe oportet. Vnuſquiſque enim illum, cui ſimilem eſſe ſe exoptat, ſuſcipit ac veneratur. Sine humilitate autem in cœlum non aſcenditur: In quibuſdam autem, vt in Iuda defuit omnino humilitas, in aliis valde infirma fuit.

§. 3. Tertullianus l. de monogamia etiam hoc abuſus eſt facto contra nuptias ſecundas. *Cum puerorum dicit eſſe regnum cœlorum, cum conſortes illi fuit alias poſt nuptias pueros*, &c. Quaſi vero pueros nominando, adultos aut maritos repudiet, aut non iisdem etiam contra primas nuptias confici poſſit. Tam enim iſti ætati primæ, quam ſecundæ, nuptiæ repugnant. Verum illa erantium conſuetudo non eſt, vt ex quouis ſcripturæ loco quodlibet confciant. Quaſi citaſſe ſcripturam, ſit inſtitutum probaſſe: at ſimplicitas quam Chriſtus probat non eſt eorum, qui vnam vxorem habent, aut habuerunt. Sed qui malitia paruuli, innocentiam paruulorum imitantur. Quomodo enim Apoſtolos conuerti oportuit, vt efficerentur paruuli, ſi de nuptiis agebatur? Nec enim omnes habebant vxorem, & forte nemo bigamus erat.

§. 4. Quotidie conuerti oportet, qui quotidie peccamus. Falſum quod Zvvinglius docet: *& licet quotidie doleamus, nihilo tamen efficimur meliores, quin potius relabimur. Vt ſi quis corbem quotidie lauet, nihilo ſit melior crebrâ lotione, ſed atteritur potius, etiamſi aliquando fiat purior.* Pernicioſa eſt & Nouatiana illa doctrina; cum peccator ingemuerit melior erit, quia filius erit miſericordiæ ex filio iræ. Lauamini & mundi eſtote, clamat Spiritus Sanctus. Nec mundi tantum, ſed etiam noui, renouamur enim Spiritu mentis noſtræ, viuificamur, Chriſto conformamur, inſerimur oleæ & participes eius pinguedinis efficimur, cum Chriſto compungimur. Lotione igitur non atteritur, vt corbis, ſed mundamur, renouamur, perfecti efficimur, vt aurum. Miſera certe Caluinianorum pœnitentia, & iuſtificatio, quæ meliores non facit, ſed vt veterum ſportarum putrida vimina atterit. Nec eſt noua conſpertio, ſed

Sed vetus fermentum, imo nec regeneratio, hæc enim nouitatem, vires, virtutem ex alto animis adfert, sed vetustas & interitus. Hinc nonnulli Lutherani Wittenbergenses à cæteris dissentientes, iustificationem aliud esse non censuerunt, quam continuam non imputationem, vt cum ipsi homines continuo peccarent, Deus continuo illis non imputaret peccatum, essetque certamen hominum peccantium & Dei remittentis. Verum ab illis etiam recentiores recedunt; dum pudore quodam sanctificationem adscisc unt, ne improbissimus quisque eorum opinione iustus videretur, vt iidem Wittenb. profess. de 1. Ioachim. Cureus Maior, & principio Philippus & Beza l. 1. 99. Theolog. fol. 689.

§. 5. Misere igitur sibi illudunt inanissima fiducia tione Sectarii, imo & sibi contradicunt, cum certos se salutis arbitrantur. *Nisi enim similibus ernemur & mortuis, & affectibus*, inquit Bullingerus, *non ingredietur in regnum Dei.* de se & suis loquitur. Qui enim fieri potest, vt Caluiniani certo sciant se talibus moribus & affectibus ornatos? Quid enim si non modo reliquias, sed grandia etiam ambitionis peccata habeant? Nam hæc in Apostolis fuisse ipsi pronunciant. Miratus sum impudentiam Musculi ad fidem Christi verba detorquentis. *Quid aliud facit Christus hac asseueratione, quam quod fidem nobis quasi extorquere vel, & admonere nisi credamus certo perituros?* Quid est scripturam deprauare? Si hoc est vere interpretari? Christi verba sunt: *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum:* Est ne hoc dicere: Nisi credatis, certo peribitis? At Apostoli iam credebant: iam confessi Christum erant: & si non credebant, fidem perdiderant, ex sententia Caluinianorum credebant, sed infirmitate humana ambitiosi erant. ad submissionem animi, & gloriæ honorumque contemptum, non ad fidem eos Dominus hortatur. Et forte paruulus ille ætatis teneritudine & rationis imbecillitate nondum credebat, cui similes esse iubentur, ambitionis absentiâ, non fide. Itaque Musculanæ deprauationi oppono, ipsos eius in eisdem lustris collegas. Bulling. Augustinum Marloratum, *Reijciendos*, aiunt; *Nisi ab hac peruersâ vestrâ regnandi cupiditate ad veram animi submissionem conuersi fueritis.* & Caluin. Ecce quæ sit illa conuersio, de qua loquitur, Nempe humilitas & voluntaria submissio. Bulling. omnem fiduciationem suam interpretatione tollit. *Horribilis*, inquit, *sententia, non enim de ira aliqua & paternâ castigatione loquitur: Sed de perpetuâ abdicatione*, quasi dicat. *Tantum abest, vt maiores futuri sitis in regno cœlorum, vt ne vllam quidem portionem imo ne aditum quidem situ habituri ad regnum cœlorum: quia in totum vos reijciam.* Sic quidem citatur à Marlorato in explicat. Eccles. in Matth. Paulò aliter tamen subdit in textu. Vtcumque res habeat: Si Christus discipulos omnino reiiciendos esse dixit, nisi animos mutarent, iam ergo iusti non erant, nec fidem ex errore Caluinistarum habebant, eam ergo cum ante habuerint, perdiderunt. Quin etiam illud adiungo. Apostolos non fuisse Caluinianos. Frustra enim Christus diceret: *Ne vllam quidem portionem, ne aditum quidem habebitis in regnum cœlorum, quia in totum vos reijciam.* Responderet enim ex axiomate Caluiniano. Nos certissimi sumus, nos à te electos ad regnum cœlorum, nec posse magis excidere quam tu ipse. Electio enim nostra est immutabilis. Hac fide iusti sumus, & cœlum adire cæpimus. Horribilia igitur ista aliis minitare. Nostra superbia nobis non imputatur. Iustitiæ tuæ vestę tegitur, æternumque tegetur. Easdem esse Christi minas, ipse Caluinus docet. *Christus neminem vel infimo subsellio dignatur, nisi qui eminentia oblitus se humiliat.* Porro similes paruulis esse oportet non sensibus, sed malitiâ. 1. Corinth. 14. 20. Quamuis in istis paruulis quodâmodo natiua sit virtus, cum non dum vitia se exerât, admodum enim paruulum fuisse Chrysostomus testatur, & ex Marco potest colligi, dicit enim ἐγκαλιζόμενος, hoc est, complexus, vel in vlnas accipiens. Quomodo vero similes, fide seu fiducia speciali efficerentur paruuli, qui de illa fiducia nunquam quicquam animo conceperat? Stolidum igitur omnino est, conuersionem illam de fide interpretari, & fidei exemplum proponere paruulum. Etsi enim paruulum, credidisse concedamus, non tamen certum illi fuit, se sine bonis operibus in omni peccatorum genere iustum esse mansurum. Non enim decreta Caluiniana de prædestinatione didicerat.

Fide paruulo non erant similes.

VERSVS 5.

Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

QVÆSTIO I.

Quomodo paruulum suscipiendo Christum suscipimus?

§. 1. SVscipere δέχεσθαι est, quocunque commodi, honoris, auxilii officio prosequi. Syrus habet, *quasi puerulum.* Propositum est Christo ostendere humilitatis dignitatem; humiles enim hoc in mundo, & futuro seculo honoratos esse indicat. Si enim paruuli susceptor, seu benefactor Christum suscipit, quo igitur quisque ad paruuli mores magis accedit, eo Christo propior est, & quasi eiusdem in hospitis remuneratione, non paris tamen dignitatis. Qua re apparet Christum non solum fide, sed charitatis etiam operibus susci pi, dū enim paruulos susc ipimus, Christum susc ipimus, & ille in nobis habitat. Est autem merces magna in paruuli susceptione, à Christo tanquam hospite honorari.

Paruulus charitate suscipitur.

§. 2. Paulus hoc loco, vtroque modo paruulum significat, & eum qui ætate, & eum qui malitia paruulus est. Ex quo apparet, errare Anabaptistas, dum paruulis salutem negant, nec sacramenta salutis conferunt.

§. 3. Paruulum fuisse S. Martialem, qui postea Episcopus Zemonicensium creatus est, putat Anselm. D. Thom. Lyranus, & alii. Non desunt alii, qui puerum illum S. Ignatium fuisse putent, sed quo argumento, nescio, sub Traiano ille martyrium passus est. Chrysostomus valde paruulum fuisse existimat, in quo scilicet vitiorum semina se nondum exerant, sed quæ etiam ὑβελγένεις, iniuriam passi odia non concipiant. Hinc etiam Manichæorum insaniam refutat, qui naturam καθ' ἑαυτὴν in se malam comminiscuntur: Si enim mala ex se esset, illa Philosophiæ exempla non præberet.

Paruulus quis.

VERSVS 6.

Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quæ pœna scandali?

§. 1. POEnam ingentem proponit. Nam expedit illi, συμφέρει, vtile est, vt mola asinaria suspendatur ex collo eius, & demergatur in profundum maris potius, quam vt scandalum præbeat. Molam asinariam Syrus vocat: *Molam asini*: Mola trusatilis est maior, quæ ab asino circumagitur, sicut minor ab homine: quidam lapidem molæ inferiorem arbitrantur, qui asini instar superiorem, totumque pondus sustinet. Acerbum est autem & parricidis decretum supplicium lege Pompeia, vt in culeum insuerentur: Palæstinis in atrocibus criminibus placuit mersio. Vide Hilar. can. 8. & Ambros. Serm. 10. Non igitur his sola fides; aut fiducia, aut non imputatio saluti est, sed opus est scandala vitare, paruulos suscipere, certe cui melius est molæ asinariæ illigatum mitti in profundum, illi peccatum imputatur. Itaque hæc totidem fulmina sunt contra rigidos Lutheranos, quos tamen alii refutant, ex eodem collegio Lutherano. Vt Gregorius Maior. Nicolaus Heming. in Syntagm. Ioannes Leonardus in gladio versatili. Lutherani in colloquio Altenbergensi, cum illis multi etiam Caluiniani sentiunt, at alii ne ferre quidem possunt, vt fidem & opera iungenda esse dicamus. Atque id firmant ex dictis Lutheri Tom. 1. Wittemb. folio 292. *Fides nisi sit sine vllis etiam minimis operibus non iustificat, immo non est fides.* & ad Gallos: *Fides ante spem & charitatem sola accipit remissionem peccatorum.* Quod si verum est, iam igitur cum malis operibus paruulos scandalizat impius, cum charitate & spe caret, est iustus. Quod idem crassius & fœdius in Postilla natiuitatis profert. *Qui salutem non ex merâ gratiâ, ante omnia bona opera consequitur, nunquam eam sane consequetur. Et deinde, Ego iustitiam habeo, & salutis summam, sine vllis operibus in Christo meo. Et sum iam ante beatus, antequam tu venires, ita vt nec tui, nec bonorum operum vllo modo egeam.* Quæ prorsus impia sunt & Christo contraria, qui salutem cunctis abnegat, nisi qui conuersi efficiuntur, vt paruuli, conuerti autem & paruulum effici, opus bonum est.

Sola fides non sufficit.

Efficiparuulum est bonum opus.

§. 2. Demergitur in profundum ἐν τῷ πελάγει, eâ enim dictione mare profundum, seu profunditas significatur, sicut Oceano Vastitas. Syrus hoc expressit בעומקותי *in profunditatibus*, sed si ita malis, *vallibus*. Hinc apparet futuri seculi grandiora esse supplicia, cum hoc quasi minus vtile præ illis censeatur, & illis redimendis suscipiendum, quemadmodum mortem sectionibus & vstionibus homines redimunt.

§. 3. Scandalizare quidam pro quouis nocumento accipiunt, nimium late. Hic enim est proprie intelligendum, cum factis, aut verbis delinquendi exemplum datur, aut occasio. Atque hoc est quod addit, *Væ mundo à scandalis*; cum faciunt scilicet offendere alios in via iustitiæ, vt à pietate & virtute desistant, & causam amittendæ innocentiæ adferant. Nec obstat quod scandalum opponatur beneficentiæ, vt Chrysost. & Theophil. docent. Nam grauissima peccandi exempla præbent, qui iniuriâ afficiunt. Plus enim non modo proximo, quo ad rem nocet, qui eum circumuenit, spoliat, pulsat, verum etiam exemplo mouet, dum vexatus, ira, indignatione, desperatione, ipse magis alienam improbitatem considerat, eamque imitatus per nefas recuperare contendit, quod per iniuriam amisit. Non de solo nocumento sermonem esse, ea quæ connexa sunt ostendunt: Illud enim: *Væ mundo à scandalis*, de proprio scandalo dicitur. Quod vero de manu abscindenda, oculo eruendo mandatur, non nisi de scandalo accipi potest. Scandalizat enim oculus, cum illecebras peccandi licentia offert. Chrysostomus eodem modo, scandali nomine contumeliam & contemptum interpretatur, nec mirari quenquam vult, se ita interpretari, cùm multi propterea, quod contempti & reprehensi sint, valde scandalizentur. Verum igitur scandalum est, & grauissimum, cum occasionem peccandi accipiunt, ex eo quod lædantur. Eiusdem vero pulcherrimam contra superbiam lege hoc loco orationem.

Scandalũ cum occasio culpæ offertur.

§. 4. Væ mundo à scandalis, prædicit. Paruulis malum illud imminere interpretantur Chrys. Hilar. Euthym. quod verum est, si scandali nomine, iniuriam, damnumque intelligamus. Si autem proprie dictum scandalum, magis ad mundum impium pertinet. Mundus enim pro paruulis, hoc est, iustis accipi non solet. Nec væ quod Deus minatur, de iusto tum tribulationibus in hoc mundo Christus vsurpat, agit igitur de scandalorum auctoribus, qui plurimos turbant, perpetua enim sunt, nec passum procedes facile, vt non noua scandalorum materia occurrat. Muniend sunt hoc loco infirmi, qui scandalis quorundam offensi, veritatem ipsam deserunt, & ad aliquam sectam sese applicant, in qua tamen plura sunt scandala, imo ipsa tota secta scandalum est; Scandalorum seminatrix, dum falsa & impia doctrina ad atheismum prouocat. Non deesse illis scandala docet hoc ipso loco Caluinus. *Suos*, ait *facile succumbere scandalis. Ita fit vt pauci in Christi fide mediocres faciant progressus: ex paucis autem, qui stadium salutis ingressi sunt, vix decimus quisque ad metam inde sessus contendat.* Ecce in tanta turba Caluinianorum pauci mediocres faciunt in fide progressus. Cæteri ergo infideles sunt, non enim electi. Hi vero mediocres non omnes, sed vix decimus, saluantur. An ergo illi pauci fidem habebant? At perdere non potuissent, si non habebant, non sunt decisi scandalis, non succubuerunt, sed perpetuo iacuerunt. fidem simularunt, hypocritæ fuerunt. Imo & illi, & decimæ eorum perierunt.

§. 5. Hinc etiam facile ostenditur contra Sectarios posse eos qui credunt à iustitia desciscere, scandalizantur enim aliquando, & peccant, non igitur certa firmitate stabant. Alioquin nulla scandala subuertere possunt si fides semel data immobilis persistit. Contra sentire. P. P. qui ideo cauere scandala hortantur, ne alios perdamus. Ambros. in Psalm. 118. *Caueat scandalum. Qui pacem habet, quæ omnem mentem superat, magnus est, non de pusillis istis. Ideo scandalum pati non debet, quia pusillorum est exagitari scandalo Vnde & Dominus ait. Quicunque scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis. Non solum pusillos, sed etiam minimos dixit: quos perturbant scandala: & ideo graui obnoxius pœnæ est, vt legisti, quicunque perturbauerit infirmæ mentis infantiam. Suus enim grauiori dignus supplicio est, qui persuaserit crimen infantulo, & incautam præcipitarit ætatem: ita qui inualidum & insipientem, & improuidum circumscripserit persuasione erroris, aut exagitatione cordis affectum. Vis scire quam infirmus sit qui scandalizatur? Non manducabo in quit carnem, ne fratrem meum scandalizem. Quæ infirmitas & quædam infantia animi, vt eum etiam esca fratris exagitet. Vnde non potest homini esse præcipitium, quando etiam hinc est periculum? Et quod peius est, infirmitas huiusmodi serpit in multos.* Hæc Ambrosius. Scandala autem facile illis offeruntur, qui facile franguntur, iniuriis, contumeliis exasperantur. Cyprianus de singularitate, monet ne aliis scandalo simus, cum de nobis adhuc dubitemus. *Quamuis ergo nos nec de nostrâ stabilitate certum aliquid habeamus, qui sine cessatione concutimur, inter fluctus seculi fluctuantes procellosos incursus: tamen si alicui tanta fiducia est de immobilitate propriæ infirmitatis. Saltem sollicitus retrahatur, ne ipse sit scandalum visibus alienis, sed terreatur, Vocis Domini comminantis.* Væ, inquit, huic mundo ab scandalis: Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

Qua-

Quapropter Beza, Zanchius, alii errant cum aiunt, Electos tantum semel fide donari, fidem prorsus amittere, Spiritum Sanctum omnino excutere, & à Christo penitus excedere non posse. Ita in Miscell. fol. 3. Aret. probl. parte. 21. pag. 901. Tigurini Apol. contra Lutherum fol. 16. Si enim electi iustitiam non amittunt, reprobi nunquam accipiunt: non est scandalorum magna efficacia. Nemo enim pius deiicitur, impulsu offensionum, vt illi docent, ac proinde nemo credens in Christum scandalizatur, vt iustitia excidat. Quod adeo pertinaciter tuetur Franciscus Lambertus in Comment. super Lucam. pag. 258. Vt Petrum lapsum asserat non habuisse fidem, qua Soli Deo fiditur: namque eum suis viribus plurimum tribuisse & fisum esse. Hoc tamen Christus refellit, Sacro sanctæ vocis oraculo: cum dicit, *Beatus es Simon Bariona*, &c.

VERSVS 7.

Væ mundo à scandalis: Necesse est enim vt veniant scandala: verumtamen væ homini, per quem scandalum venit.

QVÆSTIO I.

Vnde sit scandalorum necessitas?

Necessitas scandali non est à Deo, sed hypothetica.

§. 1. NEcesse est: non est absoluta, sed hypothetica necessitas. posita mundi & Satanæ malitia; fieri & dare scandala. Nam is mali cordis est fructus, non tamen fit impune, quod fit voluntarie & libere, licet certo eueniat. Beza; *item non est necessitas à Deo, sed ab homine corruptione voluntaria.* Hinc tamen male probat non iniuste puniri peccatores, etsi necessario peccant. Si enim est necessitas agendi, non est culpa agentis; Quamuis alioqui scandalum venturum esset non propterea, qui illud fecit, culpa caret; libere enim facit, quia libere malus est, necessitas enim miseros, non malos efficit. Itaque & recentiores contra remonst. qui omnia asperius docent, iam olim arguit Bullingerus cum scripsit. *Addit, necesse est vt veniant scandala. Hoc est, quia nunquam in mundo defuturi sunt homines auari, luxuriosi, arrogantes, superbi, & maligni, qui perpetua spretis optimis quibusque, & summâ cum bonorum offensione, pergant suas cupiditates persequi, & sæ[illegible] pestimis & putidissimis exaturare, ideo dico vobis: Væ mundo à scandalis.*

§. 2. Oratio Eclypsin habet. *Nam sorinsecus aliquid ad redintegrandum sententiam adsciscendum est. Veluti cum dico. Necesse est, se febribus esse obnoxium. Nam addendum est. Quandoquidem tam viuis licenter: similis locutio extat apud Paulum. 1. Corinth. 11. oportet hæreses esse.* Hæc ex Catholicis Bullingerus hæreticus, nondum in hoc barathrum præcipitatus, vt ex diuino verbo vbique corrupto scelerum necessitatem in Deum referrent, quod posteri eius fecerunt. neque enim ideo scandalum venturum est, quia Christus venturum prædixit: Sed quia venturum vidit, ipse prædixit, vt obseruat Chrysostomus. Non enim quæ fieri videmus, videndo fieri cogimus, sed quia fiunt in conspectu, non videre non possumus, sic diuina prouidentia omnia futura præcognoscit, & quæ suo tempore eueniura sunt, intuetur, quia prouidentiæ oculos claudere non potest. Caluinus obiectioni respondet. *Cur frena Satanæ laxentur, id in arcanis Dei consilijs esse, de quibus nos reuerenter sentire oporteat. Ex illis hoc vnum esse, quod scandalis necesse est, mundum turbari.* Muscul. etiam, necessitatem à Dei prouidentia esse concludit. dicere autem Deum dicit scandala mittere. Sed absit vt ille ex prouidentia sua mittat, quæ etsi esse permittat, non probat tamen. Nec arcanum, Dei consilium est, quo iubet esse, sed quo permittit, nec cum possit, impedit, dum rationali naturæ datam libertatem auferri non sustinet. Zvvinglius etiam durius loquitur, quam Caluinus, & minus tecte blasphemus est. *Dicat quis, cur ergo eos punimus qui offendunt? Respondet. Hic ergo se aperit, cur etiam sontes plectuntur, cum necesse sit, eos esse, & prouidentia diuina tales sunt?* Impie diuinæ prouidentiæ ascribit quod sontes sint, non enim Deus volens iniquitatem est, nec est necesse esse tales, sed suo arbitrio malo, quod Deus non cogit esse malum, tales sunt. Quia autem hoc arbitrium sua sponte malum est, sequuntur scandala, mali fructus, malæ arboris. Pergit vero Zvvinglius. *Quemadmodum diuina prouidentia Deus præuidet, culpæ malum, ita & malum pœnæ præuidet. Nam qui ordinat vt is occidat aliquem, is & ordinat, vt idem ipse etiam gladio Iudicis plectatur. Et hunc in Exemplum ponit suæ iustitiæ, & in eo manifestatur gloria & voluntas Dei, vt cuncti videant eum in vas contumeliæ adparatum.* Quid Borborianus aut Manichæus aliud loqueretur? Hoc enim est Deum auctorem criminum constituere, ordinationem eius causam homicidii docere. Vt enim causa est Deus, vt gladio reus plectatur, ita causa est, vt occidat; vtrumque enim ordinat. Vtrumque ab eius prouidentia proficiscitur, vt contendit Zvvinglius. Nec reus ille exemplum est diuinæ iustitiæ, nec esse potest: miserabili enim necessitate diuinæ ordinationis cædem facere cogitur. Multo aliter Chrysostomus.

Deus non iubet esse scandala, sed permittit.

Zvinglius Borborianus.

Sed si necesse est, vt scandala veniant, quispiam opponet, cur mundum quasi miserum deflet, cum manum ei porrigere, atque opitulari potius oporteret? Hoc quippe prudentis Medici dominique prouidentissimi, illud cuiusuis opus esse, non iniuria potest: quid igitur ad tam impudentem linguam respondebimus? Quod scilicet nihil diligentissimæ illius curæ par excogitari queat. Cum enim Deus sit, homo quoque propter te factus est, & serui assumpta forma extrema omnia passus, nihil quod ad se pertineret prætermisit: cæterum quoniam nihil hinc vtilitatis ignauissimi homines consecuti sunt, idcirco eos deflet. Quia etiam post tot, tantaque ipsis allata remedia in morbis suis perseuerarunt: Veluti si quis febricantem, cui licet peritus medicus affuerit, tamen quia eius præcepta contempsit, complorans diceret. Væ illi homini à graui ægrotatione, quam per ignauiam plurimum atque plurimum auxit. Verum ibi nihil ploratus conducere potest. Hic genus quoddam curationis est: futura mala prædicere, & deflere non pœnitentes, præsertim cum multi nullam quidem ex consilio, multam vero ex fletu vtilitatem habuerint. Ideo væ, dolentis vocem adhibuit, vt dolore suo ipsos incitaret, ac diligentiores, vigilantioresque faceret. Ad hæc beneuolentiam quoque suam erga illos, & clementiæ magnitudinem ostendit, quia vel contra dicentes deflet. Ita non modo molestiam quandam, ex duritia aduersariorum capiebat, verum etiam & flendo & prædicendo, ad sanam eos mentem reuocare conabatur. Sed quomodo inquies id fieri potest? Nam si necesse est, vt veniant scandala, quo pacto ea euitare poterimus? Quia videlicet necesse quidem est, vt scandala veniant, perire, autem non omnino necesse est, ceu si medicus quidam dixerit, si nulla medicina vteris, necesse est, vt in hunc vrsus morbum incidas: non omnino eum perire necesse erit, qui vigilanter attendit.

Malitia ergo scandalorum causa est, & malitia libera non diuini decreti potentia. Nec tamen scandalo perire dicit eos, qui offenduntur, sed ignauia propria, non enim omnes illa premunt, sed multi ardentiores, & perspicatiores inde exsurgunt. Diligenter inquit loco citato abs te ipso require. *Nam qui mali sunt, si à se ipsis mali non sint, noli tuos seruos castigare, nec vxorem si peccat increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendentibus inimicis infensus sis.*

Pereunt ignauiâ. q. ἐκδυμία scandalizantur.

Nam hi omnes, si non sponte delinquant, non punitione, sed miseratione digni sunt. Non possum inquies ita philosophari: certe si non illorum culpa quicquam factum conspexeris, sed quadam aliâ necessitate incûbente non poteris nõ philosophari. Nam quando seruus ægritudine oppressus, iussa non fecerit: non modo non criminaris, verum etiam valde commiseresces. Quare tu ipse testimonium perhibes, nonnihil ab ipso, nonnihil aliunde, ac non ab ipso fieri. Similiter ergo etiam hic, si scires quod malus esset propterea, quod talis natus sit, non modo non accusares, verum etiam veniam dares, non est enim consentaneum, vt qui propter morbum ignoscis, propter Dei opificium non ignosceres, si quidem talis ab initio factus esset. Verum inde quoque ora istorum obstruere facile possumus: nam vndique veritatis affluunt adminicula homini est, si eos interrogabimus, quamobrem nunquam seruos crimi- Malum ab Deo. *nantur, si facie formosi non sint, si non proceri staturâ, si non quasi volucres in eundo, cæteraque huiusmodi, quia videlicet naturâ hæc non voluntate conceduntur: immunis est ergo ipse eius culpæ, quam ei natura inuexit. nec vllus vnquam huic rationi contradicet. Cum igitur accusas, tunc ostendis profecto, non à naturâ, sed à voluntate mali quippiam processisse. Nam si quæ minime culpamus, ea naturæ delicta esse, aut saltem non voluntatis testamur, patet ea solum culpari, quæ voluntate committuntur. Noli ergo peruersas in medium ratiocinationes inferre, nec sophismata, & orationis contextum telis aranearum viliorem.* Hæc Chrysostomus iam olim telas aranearum discutiens & Caluinianorum blasphemias aureo veritissime orationis flumine obruens. Multa enim contra Manichæos adiungit, quæ in Caluinianos rectissime conueniunt. Hinc concidunt illa horrenda. Iudam si Dei decretum spectemus, Christum necessario prodidisse. Et parum abest, vt cum Caianis blasphement, & dicant, Iudam pio consilio tradidisse. Beza in Summa Christianismi. pagina 17. Heshusius, pag. 178. Martyr in Rom. 38. Zvvinglius de peccato origenis. 606. & de ratione fidei ad Carolum. at Deus odisse se peccatum profitetur, ex hominis mala voluntate id esse. Basilius de Origine mali, idem esse asserit Deum negare, esse Deum, & dicere causam peccati. Tamen qui eum deserunt per inobedientiam, eos ipse deserit per iustitiam. Nec enim potest is, qui per se bonus est, esse causa mali, aut illud dicere.

VERSVS 10.

Videte ne condemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

QVÆSTIO I.

Cur propter angelos cauenda scandala?

§. 1. SCandala paruulis obiiciuntur contemptu illorum, at minime Deus illos contemni patitur, quod ex eo probat, quia custodiæ illorum præfecit Angelos; Spiritus beatos, qui semper vident faciem patris cælestis, itaque accusatores eorum sunt, cum ad regem non modo aditum habeant, sed semper illi adsint, ne ad momentum quidem extra conspectum. Sumpta est similitudo ex hominum consuetudine, qui eos timent offendere, quos multum posse apud principes arbitrantur.

Aulici Dei Angeli.

§. 2. Singulis paruulis, ac proinde hominibus est assignatus Angelus custos, imo & regn's Dan. 10. 13. Clem. Rom. l. 2. recog. Alex. 6. Strom. vide Apocal. 2. 8. 12. & 3. 17. & docui Genes. 48. 16. Vide Psalm. 33. 8. & 90. 11. Caluinus quidem lib. 1. Inst. cap. 14. §. 11. Angelos esse hoc loco probat, & cap. 7. tamen dubitat, an singulis appositi sint vitæ custodes, quod tamen Beza libenter confitetur. Omnibus autem modis paruulos, humiles & abiectos, nobis venerabiles efficere Deus voluit, ne vllo modo parui eos faceremus. Præfecturæ porro angelicæ meminit etiam Epiph. contra Alogos & contra Anoëtas. Sic & Iustinus. q. 30. ad orthod. Angeli omnes tum qui regunt, tum qui reguntur functionem suam implent, cœlis & hominibus vtilem: quibus vero ministerium mandatum est, vt homines sequantur custodes. semper augentur, minuuntur nunquam. Sunt enim vtrumque simul, animam inquam & corpus, aut animam post diuortium eius à corpore, sequuntur, vsque ad restituendi, siue renouandi mundi tempus. Prius autem quam, vt hominum sint assectlæ, & custodes constituantur, aliis munestibus pro hominibus obeundis principibus suis ministrant.

Hinc Epiph. καὶ δὴ κινήμασι οἱ ἄγγελοι κινῶν τὰ ἔθνη εἰς ὁρμὴν ἐκδικίας, *Moti enim Angeli mouent gentes ad impetum vltionis.* Viros sanctos φωταγωγὸς Angeli custodiunt, & Chrysost. air. *At quemadmodum fumus apes, & columbas grauedolentia fugat: ita vita nostra custodem Angelum lacrymabilissimum & fœtentissimum peccatum repellit.* Vt monet Basilius. Quid agant exponit Augustin. Solil. cap. 27. *Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attente considerantes quampie, quamque honeste in medio prauarum tionis conuersemur, quantoque studio & desiderio quæramus regnum tuum, & iustitiam eius, quantoque timore, & tremore seruiamus, & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant labores, prolegunt quiescentes, hortantur pugnantes coronant vincentes: congaudent gaudentibus, & tu inquam gaudentibus: compatiuntur patientibus, pro te inquam patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, quâ dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis; custodiunt quos tu custodis: & deserunt, quos tu deseris. Nec diligunt operantes iniquitatem, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus gaudent Angeli & tristantur dæmones. Quoties vero à bono deuiamus Diabolum ladificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus: gaudium est enim in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente: Sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente.* Hos Angelos vt Dei ministros colimus, & creaturas & conseruos, non vt Deos. Philo olim illa distinxit. ἃς μὲν δὴ ἔθνη φιλοσοφήσαντες ἥρωας καλοῦσι, καὶ δαίμονας. μώνυμος δὲ & θυβόλῳ χρώμενος ὀνόματι ἀγγέλους προσαγορεύει, πρεσβευομένους, καὶ διαγγελλοντας, τότε πᾶσι τὰ ἡγεμόσι τοῖς ὑπηκόοις ἀγαθά, *Quas virtutes, potestates, mentes, philosophi gentilium Heroas vocant & dæmones. Moses legitimo nomine vsus Angelos nominauit, qui legationes obeunt & nuntiant.*

§. 3. Ex eo, quod paruulorum Angeli videant faciem Dei eique seruiunt, Bullingerus eos inuocandos negat, & falsa veris miscet. In Deum non in Angelos respiciendum docet, Angelos esse administratorios Spiritus, verum est. Etiam illud quod ex Augustin. adducit. Nos non Angelos, sed veritatem videndo, qua Angelos diligimus, beatos esse, Angelos charitate non seruitute honorare. nec eis templa construi. de vera relig. cap. vltimo. Et Lactant. lib. 2. capit. 17. Angelos nullum sibi honorem tribui vellé. Hæc inquam vera sunt, si veritatis assertor, non hæresiarcha legat: Non colimus Angelos seruitute la-

tem latriæ, nec religionis propriè dictæ, sed minore honore, vt Dei ministros: honorati enim sunt ministri Dei. Deo templa construimus, illis tamen sanctorum Angelorum memoriam signamus. Angelos honoramus, nam eorum beatitudo honorabilis est. Honorari nolunt nisi in solo Deo, vt creatoris maiestas in domibus suis reluceat. Hoc dicere voluit Lactantius; comparatem in eos præuaricatoribus Angelis, qui nomen, & cultum deorum sibi vindicare conantur. Quod si magistratus, & sacerdos honorandus est, tanquam Dei minister, cur non etiam Angelos honoremus? Colendus est Angelorum Dominus, sed tamen Angeli suo honore priuari non debent, quemadmodum alii ministri æterni regis.

VERSVS 11.

Venit enim filius hominis saluare quod perierat.

QVÆSTIO I.

Quorsum tendat, quod dicit: Venit filius hominis?

§. 1. PRobat Angelos paruulis datos esse custodes; Hoc enim humanæ rationi mirabile, aut etiam absurdum poterat videri. Nobilissimam creaturam, Spiritus in Dei conspectu semper constitutos, omnibus principibus ac Monarchis maiores, hominum vilium & abiectorum custodiæ deputari. Non est illud, inquit, à diuina misericordia alienum, vt Spiritus administratorios saluti hominum constituat custodes, protectores, & promotores, cum suum ipse filium miserit, vt saluum faceret, τὸ ἀπωλὸς *quod perierat*, non quod paruuli tantummodo perierint, sed quod omnes. Alii ad superiora referunt. *Videte ne despiciatis vnum ex istis pusillis, nam venit filius hominis ad eos redimendos*; Impium est, & superbum eos despici ab homine, quos Deus exaltauit, quorum saluti filium vnigenitum impendit. Syrus ad verbum: Videlicet, דנחא *denache*. Ita illi solent loqui. Genes. 6. 19. Matth. cap. 19. 25. Marci. 3. 4. & 8. 11. Cum vero Syrus & Latinus textus ita habeat constanter, mirum est in quibusdam Græcis totum versum deesse, apud Orig. non inueniuntur, Comment. Hieronym. omittit, legerunt tamen Chrysost. Theophyl. Hilarius. Hoc interim teneamus intolerabile esse eorum fastidium, qui eos contemptim tractant, pro quibus Deus dat humana superba, quod saluum Deus esse vo-luit. Multo minus, ne eos contumelioſe abigamus, quos regni sui hæredes Deus constituit.

Hi homunciones sunt pro sanguinem Christus fudit.

§. 2. Sententiam pulcherrimam ac solatio plenissimam fœde corrumpit, & in Dei benignitatem blasphemus est Zvvinglius. Obiicit sibi, *Christus neminem vult perire, nemo perit igitur. at constat perire plurimos.* Hunc nodum vt soluat, totam sententiam tollit. *Christus hic vult dicere. Quandoquidem Deus misit me in mundum, vt pro mundo morerer, non vult, vt mundus pereat, immo nullum omnino vult perire, id est, vt tu eum offendas, contemnas.* Itaque eum Deus, vt Zvvinglius ait, vult perire, sed non vult, vt Petrus aut Ioannes det scandalum. Neminem vult per te perire. *Non enim, inquit, tui sunt, sed Dei.* Quasi vero Christus in eo bonitatem Dei collocet, quod perire quidem velit, sed non hac aut illa manu. Parum sane pereuntis interest, cuius gladio cadat. Atqui Christi argumentum eo tendit, vt dicat non esse lædendum aut contemnendum vllum, quia Deus nullum vult perire, ex Dei enim charitate deducit, homines etiam amare proximos oportere, nec impune fore eos perdere, quos Deus perire non vult. Quod argumentum nullum est. Si Deus perire quidem illos vult, non tua tamen opera exitium adferri. Quanquam & hoc ipsum Zvvinglianis decretis repugnat, si enim Deus exitium ordinauit, etiam eorum per quos pereunt, crudele ministerium ordinauit. Chrysostomus, *Deum salute paruulorum gaudere*, cum saluos fieri eos velle demonstrat. Omnia enim fecit ne perirent, magna ad eorum tutelam mœnia extruxit, atroces pœnas minatur illis, qui offendunt, regnum promittit suscipienti. frustra omnia, si eos perire vult, & carnificem perimendis apposuit. Omnes itaque saluari vult Deus, & Caluini, Bezæ, Musculi aliorumque hæresin damnat, qui Christi satisfactionem ad solam peccatorum, quæ committunt electi, remissionem astringunt. Quam hæresin studiose Zanchius, Simonius, Tigurini, & Heidelbergenses defenderunt. Verum cum sit Christus Saluator mundi, pro totius mundi peccatis mortuus est. Itaque Marloratus, alioqui eorum Sectator, in hoc ab illis recessit, Fol. 229. & Gualterus. Hom. de incarnatione Domini. Werdmulerus, Heminglius, aliique, ne quispiam putet, solos orthodoxos blasphemum errorem execrari.

Christus pro toto mundo mortuus est.

Porro impii perditionis suæ causam ipsi adferunt: cum mortis Christi, & meriti se participes non faciunt, sanguinem testamenti conculcantes, & filium Dei ostentui habentes. Quis autem gubernatori culpam tribuat, si epibata proterue in mare prosiliat? Nauem ille medijs in vndis regit, hortatur eos, vt salui esse velint: illi vero sua stultitia pereunt.

§. 3. Quibusdam visum est, ita veniisse ad hominum salutem, vt si in sua innocentia perstitissent, incarnatus non fuisset. ita multi Theologi & Patres. Quin & Caluinus. l. 2. cap. 12. multis id asserit. alii vero locum sic interpretantur, vt dicant etiam fuisse venturum, manente primogenia omnium innocentia, non quidem corpore mortali, aut moriturum, sed vt humanæ naturæ dignitatem asseraat. Statuendum est igitur Dei bonitatem omnium saluti esse operatricem, nullum perire velle. Vt est etiam vers. 14. *Non est voluntas ante patrem vestrum*, inquit, *more Syrorum* קדם אבוהון *Kedam abuchun*, eadem phrasi fere reges & iudices in Germania vtuntur. Cum ait Deum nolle, vt vnus ex pusillis pereat, non affirmat adultorum charitatem, curamque eum deposuisse, sed paruulos sibi caros, atque adeo omnes esse significat, nec enim maximum, nec minimum petire vult.

Christus manente innocentia an venturus?

VERSVS 12.

Quid vobis videtur. Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit?

QVÆSTIO I.

Quæ centum, & quæ vna ouis?

§. 1. GRæce est, *alicui homini* ἀνθρώπῳ Syrus etiam habet לאנש lenasch, homini, noster vertit sensum eum dixit, *alicui*, vel prætermisit, *hominis*.

Itaque inique accusatur à sciolis, Beza ipsum defendente. *Vetus*, inquit, *interpres, vel hoc non legit vel praetermisit, nullâ sensus iniuria.* quamuis nisi legas, subaudiri necesse sit, vt vis comparationis intelligatur. Iunius & Tremellius nostrum imitati sunt, Nam quod est in Syro scriptum: *Homini*, ipsi vertunt *alicui.* Quod dicitur: *nonne reliquit nonaginta nouem in montibus & vadit*, in Græco abest coniunctio, & alia adest distinctio, οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα, ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον; *non relinquens nonaginta nouem, in montes profectus quærit quod errauit?* Syrus nostrum interpretem sequitur. *Et relinquens nonaginta nouem in monte, & profectus quærit*, &c. Vbi habet בטורא *Bethora, in monte.* Singularem pro plurali.

Lectio vetus.

§. 2. Oues nonaginta nouem multi putant Angelos. Eorum enim cura Deo est & hominum patiter, sed maior hominum, quos cœlum deserens reliquit. Origen. hom. in Gen. Hilarius Ambr. in Apolog. Dauidis cap. 5. Gregor. Hom. 34. Athan. 9. 2. Verum multi eorum non literalirer, sed mystice & per accommodationem ita loquuntur. Mihi verior aliorum videtur expositio. Tantummodo demonstrati caritatem & benignitatem Dei erga homines, tam magnam esse erga vnum peccatorem Dei caritatem, vt si ex centum vnus deerrasset, illius causa venturus esset in mundum Saluator.

VERSVS 15.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum.

QVÆSTIO I.

Quomodo priuatim frater corrigendus?

§. 1. GRæce dicitur ἁμαρτήσῃ, quod non de eo solum dicitur, qui ignorantia vel infirmitate delinquit, sed etiam illo, qui fastu, malitia, & ex proposito, facinus concipit. Sic etiam Syrum אסבל *ascal* non est duntaxat *errare*, sed quocunque modo delinquere. Est enim stulte & insipienter agere: omne autem peccatum vocari solet stultitia, quod caduco, & falso bonum æternum & immensum postponat. Itaque etiam de grauissimis sceleribus aliquando accipitur.

De omni peccato loquitur.

§. 2. In te peccare dicitur frater tuus, vel qui coram te peccat, vel qui iniuria te lædit. Priore sensu Christi verba multi accipiunt, non enim de condonanda iniuria agi videtur, sed fraterna correctione, quæ etiam ad cætera pertinet peccata, quæ præsentem nequaquam lædunt. Quanquam autem eadem sit lex admonendi & corrigendi peccatoris, siue in te peccet, siue in Deum aut proximum, non dubito tamen hic agi, de illo peccato quod contra eum, qui arguere eum debet committitur, atque in eo cæterorum correctio traditur. ostendit hoc ipse modus loquendi. Nunquam enim latinis dicitur: peccare in te, pro, coram te, multo minus Græce ἁμαρτάνειν εἰς σὲ, pro ἐναντί σου, *coram te*, idem non modo de Hebræa phrasi constat. Sed hoc insuper notandum est, Græca & Latina ex Hebræo & Syro idiomate esse. Vide Iudic. 12. 17. Chrysost. eodem modo interpretatur. Nihil aliud esse arguere, definit, quam peccati memoriam reducere, & quæ passus sit exponere. Magnam vero perfectionem ostendit, cum non eum qui fecit, sed qui passus est iniuriam, ad illum qui fecit, adducit.

De conditione & monitione agitur.

§. 3. Accedit etiam Petri interrogatio, & similitudo regis debita remittentis, quibus ostenditur de condonatione agendum esse. Præcedentia autem hanc interpretationem postulant. Quantum mali in scandalis esset, Christus explicuit, similitudine Pastoris, & ex voluntate patris cœlestis. Obiectio superat; Quid si ille, quem tam vehementer colere iubeor, iniuria afficiat, à me vicissim eundem quasi lege charitatis sublata inuadit, nefas erit?

Respondet Christus, non esse malum malo pensandum, sed corrigendum. Atque id agendum vt lucreris fratrem, non perdas. Quid enim amabilius, quam eum qui pœnas sumere posset, de eiusdem salute adlaborare? Nota, esse correctionis finem hunc, non alium, non ergo ira & præcipitantia agendum, sed vt lucreris vel fratrem, vel ne fratris vitio alius inficiatur. Itaque neque odio eius tacere debes, vt perseueret in delicto, nec parcendo personæ, vt tuo silentio pereat, quem saluare Deus voluit per tuam charitatem.

§. 4. Obiicit Beza, inter te, hoc est, te tantum conscio. Nam ante egit de illis, qui aliis sunt offendiculo, nunc de illis agit, quibus obiectum est offendiculum, quos vult ita comparatos esse, vt saluti fratrum consulant.

Respondeo. Omnino hoc Christum velle verum proponere exemplum in re d fficili, & quæ hominib. ardua sit; Nusquam enim difficilius zelum præposterum temperate, quam cum ipsi offenduntur: cum proximum lædi vident, cum diuinam maiestatem violari sentiunt, boni & sancti tantum contumelia creatoris mouentur, impii vltro irrident: at si ipsi minimo afficiuntur incõmodo, irritati insaniunt & iram indignationem, odium zeli nomine prætexunt. Si igitur in propria causa zelum charitare temperent, in aliena modum facilius tenebunt, vt mitiora remedia amplexi ad extrema non descendant, nisi postquam lenitatem in irritum cadere sunt experti.

§. 5. Egregie Cyrillus explicuit præceptum corrigendi, in Leuit. l. 3. & Eucherius, *Episcopi*, inquit, *aut per se alios, singulariter peccantes conueniant, deinde cum paucis, postea vero cum tota Ecclesia.* Modum veteris Ecclesiæ exhibet Tertull. in Apologetico. c. 39.

§. 6. Cyprianus Epist. 55. hæreticos eodem modo fugiendos docet. *Nulla societas fidei & perfidiæ potest esse: qui cum Christo non est, qui aduersarius Christi est, qui vnitati eius & paci inimicus est, nobiscum non potest cohærere. Si cum precibus & satisfactionibus veniunt, audiantur: si maledicta & minas ingerunt, respuantur.*

§. 7 Tertullianus lib. de Baptis. cap. 6. Hinc fidei firmitatem adstruit. *Nam si in tribus testibus*, inquit, *stabit omne verbum quanto dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei quos & sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ, etiam numerus nominum duorum?*

§. 8. In correctione igitur fraterna hoc obseruandum est, vt sit, spes emendationis, hic enim monendi & arguendi finis est: non enim arguendus est, si tua admonitione irritabitur. Deinde vt inter te & ipsum solum fiat correctio, si peccatum sit occultum. Si enim publicum sit, atque in alios um vergat damnum, etiam publice remedia adhibenda sunt. alioqui si solus corrigere potes, testem ne adhibe, solius studiosus salutis, parcens verecundiæ, nam si coram pluribus eum infames, non es corrector, sed proditor. Etiam de peccatis in Deum intelligendum, nam ad omnia omnino pertinent dicta Christi.

VERSVS

VERSVS 16.

Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

QVÆSTIO I.

Quid agendum sit, si te non audierit?

Coram testibus monendus.

§. 1. QVod si frater peccatum excuset, aut defendat, adhibendi testes, quorum prudentia, autoritate & reuerentia possit ad frugem reduci. Nam illi simul testabuntur, in peccato alterum versari; atque eo modo plurium sententiæ cedet. Vt Chrys. & August. Serm. 16. de verbis Domini. Hoc etiam adiuuabit, quod ex ordine quo alterum videt correctionem instituere facile animaduertere possit, ad Ecclesiam rem esse peruenturam. publicæ igitur reprehensionis metu facilius se corriget. Omne verbum rem totam significat quæ rata erit, καὶ στήσῃ *firmabitur* duorum testimonio. Testibus enim credere tenebitur, qui iustam reprehensionis causam, & fraternam esse correctionem testabuntur.

Contra in iuriosos.

§. 2. Quapropter magnopere animaduertendum est, vt illi quibus delictum fratris patefit, & moribus iisunt, & eam opinionem apud corrigendum habeant, quæ ad emendationem adferat incitamentum. Sed & illud considerandum, vt qui dignitate excellunt, coram illis moneantur, quorum præsentia non magis exasperentur. Quæ vero admonendi, corrigendi, reprehendendi necessitas cuilibet priuato incumbat, alio loco explicatum est. Hoc nunc tantummodo moneo, maximum atque efficacissimum corrigendi fratris esse modum, si charitate, pietate, sanctitate, atque adeo operibus bonis eius delictum arguas.

VERSVS 17.

Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

QVÆSTIO I.

Si testes contemnat cui dicendum?

Quid Ecclesia.

§. 1. CHristus Ecclesiæ dicendum esse pronunciat, si non audierit, seu παρακούσῃ, non dignatus fuerit audire, contempserit, quemadmodum dicitur παροράω, qui ne aspicere quidem dignatur. Syrus, *si eos non audierit.* Non iam alio remittit, non diuino iudicio commendat. Sed iubetur haberi sicut Ethnicus & publicanus. Syrus appellat עדתא *ghidtha. catum, congregationem.* Beza Senatum Ecclesiasticum interpretatur. Gytreus pios & doctos Seniores, non vulgus. alii vero totum populum cognitorem & iudicem faciunt, more Quiritium, cum ad populum fieret prouocatio.

Tribus hic nomen Ecclesiæ.

§. 2. Ecclesia, quamuis frequenter totam Rempublicam, hoc est, præsides & populum in sacris liteis designet, hoc tamen loco turbam seu plebem non comprehendit. Constat hoc tribus præcipue rationibus. Primo enim multitudo peccatorem iuuare non potest. Deinde non iudicat imo ne cognoscit quidem ordinatè. Denique ligandi & soluendi iurisdictio penes multitudinem non residet. Quod si etiam eius temporis consuetudo spectetur, non difficile fuerit ostendere iudicium, quo pronunciatur esse tanquam Ethnicus & publicanus non multitudinis, sed magistratus fuisse. Multitudo enim ad hoc vt aliquis ἀσυναγώγῳ *extra Synagogam* fieret, non agitabatur apud plebem, sed magistratum. Ioann. 9. 22. & 12. 42. & 16. 2. Hebræi quidem solent iudicia coram multitudine exercere, non tamen ipsa multitudo iudicat. Caluinus alludi ad Synagogam opinatur, sed eam non vocat Christus Ecclesiam, nec suos eo relegat, nec ex eius ordine veteri formandus est Christianæ Ecclesiæ status.

§. 3. Quæ Caluinus hic contra excommunicationem Ecclesiasticam crepat, nihil opus est refutare, cùm manifesto mendacio omnia nitantur. Zvvinglij verba obseruatione digna sunt, occultam & externam Ecclesiam esse affirmat: deinde his verbis Anabaptistas aggreditur. *Quæro eos qui se Anabaptistis iungunt, & Ecclesiam eorum summis vehunt laudibus, quis eos certos faciat, quod Catabaptistarum Ecclesia, Ecclesia sit Dei? Quum ergo hac de re certi esse non possint, cur non manent in Ecclesia, à qua turpiter deficiunt?* Hoc eisdem verbis Zvvinglio nos obiicimus, quod ille Catabaptistis, qui à Zvvinglianis deficiunt, quia nulla hæresis diuturna est, scinditur quotidie. Et facile illi rationem reddent, cur ab hæresi recedant, nunquam Caluinistæ, cur à veritate.

Zvinglij ratio contra Anabaptistas.

§. 4. Rursum non est dicendum congregationi alicui seniorum aut Iudicum, sed præsuli: nec alia est mens Chrysostomi cum dicendum antistitib. & præsulibus Ecclesiæ, perinde enim est ac si censeat Episcopis dicendum. Nam paulo post vtitur singulari: *Nec dixit Ecclesiæ præsuli, vinculis istum constringe,* &c. Qua ex re apparet, Episcopo dicendum, & si Episcopus reus sit, Archiepiscopo, & si ille, Patriarchæ, ac tandem Pontifici. Solet tamen indicari mortuo Episcopo illius consilio, aut senatui Ecclesiastico quamuis etiam viuo Episcopo, illius consistorio, & iudici proponi solent, sed ita tamen vt constet, totum ius penes Episcopum, à quo etiam iudices & alii consiliarii potestatem acceperunt.

Episcopo dicendum est.

§. 5. Hæc testimonia probat Bellarminus l. b. 2. de conc. c. 2. Concilia generalia à Pontifice confirmata errare non posse: Verba eius sunt. *Testimonia propria sunt tria. Primum est Matth. 25. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Caluinus non adeo magni facit hoc testimonium, propterea, quod ex eo videatur probari posse etiam concilium duorum hominum non posse errare. Sed is hoc testimonium non contemnet, qui obseruarit argumentum sumi non simpliciter ex his verbis, sed ex his verbis continuatis cum superioribus, & propterea additâ argumentatione à minore ad maius. Dixerat enim antea Dominus de homine incorrigibili, Dic Ecclesiæ & si Ecclesiam nõ audierit sit tibi velut Ethnicus & publicanus. At ne quis Ecclesiam siue congregationem prælatorum contemnẽdam putaret, adiunxit continuo: Amen dico vobis, quæcunq. ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Et ne quis dubitaret de assistentiâ Dei, quando Episcopi congregati aliquem damnant, vel absoluunt, subiungit: Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum. Quorum verborum hæc sententia est: si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent semper, quod petunt à Deo nimirum sapientiam & lumẽ, quod sufficit eis ad cognoscẽda ea, quæ ipsis necessaria sunt, quãto magis Episcopi omnes congregati in nomine meo, semper obtinebũt, quod iuste petunt, id est, sapientiam & lumen ad iudicanda ea, quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent? Itaq. siue pauci, siue multi, siue priuati siue Episcopi congregentur in nomine Christi omnes habent Christum præsentem & adiuuantem, & obtinent quod eis conuenit obtinere. Sed in congregatione paucorum & priuatorum adest Christus vt eos adiuuet in rebus paruis & priuatis; in congregatione autem Episcoporum adest,*

Generalia Concilia non possũt errare.

vt eos adiuuet in rebus magnis & publicis. Ita hunc locum exponit, & hoc argumento vtitur Concilium Chalcedonense, in Epistola ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis eiusdem Concilij. Item sexta Synodus Act. 17. Toletanum tertium non procul ab initio. Item Innocentius Papa apud Gratian. dist. 20. Can. de quibus. Cœlestinus in Epistola ad Ephesinum Concilium. 1. & Cyrillus in expositione Symboli Nicæni circa principium. Hoc sane prudēter & solidè Ecclesiæ enim multo maior potestas confertur, quam vni alteriue testi. Non enim qui eos non audierit erit sicut Ethnicus & publicanus. Deinde priuatis testibus, etsi illi moneant reprehendant, instituant, non est data ligandi aut soluendi potestas, sed Ecclesiæ. Confirmatur vero ex eo, q̄ absolute & simpliciter sit sicut Ethnicus & publicanus, qui à generali Ecclesia damnatus est. Nam qui ab aliqua Ecclesia excommunicatus est, causa illius cognosci potest à generali. Scueritas igitur mandati, qua ad obtemperandum Ecclesiæ, eique credendum obstringitur infallibilem & perpetuo remotam illius fidem, & fidei doctrinam sancit. Cur enim exitium minaretur non audienti Ecclesiam, si vox eius fallax & veritatis aliena esse aliquando potest? Incertæ enim authoritati non potest haberi certa fides. At inde tantum certo constare volunt, non errare eam, si verbo scripto nitatur. Parum sane consultum ea ratione fuerit, vel indoctis, vel mediocriter eruditis, imo vel ingeniosissimis, & in sacris literis, longa ætate & immēso labore exercitatissimis, vt ad Scripturam Ecclesiæ decreta examinent, & pastores suos iudicēt oues, subditi magistratū. Quod adeo perspicuum est, vt de ipsis scripturis fuerint quæstiones plurimæ, an legitimæ an spuriæ sint? quarum definitio ad Ecclesiam pertinet.

Ecclesiæ certa authoritas.

§. 6. Vera est Ecclesia quæ congregatur sub nomine Christi, hoc est illo capite, quod fungitur vice Christi, alioqui multæ hoc nomen Sectæ vsurpant, at nequaquam sub nomine Christi congregantur. Ad rē non facit quod Caluinus. l. 4. Inst. c. 1. §. 9. Scriptura omnia metitur, Ecclesia enim veram scripturam habet, verumque & genuinum sensum retinet. Hæc tamen aditur ab illis, qui nec scripturam tenent, imo interdum abiis, qui magnam Scripturæ partem ignorant, legere nesciunt. Est quidem in Ecclesia publica Scripturæ lectio, quæ omnibus dominicis & festis in Ecclesia peragitur, ad quam omnes admittuntur, imo monentur vt auditum veniant. Est etiam priuata, quæ omnib. permittitur, non tamen vernaculæ cuiuslibet versionis, sed approbatæ. Nec tamen cuilibet ius est interpretādi, & iuxta proprium iudicium intelligēdi, ne tot oriantur hæreses, quot sūt lectores. Imo ne hæretici quidem passim omnes omnib. permittunt. Musculus in locis Comm. Tit. de Sactis Scripturis, discretionem requirit, nec legem Hebræorum improbat, quam Nazianzenus in Apologetico recitat, qua cauebatur ne ad quamlibet scripturam quælibet ætas admitteretur, sed aliæ quidem cunctis ab initio tanquam communes legendæ permitterentur, aliæ vero non nisi illis, qui annum vigesimum quintum excessissent. Monet vero etiam ille non accedendum illotis manibus ad scripturam legendam, sed precibus præmissis, studio veritatis agnoscendæ, vitæ emendandæ. Itaque nec Cantica Canticorum, nec figuras Mosis, non oracula Prophetarum, non Apocalypsin legi à pueris permittit. Quod si periculosum est ante annum vigesimum quintum illos legere, quomodo non periculosum fuerit, Epistolas Pauli, aliosque libros euoluere? quomodo non periculosius editiones vernaculas, non approbatas legere? Quomodo vero de Ecclesia, & Pastoribus iudicabunt ex illa lectione adolescentes? Quomodo statuent quodnam Ecclesiæ dogma sit contra scripturam? de lectorib. loquor, non enim infin. tam turbam legēdi nesciam hic commemoro, quæ non iudicando Ecclesiam, sed eam audiendo salua futura est.

Ecclesia Scripturā habet.

Scripturæ lectio indiget discretione.

QVÆSTIO II.

Quomodo sicut Ethnicus & Publicanus?

§. 1. SYrus inuertit אים מיכסא ראים תבפא *aich machsa aich chanpha, sicut publicanus & sicut Ethnicus.* Verbum hoc enim significat infidelem Ethnicum; etiam hypocritam & assentatorem, sicut Ethnicus, non iam frater; sed Ethnicus & idololatra, quo cum proinde nihil tibi sit commercii maioris, quam cum Ethnico. 1. Cor. 5. 11. *nec cibum eo sumere*, & Ioan. Epist. 2. 10 *nec aue ei dixeris.* Si vero deinceps pergat ladere, non miraberis, quid enim aliud Ethnicus faciat Christiano? Interim etsi in numero fratrum eum non deputamus, eorum salutem tamen semper inquirimus. Vt ait S. Augustinus Gentes Iudæi dicebant, omnes sua religione alienos. Publicanos quasi professæ & desperatæ improbitatis homines auersabantur, de quibus alio loco dixi.

VERSVS 18.

Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

QVÆSTIO I.

Quæ hic potestas significatur?

§. 1. PRimo satis constat promitti hoc loco Apostolis potestatem ligandi & soluendi, nondum dari: post resurrectionem autem datam esse, quæ hic promittitur. Christo enim viuo, Apostoli nec habuerunt illam potestatem, nec vsi sunt. Christus enim soluenda soluit in terra, & liganda ligauit. Constituti sunt autem legati redeunte in cœlos principe Iesu Christo Domino nostro.

§. 2. Deinde in confesso est, non posse hanc potestatem, de sola Euangelii prædicatione intelligi. Hic enim potestatem confert Apostolis, ne quis eorum iudicium contemnat, posse enim eos soluere & ligare, contemptorem autem fore detestabilem & abominatum. Hanc potestatem inter hæreticos asserunt Britanni Frigeuillæo Gautius in palma Christiana. Adrianus Sarauia de variis ministrorum gradibus, & de presbyterio, & de autoritate imperandi, & Christiana obedientia. Enumerat verò Gautius. c. 2. Palmæ istæ: *Munus prædicandi verbum Dei, monendi, hortandi, arguendi, hæreticis resistendi, vigilandi, sacramenta administrandi, ordinandi, coercendi, & Satanæ tradendi, corripiendi, arguendi, iudicandi, damnandi.* Quin ipse Calvinus l. 4. Inst. c. 11. §. 2. Ligandi & soluendi potestatem, ad claues & iurisdictionem pertinere. & clarius l. 4. c. 8. §. Data est ergo non ad solam prædicationem, sed alia multa Apostolis potestas.

§. 3. Maximam esse Ecclesiæ autoritatem hinc probat Bullingerus: vt pote cuius sententia, de absolutione vel damnatione pronūciata, diuino etiam roboratur iudicio. de excommunicatione vero agi iam ante docuerat. Negat tamen inde confici, Ecclesiam quidquis posse, vt leges de religione condere. Nihil enim hic disputare de potestate condendarum legum, sed de admonitione, correctione, & tollendis scandalis, vnice pertinent ad commendationem Ecclesiasticæ vnitatis. Non condit nouas Ecclesia de religione leges, sed declarat quæ sit vera religio, quis scripturæ sensus, cæremonias quidem honestas instituit, sed non sunt fidei articuli.

QVÆSTIO

VERSVS 16.

Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

QVÆSTIO I.

Quid agendum sit, si te non audierit?

Coram testibus monendus.

§. 1. QVod si frater peccatum excuset, aut defendat, adhibendi testes, quorum prudentia, autoritate & reuerentia possit ad frugem reduci. Nam illi simul testabuntur, in peccato alterum versari; atque eo modo plurium sententiæ cedet. Vt Chrys. & August. Serm. 16. de verbis Domini. Hoc etiam adiuuabit, quod ex ordine quo alterum videt correctionem instituere facile animaduertere possit, ad Ecclesiam rem esse peruenturam. publicæ igitur reprehensionis metu facilius se corriget. Omne verbum rem totam significat quæ rata erit, καὶ στήσῃ *firmabitur* duorum testimonio. Testibus enim credere tenebitur, qui iustam reprehensionis causam, & fraternam esse correctionem testabuntur.

Contra in iuriosos.

§. 2. Quapropter magnopere animaduertendum est, vt illi quibus delictum fratris patefit, & moribus iisunt, & eam opinionem apud corrigendum habeant, quæ ad emendationem adferat incitamentum. Sed & illud considerandum, vt qui dignitate excellunt, coram illis moneantur, quorum præsentia non magis exasperentur. Quæ vero admonendi, corrigendi, reprehendendi necessitas cuilibet priuato incumbat, alio loco explicatum est. Hoc nunc tantummodo moneo, maximum atque efficacissimum corrigendi fratris esse modum, si charitate, pietate, sanctitate, atque adeo operibus bonis eius delictum arguas.

VERSVS 17.

Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

QVÆSTIO I.

Si testes contemnat cui dicendum?

Quid Ecclesia.

§. 1. CHristus Ecclesiæ dicendum esse pronunciat, si non audierit, seu παρακούσῃ, non dignatus fuerit audire, contempserit, quemadmodum dicitur παροράω, qui ne aspicere quidem dignatur. Syrus, *si eos non audierit.* Non iam alio remittit, non diuino iudicio commendat. Sed iubetur haberi sicut Ethnicus & publicanus. Syrus appellat עדתא *ghidtha. catum, congregationem.* Beza Senatum Ecclesiasticum interpretatur. Gytreus pios & doctos Seniores, non vulgus. alii vero totum populum cognitorem & iudicem faciunt, more Quiritium, cum ad populum fieret prouocatio.

Tribus hic nomen Ecclesiæ.

§. 2. Ecclesia, quamuis frequenter totam Rempublicam, hoc est, præsides & populum in sacris liteis designet, hoc tamen loco turbam seu plebem non comprehendit. Constat hoc tribus præcipue rationibus. Primo enim multitudo peccatorem iuuare non potest. Deinde non iudicat imo ne cognoscit quidem ordinatè. Denique ligandi & soluendi iurisdictio penes multitudinem non residet. Quod si etiam eius temporis consuetudo spectetur, non difficile fuerit ostendere iudicium, quo pronunciatur esse tanquam Ethnicus & publicanus non multitudinis, sed magistratus fuisse. Multitudo enim ad hoc vt aliquis ἀσυναγώγῳ *extra Synagogam* fieret, non agitabatur apud plebem, sed magistratum. Ioann. 9. 22. & 12. 42. & 16. 2. Hebræi quidem solent iudicia coram multitudine exercere, non tamen ipsa multitudo iudicat. Caluinus alludi ad Synagogam opinatur, sed eam non vocat Christus Ecclesiam, nec suos eo relegat, nec ex eius ordine veteri formandus est Christianæ Ecclesiæ status.

§. 3. Quæ Caluinus hic contra excommunicationem Ecclesiasticam crepat, nihil opus est refutare, cùm manifesto mendacio omnia nitantur. Zvvinglij verba obseruatione digna sunt, occultam & externam Ecclesiam esse affirmat: deinde his verbis Anabaptistas aggreditur. *Quæro eos qui se Anabaptistis iungunt, & Ecclesiam eorum summis vehunt laudibus, quis eos certos faciat, quod Catabaptistarum Ecclesia, Ecclesia sit Dei? Quum ergo hac de re certi esse non possint, cur non manent in Ecclesia, à qua turpiter deficiunt?* Hoc eisdem verbis Zvvinglio nos obiicimus, quod ille Catabaptistis, qui à Zvvinglianis deficiunt, quia nulla hæresis diuturna est, scinditur quotidie. Et facile illi rationem reddent, cur ab hæresi recedant, nunquam Caluinistæ, cur à veritate.

Zvinglij ratio contra Anabaptistas.

§. 4. Rursum non est dicendum congregationi alicui seniorum aut Iudicum, sed præsuli: nec alia est mens Chrysostomi cum dicendum antistitib. & præsulibus Ecclesiæ, perinde enim est ac si censeat Episcopis dicendum. Nam paulo post vtitur singulari: *Nec dixit Ecclesiæ præsuli, vinculis istum constringe,* &c. Qua ex re apparet, Episcopo dicendum, & si Episcopus reus sit, Archiepiscopo, & si ille, Patriarchæ, ac tandem Pontifici. Solet tamen indicari mortuo Episcopo illius consilio, aut senatui Ecclesiastico quamuis etiam viuo Episcopo, illius consistorio, & iudici proponi solent, sed ita tamen vt constet, totum ius penes Episcopum, à quo etiam iudices & alii consiliarii potestatem acceperunt.

Episcopo dicendum est.

§. 5. Hæc testimonia probat Bellarminus l. b. 2. de conc. c. 2. Concilia generalia à Pontifice confirmata errare non posse: Verba eius sunt. *Testimonia propria sunt tria. Primum est Matth. 25. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Caluinus non adeo magni facit hoc testimonium, propterea, quod ex eo videatur probari posse etiam concilium duorum hominum non posse errare. Sed is hoc testimonium non contemnet, qui obseruarit argumentum sumi non simpliciter ex his verbis, sed ex his verbis continuatis cum superioribus, & propterea additâ argumentatione à minore ad maius. Dixerat enim antea Dominus de homine incorrigibili, Dic Ecclesiæ & si Ecclesiam nõ audierit sit tibi velut Ethnicus & publicanus. At ne quis Ecclesiam siue congregationem prælatorum contemnẽdam putaret, adiunxit continuo: Amen dico vobis, quæcunq. ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Et ne quis dubitaret de assistentiâ Dei, quando Episcopi congregati aliquem damnant, vel absoluunt, subiungit: Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum. Quorum verborum hæc sententia est: si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent semper, quod petunt à Deo nimirum sapientiam & lumẽ, quod sufficit eis ad cognoscẽda ea, quæ ipsis necessaria sunt, quãto magis Episcopi omnes congregati in nomine meo, semper obtinebũt, quod iuste petunt, id est, sapientiam & lumen ad iudicanda ea, quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent? Itaq. siue pauci, siue multi, siue priuati siue Episcopi congregentur in nomine Christi omnes habent Christum præsentem & adiuuantem, & obtinent quod eis conuenit obtinere. Sed in congregatione paucorum & priuatorum adest Christus vt eos adiuuet in rebus paruis & priuatis; in congregatione autem Episcoporum adest,*

Generalia Concilia non possũt errare.

vt eos adiuuet in rebus magnis & publicis. Ita hunc locum exponit, & hoc argumento vtitur Concilium Chalcedonense, in Epistola ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis eiusdem Concilij. Item sexta Synodus Act. 17. Toletanum tertium non procul ab initio. Item Innocentius Papa apud Gratian. dist. 20. Can. de quibus. Cœlestinus in Epistola ad Ephesinum Concilium. 1. & Cyrillus in expositione Symboli Nicæni circa principium. Hoc sane prudēter & solidè Ecclesiæ enim multo maior potestas confertur, quam vni alteriue testi. Non enim qui eos non audierit erit sicut Ethnicus & publicanus. Deinde priuatis testibus, etsi illi moneant reprehendant, instituant, non est data ligandi aut soluendi potestas, sed Ecclesiæ. Confirmatur vero ex eo, q̄ absolute & simpliciter sit sicut Ethnicus & publicanus, qui à generali Ecclesia damnatus est. Nam qui ab aliqua Ecclesia excommunicatus est, causa illius cognosci potest à generali. Scueritas igitur mandati, qua ad obtemperandum Ecclesiæ, eique credendum obstringitur infallibilem & perpetuo remotam illius fidem, & fidei doctrinam sancit. Cur enim exitium minaretur non audienti Ecclesiam, si vox eius fallax & veritatis aliena esse aliquando potest? Incertæ enim authoritati non potest haberi certa fides. At inde tantum certo constare volunt, non errare eam, si verbo scripto nitatur. Parum sane consultum ea ratione fuerit, vel indoctis, vel mediocriter eruditis, imo vel ingeniosissimis, & in sacris literis, longa ætate & immēso labore exercitatissimis, vt ad Scripturam Ecclesiæ decreta examinent, & pastores suos iudicēt oues, subditi magistratū. Quod adeo perspicuum est, vt de ipsis scripturis fuerint quæstiones plurimæ, an legitimæ an spuriæ sint? quarum definitio ad Ecclesiam pertinet.

Ecclesiæ certa authoritas.

§. 6. Vera est Ecclesia quæ congregatur sub nomine Christi, hoc est illo capite, quod fungitur vice Christi, alioqui multæ hoc nomen Sectæ vsurpant, at nequaquam sub nomine Christi congregantur. Ad rē non facit quod Caluinus. l. 4. Inst. c. 1. §. 9. Scriptura omnia metitur, Ecclesia enim veram scripturam habet, verumque & genuinum sensum retinet. Hæc tamen aditur ab illis, qui nec scripturam tenent, imo interdum abiis, qui magnam Scripturæ partem ignorant, legere nesciunt. Est quidem in Ecclesia publica Scripturæ lectio, quæ omnibus dominicis & festis in Ecclesia peragitur, ad quam omnes admittuntur, imo monentur vt auditum veniant. Est etiam priuata, quæ omnib. permittitur, non tamen vernaculæ cuiuslibet versionis, sed approbatæ. Nec tamen cuilibet ius est interpretādi, & iuxta proprium iudicium intelligēdi, ne tot oriantur hæreses, quot sūt lectores. Imo ne hæretici quidem passim omnes omnib. permittunt. Musculus in locis Comm. Tit. de Sactis Scripturis, discretionem requirit, nec legem Hebræorum improbat, quam Nazianzenus in Apologetico recitat, qua cauebatur ne ad quamlibet scripturam quælibet ætas admitteretur, sed aliæ quidem cunctis ab initio tanquam communes legendæ permitterentur, aliæ vero non nisi illis, qui annum vigesimum quintum excessissent. Monet vero etiam ille non accedendum illotis manibus ad scripturam legendam, sed precibus præmissis, studio veritatis agnoscendæ, vitæ emendandæ. Itaque nec Cantica Canticorum, nec figuras Mosis, non oracula Prophetarum, non Apocalypsin legi à pueris permittit. Quod si periculosum est ante annum vigesimum quintum illos legere, quomodo non periculosum fuerit, Epistolas Pauli, aliosque libros euoluere? quomodo non periculosius editiones vernaculas, non approbatas legere? Quomodo vero de Ecclesia, & Pastoribus iudicabunt ex illa lectione adolescentes? Quomodo statuent quodnam Ecclesiæ dogma sit contra scripturam? de lectorib. loquor, non enim infin. tam turbam legēdi nesciam hic commemoro, quæ non iudicando Ecclesiam, sed eam audiendo salua futura est.

Ecclesia Scripturā habet.

Scripturæ lectio indiget discretione.

QVÆSTIO II.

Quomodo sicut Ethnicus & Publicanus?

§. 1. SYrus inuertit אים מיכסא ראים תבפא *aich machsa aich chanpha, sicut publicanus & sicut Ethnicus.* Verbum hoc enim significat infidelem Ethnicum; etiam hypocritam & assentatorem, sicut Ethnicus, non iam frater; sed Ethnicus & idololatra, quo cum proinde nihil tibi sit commercii maioris, quam cum Ethnico. 1. Cor. 5. 11. *nec cibum eo sumere*, & Ioan. Epist. 2. 10 *nec aue ei dixeris.* Si vero deinceps pergat ladere, non miraberis, quid enim aliud Ethnicus faciat Christiano? Interim etsi in numero fratrum eum non deputamus, eorum salutem tamen semper inquirimus. Vt ait S. Augustinus Gentes Iudæi dicebant, omnes sua religione alienos. Publicanos quasi professæ & desperatæ improbitatis homines auersabantur, de quibus alio loco dixi.

VERSVS 18.

Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

QVÆSTIO I.

Quæ hic potestas significatur?

§. 1. PRimo satis constat promitti hoc loco Apostolis potestatem ligandi & soluendi, nondum dari: post resurrectionem autem datam esse, quæ hic promittitur. Christo enim viuo, Apostoli nec habuerunt illam potestatem, nec vsi sunt. Christus enim soluenda soluit in terra, & liganda ligauit. Constituti sunt autem legati redeunte in cœlos principe Iesu Christo Domino nostro.

§. 2. Deinde in confesso est, non posse hanc potestatem, de sola Euangelii prædicatione intelligi. Hic enim potestatem confert Apostolis, ne quis eorum iudicium contemnat, posse enim eos soluere & ligare, contemptorem autem fore detestabilem & abominatum. Hanc potestatem inter hæreticos asserunt Britanni Frigeuillæo Gautius in palma Christiana. Adrianus Sarauia de variis ministrorum gradibus, & de presbyterio, & de autoritate imperandi, & Christiana obedientia. Enumerat verò Gautius. c. 2. Palmæ istæ: *Munus prædicandi verbum Dei, monendi, hortandi, arguendi, hæreticis resistendi, vigilandi, sacramenta administrandi, ordinandi, coercendi, & Satanæ tradendi, corripiendi, arguendi, iudicandi, damnandi.* Quin ipse Calvinus l. 4. Inst. c. 11. §. 2. Ligandi & soluendi potestatem, ad claues & iurisdictionem pertinere. & clarius l. 4. c. 8. §. Data est ergo non ad solam prædicationem, sed alia multa Apostolis potestas.

§. 3. Maximam esse Ecclesiæ autoritatem hinc probat Bullingerus: vt pote cuius sententia, de absolutione vel damnatione pronūciata, diuino etiam roboratur iudicio. de excommunicatione vero agi iam ante docuerat. Negat tamen inde confici, Ecclesiam quidquis posse, vt leges de religione condere. Nihil enim hic disputare de potestate condendarum legum, sed de admonitione, correctione, & tollendis scandalis, vnice pertinent ad commendationem Ecclesiasticæ vnitatis. Non condit nouas Ecclesia de religione leges, sed declarat quæ sit vera religio, quis scripturæ sensus, cæremonias quidem honestas instituit, sed non sunt fidei articuli.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Quid de Confessione deducant orthodoxi?

Ligat non ipsa secundo quæst.

§. 1. CONfessionem duas ob causas suadet Caluinus l. 3. c. 4. §. 12. Quæ quidē admittere possumus verum Christi sententiam excludere non debent. Ideo enim sacerdoti culpa dicitur, vt cognoscat & iudicet. Datur igitur potestas cognoscendi, soluendi & ligandi sacerdoti, qui soluendo liberat peccato, & ad Ecclesiæ sacramenta admittit, ligando autem priuatim excommunicat, & sacramentis abstinere iubet. Datur & superiori, qui publice excommunicat.

§. 2. De disciplina, Excommunicatione etiam Caluinus interpretatur. l. 3. Instit. c. 4. §. 12. & 3. c. 4. §. 20. & l. 4. c. 22. & l. 4. c. 12. §. 9. Quod vero rigidi Caluiniani docere nituntur presbyteriū moribus cōponēdis institutum esse, id Angli, alijque refutant, nec. n. vlpiam talium est in scripturis vel Ecclesijs mentio. Matthæ Sutlinij hęc verba sunt c. 10. de presbyterio, ratione. 6. *Cū Ecclesiæ Dominus domus suæ administrationē dispositurus esset claues ille Apostolis tradidit, presbyteriū aut aliā quam Apostolicam clauium dispensationem ne nominauit quidem. Quare nisi Apostolicam successionem ostendere possint presbyteri, non illi quidem cum clauibus in Ecclesiæ administrationem ingressi sed occlusis foribus per impluuium illapsi esse, aut per rimas irrepsisse videbuntur, quod locum Matthæi 16. capite ad se rapiunt, inepte faciunt, presbyteriē nim originem ipsa Matth. 18 capite, repetunt, quo tempore claues commissæ erant Apostolis ipsi suos presbyteros non fuisse in mundo fateri coguntur. Vt huic malo occurrat Caluinus distinctionem quandam (vt ipsi videbatur) subtilem meditatus est. Ipse germanam appellat & fluentem, nos fluidam fatemur, sed nullam cum ratione illi esse cognationem agnoscimus. Dicit Christum Matth. 16, de excommunicatione aut administratione ecclesiastica potestate minime locutum. ista enim Matth. 18. primum concessa fuisse imaginatur, huic eius fluenti & germanæ (vt appellat) interpretationi contradicunt Chrys. August & omnes, qui huius loci meminerunt patres. Videte igitur quibus credendum est: patribus ne omnibus de Ecclesiæ administratione loquentibus, an vni Caluino contra Patres? Sed neque necesse est quidem patres in hac causa audire, ipse enim textus clare loquitur, nam cum de ædificatione Ecclesiæ loquatur Christus, quæ sine certa administratione fieri non potest: & cum claues potestatem designent potius gubernandi quam facultatem docendi: quis Christum de nuda concionandi facultate, ac non etiam de administratione & potestate locutum putet? Sed vt presbyterio ista potestas acquiratur non à patribus tantum, & vsitata interpretatione, sed ab ipsis verbis recedendum erat: si approbauerit presbyterium. id est. (vt ipsi loquuntur) tribunal Christi, satis erit.*

Non conueniunt ista vnicuique sed Ecclesiæ: non enim singulis fidelibus sed Apostolis potestas data est. Errat hic sane Lutherus dum ait, *omnes posse soluere.* Bellarm. de sacram. lib. 1. c. 25. Origenis etiam interpretatio falsa est ad omnes pertinere hanc potestatem, cum tamen perspicuum sit Ecclesiæ illam conferri, hoc est Apostolis Ecclesiæ capitibus.

VERSVS 19.

Iterum dico nobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.

QVÆSTIO I.

An omnia impetrentur à consentientibus?

§. 1. MVlti libri πάλιν ἀμὴν, sed nec latini, nec Syrus id habent. Aliud magnum munus Ecclesiæ datum, si duo ex discipulis credentibus in me, consenserint συμφωνήσουσιν, *in meo*, scilicet *Spiritu* non humano affectu. Cyprian. Ep. 8. si duobus ex vobis conuenerit. Intelligenda sunt hæc secundum ea, quæ cap. 77. petite &c. positis conditionibus orandi & cæteris quæ ad rem pertinent. Origenes: *Si vir & mulier ex consensu abstinuerint, omnia impetrabunt.* Alij: si anima & corpus consenserint; Alij ad Apostolos, alij ad reprehensum & reprehendentem. De omnibus, supponitur enim honesta esse, & licita, si vero paucis conuenientibus adest, quanto magis toti ecclesię & concilijs? nec modo in oratione, sed decernendi autoritate, quamuis & illa decreta conciliorum præcedat oratio.

§. 2. Quomodo cum præcedentibus cohæreant; non est facile constituere. Videtur tamen illis certitudinem & iudicandi infallibilitatem promittere. vt Greg. lib. 7. Ep. 110. arbitratur, si enim priuatos orantes audit multo magis Ecclesiam audiet.

QVÆSTIO II.

An Christus secundum corpus sit vbique?

§. 1. HÆc verba ad absurdum erroré Vbiquitistæ vsurpant; si enim in medio suorum est, cum illi pene toto orbe sparsi sint, necesse est, vbique esse.

Vbiquitas ridicula.

Respondeo: ad. esse, sed diuinitate, potentia, gratia, operatione, non corporis præsentia. Cuius interpretationis hoc est certissimum argumentum. Quod de singulari præsentia, modo hic agitur, qua ita adest pijs, & concordibus, vt non adsit impijs & dissentientibus: At vero si corporis mole vbique est, & vt illi loquuntur, omnipræsens, atque de illa præsentia verba Christi accipienda sunt, etiam impijs Ethnicis, & publicanis est præsens. Vide August. Epist. ad Dardanum, & Tractat. 50. in Ioann. *Accipiant & hoc boni sed non sint soliciti: loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundū ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Secundum carnem vero quam verbum assumpsit, secundum id quod de virgine natus est, secundum id quod à Iudæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis vobiscum. Quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam, quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, non sequendo ascendit in cœlum, & non est hic. Ibi est enim sedet ad dexteram patris; & hic est. non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter: secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, recte dictum est discipulis, me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt. Ergo si ita dictum est, me autem non semper habebitis, quæstio sicut arbitror iam nulla est, quæ duobus modis soluta est.* & Cyrill. super Ioann. lib. 6. c. 14. & l. 9. c. 21.

Maiestas non corporeæ vbique præsens.

VERSVS 20.

Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

QVÆSTIO I.

An semper adsit congregatis in nomine suo?

§. 1. IN nomine Christi congregari, est conuenire ēius autoritate, ad eius gloriam, vt caput & Dominum ipsum agnoscant. Conciliorum autoritatem hisce verbis semper sancti Patres, imo ipsa Concilia probarunt: si enim duobus tantum promittitur, cur non toti Ecclesiæ? At vero in Concilio generali omnis Ecclesia conuenit, in prouinciali pars, sed capite suo iuncta: nam Pontificis consensu conuenit, & confirmatione roboratur, Caluinus Conciliorum authoritatem abrogat, quod incertum sit, conuenerint ne in nomine Christi, atque illa ipsa non modo Confessores, & Episcopos sanctos habuerunt, verum etiam multos martyrio candidatos, & post occisos, de quibus dubitare non licet, an conuenerint in nomine Christi, si passi sunt pro Christo.

Conciliorum auctoritas.

VERSVS 21. 22.

Ideo assimilatum è regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

QVÆSTIO I.

Quoties proximo remittendum?

§. 1. CVm Petrus sibi, suisque facultatem ligandi & soluendi concedendam audisset, de vsu potestatis dubitat. Crebræ enim sunt iniurię & nimia indulgentia ad deteriora videtur incitamentum esse. Certi igitur aliquid statui desiderat, Ideoque & certum ponit numerum. Septies vero in die cadit iustus ita etiam septies remitti posse existimat. *Vsque septies* inquit Syrus, לשבע זבנין *Laschabagh; Zabim, ad septem tempora*, seu *vices septem.* regerit eundem numerum, quia Petrus illum quasi nimis magnum proposuit. Itaque in decuplum non modo, sed in centuplum auget, vt sit 70. per 7. multiplicata, vel 77. tantum. Græcus ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. Itaque 490. vices, hoc est quotiescunque peccarit. August. serm. 15. de serm. dom. *Peccat semel ignoui, peccat secundo, & tertio ignoui, quarto vapulet. Corripiamus verbis, & si opus est verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus, vt si per charitatem imponatur disciplina, de corde leuitas non recedat. Si tantum ab hominibus exigit clementiam quanta est in Deo?* Syrus habet לשבנין זבנין שבע שבע *laschabghin, Zabnin, schebagh.* ad septuaginta vices, septem Septem. Hebræi eodem modo solent loqui. לשבעים פעמים שבעה שבעה *Laschibghim paghamim, schibgha, schibgha. Septuaginta vicibus, septies, septies seu septem septem.*

Semper remittendū proximo.

Quemadmodū autem omnes sibi conciliati sunt & amici, sibiq; cupiunt ignosci, ita in alios duri sunt, iniurias enim sibi illatas æstimant, non item quibus alios agitant. Luc. 7. 4. Si septies peccauerit in te, & septies conuersus ad te dicens: *Pœnitet me, remitte ei:* Hoc Christus dixit, deinde addidit seu explicuit, *non tantum septies sed septuagies septies.* Sæpissime igitur condonari Deus vult, nunquam iram retineri.

§. 2. Lucas pœnitentiam requirit, quibus ex verbis nonnulli odisse sibi & persequi inimicos permittunt nisi illi resipiscant. Errant illi: inimicos enim diligere oportet, etsi persistant in pertinacia, & indies illudere vobis, nouas offensiones accumulando pergant, non tamen opus est, aut vos iustos & sanctos, quodque gratiam consecuti sunt, existimare, aut illis fidere, atque in familiaritatem recipere. Quomodo autem læsos vltro deprecari fas sit, docet Pontianus S. Hieronym. in Psalm. 119. explicans illud. *Relinque ibi munus tuum ad altare.* Relinque ante altare donum.

Nulla enim oblatio Deo facta grata est, quam odium proximi, & simultas inficit. Nulla gratior quā Dei causa proximo remittere. Deo enim vel seueritatis, vel misericordiæ legem dictare videtur, qui vel inexorabilis fratri non vult ignoscere, vel facilis omnia donat.

§. 3. Nouatianorum & Anabaptistarum superbam pertinaciam hoc Elogio patres, & Ecclesiastici tractatores fulminarunt de quibus crebro actum est.

VERSVS 23.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? vsq; septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

QVÆSTIO I.

Quis Rex?

§. 1. DEus ipse rex est ex lege comparationis, quod enim cum suis debitoribus Rex agit, hoc & Christus cum suis. Pollux. l. 9. c. 9. Atticum talentum ait esse sex millium drachmarum atticarum, Babylonium millium septem. Æginæum decem millium. Syrum mille & quinquentarum iuxta atticæ drachmæ rationem: hic ingens precium significatur, cui soluendo seruus non esset. Similitudinis vis præcipuè in eo consistit: quod Dominus & seruus comparatur, deinde conserui. Dominus seruo ingentem summam donat. Seruus conseruum exigui precij causa suffocat, & in carcerem conijcit.

Talenta.

VERSVS 24. 25. 26.

Et cum cepisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem nō haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius & filios & omnia qua habebat, & reddi. Procidens autē seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

QVÆSTIO I.

Quomodo Dominus debita exigit?

§. 1. MAgnam seueritatem præfert vt ius suum ostendat & seruum suæ conditionis admoneat, alioqui mitiore sententia supplici condonat omnia, ita Deus quoque ius suum ostendisse contentus facile ignoscit pœnitentibus, & veniam rogantibus, seruus ille ponitur qui prouinciam aliquam administrauit, ac inde plurima debita contraxit. Debitores Romæ addicebantur, dabantur in nexum, crudelis lex quæ diuidebat, lege duodecim tabularum plures creditores corpus secabant. Gellius noctium Attic. lib. 20. capite 1. *tertiæ*

Extremo

Extremo ergo rigore iussit agi, vt meritum suum seruus agnosceret, nam tanta debita non erant futura sine culpa serui. Omnia non poterat, sed spondebat, quod poterat in præsens. Debitum δάνειον mutuum, æs alienum quocunque modo cõtractum, quod noster vertit, rationẽ ponere: in Syro est לימסב *lemasab* recipere, ad hoc enim rationem ponebat, vt illi darent, ille reciperet. v. 28. est in plerisque εἴπε pro ὅτι. v. 29. in latinis plerisque abest illud εἰς τὰς πόδας αὐτῦ, *in pedes eius*. In Syriaco etiam habetur. Denarius Hebr. zuz, sed *denaria* etiam vocabant ex consuetudine Romanorum, continebat 96. grana hordei ponderis, i. 6. Drachmas, isque maior denarius erat. argenteum denarium fuisse 6. obolos atticos, octo aureos centum fecisse tradunt.

VERSVS 34.

Et iratus Dominus eius tradidit eũ tortoribus quoadusq; redderet vniuersum debitum.

QVÆSTIO I.

Quæ pœna serui?

§. 1. VT omnia redderet quæ cum non posset, æternum debuit, ideoque in carcere permansit. Alioqui si minor summa, persoluere potuisset. Deus quoque tum omnia ad extremum exigit cum in proximos crudelis quispiam esse cœpit. *Sic enim pater cœlestis faciet, nisi remiserit is quisque proximo de corde suo*, Græce additur παραπτώματα αὐτῶν, *peccata eorum*, sic etiam Syrus.

§. 2. Origenistæ mille annos pœnarum & deinde finem fore ex hoc loco sine ratione docebant, hic enim traditur æternis tormentis. Ita Chrys. in hunc locum. Quia enim beneficijs meliot fieri non potuit, subigitur tormentis.

§. 3. Non exigit pœnas culpæ semel remissæ Deus. Sed misericordiam negat illi qui non fecit misericordiam. Iacob. 2. 13. Verũ humana ad diuina accommodat Christus. Rex enim ille nequam seruum in carcerem detrusit ob crudelitatem, vt qui conseruum suffocatit & vi in carcerem rapuerit. Iniquitatem enim & crudelitatem corrigere regis erat. Non fecit tamen, seruo iniuriam; nam carcerem merito hanc conditionem ponit, vt non exeat nisi debitum persoluat. Si enim ei, qui in vinculis est, dici multa potest centum aureorum, vt non nisi illa data exeat, pari ex causa cogi potest vt debitum centum aureorum ante cõdonatum exoluat, quo non redditur irrita vetus remissio, sed noua pœna imponitur, quæ in hoc seruo, crimini est accommodata & quasi ex lege Talionis posita.

Condonatio nunquã est irrita.

* * *

CAPVT XIX.

Matth. 2. 1 Mar. 10. 2 Gen. 1. d. 27 Gen. d. 2. 22. Ephe. 5. 31. 1 Cor. 6. 16. d. 11. Deut. 24. 1 Sup. 22. 19. Mar. 10. b. 11. Luc. 16. d. 18. 1 Cor. 7. b. 10. Dicunt ei discipuli eius: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* 11. Qui dixit illis: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* 12. *Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* 13. Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret Discipuli autem increpabat eos. 14. Iesus vero ait eis: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire? talium est enim regnum cœlorum.* 15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. 16. Et ecce vnus accedens, ait illi: *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* 17. Qui dixit ei: *Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus. Si autem vis in vitam ingredi, serua mandata.* 18. Dicit illi: *Quæ? Iesus autem dixit? Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices:* 19. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum.* 20. Dicit illi adolescens: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?* 21. Ait illi Iesus: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* 22. Cum audisset autem adolescens verbum, abijt tristis: erat enim habens multas possessiones. 23. Iesus autem dixit discipulis suis: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.* 24. Et iterum dico vobis: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* 25. Auditis autem his discipuli mirabantur valde dicentes: *Quis ergo poterit saluus esse?* Aspiciens autem Iesus, dixit illis: *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* 28. Iesus autem dixit illis. *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ: sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* 29. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 30. * *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*

IN CAPVT

IN CAPVT DECIMVM NONVM

ARGVMENTVM.

PROFICISCITVR Christus Ierosolymam, & quidem ibi moriturus: itaq; multos curat, & iter miraculis efficit celeberrimum. Lucas etiam hanc vltimam profectionem esse indicare videtur, cum ait: *Cum implerentur dies assumptionis eius.* Multa tamen commemorat, quæ antea contigerunt, quocirca nihil ex eo magnopere certi colligitur, nam toto curriculo prædicationis dies illius complebantur. Pharisæi quæstionem de repudio proponunt, quibus respondet ob duritiam eorum concessum esse iam nõ licere amplius, ex prima institutione non fuisse. Discipulis vero mirantibus, & graue coniugij iugum, affirmantibus respondet, *esse Eunuchos, qui ab hominibus facti sunt, & esse Eunuchos, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei*, quo oraculo cœlibatum & castitatem in Ecclesia Christiana commendat. Paruulos deinde arceri à se prohibet, *quoniam talium sit regnum cœlorum.* Deinde adolescenti interroganti, quid boni faciendum esset, vt vitam æternam possideret? Seruanda præcepta respondet. Eorum vero obseruationem profitenti suadet, vt venditis omnibus se sequeretur; is cum tristis abiret, monuit Iesus difficile esse diuitem intrare in regnum cœlorum. Petro denique & Apostolis qui omnia reliquerunt iudicandi gloriam promittit, & omnibus omnia relinquentibus centuplum in hac vitâ, & vitam æternam. *Multos autem primos*, ait fore *nouissimos, & nouissimos primos.* Syriaca Ecclesia quindecim versus primos legit, *matutinis Dominicæ post festum crucis* עאדא דצליבא *ghidda dazeliba, festi crucis*, seu congregationis, & cœtus crucis, qua ex re constat, quanta celebritate festum sanctæ crucis apud eos ageretur. A versu 16. ad 27. vsque legunt, *in Commemoratione Patris Antonij & sanctorum sociorum eius.* Constat igitur & inde festum illius actum esse, & sociorum. Syriace חברוהי *Chabruhi*, hoc est, quilli cohærent, seu adhærent, de arcta enim familiaritate dicitur. Hinc ad finem in festo Petri Apostoli. In quo etiam illud noto, in titulo Syriaco non vocari Apostolum illum Cephas sed ܦܛܪܘܣ *Petraus*: Syris igitur & hoc nomen vsitatum fuit. Profectionem suscipit forti animo, vt nobis exemplo præeat doceatque magno animo suscipienda, quæ sunt iniuncta à Deo. sic eum imitatus Paulus Actor. 23. 11. cum iret Ierosolymam, non ignarus, quæ sibi essent euentura, Spiritu sancto per omnes ciuitates contestante, *Vincula & tribulationes eum manere.* Turbam in Iudæam adducere noluit, ne occasionem calumniæ daret, quam tamen non effugit, hostibus in omnem occasionem intentis. Accedunt Pharisæi confestim, dolentes turbam à se recedere, Domino adhærere. Quæstio de repudio quam Matth. 5. tractaui, habebat in vtramque partẽ calumniam. Si neget, legem abrogare videbitur, si annuat virorum libidini indulgere, accusabiturque quasi non propheta, sed leno moribus corrumpendis veniisset.

VERSVS 1.

Et factum est cum consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem.

QVÆSTIO I.

Quo profectus est?

Ex Galilæa in Iudæam proficiscitur.

§. 1. S. Hilarius legit; *in Galilæam*, verum in ea iam erat, & vt est Luc. 9. 51. *Ibat in Ierusalem.* Venit ergo in fines, ὅρια Iudææ, hoc est, in ipsam Iudæam; qua finitimam tangebat Galilæam. Ibi sanat ægrotos. Vt minori turba per Iudæam comitatus ambularet, nec occasionem calumniæ daret, quasi turbas traheret, & seditionem moliretur. Non transiuit autem per Samariam, vt est apud Lucam 9. 52. non enim recipiebant eum, quod *facies euntis esset in Ierusalem*; odio igitur religionis non exceperunt, sed alio diuertere coegerunt. Quare discipuli ignem de cœlo mitti petierunt, quo absumerentur.

§. 2. Quod dicit trans Iordanem πέραν τοῦ Ἰορδάνου, non est intelligendum, quasi respectu Ierosolymorum trans Iordanem iuerit, sed Ægyptiorum: qua de locutione alias dixi: Syriacè est לעברא *Leghebra, ad transitum Iordanis.* Beza μετῆρεν conuertit alienter, nempe soluit, & putat Iordanem transisse, reprehendit etiam nostrum interpretem, quod verterit, *migrauit*, & Erasmum, qui interpretatus est, *demigrauit.* Licet hoc verbo Zwinglius, hoc loco vtatur. Putat autem Dominum, per regionem, quæ Peræa dicitur, ex Galilæa iuisse in Iudæam. Quia Marcus habet: διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου: verum apud Marcum non est *per* in latino, & vt Beza fatetur, τοῦ abest à vetustissimo codice. Syrus etiam omittit. Et tamen si addatur: Non ideo significat Christum ex Galilæa traiecisse Iordanem, deinde iterum redisse, atque in Iudæam venisse. Nam cum in Samaria non reciperetur, alia via ingressus est Iudæam, non autem Iordanem traiecit. Quod vero Beza verbi proprietatem vrget, nihil conficit, μετῆρεν enim est, sustulit, leuauit, quod tam dicitur de illis qui per terra, quam aqua proficiscuntur, est Hebraismus; sic quia enim interpretor Syrum שקל *sebecal, eleuauit*, pedes scilicet. Genes. 29. 1. integra phrasis exprimitur, וישא יעקוב רגליו וילך ארצה בני קדם *Et leuauit Iacob pedes suos, & iuit in terram filiorum Orientis.*

§. 3. An

§. 3. An hæc eadem profectio sit cum illa, quæ est apud Ioann. cap. 7. *post hac ambulabat Iesus in Galilæam. non enim volebat in Iudæam ambulare*, controuersum. Iansenius in concord. Baron. in annal. Adrichom. Barradius eandem arbitrantur. Item Buisonius in sua concordia. Ratio est, quod discessus ille, de quo Ioannes agit, & de quo cæteri tres Euangelistæ, extremus est, vnus igitur est. Quod si Ioannem de extremo agere negaris alio argumento institutum probare auctores illi non poterunt. Principio sine controuersia est, diuerso tempore Christum venisse in Iudæam ex Galilæa: nam primum venit cum ad Baptismum pergeret, deinde alijs quoque vicibus. Deinde non est idem tempus de quo Ioannes & cæteri Euangelistæ loquuntur. Tres enim Euangelistæ de illa profectione loquuntur, quæ præcessit proxime diem festum passionis, vt manifestum est, ex cap. 20. 27. & 29. & cap. 21. 1. & ex Marc. 1. 31. *erant autem ascendentes Ierosolymam.* & 46. & Luc. 17. 33. & 35. Hæc igitur profectio incidit in tempus propinquum paschæ, & martium nostrum scilicet: at vero tempus de quo Ioannes loquitur longe diuersum est. *Erat autem in proximo festum Iudæorum scenopægia.* Ioann. 7. 2. at vero multum distabant illa festa. Tabernaculorum enim festum celebratur mense, septimo. Leuit. 23. 40. *A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis feriæ Domini septem diebus, die primo & die octauo erit Sabbathum, id est requies. Sumetisque vobis die primo fructus arborū pulcherrimæ. Spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitisque solennitatem eius septem diebus per annum, Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo celebrabitis festa, & habitabitis in umbraculis septem diebus: omnis, qui de genere est Israël, manebit in tabernaculis: vt discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cum educerem eos de terra Ægypti.*

Pascha autem mense primo celebratur. Exod. 12. Profectio igitur, de qua Ioannes loquitur contigit mense Septembri, hæc Martio vel Februario. Venit autem Ierosolymam, cum ipsum festum ageretur. Nec ignorant hoc illi auctores, sed respondent Christum venisse in festo scenopegiæ, ac deinde in Iudæa mansisse, & trans Iordanem transegisse, donec asello vectus Ierosolymam ingrederetur.

Diuersum iter apud Ioannem & alios.

§. 4. Videtur illa conciliatio habere rationem aliquam, mihi tamen haudquaquam sufficientem. Nam Ioannes agit de eo tempore & profectione cum Christus in ipso festo aduenit, absque circuitu viæ; cæteri Euangelistæ de ea non agunt, sed de alio. Nam in eodem itinere dicta sunt quæ cap. 20. habentur. num. 17. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur*, loquitur autem de proxima traditione, non quæ post medium annum futura erat, nam paulo post venit Ierichuntem. & cap. 21. Ierosolymam totus contextus ostendit, continuum iter fuisse ex Galilæa vsque ad tempus quo triumphabundus ingressus est Ierosolymam. Marcus. 10. 32. *erant autem in via ascendentes Hierosolymam* & deinde subiungit. *Et cum appropinquarent Ierosolymæ.* Itaque & hoc iter continuum est, vt totus contextus ostendit. Non est vnum igitur iter, sed diuersæ profectiones.

VERSVS 10.

Dicunt ei discipuli eius: si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.

QVÆSTIO I.

An non expediat nubere?

Cur difficile sit matrimonium.

§. 1. QVæ ad quæstionem de repudio dicenda erant in c. 5 explicaui quo lectorem remitto. Græcum verbum γαμῆσαι commune est. Viro & fœminæ, actiuum viro, passiuum fœminæ conuenit, atque ita ἄγαμος tam de viro, quam de fœmina dicitur. Noster eodem modo vsus est latino Nubere, Syrus habet: למיסב אנתתא *Lemessab anthetha, ad ducendam vxorem*: Si ita est causa: siue tale negotium, ea nuptiarum conditio. Syrus, *si tale est negotium inter virum & vxorem suam.* Graue enim visum est cum vxore leprosa, contentiosa, impia, totam vitam agere. Præsertim cum iam consuetudine dimittendi vxores Iudæi crebro, & proterue vterentur.

Caluinus Apostolos accusat.

§. 2. Non sunt improbi, stulti, ingrati Apostoli, sed concludunt ex verbis Christi, quod verissimum est, cum sint tam crebra adulteria, repudia, zelotypiæ, odia, rixæ, præstare ab initio vxorem non ducere, quam huiusmodi conflictari malis. Calumnia est igitur Caluini, cum ait: *Interim prodet se impia ingratitudo, quod incommodi vnius metu, vel tædio, singulare Dei donum respuunt.* Non enim coniugium respuunt, sed *Cœlibatus.* cœlibatum præferunt, sunt vero illa incommoda matrimonij, quæ facile sapientem ab eo deterreant. loquimur autem de matrimonio, qualia sunt passim inter coniuges, quæ diuino timore, & caritate difficultates non temperant. Verum hac de re S. Hieronymus consulendus est, alijque. Non tamen solum commendatus est, ex coniugij incommodis cœlibatus, sed etiam & multo magis ex proprijs prærogatiuis, non enim propter incommoda fugienda, sed propter regnum cœlorum se castrant, qui hoc capere potuerunt.

Cœlibatus antiquitas.

§. 3. Ob hanc causam iam Apostoli, & Apostolici temporis cœlibes, matrimonia fugerunt, vt arctius se Deo totos deuouerent. Et expositione scripturæ tradit perpetuus Ecclesiæ consensus & praxis. Quocirca Vorstius Tesseradecade, parte 2. contra doctissimum Pistorium, Philippum & Caluinum trepide excusat, quasi non negarint ante Siricium Papam, imo Nicænum Concilium fuisse in vsu cœlibatum. Verum illi defendi sic non possunt, nam liberum fuisse volunt Episcopis & sacerdotibus contra testimonia Eusebij. Philonis, Clementis Alexandrini Chrysost. Nazianzeni, Tertulliani, Cypriani, Concilij Elibertini, Ancyrani, Arelatensis, Carthaginensis. 2. & 5. Trullani, Turocensis. 1. & 2. Toletani. 2. 4. 8. Nec fides hic habenda Polydoro Virgil. l. 5. *de rerum inuentoribus*, nec Dunelmensi. Versiculo contra tot & tantos testes. Clemens Alexand. lib. 3. strom. castitatem & illos qui illa donati sunt beatos dicit. Monogamiam etiam admirandam, & secundas nuptias si vtaris, consulit. Addit vero propter dilectionem in Dominum, & propter ipsum honestum amplecti, nos continentiam, & templum Spiritus sancti sanctificantes. Ostendit vero aliam esse rationem Christiani cœlibatus & gentilium, quorum multi infamiam, falsa castitatis specie virtuti inurebant. Nam multi, vt Marcion, alijque materiam malam dicebant accepta occasione ex Platon. de republica, Eponomide, Heraclito, Pythagora, quę impie dicit Marcionem ab illis accepisse. Græcos enim δυσχερείαν, difficultatem quæ est in vsu spectasse, atque eo tendunt versus Tragœdi.

Non nasci er præstat homini, quam nascier.
Dein filios acerbis cum doloribus
Enitor, enixa at stultos si pepererim,
Afflictor improbos videns, cum nil iuuet,
Rursusque si perdam bonos, salui at sient
Mihi misellum cor timore loquitur.
Quid vero hoc bonæ? non sufficit vnam
Perdere animam, nisi te afflictes amplius.

Cum igitur tam multa in matrimonio occurrunt, quæ libertatem Spiritus impediunt, recte omnino Apostoli colligunt. Non expedire nubere, si illa vincula perpetua sint. Nec hoc mirum illos sensisse cum profani etiam scriptores, & philosophi sæpe ea de re idem senserint.

VERSVS 11.

Qui dixit illis, non omnes capiunt verbum hoc.

QVÆSTIO I.

Cur dicat non omnes capiunt verbum hoc?

§. 1. NOn omnes capaces sunt istius sermonis, scilicet vt iudicent, non expedire vxorem ducere, propter incidentes in coniugio difficultates, seruiendique Deo impedimenta. Quæ omnia prolixe exponit Paulus. 1. Cor. 7. Et ego in Commentario in easdem Epistolas, *Capiunt*, de intelligentia, nō de dono castitatis accipiunt aliqui. Plerique tamen de dono castitatis. Quidam hoc donum omnino esse negant, qui vsum coniugij necessarium, vt cibum & potum arbitrantur. Hi multas nuptias concedunt, vt statuta ciuitatis Gebennēsis, absente marito, certo tempore indulgent nuptias. Alij donum esse naturale, alij supernaturale, quod verum est: non enim hic de illis agitur, qui corporis defectu ἄγονοι sunt, & ἄγαμοι.

Omnes possunt capere.

§. 2. Quod Dominus adiungit, qui potest capete capiat, non indicat quibusdam incontinentiam esse impossibilem, sed hortatio est ad castitatem, vt qui possunt sibi imperare, & voluptates fugere, id faciant diuino adiutorio instructi. *Non omnes capiunt verbum hoc.* Augustinus ait Christum concedere, verum est quod dicitis, quia si talis est causa cum vxore, non expedit ducere. Enarrat. in Ps. 103.

§. 3. Græce dicitur χωρεῖν, quod de locorum capacitate dicitur. sensus est igitur quorundam eas esse angustias pectoris, vt capere tam ingens bonum, non velint, nec possint, nisi corde per gratiam dilatato. In animam enim angustam hoc donum admittere nequeunt. Si autem sese delectarint, si Deum rogarint, poterunt & illi, qui capere se posse negant.

Liber est cœlibatus.

§. 4. Eadem mente intelligendum est, quod Dominus pronunciat. *qui potest capere capiat*, non enim legem conscientiæ dictat, sed consilium dat, & præmio inuitat. Qui pugnare potest pugnet, & triumphet. Theophyl. *non cogit virginem esse Dominus, neque nuptias destruit, sed virginitatem præponit.* Et Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum. *Proponit ἀγώνιτ& præmium inuitat ad cursum: tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem: & clamitat qui sitit veniat & bibat: qui potest capere capiat. Non dicit velitis nolitis, bibendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille salabitur. Maior enim res est, quam quæ inuitis imperare debeat voluntariam deuotionem postulat.*

§. 5. Obijcit Beza, *Non esse in nobis positum, nec in fide peti posse: nisi quis sortasse peculiarem habuerit promissionem.* Itaque perpetuæ continentiæ votum, præterquam quod est merę temeritatis, peccatum etiam est, quum ex fide esse non possit: sicut etiam omni præcepto & puræ Ecclesiæ exemplo caret. Vt ipsa tot iam seculis experientia comprobauit. Cum è contrario coniugium omnibus qui vtuntur, *nempe vt adconiugium à Deo vocatis præcipiatur.*

Respondeo, mala quidem interpretatio est, sed Non peior tamen, quam verbis præ se ferat, si enim temerarium est & peccatum, quia sine fide, hoc est, reuelatione, pari ratione omnia vota, imo fœdera temeraria cum nesciat, quamdiu possit præstare. 2. ne ad diem quidem vouere licebit: quid enim si eadem die vreretur. 3. Nemo sacerdotium in veteri testamento susciperet, fieri Nazareus &c. sine peculiari promissione posset. De primitiuæ Ecclesiæ exemplis, nihil opus est dicere. Vide 1. Cor. 7. Quid vero omnibus præcipi coniugium & quam cito præcipitur? nempe vt malo vrgenti subueniatur. Itaque mox vt quis vritur, nubendum, & maritis sit illa lex posita, nec diem abesse licitum. Quid hoc aliud est, quam licentiam libidini aperire? Eodem modo Piscator, *Nesciunt*, inquit, *quamdiu continentiam sint habituri.* Quæ ratio si vim habet aliquam, multa negotia in vita impediat necesse est, cui enim vxor ægra est, qui in vita est nescit, quamdiu continentiam sit habituros. Rogandus Deus, qui dabit vires reprimendæ honestis studijs, carnis luxuriæ. Caluinus in Harmonia *Deus pronunciauit bonum, vt viro iuncta sit vxor, errare eos qui sese eximunt cœlesti vocatione.* non enim omnibus data continentia.

Respondeo. Donum Dei esse continentiam, castitatem, non ideo tamen à voto eius nos arceri. Dona enim Dei sunt fides, spes, charitas, iustitia, fides coniugalis, castitas matrimonij. Non tamen idcirco virtutes illæ, non possunt capi: nolentibus enim non dantur, & qui illis carent donis, sponte sua priuantur, possunt capere, si voluntas sit capiendi.

§. 6. Verum domi suæ adue sarios conueniam. Mattrimonium illi contrahunt, qui dono castitatis se carere profitentur, sunt inter eos matrimonia, sunt & adulteria, vnde adulteria? Respondent eos qui mœchantur, donum castitatis coniugalis non habere: si enim illo dono essent prædi ti, alieni toti non essent insessores. An igitur donum illud habere non possunt? An adulteria excusabunt? quia contra illa armati non fuerunt? Absit, donum enim continentiæ & fidei coniugalis habere poterant, nisi libidinibus agitati, illud vel capere noluerunt, vel acceptum excutere voluerunt. Incerti sunt vtique in tanta turba labentium, an donum castitatis coniugalis habeant, an semper habituri sunt, quomodo igitur fœdus sacrum inire, fidem polliceri coniugibus audent? de dono suo incerti? Incerti enim illi sunt qui labuntur. Incerti & illi, qui labi possunt. Respondere hic sine dubio oportet. Sperare se diuina gratia & custodia munitos, contra tentationes carnis firmos & inuiolatos fore. Donum Dei esse, & rarum inter suos torum immaculatum & coniugium sanctum, sed de Dei tamen misericordia bene Sperare. Hæc eadem maiore animo fiduciaque respondent cœlibes; nam cum arduam & laboriosam castitatē amore Creatoris amplexi sint eius consilio obsecuti largiorem etiā Dei manum, & ad sui defensionem promptiorem sperare licebit. Mihi vero etiā aduersarij impudenter sua crimina fateri accusanda castitate

castitate videntur. Matrimonia ineunt, quod castitatis se dono carere asserant. Id experientiâ discunt, post experientiam dum ambitur sponsa, dum parantur nuptiæ, dum interdum annus vnus aut alter trahitur, quid agant illi quibus necessarius est concubitus, ipsi viderint, suspicari enim est aliorum. Nec de illis loquor, aut viris aut fœminis, qui ὑπερέγκμοι, *superadulti*, ad matrimonium veniunt. Tantum eorum illis argumentum repono; si vouere castitatem, est temerarium, quod incertũ sit Dei donum; non possunt qui ita sentiunt inire coniugiũ, nam eius etiã seruandi donum est incertum. Deinde si vxoris morbo, inobedientia, discessione, aut negotiis impediatur, quo minus remedium concupiscentię teneant, cum dono castitatis careant, cum continere non possint, nec, vti tamen coniugio, peccare tamen non debent. Non debent, inquam, fræna carni laxare, & si morbus coniugis sit diuturnus, etiam perpetuus, negotia & absentia multorum annorum. Non quæro quid agant, sed quid agere illos par sit, qui continentiam sibi sentiunt esse impossibilẽ, & remedio concupiscentię, quod in matrimonio est carent, quanquam nec hoc minimum vrgeo. Esse dico temerarium, in has difficultates sese conijcere, idque pacto, & religioso promisso si temerarium est voto castitatis obstringi. Verum nos Deus docuit, non modo diuinæ gratiæ adiutorio posse, sed etiam facile posse, & magno gaudio, & consolatione spiritali posse seruari castitatem. An illi quibus flagellorum contumeliæ gaudio erant cum molestiâ abstinerent voluntatibus, qui in tormentis super effluebant lætitiâ: Qui vult capere verbum, petat: hoc consilium est Origenis. Et Chrysostomus homil. 63. Augustinus vero lib. de continentia in principio, non modo continentiam virginalem, quam maiorem & gloriosiorem appellat, sed coniugalem etiam Dei donum nominat. Et quoniam ipsa quoque castitas coniugalis, nisi contineatur ab illicito concubitu non potest custodiri, vtrumque Apostolus donum Dei esse prædicauit, cum de vita vtraque, id est, & coniugali, & ea, quæ est sine coniugio loqueretur, dicens. Vellem omnes homines sic esse, sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic; vtrique ergo vouent, quod à Domino accipiunt, non enim quisquam Domino quicquam recte vouet, nisi à Domino acciperet.

§. 9. Caluinus S. Hierony. petulanter insectatur in » Harmonia. [Nam quia multis molestiis implicitũ est » (matrimoniũ) semper conatus est Satan, odio & infa» mia grauare, vt homines ab eo subduceret. Et Hiero» nymus nimis luculentum, maligni peruersique inge» nii specimen in eo edidit, quod non tantum calu» mnijs exagitat sacrum illum, & diuinum vitæ ordi» nem, sed quascunque potest ex profanis autoribus » lædorias accumulat, quæ eius honestatem defor» ment.]

Respondeo. Graue atq; indignum est, virum sanctum, toto orbe notum miraculis in vita, & post mortem clarum, ab apostatâ sic deformari. Qui si Hieronymum legere voluisset, mendacii sui multa testimonia facile accumularet. Maligni peruersique ingenii specimen dedisset? Aliud nobis omnis antiquitas testatur. Successit Arianis Calumniatoribus Caluinus, & Iouiniano ipsi, qui ex eo quòd Hieronymus virginitatem nuptiis præferebat, crimen damnatarum nuptiarum imponebat. Quod Hieronymum matrimonium calumniari ipse fingit, antiqua & veternosa est calumnia hæreticorum. Ipsius de matrimonio sententia perspicua est. Ipse de custodia Virg. ad Eustoch. Epistol. 22. cap. 8. *Dicat aliquis: Et audes nuptias detrahere, quæ à Deo benedictæ sunt? Non est detrahere nuptiis, cum illis virginitas antefertur. Nemo malum bono comparat. Glorientur & nuptiæ, cum à virginibus sint secundæ.* Et in caput 6. vbi laudat Gregorii expositionem de matrimonii Sacramento magno. Et Epist. ad Galatas 6. contra Tatianum disputat, qui vsum coniugii damnabat. In Epistol. ad Titum. cap. 2. indicat se ab hæreticis reprehendi, quod nuptias esse bonas doceat additque Apostolum, non sanctam coniunctionem, sed passiones, luxuriam & immunditiam reprehendere. Caluino acerbior est Vorstius in Tesseradecade antipist. p. 2. dum parum à blasphemia Hieronymum abesse dicit, quod sacerdotum coniugium opus carnis appellet: at verissimè ille hoc facit. est enim sacrilegus concubitus, quo votum rite conceptum violatur. Sed S. Hieronymum, orbis Doctorem, defendit eius Apologia ad Pammachium cap. 1. T. 2. & c. 7.

VERSVS 12.

Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus, Deus: si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.

QVÆSTIO I.

Quot genera Eunuchorum Christus proponit?

§. 1. Εὐνοῦχοι Græci ita à bene habendo appellant, est enim quædam libertas à carnis lasciuia, & tyrannide libidinis immunem esse, ac sobriè mente viuere. Est vero hoc nomen generale; Nam genera Eunuchorum qui natura tales sunt, plura sunt. Nam ex vtero matris varias ob causas sterilitas contrahitur. Variis etiam iniuriis virilitas tollitur. Sunt enim Thlatiæ, & Thlibiæ, sunt Castrati, sunt Spadones, de quibus sermo non est nobis. Syrus vocat מחתמנא *mechaimene*, hoc est, fideles, Gynæceorum erant namque custodes, quocirca nonnulli κατ' ἐξ. τῶν ἔυνλων ἔχειν, quod cubicula teneant dictos putant. Epiphanius hæresi 50. κατ' ἐξ. εὐνοεῖν, quod benevolus esse, & fidem seruare possit, illis enim credebantur vxores. Assyria olim Regi Persarum quingentos tributi loco offerebat; Quod crudele & infame munus morum corruptionẽ ingentem significabat. apud Romanos infames erant Eunuchi, apud Asiaticos honorati. Plurimi fuerunt, Eutropio Eunucho Consule, quod tamen pro ostento habuêre Quirites: *Vnde Eunuchi.*

Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra,
Cuius satellitium fuit,
Infelix ferro truncata iuuentus,
Atq; execta virum.

Spadones à Spada Persarum pago vocari aiunt. Epiphan. *quis ille Valens sit, vnde originem habuerint, nesciri dicit*, nomen Arabicum esse ait, cum Gnosticis non sentire. Vtebantur etiam ad suam vesaniam illis verbis, si scandalizauerit te membrum, &c. Qui Valesii dicebantur, se & hospites castrabant. Quasi vero non diserte Dominus libertati hominis id deferat bonum, cum dicit: *Qui potest capere, capiat.* Hoc est, si cui animus est, & feruor deuotionis, ad castitatis brauium contendat. *Seipsos*, inquit Augustinus lib. de S. Virgin. cap. 24. *non corpore, sed in ipsâ radice concupiscentiæ castrarunt.* Radix autem voluntas, seu cor ipsum, vt sollicitum sit, quæ Dei sunt, non hominibus, sed Deo placere velit. Contra eosdem etiam Chrysostomus d[illegible] tat, & in illa hæresi crudeli diaboli artes ostend[illegible] enim serpens agebat, vt Manichæorum bla[illegible]

ret, qui membra illa opus dæmonis esse mentiebantur, vtque lasciuia, membrorum necessitate, non voluntatis culpâ videretur. Sed præstat audire Chrysostomum. *Quando autem dicit, qui se ipsos castrauerunt, non de abscisione membrorum dicit, sed praua cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrum incidit, maledictioni subiectus est, vt Paulus ait: vtinam ascindantur, qui vos conturbant: neque iniuriâ. Nam cum homicidæ id opus videatur, & Dei creaturæ apertè detrahit, Manichæorum ora recludit, & eandem qui hoc agit, iniquitatem committit, quam qui apud gentes mutilantur. Membrorum enim incisio diabolica fraudis, aut inuentionis opus ab initio fuit, vt operi diuino detraheretur, vt rationale animal laederetur, vt non voluntati, sed membrorũ naturæ, vniuersa re attributâ, largas sibi ad peccandum homines, portas reserarent, tanquam rationem non essent reddituri: ac ita dupliciter laderentur, quia membris suis carerent, tum quia voluntatis ad bona inclinatio reprimeretur. Quæ omnia ex lege diabolicâ sunt, qui ad ea, quæ dicta sunt, via quâdam progrediens, pernicioſum illud fatalis rerum necessitatis dogma introduxit. Ita vndique datam nobis libertatem diuinitus vitia naturalia esse suadens, euellere conatur, multaque alia. Hinc pestifera dogmata occultius seminat. Talia quippe sunt diaboli pernicioſa venena: quare oro atque obsecro, fugiatis talem iniquitatem. Ad ea enim quæ dicta sunt, accedit, quod nec cupiditatis incendia mitigantur, sed grauiora, inflammatioraque redduntur. Aly namque sunt fontes spermatis hominum, ac aliunde certe prorumpunt, quidam à cerebro, quidam à lumbis, illum inquietissimum æstrum proficiscì contendunt: ego vero non aliunde dixerim, quam à lasciuiâ mentis & cogitationis neglectu. Quippe modestia mentis facit, vt naturales motus nullum offerant detrimentum.*

Vetita membrorum abscisio.

Non absunt ab eâ blasphemiâ, hæretici nostri temporis, qui libidinandi eandem necessitatem arbitrantur, quæ est edendi, bibendi, atque illâ naturæ violentiâ, siue adsit vxori, siue absit excusari libidinem contenderunt.

§. 2. Verum hi veteribus quibusdam contrarii sunt, qui castitatem à Deo præceptam esse voluerunt. Vtapud Iren. lib. 1. cap. 30. Epiphanius hæresi 61. August. hæres. 40. Ecclesia, mediâ viâ incedit, & veritatem docet, suasam esse, non iussam castitatem, honorabile coniugium, venerabiliorem coniugio Virginitatem. Virgines Christo tribuunt, quod non exiguntur, offerunt quod non coguntur, si imperata esset Virginitas, nuptiæ damnarentur, nunc cum illæ honestæ sint, Virginitas vltra præcepta se extendit. Non imperio tam celsum propositum secuta, sed voluntate.

§. 3. Augustinus Marlorat. Erasmum citat dicentem: Precibus non posse castitatem impetrari. Quin Pontificios orate, ne cibo vti necesse sit, &c. Verum in notationibus Erasmi huius loci nihil tale est; & ratio ipsâ pueriliter lasciua est. Ne cibo vti necesse sit, nonnulli impetrarunt, interim quisque auctor ille sit, cui Caluinista tam fœdum elogium ascribit; nos eum venereum nepotem esse necessario iudicare debemus, vt qui non magis voluptatis illecebris, quam cibo carere possit. Nec abnoctare magis, quam abesse mensâ. Quid ille talis cum abest vxor, agat, opus est coniicere, cum ille quid sibi necessariò agendum putet, iam profiteatur. Origenes in cap. 2. ad Roman. Hæreticos nostris non dissimiles refutat. Quorum, lector, hæreses tales erant, vt recensere sit pudori.

Salatia hæreticorum.

Spurci omnino homines, ex Hermete lib. 9. & Platone disputantes. lib. 6. de legibus. Quin veterum hæreticorum, vt Nicolaitarum dogma erat vitam æternâ minimè posse adipisci eos, qui non omnimodo soluerentur in Venerem. Sic Lutherus contra Ambr. Catharin. & in c. 9. Corinth. *Nemo hominum ad continentiam creatus est, sed omnes vnà ad generandam sobolem conditi sunt.* & de vita coniugali. Similia Caluiniani, Pelicanus Bucerus, ipse Zwinglius; Qui & rebus & rebus & luxuria pudicitiam oppugnarunt; Hoc agendo, ne quisquam castus esset, ne libidines eorum, aliena pudicitia argueret.

§. 4. Ratione caret, quod Caluinus adfert distinctionem Eunuchorum, eo pertinere, vt sciant omnes sibi præceptum coniugium, nisi quibus aliud reuelauit. Verissimè Hieronymus aduersus Iouin. Caluini parentem. *Ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum.* Nec enim paruuli, qui apud eos vxore carent reuelationem iactare audent. Et Chrysostom. è contrario docet; mentem Christi esse vt probet, non esse impossibilem Virginitatem; Vt enim alii naturâ, alii iniuria, alii aliâ necessitate facti sunt Eunuchi, sic nonnulli etiam propter regnum cœlorum. August. lib. de Virginitate, cap. 24. Non necessitatem sed voluntatem docet hos Eunuchos facere. Verba Chrysostomi opponam doctrinæ Caluinianæ. *Ita rem extulit, præcipuamque ostendit, & narratione attraxit, atque hortatus est. Sed perpendi repugnantiam magnam: ipse arduum id esse confirmat, illud vero paruum ac facile. vtrumque certe commode factum.* Nam *cum ab ipso magnum esse confirmetur, instructiores, paratioresque fiunt, qui hoc desiderant. Cumque à verbis ipsorum facilius esse videatur, hac ratione ad eligendam continentiam atque virginitatem proniores redduntur. Nam quibus ad perpetuam hortari virginitatem arduum atque durum videtur, necessitate legis in cupiditatem virginitatis impellit. Posse autem nos perpetuam seruare continentiam ostendit dicens: sunt Eunuchi qui ex ventre matris ita nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus: & sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. His omnibus occulte, ad optandam eligendamque virginitatem inducit: possibile namque id esse hominibus, hoc fere modo confirmat. Cogita tecum, si aut à natura eunuchus esses, aut iniuria hominum sic effectus: quid faceres, cum & huiusmodi voluntati careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilantesque coronas habebis, si ita viues quemadmodum sine aliquo illi premio: imo vero multo facilius, tutius, atque iucundius, tum quia spe retributionis corroboraris, tum quia conscientia virtuti gaudes, & ad hæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris. Non enim sic amputatio membri, quemadmodum rationis frænum, imo vero solaratio huiusmodi fluctus comprimit, & in tranquillitatis portum animum reducit: idcirco igitur illos recensuit, vt hos vehementius exhortaretur, nisi enim hos tenderet, ad quid aliorum fecisset eunuchorum mentionem?* Chrysostomus ergo non modo castitatem docet esse possibilem, & Christum ad eam hortari nos, verum etiam mercedem habere & præmium, adeoque meritoriam esse. Et paulò post: *Vt singulare id esse certamen perdiscas, non vt sorte datum necessitatem suspicere: His enim datum est qui sponte id eligunt: quod ideo dixit, vt ostenderet, superiore nobis auxilio esse opus (quod quidem omnibus illud expetentibus paratum est) si volumus in hac luctatione superiores euadere, solitus quippe est, quandocunque res ardua proponitur, hoc vti modo dicendi: Vt etiam quando dicebat: Vobis est datum nosse mysteria regni cœlorum, quod maximè ita esse præsenti loco approbant. Nam si superna solummodo donationis istud est, ac nihil penitus, qui se in perpetua virginitate conseruant conferre videntur, superflue ipsis regnum cœlorũ pollicetur, nec merito à ceteris ipsos eunuchis distinguit.*

§. 5. Etiam voto virginitatem illam sanctam fuisse, docet Cyprianus, Epist. 62. ad Pomponiam, vbi docet virgines corruptas, *non mariti, sed Christi adulteras esse*; iubetque, vt qui se propter regnum Dei castrauerunt, Deo per omnia placeant. Et l. de disciplin. & habitu virg. *Neque enim inanis hæc cautio est, & vana formido, qua ad salutis viam consulit, qua dominica & vitalia præcepta custodit, vt quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo vouerint, consumment opus suum magno præmio destina-*

abstinatum; nec ornari iam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant, à quo & mercedem virginitatis exspectant dicente ipso: Non omnes capiunt hoc verbum, sed illi quibus datum est: sunt enim Spadones, qui ex vtero matris sic nati sunt, & sunt Spadones, qui coacti sunt ab hominibus, & sunt Spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Et deinde. *Sic se expugnator inimicus per artes suas inserit: Sic insidiis per occultas fallentibus diabolus obrepit: sic dum ornari cultius, dum liberius euagari virgines volunt, esse virgines desinunt, furtiuo decore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti sed Christi adulteræ, quam fuerant præmiis ingentibus virgines destinatæ, tam magna supplicia pro amissa virginitate sensuræ.* In eundem sensum Chrysostomus Epistol. ad Theodorum Monachum. & homil. 13 in Epistol. ad Hebræos.

§. 6. Castrare se, est vitam castam viuere, & continere. Vide Bellarmin. lib. 2. de Monachis. cap. 21. idque sponte & propter regnum cœlorum. Caluinus quibusdam falso ait à Deo datam immunitatem à coniugio, licet naturâ sint apti ad coniugium. Non enim dicit Dominus, quibusdam hanc Deus immunitatem dedit, sed *qui se ipsos castrauerunt*, hoc est, qui cupiditate rerum cœlestium inflammati, coniugio abstinent, quibus datum est, vt castitatis precium intelligerent, & voluptatibus abstinerent. Præclare in hanc sententiam Chrysostomus Homil. 63. *Is datum est, qui spretis id eligunt:* quod ideo dixit Christus, vt ostenderet auxilio nobis superno opus esse quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac vita euadere superiores. Sitigitur vult, potest. Isidorus de summo bono. cap. 40. à Deo datur continentia, *sed petite*, inquit, *& accipietis.* Tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulsatur. Vide & Hieronym. in cap. 5. Isaiæ & Augustin. de Virg. cap. 24. Ambrosium exhortat. ad Virgines. Basil. de Virginit. Theodor. in Epit. cap. de Virginit. Damasc. lib. 4. fidei. cap. 25. Greg. Pastoralis p. 3. c. 29. errant igitur Sectarii expositores dominum hoc negantes.

§. 7. Regnum cœlorum Caluinus Euangelium interpretatur. Verum hoc loco æternam beatitudinem significat. Multo enim maxima pars eorum qui castè vixerunt, Euangelii prædicationi occupari non fuerunt. Sunt enim in Ecclesia Virginum cœtus, & multa millia Eremitarum, qui sibi & Deo viuunt. Zwinglius de prædicatoribus, præsertim Apostolis intelligit, falso vt iam ostendi. Quod si Euangelii causa omittendæ sunt sæpè nuptiæ, non mirum quidem est, sed mirum tamen videri debet Euangelicis, ministros suos Euangelii causa vitam cœlibem non viuere, sed prædicationis initio, nuptias mox coniungere. Quasi dictum sit, ite, prædicate Euangelium, vxores ducite. Cœlibatum itaque virtutem negant; stulta igitur ait imaginatio est, cœlibatum esse virtutem, quia non magis, quam ieiunium per se Deo placet, nec inter obsequia, quæ à nobis requirit, censeri meretur. In summa: docet Christus non satis esse, si caste viuant cœlibes, nisi consulto ab vxoribus abstineant, quo se expediant ad meliora officia. Non est quidem satis caste viuere, nisi deuote iusteque viuas, caste tamen viuere in cœlibatu opus est virtutis, nempe castitatis, castitas autem species est temperantiæ, quæ vtique virtus est. Si virtus, igitur & cultus Deo gratus.

§. 8. Quod vero negant cœlibatum matrimonio eligiorem, id commune cum Iouiniano aliisque habent. Aliud Paulus 1. Corinth. 9. aliud S. Patres docuerunt. Chrysostomus de Virginit. cap. 10. *Virginitas matrimonio melior est, & si placet, quanto etiam melior sit addam. Quanto cœlum, terra, quanto hominibus Angeli.* Cyrillus Catechesi 4. Hieronymus Apolog. ad Pam. inter matrimonium & virginitatem comparationem facit, quæ est auri ad argentum. Virginitatem auro, matrimonium argento simile facit, & patet ex Augustino citato.

Augustinus libro de sancta virginitate. cap. 24. illos qui se ipsos castrauerunt, multis modis aliis præfert Christianis. *Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, veritas dicit, virtus & sapientia Dei dicit, eos, qui pio proposito ab vxore ducendâ se continuerint, castrare se ipsos propter regnum cœlorum: & contra humana vanitas impiâ temeritate contendit, eos qui hoc faciunt præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugialium deuitare in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere.*

Quin idem etiam Eunuchorum meritum agnoscit eodem libro. *Nam cum dixit, dabo eis locum multo meliorem, ostendit; & coniugatis dari, sed multo inferiorem. Vt ergo concedamus in domo Dei prædictos futuros Eunuchos secundum carnem, qui in populo Israel non fuerunt: quia & ipsos videmus, cùm Iudæi non fiant, tamen fieri Christianos: nec de illis dixisse prophetam, qui proposito continentiæ coniugia non quærentes, se ipsos castrant propter regnum cœlorum: itane tanta dementia quisquam contrarius est, vt in carne factos Eunuchos meliorem, quam coniugatos locum in domo Dei habere credat, & pio proposito continentes, corpus vsque ad contemptas nuptias castigantes se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes, cœlestem & Angelicam vitam in terrenâ mortalitate meditantes coniugatorum meritis pares esse contendat, & Christo laudanti eos qui se ipsos castrauerunt, non propter hoc sæculum sed propter regnum cœlorum, Christianus contra ducat, affirmans hoc præsenti vitæ esse vtile, non futuræ? Quid aliud illis restat, nisi vt ipsum regnum cœlorum, ad hanc temporalem vitam, in quâ nunc sumus, asserant pertinere? Cur enim non & in hanc insaniam progrediatur cæca præsumptio? Et quid hac assertione furiosius? Nam & si regnum cœlorum aliquando Ecclesiâ etiam, quæ hoc tempore est, appellatur ad hoc vtique sic appellatur, quia futuræ vitæ sempiternaque colligitur. Quamuis ergo promissionem habeat vitæ præsentis & futuræ, in omnibus tamen bonis operibus suis, non respicit quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.*

Si igitur tanti interpretis iudicio standum est, non modo falsos nostros hæreticos esse dicendum est, sed etiam contentiosos, insanos, præsumptuosos, furiosos, impudentissimè, & dementissimè pertinaces, impiè cœcos, quæ in eos magno castitatis ardore ille dicit, qui cœlibum meritis, coniugum merita exæquant. Gregorius Nyssenus de Virgin. cap. 1. Amphylochius de purificatione Deiparæ. Hi iudices Ecclesiæ priscæ fuerunt, de quibus Minutius Felix. *Plerique nostrum inuiolati corporis perpetuâ virginitate fruuntur potius, quam gloriantur.* Interim tamen nuptias etiam laudabant, vt Zeno Veronensis: *non nuptias condemno sed nuptiis meliora propono.* Simili sententiâ Syricius ad Ecclesiam Mediolanens. Gregorius Nazianzenus oratione in hæc Christi verba tria genera spiritalium Eunuchorum constituit mysticè locum interpretatus, & concludit volentibus esse datum, velle autem & eligere diuinum esse beneficium, quæ omnia etiam in aliis virtutum actus conueniunt. Abdias etiam scribit. Iphigeniam à S. Matthæo consecratam, votiuâ Virginitate insignem. Augustinus lib. 1. ad Pallentium, aliisque locis innumeris testatur, Virgines in Ecclesia votiua castitate vixisse. Concilium Carthaginense 4. Can. vltimo. Basilius de verâ virginitate. Ambros. ad Susannam lapsam. cap. 5. Epiphan. hæresi. 48. gloriatur de hoc Ecclesiæ ornamento. Iustin. Apol. 2. ad Antoninum Pium. *Multi sunt apud vos vtriusque Sexus, sexaginta & septuaginta nati annos, apud nos qui à pueris sunt disciplinam Christi assectati, incorrupti & cœlibes perdurant; & glorior, me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse.* Eodem modo Athenagoras orat. 2. pro Christianis. Hieronymus contra Iouinian. lib. 1. ad Eusto-

Eustochium, de custod. Virgin. de bono viduitatis. capite vndecimo. Non damnandum fuisse docet Chrysostomus, si duxisset vxorem, post votum si duxerit, damnandum esse, & sanctimonialem si nupserit Christi adulteram reputari: Denique lapsus & ruinas à castitate sanctiore quæ vouetur, adulteriis esse peiores. Hieronymus vero non tam adulteras esse, quam incestas. antiquissimum hoc fuisse in Ecclesia virginum, & votiuæ castitatis decus, testatur Clemens Alexandr. Strom. lib. 3. Tertullian. lib. 1. ad vxorem, & de velandis virgin. Quin si altius progrediamur, Eadem apud Dionys. ff. de Eccles. Hierarchia, cap. 6. Martialem ad Lemouicenses. Ignatium ad Antiochenos inueniemus. Philo Iudæus etiam describit Virgines Alexandrinas, à S. Marco consecratas, quas à cultu Dei singulari θεραπεύτριδας appellant.

§. 4. Sententiâ Christi igitur anabaptistarum error condemnatur, qui paruulis baptismum denegant, aut baptizatos adulta ætate rebaptizant. Si enim regno cœlorum non excluduntur, multo minus Sacramenta Ecclesiæ arceri debent. Quamuis autem mysteria nec intelligant nec credant, infusa tamen gratia & fidei habitu iustificantur, & fideles sunt. Certe benedictio, amplexus, manuum impositio, precatio ostendunt, in Ecclesia eos esse.

§. 5. Lutherani diuersum errorem hinc efficiunt, nempe infantes cum baptizantur, fidei actum elicere, & reuera credere, intellectu iam illustrato, & ratione ad tempus vigente. Qui error admodum absurdus anabaptistis occasionem nouæ blasphemiæ dedit. Maluerunt enim paruulorum omittere baptismum, quam intelligentes credere.

VERSVS 13.

Tunc oblati sunt ei paruuli vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.

QVÆSTIO I.

Cur Paruulos illi offerebant?

§. 1. VT manus illis imponeret, & oraret. Id etiam factum est; admodum paruos fuisse constat, vocantur enim à Matthæo Euangelista non παῖδες, sed παιδία Lucæ 18. vers. 15. βρέφη vocat, vt eos tangeret. Marc. 16. vers. 15. Et complexans eos, & imponens manus super eos, benedicebat eos. Itaque infantes illa benedictione fœlices arbitrabantur. de consuetudine benedicendi illa Genes. 48. vers. 14. Syrus vocat. טליא *Telaie*, quod puerum significat, siue valde paruum, siue etiam grandiusculum.

§. 2. Increpant quia puerorum oblatione volebant Dominum lassari, & infra dignitatem putabant, vt pueris occuparetur. Origenes ab Angelis oblatos paruulos dicit, sed mystice intelligendus est. Non sunt oblati post sermonem de Eunuchis, quasi commendatione integritatis & puritatis accepti, vt nonnulli putarunt. Nam sermo ille iam domi habitus est, cum iterum discipuli quærerent, vt ex Marco constat, secutus est igitur oblationem paruulorum.

§. 3. *Talium* τοιούτων docet esse regnum cœlorum, non τούτων sed τοιούτων esse dictum notauit Theophylactus & Euthymius, vt non ætas, sed innocentia signaretur, non enim ætas regnat, sed mores. Verum & istorum & similium illis regnum cœlorum esse dicitur. Athanasius quæstionibus ad Antiochum. q. 114. Hinc probat baptisatos infantes participes regni cœlorum esse. Σημείωσαι λέγοντος, ἄφετε τὰ παιδία ἐρχεσθαι πρός με. τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. καὶ πάλιν ἀποστέλλοντος. νυῦν ὁ τὰ τέκνα ὑμῶν ἅγια ἐστιν. πρόδηλον ὅτι εἰς ἄπιλα καὶ παιδία εἰς τὴν βασιλείαν εἰσέρχονται τῶν οὐρανῶν βεβαπτισμένα γὰρ παιδία ἀβάπτιστα καὶ τὰ ἔθνικὰ ὅτε βασιλείαν εἰσέρχονται, ἀλλ' ὅτε πάλιν εἰς κόλασιν. ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἔπραξαν. *Cum Dominus dicat: sinite pueros ad me venire, talium enim est regnum cœlorum: Item cum Apostolus testatur: Nunc filij vestri sancti sunt: constat incontaminatos & fideles in regnum cœlorum ingredi fidelium baptisatos infantes. Ethnici vero & non baptisati neque in regnum ingrediuntur, neq; etiam rursus in pœnam, peccatum enim non designarunt.*

Intelligendus est Athanasius de pœna sensus.

VERSVS 14.

Iesus vero ait eis: Sinite paruulos & nolite eos prohibere ad me venire, talium enim est regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

Quorum paruulorum est regnum cœlorum?

§. 1. NOn dubium est eos quos Dominus sua benedictione dignatus est, electos fuisse. Marcus ait, accepisse eos in vlnas, & benedixisse, discipulis autem prohibentibus, indignatum. Manuum impositione benedictionem dari solitam apud Hebræos est in confesso. Christum tanquam Spiritus donis plenum, suumq; prophetam filiis benedicere optabant.

§. 2. Talium pronunciat esse regnum cœlorum. τοιούτων, qui illis similes sunt malitia: Syrus expressit דדילין גיר דאיב חלין אנון *dedalen ger daich halen annun, talium qui sunt sicut ipsi.* Et Lucæ 18. vers. 17. *Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud.* Eodem modo Irenæus lib. 3. cap. 15.

§. 3. *Apostolos Christum spoliare propriis dotibus*, ait Caluinus *& quæ in eum minime conueniunt sub specie honoris eum congerere sic in Papatu homines putare magnum Christo honorem se tribuere, si coram frusto panis se prosternerent, alios patronos crearent.* Non spoliant Christum Apostoli suis dotibus, pueros molestos illi putabant esse. Errarunt non malitiâ, sed amore & æstimatione Domini indiscretâ. Nos coram pane non prosternimur, Christum in Sacramento credimus præsentem, & quem credimus, adoramus. Alios patronos, qui mediatores sint, non creamus. Vnus est mediator Christus Iesus, Deus & homo. Ille Deum reconciliauit, ille precium salutis persoluit, ad eum accedimus vel soli, vel innumera sanctorum multitudine comitati, qui CHRISTVM nobiscum simul adorent. Non igitur Apostoli magnopere hoc facto erraunt. Nam vel existimarunt CHRISTVM importunitate offerentium lassari. Vt est in comm. Hieronymiano, vel, vt ait Ambrosius, sedulæ virtutis obsequia Domino offerebant, ne comprimeretur à turbis; vel sanè dignitatis causa vetabant, vt putat Chrysostom. & Theophylactus, alia etiam causa, nec improbabilis adferri

adferri potest. Puerosab Apostolis repulsos. Vt grandioribus sanandis instruendisq; locus & tempus esset. Non enim operæ precium videbatur, tot vndique circumfusis turbis benedicendo paruulis Dominum occupari. Verum Christus cui omnia agendi & loquendi momenta in numerato erant, demonstrare voluit, quanto in precio paruulorum innocentia sit coram Deo.

VERSVS 16.

Et ecce vnus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?

QVÆSTIO I.

Qualis adolescens ille fuerit?

§. 1. NOn est ille qui Lucæ 10. v. 25. eâdem Dominum quæstione pulsat: ille enim legis peritus erat, & carpendi, calumniandique animo interrogabat, hic genu flexu accedit, & sincere viam salutis inquirit. Sine causa igitur eum accusant Sectarii, & hypocritam fuisse comminiscuntur. Nam audito responso de abdicandis bonis tristatur, quod non faceret, si per ludibriũ de salute inquireret. Excusat eum etiam Marcus; nam Iesum *intuitum eum*, ait *& dixisse*, non igitur tentator accessit. Venit ergo animo salutis cupido, sed ad perfectionem consequendam & consilia Euangelica nondum firmato. Syrus habet, *& venit quidam accedens & dixit* אתא חד קרב *Etha chad kareb. Venit vnus appropinquans*: Per turbam enim sese insinuabat, vt esset proximus: atque in genua procidit: Magnus certe progressus, inter inimicos Domini salutis præcepta à Christo publicè & suppliciter petere. Præsertim cum vt Lucas. cap. 18. vers. 18. habet princeps esset, hoc est, magnæ æstimationis & autoritatis inter populares. Caluinus aliam amoris causam adducit. Nempe externam iustitiæ speciem: sic Aristidem & Fabricium ait Deum & odio habuisse, & amasse, odisse cor impurum, amasse iustitiam externam eorum, idque in commune bonum. alio plane spectat Christi dilectio. Externam illi Iustitiam non potest tribuere Caluinus, qui negat minimo gustu vnquam concepisse, quid sit domare carnis cupiditates. Deinde cum illa profiteretur, & vt Caluinus putat superbe se iactaret, de falsa iustitia, odisse debuit. Quid vero singulare est, cum dicitur Christus adolescentem intuitus dilexisse, si ob dona naturalia periturũ dilexit; sic omnia quæ fecit diligit, sic omnes impios, etiam dæmones amat. Hac ergo de re nulla erat, nec esse poterat dubitatio. Chrysostomus omnem suspicionem simulationis ab eo remouet, quia amasse eum Dominus dicitur à Marco. *Nonnulli huic homini quasi fraudulento & nequam detrahunt tentationis gratia accessisse ad Iesum affirmantes: ego vero habendi quidem cupidum atq; auarum non negarim. talem enim ipsum fuisse Christi verbo declaratur: Subdolum autem & simulatorem nunquam dixerim. Partim quia non debemus quod incertum est, maximè in criminibus, quasi certum asserere: partim quia hanc de ipso suspicionem Marcus remouit: ait enim: Quoniam accurrens, & genu flectens rogabat eum, & quod Iesus intuitus illum, dilexit eum.*

Adolescens non venit tentandi causa.

Caluinus itaque suo more maleuolus est, cum Domini amorem non alio modo interpretatur. Quis enim nescit, Deum omnia quæ creauit amare, & nihil eorum odisse quæ fecit, hoc loco autem alius quidam amor ob alias causas indicatur.

VERSVS 17.

Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.

QVÆSTIO I.

An Christus se neget bonum, eô modô quô Deus est bonus?

§. 1. NOster interpres legit: Quid me interrogas de bono? Τί μὲ ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ. quæ lectio est in multis veteribus. Origenes vtramque lectionem proponit. Nec interpres noster nisi ab imperitis potest accusari: cum hæretici etiam fateantur antiquis in codicibus nostram lectionem haberi; Syrus tamen habet: quid me dicis bonum? vt etiam Hilarius, Chrysostom. Gaudent. in 9. Exodi. Lucas & Marcus habent; *Quid me dicis bonum?* Vtrumq; dixit. Nam & bonum Christum dixit, & de bono interrogabat.

§. 2. Ariani friuolè illa verba captabant, ad Christi diuinitatem impugnandam. Nec minus se illis sancti Patres opposuerunt; adolescentem enim à quo bonus dicitur, reprehendit: Nam solus Deus inquit bonus est. Hoc est, verè & naturâ, seu vt Theologi interpretantur, per essentiam. Nam more creaturarum *Arianorũ argumentum:* si bonum nullo modo negaret, qui tam serio se absq; peccato esse profitetur. Si igitur titulum bonitatis qua Deus est bonus abnegat, certè non est Deus.

Respondendum est Arianis, multum abesse, vt se bonum, aut Deum Christus neget, potius enim affirmat. Adolescens ille Christum Deum non arbitratus, communi illum, sed honorifico titulo compellat, quo gaudebant scribæ, & Pharisæi, nec alio sensu Christum appellat Magistrum bonum; Christus errantem corrigit. Quid, inquit, me bonum dicis, more hominum, solus Deus bonus est, ego autem Deus sum multo excellentiore modo bonus, quam tu existimas. Error igitur in animo tuo insidet, cum bonum me dicis, nec tamen quomodo bonus sim intelligis. Quod si igitur purum hominem existimat, elogium bonitatis, quod proprie Deo conuenit, tribuere non debet. *Responsio.*

§. 3. Deus nullius boni participatione bonus est, quoniam bonum quo bonus est, ipse sibi est: August. Epistol. 54. Idem Augustin. lib. 3. contra Maxim. Arian. cap. 23. Rectè me appellabis bonum, si me noueris Deum. Nam quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Non te facit bonum, nec beatum, nisi bonum immutabile, quod est solus Deus. Cyrillus lib. 2. Thesaur. cap. 1. *cur ad hominem solummodo venit, & quod Deo naturaliter inest, mihi attribuis? Vnus est naturâ bonus, Deus videlicet, si ergo me tradis Deum esse, atque adeo bonum, quid quasi ad hominem venis? sin autem Deum esse non putas, sed hominem solummodo, quare quod soli Deo attribuitur, homini accommodas?* Et D. Hieronym. *Non renuit Saluator bonitatis testimonium, sed magistri excluſit errorem.* Et Ambros. in Lucam: *Magistrum bonum dixit iste, qui Deum bonum di-*

cere debuisset. addit Chrysost. *Christum tanquam hominem respondisse, adolescentem adulationis vitio liberare voluisse, se autem illi non revelasse.*

§. 4. Ne tamen ex verbis Christi hæsitationis ansa à quoquam rapiatur, quid olim S. Athanasius hac in materiâ vel satissimus responderit ostendam. Ille περὶ τῆς ἐν σάρκι ἐπιφανείας de apparitione verbi in carne. Φησὶ γοῦν ἡμῖν λέγοντες, πῶς δύναται ὅμοιός ἐστι τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας εἶναι ὁπότε μέρεσι πᾶσι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ; ὑπερέχει ἐστὶ φησὶ δι' ὃ δόντος τοῦ τὸν λαμβάνοντα, καὶ τί μὲ λέγεις ἀγαθόν; φησὶν εἷς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. καὶ πάλιν θεέμενοι ἵνα τί με ἐγκαταλέιπες; *Torquent enim & in flexus se se agunt hisce verbis; Qui fieri possit, vt similis sit Patri, aut filius ex substantiâ Patris, quum scriptum sit. Quemadmodum vitam habet Pater in semetipso, ita quoque dedit filio vitam habere: quum altior sit dignitas datoris, quam accipientis. Et, ne me bonum, (inquit) dixeris: nemo est bonus, nisi vnus Deus: Et rursum, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

Christus secundum humanitatem non est bonus, vt Deus.

Respondet ille. καὶ ὅταν λέγῃ, διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν, ὑπὲρ ὑψωσε καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα, καὶ τὰ ἑξῆς ὡς ἐναὲ λέγῃ, ὅ ἐστι τὸ σῶμα αὐτοῦ. ἐγὼ ὁ ὕφις ὑψῶ τὴν, ἀλλ' ἡ σὰρξ ὑψῶται. καὶ τῇ σαρκὶ ἐφίσε ἐχαρίσατο ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα καὶ ἐκ ὁ λόγος θεὸς ἐκ χάειν ἔλαβε τὸ καλεῖσθαι θεὸν. ἀλλ' ἡ σὰρξ αὐτοῦ οὐ αὐτῷ ἐθεολογήθη. ἐγὼ ἔιπεν ὅτι ὁ λόγος θεὸς γέγονεν, ἀλλὰ θεὸς ἴδιος ὁ λόγος. Et quum dicit. Ideo superexaltauit eum Deus & donauit illi nomen quod est super omne nomen, de templo loquitur, quod est corpus eius, non enim qui altissimus est, exaltatur, sed caro eius exaltatur, carnique suæ, altissimi nomen donauit, quod est super omne nomen. Neque verbum Dei donatitiâ ratione hoc nomen accepit, vt Deus vocaretur, sed caro eius cum ipso simul Deus appellata est; Non enim dixit, verbum Deus factus est, sed Deus erat verbum.

Adscribere libet, & de eodem loco disputationem, quæ est dialogus 1. Athanasii inter Orthodoxum & Anomœum Arianistam. *Anomœus.* Nullâ igitur aliâ re differt Pater à filio? Atqui scriptum est. Quid me dicis bonum esse, nemo bonus nisi vnus, nempe Deus. *Orthodoxus.* Filius igitur non est bonus? *Anomœus.* Ipsemet dixit: Quid me dicis bonum, Nemo bonus nisi vnus, nempe Deus. *Orthodoxus.* Viden' vt recte dixerim tunc fore te Christianum, quum falsus fueris filium esse Patri coessentialem? *Anomœus.* credo me Christianum esse. *Orthodoxus.* Si Christianus esses, non negares filium esse bonum. *Anomœus.* Bonum non esse non dixi, sed eum dixisse, Nemo bonus nisi vnus nempe Deus. *Orthodoxus.* bonitate igitur dicis differre Patrem à filio? *Anomœus.* Ipsemet dixit, quid me dicis bonum? nemo bonus nisi, vnus nempe Deus. *Orthodoxus.* Non dixit, Ne me bonum dicito, sed, quid me dicis bonum? *Anomœus.* Quænam vero differentia est inter illud, Ne me bonum dicito, & illud quid me dicis bonum? *Orthodoxus.* Magna. *Anomœus.* quænam? *Orthodoxus.* Illud ne me dicito bonum, bonitatem tollit, istud vero, quid me dicis bonum? perinde est atque, quorsum me dicis bonum, nec me confiteris Deum esse vt & illud, quid me compellatis, Domine, Domine, nec facitis quæ dico? Quoniam igitur ille Doctorem eum nominans, ad eum accesserat, vt ad eum qui nihil aliud, quam homo esset, propterea inquit, Quid me bonum dicis? non credens quod sim Deus? Nullus enim bonus, nisi vnus, nempe Deus. *Anomœus.* dicimus & nos ipsum bonum esse, sed non ita bonum, vt bonus est Pater. *Orthodoxus.* atqui non dixit, Nemo bonus nisi vnus Pater, sed, Nemo bonus est, nisi vnus, nempe Deus. Tu vero dicis personæ quoque respectu, differre bonitatem Patris à bonitate Filii. Num igitur existimas quippiam mali immixtum esse bonitati filii, eoque à bonitate Patris differre. *Anomœus.* absit. Non dico malitiæ quippiam immixtum esse bonitati filii, verum Patris bonitatem differre à Filii bonitate. *Orthodoxus.* sed bonitas à bonitate nihil differt, quatenus est bonitas. *Anomœus.* An non vero Dei bonitas differt ab ea bonitate, quæ in nobis est? *Orthodoxus.* nempe alia quædam est in nobis bonitas, quam Deus ipse *Anomœus.* Iudæi igitur & Græci habentne Deum in se se? *Orthodoxus.* Imo ne is quidem Deum habet in se se, qui simpliciter dicitur Christianus: sed is demum habet, qui corpus suum subegit, & seruire docuit, vt possit dicere, Quandoquidem probat onem quæritis eius, qui in me est Christi. Qui enim talis est, aud tà Chr sto, bonus homo, ex bono cord's sui the saur o depromit bona. *Anomœus.* Si bonus est homo, qui ex cor de suo bona depromit, quomodo nullus bonus est nisi vnus, nempe Deus? *Orthodoxus.* quoniam Deus non est bonus, participatione bonitatis, sed est ipsamet bonitas: homo vero bonitatis participatione bonus est. *Anom.* Angeli vero, nonne sunt naturâ boni. *Orth.* Naturâ nequaquam, participatione sic. Nam quod naturâ bonum est, non mutatur, quantum ad id quod est natura. *Anomœus.* Vt quid? *Orthodoxus.* Homo naturâ non mutatur (neque enim fit aliud natura) sed studio & moribus mutatur, siquidem eundem bonum, modo malum videbis: vt Paulum, modo quidem persecutorem, modò vero Euangelii præconem: & eundem modo Christi discipulum, modo præditorem, vt Iudam: & Angelos, modo quidem malos, modo vero bonos. *Anomœus.* Num vero Angeli modo mali, modo boni? *Orthodoxus.* Scriptura inquit, Etenim si Angelis, qui peccarunt non pepercit. At si peccarunt, certe exciderunt bonitate. In vniuersum denique res omnis condita Deo digna, & est, & dicitur bona, ob participationem bonitatis. Deus vero qui bonus est naturâ est, ipsamet bonitas. quamobrem etiam nemo bonus nisi vnus nempe Deus. *Anomœus.* Ergo filius bonus est, vt Pater? *Orth.* Pater & filius sunt vnus Deus, non hypostasi, sed eadē essent ęratione. Vt omnes homines sunt vnus in Christo, non hypostasi, sed ratione essentiæ, & ob concordiam. *Ano.* Enimuero, an non est aliud hypostasis, aliud essentia? *Orthodoxus.* Aliud & aliud dixi, non tamen vt rem aliam & aliam, sed quod hypostasis quidem aliud quiddam declaret, aliud vero essentia. Vt granum frumenti dicitur & est tum semen tum fructus, non vt res alia atque alia: aliud enim declarat semen, aliud fructus, quoniam semen quidem futuræ culturæ semen, fructus vero est præteritæ culturæ fructus. *Anomœus.* quid est essentia, & quid est hypostasis? *Orthodoxus.* Essentia declarat communitatem. Et si quid est essentiæ proprium, id quoque commune est hypostasibus, quæ essentiæ subsunt: Hypostasis autem, præterquam quod numerum admittit, proprietatem habet minimè communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt. *Anomœus.* An non vero essentia proprietatem habet? *Orthodoxus.* Neque proprietatem habet non communem hypostasibus, quæ essentiæ subsunt, neque numeri mutiplicationem admittit, cum sit vnica & singularis. Quidquid vero numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet: & quod proprietatem habet, numerum admittit. Ipsa enim proprietas numerum inducit. *Anomœus.* Non intelligo quid dicis: planius loquere. *Orthodoxus.* Patris essentiam dicis esse immortalem, & incorruptibilem & inuisibilem, & mundi architectatricem, Deum deniq; ? *Anom.* Etiam. *Orth.* & filium similiter dicis immortalem, incorruptibilem,

pibilem, inuisibilem, mundi architectum, Deum denique? *Ano.* Sane. *Orth.* Sicut ergo patris essentiam dicis immortalem, incorruptibilem, inuisibilem, mundi architectricem, nonne ita & filii eandem essentiam dicis? *Ano.* Sane. *Orth.* Filium autem nunc vocas patrem? *Ano.* Nequaquam. *Orth.* Pater ergo non est proprium quiddam essentiæ, sed hypostaseως. *Ano.* Quomodo? *Orth.* Quoniam quæ propria sunt essentiæ, similiter sunt communia Patri & Filio & Spiritui sancto. Pater autem non est commune quiddam, non est igitur Pater proprium essentiæ, sed hypostaseως. Quod si aliud est proprium hypostaseως, & aliæ sunt proprietates essentiæ, non idem significant essentia, & hypostasis.

Quæ ex re lecta intelligit quomodo Ariani oppugnare Catholicos soliti sunt, quamque locus hic inter priscos fuerit iactatus, diabolo vbique rem suam agente, & nostris etiam temporibus Arianis in Transylvania furentibus veterum errores renouantur. Miras est Bezæ hoc loco paralogismus, *Appositissimus est hic locus in, qui suis meritis vllo modo gloriantur ad perfectionem doctrinæ legalis ex legislatoris maiestate, non ex iis quæ ipsi se præstitisse somniant æstimandam reuocandis, ne dum vt suas ἐπιλοβρησείας in hunc album referant.* Respondendum est: *Nulli vllo modo suis meritis gloriandum esse*, cum enim fundamentum meritorum, sit gratuita gratia creatoris, cum ipsa merita sint dona Dei, actuali S. Spiritus auxilio collata non potest meritis quisquam gloriari. Non sequitur ideo merita nullaesse, si solus Deus sit bonus: Neque sequitur, ideo non esse merita, quod perfectio doctrinæ legalis, sit ex legislatoris maiestate æstimanda, non ex operibus nostris. Neque enim opera nostra merita esse dicimus ex se seu natura sua, sed ex maiestate legislatoris, adiutoris, acceptatoris ad ea concurrentis ex promissione beneuolentissima, qua fit vt imperfectis operibus præmia tanquam meritis large atur. Conradus Vorstius magis ad Catholicos in hac controuersia accedit. *Non negamus*, inquit, *bona opera piorum, esse vere bona sancta, pura & Deo grata: sed negamus adeo pura & perfecta esse, vt sua propria perfectione iudicio Dei exactè respondere, ac vitam æternam ex condigno mereri possint.* Negat etiam opinionem Caluinianorum præcipue niti verbis Isaiæ, vbi iustitias nostras comparat panno menstruatæ. Nam multos suorum D. Pistorio assentiri. Denique concludit, [Itaque etiam nullam nobis succensendi causam habet, quod dogma de meritis nostris in hac iustificationis & salutis æternæ materia constanter repudiamus; quum nihil aliud hic damnemus, quam superbam illam de propria nostrorum operum dignitate opinionem, quæ inanem quandam fiduciam & gloriationem in nobis ipsis secum trahere solet.]

Merita vana.

Hanc opinionem nos quoque damnamus, nec tamen ideo propriè dictum meritum negamus. Nam opere facto debitum est ex diuina promissione. Gloriatio autem omnino tollitur, cum dicimus omne meritum esse donum Dei ex gratia adoptionis, adiutorio speciali, denique dicimus requiri promissionem gratuitam, sine qua nullum meritum agnoscimus. Et Bellarmin. docet, lib. 5. de iustif. cap. 14. Vorstius tamen Bellarmini sententiam non recte interpretatur. Verba Bellarmini sunt, lib. 5. de iustificatione, cap. 17. *Nobis media sententia probabilior esse videtur, quæ docet opera bona iustorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno ratione pacti, & operis simul, non quidem quod sine pacto vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamuis par & æquale mercedi, nisi conuentio intercedat. Quam sententiam conformem esse non dubitamus Concilio Tridentino, & Principibus Theologorum sancto Thomæ in 1. 2. quæstione 114. articul. 1. ad 3. & articul. 3. sancto Bonauenturæ, & aliis in 2. sentent. dist. 29.*

Opera pacto meritoria.

Pactum igitur requirunt omnes, nam ex solo pacto debitum fit.

Hoc vero cap. 18. exponit: Vt dicat non requiri aliquam æqualitatem inter opera & mercedem, sed proportionalem, vt d gnius sit præmio quadam proportione. Nec tamen hoc est substantiâ operum aut vi dignitatis operum, qua enus sunt actiones quædam agentis ratione vtentis, sed vt à Dei gratia & supernaturali auxilio Spiritus sancti procedunt, atque hanc vocamus proprie operum dignitatem.

QVÆSTIO II.

An ad vitam ingredi volenti seruanda sint mandata?

§. 1. ITa Christus pronunciat, & ratio suadet. Qui enim à Deo tantum præmium exspectat, opus est vt legibus quas ipse fixit, obtemperet. Cum interrogat quæ sint mandata, haud ficte id facit, existimat enim quædam singularia Christum propositurum. Deesse autem aliquid putabat, vt ait Chrysostom. Homil. 16. in Epist. ad Hebræos. *Non potes dicere non Christus nō possum, neque accusare conditorem, si enim impotentes nos irrisit adolescentem. fecit, & deinde imperet, culpa eius est: Quomodo ergo*, inquis, *multi non possunt? quomodo ergo multi volunt? si enim voluerint omnes poterunt: Habemus quippe cooperatorem, & adiutorem Deum: tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam.*

§. 2. Quæ Caluinus hoc loco de fictis d uotionibus, de bonis operibus de lege seruanda nugatur, meræ calumniæ sunt. Non enim nos aut operibus sine gratia fact s, aut fictis vitam æternam mereri nos dicimus, sed mandatorum obseruationem d.cimus ad salutem necessariam, & Christum id serio docu sse, non lud brio habuisse adolescentem, si enim mandata per Dei gratiam seruati non possunt, & iocatus est Dominus, quid tandem certi in sactis literis inueniemus?

VERSVS 19.

Honora patrem tuum & matrem tuam: & diliges proximum tuum sicut teipsum.

QVÆSTIO I.

An illa particula addenda sit. Et proximum tuum sicut teipsum?

§. 1. QVædam exemplaria habent μητέρα σου, sic & noster legit; est in regiis: multa græca omittunt. Origenes omittendum censet, & proximum sicut teipsum, siue vt Syrus habet אית נפשך *Aich naphschach, sicut animam tuam.* rationes adfert parum solidas. Nempe apud Marcum & Lucam omitti. Verum nouit ipse vsitatum esse, vt vnus Euangelista omittat, quod alius recenset, alioqui ex Marco delendum esset, quod ait in hac eadem historia, adolescentem in genua procidisse, Iesum eum dilexisse. Quin etiam Marcus addit μὴ ἀποστερήσῃς, *ne fraudem feceris*, quod tamen in Matthæo non est, nec ideo tamen

in Marco supposititicium est, quia in Matthæo non est scriptum.

§. 2. Obiicit Origenes: Rem eandem iterari sine causa. Responsio facilis. In his, *dilige proximum sicut te ipsum*, contineri præcedentia, nec otiose tamen hoc addi, sed exegetice. Nam adhuc alia nonnulla addi poterant, quæ omnia continet hoc diligendi præceptum, perinde enim est ac si Dominus dicat. *Non occides, &c.* Et vno verbo, *diliges proximum sicut te ipsum*, at vero si hoc præceptum seruet iam nihil dee t illi, Dominus vero aliquid deesse vnum illi affirmat apud Marcum 10. 21. ἓν σοι ὑστερεῖ *vnum tibi deest.* ὑστερεῖν est deficere, lassari, vt illi qui à tergo relinquuntur, & non perueniunt ad scopum, aut nimis tarde veniunt. Occurrit Origeni Beza; Non intellexisse Origenem, qua de re ageretur. Non enim iuuenem vere respondisse, & hunc latentem morbum, quod proximum non diligeret Christum detexisse. Verum Beza aut non intelligit, aut sciens volens sensum peruertit. Christus enim mandata profert, deinde eorum summam, nempe dilectionem. Cui adolescens respondet; *se etiam seruasse, vt proximum diligeret sicut se ipsum*, eo nempe modo quo solet in hac vita fieri. Hæc tamen professum intuitus Iesus dilexit. Quid igitur deerat ad perfectionem? Respondeo consilii diuini, non præcepti executio, vt omnia venderet, Christum sequeretur. Friuolum vero est quod oggerit Beza; Christum non venisse vt nouam legem conderet, sed potius nos à legis maledictione liberaret. Quasi vero non & nouam condere legem, & à legis conditæ maledictione nos liberare potuerit. Condidit sane leges sacramentorum aliasque, & à maledictione legum nos liberauit, non vt committentibus in legem impunia sint scelera, vt dando gratiam qua lex obseruatur.

Lectio vetus & vera.

VERSVS 20.

Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?

QVÆSTIO I.

An seruarit adolescens mandata?

Mandata seruauit.

§. 1. NOn est mentitus. Non enim eum Christus reprehendit, sed ad maiorem hortatur perfectionem. Imo, vt ait Marcus, dilexit eum: mentientem autem non diligeret. Notarunt hoc non modo Catholici, sed ex Hæreticis Musculus, qui mentitum prorsus negat, quia Marci 10. Christus eum intuitus amauit. Nec obstant diuitiæ, nam Abraham, Isaac, Dauid, Iosaphat, Iosias diuites fuêre, nec diuitiæ sunt signa auaritiæ, sed diuinæ largitatis, licet magni auctores eum eius vitii arcessant.

§. 2. Bullingerus arrogantem fuisse fingit. Caluinus legem illi mortuam fuisse, stulta fiducia ebrium fuisse, Christum auaritiæ eius morbum detegere. Bullingerus, de operibus ita loquitur, vt videatur Catholicus, sed postea in aliam hæresin incidit, quæ est multorum in Hollandia. *Habes in hisce pauculis verbis quid boni facies, & qua pateat ad cœlos via.* Et paulo post: *certissima enim via ad vitam est seruare mandata. Discretum enim & infallibile verbum Dei est, si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Deinde docet non pugnare hoc cum doctrina de iustificatione, quæ per fidem est, sed tandem infert, eum seruare mandata, qui per fidem credit se saluari. *Vnde iam planum fit,* inquit, *& indubitatum, fidem in Dominum nostrum Iesum Christum esse obseruationem legis. Quando per fidem illud facimus, propter quod lex instituta est.* Nihil à mente Christi alienius dici potuit. Sensus enim esset, serua mandata, non occides, non furaberis, &c. Hoc est, crede te saluum fore, & propter Christum tibi peccatum non imputari, inde consequeris, vt dicatis seruasse mandata, etsi occidas, fureris, mœcheris, tantum crede. Quod si mores inducantur, Christianorum vitâ omnium Ethnicorum conuersatione deteriorem euadere necesse est. Quid enim reliqui illi fuerit, qui sola fiducia securus, seruare se omnia præcepta iudicet, modo credat saluum se fore, at vero Christus non hoc monet, vt credat se fore saluum, & sic eum omnia seruaturum præcepta, sed vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quæro enim an hoc præceptum impleret adolescens, non faciendo, sed credendo, præceptum enim fuisse contendunt sectarii, si hoc fiduciando poterat implere, nil opus erat, vt tristis abiret, sed retentis opibus, credenda erat salus, & prædestinatio, si illud faciendo implendum erat, non credendo duntaxat, non igitur nec cetera credendo implentur. Ideoque nec fides est omnium mandatorum obseruatio. Habet ista Bullingerus ex Zwinglio, qui impropriam locutionem esse, ait. *Nam obseruatio mandatorum,* inquit, *nõ est propria causa salutis.* Deinde pergit. *Quis enim mandata Dei seruet? Qui eum timet & amat, quis vero eum timet & colit? qui credit. Quis credit? qui electus est.* Non equidem negandum vitam æternam ex electione esse, sed plures sunt eius rei causæ. Dominus mandatorum obseruationi tribuit vitam æternam, nec tamen Dei electionem, nec Christi meritum, nec sacramentorum efficaciam, nec fidem excludit. Vt vero lector cognoscat, quantum dissideant veteres Martyres & Hæretici: adferam S. Cypriani hunc in locum expositionem. *Immortalitate autem potiri quomodo possumus nisi ea quibus mors expugnatur & vincitur Christi mandata seruemus? ipso monente & dicente: Si vis ad vitam venire, serua mandata. Et iterum: Si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos seruos sed amicos. Hos denique fortes dicit & stabiles, hos super petram robustam mole fundatos; hos contra omnes tempestates & turbines seculi, immobili & inconcussa firmitate solidatos. Qui audit,* inquit, *verba mea & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti & impegerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim fuit super petram. Verbis igitur eius insistere, quæcunque & docuit & fecit, discere & facere debemus. Ceterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit quod Christus facere præcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem non vult seruare mandati? Nutet necesse est & vagetur, & spiritu erroris arreptus, velut puluis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficit ad salutem, qui salutaris via non tenet veritatem.*

QVÆSTIO II.

An consilium sit omnia vendere, an præceptum?

§. 1. CONsilium est; sub conditione enim perfectionis proponitur, non absolute ad vitam æternam consequendam necessarium, ad particulare enim factum Christus hortatur, non ad aliquid, quod omnibus sit necessarium. Augustin. Serm. 16. de tempore. Bullingerus à Domino præceptum adolescenti dicit, vt venditis omnibus se sequeretur. Caluinus sibi quidem repugnat, alios vero calumniatur. Repugnat dum fatetur, nusquam in lege scriptum esse, vt omnia vendamus, imo negat agricolæ id licere, qui melius se alere parcè, & partem dare pauperibus, quam

quam omnia dilapidare. Iuuenem tamen longè à leuis obseruatione fuisse dicit affixum diuitiis, concupiscentia flagrasse, eum in otio & vmbra vixisse, nunquam vel minimo gustu concepisse, quid esset veterem hominem crucifigere, & domare carnis cupiditates. Quomodo talem igitur amare dominus potuit, hominem tam scelestum qui nullam cupiditatem, non auaritiam, non cupiditatem, non libidines non superbiam vnquam domuit? si enim non domuit obsecutus est, quomodo igitur talis se iustum suspicari potuit? aut quomodo vnum illi defuit ad perfectionem, & hoc vnum non lege sancitum, sed consilio oblatum, si nihil illi ad summam nequitiam defuit. Denique Caluinus vers. 22. Illud quod Christus iussit vendere omnia, non fuisse additamentum ad legem, sed probationem latentis vitii, vt lege non tenebatur vendere, non erat vitiosum tenere velle, quod nec Christus vendere iussit. Calumniatur Monachos: at illos Christus defendit; nam vendiderunt omnia, & pauperibus dederunt. Quibus domi parum fuit, omnia deseruerunt, cum facultatem & spem plura acquirendi sibi præciderunt. Non desunt tamen qui luculenta patrimonia, atque principatus & regna deseruerunt. Talem Christus instruit, ablatam pecuniam & commodorum suorum contemptorem, & ne onerosum sit præmia proponant. Eleganter Chrysostomus, *Perspicis quot brauia, quot coronas huic stadio proponit? si autem ille tentasset, hæc ei non dicerentur: nunc vero & hæc illi manifestantur, & vt alliciatur ingentem ei mercedem futuram ostendit, & voluntati eius vniuersa relinquit. Ita his omnibus ne onerosa videretur admonitio, facere studebat; ac ideo antequam certaminis laborem ostenderet, brabium præ oculis posuit dicens: si vis perfectus esse: tunc infert: vende omnia quæ habes & da pauperibus: & mox iterum præmia inculcat: Et habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Non enim parua retributio est, diligenter Dominum sequi. Et habebis, inquit, thesaurum in cœlo. Nam quoniam magna illi cura de pecunia erat, & quandoquidem ipsum cunctis denudari rebus consulebat vt ostenderet non amissurum bona sua, sed tanto plura, maioraque inuenturum, quantum terra cœlo præstabilius est, retributionis præstantiam thesaurum appellauit, & simul stabilitatem atque incorruptibilitatem præmii, vt fieri poterat humano verbo significanter expressit. Non ergo satis est pecuniam spernere, verum etiam oportet pauperibus opem ferre, & ante omnia ipsum Christum sequi diligenter: id est, omnia reipsa præstare, quæ ab ipso iubentur, paratumque semper esse, tam labores subire, quam omne genus mortis sufferre.*

VERSVS 21.

Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.

QVÆSTIO I.

An perfectionis sit vendere omnia, & sequi Christum?

§. 1. CHristus expresse dicit: Si vis perfectus esse τέλειος, ita vt nihil desit, vende τὰ ὑπάρχοντα, quæ sunt tibi, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis. Perfectum itaque hoc loco est, cui nihil deest, ita Syrus גמירא *gemira*, quod est τέλειος & hinc vocant holocaustum גמיר *gemir*, quod perfecte totum Deo offeratur. Beza è contrario verba Christi non declarare, in quo per se vita æterna consistat, cum hæc vocatio non sit vniuersalis; sed huc spectare, vt istum falsa iustitiæ spe deceptum redargnat. Glossam Bezæ textus refutat. Voluit Christus docere adolescentem quid deesset; amabat enim eum, nec hypocriseos arguit, sed quod verum est, enunciat, si vendat & det pauperibus, habiturum in cœlis thesaurum.

§. 2. Pauperes de Lugduno, etiam præceptum generale Christi exhortationem continere tradebant, ideo neminem nisi pauperem saluari non posse, qua quidem in re grauiter erratunt, non enim lex vlla hoc præcipit, sed perfectio hortatur; & cum obseruata lege perfectum & consummatum vellet ostendere: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da egenis, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me.* In quo thesauro posita est vita æterna abundantior, quia, qui se omnibus spoliat propter Christum, honoratior erit cum eo in gloria. Quemadmodum post victoriam omnium communis est lætitia, quorundam tamen, quorum opera præcipue euenit, maior est gloria, præmia, & donatiua singularia. Hortatur igitur illum ad id, quod perfectum est, δεῦρο *huc, sequere me.*

§. 3. Nec Abraham, nec multi viri sancti, hodie id faciunt. Et perfecti tamen sunt. Respondendum est: Multos charitate ardentissima perfectos esse, qui tamen ad aliquam particularem perfectionem non sunt obligati, alii ad statum perfectionis sese obligarunt, nec tamen tam insigni caritate sunt præditi, ideo imperfectiores, qui autem vtroque pollent genere perfectionis, sine dubio excellunt. Vide D. Thomam 2.2. q. 184. art. 4. Vno modo Abraham perfectus fuit, nam quanta Deum caritate diligeret, filium offerendo demonstrauit. Quin omnia etiam deserere paratus erat, qui filium immolare voluit. Nec parui æstimandum, quod egressus de cognatione, & domo patris, suis se rebus fere abdicauit. *Multi diuites perfecti.*

§. 4. Non consistit tamen omnis perfectio in eo, vt omnia vendant, aut abiiciant, vt Crates fecit: sed oportet Christum imitari. Augustinus lib. 50. homiliarum homilia 35. cap. 8. & c. 9. perfectum non fuisse cum sequeretur ad passionem, territum enim voce ancillæ negasse.

§. 5. Abit, non quia mendacii conuictus, sed quia opes amabat, λυπούμενος vero abit, cum afflictione & angore; Syrus ægre tul sse affirmat, mœstitia affectum, quæ aliquam traheret indignationem. Non tamen ideo contra aliquam Dei legem peccauit, cum nulla iuberet omnia vendere.

VERSVS 23. 24. 25. 26.

Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

An impossibile sit diuitem saluari?

§. 1. SImilitudine docet Christus, quam sit difficile diuitem saluari, nempe facilius esse camelum ingredi per foramen acus, quam diuitem in regnum cœlorum. Camelum ob analogiam funem nauticum nonnulli interpretantur, alii acum putant vocari portam Hierosolymitanam, quæ humilis sit & angusta, qua proinde cameli transire non possint. *Camelus.* Nō desunt qui camelum aliquando Elephantum sunt interpretati, vt Drusius, atque ita tota comparatio varie discerpitur. Non est tamen dubium, rem impossibilem prouerbiali locutione designari: plus autem habet, quo maior est difficultas & euidentior, quæ est in camelo quod est animal, & foramen acus proprie dictum. Deinde Scholiastes Aristophanis κάμιλον vocat per iota, non per ητα scriptum, funem. Denique locutus est Christus Syriace, quo in textu est גמלא camelus animal, non funis, atque eodem modo prouerbium citant Thalmudici.

§. 2. Calumniosum est, quo Caluinus huius versiculi expositionem concludit. *Hoc autem Christi responso, vulgare illud axioma, quod ex Hieronymo hauserunt Papistæ, refellitur.* Quisquis legem dixerit obseruatu impossibilem, anathema sit. *Clare enim pronunciat Christus possibile non esse hominibus viam salutis tenere, nisi quatenus illis Dei gratia succurrit.* Quid opus est tam cauteriata conscientia, & tergo, alienum nobis crimen impingere? anathema sit, si quis dicat sine Dei gratia succurrente legem posse obseruari, sine fide impossibile est placere Deo. Fides autem est ex gratia Dei. Nemo nostrum aliter hoc axioma intelligit. Hoc clamamus, hoc integris libris docemus. Hoc concilio Trident. definitur.

§. 3. Apud Marcum 10. 24. circumspiciens hæc Iesus pronunciat, addit ille v. 25. Difficile est eos qui fiduciam habent in pecuniis ingredi in regnum cœlorum. Copia enim facit, vt opibus fidant, deinde vitiis alimenta ministrent.

O quam difficile est opibus non tradere mores.

Obruuntur diuites magna cura & cupiditate, vt non nisi difficillime possint eluctari. Chrysostomus. *Opibus affectus incenduntur.* *Non pariter certe hac passione opprimuntur, qui pauca possident, & qui magna rerum copia obruuntur: tunc enim violentior fit ipsa cupiditas. Nec vnquam magna voce prædicare cessabo accessione pecuniarum cupiditatem habendi magis atq; magis adeo inflammari, vt rerum copia crescente, paupertas quoque augeatur. Nam qui maiori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. Perspice igitur quanta passionis huius vis sit, cum magna diues ille Christum latitia adiisset, ita suffossus, atque obrutus fuit, quia eiiciendam pecuniam audiuit vt nec respondere quidem potuerit, sed tristis ac mœstitia pressus decesserit. Hæc vero tantopere Christus inculcat, ne opes quærantur, ne probro paupertatem ducamus. Denique hoc Dei opus esse ait, vt ingenti gratia dono ad hanc rem opus esse ostendat. Quo magis admiror hæreticorum proteruiam, qui castitatem vouere temerarium censent, quod donum Dei sit: ad diuitias autem tendunt, cum non nisi ingenti dono Dei, opes & salus simul consistant. Cur igitur se tam magna gratia donatos arbitrantur vt opibus pares sint, non putent alios posse habere donum castitatis?*

§. 4. Græce dicitur ἐξεπλήσσοντο, obstupuerunt, expauerunt, quasi sibi exciderunt. Mirum enim paradoxon videbatur, diuites regno cœlorum excludi, cum populo suo Deus, & patriarchis diuitias tantas dedisset, cum plerique paupertatem, vt onus miserum & graue fugerent, vt autem multi diuites essent, alii diuites esse appeterent, plerique videbantur regno cœlorum excludendi. Ideo quærunt, quis potest saluari? Respondet Christus, vt nec eos omnino deiiciat, nec tamen salutem diuitibus facilem esse concedat, *apud homines hoc esse impossibile, apud Deum tamen possibile,* nam facere hoc potest Deus, sed nouo & inusitato miraculo, ita vt quasi pro monstro & rarissimo tenendum sit, si diues ingrediatur in regnum cœlorū. Pauperibus & diuitibus ex æquo impossibile est, sine gratia saluari, sed opus est diuitibus peculiarissima gratia, ad impedimenta diuitiarum amouenda, adeo vt nisi extraordinaria gratia saluari nullo modo possint. Nā qui est in grauissima tentatione, opus habet maiori auxilio, quam in leui, & raro illi resistitur. Mira res, diuitias etiam grauius tentare, quam persecutores, Nam quod de tyrannorum tormentis non dicitur, id de opibus dicitur. Chrysost. Apostolos admiratos, & attonitos fuisse non sua causa, vt qui omnia deseruerant, sed aliorum quos amabant, iam enim partum eos viscera suscepisse. Ipsi enim iam difficultatem superarant, relictis omnibus quæ possederant. Aliot detineri viscosa diuitiarum tenacitate & plurimos mergi cernebant.

§. 5. Cum negant Caluiniani magnum camelum à Deo traduci posse per foramen acus, Deum naturæ legibus alligant, id eum negant posse quod natura fieri non potest. Nec propositum Dei, & constantia Dei hic ad rem facit. Quæstio est enim quid possit, non quid velit Deus efficere.

§. 6. Beza diuites non omnes, sed eos qui à diuitiis pendent, regno cœlorum excludi docet, omnes autem hoc facere, nisi quorum Deus mentes immutauit. Hinc concludit, diuitem verè mutatum posse ingredi, & camelum ita posse facere gracilem, vt per foramen acus ingrediatur. Deinde concludit ineptos esse, qui ex hoc colligunt, Deum efficere posse, vt Christi corpus manens verum corpus eodem tempore, siue multis, siue omnibus locis sit essentialiter: Neque tamen cum hoc negamus Deum naturæ legibus alligamus, sed in suo proposito semper eundem esse dicimus.

Respondeo, adduci hoc argumentum ab orthodoxis. Vt Dei potestatem in mutandis creaturis ostendant. Bellar. lib. 3. de Eucharistia, c. 6. Commune autem omnibus est, non modo diuitibus, non posse saluari nisi Deus animos immutet gratia sua præueniens & adiuuans. Falsum autem est, similitudinem in eo consistere, vt quemadmodum Deus camelum extenuando ita minuere potest, vt per foramen acus transeat, ita quoque diuitem mutando, & efficiendo, vt à se totus pendeat, saluare. Nihil enim mirum est, camelum minutissimum posse transire, sed agitur de camelo magno, cuius natura & moles permaneat, & de diuite cui manent opes. Itaq; camelus magnus transit foramen acus, quantitate eius & mole sic affecta, vt ad locū non habeat extensionem, & ille camelus transit, quem transire est impossibile apud homines. Non alius paruulus instar pili camelini. Diues etiam manet, sed animo mutatus, vt eum diuitiæ non impediant, alioqui facilius diceretur, Deum camelum posse per foramen acus traducere, si foramen ita ampliaret vt cameli capax esset, hoc certe minoris videtur negotii quam camelum extenuare, fieri igitur saltem possunt etiam diuites.

§. 7. Hinc & illa quæstio Hilarii ad Augustin. & responsio Epist. 89. Veruntamen magister bonus mandata legis, ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit: *Si vis venire ad vitam serua mandata.* Hic autem: *Si vis perfectus esse. Vade, vende omnia quæ habes, &c.* Cur ergo negamus diuites, quamuis ab illa perfectione absint. Venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint, & dederint vt detur illis, & dimiserint, vt dimittatur illis? Quineriam hæreticorum expositionem refellit, qui diuites dicebant venditis possessio-

nibus

tibus saluari posse, sed ideo inquiunt hoc dictum est, quia futurum erat, vt audito Euangelio diuites venditio patrimonio erogatoque pauperibus dominum sequerentur, & intrarent in regnum cœlorum, atque ita fieret quod difficile videbatur, non vt manentes in diuitiis suis, præcepta Apostoli custodiendo, id est, non superbe sapiendo, neque sperando in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, benefaciendo, facile tribuendo & communicando indigentibus, veræ apprehendant vitam, sed etiam ista præcepta Apostolica venditis omnibus suis rebus implerent. Hæc si dicunt scio quippe eos illa dicere, non attendunt primitus, quemadmodum Dominus contra eorum dogma suam gratiam prædicauerit. Non enim ait. Quod hominibus impossibile videtur, facile est hominibus si voluerint: sed, quod hominibus inquit impossibile est, Deo facile est: ostendens quando ista recte fiunt, non fieri hominis potentiâ, sed Dei gratiâ. Hæc ergo attendant isti, & si reprehendunt eos qui gloriantur in diuitiis suis, caueant ipsi in sua virtute confidere, simul enim vtrique reprehenduntur in Psalmo. Qui confidunt in virtute sua, & qui in abundantia diuitiarum suarum gloriantur. Audiant itaque diuites. Quod hominibus impossibile est, Deo facile est, & siue manentes in diuitiis suis, siue illis venditis & per indigentias pauperum distributis, intrent in regnum cœlorum, gratiæ Dei tribuant, non propriis viribus bonum suum. Quod enim hominibus impossibile est, non hominibus, sed Deo facile est. Audiant hoc & isti, & si iam omnia sua vendiderunt, & pauperibus tribuerunt, vel adhuc id agunt & disponunt, & hoc modo præparant intrare in regnum cœlorum, non hoc tribuant virtuti suæ, sed eidem gratiæ diuinæ. Quod enim hominibus impossibile est, non ipsis, quia & ipsi homines sunt, sed Deo facile est. Et l. 2. quæst. Euang. q. 47. Quid est quod ait: Faciliùs est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei. *Diuitem hic appellat cupidum rerum temporalium & de talibus superbientem.*

VERSVS 27.

Tunc respondens Petrus, dixit ei: ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

QVÆSTIO I.

Quomodo Apostoli reliquerunt omnia?

§. 1. ADmirandi particula Petrus vtitur; Nam admirabile est diuitias non amare, non tenere, illi vero sponte deseruerunt. Quædam exemplaria habent ἰδοὺ κύριε, *Ecce Domine.* Petrum dubitasse nonnulli volunt, quod pauca reliquissent, vel quod amicis, vel parentibus non pauperibus reliquissent. Confidenter tamen loquitur & amicè, non exprobrat Christo officia. Quamuis enim pauca erant, videmus tamen pauperes & quietos à suis reculis haud difficulter auelli. Euthymius, Caietan. Iansen. putant Apostolos res relictas pauperibus non dedisse. Verum cum reliquerint, credibile est non abiecisse, sed pauperibus vel notis vel ignotis dedisse, neque enim ignorabant legem dilectionis nec dubitabant: Nam magno affectu parua reliquerunt, qui omnem spem magnorum abiecerunt.

§. 2. D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 4. ad 3. Non modo reliquisse omnia, sed voto etiam paupertatis se omnibus abdicasse, id ex Augustin. lib. 17. de ciuitat. Dei, cap. 4. habuit, qui hoc votum potentissimos, hoc est, Apostolos ait vouisse. Abdicatio vero ista ad perfectionem via erat, & vsitata in posteris, quia potentissimorum valuit exemplum. Vouisse auctor est Hieronymus ad Heliodorum Epist. 1. cap. 6. *Sed forsitan dicturus es: Quid ergo quicunq; in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ ceteris? Dominum auscultа dicentem: si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cum derelicta militia, te castrasti propter regna cœlorum: quid aliud quam perfectam sanctus es vitam? Perfectus autem Christi seruus, nihil præter Christum habet: aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est.* *Votum omnia relinquendi.*

Insigne exemplum S. Antonii, de quo narrat S. Athanasius in vita ipsius. Post mortem autem parentum annorum circiter decem & octo seu viginti cum sorore admodum parula derelictus, & domus & sororis honestam curam gerebat. Necdum vero sex fluxerant menses, quibus ad ecclesiam (vt solebat) accurrens, recordabatur quomodo & Apostoli omnibus spretis secuti fuissent Saluatorem, & multi vt legitur in actis Apostolorum factiltatibus suis venditis precia ad pedes eorum detulissent egentibus patienda, quæue aut quanta spes iisdem reposita esset in cœlis. Talia secum voluens intrauit ecclesiam, & accidit, vt tunc legeretur Euangelium in quo Dominus dicit ad diuitem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcunque habes & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Quo audito quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se dominicum traxit imperium: statimque regressus possessiones quas habebat vendidit. Erant autem ei trecentæ palmæ vberes & valde opimæ, quas vicinis largitus est, ne in aliquo aut sibi aut sorori molestia gigneretur. Cætera vero quæ in mobilibus possidebat vniuersa vendidit, & aggregato non exiguo precio indigentibus dedit, paucis tamen ob sororem reseruatis, quæ & sexu & ætate videbatur infirmior. *Antonius omnia reliquit.*

Vide & Victorem Antiochenum, in cap. 10. Marci. Damascenum in historia Barlaam de Ioasaphat, cap. 15.

QVÆSTIO II.

Quomodo hic relinquenda, quæ hic nominantur?

§. 1. DVobus modis deseri illa possunt. Primus est omnibus communis, & lege diuina præceptus, Ne quispiam patrem aut matrem aut alia Deo postponat, potiusque rerum omnium faciat iacturam, quam earum causa creatorem offendat. Alter est & legitimo, & licito omnium earum solatio se propter Christum abdicent, atque vt vno verbo dicam, imitentur Apostolos, qui re ipsa omnia deseruerunt. *Duobus modis omnia relinquuntur.*

§. 2. De posteriore rerum abdicatione sermonem esse contextus satis ostendit. Etenim Christus non condit rerum deserendarum præceptum, sed consilium dat, & præmium proponit. Quamuis in posteriore etiam præceptum prioris includatur. Qui enim vt Deo seruiat omnia deserit, ille certe omnibus Deum anteponit, nec amore creaturæ creatorem offendit.

§. 3. Re-

§. 3. Relinquuntur autem omnia consilio, & libertate voluntatis, non iussu Dominico. Iulianus olim Christianis præceptum esse per irrisionem & auaritiam causabatur, vt nihil possiderent, vt facilius res eorum fiscus inuaderet. Nazianzen. orat. 1. in Iulian. Pelagianorum aliquos eodem modo sensisse, auctor est Augustin. Epist. 82.

Consilium datur vt omnia deserantur.

Lutherus lib. de votis monasticis, vendere omnia, & dare pauperibus esse præceptum, non consilium. Eadem docet Philipp. in apolog. confessionis & locis communibus, non esse consilia. Quod si præceptum est, cur non obediunt, si nec consilium est, frustra proponitur, quod nec imperatur, nec suadetur. Chrysostom. Homil. 15. Si vis perfectus esse consulendo, & admonendo dicit, non est autem idem consulere & legem ponere. Voluisse enim in arbitrio audientium has res sitas esse.

VERSVS 28.

Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

QVÆSTIO I.

Quæ merces est relinquentibus omnia?

§. 1. DVplicem illam Christus pollicetur. Aliam in vita æterna, aliam in hac vita, quasi præuiam & arram futuræ gloriæ: Vt enim flos fructum antecedit ita quædam imitatio gloriæ æternæ est in bonis temporalibus, si illa nobis ad diuinæ benignitatis magnitudinem intelligendam sint adiumenta, & ad desiderium gloriæ incitamentum.

§. 2. Apostolis promittit iudicandi honorem in regeneratione παλιγγενεσίᾳ, hoc est, in resurrectione, nam regenerationem vocat, illam corporis mortalis in gloriam & immortalem vitam à Deo faciendam mutationem. Syrus habet בעלמא חדתא *in seculo nouo.* Non probo eorum sententiam qui cum præcedentibus iungunt, quasi dicat Apostolos in regeneratione, hoc est, Euangelii prædicatione Christum secutos. Nostram sententiam habet Augustin. lib. 20. ciuit. cap. 5. *Quod Christus ait,* in regeneratione, *procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. Multa præterea quæ de vltimo iudicio, ita dicì videntur. Vt diligenter considerata reperiantur ambigua, vel magis ad aliud pertinentia, siue scilicet ad eum Saluatoris aduentum, quo per totum hoc tempus in Ecclesia suâ venit, hoc est, in membris suis, particulatim atque paulatim, quoniam tota corpus est eius, siue ad excidium terrenæ Hierusalem: quia & de illa cum loquitur, plerumque sic loquitur tanquam de fine seculi, atque de illo die iudicii nouissimo & magno loquatur, ita vt dignosci non possit omnino, nisi ea quæ apud tres Euangelistas Matthæum, Marcum & Lucam, de hac re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur.* Et lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 3.

§. 3. Iudicabunt non modo iudicio comparationis, virtute sua aliorum vitia damnando: sed vt electi tantummodo futuri sunt. Hoc enim omnibus sanctis commune est; Eorum enim integritas & pœnitentia condemnat impios & contumaces, & Christi iustitiam testabuntur. Sed singulari modo tanquam assessores & sententiæ Domini approbatores primarii, sententiam enim & illi pronunciabunt.

§. 4. *Thronos Apostolorum* Chrysostom. appellat, secundarium honorem illis collatũ, solum enim Christum iudicem sessurum existimat, idemque sentit & Theophylactus, & Euthymius. Nam Paulus Rom. 14. *stabimus,* inquit, *ante tribunal Christi,* sed hoc alii interpretantur, vt stare sit apparere, hebræo enim more sic loquitur.

§. 5. Porro iudicabunt non sola tribus Israelis, sed quæ vniuersum orbem, qui hic per Israelem significatur. Quemadmodum regnabit Christus *in domo Iacob,* hoc est, ex eius genere & in eius posteris sed tamen & toto mundo. Hæc iurisdictio omnibus qui omnia reliquerint cuique pro gradu suæ perfectionis erit communis: Alterum præmium est huius vitæ, nempe centuplum. Quidam quia pro carnalibus spiritualia recipiet, at Marc. 10. 30. Centies nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres & filios & agros cum persecutionibus. Non quod eadem, aut generis eiusdem, sed quæ illis præstant, imprimis Christum, qui hæc omnia est, & omnium necessitudinum charitates vnus implet, aliam deinde societatem fidelium: & multa quæ omnia illa superant. Ipsos Apostolos videamus, quantæ auctoritatis fuêre, quas diuitias ad pedes suos positas diuiserunt, quot millia discipulorum habuerunt, ex quibus plus solatij quam ex parentibus, vel filiis, Syrus habet חד במאה *vnus bemaa,* vnum incentum accipiet. Hoc est vnum auctum in centum. Ne tamen sibi regnum hic mundanum imaginentur & donatiua addit: cum persecutoribus nõ defore inter illa solatia aduersitates. Quamuis autem tribulationes adsint multæ, in hac tamen vita meliora amissis redduntur, conscientiæ tranquillitas, lætitia spiritalis, omnium sanctorum charitas & auxilia societas sanctorum quæ efficiunt, vt etiam in hac vita beatiores censeantur. Nam reuera sunt nihil habentes & omnia possidentes.

§. 6. Quærunt tamen quomodo vxorem deserat, nisi tantum eo modo, vt propter vxorem non offendat Deum. Cum enim duo sunt vna caro, cum sit vinculum indissolubile, reipsa relinqui non potest, præsertim cum in ea deserenda non simplex sit perfidiæ, iniustitiæ & impietatis crimen, atque insuper pudicitia vxoris in periculum conijciatur.

Respondeo. In vxore deserenda iustitiam & æquitatem obseruari oportere, vt non deseratur nisi mutuo & maturo consensu, quemadmodum multos Episcopos, vtrosque sanctos fecisse videmus.

CAPVT

CAPVT XX.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos. 4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam: & fecit similiter. 6. Circa vndecimam vero exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? 7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. 8. Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos. 9. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias. 12. dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus. 13. At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum? 14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. 15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum. 16. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, multi enim sunt vocati pauci vero electi. 17. Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis. 18. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. 19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo: 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. 23. Ait illis. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. 27. Et qui vult inter vos primus esse, erit vester seruus. 28. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis. 29. Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa. 30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Iesus transiret: & clamauerunt, dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid. 31. Turba autem increpabat eos vt tacerent: At illi magis clamabant dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. 32. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? 33. Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. 34. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

Sup. 19. d. 30. Marc. 10. d. 38. Luc. 13. f. 31. Marc. 10. d. 31. Luc. 18. c. 31. Marc. 10. c. 35. Marc. 10. g. 41. Luc. 22. c. 25. Phil. 2. a. 7. Marc. 10. g. 46. Luc. 18. f. 35.

IN CAPVT VICESIMVM
ARGVMENTVM.

MErcedem laborantibus præberi docet, non solo temporis, operæue præstitæ respectu, sed virtutis; idq; ex Dei benignitate, omnium animos intuentis, & quâ quisque caritate seruiat, diuino iudicio æstimantis. Datur eadem primis, & nouissimis merces, quia primi facti sunt nouissimi, & nouissimi primi. Duobus ad Ierichuntem cæcis visum restituit, passionem prædicit. Filios Zebedæi primatum matris interuentu petentes reiicit, cæteros indignatos de humilitate instruit: suo præcipue exemplo, vt qui venerit ministrare, non ministrari, & animam suam dare redemptionem pro multis.

A versu 1. ad 17. parabolam de operariis in sua Ecclesia legunt Syri in festo Pauli Apostoli. Sic enim titulus habet, קריאא דפולוס שליחא *Keriana de Phaulus schelicha.* Lectio Pauli Apostoli. Causa videtur, quod ille nouissimus Apostolorum labore & merito videatur fuisse primus. Nam plus omnibus laborauit.

A versu 17. ad 29. *Feriâ primâ quintæ post Pentecosten.*

Inde vsque ad finem de cæcis: *ad oblationem septimanæ quintæ ieiunii.* Varia itaque, eaque insignia documenta hoc capite continentur, vt etiam sequentibus, cum iam morti vicinior, contra pericula instantia confirmat Apostolos.

VERSVS 1.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.

QVÆSTIO I.

Quis paterfamilias?

§. 1. IN Græco particula causalis γὰρ, *enim*, adiungitur, quo indicatur, ad ea quæ ante dicta sunt, comprobanda similitudinem adhiberi. Dixerat vero nouissimos fore primos, & primos nouissimos. Eadem particula etiam in Syro est, & quibusdam Latinis, omissa tamen in correctis, sumpto scilicet ex pluribus codicibus argumento. Comparatur regnum cœlorum, non absolute patrifamilias, sed in regno fieri id affirmatur, quod in familia. Res enim rei, personæ personis, actiones actionibus conferuntur. Non tamen ita omnia ad amussim spectanda sunt, vt singulis aliquid correspondere existimemus, multa enim velut emblemata interponuntur, vt decorum narrationis constet.

Quomodo simile regnum cœlorum.

§. 2. Paterfamilias est Deus, & Dominus noster Iesus Christus, operarios in vineam suam eductus egreditur. Regnum cœlorum est Christi regnum, nempe Ecclesia militans, in qua operæ laborant: & triumphans, in qua merces datur. Græce dicitur; Ἄνθρωπος οἰκοδεσπότης, *Homo paterfamilias*, seu *Dominus domus*, vt Sallustius, *mulier ancilla*. Sic Herodot. Ἀνὴρ ἁλιεύς, *vir piscator*. Hebraismum redolent illæ locutiones; nec mirum est scriptorem Ionicum Syrorum vti idiotismis, apud eos legitur לגברא מרית בירתא *legabra marech baitha*, viro Domino domus. Eo referunt, quod Homerus dicit, βωλοφόρον ἀνδρα, & Theocritus ἄπολοι ἄνδρες, *viri pastores*, quod ex Hebræo fonte manare nemo ambigit. Nam Genes. 46. 31. האנשים רועי צאן *viri pastores ouium*. Paulo post vocat eosdem אנשי מקנה *Anschе micne*, *viros pecudis*, seu possessionis. Ad opera igitur & labores inuitantur à patrefamilias, qui singulis mercedem etiam addicit. Pulchra est Athanasii, *in dictis & interpret. parabol. scriptura*, & erudita expositio. Sic vero breuiter interpretatur. Ἄνθρωπος ὁ θεὸς, ἀμπελῶν, ὁ κοσμος, ἐργάται, οἱ ἀπόστολοι. οἱ δὲ περὶ τὴν ἑνδεκα τὴν ὥραν ἐληλύθοτες, ματθίας ἐστὶν, ὃς καὶ καταψηφίσθη μετὰ τῶν ἑνδεκα ἀποστόλων. *Id est*, Homo est Deus: vinea, mundus: operarii, Apostoli. Qui circa vndecimam venientes, Matthias est, qui & ipse annumeratus est duodecim Apostolis.

Expositio parabolæ.

Eodem modo S. Chrysostomus homil. 65. Ἀμπελῶνα μεν τὰ θεῖα πράγματα & δεκ φησιν εἶναι καὶ τὰς ἐντολὰς. ἔργον δὲ τῆς ἐργασίας, τὸν παρόντα βίον. ἐργάτας δὲ, τοὺς διαφόρως καλουμένους θεῖα θεσπίσματα. πρωὶ δὲ καὶ περὶ τρίτην, καὶ ἕκτην, καὶ ἐνάτην καὶ ἑνδεκάτην ὥραν, τοὺς ἐν διαφόροις ἡλικίαις παραγενομένους καὶ ἐυδοκιμήσαντας. *Id est*, Vineam igitur mandata: operandi autem opportunitatem, ac tempus commodum præsentem vitam appellauit: operarios vero qui differenter aut mane, aut tertia, aut sexta, aut nona, aut vndecima hora vocati sunt eos appellauit, qui diuersis ætatibus vocati, accesserunt & comprobati sunt.

§. 2. Detestanda igitur hæreticorum est improba segnities qua & ipsi laborem fugiunt, & alios à labore auocant, cum docent, mercedis intuitu vetitum esse Deo seruire. Nam cum paterfamilias tam sit in conducendo sedulus, ac gnauus, vt tota die egrediatur, quare non audiant eum illi, qui stant otiosi, à nemine conducti? Certe de patrefamilias testatur sanctus Augustinus sermon. 69. de verbis Domini, cap. 2. pag. 81. *An forte non exiit ad te vocandum paterfamilias? si non exiit, quid est quod loquimur? Nempe nos omnes serui de familia ipsius sumus, conducere operarios missi sumus. Quid ergo stas? Finisti iam annorum numerum, festina ad denarium. Hoc est enim exire patremfamilias innotescere: quoniam qui in domo est, in abdito est, non videtur ab eis qui foris sunt: cum autem exijt de domo, videtur ab eis, qui foris sunt, Christus quando non intelligitur, & non agnoscitur in secreto est. Quando autem agnoscatur exijt conducere: ex occulto enim processit ad notitiam: notus est Christus, vbique prædicatur Christus: gloriam Christi, omnia quacunq; sunt sub cœlo clamant.*

Cur enim Deus præmium proponit, si nos appetere illud noluit? Cur conuenit de denario, si nefas est denarium desiderare? Vide in Psalm. 18. Hebr. 11. & 12. Colossi. 1. Luc. 16. 1. Timoth. 4. Colossi. 3. Non est dubium quin primario operandum sit, vt glorificetur Deus, non tamen vetitum est mercedis desiderium, quod est ipsius caritatis, qua æterna cum Deo coniunctio, & eius gloria petitur. Nam aliud non petitur, quam ipse Deus, finis omnium, sine quo nullum opus est bonum.

Denique hæresis illa tollit præcipuam vitæ Christianæ consolationem, & exercitia pietatis: si enim non licet dare eleemosynam intuitu mercedis æternæ, necergo petere à Deo illam fas est; atqueita nobilissima orationis Dominicæ pars excidet, qua regnum Dei venire postulamus. Certe sine beatitudinis intuitu orare non possumus, vt beatitudine Deus nos dignetur.

VERSVS 2.

Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam.

QVÆSTIO I.

Quæ pactio cum operariis est inita?

§. 1. PAtremfamilias & mercenarios in parabola sua Dominus posuit, non Dominum & seruos. Nam etsi omnibus titulis Deus est Dominus, nos serui: vt tamen pacta conuenta, & operandi arbitria laborantibus tribueret, patremfamilias voluit, & mercenarios dicere, qui non imperio dominantis, quasi operæ vinctæ traherentur in agrum, sed promisso conducentis allicerentur, vt lucrosum laborem, quam inane ocium mallent. Ita Deus quoque cum omnia à nobis exigere opera possit sine mercede, venit tamen, & per Prophetas, Apostolosque, mercedis magnitudinem identidem inculcat. Συμφωνήσας itaque, contrahens, & mutuo pacto obligatus, & alios obligans in vineam mittit. Talis pactio, quæ vtrinque ex iustitia obliget inter seruum, & Dominum leges nimiū rigidæ nō agnoscebant. Deus iure suo vti noluit: remittere conductorem & operas agi pronunciat. Hic mutua stipulatio, & acceptatio, mutuaque obligatio cernitur. Non quod non sit absolutissimus dominus, & nos serui: sed quia immensa bonitate ductus personam posuit Domini, & suscepit conductoris, vt nos alacriores habeat vineæ suæ cultores.

Gra-

Gnihilo itaque pactiscitur, nam hoc modo verit Syres: ἵνα κατὰ enim est pactum esse: vt ex pacto reddat. In vineam autem mittit, suam non alienam: Latini codices constanter habent εἰς ἀμπελῶνα μου, in meam vineam. Græca exemplaria variant, & pronomen μου multa omittunt, quemadmodum & Syrus. In vinea igitur domini si quis non laborat, mercedem non accipiet; Quid vero fiet illo, qui etiam eam deseruerit?

§. 2. Spiritalem vineam terrenæ comparari, vitæque æternæ præmium, pecuniæ, qua homines operis sibi præstitas muneruntur, conferri fatetur Caluinus, neque necesse est, hic quoque Deum operam in sua vinea præstitam munerari. Et pactum iniisse inter hominem, ideoque sua promissione obligari. Nonnulli etiam sectatorum Iudæos aiunt hoia prima mercede pacta vocatos, si legem implerent, in gentibus nullas fuisse operum pactiones. Errant illi quod assumunt de gentibus, tenebantur illæ lege naturali, & fidem ex illis multi sine Iudaismo habuerunt. Caluinus importunas illas iudicat argutias. Nam quod Iudæis mercedem operum in lege promiserit, id cautissime effectu pronunciat. Verum errantes ille arguit, & alio errore delictum elidit: nouo vulnere facit vetus. Multi enim Iudæorum legem seruarunt, etsi quandoque eam peccando violarunt, ad eam tamen pœnitendo redierunt, pro lege Dei in carceres, ecculeos, & mortem ierunt. Ideoque mercedem reportarunt, si enim paterfamilias ex condicto munerat laborantes in vinea, an sine mercede eos deseret, qui sanguine eam fidissime defenderunt? Non caruit effectu, quod Deus promisit, etsi enim non in pluribus eorum, in quibusdam tamen, complacitum est Deo. Mercedem ex gratia seu pacto gratuito operibus in gratia, atque ex gratia facta iam pluribus rependit vitam æternam. Qui Abrahamum alloquens clamat; *ego merces tua magna nimis.* Tam enim gratis iustificati sunt Israelitæ, quam Christiani per fidem, sine operibus legis.

§. 3. Porro laboris constituitur denarius diurnus, ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, hoc est, ἐξ τὴν ἡμέραν. Denarium diem. Simili modo ille loquitur in fabulis.

Ingne diem alipedum ius & moderamen equorum.

Syrus בירמא bejauma, in die, vel in diem, nomen etiam denarii retinet, vt notum ex consuetudine, & moneta Romana, qua vtebantur.

Quis vero dubitet hic merita operum nobis indicti; nam συμφωνῆσαι, μισθώσασθαι, conducere, denarius diurnus, omnia significant dari mercedem ex pacto conuento, ideoque patremfamilias ad eam obligatum, etsi non precio, & operum ex se dignitate, sua tamen benignissima largitate: vt nos & plurima, & pulcherrima obsequia seruitutis tam bono patri exhibeamus, & tamen de nobis modestissime sentiamus, certissima ex mera gratia profecta, & ex sola gratia, atque eum gratia consistere. Quæ de re nos docet Concilium Tridentin. sess. 6. cap. 16. & can. 26. Vide & Andream Vegam in comment. in Concilium. Nam ex pacto misericordiæ oritur debitum iustitiæ. Accurata est nostri Soarezii doctrina relectione de remissione meritorum, in opusculis pag. 657. Sed interrogabit aliquis, qui fieri possit vt ex opere misericordiæ immediate oriatur debitum iustitiæ? cum hæ virtutes habeant conditiones repugnantes? Respondetur, etiam inter homines non esse hoc notum; nam liberalis donatio ex misericordia sæpe fit; & illis semel facta iam non possumus secundum iustitiam priuare alterum re donata, vel fructibus eius. Inter homines autem & Deum est hoc multo magis necessarium: nam vt recte dixit Augustinus, de grat. & lib. arb. cap. 6. *Cui daret coronam iustus iudex, nisi prius dedisset gratiam misericors pater, & quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium: quomodo ista debita redderentur, nisi prius illa gratuita donarentur?*

Nec obstat, quod præmium vitæ æternæ sit hæreditas: pluribus enim titulis datur. Hæc vero hæreditas nulli nisi filio adoptato, & patris mandata seruanti confertur. Exponit hoc idem Soarezius eodem loco, pag. 652. Distinguendum ergo in primis est de titulis diuersarum rationum, & eiusdem: nam de prioribus non est inconueniens: imo necessarium, & multum ad perfectionem spectans, quod eadem res, seu gloria pluribus titulis conferatur. Hoc videre licet in doctrina illa Concil. Tridentin. Nam quod gloria debeatur iustis vt hæreditas filiis, ad dignitatem gratiæ spectat, quæ per se & natura sua constituit filium Dei per participationem, & proportionatum intrinsece ad gloriam: quod autem eadem gloria debeatur, vt præmium seu merces ratione meritorum, pertinet ad laudem & commodum ipsius hominis bene operantis, estque titulus diuersæ rationis, quia confert nouum ius iustitiæ, quod filiatio per se non præbebat. *Ex misericordia sit titulus iustitiæ.* *Titulus duplex ex gratia, & opere.*

Vehementer itaque ad virtutem incitat, duplex ille titulus: nam prior alterum requirit.

Vbi autem merces promittitur, merita esse intelliguntur, sed merita quæ virtus Christi semper antecedat, comitatur, subsequitur, & sine qua nulla opera meritoria esse possunt, vt Concil. Tridentin. docet: Vide Staplet. lib. 10. de doctrina iustificationis. Voluit sane spe merendi nos Deus operari, qui etiam meritorum partem in hac vita rependit. Monuit hoc Chrysostom. homil. 16. ad populum Antiochenum: ὥσπερ γὰρ ὁ ζῶν ἐν πονηρίᾳ καὶ περὶ τῆς γεέννης κολάζεται τῷ συνειδότι κεντούμενος. οὕτως ὁ πλουτῶν ἐν κατορθώμασι καὶ περὶ τῆς βασιλείας χαρᾶς μείζονος ἀπολαύστων χρηταῖς ἐντρεφόμενος ἐλπίσι. *id est*, Sicut enim in nequitia viuens, & ante gehennam punitur, conscientia stimulatus: Sic meritis abundans & ante regnum magna fruetur lætitia, se bona spe pascens. *Spes merendi.*

Hoc insuper hic obseruandum est, non imperare labores & pensa operis patremfamilias, sed suadere, vt sit tanto alacrior libertas in eo, quod sponte susceperit. Ita Chrysostom. homil. 56. quæ est 8. de pœnitent. in editione Frontoniana, pag. 695. ἐν τῇ βελῇ κείσθω τῇ σῇ κύριος ἐσω τῆς γνώμης. ἐκ ἀναπάλω δὲ βαρῶ. ἁπλᾶ κατορθώσαντα μὴ στεφανῶ, μὴ κατορθώσαντα δὲ ἐ κολάζω. τὰ μὲν γὰρ ἐξ ὀφειλῆς μνήμονα, καὶ ἐξ ὀφλῆς οὐ πόσον ἔχει μισθόν. τὰ δὲ ἐκ προαιρέσεως, καὶ ἐξ οἰκείας φιλοτιμίας λαμπρὸς ἔχει τοὺς στεφάνους, καὶ πάντων παῤῥησίαν παρέχω μάρτυρα. ἐὰν εὐαγγελίζωμαί φησιν, οὐκ ἔστι μοι καύχημα. Λέγει; ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται. οὐαὶ δέ μοί ἐστιν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι. ὁρᾶς ἐν τοῖς νόμοις ὁ μὲν κατορθώσας οὐκ ἔχει πολὺν μισθόν· ἀνάγκη γὰρ ἦν. ὁ δὲ μὴ κατορθώσας, ἐπιζήμιος ἐστι τῇ κολάσει, καὶ τῇ τιμωρίᾳ. ἐκεῖ δὲ μοι, φησίν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι. ὅπου γὰρ τῶν ἄλλων ἐκ οὕτως ὅπου τῶν ἐκ προαιρέσεως. ἀλλὰ τί; πῶς οὖν μοι ἐστὶν ὁ μισθός; ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον ποιῶ τὸ εὐαγγέλιον, ὃ Θεὸς, εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου. *id est*, In tua est voluntate, tui Dominus es decreti, non mando, non grauo. Illa recte agentem corono, non agentem non punio. Quæ ex præcepto & debito fiunt, non habent eam mercedem, quæ vero electione, propriaque motu splendidas habent coronas. Et in his Paulum testem produco. Si euangelizauero, inquit, non est mihi gloriatio, væ enim mihi si non euangelizauero. Vides eum qui recte quæ legis sunt administrat, necessitas est enim: qui vero non recte agit pœnæ ob- *Merces vitæ tutum.*

noxius est, & supplicio. Vænim, dicit, mihi, si non euangelizauero. In aliis vero, quæ sunt ex libera electione non item. Sed quid? Quæ igitur mihi est merces? Vt euangelizans sine sumptu ponam Euangelium Dei, vt non abutar potestate mea.

VERSVS 3.

Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos.

QVÆSTIO I.

Quibus horis operarios conduxit?

Horæ.

§. 1. MAne, tertia, sexta, nona, vndecima. In horas duodecim partiebantur diem Palæstini. Mane, hoc est, hora prima sub ortum solis egressus est, vltimos operarios conduxit hora vndecima, hoc est, vna ante occasum. Ideo dicuntur vna tantum hora laborasse. Erant vero horæ æstate longiores, hyeme breuiores, quæ tamen varietas tanta non est in loco viciniore æquinoctiali lineæ, quanta in borealibus, aut antarcticis regionibus. Diligens paterfamilias, cui vinea sua electa sit valde cordi, nobis describitur. Quin & hoc ostenditur: nullam ætatem, nullum tempus Dei famulatui non idoneum esse. Ad salutem semper aditum patere.

De horis interpretatio.

§. 2. Horarum diuersitatem varie interpretantur. Orig. Chrysostom. Greg. Beda, Haimo, de cuiusque ætate intelligunt: alii ab infantia, alii in adolescentia, multi in virili ætate, alii in senectute, aut ipsa morte vocantur, vt in cruce latro. iidem fere auctores ad diuersas mundi ætates cum Origene referunt. Mihi literalis sensus esse videtur, vt indicet Deum omni tempore vocare operarios, nam hora prima vocat, pueros, iuuenes, senes, itemque hora vndecima. Semper stat ante ostium & pulsat, sed diuerso tempore veniunt, cum vocantur efficaciter. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum de horis hunc in modum disputat. *Porro si operarius primæ horæ: & tertiæ & sextæ, & nonæ & vndecimæ vnus denarius redditur, & ab eis incipit præmium, qui nouissimi in vinea laborauerunt; & hic non vnius temporis, & vnius ætatis homines describuntur, sed ab exordio mundi vsque ad finem: Vocationum sacramenta sunt diuersarum, prima hora vocatus est Abel & Seth: Tertia Enoch & Noe: Sexta Abraham, Isaac & Iacob: Nona Moyses & Prophetæ: Vndecima gentium populus: cui primo redditur merces; quia in crucifixum credens Dominum difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum: multique reges & prophetæ quæsierunt videre, quæ videmus, & non viderunt. Vnus autem denarius non vnum est præmium, sed vna vita & vna de gehenna liberatio. Cæterum quomodo ad indulgentiam principalem, diuersorum criminum rei dimittuntur de carcere, & vnusquisque pro labore vel operibus suis, in hoc vel in illo statu vitæ est: ita & denarius quasi indulgentia veri principis omnes per baptismum emittit de carcere. Iam nostri laboris est, pro diuersitate virtutum diuersa nobis præmia præparare.*

Denarius non vnum est præmii.

Horæ ætas.

Horæ alioqui de ætate dici solent: vnde celebres ioci Crassi in Deiotarum, & Deiotari in Crassum. Nam Crassus in Parthos proficiscens, cum Deiotarum inueniret nouam ciuitatem opportune condentem, mirari se dixit regem, iam hora duodecima, hoc est, extrema senecta vrbem condere; cui ille: *Nec tu sane matutinus in Parthos moues*, annum tum sexagesimum Crassus agebat, breui Parthicum bibiturus aurum. Fuit & celeberrimi Philosophi liber, *Prodici* nempe, cui titulus ὥραι, in quo Herculis biuium exponit: vbi horas pro καιρῷ, & occasione accepisse videtur, ad hoc commune etiam Syris prouerbium respexisse Dominus potuit. Porro de horis æstiuis longis, hybernis breuioribus multa vereres. Forte & Horæ ab Horo, qui solest Ægyptiis, si Macrobio credimus, atque ita Orientale nomen esse dicendum est.

VERSVS 4.

Et dixit illis: ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.

QVÆSTIO I.

Quomodo daturum se dicit, quod iustum est?

§. 1. Καὶ ὃ ἐὰν δίκαιον, *& quod iustum, &c.* versu sexto primo plerique Græci repetunt, καὶ ὃ ἐὰν δίκαιον, λήψεσθε, *& quod iustum, accipietis*, in Syro est, à vetustissimis Græcis abest. In Hieronymi comm. non est: nec apud Hilarium. Syrus ורעם דולא vmedem deuale, *& quod oportuerit*, aut valuerit, labor, scilicet. Hora vndecima inuenit stantes vers. 7. Græcus addit ἀργοὺς, & Syrus ובטלין vbattalin, *otiosos:*

Hoc profecto indicat ex iustitia dari, quod datur: nam & vnius horæ labori merces respondet: Quod autem ex iustitia datur, non potest sine iniquitate negari. Nec ideo tamen creatura obligatum habet, aut obnoxium sibi creatorem, sed suo promisso ille obligatur, qui seipsum negare non potest, quo minus præstet, quod promisit. Hinc non modo meritorum certitudinem probant doctores Scholastici, sed etiam meritorum, quæ peccatis immortua erant & irrita, reditum, & vt vocant, reuiuiscentiam. Præmium enim, quod semel promissum est, deinde offensione interpositu sublatum, cum in gratiam reditum est, non negatur amico reconciliato: quia integerrima est, & sine vlla offensione reconciliatio. Sic docet Gratian. de pœnit. distinct. 4. §. dicens. Lombardus 4. sentent. distinct. 14. & eo loco S. Thomas quæst. 2. artic. 3. & pag. 3. quæst. 89. artic. 5. Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram. pag. 14. cap. 9. Alensis 4. p. memb. 4. artic. 6. Henricus quodlib. 5. quæst. 24. Bonauent. distinct. 14. 2. Richardus artic. 8. quæst. 2. Scotus distinct. 22. quæst. 1. artic. 2. Maior quæst. 1. Almainus quæst. 1. artic. 2. Occanus in 4. quæst. 9. Adrianus in 4. quæst. 2. de satisfact. Durand. in 3. distinct. 31. quæst. 2. Caiet. 3. p. quæst. 89. art. 5. Soto distinct. 18. quæst. 2. artic. 2. Verum hoc omitto, quamuis verum sit, vnicum hoc vrgeo, id quod iustum est, promittitur, & patrem familias contra murmuratores excipere: *Tolle quod tuum est; non facio tibi iniuriam.*

Datur ex iustitia.

Merces.

Præmium reuiuiscit.

Facturus erat iniuriam, si non dedisset, quod pepigit, si alter suum non tolleret: non est *Deus iniustus, vt obliuiscatur operis nostri.*

VER-

VERSVS 13.

At ille respondens vni eorum, dixit: amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum?

QVÆSTIO I.

Quomodo non faciat iniuriam?

§. 1. BLandè paterfamilias appellat murmurantem: ἑταῖρον socium, amicum appellat: quamuis etiam ignotos ita appellare consueuerunt, ciuilitate & præsumptione amicitiæ; Eodem modo Syrus חברי *chabri*, quod socium, & adhærentem significat. Dare autem se id, de quo conuentum est, profitetur, συνεφώνησας μοι, inquit, *conuenisti mecum.* Sancta sint pacta nostra. Iniquum est pactum nostrum rescindi mea in alios liberalitate, ita in alios benignus esse volo, vt non præiudicem libertati meæ, vt non acquiras ius exigendi vltra condictum, quia aliis dono supra meritum. Non diffitetur paterfamilias hactenus institiam esse, quod præstitit, iniuriam fore si denarium meritis neget, non tamen plus denario debere contestatur. Non igitur dando quod conuenit, iniustus est, nec operis primorum oblitus est, sed eorum sententia stetit, satis illi esse denarium antea iudicarant, nec plura, nisi visa in alios benignitate petissent. Ita Origenes, Hilarius, Gregorius, glossa in hunc locum, & D. Thom. in catena.

Defuit se parumimitatus.

Ita & Augustinus sermon. 69. de verb. Domini: *Sodalis non facio tibi iniuriam: hoc est, te non fraudaui, quod placuit, reddidi tibi: Fraudem tibi non feci, quicquid pactus sum, reddidi tibi. Huic non volo reddere, sed donare. Non licet mihi facere quod volo de meo? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum, si alicui tollerem alienum, recte reprehenderer quasi fraudator & negator alieni, cum vero debitum reddo, & cui volo etiam dono, nec cui debebam potest me reprehendere, & cui donaui, debet amplius gaudere. Non erat quod responderetur: & aequati sunt omnes, & facti sunt nouissimi primi, & primi nouissimi, quia tantundem acceperunt & primi & nouissimi.*

Merces ex iusto, ex merito.

§. 2. Mercedem vero, quæ ex pacto datur, etiam ex merito dari, nam datur ἐκ τοῦ δικαίου ex iusto; satis constat, docetque Bellarmin. lib. 2. cap. 14. de gratia & lib. arbitrio. & lib. 4. cap. 9. Mercedem vero iusti exspectant ex gratuito promisso, & gratia. Augustin. de gratia, & libero arbitr. cap. 4. *Sed metuendum est, ne ista omnia diuina testimonia, & quæcunque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrii sic intelligantur, vt ad vitam piam & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratia Dei locus non relinquatur: & audeat miser homo quando bene viuit & bene operatur, vel potius bene viuere & bene operari sibi videtur, in seipso & non in Domino gloriari, & spem recte viuendi in seipso ponere, vt sequatur eum maledictum Hieremiæ Propheticè dicentis: Maledictus homo, qui spem habet in homine, & firmat carnem brachii sui, & à Domino discedit cor eius.*

Atque hæc sententia omnium Catholicorum liberum arbitrium cum gratiæ adiutorio coniungentium.

Porro iniqua fuit querela murmurantium, quamuis ex gratia rogare poterant, vt daretur amplius. *Vna hora*, inquiunt, *fecerunt*, ἐποίησαν, nempe τὸ ἔργον, opus: more Hebræo עברו ghabedu, *operati sunt. Et pares illos nobis fecisti, qui tulimus pondus diei, & æstum.* Non queruntur sibi sua non data, sed cæteris data paria. Quod enim satis esse putauerant, in comparatione alienæ mercedis, vt exiguum contemnunt. Humanæ cupiditatis affectus, maxime si accendat inuidentia, non satiatur, non acquiescit. Plus petunt, dum plus sperant.

Nulla contra iudicem querela.

§. 3. Non erit in beatis extremo die aut murmur, aut oculus malus, nulla inuidia, nulla æmulatio, Deo omnia supra omne meritum remuneranti nemo, ne damnatorum quidem, obstrepit. Hoc autem exemplo ostenditur: Tantam fore, tamque inopinam in præmiorum diuersitate remunerationis admirationem, vt si querela locum haberet, id dicturi essent, qui minus exspectatione accipiunt; aliorum inquam non sua. De se enim modestissime quisque sentiet. Videbunt enim abiectos aliquos, alios de quorum virtute nulla fuit existimatio, præferri multis, quorum in Ecclesia fuere magni labores, & vtiles. Multa eiusmodi exempla passim recensent historiæ, insigne est, quod de Alexandro Carbonario Nyssenus narrat. *Mittitur*, inquit in vita Gregorii Thaumaturgi, *ad eum legatio, quadam ciuitate finitima, vt ad ipsos veniret, ac per sacerdotium Ecclesiam apud eos constitueret. Cumana autem ciuitati nomen erat, cuius vt hospes magnus ille vir esse vellet, passim omnes hanc sibi fieri gratiam deposcebant. Cum ergo ad ipsos venisset & dies aliquot degisset, suisque tum factis tum dictis magis eorum ad mysterium cupiditatem accendisset; ac iam tempus esset, vt eorum quoque legatio ad finem perueniret, & designaretur aliquis ipsorum Ecclesiæ antistes: tunc præcipui quique de magistratu in hoc occupati erant, vt curiosè inquirerent ac scisciterentur, qui eloquentia, qui genere reliquoque vitæ splendore cæteros excellere viderentur. Existimabant enim, quoniam etiam his ornamentis magnus Greg. cumulatus erat: nec illorum quidem oportere expertem esse eum qui ad hoc munus perueniret. Cum autem in multas partes suffragia scinderentur, & alii alium in electione præferentes; exspectabat vir ille magnus aliquod sibi diuinitus dari consilium ad id, quod erat propositum. Et quemadmodum Samuel in iudicio eligendi Regis, fertur non esse admiratus pulchritudinem ac magnitudinem corporum; sed animum regium requisiuisse, etiamsi in vili ac contempto corpore forte reperirentur: eodem quoque modo ille, studiis singulorum, qui per suffragia destinabantur neglectis id vnum solum spectabat an aliquis etiam antequam renunciaretur industria vitæ & virtutis in moribus sacerdotium ferret: Cum autem illi quidem eos quibus sua dederant suffragia cum laudationibus adducerent, vnusquisque eum qui à se eligebatur producens: ille vero, vt etiam viliorum, quod ad vitæ speciem attinet, rationem haberent, eiu iuberet; fieri enim posse, vt etiam in talibus reperiatur aliquis, qui animi bonis antecelleret eos, qui vitæ splendore præstarent: quidam ex iis, qui præerant suffragiis ferendis, hanc magni Greg. sententiam, pro derisione reputabat; si ex iis, qui dicendi facultate & dignitate, & manifesto vita testimonio præstati sunt aliis, nullo ad sacerdotium admisso, ex illiberalibus ac mechanicis, sordidisque artibus ad eiusmodi munus aliqui digniores existimarentur; & simul ironice ad eum loquens: si hæc, inquit iubes, vt ii qui sunt eiusmodi, & à tota ciuitate delecti despiciantur, atque ex quisquiliis assumantur, tempus fuerit, ad sacerdotium vocare Alexandrum Carbonarium.*

Sic iudicabant seniores & optimates ciuitatis. ὥρα, inquit, ἐστι λοιπὸν τὸν ἀνδρακέα καλεῖν ἤδη τὸν ἱερωσύνην Ἀλέξανδρον. *Hora tibi est Carbonarium ad sacerdotium vocandi Alexandrum.* Deinde cum risu in medium producitur. Hæc talia innumera in extrema die contingent, quia alia sunt Dei iudicia, alia hominum.

§. 5. Liberum arbitrium merces promissa confirmat, si enim non est liberum arbitrium petentis pon-

Liberũ arbitriũ mercedis capax.

dus diei & æstus, non magis operario, quam rastro aut sarculo merces debetur. Vbi est enim sine iudicio & voluntate libere agente labor, non potest dari præmium. Nec aratro quisquam agriculturæ mercedem persoluit, atteritur enim & perit: Paciſci non nisi cum liberis operis Deus potest: apud quem enim non est suæ voluntatis arbitrium, is nec obligare se potest, nec alterius promissionem accipere. Vsus est hoc argumento Hieronymus Tom. 3. Epist. ad Damasum, vt probaret arbitrii libertatem. Merces enim promittitur, vt liberam voluntatem alliciat; nec enim in necessario agentibus locum habet, vel promissio, vel minæ.

Manichæorum autem est liberum damnare arbitrium. Hominum damnare naturam, liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere, vt in procœmio aduersus Pelagianos idem Hieronymus.

Opera ad salutem necessaria.

§. 6. Eadem pactio etiam demonstrat bona opera ad salutem necessaria, eamque non dari, nisi operum conditione expleta. Denarius enim ex pacto conuento datur, & datur illis, qui pertulerunt pondus diei, & æstus. Datur & illis, qui vna hora laborarunt; non datur tamen ociosis, sed qui ἐπόησαν, qui opus ruri fecerunt. Datur supra quam iustum est, sed datur tamen aliqua pars quam non dare iniustum esset; nempe pars duodecima denarii, quam ex proportione meriti videbantur. Sola itaque illa parabola ad impiam & pernicioſissimam hæresin confutandam sufficit, cum tota eo dirigatur, vt ostendat, nos à Deo promissione mercedis ad laborem vocari, & operatis iustam mercedem rependi. Est quidem gratuiti amoris Deo seruire, sed quia tamen se ipse mercedem esse demonstrat, non est vilis mercenarii, sed ingenui filii, eò per labores tendere, vt in patris conspectum complexumque perueniat, patre fruiturus.

VERSVS 14. & 15.

Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

QVÆSTIO I.

Cur dare vult postremo, quod & primo?

Paterfamilias suo iure vsus.

§. 1. PAterfamilias vir grauis, & opulentus, vt qui per œconomum soluat operariis, decorum seruat; non enim cum operariis contendit: Ius suum, libertatemque in erogatione mercedis tuetur. Causam non adfert, cur pares faciat, quorum tam impar fuisse labor videbatur. Itaque non arguit priores negligentiæ, aut culpæ alicuius, nec vnius horæ laborem præfert totius diei ærumnis: si enim hoc faceret, de suo iure cederet, & responsandi occasionem præberet: suas enim operas carè quisque æstimat: & suam industriam ignauissimus præcipue venditat. Merito autem ita respondet; nam murmurator iniuriam inferebat, cum plus petit, quam erat conuentum, & iudicat iniuste de aliena liberalitate. Itaque satis illi erat, ostendere se iniuriam nulli facere, sed ab iniquo tricone, & appellatore accipere. Statuendum tamen est, patrifamilias iustam fuisse causam, cur in postremos, potius, quam primos munificentia vti voluerit, sed cur rationes illas operario proponeret, nulla causa fuit. Itaque ius suum allegat. *Non licet mihi facere quod volo?* Græce additur: ἐν τοῖς ἐμοῖς, *in meis.* Syrus, *de illis quæ ad me pertinent.* Legit etiam ita Augustin. sermon. 39. Franciscus Lucas putat addendum, Zegerus omittendum existimat; Correcta omittunt: quod signum à melioribus libris abfuisse: & ex glossa irrepsisse. sic in Græco etiam varie legitur illud: *conueniſti mecum,* συνεφώνησάς μοι, in aliis est συνεφώνησά σοι, *Conuenis tecum.*

§. 2. Ioannes Piscator Caluinianus, Deum Iudæis promisisse mercedem ex propriis meritis dicit. At non alio modo illis, alio nobis promissa est salus. Illi gratuitam peccatorum remissionem per fidem in mediatorem, sunt consecuti, sicut & nos. Quemadmodum Abraham pater omnium credentium iustificatus est, & saluatus, ita cæteri omnes. Ille fide sine operibus legis, fide & operibus gratiæ saluus factus est. Cum iustus fuit, fide & operibus meruit vitam æternam, gratiæque augmentum.

§. 3. Qui ex vno denario omnium in cœlo præmiorum æqualitatem colligunt, scripturis contradicunt. Nam in domo patris nostri mansiones multæ sunt. Ioan. 14. 1. Corinth. 15. *Alia est enim claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, & differt stella à stella in claritate.* Denarius igitur vnus, vna est vita æterna, Dei visio, fruitio, omnes stellæ sunt, omnes fulgent, omnes in cœlo sunt, non omnium tamen par est splendor, non eadem eminentia. Ita Ambrosius Epistol. 81. Augustinus Epistol. 51. Gregorius lib. 4. Mor. cap. 42. Hieronymus tractatu contra Iouinianum pene toto.

§. 4. Ex æqualitate tamen denarii, multi mercedis æqualitatem vrgent; vt quid enim primi murmurant, si non sunt pares? si singularis eminentia atque honor est datus toto die operatis? Pares non sunt, si in eadem domo aliis alii sunt prælati. Supra respondi non fore illo in loco aut tempore murmurationes, aut inuidiam, cum sit vnusquisque proximum amaturus vti seipsum. Occasio tamen murmurandi dari videbitur, more humano rem considerantibus, quod multi, quarum diuturni, & ærumnosissimi fuisse videbuntur labores, non maiora, quam alii ex paruis & breuibus accipiant præmia. Humana enim iudicia viros celebres, & in dignitate positos admirantur, eos collaudant, pauperes negligunt. Quin crebro fit, vt sanctos Episcopos, sacerdotes, principes, eremitas, quorum apud homines est magna opinio, & apud Deum vera sanctitas, crebro alicuius adolescentis, aut viduæ, quam nemo, nisi cum perret eleemosynam, norat, præmia superent. Exemplum de Carbonario Alexandro attuli, aliud de Dorotheo refert Alphonsus Rodericus tract. 5. cap. 1. exercitii religiosi. Vbi seriò murmurant, sed à Deo tamen melius instituti quiescunt.

Hactenus ergo pares sunt, vt omnes sint beati, & in æternum beati, clarâ Dei visione, & amore. Nec magnoris aut minoris gloriæ discrimina faciunt operæ duntaxat, sed cõtentio animi, feruoris, & caritatis magnitudo, qua fit, vt vnico actu, ac breuissimo aliorum mediocritas æquetur. Paritas igitur est præmii, vbi omnium rerum est æqualitas, temporis, laboris, charitatis, alacritatis, si aliquod horum sit inæquale, etiam similitudine analogiâ erit imparitas mercedis. Quemadmodum in itinere

itinere faciendo non longitudo temporis, sed viæ spatium confectæ compensatur. Nec minus præmium obtinet, qui vno mense, quam qui anno integro præscriptum confecit iter. Hinc in causa apparet diuersa merces. Augustinus de dono perseuerantiæ cap. 8. T. 6. p. 560. d. 2.

Sed cur, inquit, *gratia Dei non secundum merita hominum datur? Respondeo, quoniam Deus misericors est. Cur ergo*, inquit, *non omnibus? & hic respondeo: quoniam Deus iudex iustus est, at per hoc & gratis ab eo datur gratia: & iusto eius in aliis iudicio demonstratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaq; simus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, vt si inde neminem liberaret non esset iniustus. Ex vno quippe omnes in condemnationem non iniustam iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Sic in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas inuenitur.*

Et sermone 69. de verbis Domini. *Alioqui non est omnium præmiorum æqualitas.* Qui vult, *inquit, Christus*, maior inter vos fieri, sit omnium minister. *Diuersi igitur sunt in illâ gratiâ gradus, & prærogatiuæ, quorum discrimina non tam externo labore, quam animorum virtute constituuntur.* Prosper de gratia & libero arbitrio cap. 6. In æqualitate qua nouissimi patres facti sunt primis gratiam agnoscit. *In parabolâ*, inquit, *de his qui laborant in vinea, dari idem præmium eandemq; mercedem omnibus, siue multum siue parum laborauerint, vt ij qui multo labore sudarunt, nec amplius quam nouissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non operum acceptasse mercedem.* Gratiæ mercedem, inquit, pro magnitudine enim gratiæ, qua donati sunt, & charitatis ardore, non pro laborum diuturnitate merces datur. Merita enim sequuntur non antecedunt gratiam. *Merita enim tua ab ipso sunt*, vt docet c. 6. & c. 7. *Coronat illa Deus vt sua dona non tua merita. Non ex operibus tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his quibus te Deus finxit*, id est, *formauit & creauit.* Constat autem ex his quod Theologi docent, Deum remunerari opera supra condignum, sola liberalitate, idque pro suo arbitrio. Dat enim maiorem mercedem quam accipere mereantur, quod Andreas Vegas contra plerosque negat. sed ex Matth. 5. Luc. 6. & 19. satis colligitur. Cyprianus Epistola 75. *In Baptismo ad æqualem denarium vocari, postea pro conuersatione atque actu nostro minui vel augeri.* Vide & Remigium, Rabanum, Abulensem, Gregorium, D. Thomam. Æqualitas autem ex charitate, tanto quisq; melior quo maiore charitate operatur.

Donum gratiæ non operum mercedem Augustinus appellat: non est enim operum in se spectatorum, sed gratiæ, & operum ex gratia bonorum merces.

§. 5. Quod Musculus in locis communibus hinc merita sanctorum oppugnat, more suorum facit, cum omnibus fere verbis merita Christus asserat. Et ipsa æqualitas sit indicio, præmia respondere datæ in hac vita gratiæ, non præcisè laborum, Bonum certamen certauit Apostolus 2. Timoth. 4. & reposita est illi corona iustitiæ, quam reddet iustus Iudex, sed non tantum laboris, & ærumnarum, quantum charitatis æstimator. Dona sua quæ in nobis æstimat, etiam remunerat; August. hom. 50. & hom. 14. *Reddet*, inquit, *mihi coronam iustus Iudex, debet ergo quod reddit, reddet ergo iustus Iudex, non enim opere inspecto, potest negare mercedem, qui opus inspexit.*

Ar mirum non est, sectarios sanctorum meritis obstrepere, qui etiam Christi morti, & sanguini meritum adimunt. Calvin. l. 2. instit. c. 17. *Etenim facior, si quis per se & simpliciter Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore locum meriti, quia non inueniretur in homine dignitas, qua posset Deum promereri.* At in Christo est dignitas, quæ est in homine, & quæ in Deo, à persona habent dignitatem, ab infinita infinitam. Mirari tamen conuenit, non deesse, ex illo grege, qui apud eundem Caluinum colligunt: *quia non operum meritis acquiritur cœlestis hæreditas, sed gratis donatur, æqualem fore omnium gloriam. Quibus ille respondet; non disputare Christum, vel de cœlestis gloriæ æqualitate, vel de futuro piorum statu: sed hoc tantum pronuntiat, causam non esse cur glorientur, vel aliis insultent, qui tempore sunt priores: quia Dominus, quoties ita placuerit, vocare poterit, quos visus est ad tempus negligere, eosq; vel æquare vel præferre prioribus illis:* addit; exactam partium discussionem esse mixtam curiositate. Sunt illa in Zwinglium dicta, qui ex Origene & aliis distinguit tempora, & *sub horis quæ vndecimam antecesserunt, nihil effectum dicit.*

Quod à Domino satis refutatur, cum denarium etiam cæteris horis respondere demonstrat. Omnibus enim datur merces secundum opera sua. Nec rectè Caluinus ex sola vocatione rem definit; qui enim diuersa præmia admetitur, etiam gratiam, & gratiæ opera varia præstitit; ex illis enim præmia sequuntur. Media enim, ad finem solent fini esse proportionata. Cui vero Deus finem conferre decreuit, eidem prædestinauit & media. Qui enim ostendit Apostolo, quantum pati eum, pro Christi nomine oporteret, etiam pariter significauit modicum passionis æternum gloriæ pondus operari in cœlo.

Media fini analoga.

QVÆSTIO II.

An electio sit ex præuisis meritis?

§. 1. NOn disputo generatim quæstionē inter sectarios etiam controuersam; sed quantum fieri potest, ad huius loci intelligentiam. Theologi qui dari mercedem ex præuisis operib. contendunt, mercedis redditionem pro argumento habent. Operarios enim vocari imperat Paterfamilias, illisq; mercedem reddi; Mercenario operi datur, regnum datur vt merces, datur non otiosis, sed laboriosis, & ex condicto operatis. Quin etiam eâdem conditione promittitur. *Ite in vineam, & quod iustum fuerit dabo vobis.* Hic igitur ordo est executionis, vt propter opus dare velit regnum. At quod in tempore facere Deus solet, id ab æterno decreuit, atque ita cum omnibus circumstantiis efficere statuit, vti reipsa facit. Nusquam enim actio à decreti ordine discedit.

Ordo executionis, & decreti.

Aliorum sententia contraria est. Prius ad gloriam elegisse; deinde merita ordinasse: Nec argumento allato mouentur. Alium namq; ordinem præuisionis, & executionis esse sentiūt. Primo enim in signo rationis homines & angelos gratuito amore dilectos, & electos ad vitā æternam, sine vllo meritorum respectu; In altero ordine autem electis & dilectis gratuito, constituisse gloriam non nisi per media, fidem, spem, caritatē in executione conferre. Itaq; negant Deum aliud in tempore facere, aliud ab æterno constituisse. Nam æterno decreto definiuit; non modo nulli nisi per media gloriā conferre, sed singulas etiam mediorum partes, circumstantiasq; præuidit. Non tamen per ea, vel propter ea elegit, per quæ dedit, & per quæ dare decreuit. Est enim gloria æterna effectus datæ gratiæ, gratia prædestinationis. Paulum gratuito elegit, cum fureret aduersum Christianos, idq; sine vllo meritorum etiam futurorum respectu. Electo autem gratiam magnam, scientiam, labores, aliaq; decreuit, per quæ in salutem æternam liberrimè, & infallibiliter deduceretur. Ita & Paterfamilias ad præmium has operas delegit: non suâ causâ, quasi opus haberet eorum industriâ, sed vt præmium conferret, hoc tamen dare noluit, nisi postquam vineam excoluissent. Probabilis est vtraque sententia. Priorem tuentur etiam Arminiani,

Electio prior.

nam electionem statuunt esse ex fide præuisa: meritũ tamen non agnoscunt. Consulat lector scripta Vorstii, Greuinckhouii, aliorum. Ex præuisis actionibus dari etiam multi veterum censuerunt. Hierony. Rom. 8. & 9. & Galat. 1. & Epistol. ad Hedibiam. Chrysostomus homil. 16. & in Epistol. ad Ephes. Theodor. in Rom. 8. & 9. Theophylactus eodem loco. Anastasius Nizenus lib. de quæstionibus Scripturæ, quæstio. 59. Imo innuit Augustinus libr. 1. ad Simplicianum quæstio. 2. T. 4. Vbi de his longa est disputatio ad caput 9. Epist. ad Rom. pertinens.

Verumtamen multis ille locis expresse asserit, electionem præcedere. vt lib. de corrept. & gratia, & Rom. 8. & 9. ostendi. Aliter tamen Prosper lib. 2. cap. vltimo de vocatione gentium. Fulgentius lib. 1. ad Monymum. Hugo in Epistol. Rom. Ex hoc igitur loco nihil vel in hanc, vel illam partem concludi potest. Nam opera & merita finem & executionem, adeoque decretum Dei, quod de executione factum est, non electionem ipsam respiciunt.

QVÆSTIO III.

Quis oculus malus?

Oculus malus inuidia.

§. 1. OCulus malus, seu oculus nequam, qui πονηρὸς dicitur, recto, bono, simplici opponitur. Præcipue inuidiam, & liuorem designat, qui etiam in vultu tacentium, quodam nubilo se prodit. Oculus vero, vt Matthæi 6. Lucæ 11. animus est vitiosus & malignus, sicut oculus bonus, animus bonus, & liberalis. Ecclesiastici 31. Inuidia sic appellatur. Merito autem oculorum nomine totus homo describitur. Nam ingenium oculorum formâ & colore deprehenditur. Oculi animorum indices sunt, etiamsi latere velint. Ideo simulatores solent præcipuè oculos erudire, vt sese animo accommodent. Vt enim oculus integram hominis effigiem reddit, ita quoque integri hominis est imago, nisi summo artificio fallat. In oculis luxuries, ira, inuidia, omnia vitia, virtutesque & affectus boni residunt, in his animus habitare dicitur.

§. 2. Bullingerus eos *notari asserit: qui cum Petro clamant: ecce nos reliquimus omnia.* Calumnia est in religiosos, qui non ignorant, multis, qui in mediis diuitiis & honoribus versantur, maiora caritatis præmia decernenda, quam sibi: & si illis inuident, iam sua perdiderunt, de alienis bonis dolendo. Petro autem Christus nec inuidentiam, nec aliud vitium obiicit, sed perbenignè respondet, nec Apostolos nouissimos dicit esse. sed potius sessuros super duodecim thronos, & iudicaturos.

VERSVS 16.

Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, multi enim sunt vocati pauci vero electi.

QVÆSTIO I.

Qui primi, qui nouissimi?

Primi.

§. 1. HOrtatur Apostolos, ne ideo securi sint, quia primi vocati sint, neue aliis insultent. Fieri enim, vt primos multi ex posterioribus antecedant. At qui primi, qui nouissimi sint, magna est controuersia. Chrysostomus primos esse Iudæos, qui initio vocati salutem respuerunt, & eos Christianos, qui è virtutis fastigio in vitiorum barathrum inciderunt. Nouissimos enim hos factos, quod deterrimi sint esse, & grauiore damnatione plecti. Nouissimos autem qui facti sunt primi eos esse, qui è vitiis emergunt, & ad virtutem eluctantur.

Barradius noster etiam de Iudæis & gentibus interpretatur ex Luc. 13. 27. cum diceret Christus: *multi sunt vocati*, & v. 24. Quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt.

Adiungit: *Et ecce sunt nouissimi, qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt nouissimi.*

Si igitur apud Lucam nouissimi sunt, qui regno excidunt; igitur & apud Matthæum. Vt cum huic interpretationi obstare videtur, quod primi etiam, & intermedii denarium accipiunt: omnes igitur beati sunt. Nec ob querelas primos Paterfamilias denario priuat, sed, Tolle, inquit, quod tuum est. Volo huic dare sicut & tibi. Respondent huius sententiæ auctores, non omnia, quæ in parabola sunt, accommodanda esse, quod verum est: hic tamen locum illa exceptio non potest habere. Non enim emblema est denarii solutio, sed ad ipsum corpus parabolæ pertinet; de denario pacti sunt, aliis promissum id quod iustum est, id non est ornatus, sed significationis causa positum. Totum autem in eo versatur parabolæ mysterium, quod & qui hora vndecima, & nona, & sexta, & tertia venerunt, acceperint denarium, vnum eundemque, & nouissimis primo persolutum sit, itaque, & ad mysterium pertinet, quod primi acceperint denarium. Non autem illi de damnatione, sed paritate præmii queruntur. Itaque à patrum sententia nolim recedere, qui comparationem, inter beatorum præmia docent institui. Quod si primi accipientes denarium, & murmurantes, non faciunt ad parabolæ integritatem, nec accommodari eam partem ad aliquam significationem oportet, nec ergo etiam pactum de denario significationem habet. cur enim pactus est, si non dedit? si illa igitur, quæ cum primis acta sunt, nihil significant, sed decoritantum gratia apponuntur, par ratio etiam de aliis instituenda erit. Ideoque tota parabola sine vlla significatione fuerit. Tota enim eius vis & Oeconomia versatur in comparatione temporis, quo laborarunt, & æqualitate mercedum, conferunturque primi, & nouissimi. Quæ collatio locum non habet, si primis damnatio, nouissimis beatitudo obuenit.

Primi igitur dicendi sunt, qui prima ætate vel tempore vocati Deo seruierunt, magnosq; pertulere labores, quos tamen alii postea vocati, & exiguo spacio in vinea Domini laborantes meritis adæquarunt, quibus eadem proinde merces persoluitur.

§. 2. Bullingerus primos vocat, qui suis meritis fidunt. Nouissimos, qui de meritis nihil præsumunt. Et Musculus. Docent enim illi in primis impietatem esse cum iactantia, eos exprobrare DEO sua merita.

Respondeo. Ad improbam eos sententiam bonorum operum & meritorum odio pertrahi. Adeo vero insaniunt, vt causam suam aduersus Petrum, imo Christum agere instituant. Petrum ait iactasse sua merita. & ambitiosè quidem. Quod si meretrix ille relinquendis omnibus existimabat, Catholicorum igitur in sententia erat, qui merita agnoscunt, in eo tamen peccabat, quod ea ambitiosè iactaret. Imo si Caluinianis credimus, in Christum erat iniustus, infidelis & hypocrita; nam tales eos esse contendunt, qui merita bonorum operum esse concedunt. Hoc enim crimen in Petro non leuius esse potuit, quam in nobis, si crimen fuisset. At nec Christus eos accusat hypocriseos, & iactantiæ, nec nos crimen fingere oportet,

ret, vbi Christus præmium pollicetur. Ambitioni autem & errori de meritis debebat resistere, non firmare mercedis pollicitatione hæretin. Debebat enim dicere. Omnibus relinquendis nihil meriti estis, sed peccatum suâ natura mortale à vobis commissum est, peccatũ nullo præmio remunerandũ, sed millies millies inferno dignũ. Verum longè alia mens filii Dei, verba vitæ æternæ habentis. Nam proposito brauio ad certamen discipulos hortabatur. Absurdissima igitur est interpretatio, Primi, hoc est, hypocritæ, qui spretâ Christi gratia suis confidunt meritis, vt Petrus & Apostoli, erunt nouissimi: Hoc est: Æternùm damnabuntur. Et nouissimi, hoc est, qui non confidunt suis meritis, sed de electione suâ certissimi sunt, erunt primi, hoc est, Primæ in cœlesti gloria dignitatis. Itaq; primi qui toto die laborarunt, hypocritæ fuerunt, iuxta aduersarios, denarium pactus est Paterfamilias, sed labores rogo pensauit, imo denarius, quem dedit, inferi fuerunt, & illi adeo stolidi, vt plus peterent. Neque obstat textus apud Lucam. Eædem enim conclusiones ac sententiæ ex diuersis deducuntur; & ad varia probanda adhibentur, vt alias ostendi.

QVÆSTIO II.

Quomodo multi vocati, pauci electi?

§. 1. CVm nouissimorum & primorum commutationem prædixisset, concludit generali rem sententia. Multos vocatos, paucos electos. Ne quis miretur quod dixerat. Primos fore nouissimos, & è contrario fore nempe, vt illis qui longissimo tempore in Ecclesia laborarint, æquentur alii, quorum exiguo tempore floruit industria: subiicit sententiam sane terribilem, modò primos vocatos cedere sæpe posteris, verum etiam ipsos vocatos, post longos in vinea labores repudiari & præmio excidere. Non modo non excellunt, sed omnino pereunt aliquando, vt in Lucifero, in Origene, Tertulliano, alisque exempla nos edocent. Argumentum est igitur à minore. Si enim id fit in Ecclesia, quod minus conueniens, magis absurdum esse videtur; vt nempe retro acti labores in irritum cadant, nec vlla præmia sed æterna damnatio fatigatos accipiat, quia defuit perseuerantia, quæ est tantum electorum: mirum videri non debet, inter ipsos vocatos non esse ex tempore vocationis, etiam operum merita, & mercedis disparitatem; quid enim nouissimis contingere dicemus, si opinione minorem mercedem accipiant, cum multi excidant, pauci saluentur. Itaque priores non modo sequentibus se opponere non debent, sed etiam vereri, ne cum posteri sint electi, ipsi sint reprobi. Atq; hæc ita dicuntur, non quod non etiam nouissimorum aliqui excidant, nam hoc par est periculum omnibus, quacunq; hora vocatis, sed quia magna admiratio, & conturbatio oriri solet, cum manifestè desciscunt illi, quorum diu in Ecclesia spectatus labor & vita probata est.

§. 2. Caluinus cum negasset, priore sententia qua dicuntur, Primi fore nouissimi, & nouissimi fore primi, conferri Iudæos sentibus, aut reprobos electis; *minime quadrare*, asseuerat, *quæ à quibusdam inter scribitur sententia; multi vocati, pauci electi.*

Christi. Quadrare sententiam iam ostendi, & qui id negat, Christi authoritati derogat. Additur etiam particula causalis, vt appareat alicuius esse dicti probationem. Imo etiam Caluini expositio admittere sententiam illam potest. Ille hoc Christum voluisse existimat: Eum qui prior vocatus est, alacrius currere oportere: alios ad communem palmã admittere libenter. Apostolos verò; quia Ecclesiæ primitiæ fuerũt, eximiũ sibi aliquid sumere, eos moneri etiam. Alios, qui postea vocandi sunt, eiusdem gloriæ fore. Quia Deus nemini obstrictus sit, sed vocare quoscunq; vult, & vocatis præmiũ quale visum est, rependere. Summa igitur est: Inter eos qui prius aut posterius vocati sunt, præmium non esse maius, aut ex temporum diuersitate. Imo crebro vocatos ex integro deficere.

VERSVS 17. 18. 19.

Et ascendens Iesus Ierosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis & condemnabunt eum morte, Et tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum & tertia die resurget.

QVÆSTIO I.

Cur passionem prædixit?

§. 1. ASCendit Ierosolymam ad agnum paschalem immolandum, & vt ipse verus agnus, pro mundo cadat victima. In Græcis additur ἐν ὁδῷ, *in viâ*, quod etiam Syrus habet; vetus interpres non legit. Iam passionem tertiò prædicit, vt minus turbentur, nam videnti fieri, quod prædictum fuit. Secreto autem id facit, turbæ nondum id constare voluit בינותי ולחון *bainuhi valhun, inter se & ipsos*, habet Syrus. Discipulos autem præcipue animari meditatione tanti certaminis oportuit, ne animo deiicerentur, & spem omnem præcisam Domini morte existimarent: deinde labores & crucis contumeliam, non autem quietem & mundi dignitates sibi proponerent. Cognoscerent etiam Dominum sponte, non coacte in mortem toties prædictam ire, vt se etiam resurrectionis spe erigerent, postquam primam prædictionem euenisse vidissent. Ita Chrysostomus, Theophylactus cæteri. Voluit & nobis idem in memoriam reduci, quâ in re nostra salus consisteret, quo nos precio redemerit.

VERSVS 20.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.

QVÆSTIO I.

Quid Salome petit?

§. 1. MArcus cap. 10. 35. Filios ipsos accessisse dicit: Nam ab ipsis initium petitionis erat, *trem* Per mã- *pe-* *tunt.*
matrem illi subornârant, hæc filiorum ambitioni matternis notis subseruit, Αἰσχυνόμενοι, inquit Chrysostomus. ὀφθέντες τὸ πάθος τῶν τέκνων, *pudore scilicet ambitionis matrem producunt.* Audierant de sedib. duodecim, inter eas sibi primas

primas postulant. vt Chrysostom. Victor Antiochen. Beda, Theophyl. Quin mater veluti metuens repulsæ, generatim petitioni præstruit, ne negaretur, quod peteret.

§. 2. Importuna sane postulatio, cum Dominus de morte & cruce ageret, serui primatum, & honores ambiunt. *Nesciebant* porro *quid peterent*, quod regnum Christi sæculare, & omnibus monarchiis præstantius fore existimarent. Hæc esse etiam suorum vota docet Bullingerus.

Postulata Zvvinglianorum.

» [Pariâ hodie vota inueniuntur in omnibus propè hominum ordinibus. Magistratus in Euangelio quærit dispensationem, vtinam non direptionem opum Ecclesiasticarum: Concionatores quoque ipsi » Euangelii prædicatione venantur honores, opes, vul» gi fauorem, & gloriam huius sæculi: at promiscua » plebs sperat se in libertate Euangelica reperturam, » quod decimas & census nullo diuino iure pendat. » Breuiter, nemo fermè est, qui non apud pauperem » Christum opes, & in rigida disciplina maximam quæ» rat licentiam. Quid autem consequantur, etiam ipse » paulò post exponit: Magistratui opibus Ecclesiasti» cis inhianti obiicit turbas, & implicat ipsum negotiis » inextricabilibus: Plebem verò subiicit ærumnis & » laboribus.]

Quod notat Caietanus. Dici: *nescitis quid petatis? non petitis*, parui momenti est, in idem enim recidit. & Græcè est αἰτεῖσθε *petitis*. Petunt vero ista non Dei Spiritu, sed humano ambitu: *Nec turbetur*, inquit Chrysostomus, *quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse. Nondum enim mysterium crucis erat consummatum: nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa. Quare si studia virtutis ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera: & videbis omnem ab illis turbationem animi fuisse superatam. Hæc enim de causa eorum modò imperfectio reuelatur, vt apertè percipere possis, quales subitò per gratiam effecti fuerunt. Quòd igitur nihil spirituale quæ rebant, nec de cœlesti regno quicquam cogitabant, perspicuum est.*

Infirmitates eiusmodi in Apostolis crebras videmus, vt discamus, non corporalem Christi præsentiam, sed Spiritus sancti gratiam animorum esse renouationem. Οὐδὲν πνευματικὸν, ait Chrysostomus, ἀλλ' ἔννοιαν τῆς βασιλείας εἶχον; nihil spiritale, nec regni cognitionem habebant. In hac scilicet petitione.

VERSVS 22.23.

Respondens autem Iesus, dixit: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

QVÆSTIO I.

An Christi non sit dare, vt sedeant ad dextram, & sinistram?

§. 1. ARianorum hæresin ex hoc loco stabilire etiam hodie conantur Transyluani, qui Christi diuinitatem inficiantur. Si enim non est Christi sibi assessores legere, & in regno suo honores, & dignitates largiri, non igitur supremus ille Dominus est, nec igitur Deus.

Responsio. Haudquaquam solutio difficilis est: non enim comparantur inter se Pater & Christus: Quasi Pater dare possit, Christus non possit; sed duo fratres, & alii, quibus decretum est à Patre, & Filio, & Spiritu sancto, conferuntur. *Non est meum dare vobis*, sed meum est dare illis, quibus decretum est, à Patre dari a meo. Illis enim dare meum est, quibus paratum est, non illis autem paratum est, qui ordinatis à me rationibus eo tendunt, non qui ambitu ad magistratum venire moliuntur. Hæc sententia est in Syro expressissima: ita habet: *non est meum vt dem, nisi quibus paratum est.* Itaque cum dicit: οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, vel vt alia exemplaria habent, οὐκ ἔστιν τοῦτο δοῦναι, *Non est meum hoc dare*: non derogat suæ sententiæ, vel dignitati, sed personas, quibus conferendum sit, inter se confert. Adfert S. Chrysostomus parabolam, qua rem feliciter dicit explicari. *Verum vt clarius fiat quod diximus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad editorem igitur munerum, laudis atque certaminis, quò multi atque præclari athleta conflauerunt, non duos quosdam ipsi præcipua familiaritate coniunctos accessisse fingamus, qui amicitia Principis freti postulare audeant, vt victores ipsi præconio declarati coronentur: quibus ille respondeat*, Non est meum id dare, sed quibus labore & sudore præparatum est. *Num igitur quasi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam, sed iustitiam eius admirabimur, & quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur editorem munerum, atq; certaminis Principem, haud dicemus coronam donare non posse, sed nolle luctationis transgredi leges, & iustitiæ ordinem conturbare: sic vtiq; Christum id dixisse affirmamus. Ita vndique illos compellebat, in gratia Dei primum, deinde in laboribus propriis omnem salutem & gloriæ spem reponere iubentem, quibus paratum est. Nam etsi alij præstantiores videbuntur, si excellentiora quam vos opera facturi sunt, quo modo illis expulsis locum eorum vos occupabitis? an quia mei discipuli estis? idcirco etiamsi non digni primatu eritis, præmia tamen quoque consecuturos vos arbitremini? Nam quod totius rei huius ipse Dominus est, inde patet, quia vniuersum eius iudicium tribuitur: ita enim Petro dixit*, Ego tibi claues regni coelorum dabo.

Si enim agonathetes personis, non victoriæ donet brauium, desinet causa certaminis, cum non sit virtuti præmium, quæ datur corona, sed donatiuum fauoris, quod etiam ignauo præstari potest.

Quibus igitur & quomodo paratum sit, nec hoc carnis, & sanguinis iudicium esse docet Chrysostomus homil. 65. Πῶς οὖν φησὶ τὸ καθίσαι ἐκ δεξιῶν οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι; ὡς ὄντων τινῶν τῶν καθεδουμένων; οὐχ ὡς ὄντων εἶπεν, ἀλλὰ πρὸς τὴν ὑπόνοιαν ἀπεκλίνατο τῶν ἐρωτώντων συγκαθεδεῖσθαι αὐτοὺν τῷ Δεσπότῃ. ἅδε γὰρ ἤδεσαν τὸν ὑψηλὸν ἐκεῖνον, καὶ τὸν ὄντα δεξιὸν θρόνον καθέδρας, ὅπερ καὶ τὰ παιδία τότων καθέδεσθαι ἐφ' καὶ καθ' ἡμέραν αὐτοῖς ἐνηχοῦμεν ἡμεῖς ἀεὶ τὸν ἐν οὐρανοῖς ζήτειν μόνον, τῶν πρωτείων ἀπηλλαγμένους, καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἕλεσθαι, καὶ μηδένα εἶναι πρὸ αὐτοῦ παρ' αὐτῷ.

Id est:

Quomodo igitur dicit, sedere à dextris atque ministris meis non est meum dare? an quia consiliarij alij sunt? Minimè, minimè, inquam, ad mentem nim interrogantium condescendens respondet. Non enim de sublimi sede illa, quæ ad dextram Patris est, aliquid sciebant, qui vel multò inferiora, quæ quotidie auribus eorum inculcabantur, non percipiebant: vnum solummodo quærebant, præfectura potiri, & omnium se primos apud illum constitui.

Ratio

Rationem regni Christiani ignorabant, cui præsse gestiebant, terrena cogitabant, quamuis aliquo modo cœlestia, sed illa tamen ad humana transferebant, non ad illa mentibus adhuc nondum illuminatis sese erigebant. Est enim hoc fere hominum vitium, vt non nisi ex consuetis, & ex humanis affectibus de cœlestibus iudicent; Non igitur negat suâ electione illam πρωτοκαθεδρίαν concedi, sed illis quorum tantæ dignitati paria sunt opera futura. Commentarius Hieronymo adscriptus, *Non personæ, sed vitæ paratum ait præmium.*

QVÆSTIO II.

Quis calix proponitur Apostolis?

§. 1. Cogitandis rebus secundis eos ad duram, & asperam virtutis viam reducit: Ignoratione namque regni sui, & Apostolici officii ambitiosa certamina mouebant. Recte Chrysostomus εἶδες πῶς δίκην ἀπήγαγε τῆς ἀπονοίας; λοιπὸν τῶν ἐναντίων αὐτοὺς ἀφιλονείκητος; ὑμεῖς μὲν γὰρ περὶ τιμῆς καὶ στεφάνων μετ' ἀφιλονείκου φησίν. ἐγὼ δὲ περὶ ἀγώνων ὑμῖν καὶ ἱδρώτων [ἀφιλονείκου] ἐστὶν ἔπαθλον ἐκεῖνα σφαγῆς [καὶ πολέμων] καὶ κινδύνων τὰ παρόντα, *id est*, Vides quomodo statim ab opinione eos abducit, contraria illis differens; vos, inquit, de honore, & coronis disseritis, ego vero de certaminibus & sudoribus. Hoc enim non est præmiorum tempus, neque hæc est illa gloria, quæ apparebit. Sed præsentia sunt necis, bellorum, periculorum.

Itaque his negat locum esse precibus: cum iam Patris cœlestis iudicio, & decreto locus honoratissimus fratribus assignatus. Eos tamen & ipsos honoratos, fore demonstrat, cum promittit fore, vt calicem eius bibant. Martyrii vero calicem intelligit, quem Iacobus ebibit, Ioannes bibit ille quidem, non tamen martyrio vitam finiuit. Nam Traiani tempore in vas fermentis olei missus, & grauiora morte supplicia perpessus, cuiusmiraculo mortem, cum tamen nec voluntas, nec robur animi, nec ipsa tormenta defuerint. Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum T. 1. etiam ex hoc loco præmiorum cœlestium inæqualitatem demonstrat.

Calix bibitur.

Virtutibus enim esse paratas mansiones diuersas docet. *Locus & mansiones quas præparare se dicit Christus Apostolis, in domo vtique sunt Patris, id est, in regno cœlorum non in terrâ, in quâ præsens Apostolos relinquebat. Simulque sensus Scripturæ intuendus: Dicerem inquit vobis quia vado, & præparabo vobis locum, si non multæ mansiones essent apud Patrem, hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex propriis operibus præpararet: & ideo non est meum parare, sed vestrum: quia & Iuda nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Iuxta quem sensum & illud intelligendum, quod ad filios dicitur Zebedæi, quorum alter à sinistris, alter cupiebat sedere à dextris: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem à dextris meis, siue à sinistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Non est filij dare, & quomodo Patris est præparare? Parata inquit sunt in cœlo, diuersæ & plurimæ mansiones, pluribus diuersisque virtutibus, quas non persona accipiunt sed opera. Frustra ergo à me petitis, quod in vobis situm est, quod Pater meus illis paranit, qui digni virtutibus, ad tantam ascensuri sunt dignitatem.*

§. 2. Calix cuiusque est sors, & status diuino iudicio constitutus, & tam in secunda, quam aduersa fortuna intelligitur. vt Psalm. 15. vers. 5. & Isa. 51. vers. 17. explicui. Est enim calix lætitiæ, calix inebrians, calix iræ Domini, calix suppliciorum. Prouerbialiter igitur locutione indicat, eandem fore discipulorum & suam conditionem, vitæ & mortis similitudinem. *Potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν. alia exemplaria habent. ὃ ἐγὼ πίνω. quem ego bibo. Hoc ex Luca translatum non immerito existimat Lucas Brug. sicut & illud, quod in Syris & Græcis subditur. καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι. *& baptismo, quo ego baptizor, baptizari.* Passio autem baptisma vocatur, quod in eo sit mersio & submersio; nam aquarum, fluctuum, gurgitum, fluminum nomine magnæ, & ineuitabiles calamitates solent indicari. atque ita passim in Psalmis loqui Propheta Dauid assolet.

Calix in bonis & malis.

§. 3. Quæritum à multis, cur passionem suam calicis metaphora designet, & generatim, cur calix significationem habeat, secundæ, aliquando, sed crebrius aduersæ fortunæ, calamitatum, suppliciorum, necis? Theophylactus & Euthymius calicem ita dictum existimant, quod Christus, læto, lubentique animo passionem subierit, quo solent haurire calices, quos longa sitis tenuit. Verum quidem est, Christum desiderio desiderasse mortem obire ad generis humani redemptionem, calix tamen etiam eorum dicitur, qui dolentes & inuiti bibere coguntur. Alii ita dici sumptâ similitudine, ex poculo medico, quod insuaue est, & naturæ reluctanti ingeritur, salutarem tamen habet efficientiam, & morbos fugat, ita Christi calix amarus fuit bibenti, sed nobile mundi remedium, quo & morbi mortis antecambulones, & mors ipsa fugata est. Hocce am minus latè patet. Nam calix etiam impiorum dicitur, quibus teste est haustus fæcis iræ diuinæ, non salutaris.

Non desunt, quià conuiuiis loquendi modum esse sumptum existiment, ita Iansenius: Modimperator enim seu Rex conuiuii, suam cuique portionem præscribebat, præsertim bibendi. Hoc quidem in lætis, & prosperis dici potest; non autem aduersis, in conuiuio enim bonorum, & quæ hilaritati faciunt, distributio à Rege fieri soleat, in vsum enim lætitiæ Rex constituitur, nec pœnarum arbiter ille est, nisi forte iocularium, quæque exhilarent conuiuas. Addo etiam Prouerbium Hebræum à Dauide, aliisque vsurpatum ex more Romano sumendum non esse. An vero Iudæi veteres regna vini sortiti fuerint, nondum liquet. Ex quo colligo ex conuiuiis tantum sumi calicis significationem pro faustare, & læta. sic Psal. 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus est.*

Reis calix venenatus dabatur.

Itaque significationis origo est ex more Gentilium, qui venenum temperabant reis, quale Socrati dederunt Athenæ, multisque aliis. itaque eodem calice vti, est eâdem calamitate conflictari. Fiunt autem frequentissimus vsus veneni, non modo sententiâ iudicis damnatorum, sed etiam sponte sumentium letales potiones, vt contumelias, & diriora supplicia anteuerterent. exemplum luculentum est apud Liuium, de Senatoribus Capuanis: aliisque. Calicis autem vocabulum hic potius, quàm poculi vsurpant etiam Latini. Seneca Epistol. 67. *In hac est Reguli arca, Catonis scissum manu suâ vulnus, Rutilij exilium, calix venenatus, qui Socratem transtulit è carcere in cœlum.*

VERSVS 25.

IESVS autem vocauit eos ad se, & ait: scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores

iores, sunt potestatem exercent in eos.

QVÆSTIO I.

Quale Apostolis imperium prohibetur?

Abusus potestatis prohibetur.

§. 1. NOn potestatem iubendi, aut necessitatem parendi tollit, sed vetat eos dominari more Regum gentilium. Hoc est κατακυριεύειν, violenter, & plena potestate subiicere sibi obnoxios. Præpositio κατὰ in malam partem accipitur. Erant autem pleraque violenta gentium imperia, & illo tempore omnia cruentissima. Apostolorum & præsidum Ecclesiæ lene ac paternum imperium esse iussit. Exemplo enim & mansuetudine homines ad colendum Deum sponte accedere voluit, non trahi violenter aut seruiliter. Cultus enim Dei non est verus, nisi, quem animo libero pietas defert. Negat tamen Beza, hic de vitio regiminis & abusu sermonem esse, nec vetari Apostolis ne tyrannos agant, sed ne more regio imperent. Causam reddit: Quia apud Lucam διεργέται vocantur, quod in tyrannos non conuenit.

Bezæ ratio.

Respondeo Bezæ interpretationem non modo vetustis repugnare, sed etiam eius Patriarchæ Zwinglio, cuius in cap. 10. Marci hæc sunt verba. κατακυριεύσιν αὐτῶν, *Græcanica vox est plus, quam regnare vel dominari? plus ferociæ, & violentiæ habet, quam iuris & æquitatis. Nam tales fere plus violentiâ agunt, quam iure & æquitate. Begwaltigen/ beherschen/ ferociâ quadam, & violentiâ mistum imperium. Atque hoc vos omnino non decet. Tametsi enim verbum suam habet auctoritatem, nullam tamen habet violentiam.* Non igitur legitimum, sed violentum imperium significatur à Domino, quod prohibetur.

Deinde Bezæ contrarius est Bullingerus, qui Magistratus vitia reprehendi docet: [Magistratum enim „ hic non abrogat, aut damnat Dominus; interim tamen obiter & rectè admonet, velle se quædam in illius dispensatione vel administratione correcta. Verba enim quibus vtitur, occultam habent emphasin, quasi dicat: Scitis constitutos esse inter gentes Magistratus, Principes, atque præfectos, vt non sit necesse vos quoq; præficere populis. Non enim veni pugnaturus cum Cæsare, aut Herodis familia, vt his pulsis vos in ipsorum loca substituam Principes, proceres, siue Tetrarchas. His diuinitus datus est gladius & potestas qua fruuntur. Et hi quidem satis superbè dominantur, cum deberent illud potiùs perpendere, se ministros esse Dei, & populum cui prælati sunt esse Dei. Iidem potestatem & tyrannidem quandam exercent in populum sibi subditum, cùm iustitiam potiùs, æquitatem, iura, & leges exercerent.] Tyranni igitur erant, & dominabantur superbè. Quanquam etiam politica ciuilis & iusta administratio non est commissa Apostolis absolutè, qua munus Apostolatus illis est commissum. Qua de re lib. 1. & 6. Politicorum satis egi.

Tituli non faciunt, vt tyranni esse desinant.

Bezæ argumentum futile est; διεργέται *benefici vocantur, non sunt igitur Tyranni*, si quidem Christus dixisset, Benefici sunt, non incommode Beza inde colligeret, non esse tyrannos. At nunc hoc Christus indicat, eos cum violenter imperitent, facilitatis tamen, & clementiæ laudem captare. quo enim ne quiot, & immanior quisque fuit, eo exquisitioribus adulationibus cultus est. Nihil non honorum, nominum, cultuum, in suos Reges Romani contulerunt, & ipsos suos carnifices patres Patriæ nominarunt: Ita Tacitus Sueto nius, alii qui de Augustorum vita scripserunt, plena est historia. Quin ex eodem adulandi vel furore, vel necessitate διεργέται appellati sunt plurimi Reges, Ptolomæus Tertius Rex Ægypti διεργέτης dictus, & Ptolomæus Septimus, quorum perquam dura fuêre imperia. Fuit in Asia & Antiochus cognominatus Soter, & ne quis dubitet adulationum fuisse illa verba: etiam Ptolomæus Octauus qui per ludibrium Physcon appellatus est, Soteris cognomen adeptus, sæuus, & sordidus. Vetus igitur historia Bezam refutat. Constat enim nomen lenitatis plerosque optasse. Et Nero gloriabatur, *se ne stillam quidem sanguinis misisse.* Syrus Principes vocat רישיהון *Rishihun, capita eorum.* Deinde מריהון *Marihun*, μεγάλους, *magnos* רוברבריהון *Raurabarihun, magnates eorum.* Verbum Syrum שליש *Schalitin* de omni imperio dicitur, duro & modesto, Emphasin tamen addit præpositio עליהון *Ghalihun, super eos.* Quamuis autem Reges potentia sua gaudeant, cupiant esse terroti, laudem tamen clementiæ miris modis ambiunt. Itaque & apud Hebræos à liberalitate נדיבים *Nedibim* vocantur. Causa est, quod nulla ex virtutibus magis homini conuenit, quam clementia, & benignitas, nam cum homo sit animal Sociale, κοινωνικὸν, in adiutorium mutuum generatus est. Nullum autem magis decent hominem istæ beneficæ virtutes, quam Reges & Principes; sine illis namque eorum potentia maxime horrori est generi humano. Nam pestifera vis est valere ad nocendum. Ex clementia & liberalitate omnes idem sperant, cætera virtutum bona necessaria sunt, hæc grata cunctis secundum naturam omnibus est, in Regibus latiorem habet locum, quia plurima, quæ seruent, ideo eius laudem omnes præcipue appetunt, & quamuis reprastare nolint, titulo præferre gaudent.

§. 2. Concidunt igitur, quas horum depravatione verborum Sutlinius, Sibrandus, Wittakerus contra Ecclesiasticum magistratum machinas exstruxerunt. Wittakerus vetari omnem Ecclesiasticum primatum contendit. At Christus non omnem, sed dominantem in clero, & fastuosum, qualis est gentium, prohibet. Non prohibet magistratum, vt doctissime Gretserus noster libro primo, capite nono, de Pontifice in defensione Bellarminiana demonstrat. Reprehendi dominationem Tyrannicam optimus Græcorum verborum interpres Chrysostomus ostendit. Δεικνὺς ὅτι ἐθνικὸν τὸ πάθος τοῦτο, τὸ τῶν τυραννικῶν ἐστιν. καὶ γὰρ τὸν ἐγγινόμενον τὸ παῦσαι, καὶ σωφρονίσαι, νουθετῶν φησὶν, οὐ μεγάλοις ἀνδράσι. Διὰ τοῦτο καὶ σφοδρότερος ἐστιν ἡ μάχη: *id est*, Ostendit Ethnicum hoc esse, primas ambire, etenim tyrannicus ille affectus est: & continuo turbantur, & magnis viris, quocunque vehementiore indiget increpatione.

Mirum igitur, si Chrysostomus suæ linguæ eloquentissimus illustrator edocendus est, quid sit κατακυριεύειν, idque ab illis, qui de lexicis verba didicerunt. Ille πάθος τὸ ἐγγινόμενον affectionem tyrannicam reprehendi docet, nostri legitimum imperium vetari Ecclesiast es. at illa verba aurea docent, non modo tyrannicum ab Ecclesia imperium arcent, vnum tamen supremum aliquem inter Apostolos constituendum, eumque exemplo Domini omnium esse seruum oportere. Hinc etiam quidam sectarii euidentia veritatis convicti id docent. Frigemillæus Gautius in palma Christiana, Archiepiscoporum dignitatem defendit, & primatum, qui imperent Episcopis. Imo in præfatione ad Angliæ Reginam iure divino præesse docet. Nam Paulus dedit Tito πᾶσαν ἐπιταγὴν, *omnem ius ordinandi, constituendi, iubendi*, vt ille exponit.

tib. Imo Bezam, & Gebennenses alia sentientes acerrime incusat. *Certe*, inquit, *victoria de antichristo iam parta esset, nisi obstitisset quorundã rigor, qui nõ modo Episcopatũ vniuersalem expellere volunt, sed etiã episcopalem, & archiepiscopalem.* Hæc ad reginam, & plura in præfatione.

§. 3. Hinc multo facilius Anabaptistæ refutãtur, qui omnẽ è Christian. respublica magistratũ exterminãt. Idq; acceptã Caluinianis occasione. Nam Caluinus inter Laicos & Ecclesiasticos discrimen non agnoscit, & tamen prohiberi dominationem regum gentium contendit: etiam legitimam, quod ideo de omnibus sæcularibus sunt Anabaptistæ interpretati. Omnibus in communi hoc conuenit, vt imperando seruiant, bonus enim princeps pro suis subditis laborat, vt solent pro Domino serui. Quod vero Caluinus negat permissum pastoribus vt magnifico splendore emineant; Hoc tamen concedit fieri posse, vt oppidi vel pagi dominus simul docendi munus quoque obeat, vrgente necessitate. Quod si verum est, poterit & prouinciæ Dominus, comes, dux, nec repugnat pastoratui legitimum, & ciuile in subditos imperium, licet per Euangelium non detur. Poterit & supra subditos eminere, nec splendorem cogetur ponere. Tales verò etiam in Anglia Episcopos, & Archiepiscopos tolerant rigidi Caluiniani. Consuetudinem Anglicanam contra Bezam Sarauia defendit. [Præterea *inquit cap.* 24. Leg bus huius regni, & „ retinetis beneficio, episcopis hic honor defertur, vt „ inter nobiles & procures regni censeantur. Archie„ piscopis inter duces & magnos regni officiarios locus „ cum Clementiæ titulo datur; & Cantuariensi πρωτο„ δρίᾳ ante omnes proceres & magnos regis officiarios „ est attributa: & primus par regni dicitur. Cæteri o„ mnes Episcopi inter Barones locum tenent, & eo „ nomine, titulo dominorum honorantur. Qui om„ nes cum ciues sint & subiecti, Princeps in regno suo „ honestum ciuile aliquod munus si mandet cuiquam „ Episcoporum, vt si quem Eirenarcham constituat, „ vel à secretiori consilio habere velit, & legationem „ ad externum aliquem principem obire, non video „ causam cur Principi suo in re quauis honesta non de„ beat parere & obsequi. Sed & hic oritur difficultas, „ quomodo vnus pluribus sufficere possit muneribus „ obeundis. Hanc enim obiectionem D. Beza facit. „ Cui respondeo: quomodo ipse putet, vnum in Isra„ele sacerdotem fuisse sacerdotis summi simul & iudi„ cis functionibus parem? Eadem ratione dico quan„ docunque reip. aut necessitas postulat, aut absoluta „ regis voluntas vrget, dante Deo pluribus administris „ adiutores Episcopos, plures functiones posse & debere „ subire. Si Episcopi & Archiepiscopi adiutores nega„ rentur, & soli illa omnia quæ ad illa pertinent, quæ „ deximus officia præstanda in se susciperent; meritò „ id posset obijci. Sed ego neminem vnquam extitisse „ arbitror, qui per se solus sine vllis adiutoribus, quæ „ tantum summi sacerdotis concernebant officium „ obiuerit, pluribus à hinc inde partes varias susciplen„ tibus & opem ferentibus, duplicem personam cum „ vtilitate & ædificatione populi Dei sæpe sacerdotes „ & episcopi sustinuerunt. Hic habes, candide Lector, „ Episcoporum & Archiepiscoporum authoritatem „ quam defendo: & ecclesiæ vtilem ædificationi & gu„ bernationi existimo. Quæ quum sine imperio, in ijs „ enim rebus, quæ tantum concernunt ecclesiam, esse „ non possit; illud tamen à dominatione & tyrannide „ quam longissimè abesse, quisquis apud se quid tyran„ nis & dominatio sit reputare volet, facile inueniet. „ Imperium legibus finitum, & ad communẽ Ecclesiæ „ ædificationem, tam eorum quibus imperatur, quam „ eorum omnium ad quos resp. Ecclesiæ pertinet, consti„ tutum, iure nemo vnquam vocauerit tyrannidẽ. Ty-

rannis est iniqua & crudelis dominatio, & oppressio innoxiorum: vel contra leges vsurpata potestas: quoties neque ex lege neq; ex more quispiã imperat. Authoritas veterum episc. & nostrorũ hîc in Anglia, sicut & superintendentium in Germania, canonica est. Obedientia, quæ ipsis debetur, vltrà leges Ecclesiasticas non extenditur: si quidpiam Episcopus aut Archiep. iusserit, cuius eis regulæ ecclesiasticæ non faciunt potestatem, nemo tenetur parere. Vnde fit manifestum, dominationem nullam nec veteribus nec Anglicanis posse obijci Episcopis. Dominatio cum subditorum seruitute subiecta est: quibus pro suo arbitrio quidnis Dominus imperare potest. Demonstrandum erat D. Bezæ, quibus in rebus dominatione veteres episcopi fuerint vsi, & hodie Anglicani vtantur Episcopi. Qui nihil præcipere potest, nisi quod ad officiũ ipsius pertinet, cui præpositus est, quod si fecerit, contemni potest imperium, iniuria insimulatur tyrannidis & vsurpatæ in fratres dominationis. Calumniæ igitur sunt, quidquid de tyrannide & dominatione episcoporũ, qui ex præscripto regularum ecclesiasticarum præfuerunt & præsunt Ecclesijs, & Ecclesiarum pastoribus congeritur.] Videri potest eodem in tractatu miserrima cauillatio Bezæ de nomine ἀρχὴ, & ἄρχων. quod Sarauia ostendit, non semper opponi τῇ διακονίᾳ.

§. 4. Dominationis abdicatum, non potestatem tollendo docet ipsum Christi exemplum. Christus enim non venit διακονηθῆναι, *vt sibi ministraretur*, sed venit, vt alijs ministraret, imò animam suã daret, hic vitam impendere, redemptionem pro multis. Animam ergo seruituti & morti subiecit: non igitur seruum Christi oportet honoribus quærendis inuigilare, aut imperũ quærere: Christus tamẽ etiã in illo exinanitionis statu obsequia angelorum & hominum admisit, quantum ratio dictabat. Quãuis ipse omnibus seruiret, & Paulus Onesimum retinere cogitabat, vt pro Philemone sibi in vinculis seruiret. Deinde Christus multa suis imperauit, vsus vera potestate, sed non abusus more regum infideliũ, non κατεξουσιάζων, aut καταδυναστεύων, non violenter aut cum potestate opprimens. Aliud igitur his non constituitur, quam vt Ecclesiarum Prælati totos se seruitio subditorum & saluti impendant: nam omnes δοῦλοι hoc est, *serui*, appellantur. Hinc & *Pontifex seruus seruorum Dei*. Quicumq; enim bene præest, seruus subditorum est. Etiã si rex sit, illius finis est salus populi, cuius est instrumentum & procurator rex. Frustra ergo Beza his verbis vtrumq; gladium à Papa auferri fingit. Non enim potestatẽ abrogat suis in Ecclesia futuris Christus, sed astruit: At vero ambitionẽ, fastum, imperandi duritiã, violentiã, longe abesse iubet. Ligandi enim & soluendi potestatẽ ipse cõtulit, oues & agnos pascere voluit. Minister ergo salutis sunt Pontifex & Episcopi, sicut Christ⁹ minister fuit: nõ enim venit משׁמשׁ *demeschamasch*, vt sibi ministraretur, seu vt sibi assisteretur, seu appareret ministri, sed διακονῆσαι, vt ipse ministraret, & appropinquaret alienæ saluti. Hic in Græco Codice Beza ait inseri ex Luc. v. 8. c. 14. & sequẽtes aliquot. Dignitas itaq; Ecclesiastica, humilitate serua esse debet, ἔσω, vel vt alia exẽplaria ἔσται διάκονος, sit vel erit minister. Aug. l. 19. de ciuit. c. 14.

Christus etsi ministraret, imperium tenuit tamen.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christus dederit animam suam redemptionem pro multis?

§. 1. MVltorũ nomine omnes ex phrasi & consuetudine intelligo. Omnes enim, de quibus hic agitur sunt multi. πολλοὶ vocat Græci populũ seu vulgus. Itaq; inscite nonnulli hæc ad Caluinianũ errorẽ detorquent, vt meritis dominicæ passionis detrahant, negentq; pro omnibus mortuum esse Christũ. Hos Caluinus ipse refutat, cum ait scripturam hic, & Rom. 5. 15. totum genus humanũ complecti. Sic &

Christus pro omnibus mortuus est.

Bullingerus ἀντὶ πολλῶν poni pro tota multitudine. Qui tamen sibi contradicit, cum ait: *pro illis, qui credere voluerunt.* Nam passus est Dominus etiam pro illis, qui credere noluerunt, & sanguinem testamenti pollutum duxerunt. Animam enim posuit pro omnium redemptione, 1. Ioan. 2. 2. *Factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Fructum quidem non omnes sentiunt, sed tamen Christus sufficientissimum pretium dependit, nec per eum stetit, quo minus exire quidem è vinculis vellent. Vti isti Domini liberalitate noluerunt.

Bucerus igitur errat, qui Christum tantum electorum peccata expiasse fingit. Super Ioan. 24. & Calvin. contra Heshusium pagin. 39. Musculus in locis communibus. Beza lib. 1. epist. pag. 182. Simonius lib. 2. fol. 24. Aretius 2. parte problematum. Zanchius pluribus locis. Verum ab illa hæresi recesserunt Arminiani, Hemmegius, Augustinus Marloratus. Nam illis repugnat, quod Christus sit Saluator mundi, & vnus pro omnibus mortuus. 2. Cor. 5.

Satisfactionem non tollit redemptio.

§. 2. Caluinus hinc concludit: hac vna voce euerti, quicquid de putidis suis satisfactionibus garriunt Papistæ. Non enim reconciliationis alibi pretium reperitur, quam in morte Christi.

Respondeo, vitam Christi mortemque esse pretium, redemptionis nostræ, solum, sufficiens, vnicũ, Deo etiam nos gratis reconciliati. Nec eo pertinere satisfactiones vllas, vt Deo reconciliemur, vt redimamur. Nec tamen satisfactiones tollimus, sed iã reconciliati, iã redempti, iã sanguine loti pro pœna tẽporali satisfacimus, verbo Dei obsecuti. Ita nos docet Cyprianus epist. 18. *Dominus loquitur & dicit, Super quem respiciam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos: hoc cum debeamus omnes esse, tum magis eiusmodi illi esse debent, quibus laborandum est, vt post graue lapsum verâ pœnitentiâ, & humilitate tota promereri Dominum possint.* Et epist. 25. epist. 60. *Deum promereamur obsequijs nostris*, inquit, *vt ostenderet, ad Deum non modo peruenire actionum piarum deuotionem, sed à Deo etiam ad nos redire remunerationem.*

VERSVS 29. 30.

Et egredientibus illis ab Iericho secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes, Domine Miserere nostri, fili Dauid.

QVÆSTIO I.

An hæc historia eadem cum illa, quæ Luc. 18. 35. & Marci 10. 46?

§. 1. ALiqua similia sunt, alia dissimilia. Hic duo cæci sunt, & curati, postquam Ierichuntem Christus egressus est. Apud Luc. 18. 35. Vnus est cæcus, qui sanatur ante egressum Christi in vrbem. Mar. 10. 46. vnus nominatur, & sanatus dicitur, cum egressus esset Ierichuntem, vocatur autem Bartimæus, filius Timæi.

Quidam vnius præcipui mentionem factam arbitrantur. Alij antè ingressum & post egressum cæcos curatos, Alij dilatam illius qui ante ingressum accesserit sanationem.

Mihi diuersæ historiæ videntur. Nam illo egrediente Iericho duo sanati sunt, vt ex Matthæo clarum est, an vnus horum fuerit Timæi filius, incertum. Apud Lucam vero sanatur antequam ingrediatur Dominus Ierichuntem. Existimant alij Bartimæum fuisse notiorem iam diuturna cœcitate & paupertate, alium se adiunxisse, ante clamasse quam vrbem Christus ingrederetur, posteà in egressu sanatos. Pro plurali, καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν, quidam codices singularem habent, ἐκπορευομένου, vt etiam Syrus.

Chrysostomus hos cœcos πολλῶν βλεπόντων dicit fuisse ἀμείνους, multis videntibus præstantiores: summa enim contentione ad Christum venire studebant, non modo quia clamabant, sed etiam quia reprehensi, & ἐπισχημιδόντες, *os obturati* aliorum increpationibus, magis clamabant. Quemadmodum mulier Chananæa & Centurio. Vt vero antè fortes, ita post curationem gratissimi fuerunt: nam Dominum secuti sunt. Augustinus l. 2. qq. Euang. c. 48. diuersos facit. *Possemus de propinquantibus* ad Iericho *sic intelligere, vt iam inde egressi, prope tamen adhuc essent ad eam ciuitatem, &c.* Et paulo post. *Sed quoniam ea quæ sequuntur in Euangelio secundum Lucam, apertissime ostendunt, illud, quod ipse narrat adhuc venientibus eis Iericho factum esse: nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum: Semel in vno cæco dum adhuc veniret ad illam ciuitatem, & iterum in duobus, cum inde egrederetur. Vt illud vnum Lucas, alterum Matthæus enarrat. Neq; hoc sine aliquo sacramento.* Quod sacramentum exponit, vt vnus ab ingrediente sanatus, Iudæos; duo ab egrediente sanati, Gentes significarent. Luna autem mortalitatem designat, quod est Iericho. Vide de eadem materia Augustin. serm. 18. de verbis Domini.

Hæc igitur sententia tenenda est, nec mirum, cum duæ sint historiæ, vnam ab vno, aliam ab alio Euangelista recensitam.

CAPVT XXI.

Mar. 11. a. 1 Luc. 19. c. 20.

ET cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad Montem olineti: tunc Iesus misit duos discipulos. 2. dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi 3. & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum

Isa. 62. d. 11 Zach. 9 b. 9. Ioan. 12. b. 15. Ps. 117. d. 16. Mar. 11. b. 9

est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, Dicentem: 5. Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. 6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus. 7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autẽ turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: 9. turbæ autem, quæ præcedebant: & quæ sequebantur, clamabant, dicentes. Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis. 10. Et cũ intrasset Ierosolymis, commo-

Liberũ arbitriũ mercedis capax.

dus diei & æstus, non magis operario, quam rastro aut sarculo merces debetur. Vbi est enim sine iudicio & voluntate libere agente labor, non potest dari præmium. Nec aratro quisquam agriculturæ mercedem persoluit, atteritur enim & perit: Paciſci non nisi cum liberis operis Deus potest: apud quem enim non est suæ voluntatis arbitrium, is nec obligare se potest, nec alterius promissionem accipere. Vsus est hoc argumento Hieronymus Tom. 3. Epist. ad Damasum, vt probaret arbitrii libertatem. Merces enim promittitur, vt liberam voluntatem alliciat; nec enim in necessario agentibus locum habet, vel promissio, vel minæ.

Manichæorum autem est liberum damnare arbitrium. Hominum damnare naturam, liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere, vt in procœmio aduersus Pelagianos idem Hieronymus.

Opera ad salutem necessaria.

§. 6. Eadem pactio etiam demonstrat bona opera ad salutem necessaria, eamque non dari, nisi operum conditione expleta. Denarius enim ex pacto conuento datur, & datur illis, qui pertulerunt pondus diei, & æstus. Datur & illis, qui vna hora laborarunt; non datur tamen ociosis, sed qui ἐπόησαν, qui opus ruri fecerunt. Datur supra quam iustum est, sed datur tamen aliqua pars quam non dare iniustum esset; nempe pars duodecima denarii, quam ex proportione meriti videbantur. Sola itaque illa parabola ad impiam & pernicioſissimam hæresin confutandam sufficit, cum tota eo dirigatur, vt ostendat, nos à Deo promissione mercedis ad laborem vocari, & operatis iustam mercedem rependi. Est quidem gratuiti amoris Deo seruire, sed quia tamen se ipse mercedem esse demonstrat, non est vilis mercenarii, sed ingenui filii, eò per labores tendere, vt in patris conspectum complexumque perueniat, patre fruiturus.

VERSVS 14. & 15.

Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

QVÆSTIO I.

Cur dare vult postremo, quod & primo?

Paterfamilias suo iure vsus.

§. 1. PAterfamilias vir grauis, & opulentus, vt qui per œconomum soluat operariis, decorum seruat; non enim cum operariis contendit: Ius suum, libertatemque in erogatione mercedis tuetur. Causam non adfert, cur pares faciat, quorum tam impar fuisse labor videbatur. Itaque non arguit priores negligentiæ, aut culpæ alicuius, nec vnius horæ laborem præfert totius diei ærumnis: si enim hoc faceret, de suo iure cederet, & responsandi occasionem præberet: suas enim operas carè quisque æstimat: & suam industriam ignauissimus præcipue venditat. Merito autem ita respondet; nam murmurator iniuriam inferebat, cum plus petit, quam erat conuentum, & iudicat iniuste de aliena liberalitate. Itaque satis illi erat, ostendere se iniuriam nulli facere, sed ab iniquo tricone, & appellatore accipere. Statuendum tamen est, patrifamilias iustam fuisse causam, cur in postremos, potius, quam primos munificentia vti voluerit, sed cur rationes illas operario proponeret, nulla causa fuit. Itaque ius suum allegat. *Non licet mihi facere quod volo?* Græce additur: ἐν τοῖς ἐμοῖς, *in meis.* Syrus, *de illis quæ ad me pertinent.* Legit etiam ita Augustin. sermon. 39. Franciscus Lucas putat addendum, Zegerus omittendum existimat; Correcta omittunt: quod signum à melioribus libris abfuisse: & ex glossa irrepsisse. sic in Græco etiam varie legitur illud: *conueniſti mecum,* συνεφώνησάς μοι, in aliis est συνεφώνησά σοι, *Conuenis tecum.*

§. 2. Ioannes Piscator Caluinianus, Deum Iudæis promisisse mercedem ex propriis meritis dicit. At non alio modo illis, alio nobis promissa est salus. Illi gratuitam peccatorum remissionem per fidem in mediatorem, sunt consecuti, sicut & nos. Quemadmodum Abraham pater omnium credentium iustificatus est, & saluatus, ita cæteri omnes. Ille fide sine operibus legis, fide & operibus gratiæ saluus factus est. Cum iustus fuit, fide & operibus meruit vitam æternam, gratiæque augmentum.

§. 3. Qui ex vno denario omnium in cœlo præmiorum æqualitatem colligunt, scripturis contradicunt. Nam in domo patris nostri mansiones multæ sunt. Ioan. 14. 1. Corinth. 15. *Alia est enim claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, & differt stella à stella in claritate.* Denarius igitur vnus, vna est vita æterna, Dei visio, fruitio, omnes stellæ sunt, omnes fulgent, omnes in cœlo sunt, non omnium tamen par est splendor, non eadem eminentia. Ita Ambrosius Epistol. 81. Augustinus Epistol. 51. Gregorius lib. 4. Mor. cap. 42. Hieronymus tractatu contra Iouinianum pene toto.

§. 4. Ex æqualitate tamen denarii, multi mercedis æqualitatem vrgent; vt quid enim primi murmurant, si non sunt pares? si singularis eminentia atque honor est datus toto die operatis? Pares non sunt, si in eadem domo aliis alii sunt prælati. Supra respondi non fore illo in loco aut tempore murmurationes, aut inuidiam, cum sit vnusquisque proximum amaturus vti seipsum. Occasio tamen murmurandi dari videbitur, more humano rem considerantibus, quod multi, quarum diuturni, & ærumnosissimi fuisse videbuntur labores, non maiora, quam alii ex paruis & breuibus accipiant præmia. Humana enim iudicia viros celebres, & in dignitate positos admirantur, eos collaudant, pauperes negligunt. Quin crebro fit, vt sanctos Episcopos, sacerdotes, principes, eremitas, quorum apud homines est magna opinio, & apud Deum vera sanctitas, crebro alicuius adolescentis, aut viduæ, quam nemo, nisi cum perret eleemosynam, norat, præmia superent. Exemplum de Carbonario Alexandro attuli, aliud de Dorotheo refert Alphonsus Rodericus tract. 5. cap. 1. exercitii religiosi. Vbi seriò murmurant, sed à Deo tamen melius instituti quiescunt.

Hactenus ergo pares sunt, vt omnes sint beati, & in æternum beati, clarâ Dei visione, & amore. Nec magnoris aut minoris gloriæ discrimina faciunt operæ duntaxat, sed cõtentio animi, feruoris, & caritatis magnitudo, qua fit, vt vnico actu, ac breuissimo aliorum mediocritas æquetur. Paritas igitur est præmii, vbi omnium rerum est æqualitas, temporis, laboris, charitatis, alacritatis, si aliquod horum sit inæquale, etiam similitudine analogiâ erit imparitas mercedis. Quemadmodum in itinere

Bullingerus ἀντὶ πολλῶν poni pro tota multitudine. Qui tamen sibi contradicit, cum ait: *pro illis, qui credere voluerunt.* Nam passus est Dominus etiam pro illis, qui credere noluerunt, & sanguinem testamenti pollutum duxerunt. Animam enim posuit pro omnium redemptione, 1. Ioan. 2. 2. *Factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Fructum quidem non omnes sentiunt, sed tamen Christus sufficientissimum pretium dependit, nec per eum stetit, quo minus exire quidem è vinculis vellent. Vti isti Domini liberalitate noluerunt.

Bucerus igitur errat, qui Christum tantum electorum peccata expiasse fingit. Super Ioan. 24. & Calvin. contra Heshusium pagin. 39. Musculus in locis communibus. Beza lib. 1. epist. pag. 182. Simonius lib. 2. fol. 24. Aretius 2. parte problematum. Zanchius pluribus locis. Verum ab illa hæresi recesserunt Arminiani, Hemmegius, Augustinus Marloratus. Nam illis repugnat, quod Christus sit Saluator mundi, & vnus pro omnibus mortuus. 2. Cor. 5.

Satisfactionem non tollit redemptio.

§. 2. Caluinus hinc concludit: hac vna voce euerti, quicquid de putidis suis satisfactionibus garriunt Papistæ. Non enim reconciliationis alibi pretium reperitur, quam in morte Christi.

Respondeo, vitam Christi mortemque esse pretium, redemptionis nostræ, solum, sufficiens, vnicũ, Deo etiam nos gratis reconciliati. Nec eo pertinere satisfactiones vllas, vt Deo reconciliemur, vt redimamur. Nec tamen satisfactiones tollimus, sed iã reconciliati, iã redempti, iã sanguine loti pro pœna tẽporali satisfacimus, verbo Dei obsecuti. Ita nos docet Cyprianus epist. 18. *Dominus loquitur & dicit, Super quem respiciam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos: hoc cum debeamus omnes esse, tum magis eiusmodi illi esse debent, quibus laborandum est, vt post graue lapsum verâ pœnitentiâ, & humilitate tota promereri Dominum possint.* Et epist. 25. epist. 60. *Deum promereamur obsequijs nostris*, inquit, *vt ostenderet, ad Deum non modo peruenire actionum piarum deuotionem, sed à Deo etiam ad nos redire remunerationem.*

VERSVS 29. 30.

Et egredientibus illis ab Iericho secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes, Domine Miserere nostri, fili Dauid.

QVÆSTIO I.

An hæc historia eadem cum illa, quæ Luc. 18. 35. & Marci 10. 46?

§. 1. ALiqua similia sunt, alia dissimilia. Hic duo cæci sunt, & curati, postquam Ierichuntem Christus egressus est. Apud Luc. 18. 35. Vnus est cæcus, qui sanatur ante egressum Christi in vrbem. Mar. 10. 46. vnus nominatur, & sanatus dicitur, cum egressus esset Ierichuntem, vocatur autem Bartimæus, filius Timæi.

Quidam vnius præcipui mentionem factam arbitrantur. Alij antè ingressum & post egressum cæcos curatos, Alij dilatam illius qui ante ingressum accesserit sanationem.

Mihi diuersæ historiæ videntur. Nam illo egrediente Iericho duo sanati sunt, vt ex Matthæo clarum est, an vnus horum fuerit Timæi filius, incertum. Apud Lucam vero sanatur antequam ingrediatur Dominus Ierichuntem. Existimant alij Bartimæum fuisse notiorem iam diuturna cœcitate & paupertate, alium se adiunxisse, ante clamasse quam vrbem Christus ingrederetur, posteà in egressu sanatos. Pro plurali, καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν, quidam codices singularem habent, ἐκπορευομένου, vt etiam Syrus.

Chrysostomus hos cœcos πολλῶν βλεπόντων dicit fuisse ἀμείνους, multis videntibus præstantiores: summa enim contentione ad Christum venire studebant, non modo quia clamabant, sed etiam quia reprehensi, & ἐπισχημιδόντες, *os obturati* aliorum increpationibus, magis clamabant. Quemadmodum mulier Chananæa & Centurio. Vt vero antè fortes, ita post curationem gratissimi fuerunt: nam Dominum secuti sunt. Augustinus l. 2. qq. Euang. c. 48. diuersos facit. *Possemus de propinquantibus* ad Iericho *sic intelligere, vt iam inde egressi, prope tamen adhuc essent ad eam ciuitatem, &c.* Et paulo post. *Sed quoniam ea quæ sequuntur in Euangelio secundum Lucam, apertissime ostendunt, illud, quod ipse narrat adhuc venientibus eis Iericho factum esse: nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum: Semel in vno cæco dum adhuc veniret ad illam ciuitatem, & iterum in duobus, cum inde egrederetur. Vt illud vnum Lucas, alterum Matthæus enarrat. Neq; hoc sine aliquo sacramento.* Quod sacramentum exponit, vt vnus ab ingrediente sanatus, Iudæos; duo ab egrediente sanati, Gentes significarent. Luna autem mortalitatem designat, quod est Iericho. Vide de eadem materia Augustin. serm. 18. de verbis Domini.

Hæc igitur sententia tenenda est, nec mirum, cum duæ sint historiæ, vnam ab vno, aliam ab alio Euangelista recensitam.

CAPVT XXI.

Mar. 11. a. 1 Luc. 19. c. 20.

ET cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad Montem olineti: tunc Iesus misit duos discipulos. 2. dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi 3. & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum

Isa. 62. d. 11 Zach. 9 b. 9. Ioan. 12. b. 15. Ps. 117. d. 16. Mar. 11. b. 9

est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, Dicentem: 5. Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. 6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus. 7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autẽ turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: 9. turbæ autem, quæ præcedebant: & quæ sequebantur, clamabant, dicentes. Hosanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis. 10. Et cũ intrasset Ierosolymis, commo-

commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? 11. Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. 12. Et intrauit Iesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes, in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentiũ columbas euertit: 13. & dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam spelunçam latronum. 14. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanauit eos. 15. Videntes autem principes sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt. 16. & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? 17. Et relictis illis, abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam: ibique mansit. 18. Mane autem reuertens in Ciuitatem, esurit. 19. Et videns ficũ arborem vnam secus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & aresecta est continuo ficulnea. 20. Et videntes discipuli, miratti sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit? 21. Respondens autem Iesus ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tollere, & iacta te in mare, fiet. 22. Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cum venisset in templum, accesserunt eũ docentem, principes sacerdotũ, & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. 25. Baptismus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: 26. Si dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam. 27. Et respondentes Iesu dixerunt. Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit, Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abijt. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, Domine, & non iuit. 31. quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. 34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. 35. Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. 36. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. 37. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. 38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. 39. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. 40. Cum ergo venerit Dominus vineæ quid faciet agricolis illis? 41. Aiunt illi: Malos male perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42. Dicit illis Iesus: nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? 43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. 44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. 45. Et cum audissent principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut Prophetam eum habebant.

IN CAPVT VIGESIMVM PRIMVM

ARGVMENTVM.

Mansuetus & humilis vti Prophetæ oraculo prædictum erat rex Sionis, asino insidẽs Ierusalem ingreditur, acclamant fausta populi, & venientem excipiunt. Vendentes & ementes è templo ejicit, cœcos & claudos sanat, Pharisæos propter plausum indignatos reprimit, docetque hoc à Prophetis prædictum esse; Ex ore infantium, & lactentium perfectam esse laudem. Vesperi egreditur, venitque Bethaniam, altera die rediens Ierosolymam ficum sterilem maledicendo arefecit. Pharisæos interrogantes, qua potestate illa faceret, aliam quæstionem de baptismo Ioannis proponendo, repellit. Parabolis tandem eorum perfidiam ostendit, & exprobrat. Primam proponit de duobus filiis, quorum prior patri obedientiam promissam verbo, re non præstitit. Alter se obtemperaturum initio negauit, sed pœnitentiâ ductus proteruiam correxit. Altera parabola est de agricolis, qui primum seruos fructum petentes, deinde hæredem occiderunt. Tandem se ait esse lapidem reprobatum ædificantibus, sed factum in caput Anguli. Regnum autem Dei à Iudæis auferendum, & dandum gentibus. Hinc offensi de nece illius consultant, sed populi timore retardantur.

In Ecclesia Syriacâ legitur: *ad vesperam Osanna.* ܗܘܫܥܢܐ *ouschaghna*, hoc est, Osanna, ita autem appellant dominicam palmarum, vt postea ostendam.

A. v. 17. ad 28. est lectio *feriæ quintæ hebdomadis quartæ ieiunij.*

Av. 28. vsque ad finem est *statio secunda*, *secundæ noctis passionis*. Hoc est enim קומא Kauma à קום Kom. Itaque in stationes & vigilias sacras noctes diuidunt.

Nunquam hactenus pompam vllam admisit, sed iam breui morituru, vt prophetias impleat omnia magnificentius administrat. Chrysost. hom. 67. sæpe ingressum ait, nunquam vero eo apparatu.

Diserte autem Iudæorum interitum, eâdem, quàm mortem suam asseueratione prænunciat, vt impij & homicidæ tantæ cladis exspectatione minus animosè peccarent.

VERSVS 1.

Et cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos.

QVÆSTIO I.

Quæ Bethphage?

§. 1. TExtus Græcus appellat Βηθφαγῆ, Bethphage. vt noster. Syrus etiam ביתפגא, quod interpretantur *domum fontis*, alij *domum oris vallis*, hoc est, vnde vallis initium est, alij *domum maxillæ*. Prius videri posset, ex πηγὴ, vel πηγὰ dorico deriuatum, quod Græcis fontem significat, sed neque Hebræi vocabuli originatio Græca quærenda est, nec verisimile ex Græco, & Hebræo vocabulum compositum. Malim itaque domum fontis appellari ex Syra & Chaldæa lingua. Nam פיגי *Phigi*, & פגא *Phaga*, adeoque פיג *Phyg* Syris & Chaldæis fontem significat. Existimo tamen ex commercio linguæ Græcæ sicut innumeta alia Syros, & Chaldæos habuisse. Nam in Hebræo עין & מעין & מקור fontem significant, de פיג *Phig* nihil habetur. Thalmudici in Aruc aiunt esse שם מקום חוץ ירושלם *Schem makom chutz Ieruschalaim. nomen loci extra Ieruſalem*. Sabbati autem iter habuit, quod est mille passuum, vt Origenes putat, vel vt alij duûm millium.

Bethphage

Qui domum oris vallis interpretantur ex tribus cõponunt dictionibus בית domus, deinde פה *Phe* os, denique גיא *gè* vallis.

Minime probandi, qui domum occisionis vertunt: occasione sumpta ex corrupta lectione: multa enim exemplaria habent βηθσφαγῆ, posito sigma inter theta, & φῖ. Ita habere omnia Parisiensium manuscripta exemplaria testatur Burgensis, ita dictum aiunt, quod ibi victimæ alerentur. Verum à pascendis victimis non domus occisionis, sed pabuli potius vocaretur. Deinde nomen componerent ex Hebræo & Græco Hebræi, quod absurdum est, cum nomen illud antiquum pene cum templo cœpisse oportuerit. Si à victimis duceretur, Hebræi appellassent בית שחיטה *beth schagitha*, *domum mactationis*. Quis autem putet populo Hebræorum tam notum fuisse verbum Græcum σφαγὴ, vt inde loco nomen darent, quod si quis fingere velit, eum refutabunt Syri, qui hodieque omnes nomen σφαγὴ nesciunt, nisi qui Græce norunt. Quod si ludere in nominibus volupe sit, potius dicendum à ספג *Sephag* deriuatum, quod est plaudere percutere, vt inde ספגא *Sphaga*, vel *Sphage* formemus.

Græca lectio corrupta.

Quod Haimo scribit domum buccæ, vel maxillarum appellari, vel quod ibi alerentur sacerdotes, vel quod ossa, & maxillæ victimarum eo projcerentur, video non probari doctis. Nam in vrbe erat sacerdotum habitatio, non in vico exiguo, in vrbe, atque adeo loco sacro de victimis alebantur, Deinde nec vllo signo probatur, nec est verisimile tam procul ossa elata fuisse. Quamuis ergo פגא *phaga*, & פגי *phagi* maxillam significet, & פג os ossis, non tamen hæc causa est appellationis. Abest Bethphage haud procul Bethaniâ. Luc. 19. 29. vterque locus prope montem oliuarum. Bethaniam longius aiunt Ierosolymis abfuisse, quam Bethphagen. *Cum appropinquassent*, habent Græci, & plures latini codices, Syrus tamen singularem retinuit.

VERSVS 2.3.4.5.

Et dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentẽ: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

QVÆSTIO I.

Quo & cur discipulos mittit?

§. 1. IN castellum, κώμην vicum, qui contra, seu ex aduerso est, κατέναντι ὑμῶν. Ita loquuntur latini *Italiam contra*, *Tiberinaque littora*.

Castellum non est arx.

alia exemplaria habent ἀπέναντι, Latini quidam codices, *misit discipulos suos*, sed pronomen abesse debet. Itaque castellum non est arx, aut munitio, multo minus Ierusalem, vt Lyranus, Abulensis, Hugo decepti latino nomine scripserunt, κώμη enim vicus est, seu pagus.

§. 2. Errant qui asinum à Domino quæsitum esse arbitrantur, quod lassus de via, pedes longius progredi nequiuerit. Multo minus audiendi, qui meditatione mortis lassitudinem contractam commenti sunt. Nam neque tam magnum iter confecerat, & iam morti vicinior ex horto ad Annam, Caipham, Pilatũ, Herodem itare poterat, & denique ferre crucem, & ire in Golgotha. Causa igitur vectionis erat, vt rex Israel regno suo inauguraretur, & vt postea dicam, Prophetiam expleret. Hanc enim reddunt Euangelistæ.

Non fuit ridicula pompa.

§. 3. Errat etiam Caluinus, dum pronunciat fuisse hanc ridiculam pompam, nisi vaticinio Zachariæ respondisset. Nam absque oraculo pompa Prophetæ, grauis, decora, & Christi personæ consentanea fuisset: non enim ideo, quia Zacharias eum prædixit, triumphus ille conueniens fuit, sed quia à Deo ordinatus, & tales circumstantiæ, quæ Dei

filium

filium, hominem factum non dedecerent. Ex intimo amore erga genus humanum, misericordia, benignitate, rex ille totius vniuersi, posita maiestate diuina, abdita humanæ naturæ quam ex deitatis vnione habebat dignitate, hoc mansuetudinis & modestiæ exemplo præire cunctis voluit, formare regum mores, tastum premere populorum, omnes ad se allicere. Angelorum augustissimis cinctus deportati potuit, etiam aurato curru, Leones & Rhinocerotas currui iungere, sed Doctor humilitatis monstrare facto voluit, quod verbis crebro inculcarat, Abstrautem vt quicquam in Christo ridiculum putemus, etsi non continuo alicuius vaticinio respondeat. Discipulorum lauit pedes, ex sputo & pulue lutum fecit, digitos in aures surdi immisit, tetigit linguam eius, quæ omnia Christianis sapere debent, etiam sine oraculis prophetarum. Humilitatē Christi sapere illis oportet etiam sine condimento prophetarum, quam multi enim fideliter in Christum credunt, qui prophetarum scripta non legerunt? Non est enim minus a augustum, quod opere designat Dei filius, quam quod prædixit ore prophetarum Deus Spiritus sanctus. Ille pompam hanc prædixit, hic instituit. Quamuis autem propheta de ingressu, & asino locutus sit, de acclamationibus tamen, & ramis vestibusque per viam stratis nihil dixit: nec tamen illa ridicula fuere, etsi non responderint vaticinio. Nec populus ille tanquam ridicula fecit, sed tanquam digna Messiâ. Neque erat ridicula res asinâ vehi, cum id in Palæstina iudices, & reges fecisse legamus. In Christo tamen singularis erat modestię, quod & pullum acceperit, & asinam subiugalem, non mulam regiam splendide ornatam. Vsus tamen asinorum iam Romanis rerum potitis videtur in contemptu fuisse, & alioqui multis orientalibus odiosum hoc animal fuit. Ægyptij non asinum modò, sed colorem etiam eius iumenti oderant, quod eo *Eius vehi* fuisse imbutum dicerent Tryphonem Osiridis inimi- *assumpti-* cum. Olim regem Persarum miro odio asinum & *bis.* Machæram vocabant. Ille vero: ὁμὲν ὄνος, inquit, αὐτὸς ὑμῶν κτευνοχήσεται τὸν βοῦν. *Asinus ille vestrum occidet bouem.* dixit, & Apin occidit. Apud Gentiles suspicio fuit, Iudæos in arcano sacrario adorare caput asini, quod Tacitus addita alia fabula meminit. Democritus Græculus idem mendacium recensuit, non sine insigni augmento improbi facinoris, nam septimo anno ait illos peregrinum hominem frustatim concidere. Talem nobis etiam Deum affinxerunt, ὀνόκλον, habentem vngulas asininas. Verum monstra detestari, asinis vti nos Christus docuit. Hæc autem de Cherubinis finxerunt veteres. Non dissimili figmento Paræus in Rom. c. 2. Catholicos ait, asinum Christi, porcum Antonij colere, quod animalia illa repræsentandæ historiæ quandoque pingantur. Quasi vero quod pingitur, etiam colatur, aut hic populus dum Christum colit, etiam asinum honoret.

§. 4. Absolutum, summumque Christi Domini in res omnes imperium, & regiam auctoritatem nonnulli hoc ex loco probare nituntur. Mihi tamen rē perspicuam, potius obscurare videntur. Neq; actus ille est regiæ potestatis, quis enim regi tantum in res subditorum permittat? Neque id eo Christus fecisse videtur, nam consensum eorum ad quos iumenta pertinebant, sciebat sese habiturum. Itaque non abstulit inuitis, quod etiam regibus est illicitum, nisi id publica salus, quæ lex est summa imperantium, id faciendum dictaret.

QVÆSTIO II.

An asinâ, an pullo vectus fuerit?

§. 1. CÆteri Euangelistæ solius pulli mentionem faciunt, Matthæus asinam & pullum coniungit, sicut etiam propheta. Et principio quidem constat asinam & pullum ad Christum adducta esse. Nam vers. 2. cum dixisset, asinam & pullum cum ea alligatum, addit: *soluite & adducite mihi:* quod ad vtrumque referendum est. Deinde vers. 3. *Dominus his opus habet,* αὐτῶν χρείαν ἔχει. Hinc etiam apparet *Super asi-* Dominum super asinam, & super pullum sedisse, & *nam &* more regio mutasse iumenta. Nam adduci iubet, *pullum se-* & dicit αὐτῶν χρείαν ἔχει, *His opus habet,* si asinâ opus *dit.* non habuit, cur illam adduci voluit, & dici se ea opus habere? Deinde textus Græcus habet vers. 7. ἤγαγον τὴν ὄνον, καὶ τὸν πῶλον, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν. *Adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt vestimenta sua super eos, & eum desuper sedere fecerunt.* Græcè ἐπάνω αὐτῶν, *super eos,* hoc est asinam & pullum, vel, ea, hoc est vestimenta. Varia lectio est, *In quibusdam,* inquit Brug. in notis, *libris.* ἐπεκάθισεν *quod est insedit, in quibusdam* ἐκάθισεν, *sedit (ad quem modum Syriace est equitauit) in alijs* ἐπεκάθισαν, *collocarunt siue sedere fecerunt, consentaneè editioni latinæ.* Rursus pro ἐπάνω αὐτῶν, *super eos, siue vt est latinè, desuper, quidam typis excusi codices scribunt,* ἐπάνω αὐτῆς *super eam, scilicet asinam; Syrus super eum, scilicet pullum, eâdem vt arbitror, ratione, qua latine in verbis proxime præcedentibus, quidam scribunt eum, pro eos.*

Quamuis autem posteriore loco sic intelligi possit, vt super vestes sedisse dicatur, non tamen id satis vitate, & prima fronte ille notus est sensus, super iumenta sedisse. Cum autem strata vestibus iumenta dixisset Euangelista, nihil opus erat dicere, Christum super vestimenta collocatum, aliter enim fieri non poterat. At sanè priore loco dicuntur vestimenta sua posuisse ἐπάνω αὐτῶν super ipsos, quis dubitat, ideo factum, vt Christus insideret? Nec Syriacam lectionem probo quæ habet; Et imposuerunt pullo vestimenta sua, & equitauit super eum Iesus. רכב autem de omni vectatione dicitur.

§. 2. Clarius etiam ex propheta Zacharia illud colligitur. c. 9. 9. *Exulta satis filia Sion, Iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: Ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Hic dicitur *ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Respondent huic argumento: Verbum quo propheta vtitur esse communis generis, חמור chamor, & asinum, & asinam significare. Itaque sensum esse, *Ascendens super asinum, & pullum asini,* vt nempe ille asinus fuerit idem ille pullus filius asinæ. In Hebræo est בן אתנות *ben athonoth, filius asinarum.* Perinde ac si quis dicat: ascendit super equum filium equarum, vbi equus, & filius equarum vnum est, idemque iumentum. Hic etiam in Syro est idem verbum בראתנא *bar athona, filius asinæ.* Hæc nouatoribus speciosa visa est interpretatio, eam ego probare non possum. Nam primo interponitur à propheta coniunctio. Asinam, vel asinum, & pullum filium asinarum, ועל עיר *Veghal ghayr, & super pullum.* ea loquendi ratio diuersum ostendit, vt si dicam, ascendit super equum, & pullum, filium equarum: si idem esset iumentum asinus, & pullus, non coniunctione necteretur sententia, sed ipsa appositione res vna intelligeretur esse. Deinde in septuaginta legitur ὀπὶ ὑποζύγιον, καὶ νεὸν, super subiugalem, & pullum no-

uum, quamuis melior sit lectio, quæ apud Iustinum est: πῶλον ὄνε, *pullum asinæ*. Sed & ipse textus hoc requirit: nam constat certe asinam adductam, & super eam posita vestimenta, atque adeo dominum eâ opus habuisse: non enim Apostolos voluit fallere, cum dicerent, *Dominus his opus habet*: cum ergo in Matthæo diuersa sint, asina & pullus, etiam in propheta diuersa esse necesse est. Non enim aliud Zacharias prædixit, aliud Matthæus factum esse scribit. Matthæus totum factum esse scribit vers. 4. τοῦτο δὲ ὅλον, vt asina & pullus adduceretur, vt impleretur quod propheta vaticinatus est, itaque & propheta cum dicit עיר, vsus verbo, quod asinum, & asinam significat, & pullum, duo diuersa animalia dicere voluit, quia diuersa fuerunt. Nam ἐν ᾧ Matthæus fœminini generis esse testatur, cum vers. 2. vocat ὄνον δεδεμένην, cum dicit, pullum esse μετ' αὐτῆς cum ipsa, sic igitur etiam apud prophetam intelligendum est, עיר esse hoc loco generis fœminini, nisi Euangelista nobis est suspectus interpres prophetæ. Si igitur duo sunt in prophetæ verbis designata iumenta, vtrique Christus insedit. Nam dicit propheta, ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον &c. *ascendens super asinam*, nempe quæ ante erat δεδεμένη. Asinis vtebantur crebro. Iud. 10. 4. & 12. 4. 3. Reg. 13. Nec ad rem facit, quod Beza asinam comitem dicit. *Perinde ac si diceretur, aliquem duobus aut tribus equis esse profectum.* Illa tamen locutio vsitata solum est, cum non modo equos, sed sessores etiam proficiscenti iunguntur. Tribus enim aut quatuor equis ire dicitur, non quē equi sine sessoribus comitantur, sed qui totidem equites secum habet. Deinde hic dicitur Christus non ire simpliciter, sed רכב *rocheb*, vectans vel equitans super asinam, & 70. ἐπιβεβηκὼς ascendens, ἐπὶ ὄνον super asinam. Primum igitur asinam ascendit, & deinde dum prope vrbem est, cumque iam multitudo & clamor augeretur, in pullum ascendit, non paruo miraculo prima eum sessione domiturus. Multa enim hic miracula Chrysostomus notauit.

Patrum sententia.

§. 3. Hanc interpretationem etiam patres amplexi sunt, imo communi sententia mysterium agnoscunt. Asinam sub ὑποζύγιον subiugalem esse Israelitas sub iugo legis attritos, pullum vero gentiles, à lege, & iustitia alienos. Nec Zwinglius contra sentit, sed approbat, nondum tantus veterum contemptor, quantus Caluinus, qui nullo argumento, sed sola væcordia veteres irridet. Cum autem res ipsa conueniat, & Christus non modo factis suis nos doceat, sed etiam mysterijs plena sint omnia, non est mirum id significare voluisse, quod euentus docuit. Ita Chrysostomus Commen. Hieronym. Remig. Beda & plerique. Chrysostomi verba sunt: ἐπεὶ δὲ ταῦτα ὅπερ ἔφθην τὰ μέλλοντα προδηλῶν, ἐντεῦθεν γὰρ ἡ ἐκκλησία δηλεῖται διὰ τῆς λαοῦ, καὶ ὁ λαὸς ὀνέου, ὁ ποτὲ μὲν ἀκάθαρτος, μετὰ δὲ τὸ καθίσαι τὸν ἰησοῦν καθαρὸς γνώμης. καὶ ὄρος δέ ὅλως τὴν εἰκόνα σωζομένων. οἱ γὰρ μαθηταὶ λύουσι τὰ ὑποζύγια. Διὰ γὰρ τῶν ἀποστόλων κἀκεῖνοι καὶ ἡμεῖς ἐκλύθημεν. Διὰ τῶν ἀποστόλων προσηχθημεν ἐπειδὴ καὶ ἡ ἡμετέρα εὐδοκίμησις ἐκείνης παρεξέλυσε. *Hæc faciebat, vt, quemadmodum diximus, figura ventura significaret. Hic enim Ecclesia & nouus populus olim immundus per pullum significatur, qui postquam in eo Iesus quieuit, ab omni sorde liberatus mundus effectus est, perpende autem ex amussim imaginem esse conseruatam. Discipuli quippe iumenta soluunt, quoniam & nos & illi per Apostolos vocati & adducti ad Christum sumus, & nostra fides, in zelum illos deduxit.* Et ordinariè τὴν ὄνον vocat. Vt τὴν ὄνον περιβάλλουσιν εἰς ἣν ἐκάθητο. *Asinam straeuerunt, super quam sedit.* Rabanus ideo Matthæum asinæ mentionem feciſſe vult, vt viam salutis Iudæis ex mysterio monstraret. Et Athanasius hom. in illud: *Profecti in castellum*: irrisuros ait Gentiles, quod Deus Christianorum asello fecerit. Iustinus adeo hunc locum contra Iudæos vsurpat contra Tryphonem: *Atque ipse Dominus noster Iesus Christus reuera asinæ quandam, cum pullo suo in introitu quopiam vici qui Bethphage dictus erat, alligatam Hierosolyma ingressurus discipulos suos sibi adducere iussit: cui insidens, Hierosolyma peruenit. Quod quidem certe, vt Christus faceret, vaticinio apertè est prænunciatum. Atque id ita abeo factum, & à fidelibus agnitum, Christum ipsum esse, manifesto ostendit. Et cum omnia hæc sint facta & ex sacris literis demonstrata: vos tamen duricordes esse perseueratis. Prædictum est autem hoc futurum à Zachariâ, ex duodecim vno, adhunc modum: Lætare vehementer filia Sion: iubila, annuncia filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluans ipse, & mitis, & pauper subiugali, & pullo asinæ vehens. Porro quod asinam subiugalem cum pullo suo Spiritus propheticus vna cum Patriarcha Iacobo nominauit, atque ea ipse & discipuli eius sunt vsi, sicuti dixi: vtrumque enim iumentum adducere iussit: prædictio id fuit eorum, qui etiam ex vestra synagoga, simul cum vis, qui ex gentibus venere, in eum credituri erant. Quemadmodum namque gentium nota fuit pullus oneribus ferendis non assuetus: ita & popularium vestrorum asina clitellaria. Habetis enim quæ per prophetam vobis imposita est, legem.*

Mysteriū duorum iumentorum.

§. 4. Rex mansuetus, humilis עני *ghani* vocatur. Nemo enim ex regibus Israel ingressus est ea humilitate eaque potentia. Vocatur ὁ βασιλεὺς signanter cum articulo, est enim certus ille promissus Messias. Regni sui maiestatem sic monstrauit, venit enim vt summam modestiam, & clementiam cum summa potentia declararet, ideo & in templo plurimos sanauit, quod nemo regum potuit. Eo omnia tendebant, vt exciperetur à subditis, & amaretur, vt saluator, non timeretur vt Dominus à mancipijs. Bullingero hæc est res visa idonea, ex qua occasionem maledicendi Episcopis acciperet. *Nam Christi vicarios non pontifices, sed diaboli, & impijssimorum nebulonum esse successores, quod hæc vel non legant, vel lectis repugnent.* Nam & equis & rhedis vtuntur.

Respondeo. Non dissimili stomacho Tertullianum iam in errores propensum de corona militis, & quorum publicorum vsum carpere. *Viderint*, inquit, *equi publici cum coronis suis. Dominus tuus, vbi secundùm scripturam Ierusalem ingredi voluit, nec asinum habuit primùm.* Verum ille nimia vehemētia, deinde odio abreptus, cum omnia præsulum Ecclesię carpit in Montanistas, & Cataphrygum ineptias incidit. Pompa coronatorum equorum, si publicæ lætitiæ, & decoro seruit, nullâ idololatriâ contaminata, non fuit Christianis deuitanda, nam plurimi eos aluerunt. Si vero Christus suo exemplo vsu equorū Christianis interdixit, ne asinum quidem priuatum possidere fas erit, alieno enim Dominus, & quasi præcario vsus est. At profecto nemo hactenus scelus esse putauit equorum opera vti. Nō defuerunt tamen religiosi, qui vel in totum vel in parte, se equitatione abdicarēt, in vetustis Prędicatorum statutis esse narrat Antonius Senēsis, vt si quis pedes ad generale capitulum itare non posset, equo ne vteretur. Patres Cappucini non nisi in magna necessitate, nec equo, nec curru vtuntur. Et vidi cum vini ex illis alio qui senes, & prænobiles magno labore viam pedibus conficerent, recusatis, quos principes offerebant, curribus. Sed aliud est, quod sponte illi suscipiunt, aliud quod omnibus imperatum fingitur. Quid enim, an Christus humiliore, & commodatitio iumento vectus, vetuit ne nos Christiani, vel sacerdotes, vel certe pontifices nobiliore vtantur? an non eam etiam legem ministris

hæreticon

hæreseon tulit? neque enim in suum dedecus illud dictum interpretabuntur, credo. Quid igitur illos vrit? Opes credo Pontificum: & magnificentia. Quid tandem, iussi ne sunt omnes esse pauperes Christiani? aut, si generale non est præceptum paupertatis, iussi sunt Pontifices esse pauperes, & clerici? & quibus Consulibus lex illa lata est? aut si lata est, cur fundos, & possessiones, quæruntque, augentque illi, qui Pontificum opes non oderunt, sed possessoribus inuidet? Sed ad hæc iam olim respondit Æneas Sylnius. *Liquet igitur nostro iudicio, quando id autoritatibus & rationibus probatum est, Romanam Ecclesiam diuitem esse oportere. Neque diuitias ad voluptatem requirimus; sed ad tria tantum, ad statum honestum & dignitatem conuenientem tenendum. Ad alienos pauperes & Ecclesias manu tenendas. Ad coercendos malefactores, qui fidei sinceritati officiunt. Quod si quis Pontifex his aliter vtitur, fatemur eum non rectè agere, neq; magistri sui sequi vestigia. Neq; enim aut inter consanguineos Christi hæreditatem partiri debet, aut in voluptatibus & deliciis illam consumere. Si tamen aliquis sit, qui ex minoribus prælatis abutitur bonis sibi traditis, superioris iudicio est coercendus. Quod si Pontifex aliquid tale egerit, maximi Dei iudicium exspectandum est; qui aut Papam, de medio tollet; aut alio modo prouidebit. Neque enim primam sedem, quam suo arbitrio regendam retinuit, errare & dilabi patietur.*

Sed quid obsecro est, quod in Romano Præsule videamus indignum? An forsitan sicut plerosque Prælatorum videmus ire pernatum, aut aucupatum? Equos ne Pontifex Romanus, aut canes, aut aues ad delicias pascit? Quis eum aliquando in spectaculis aut ludis vidit? Saltationes & choreas & cantus mulierum inspicit? Vbi vnquam histriones vel pantomini coram eo? Quando ille conuiuia lasciua aut ebrietatem spectauit, aut alea lusit aut schacco? Aliena sunt hæc ab Apostolico Palatio. Studia Pontificis maximi & occupationes sunt, diuinis interesse mysteriis & Sacram rem facere, diebus celebratibus. Audire legationes Principum, populorumque figuare supplicationes, consolari miseros, peccatores coercere, prouidere viduatis Ecclesiis, dicere suas horas; vix illi superest tempus, in quo cibum sumat, & corpori, quantum necesse est, somnum tribuat. Ad hæc semper querelas audit, & lamenta; cum spoliatis & afflictis loquitur. Nemo ad eum venit, vt consoletur eum, aut iucunditatis aliquid afferat, aut queruntur, quieiecti sunt Episcopi, vel alij, aut cupidi plura petentes veniunt. Hic status Papæ; hæc voluptas.

Hæc ille ad Pragmaticam Martini, quod etiam recentioribus calumniatoribus responsum volo. Nec tamen mihi dubium est, Pontifices & Episcopos, si præter statum in sumptus non necessarios, atque inutiles, Ecclesiæ thesauros impendant, grauissimi sceleris esse reos. Quædam etiam exempla nos docuerunt, multos Ecclesiasticorum, cognatos suos dum opibus sacris implere conantur oppressisse, vt familiæ, aut ad paupertatem redactæ fuerint, aut miseris euentibus extinctæ.

§. 5. Hæc pompa & processio à monte Oliueti præcipue cœpit. Græcus montem τῶν ἐλαιῶν appellat. Nostet sensum reddidit, aut legit τῦ ἐλαιῶν ⊙. Syriace est: עַל גַּבֵּי טוּרָא *super verticem montis*, vel *iuxta*. גַּבֵּי *geneb*, vt ait glossa Syra, est idem quod גַּב *gab pertex*. Mons est ad orientem Ierosolymorum, inter quem & vrbem est interposita vallis Iosaphat, Ioseph. l. 20. antiq. c. 6. & l. 6. belli. c. 3. Mons pernoctatione, & oratione Christi celeberrimus. Olim idolis infamis, à Salomone facto initio, quæ ad Iosiam manserunt. 4. Reg. 23.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christi diuinitas ex hisce eluxerit?

§. 1. PRophetiæ Spiritum re ipsa ostendit, cum ait asinam esse alligatam, & pullum, nec modo ibi esse, sed etiam ad Apostolorum vsque aduentum mansura eodem in loco.] Nouerat & quid incolæ responsuri essent, & dimissuros vbi audissent Dominum opus habere. Quod habet ἀῦθις ἀποστελεῖ *statim dimittet*, non est ad Christum referendum, quasi significet eum statim iumenta remissurum. Sed prædixit dominum eorum mox permissurum, vt abducant. Erasmus legit ἀποστέλλει, vt etiam Theophylactus. Quædã exemplaria habẽt: τί ποιεῖτε; *quid agitis?* quod nec in Latinis, nec Syris est, nec melioribus Græcis. Maiestatem igitur Dominus duabus in rebus ostendit, sapientiâ, & potentiâ. Sapientia, quod omnia absentia, & futura cognoscat, etiam cogitationes; itaque more regum exploratoribus, delatoribus, corycæis non vtitur, omnibus illeactionibus, omnium animis interest, & præest. Potentiam etiam demonstrat, cum animos eorum in manu habere significat, vt statim concedant, quod petitur. Solet autem in minimis summæ sapientiæ, & potentiæ documenta præbere. Deum autem esse absolute, & solitariè illa miracula non probant, sed cum doctrina coniuncta, qua se Deum esse professus est, vt alibi latius ostendi. *Sapientiã & potentiam ostẽdit.*

Miraculum autem fuisse, quod sine contradictione peregrinis, & Galilæis asinum dimiserint, docet Chrysostomus: *μὴ δὴ μικρὸν εἶναι νομίσῃς τὸ γεγονὸς μόνον ὅτι γὰρ αὐτοὺς ἔπεισε, τῶν ἰδίων ἀφαιρουμένους, καὶ ταῦτα πένητας, ὄντως ὄντας, καὶ γεωργοὺς, μὴ ἀντεῖπεῖν; καὶ τί λέγω, μὴ ἀντεῖπεῖν; μὴ ἤρεσθαι ἡδομένους σιγῇσαι, καὶ προχωρῆσαι; καὶ γὰρ ἀμφοτέρωθεν ὁμοίως θαυμαστὸν ἦν, καὶ μηδὲν εἰπεῖν ἐλκομένων τῶν ὑποζυγίων, καὶ εἰπεῖν, καὶ ἀκόσμως ἄγειν ὁ κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει παρεχώρησαν, καὶ οὐκ ἀντέστησαν, καὶ ταῦτα οὐκ ἀνθρώπων ὁρώντων, ἀλλὰ τῶν μαθητῶν. Non fuit res ipsa parua. Quis enim illis persuasit, quum res ipsorum auferrentur, præsertim pauperibus, ac forsan agricolis, nullo modo aduersari? Cur dixi, non auersari, sed nec interrogare quidem, aut interrogantes responso audito tacere atque cedere? Nam vtraque ista pariter, mihi mirabilia & inaudita videntur. Non enim paruum est, cũ traherentur iumenta, nihil dixisse: & si dixerunt, cũ audissent, quia Dominus illis indigeret, cessisse, maxime quum non ipsum, sed discipulos eius viderẽt.*

Nec minus miraculum; tam cito domitum fuisse pullum: nemo enim illo vsus fuerat. Chrysostomus: *σκόπει δὲ τὸ θαυμάσιον τῆς πώλης, πῶς ἀδάμαστος ὢν, καὶ χαλινὸν ἄπωθεν, οὐκ ἐσκίρτησεν, ἀλλ' εὐτάκτως ἐφέρετο. ὃ καὶ αὐτὸ προεπαίδευσε τὸ μέλλον· ἵνα δηλώσῃ τὸ καταπῆξαι τῶν ἐθνῶν, καὶ τὸν ἀέρα εἰς εὐταξίαν μεταβαλεῖν. Tu vero subitam pulli domationem admirare, quomodo dum esset indomitus, & freni omnino expers, non resilit, nec reluctatus est, sed quiete quasi assuetus ferebatur. Gentium enim obedientia hinc significatur, & repentina in meliorem vitam mutatio.*

VERSVS 6. & 7.

Euntes autem, discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

QVÆSTIO I.

Quæ Prophetia de Christo citatur?

§. 1. TOtum hoc factum ait, vt impleretur, quod dictum est per Prophetam, Syrus; in manu בִּיר *beiad*. Propheta aut est Zachar. 9. 9. aut Isa. 62. 11. Verba Zachariæ: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi iustus, & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Verba Isaiæ: *Dicite filia Sion, Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.* *Duo Prophetæ iunguntur.*

Vtrunque iunxit Euangelista, quia vterq; Propheta idem prædixit. Præcipua tamen pars ad Zachariam pertinet. Propheta vero tantam admiratus humilitatem, *Ecce*, inquit, *rex tuus venit*, &c. Ex quo discere licet, non ridiculam pompam fuisse futuram, nisi oraculo prænunciata fuisset. Nam Propheta, cum nondum factum esset, cum nondum ipse eam enunciasset, admiratus est supereminentem Dei clementiam, & immensas bonitatis diuitias, quod eo se demiserit, quo ne ciuis quidem honestior detrudi se pateretur, ex magnitudine igitur mysterii processionem Propheta æstimauit, non ex sua prædictione: quocirca & hinc Caluini petulantia retunditur, cui illa historia sine illo condimento non sapit, at sanè absque illo condimento, & Isaiæ, & Zachariæ sapiebat, & admiratione ingenti defixit. non quia ipsi ista præuiderent, sed quia Deus facturus erat.

§. 3. Iustinus Dialogo contra Tryphonem verbis Isaiæ probat etiam hæreditatem dandam gentibus. *Gentium vocatio.* εἰ καὶ μὴ σαββατίζετε, μήτε περιτέμνονται μηδὲ τὰς ἑορτὰς φυλάσσετε, πάντως κληρονομήσετε τὴν ἁγίαν τοῦ θεοῦ κληρονομίαν, *Et si non sabbatizent, neque circumcidantur, nec festos dies custodiant, omnino tamen hæreditabunt sanctam Dei hæreditatem.* Quod quidem non ex illis præcise verbis, sed toto textu intelligitur, agitur enim de gentium omnium salute.

Quod tamen ex illis præcise verbis non colligitur, sed toto contextu; nam de gentium vocatione agitur, quæ vt nouus pullus Dominum, postquam asinam deseruit, exceperunt.

§. 4. Paupertatem Christi Domini etiam Iudæorum Rabbini, aliquando cognouerunt. Nam post verba Zachariæ subditur. *Et loquetur pacem gentibus, & Dominium eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad fines terræ.* Rabbi Salomon de Messia interpretatur. *Iudæi Christi diuinitatẽ agnoscunt.* „ Verba eius: [*Ecce Rex tuus veniet tibi.* Non potest hoc „ exponi, nisi de Rege Messia. Quia dictum est hic, „ *Et Dominium eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsque* „ *ad fines terræ.* Et non inuenimus talem Dominatorem „ in domo secunda, hoc est, tempore secundi templi „ fuisse. Ex quibus aperte liquet, Regnum Messiæ spi„ ritualiter intelligendum esse, cum regnum temporale „ & paupertas simul esse non possint. Ad hoc etiam fa„ cit, quod Rabbi Moses Hadarsan in expositione Ge„ nesis, super illud 49. cap. eiusdem libri dictum, *ligans* „ *ad vitem pullum suum.* sic dicit, Cum venerit Messias in „ Ierusalem, ipse erit cingens Asinum suum, & equita„ bit, & super eum veniet in Ierusalem, vt ducat seipsum „ in paupertate, vel humilitate. Sicut scriptum est Zach. „ cap. 9. *Pauper & humilis equitans super asinum vel asinam.* „ Sequitur in libro Geneseos ibidem, *& ad palmitem fili mi* „ *asinam suam. Quando enim veniet ad congregandum Israel.* „ Sicut dictum est Zach. 10. אשרקה להם ואבצם „ כי פדיתים Hoc est, *Sibilabo eis, & congregabo eos, quia re*„ *demi eos. Tunc equitabit super filium asinæ suæ.* Et sic dicit „ Zach. 9. cap. *Et super pullum filium asinarum.* Hæc tradi„ tio. Item in Bereschith Rabba super illud Gen. 49. cap. „ scriptum, *Non recedet Sceptrum de Iuda*, cum cæteris, ita „ legitur, Non recedet sceptrum. Hic est Rex Messias „ Filius Dauid, qui venturus est ad confringendum re„ gna in virga, vel cum virga. Sicut dictum est Psal. 2. „ תרועם בשבט ברזל כבלי יוצר תנפצם „ i. *Confringes eos in virga, vel virga ferrea, & tanquam vas fi*„ *guli proijcies eos.* Sequitur, *Et scriba vel contritor de medio* „ *pedum eius.* Hic est etiam Rex Messias, qui venturus „ est ad conterendum gentes pedibus suis, quemadmo„ dum dictum est Isa. 26. cap. תדרכנו רגלי עני „ חר מיסכנא Hoc est, *conculcabit eam pes pedum pauperis.* Iste enim „ pauper est Messias, de quo dictum est Zach. 9. cap. „ *Pauper & equitans super asinam.*]

Non potuit magis Christianè hoc regnum declarari, verum Iudæorum animi toti auaritia, superbia, libidine deprauati Messiam exspectabant, cuius potentia, & opibus suas cupiditates explerent, ideo duriora, sed honesta ferentem primùm aspernati fuere, dein de occiderunt. Imo non defuerunt olim ex Iudæis, qui Messiæ tempore viuere non optarunt, quod multa patienda amicis eius scirent. Deteriores illi erant Pharisæis, qui eum vt regem magnificum, & opulentum exspectabant; nam qualemcunque Messiam amabant tamen. at alii cum ex scripturis intelligerent, illi multa toleranda malebant ante è vita subduci, ne eius imperium portare cogerentur, mirâ ignauiâ. Legitur in libro Zanedrin in capite Helec, [Legitur etiam in libro Sanhedrin in capit. Helec. „ Quod dixit R. Iehudi, non veniet filius Dauid, id est, „ Messias, donec extenderit se regnum nequam, (id est, „ Romanum iuxta R. Selomonis glossam) super Israel. „ Dixit R. גולא *Ghula*, veniat Messias, & ego non vi„ deam eum. Dixit R. Ioses, veniat & vtinam dignus „ sim, vt sedeam in vmbra caudæ asinæ eius. Dixit אבי „ Abbaye ad Rabba, Quæ est causa, ob quam non vis „ eum videre? nunquid propter passionem & tribula„ tionem ipsius?]

Et paulo post: [Sic etiam dixit R. Iohanan etiam „ facies superioris & inferioris familiæ. In hora enim „ qua dixit Deus Sanctus & Benedictus, His sunt opus „ manuum meatum. Et quomodo destruam hos, pro„ pter istos? Dixit R. פפא Papa, ad hoc est, quod di„ xerunt homines. Cucurrit bos, & cecidit, & substi„ tuerunt ei equum in stabulo. Hucusque traditio. „ Glossa autem R. Selomonis exponens exemplum „ postremo inductum, sic ait, Cum bos cuiusdam cur„ reret, cecidit. Substituerunt ergo equum loco ipsius „ in stabulo. Quod an ea non fecisset Dominus bouis „ & equi, tantum enim diligebat bouem. Postquam au„ tem curatus est bos, graue fuit ei, equum de stabulo „ expellere, & ibi bouem reponere. Ita facit Deus San„ ctus & Benedictus. Quando enim casus Israelis con„ tingit, dat Deus magnitudinem eorum gentibus „ mundi. Cum vero postea Israel ad pœnitentiam re„ uertitur, durum est Deo perdere eos, sc. Gentiles pro„ pter Israel.]

Fatentur itaque Messiam pro Iudæis gentes in gratiam substituturum. Quod iam dudum esse factum, experientia docuit.

VERSVS 8.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

QVÆSTIO I.

Quis honor rebus ipsis Christo exhibitus?

§. 1. AFfectu multitudinis honor pensandus est. Vestibus asinam sternunt, & pullum, ramos cædunt, & viam ornant: plurimi autem faciendum, quod ait, *plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via.* Luc. 19. 37. *Turbam discipulorum* fuisse ait, quod non stricte de Apostolis, aut septuaginta discipulis intelligendum est, sed de omnibus, qui eius doctrinam sequebantur. Magnus ille honor fuit, & nulli Monarchæ exhibitus, vt palliis viam sternerent prope vrbem, non defuisse preciosa pallia consentaneum est credere, multis ex principibus in eum credentibus. Iehu cum ad regnum eueheretur Sodales ex palliis thronum fecerunt 4. Reg. 9. Caronis abeuntis pedibus mi-

bus, milites subiecerunt vestes, vt est apud Plutarchum in vita eius. Flaminium simili lætitia à Græcia exceptum refert Liuius, sed flores in consulem profuderunt, non vestes, Agrippam postea floribus aspergunt venientem in vrbem, sed de vestibus nulla mentio. Sed in his metus, & adulatio omnia vitiabat, Christum puro colunt affectu.

QVÆSTIO II.

Quis verborum honor Christo delatus?

§. 1. CLamabant pueri pariter & adulti in agro, per vrbem, in templo. Et quid dicerent procul dubio intelligebant, nunc non exigua est hisce in verbis difficultas, nobis veterum morum, & linguarum ignaris.

Cœperunt omnes gaudentes laudare Deum voce magna: clamant autem: *O sanna.* ὡσαννά. Quid sit Osanna, non est tam facile exponere etiam Syriacè, & Hebraice gnaris, quam sibi nonnulli persuadent.

§. 2. Præcipua est porro difficultas in voce *Osanna.* Augustinus tract. 57. in Ioannem interiectionem esse putat. Hilarius, & Ambrosius redemptionem Domus Dauid, alii hymnos, alii ramos significare volunt. Habent singulæ sententiæ aliquid, quod legisse iuuet. Principio notandum est vocis etymon; nam cum plerique formant à verbo ישע *Iaschagh.* quod est *saluauit*, vt inde sit הושיע *Hoschiagh, saluum facit*, dicaturque (addito נא quod est blandientis, deprecantis,) הושיעה נא *salua obsecro, ach salua*: cum hæc sit originatio, tamen in Syro non scribitur per ה aspiratiuam initio, sed per ארשענא *oschaghna*, & à Græcis & Latinis extrita litera gutturali ע. quæ densissimæ aspirationis est, vocatur *Osanna.* Itaque qui contendunt dicendum Hosanna, vti consentiunt Græcis, ita discedunt à Syris. Non dubito tamen, vel errorem in Syro esse, scriptionis, vel idiotismum, verso ה. in א. Minus enim Syri aspirationibus & sibilantibus literis delectantur, quam Hebræi, sic Itali, & Francorum nonnulli dicunt *omo*, spiritu leni, Ector, & apud non indoctum medicum legi; *Ethica febris.* Hieronymus semper cum aspiratione legit. Hilarius & Ambrosius facile excusantur, nam salutem significant domui Dauid, cui præcipue mittebatur Messias, imperium suo generi reducturus.

Nec Augustini interpretatio cachinnis sciolorum iuste impetitur. Vltima particula נא est interiectio, fenò & blandè rogantis. Nec ego dubito totum verbum affectus indicium præbere, & esse aliquando interiectionem. Nam omnium in ore erat, etiam puerorum, nec modo illo verbo orabant, sed laudabant, gratulabantur, lætitiam exprimebant. Videmus sane plurima verba, quæ aliud ex primæua institutione significant pro interiectionibus vsurpari. Vt apage, apagesis, malum, nefas, amabo, infandum. Ita in opere Grammatico accuratissimus Emanuel Aluarus, & consentiunt, Diomedes, Donatus, Probus, Priscianus, totaq; illa tribus. Quod si auctores Latini de vocibus latinis ita sentiunt, & ita omnes loquimur, quis inficias fuerit, & id fieri apud Syros, & Hebræos? Solennem autem acclamationem fuisse ex eo constat, quod Euangelistæ verbum Hebræum expressetint. Confirmat id S. Hieronymus, qui נא & אנא interiectiones deprecantium esse ait, & per verbum *obsecro* exponit, quod etiam interiectionis aliquando partes agit. Interiectioni נא *na*, respondet Latinis ô,

Quanquam ô, sed superent, quibus hoc Neptune dedisti.

Verbum Hebræum vt dixi הושיענא Hoschiaghna, salua obsecro. Syri contrahunt, הושענא vel ארשענא hoschaghna, vel oschaghna. Sumpta sunt porro verba, vt docet Hieronymus ad Damasum, Epist. 145. ex Psalmo 117. v. 25. illum enim crebro iterabant Psalmum, Hebræa sic habent אנא יהוה הושיע נא אנא יהוה הצליחה נא *ô domine, salua ô, ô Domine libera ô.* quod vero legitur הושיעה Hoschigha, notandum ה finale esse paragogicum. Non igitur à vero omnino abiit Augustinus, cum dictionem illam, quæ ex interiectione, & alia composita est, & partes interiectionis agere potest, dixit esse interiectionem. Quod pro reuerentia tanti doctoris monere volui, quem multi carpunt, nemo æquauit.

Osanna in excelsis, quidam interpretantur *ab excelsis*, Apud Lucam: *Pax in cœlis, & gloria in excelsis*, Marcus, *Benedictum, quod venit regnum patris nostri Dauid.* Pro ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις, quidam habent ὡσαννὰ ὑψίστοις, nulla mutatione sensus.

§. 3. Maior est ipsa in re difficultas; ad quem scilicet oratio illa dirigatur, cui supplicent, pro quo rogent. Salutem omnes poscunt, cum dicunt: *Osanna*, sed an sibi? an Christo? controuersum est. Multi enim existimant Deum rogari, vt Christum regem & Messiam conseruet. alii Christum rogari, vt turbas seruet. Hoc sensu interpretantur Iren. l. 4. aduersus hæres. cap. 24. Orig. tract. 15. in Matth. Hilar. can. 17. Ambros. in cap. 19. Lucæ. E contrario multis placuit diuersa expositio; nempe à Deo peti, vt Christum conseruet, ita Cantipratens. Iansenius, Geneb. Psalm. 117. Claudius, Hentenius, Maldonatus. Argumenta multa adferunt. Verba Psalmi, quæ turba toties iterat, sciebat soli Deo cani solita, & à Dauide cantata, at Christum Deum esse nondum sciebat: non igitur illi tribuit, quod soli diuinæ maiestati conuenire credebat. *Quem adorent.*

Deinde benedictum appellant, non quasi ipse Dominus sit, sed qui venit in nomine Domini. A Deo igitur Christum suum fide adhuc imperfecta distinguunt.

Tertio, Non alio sensu verba plebs vsurpauit, quam ipse Dauid; ille à Deo, à Iehoua salutem, non ab eo, qui venit in nomine Domini petit.

Quarto. Constructio, & sensus verborum hanc interpretationem exigit. Quis enim sensus esse potest: *Osanna filio Dauid*, nisi salutem precantium filio Dauid? Et Osanna in altissimis, petitur salus in cœlo, & à Deo, non à filio Dauid, qui non erat in cœlo, secundum humanitatem, nec ipsi diuinitatem eius cognoscebant, vt per eam in altissimis esse crederent.

§. 4. Non tamen argumenta hæc, quod videntur, efficiunt, pleraque retorqueri facile possunt. Verba à Dauide ad Deum referuntur, plebs Christum esse Deum nesciebat. Respondeo. Verbum saluandi Christo conuenire, qui ideo Hebræis יהושע & Syris ישוע Ieschugh dicebatur. Non igitur mirum est, si clamat turba: *Salua obsecro* Saluator. Nomen Iesu notum erat omnibus, clamant enim passim, *Iesu fili Dauid miserere mei.* Nec soli Deo saluandi verbum conuenit, nisi vt primo auctori, alii quoque, vt causæ administræ, saluabant. 4. Reg. 6. 27. clamat mulier הושיעה ארני המלך *Salua me Domine mi Rex.* & ille. *Non: saluet te Dominus.* מאין אושיעך *Vnde te saluem?* Non negat ille regum esse saluare suos, cum tot iudices & reges dicantur saluasse Israelem, sed negat sibi quicquam superesse, quo saluet, nec de area, nec de torculari. Attamen esto soli Deo salutem tribuant Israelitæ, non omnes Messiam Deum esse ignorabant. Iam enim ex disputationibus illius cum Iudæis constabat, improbos ideo Christum execra- *Christo acclamat, eum erat.*

tos,

tos, quod Deum se diceret. Aliorum igitur aliqui in eum credebant: & Deum esse sibi persuaserant. Non igitur omnium illa ignorantia. Deinde Apostoli Deum esse credebant, vt ex Petri confessione manifestum est. at auctoritatis & magistratis Apostolis acclamatio cœpit, forte in turba erat Lazarus, Magdalena, Martha; nam audita Lazari resuscitatione maxime commota est ciuitas. Deum igitur iudicabant, qui mortuos resuscitare posset. Qui ergo Deum credebant, eum inuocabant vt Deum, qui nondum hoc edocti mysterium erant, salutem poscebant vt à Iesu saluatore & Christo. Idque præeuntibus Apostolis, & discipulis, qui Deum credebant.

Secundum argumentum non probat, eum Deum non esse. Benedictum enim Deum, & homines dicimus. A Spiritu Sancto vox illa est. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Nec obstat, quod venire dicatur in nomine Domini. Sæpe ille contestatur, se venisse in nomine Patris sui, & tamen se esse idem cum patre profitetur. Abest vt sibi diuinitatem detrahere eum dicamus, cum missum se dicat à patre. At ignorabat ista Israelitæ: Multi ignorabant, at illi, vnde orationis initium fluxit, sciebant. Eos alii sequebantur, & si non expresse, vt à Deo, certè vt à Saluatore Messia salutem orabant. Non tamen tam magna erat ignoratio diuinitatis Messiæ, quam nonnulli ex recentioribus imaginantur. Dauid certe Dominum suum appellarat, & Psal. 15. Chaldæa paraphr. quæ erat nota Iudæis vertit. *Thronus tuus Deus in secula seculorum, regnum forte, sceptrum regni tui. Et tu Rex Messhicho, quoniam dilexisti iustitiam, & odisti malitiam, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Thronum illi æternum tribuit, & diuinitatem, vt in eius Psalmi expositione ostendi. Quin & in expositione super Genes. Et in Midras Thehillim, super Psal. 90. in glossa R. Nechmia. & in Zanhedim super Isaiæ 23. Deinde Rabbi, qui isto nomine per antonomasiam insignitur, quemque illi sanctum habent: ait: יוה id est, *iste* scilicet Messias, *est duo, Deus scilicet & homo, vel duæ naturæ in Messiâ vnitæ, diuina & humana. Et tres sunt generationes harum naturarum substantiæ, verbum Dei, anima rationalis, corpus humanum.* Idque probat ex Psal. 71. quod Israelitæ eum formidaturi essent ante solem. In eo enim quod ait: cum sole, & ante Lunam coniunctionem humanitatis & diuinitatis in Messia indicat. ante Lunam R. Salomo interpretatur ante regnum Dauid. Sic & Rabbenu Haccados, Magister noster Sanctus, vt eum appellant Hebræi, in libro גלי רזיא *gale razia. Reuelante arcana*: mirâ cabalâ diuinitatem Christi colligit, sed tamen aperum est testimonium, quo intelligamus veteres Iudæorum de sui Messiæ diuinitate fuisse instituros. [Quemadmodum, *inquit*, litera ה *he*, componitur ex ד *daleth*, & ו *vau*. Ita Rex Messias componitur ex diuinitate & humanitate. Et sicut hæc duo הה *he* sunt duo *daled*, & ab his procedunt duo *vau*, tanquam duo filii, qui ab ipsis oriuntur. Ita in substantia Regis Messiæ inueniuntur duæ filiationes, quarum vna est diuinitatis, qua Dei filius est: altera erit humanitatis, qua erit filius Prophetissæ, de qua dixit Esaias octauo cap. Et accessit ad prophetissam, & concepit & peperit filium. Et sicut harum literarum ד *daleth*, & ו *vau*, quæ conficiunt ה *he*, vnaquæque distincta est ab altera, quanquam ambæ sint vna litera. Ita in Messia, substantia diuinitatis distincta erit à substantia humanitatis, & econtra. Quæ duo simul iuncta sunt Messias.] Hæc illi non dico quam firmiter probent, sed quam diserte asserant, nobis cogitandum esse.

Benedictus Deus & homines.

Diuinitas Messiæ non omnino ignota erat.

Messias Dei filius.

Et in Psal. 18. in Midras Thehill. Messias dicitur nomen Dei, nempe יהוה, Et R. Moses Hadarsan in Gen. 41. *Non est autem nomen Dei hic dictum, nisi Rex Messias, nomen Dei est Iehoua, seu tetragrammaton, quod soli Deo conuenit.* Sic Ierem. 23. Thalmudistæ Messiam annunciari nomine tetragrammato. *Deus iustus noster.* Sic & Thargum Ionathæ. & R. Ionathan filius Vzielis in Isa. 28. *Et erit Deus exercituum in coronam, &c.* Vertit, *In illo tempore erit Messiæ Deus exercituum.* Vbi etiam יהוה nomen tetragrammaton.

Hinc etiam nomen שדי Schadai omnipotentis, Messiæ tribuebant.

§. 5. Tantum verò abest, vt hæc acclamatio diuinitate Christum priuare dicenda sit, vt potius hinc illam prisci asseruerint. Tertullian. Laduersus Praxeam cap. 17. ex his Christi probat diuinitatem. *Quæ pium gesta sunt, facilius existimauerunt, patrem in filij nomine egisse, quam filium in patris, dicente ipso Domino. Ego veni in patris mei nomine. Item ad ipsum patrem: Nomen tuum manifestaui hominibus. Condicente etiam Scriptura: Benedictus qui venit in nomine Domini, vtique filius in patris nomine. Et nomen Patris. Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, qui est, quatenus ita Scriptura docet. Hæc dicimus & in filium competisse, & in his filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestasse. Omnia inquit, Patris mea sunt. Cur non & nomina? Cur ergo legis Deum omnipotentem, & altissimum, & Deum virtutum, & regem Israelis? & qui est? Vide ne per hæc filius etiam demonstretur. Suo iure Deus omnipotens, quâ semper Deus omnipotentis, quâque omnium accepit potestatem. Altissimus, qua Dextra Dei exaltatus, sicut Petrus in actu commemorat. Dominus virtutum, quia omnia subiecta sunt illi à patre. Rex Israelis, quia illi proprie excidit sors gentis istius.* Itaque filius à patre non separatur, sed eiusdem est potentiæ, eiusdemque diuinitatis. Et Deus omnium quemadmodum & Pater.

Denique citatur Isa. 44. 5. à Lactant. l. 5. c. 9. & vbi nos habemus: *Rex Israël*, apud 72. est, *Deus Rex Israel*, de Messia autem omnes intelligebant, & addiderunt: *Redemptor, &c.*

§. 6. Quod verò tertio loco obiicitur eodem sensu Dauidem & hunc populum verba Psalmi protulisse, id maxime pro veterum sententia facit. Sic enim Dei statuo: Propheta Dauid in Spiritu Sancto Christum Christi Deum agnouit, & adoranit, ab eoque salutem petiit, quem sciebat fore Saluatorem; at eodem sensu & Spiritu Apostoli & populus, adeoque pueri in templo clamarunt. Nam eos in spiritu sic clamasse vaticinium Dauidis indicat, *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*: Quin & doctores eo fundamento nituntur. Itaq; hoc ostendendum est à Dauide nō modo Deum patrem, sed etiam Messiam inuocatum. Hoc enim si ostensum fuerit, facile concedent. Apostolos, populumq; non auocasse orationem à Christo. Verba Psalmi sunt à v. 21. ad finem vsque. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli. à Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Dauid hic appellat lapidem ipsum Christum, vt constat ex ipsamet Christi Domini interpretatione, qui sibi applicat, vt facit & Petrus. Sic & Christus est, quem *sibi factum* dicit *in salutem*. addit: *Deus Dominus & illuxit nobis. Et Deus meus es tu.* Christum igitur inuocat & Dominum, & Deum appellat, versibus antecedentibus, & sequentibus v. 25. & illo versu de Messia agit. Sic interpretatur S. Augustinus, *Dominus ille qui venit in nomine Domini, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli: Mediator ille Dei & hominum, homo Christus Iesus Deus est, æqualis est patri & illuxit nobis. Ut quod credidimus intelligeremus, & vobis nondum intelligentibus, sed credentibus enunciaremus, vt autem & vos intelligatis.*

Dauidem

Dauidem pro se orasse, & populo, non pro Messia
Dauid pro quo. clarius est, quam vt interpretatione egeat, eodem ergo modo discipuli pro se orarunt, non apud Deum pro Messia intercesserunt. De Dauide textus sine glossa id in dicat. v. 21. *Factus es mihi in salutem, quoniam exaudisti me.* rogauit vt sibi esset in salutem. v. 24. *Hæc dies, quam fecit Dominus*, dies salutis hominibus præstitæ. Deinde ab initio iubet *confiteri Domino, quoniam bonus*, &c. & v. 5. *exauditum se* ait, & v. 6. *Dominus mihi adiutor.* & v. sequentibus, *vltum se inimicos* ait, Domino adiuuante. *Se à Domino susceptum, à Domino exaltatum, mortis non traditum.* At vero Dauidem in periculo constitutum orasse, vt Deus Messiam saluum faceret, id vero mirum videri non immerito debet, cum Deum esse sciret, qui assumpta carne Messias venturus fuerat. Hoc ipsum etiam nostram sententiam confirmat, quod diebus tabernaculorum ista canebantur, & eo pertinet, quod ait: *Constituite diem sollemnem in condensis*, hoc est frondosis tabernaculis. at illo die pro se quisque & familia orabat, *Saluum me fac.* Non pro Christo futuro intercedebat. Deniq; Catholicos miror dicere Dauidis verba pro Christo esse orationem, cum Latina versio habeat; *Saluum me fac*, quo ostenditur pro se orasse Dauidem. Nam reuera σῶσον est eum qui in periculo est seruare.

§. 6. Multo difficilius est, quod ex contextu formant argumentum. Dicunt enim: *Osanna filio Dauid*, Syriace etiam tertio casu לברה *labberech.* Hic alius sensus esse non potest; quam, *Salua filium Dauid.* At הושיע accusatiuum & datiuum habet. Sic Psal. 85. 16. sic Iosu. 10. 6. Deuter. 22. 27. Prouerb. 20. 27.

Quid sit quod dicunt filio Dauid. Variæ sunt responsiones. Quidam quinto casu legendum censent, *Fili Dauid*; sed illis contradicunt omnes omnino codices, qui consensu tertium casum habent. Altera interpretatio Osanna significare ipsas frondes, itaque sensum esse. Osanna, id est, *frondes Christo filio Dauid*, subaudito, fetimus, ferte, & ei qui est in altissimis: ita Caninius de locis noui testamenti. Iudæos sic acclamasse in festis tabernaculorum satis constat, & in libris orationum illa sæpe ingeminant. Frondes ita appellari etiam satis constat; nam & Syri Dominicam Palmarum, vocant, Dominicam Osanna, quanquam fieri potest, vt à voce clamantium non frondibus sic appellent, ita etiam Thalmud libro de festo tabernaculorum. Quamuis autem id dici potest, non tamen dubitandum est, Spiritum Sanctum alterius respex sse, & eum à quo salus esset ostendisse. Alii aiunt imperatiuum illum, cum additur נא, bene precantis, plaudentis, bene ominantis esse. Quæ sententia non abludit ab illa quam dixi Augustini, esse. Perinde enim est, ac si diceretur, ὄφε, Euge, ô bene filio Dauid.

Alii solâ distinctione rem componunt. Sic enim textum ordinant. Dicentes, Osanna, filio Dauid. Hoc est, *dicentes filio Dauid: Osanna, Salua obsecro.* Hæc distinctio tamen nullo nunc in libro est. Veteres tamen eos habuisse vix dubium est. Verum Euangelistæ non solent absolute Christum filium Dauid appellare, sed tantum cum aliorum verba recitant, ita & v. 16. puerorum vox est: *Filio Dauid*, non Euangelistæ. Marcus illud: *Filio Dauid*, omittit, tantum enim habet: *Osanna*, quod indicio id etiam solum dictum esse aliquando, vti fieri solebat in festis tabernaculorum, vbi absolute pronunciabatur, quod si quispiam contendat, eum hic sensum esse, conuinci non poterit.

Proprius tamen sensus est ex consuetudine, & more loquendi Hebræorum accipiendus. Hoc enim dicunt. *Salua nos filio Dauid.* Nempe venit diu promissus Israeli Christus, filius Dei, cuius regnum erit optimum & felicissimum, illi nos regi serua: Hoc à Deo, hoc à Christo petunt. Serua nos ô Messia, filio Dauid, serua nos liberatos à gentium impiarum imperio, vt tandem filio Dauid seruiamus. Ita vt vox illa sit omnium rogantium, & Dei filio, regi nouo, filio Dauid se suaque omnia offerentium. Hoc ramorum sparsio, hoc vestium proiectio significabat. Nec peregrinum hoc videri debet, nec inauditum. Ecclesia Romana sic interpretata est, in Antiphona vltima ad laudes die palmarum; *Cum Angelis & pueris fideles inueniamur, triumphatori mortis clamantes Osanna in excelsis.* Triumphator mortis est Christus, illi clamamus, vt nos sibi seruet. Si pueri illi acclamant, ab eo salutem sibi petunt. Nec aliter loqui solent Hebræi, ita 1. Reg. c. 25. 26. ויהושע ירב לך *Et seruauit manum tuam tibi.* & v. 33. ויהושע ידי לי *& seruauit manum meam mihi.* Nam frequenter vtuntur datiuo, cum aliquo modo ad alios pertinet id de quo agitur, vel ad ipsum agentem. Hic igitur non hoc quærunt, vt saluentur simpliciter, sed saluentur Christo filio Dauid, vt ei seruiant, quasi eius mancipia, & possessio. Itaque salus hic à Christo petitur, vt omnes veteres cum Hieronymo interpretantur: & deinde qui ab eis acceperunt. Beda, Thomas, Lyranus, Hugo, Abulensis. Carthusianus, Anselmus, Toletus, Barradius.

§. 7. Cæterum quæ hunc in locum Hieronymus commentatur Epistola 145. ad Damasum, hic addere visum est. Et primo quidem, si singula verba spectes, Hilarii sententiam ostendit in verbis non esse. Deinde pergit: *Ita & nunc ex Hebræis codicibus veritas exprimenda est: vnde in hanc vocem vulgus & maximè consona inter se paruulorum turba proruperit, dicente Matthæo*: Turbæ autem quæ præcedebant & sequebantur, clamabant dicentes: Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis. *Marcus vero ita posuit*: Clamant dicentes Osanna: benedictus qui venit in nomine Domini: benedictus quod venit in nomine Domini, regnum Patris nostri Dauid, Osanna in excelsis. *Ioannes quoque pari voce consentit*: Et clamabant Osanna: Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. *Solus Lucas verbum* Osanna *non posuit, in reliquâ interpretationis parte consentiens.* Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. *Igitur vt diximus, ipsa Hebræa verba ponenda sunt, & omnium interpretum opinio dirigenda, quo facilius, quid super hoc sentiendum sit ex retractatione cunctorum, ipse sibi lector, quid sequatur inueniat. In centesimo decimo septimo Psalmo, vbi nos legimus.* O Domine Saluum me fac, ô Domine bene prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini: *In Hebræo legitur: Anna adonai, Osianna, anna adonai, hazlianna: Baruch haba basem adonai.* (*Verba Psalmi Hebraicè supra posita sunt.*) Quod Aquila, Symmachus, Theodotion, & quinta Editio, ne quid in Latina mutate videamur, ita exprimunt; ὦ κύριε σῶσον δὴ ὦ κύριε εὐόδωσον, δὴ εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος, ἐν ὀνόματι κυρίου. *Sola sexta editio cum interpretibus septuaginta ita congruit, vt vbi cæteri posuerunt ὦ δὴ illi scripserint ὦ. Et quia Osianna, quod nos corrupte propter ignorantiam dicimus, Osanna, saluifica siue saluum fac, exprimatur, omnium interpretatione signatum est. Nunc illud in curâ est, quid sine adiectione Saluandi, solus anna sermo significet. Sciendumque quod in hoc loco ter dicatur* anna. *& primum quidem ac secundum eisdem literis scribitur, aleph, nun, he, tertium vero, heth, nun, he. Symmachus igitur, qui in centesimo decimo Psalmo cum omnium interpretatione consenserat, vt nobis manifestiorem tribueret intellectum in centesimo decimo quarto Psalmo, vbi dicitur*: O Domine libera animam meam. *Vbi autem septuaginta ὦ & ille obsecro transtulerunt. Aquilâ & cæteris editionibus ὦ δὴ interpretantibus, in Hebræo scribitur* anna, *verum ita vt in principio, aleph habeat, non heth ex quo animaduertimus, si ex aleph scribatur* anna *significari* obsecro; *si autem ex heth, esse coniunctionem, siue interiectionem, quæ apud Græcos ponitur*

nitur χελιαχικῶς, cuius interpretationem latinus sermo non exprimit. *Sed quoniam hæminutiæ & istius modi disputationis arcanum, propter barbariem linguæ pariter ac literarum, legenti molestiam tribuunt; ad explanandi compendium venio; vt dicam de centesimo decimo septimo Psalmo, qui manifestè de Christo prophetat, & in Synagogis Iudæorum creberrimè legebatur, vnde & populis notior erat, hos versus esse assumptos; quod ille, qui repromittebatur de genere Dauid, venerit saluaturus Israel, dicente Dauid:* Lapidem quē reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, à Domino factus est hic, & est mirabilis in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. O Domine Saluum me fac: O Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis. *Vnde & Euangelistarum Scriptura commemorat, Pharisæos & scribas super hoc indignatione commotos, quod viderent populum, Psalmi Prophetiam super Christo intelligere completam, & clamantes pueros.* Osanna filio Dauid, *dixisse ei: audis quid isti loquuntur? Et Iesum respondisse:* Nunquid legistis quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem: *centesimum decimum septimum Psalmum, octaui Psalmi assertione firmantem. Et de eo quidem quod facile exprimi poterat; Benedictus qui venit in nomine Domine, omnium Euangelistarum Scriptura consentit. De verbo autem Osianna, quia in Græcum non poterant transferre sermonem sicut in Alleluia, & in Amen, & in plerisque factum videmus, ipsum Hebræum posuerunt* dicentes Osianna; *Lucas igitur qui inter omnes Euangelistas Græci sermonis eruditissimus fuit, quippe vt medicus, & qui Euangelium Græcu scripserit, quia se vidit proprietatem sermonis transferre non posse, melius arbitratus est tacere, quam id ponere, quod legenti faceret quæstionem. Ad summam sicuti nos in lingua Latina habemus interiectiones quasdã, vt insultando dicamus, vah, & in admirando, Pape, & in dolendo heu, & quando silentium volumus imperare, strictis dentibus spiritum coarctamus, & cogitamus insonãdo scilicet sibilum. Ita & Hebræi inter reliquas proprietates linguæ suæ habent interiectionem, vt quando volunt Dominum deprecari, ponant verbum petentis affectu, & dicant:* Anna Domine, *quod septuaginta dixerunt:* O Domine הושיע Hosiach, *ergo saluifica interpretatur.* anna *interiectio deprecantis est. Si ex duobus hũ velis compositum verbũ facere, dices* הושיענא Hosianna, *siue vt nos loquimur,* Osanna הושענא *media vocali litera elisa, sicuti facere solemus in versibus Virgilij, quando pro Menin incepto desistere vitam scandimus, Menin incepto. Aleph namque litera prima verbi sequentis, extremam verbi prioris Iod inueniens, exclusit. Quapropter vt ad quæstionis originem reuertamur: Vbi nos legimus in Latino:* O Domine saluum me fac, ô Domine bene complace: benedictus qui venit in nomine Domini: *iuxta Hebræum sensum legere possumus,* obsecro Domine Saluũ fac, obsecro Domine prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini. *Saluum autem fac dicitur, vt subaudiamus populum tuum Israel, siue generaliter mundum. Denique Matthæus, qui Euangelium Hebræo sermone conscripsit ita posuit,* הושיענא ברמה *Osanna berama, id est,* Osanna in excelsis: *quod Saluatore nascente, salus in cœlum vsque, id est, etiam ad excelsa peruenerit, pace factâ non solum in terra, sed & in cœlo: vt iam dici aliquando cessaret, Inebriatus est gladius meus in cœlo: Hac interim iuxta mediocritatem sensus mei, breuiter, strictimque dictaui: cæterum sciat beatitudo tua, in istius modi disputationibus molestiam in legendo non debere subrepere: quia facile & nos potuimus aliquid ementiri, quod ex vnâ voce solueret quæstionem, sicut & cæteros fecisse monstrauimus: Sed magis condecet, ob veritatem laborare paulisper, & peregrino aurem accommodare sermoni, quam de alienâ linguâ fictam falsamue referre sententiam.*

In Hieronymo hic magnopere notanda diuersa lectio in Hebræis; nam ita vt ille legit, & literas enumerat, non leguntur. vt ne putemus Hebræum textum inuariatum permansisse, vt etiam notauit Victorinus in Hieronymum.

Deinde, in 70. nunc eam esse lectionem, quam ille tribuit Aquilæ, Symmacho, Theodotioni, & Quintæ editioni.

Tertio. *Saluum,* subaudit, populum Israel, seu generaliter mundum.

VERSVS 10.

Et cum intrasset Ierosolymam commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?

QVÆSTIO I.

Quomodo testimonium Domino datum à turba?

§. 1. A monte Oliueti insigni pompa progressus Dominus est, iam pluribus concurrentibus, vestes frondesq; spargentibus, & voce personantibus, σεισθη ἡ πόλις, commota est tota ciuitas, quibus magno concita tumultu, odio & inuidia principum accensa: Quærunt itaque impii, & principum suorum adulatores; Quis est hic? Respondet turba Ioan. 12. 12. Hic est Iesus Propheta à Nazareth. Magnis autem causis se honorem illi habere protestatur. Deinde ad Prophetias inquirendas excitat, dum proprietates illius prædicat. Hic quærere solent, cur adtantum tumultum præsidium militare se non commouerit? Quomodo cum regem Israel, & filium Dauid vocari audirent: non quasi in reum Maiestatis insurexerint?

Respondeo. Dei præsentis numine cohibitam esse, & principum, & sacerdotum potentiam, ne immisso exercitu quicquam turbarent. Quemadmodum videmus, nec contra Ioannem quicquam eos mouisse, quamuis tota Ierosolyma, & Iudæa ad eum egrederetur. Deinde compositum videbant, & inerme pietatis agmen. Nouerat etiam Pilatus Christum nihil contra pietatem molitum vnquam, sed principum odio premi. Quod vero Rex Israel diceretur, id ille moribus, Philosophia quadam, & religion's interpretabantur. Nihil occultæ coitionis, nihil armorum, aut virium apparebat. Omnem Christi doctrinam tantum pacis, & pietatis esse iam certo audierant, principes gentis, & potentes, à quibus oriri motus aliquis posset, infestos illi esse sciebant. Assueti autem erant Iudæorum festis, concursibus, tabernaculis, tubis, vt nihil illis mouerentur, cum omnes inermes essent. Addo in Ægypto multo plura eiusmodi agitari solita, ex quibus tamen seditionem non timerent. Voces autem illas *Osanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, regnum Dauid,* & similia, non intelligebant, si qui adessent Romani, aut tanquam superstitiosas irridebant.

VERSVS 12.

Et cum intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat vendentes, & tementes, in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Quomodo eiecit vendentes & ementes è templo?

§. 1. DE atriis templi, partibusque hic non est dicendi locus. Erat enim sanctum sanctorum, deinde sanctum, quæ tecta erant, deinde atrium sacerdotum, in quo altare holocaustorum. & aliarum victimarum, tertio atrium in quo Iudæi, quarto, aliud in quo gentes, multæ porticus, exedræ, ædes, quæ omnia templo seruiebant, in his illa vendebantur. Sed quia nundinationes, expilationes, & fraudes multæ committebantur, voluit Dominus longe abesse à sanctuario negociationes. Graues porro fraudes exerceri solitas increpationis asperitas edocet. Cum dicit domum suam factam speluncam latronum. Domus orationis dicitur Isaiæ 56.7. Quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. Cur non obstiterint vnius violentiæ multi, causam reddit Chrysost. ἐκεῖνος δὲ μετὰ πολλῆς κρίσεως μᾶλλον λέγουσιν. Ἰουδαῖοι δὲ δημόσιον ἐποιοῦντο, ἐν ταῦτῃ, τῇ σιγῶσι, καὶ πάντα ὑπομένοντες. Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ τοῦτον τοῦδε πάσι. τὸ τὸ ἡ κατηγορία μείζων ἐκείνων, ὅτι καὶ ἀπαξ ἢ δὶς τοῦτο ποιοῦντι ἐπετίμων. Ἐκείνων δὲ πολλάκις, καὶ ἀνέχεσθαι αὐτὸν εἶναι ἔλεγον ὅσον καὶ δεῖν μαθεῖν αὐτὸ πῶς πρὸς τὸ πατέρα τιμᾶν, καὶ τὸν οἶκον ἰσχύειν. καὶ διὰ τοῦτο ἐθαυμάζοντο, καὶ ἐπὶ τοῖς λόγοις πᾶς πάσχουσι συμφωνοῦντας. ἀλλ' οὐδὲν τοιοῦτον ἐπὶ τούτου ἀλλ' ἠγανάκτουν. καὶ ταῦτα τὸ πρόφητα ἔφη θεοῦ ἀκούοντες, καὶ τῶν παιδίων τοῦτο καιρὸν ἡλικίας ἀναγκαίου τοῦτον αὐτὸν. *id est*, Apud istum vero multo ante in templum dicitur Christus aduenisse: & tunc Iudæi dicebant, quod signum nobis ostendis? nunc vero quamuis acriter reprehensi, tamen quia iam mirabilis apud omnes videbatur conticuerunt: quod certe maiorem culpam Iudæorum ostendit, qui semel & bis reprehensi, perseuerabant cauponantes, & Deo aduersarium appellantes, cum debuissent hinc & vires ipsius, & honorem, quem patri tribuebat, agnoscere. Nam & signa iam multa, & verba signis conuenire videbant, dedignabantur tamen inobedientes, neque prophetam clamantem audiebant, nec infantium præter ætatem præconia percipere poterant.

§. 2. Hæc secunda est templi purgatio, in qua non modo, vt in priore queritur, domum suam esse factam *domum negociationis*, sed etiam *speluncam latronum*: Quia pietate non modo ad quæstum abutebantur, vt nunc χριστεμποροι, χρεστεμοροι, qui Christum cauponantur, & de illo negociantur, sed etiam vt פרושים Pherizin effractores, τοιχωρυχοι murorum perfossores, latrones; quasi tales diceret Pharisæos: nam exiguum est inter illos discrimen. Etenim פרושים Pharisæi, at פריצים latrones. Spelunca autem latronum apud Ieremiam cap. 7. vers. 11. vocatur, quod in eo conuenirent, principes & Iudæi qui latrones erant, non quod in eo latrocinarentur; quamuis & illud in templo factum est. vers. 8. *Ecce vos confidistis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire post Deos alienos, quos ignoratis. Et veniistis, & stetistis coram me, in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis: Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas.*

Iuo ideirco vocat speluncam latronum, quia cum omnia facinora commisissent, templo se tutos fore credebant. Eadem prorsus ratione nunc quoque omnibus sceleribus obruti, templi prætextu parentes, viduas, alios que prædabantur. Ante omnia in templo necem filio Dei machinabantur, pleni malitia & rapinis. Sed tamen postea & in templo homicidia patrata sunt, Ioseph. l. 17. c. 11. antiq. vbi in templo multitudine concitant, & saxis occidunt milites, qui ad eos compescendos venerant. *Cumque festum*, inquit Iosephus, *instaret, quo patrium est Iudæis non vesci fermentatis panibus, &c. Seditiosi deploratores legis doctorum Iudæ ac Matthiæ conglobati in templo permanebant, non deficiente victu, quem illos non pudebat mendicato quærere. Tum Archelaus veritus ne ad grauius aliquid eorum insolentia procederet, mittit tribunum cum cohorte, qui compesceret homines, priusquam cæterà turba huius furoris inficeretur contagio. Et si quorum emineret in concienda seditione ferocia, illos ad se adduceret. In hos turbatores illi clamoribus & hortatibus plebem exasperauerunt, & ferientes saxis plerosque occiderunt.* Pergit narrare, quomodo tria millia occisa sint, & quidem in templo. *Cædes in templo.*

Inter crimina autem Archelai recensentur cædes in templo lib. 17. cap. 11. *Maxime autem exaggerabatur in sacrato loco perpetrata cædes impia. Id q; die festo, quando tam hospites quam indigenæ victimarum more mactati sunt, & templum cadaueribus repletum, non ab externo, &c.*

Paulo post cum legione, cui Sabinus præerat, ad templum pugnatum est, & porticus incensæ, Sacræ pecuniæ conditorium direptum, vt est apud Ioseph. cap. 12. Iudas Galilæus, & Sadocus latrociniis gentem vexant, & templum inceditur, cum in eo cædes fierent. vt idem l. 18. cap. 2. & cap. 3. *ossa per templa sparsa.* Cum interim in singulos pene annos Pontifices mutarentur, qui precio & fauore Romanorum eo aspirabant. Omnes autem miraculis attoniti, & timore perculsi vnum fugiunt, & damna taciti ferunt. De vē ditione victimarum in templo, est in Thalmud tractatus c. שקלים Schekalim. Hoc est Sicli: ponderationes, &c. *Porticus incensæ.*

§. 3. Zvvinglius auaritia sacerdotum hæc in templum allata memorat, & ne calumnia desit. *Hoc in Papatu*, inquit, *factū videmus. nam & rapta, & furto ablata & vsurâ parta, omnia in corbonam Pontificij ingerebant, modo ipsi hinc partem aliquam haberent*, addit: *Fraudatos pauperes, idola magno sumptu exornata.*

Respondeo. Furtorum, & raptorum bonorum detentores, nos ex animo, vsurarioque derestari. Furto & rapina, si quæ allata sunt, ab ipsis aris detrahenda & dominis restituenda. Pauperes fraudandos non docemus, idola abominamur, imagines & reliquias de diuitum liberrima donatione exornamus. Si quis lucra de religione sectatur, & ignorantia simplicium ad suum quæstum abutitur, latronum loco habemus.

Nec vendentes tantummodo & ementes Sacra, graue admittere scelus dicimus, verum etiam in templo, ambulantes, fabulantes, profana tractantes, quæ cum hactenus non modo multis locis populus, sed clerus etiam fecerit, bellis, exiliis, vastatione contumeliam Deus vlciscitur, & quia manus eius adhuc extenta, non est, quod contemptu Numinis impunitatem sibi quisquam polliceatur. *Profanatio temporum.*

VERSVS 16.

Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique, nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?

QVÆSTIO I.

Quid indignantibus respondet?

§. 1. ALiena laude vritur inuidia, & odium summa rabie accenditur, quod sibi perire videretur, quicquid Christo acqritur. At Christus à Deo cōstitu-

tum esse docet, adeoque prædictum, & ita esse miracula monstrabant.

In Psalmo 8. 3. in Hebræo est יסד עז iissaththa ghoz, fundasti fortitudinem. vbi 70. κατηρτίσω αἶνον, aptasti, vel concinnasti laudem. Syrus habet תקנת Thacnath à תקן quod est *preparare, stabilire.* De illis verbis suo loco disserui, nunc id solum moneo, improbos esse qui hic veterem interpretem, & 70. carpunt, cum Christus eam interpretationem sequatur. Porro adulti laudationem inchoarunt, secuti sunt pueri, & infantes, non tam naturali imitandi consuetudine, sed inspiratione diuina, omnino enim à Deo decretum erat, & à Propheta prædictum. Adeo vt si sacerdotes lapidibus duriores impedire plausum conarentur, lapides ipsi locuturi fuerint, Et si enim factum non est, fieri tamen potuit. Non autem de re puerili, & fortuita, sed singulari Spiritus Sancti opere locutus est Dauid. Per νηπιάζοντων vocantur, infantes, non quod fari non possent, sed quod pueri essent, quibus fandi ius nõ esset, quod suarum verum arbitri per ætatem nondum esse possent. Per hos ergo loquitur Spiritus Sanctus, quorum animos malignitas & liuor nondum infecit.

Pueri Spiritu Sancto instincti sunt locuti.

§. 2. Rigide agunt, & pro imperio, vanitatis enim illum accusabant, qui ambitione fu entes insonti necem meditabantur. ἀκούεις τί οὗτοι λέγουσι; *audis quid isti dicant?* alia exemplaria, οὐκ ἀκούεις; *non audis?* Quod si infantes nondum per ætatem articulate loquentes esse dicamus, cum Chrysostomo, & Euthymio, maior Pharisæorum contumacia merito iudicabitur, qui ne illo quidem miraculo dignitatem Messiæ agnouerint. Sed malo lactentes eos dicere, qui iam formare voces didicerant. Poterat vero illis merito obiici, *auditis, quid isti dicant?* Quomodo ad diuinæ potentiæ vos instruant agnitionem pueri doctores Israelis? Quin etiam gentium vocationem, in hymnodia infantum Chrysostomus figuratam ostendit. *Quàm rectissime Ex ore dictum est: non enim ex mente illorum illa verba procedebant, sed virtute ipsius, tenera illorum lingua ad formanda hæc verba ducebatur. Quæ res balbutientes tunc gentes, quæ post ex fide maxime sonuerunt, figurate significauit. Apostolos quoque nimirum confortauit. Nam ne ambigerent, quomodo rudes homines tantam rem potuerunt prædicare, hoc infantium exemplo. Vniuersa huiusmodi mentis angustia sedari potuit, cum dubitare nequissent, quin & ipsis facultatem dicendi daturus sit, qui parvulos fecerat eloquentes. Adhæc naturæ quoque dominum atque creatorem, miraculum demonstrabat. Infantes igitur quamuis maturam ætatem non haberent fausta tamen & rebus supernis conuenientia decantabant: viri autem quasi furiosi loquebantur.*

Monent Christum.

VERSVS 17.

Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam: ibique mansit.

QVÆSTIO I.

Cur in Bethaniam rediit?

§. 1. NE maiore conatu præsentem oppugnarent, respirandi tempus dedit, & spacium furori. Ea etiam causa fuit, quod eius præsentia, & consuetudine prorsus essent indigni, qui tam impudenter tot miracula, & veritatem oppugnarent, propriæ gloriæ & quæstus gratia. Græcus ait in Bethania voluisse αὐλισθῆναι *pernoctare*: quod etiam prudenter factum, ne ad hospitium tot millibus concurrentibus, sanitatem petentibus, & inter se disceptantibus, tumultus aliquis oriretur, atque etiam hospitem in aliquod periculum induceret. Seditionis autem concitandæ omnem suspicionem amouit, quod dimissâ turbâ in locum solitarium se recepisset; nullos occultos, aut nocturnos conuentus celebrasset, sed mane, ex Bethania publice in templum progressus salutaria doceret. Inimicis omnia audientibus.

In Bethaniam rediit.

VERSVS 18. 19. & 20.

Mane autem reuertens in ciuitatem esuriit. Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et aresacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes: Quomodo continuò aruit.

QVÆSTIO I.

Cur ficum aresecit?

§. 1. NOn simulata, sed vera fames fuit, vt qui in oratione pernoctasset, aut incœnatus, aut tenuiter refectus. Chrysostomus miraculo famem accersitam existimat, vt nouo miraculo locus esset. Vndecunque & quocunque modo esurierit, satis inter plerosque conuenit veram fuisse, atque eius, qua salutem omnium anxiè desiderabat, typum.

§. 2. Fructum non inuenit; non erat enim tempus fructuum, vt Marci 11. 13. habetur. Quod ignorare ne puer quidem potuit, sed miraculi occasionem quæsiuit, vt discipulis iam moriturus ostenderet, se rerum Dominum, & posse se tam facile omnium inimicorum vires vno nutu conterere, si mori iuberet, quam ficum aresacere. Hominem enim subito exstinguere est vsitatum, arbores non nisi sensim aresciunt. Habuit tamen & hoc factum mysterii significationem. Non enim ira, sed iudicio lignum aresecit. Apostolis vero ostendit, vltionis modum, & vires sibi non deesse, sed in homines illis vti nolle. Perituros tamen Iudæos, qui foliis cærimoniarum inanium nullos veræ pietatis conditos fructus haberent, folia enim fouendorum tegendorumque fructuum causa data sunt. Chrysostomus in hunc modum exponit. *Cuius igitur gratiâ maledicta est? certe vt discipuli considerent. Nam quoniam semper beneficia conferens, nullum vnquam punuit, conueniebat autem vt puniendi virtutem aliquo exemplo demonstraret, vt tam discipuli quam Iudæi sibi persuadeant, verbo posse solummodo ipsum crucifigentes exiccare, sed sponte omnia sustinere puniendi virtutem non in hominem, sed in arborem opportune nunc demonstrauit. Cum autem loca vel plantæ, vel animantes rationis expertes, tale quid patiuntur, noli curiosius, quare ita factum sit inuestigare. Non ergo quære, vtrum merito exiccata sit ficus, sed tempus nõ erat fructuum, deliratio id mihi nempe videtur extremæ, sed ipsum solummodo considerans admirare, & creatori gloriam redde. Sic & in submersis porcis rationem iustitiæ diligenter inquirentes multi fecerunt, quibus mens adhibenda non est. Sicut enim per ciratione sic & planta animâ caret.*

§. 2. *Caluinus* nescisse putat, quæ arbor esset; sed in eo sita est difficultas, ait, quomodo deceptus fuerit, fructum in arbore quærens, præsertim cùm nondum esset, maturum fructibus tempus. Sed nihil absurdi est, si dicamus secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam: fieri tamen potest, vt consulto acceserit, euentum non ignorans. Respon-

Respondeo non ignorasse quæ esset arbor, cum in via esset, & crebrius visa, cum Martius esset, quo nec aliæ arbores fructus habebant.

Absurdum autem est, arborem ad viam positam, quam sæpe transiit, Christo ignoratam, quia intima cogitationum norat, & absentia peruidebat. Ficum esse ignorare non poterat, multo minus anni tempus ignorabat, quo nullos esse arboreos fœtus maturos sciebat. Nequicquam igitur hoc factum ad veteres Agnoëtarum hæreses reuocandas detorquet Caluinus, quem etiam Zvvinglius in eodem errore antecessit, secutus est Beza, Danæus, Iunius. Quamuis Danæus infusam, & beatam Christo scientiam concedit. Stolide tamen imaginatur, nisi Christus ignorantiæ obnoxius sit, fore illius scientiam diuinæ parem. Non enim vtriusque obiectum distinguit. Christus enim per humanam scientiam præsentia nouit, & futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis; non possibilia, non Deum ipsum comprehendit. Absit sane, vt animæ Christi omniscientiam essentialiter inesse dicamus, aut id posse, quod potest increata.

Caluinum porro Augustinus refutat. Serm. 44. de verbis Domini. *Tales nos in scholâ Christi esse debemus. Qui enim dicit Christum propterea tantum fecisse miracula, vt non essent nisi miracula, potest illum etiam dicere nescire, quod non esset tempus pomorum, quando ficus quæsiuit in arbore. Non enim erat illius pomi tempus, sicut Euangelista testatur. & tamen esuriens poma quæsiuit in arbore. Christus nescibat, quod rusticus sciebat? Quod nouerat arboris cultor, non nouerat arboris creator. cum ergo esuriens poma quæsiuit in arbore, significauit aliquid aliud se esurire, & aliquid aliud quærere: & arborem illam sine fructu foliis plenam reperit, & maledixit, & aruit. Quid arbor fecerat fructum non afferendo. Quæ culpa arboris infœcunditas? Sed sunt, qui fructum voluntate dare non possunt. Illorum est culpa sterilitas, quorum fœcunditas est voluntas.*

Omnis creata scientia accidens est. Millies clamat Aristoteles τὸν ἄνθρωπον esse non οὐσίαν, sed συμβεβηκός, non substantiam, sed accidens. Solius Dei scientia est & ipsa Deus, essentia Dei. Longe etiam absumus ab errore Vbiquitistarum, qui diuinam scientiam, & omnipotentiam realiter humanitati communicatam esse somniant.

Porro quod Danæus sententiam de omniscientia Christi nefandam hæresin Apollinistarum, & Monothelitarum vocat, suam ipse cum maleuolentia insciutiam prodit. Hæretici illi in Christo negabant esse τὸν νῦν τὸν ἀνθρώπινον, *humanam mentem*, eius in locum τὸν λόγον, verbum substituebant, itaque verum hominem Christum esse negabant, non enim caro sola hominem facit. Ita Apollinaristæ. at Monothelitæ humanam in Christo voluntatem inficiabantur. Nos Christum verum Deum, verum hominem corpore & anima, quæ mentem & volũtatem habeat præditum confitemur. Diuinitate prorsus omnia scire, etiam possibilia, humanâ scientiâ, omnia præsentia, præterita, futura cognoscere dicimus, cum sit Dominus, Iudex, gubernator omnium. Quod vero addit. Quid (p. 275.) sentiunt & scribunt, aut essentialiter illam omniscientiam animæ Christi, qua homo est, competere volunt; & sic animam Christi Deum, sed nouum & recentem constituunt, ac proinde sunt idolatræ. Ps. 81. v. 10. Rom. 1. v. 20. Galat. 4. v. 8. aut accidentaliter, nempe participatiue, communicatiue, & per effusionem, sicut Bellarminus loquitur, & sic euadunt Vbiquitarii. Respondet noster Gretserus. Animam Christi creata non increata scientia donatam. Alia prorsus est Vbiquitatorum ratio; qui diuinam omniscientiam cæteraque attributa realiter humanitati esse communicata comminiscuntur.

§. 3. Zvvinglius Ierosolymorum excidium ficui arboris parabola prædictum existimat, vnde concludit fabulas esse, quæ de restitutione corporalis Ierosolymæ nugantur.

Respondeo. Ficum arefactam non modo Ierosolymorum, sed generatim Iudæorum esse typum, seu gentis Israeliticæ: In hunc tamen modum applicandam parabolam: ne dicamus omni prorsus fructu Iudæos caruisse, atq; omnem plane vigorem spiritalem extinctum esse, vt nulla re Deo placeret. Quasi nullus in æternum ex Israel, vel ciuibus Ierosolymitanis sit conuertendus. Multi enim ab Apostolis cõuersi sunt, multi etiam indies conuertentur, & circa mundi finẽ plenitudo Iudæorum Ecclesiam ingredientur, vt Apostolus in Epistola Romana prophetat. Deinde in in ea vrbe mansit nobilis Christianorum Ecclesia, & post vastationem in hodiernum vsque diem Christiani eo in loco resident. Similitudo in eo igitur cõsistit, quod quemadmodum ficus exaruit, quæ sola folia sine fructu habuit, ita Synagogam quoq; solis cærimoniis, & externis ritibus, sine Spiritus Sãcti fructibus sese efferentem, esse destituram, non restituta republica, aut legibus eius, vsque in æternum. Non igitur de lapidibus & lignis sermo est, sed de republica sacra, & profana, quæ non est in parietibus.

Nõ omnes Iudæi sine fructu.

Synagoga non restituetur.

Hæc ita desiit, vt restituenda nunquam sit, ciuitas ad tempus restituetur, sed maiore Iudæorum damno. Cum enim iam fructus deesset, frondes autem, & folia ad fructuum duntaxat tutelam, & ornatum datæ sint, vt poma foueant, à frigore, & calore defendant, noluit frustra illa Deus adesse, nec ornari arbores sine causa: illa ergo decuti subtracto succo voluit, vt appareret τῶν δένδρων ψιλωσις nuditas, toto orbe. Postquam enim redemptorem gens impia abdicauit, omni iustitiæ fructu destituti regnum, sacerdotium, libertatem, Rempublicam, terram promissam amiserunt, cæremonias omnes, exusto templo Deus detraxit: Iam enim toto orbe gens misera, & impia vagatur, & per omnia dura vitam exigit. Hæc autem non restituentur, quamuis vrbs ipsa idololatriæ, & Antichristianismi metropolis iterum excitanda sit.

Ierusalem readificabitur.

VERSVS 23.

Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: in qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?

QVÆSTIO I.

Qualem fidem exigit?

§. 1. FIdem magnam, & solidam, καὶ μὴ διακριθῆτε, *non discernatis, non hæsitaueritis*, nempe inter magnum opus, & paruum; ne putetis leuem morbum sanari fide vestra posse, incurabilem non posse. Quod de monte dicit; legendum est *tollere & iactare*, per r caninam literam, non tolle te, & iacta te, per duas dictiones, & T literam, quæ crucis est symbolum, est enim ἄρθητι. & ita Mar. 11. 23. Luc. 17. 6.

Fides magna requiritur.

§. 2. Caluinus hoc loco fidem precationi iunctam requirit. Si enim tantum diceret fore, quicquid optabimus, quibusdam nimis imperiosam, & securam fidem visum iri pronunciat; deinde subdit. [Quare eos vere demum credere ostendit Christus, qui bonitate eius & promissionibus freti, suppliciter ad ipsum confugiunt. Hic vere locus ad vim naturamq; fidei expri-

Oratio fidei iungenda.

„mendam insignis est. nempe quod sit certitudo in „Dei bonitatem recumbens, quæ dubitationem non „admittit. Neque enim alios credere agnoscit Chri„stus, nisi qui indubie statuunt, Deum sibi esse propi„tium, nec hæsitant quin daturus sit, quod petunt. Vn„de perspicimus quam diabolico figmento fascinati „sunt Papistæ, qui fidem dubitationi permiscent.]

Respondeo; quam secure de certitudine affirmat, tam eandem facit argumentando infirmam: cum negat quidlibet à Deo hominum votis concedi. Manebit igitur in animo semper ille scrupulus, an hoc votum sit eius generis, vt ei Deus concessurus sit? De tota igitur re ita statuendum est. Eos qui vera in Deum fide credunt, ad Deum suppliciter confugere, eiusque exorare clementiam, fidem autem oportere esse sine hæsitatione, ne de potentia & bonitate numinis dubitetur.

Fides quæ sit necessaria.

Hactenus etiam fidem certam esse, vt rem, de qua cœlestem patrem interpellamus futuram non dubitemus, modo conditiones omnes, quas Deus requirit. & quibus positis promisit, adsint. Hinc sequitur certũ, non omniũ vota exaudiri, & fatetur Caluinus; *Christum non laxare habenas hominum votis, vt quidlibet appetant pro arbitrio, non enim exaudita vota quæ montium in maretranslationem poscerent.* Ex quo apparet Caluinum restringere illud: *Quicquid credentes petitis*; Nempe tum nos consecuturos, si non sit aliud, quam id quod à Christo promissum est, & pro orationis obiecto propositum. Quando cunque vero incertum est, an hoc singulari huic vel illi personæ sit promissum, an verò inter ea, ad quæ votorum habenæ à Deo laxatæ non sunt, etiam incertum est, an Deus sit concessurus.

Montes translati.

§. 3. Quod vero montium translationem negat esse concessam, refutant id nonnullæ historiæ: vnam omni antiquitati notissimam Euseb. l. 7. cap. 5. historiæ adducit, de Gregorio Thaumaturgo, quod etiam Gregorius Dialog. 1. cap. 7. recenset. Nyssenus in vita Thaumaturgi, de stagno siccato haud ignobilius miraculum recenset. *Duo quidam fratres ætate iuuenes, qui paternam inter se hæreditatem nuper diuiserant stagnum vnum vindicabant totum vterque habere contendens, & neuter alterum in societatem possessionis admittens. Permittitur igitur magistro litem dirimendi libera potestas, qui cum ad locum venisset suis ipsius legibus vsus est ad arbitrium, reconciliationem suadens, & vt amice inter se concordarent, pacisque lucrum pluru, quam id, quod ex prouentibus capere possent æstimarent, adolescentes adhortans. nam pacis quidem commoda in perpetuum & viuentibus & mortuis permanere; redituum autem vsum ad tempus quidem durare, æternam vero ob iniuriam habere condemnationem; & quacunque parerat eum dicere, ad reprimendam insolentiam, & immoderatam cupiditatem iuuentutis. Cum autem fine fructu esset eius adhortatio, & iuuentus exæstuaret, ac maiori ira incenderetur, spe lucri intumescens, & vtrimque ex subditis pararetur exercitus, & magna manus, cædis auida, furore atque irâ ducibus vtens instrueretur; tempusque constitutus præstitutum esset: pridie eius diei, quo prælium vtrimque committendum fuerat, cum homo Dei ad ripas stagni permansisset, noctemque totam in vigilijs peregisset, miraculum quoddam Mosaicum in aquâ edidit, non quidem percussione virgæ, profundum in duas partes discindens, sed oratione omnem eum lacum repente in incultam ac vastam terram redigens, continentem diluculo effectum ostendit aridum, & humoris expertem; adeo vt ne inconcauis quidem locis, vllas aquæ reliquias haberet, qui ante orationem instar pelagi exundabat: Atque ille quidem diuina virtute hoc interposito decreto, rursus domum redibat: adolescentibus autem rebus ipsis lata sententia contentionem diremit. Cum enim id non amplius esset, cuius causa bellum inter se parabant, pax iram est consecuta, & rursus natura se, & in fratribus ostendit. Ac nunc quoque videre licet diuinæ illius sententiæ euidentia signa. Nam vndique circum illum locum, qui olim lacus fuit, vestigia quædam inundationis aquæ adhuc etiam nunc extant. quidquid autem tunc erat submersum & in fundo aquæ, totum id transmutatum est in nemora, loca habitata, prata & arua.*

§. 4. Denique fiduciam certam nisi ex Deo, vllam concipi posse negat. Nihil promitti discipulis, nisi se intra metas diuini beneplaciti contineant. Quam rationem si sequimur, nihil in oratione à nobis peti potest, nisi de eius impetratione in Scriptura certi simus. Nempe hoc esse Dei beneplacitum, vt petentibus donetur. In hac tamen fiducia, non potest aliud, quam vel inanis iactantia, vel summa desperatio latere. Iactantia quidem est, si oret, vt montes Deus transferat, peccatorem corrigat, prosperos belli det exitus, pericula discutiat, fame, morbisq; liberet; nam nihil scriptum est, de diuino beneplacito, velit ne Deus ista nunc concedere, an negare? Si vero quispiam oret, more Caluiniano certũ esse oportet. Deinde necesse est sequi in his omnibus desperationem consequentis eius, quod petitur. Si enim oranti metæ diuini beneplaciti illæ signatæ sunt, vt tantum id petat, quod Deus promisit, non licet quicquam orare eorum, quæ non promisit. Non orare pro illis, quę iam mea oratione nihil enim illa speciatim Deus non promiserit, nec certus sim euentura, orare vetor, ne vltra metas diuini beneplaciti euager. Gratii se bello iam triennium miscent Caluiniani, in magistratum insurgunt, omnia commouent, pro victoria nemo eorum supplicauit, aut supplicare potuit; nemini & certum fuit diuinum beneplacitum, quo victoria Caluinianis concederetur. Non enim esse certum potuit de victoria, cum victi sint.

§. 5. Neque conuitio diabolici figmenti mouemur, nec fascinamur, vt fidei hæsitationem inseramus. Quæ enim fide credenda sunt, animo inuicto tenemus: pro quolibet articulo fidei ad mortem pro rati, nec id sine causa dici, multa nostrorum ordines martyria contestantur. Quicquid enim Deus credendum reuelauit, id totum sine dubitatione credimus. Inter quæ & illud plenum consolatione credimus. Omnia nos impetraturos quæ à Deo supplices petimus, modo legitimæ adsint precandi conditiones. *Caluinistas* vero stultæ præsumptionis conuincimus, qui de paterno Dei in se amore securi coram nobis se se audent, ac dicere.

Beneuolentia tua iustificati sumus, in omni seculorum genere iusti permanebimus. Hoc Caluinus, hoc Beza iactat, cum tamen de singulis nihil Scriptura enunciet. Quocirca ab eâ tam præsumptione pars doctior reformatorum, hoc est, Remonstrantium abscessit. Bene de amore Dei sperare iubemur omnes, timere tamen vnumquemque Deus ipse iubet, ne suo se crimine diuinitatis amore reddat indignum. Nescit homo, amore an odio dignus sit. Omnia enim in futurum seruantur incerta. Spem igitur in animis fidelium excitamus, pernicioſam securitatem præsumptuosamque iactantiam, quæ olim prædestinationis fuit hæresis, execramur, idque nullo fascino cœcati, sed diuinorum eloquiorum splendore illustrati, & SS. PP. doctrinam secuti. Quin ipsa veritas hoc vt dicant, aduersariis aliquando extorquet. Musculus locis Comment. de Orat. Nos ait non semper exaudiri, quòd non semper quod petimus, sed aliud detur. Peccata ait semper nos impedire. Nempe violentiam, crudelitatem, immisericordiam, superbiam, diffidentiam, disceptationem, offensæ tenacitatem, torporem, distractionem. Cum autem sint tam multa impedimenta, quis certus erit, nullum sibi adesse? 1. Ioan. 5. 14. *Si quid petierimus patrem secundum*

dens eius voluntatem, audit nos. Si quid aliud petimus, non audit. Eius vero voluntas non semper nobis certa ac perspecta est.

Quæ dare decreuerit, donec euentu rerum voluntatem ostendat, incertum est.

VERSVS 24.

Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem, quem si dixeritis mihi & ego dicam vobis, in qua potestate hoc facio.

QVÆSTIO I.

Cur Pharisæis non respondet, sed eludere aliâ quæstione videtur?

§. 1. MAlitiosa & insidiosa interrogatio hypocritarum alio responso digna non fuit; Nam quocunque Christus modo sese explicuisset, ad calumniam tracturi erant. Deinde dubitare non poterant à Deo esse, quæ iam toto tempore viderant. Interim ex ea ipsa, quam proposuit quæstione responsum sufficiens habebant. Si enim confessi essent Baptismum Ioannis esse de cœlo, & doctrinam prædicationemque: quod populus credebat, testimonio etiam quod de Christo sæpius inculcarat credere oportuisset. Si negarent, turbam timebant, ne eos lapidaret, si contra Baptistam loquerentur. Itaque grauiter eos perstrinxit: nam sciebant Baptistam dedisse testimonium de Christo, eumque Messiam priuatim, & publice proclamasse, nec tamen falsum eius testimonium dicere audebant metu lapidationis: at Christo, quod se Messiam diceret clam, palam, tanquam blasphemo mortem machinantur. Si ergo nesciebant, an Ioannis præconium esset de cœlo, quo dixerat Iesum Nazarenum esse Christum, non poterant Christum damnare, qui se præferebat eum esse, quem Baptista esse protestatus erat. Itaque in Christo etiam Ioannem damnabant, & impostorem iudicabant, qui Pseudochristum pro vero venditasset. Sua igitur astutia, se ipsi circumueniunt, & iniquos iudices esse demonstrant.

Tentationis responsionis.

Pharisæi se damnant.

Negant vero illud, quod alii omnes scire se fatebantur. Quod si dubii de testimonio Ioannis fuissent, certos eos facere tot miracula poterant.

Occasionem autem capiunt, vt mox initio, in ipso templi ingressu eum percellant; Proponunt enim quæstionem ἐλθόντι αὐτῷ *ingresso ipsi*, vel vt eodem sensu alia habent exemplaria, ἐλθόντι αὐτῷ, *ingrediente ipso*: Merito itaque eos alio responso non dignatur; quomodo enim crederent affirmanti, qui nec Ioanni, nec tot virtutibus in ipso momento auctoritatem filii Dei testificantibus non credebant? Qui sanitatem gentis suæ oppugnabant, quam malebant morbis & miseriis contabescere; quam medici gloriam eius curatione inclarescere, & augeri. Tam exosi curatorem, vt ne beneficia quidem recipere ab eo vellent. Speciosо prætextu vocationem obiiciunt, quasi ille se iniussu Dei ingereret, cuius auctoritatem in singulos dies, quasi exerta manu Deus sanciebat. Non quærebant ergo vt discerent, sed vt respondentem illaqueatent, quare aliâ eas quæstione abigit.

§. 2. Mitari se fingebant, non vocatum docere. ἐὰν δὲ λέγωσι, inquit Chrysostomus, τοιοῦτόν ἐστι τὸν διδασκαλικὸν ἐδεξη θρόνον; Ἱερεὺς ἐχειροτονήθης, ἢ τοιαῦτα ἐξουσίαν ἐπιδείκνυσαι, *Tale autem est quod dicunt: Quando tu magisterij sedem ascendisti, aut quando sacerdos ordinatus, quia tantâ potestate vteris?*

Christus illis respondere non potuisset, si signa non fecisset, nunc illi mirari nisi maleuole non poterant. Nos Sacerdotibus comparant Sectarii, cum ab illis vocationis & missionis documenta postulamus: vel humana; si ab hominibus se missos affirment; vel diuina; si immediatam à Deo se potestatem accepisse glorientur. At nos illos Christo nequaquam conferimus. Nullo enim signo missionem astruere possunt. Qua enim potestate ad docendum proruperunt illi, qui primi religionem mutarunt? Signa igitur Apostolatus quærimus, nec, nisi se vocatos doceant, credimus. Magna nobis causa est, ne veterem doctrinam deseramus, nisi se missos probent, vt religionem innouent. Lutherus sane in examinanda & credenda vocatione difficilis est. Epistola ad Borussiæ ducem, edita anno 1532. scribit. [Testimonium, « *inquit*, totius Sanctæ Christianæ Ecclesiæ (tametsi « præter illud nihil nobis reliquum esset) solum nobis « sufficere deberet ad insistendum in hoc articulo Cœ- « næ, & ad non audiendos planeque reiiciendos pha- « naticos Spiritus: quia periculosum est & horrendum, « quidquam vel audire, vel credere contrà vnanimem « testificationem, fidem, & doctrinam totius sanctæ « Christianæ Ecclesiæ, quæ ab initio vsque ad nos, supra « M.D. annos in toto orbe terrarum concorditer sensit. « Si nouus articulus esset, & non à principio Christianæ « Ecclesiæ, neque in omnibus Ecclesiis, vel totâ Chri- « stianitate per omnem mundum sparsa, creditus: non « esset tam periculosum, vel horrendum, de eo vel ambigere, vel disputare, an recte crederetur. Sed post- « quam à principio, & quam late Christianitas patet, « consentienter creditus fuit: is profecto, qui iam de eo « dubitat, idem facit, ac si Christianam Ecclesiam non « crederet, simulque non tantum damnat totâ sanctam « Christianam Ecclesiam, tanquam damnatam hæreti- « cam, sed ipsum etiam Christum, & omnes Apostolos, « & Prophetas, qui articulum fidei nostræ, Credo san- « ctam Christianam Ecclesiam, fundarunt, & porenter « testati sunt: vt Christus Matthæi vicesimo octauo in- « quit: *Ero vobiscum vsque ad consummationem sæculi:* & S. « Paulus 1. Timoth. 3. *Ecclesia Christi est columna & firma- « mentum veritatis.* Similiter redarguit eos propria eorum « opinio: dum de textu inter se præliantur, & pœnè se- « ptem vel octo, quot textus, tot sectas faciunt, neque « certi quicquam docent: nec conscientias hominum « constâter instruunt. Itaq; moneo & rogo (ego Luthe- « rus) vt Celsitudo tua istos homines vitet, nec esse in « prouincia sua patiatur, secùdum S. Pauli & S. Spiritus « superiori loco adductum consilium. Considerandũ « enim est Celsitudini tuæ, si eiusmodi sectariorum spi- « ritus admitteret & ferret, quibus tamen obsistere & « occurrere posset; eius conscientiam horribiliter gra- « uatum, & fortassis nunquam rursus placarum iri: non « tantum propter animas, quæ, cum à Celsitudine tua « seruari possent, seducuntur & damnantur: Sed etiam « propter vniuersam sanctam Ecclesiam: contra cuius « tamdiu vsurpatam, & ad nos ductam & vbiq; seruatã, « & vnanime testimonium, vt quidquã doceri sinatur. « cum impediri possit, intolerabile est grauamen con- « scientiæ. Ego mallem, vt non tantum omnes sectario- « rum Spiritus, sed omnium Regum & Principum sa- « pientia & iura cõtra me restarentur; quàm vt vnicum « punctum vel litteram vnicam totius Sanctæ Christia- « næ Ecclesiæ contra me audirem vel viderem: quia nõ « sic ludi potest cum articulis fidei, qui ab initio, & quo- « usque Christianus orbis est, vnanimiter crediti sunt: « sicut ludi potest cum Pontificiis vel Cæsareis iuribus, « vel aliis humanis traditionibus Patrum vel Concilio- « rum.] *Hæc Lutherus Euangelista Germania.* «

Christus missionem miracula probat.

Miror nostros sectarios ista non legere, aut si legat non erubescere. Quid porro certius est, quam opus esse missionis vel mediatæ, vel immediatæ auctoritate, & documentis? Docemur hoc Ierem. 23. Ezech. 13. Ioan. 10. Rom. 10. Hebr. 5. Qui Apostolus est, legatus est, à mittente auctoritatem mutuatur. At vero vniuersa hæreticorum colluuies à malo, non à Deo venit, ex morum corruptelis, tanquam putridis Ecclesiæ membris enascens. Si enim à Deo mittuntur, signa vocationis adducant. Nemo absque regio diplomate credit legatis. Si in rebus ciuilibus testimonia legationis exiguntur, magnæ temeritatis est, in causa salutis suscipere nouatores, nullo Apostolatus accepto argumento. Moses Exodi 4. Christus toto Euangelio signis & virtutibus instruitur, vt illis credatur, quorum tamen vita probabatur. Nos illis quos nulla signa cõmendat, quos vita infamat, credemus? Tertullianus l. de præscriptionibus aduers. hæret. c. 30. merito signa exigit, ab iis, qui aliud docent, quam traditum est, vt se probent nouos Apostolos esse. Prædicatio vero admitti non debet, nisi postquam de vocatione constiterit, qui enim illa mentitur, etiam doctrinam suspectam reddit. Vt qui se legatum fingit, postulata quoq; principis sui commentitia proferat ne cesse est.

§. 3. A Deo fuisse baptismum Ioannis, non tamẽ Christi baptismo parem docet Tertull. l. de baptismo ca. 10. *Baptismus.* p. 462. *Baptismus ab Ioanne denunciatus iam tunc habuit quæstionem, ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis, cœlestis ne is baptismus esset, an vero terrenus? De quo illi non valuerunt constanter respondere, vtpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porro quantula fide sumus, tantulo & intellectu possumus æstimare, duinum quidem eum baptismum fuisse, mandato tamen non & potestate, quod & Ioannem à Domino missum legimus in hoc munus, cæterum humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet propositus, quæ est in hominis potestate.*

VERSVS 28.

Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

QVÆSTIO I.

Quo pertinet similitudo duorum filiorum?

§. 1. PAternum imperium primo filius respuit proteruè, deinde pœnitentia ductus vadit, & in vinea laborat. alter verbo promittit, re ipsa non præstat. Alter reus est contumacis responsi, quod tamen maturè correxit, dum opere verba damnauit. Alter & inobedientiæ, & fraudis reus est, in qua perseuerauit. Publicani & meretrices audita Dei lege, exerta voce, & factis recusarunt parere. Sed peruicaciam pœnitentes posuêre, & ex vasis contumeliæ, facti sunt vasa in honorem. Pharisæi se legem obseruaturos non modò pollicebantur, sed etiam id se facere gloriabantur, verum vitiis suis meretrices & publicanos æquabant, & quia se iustos esse confidebant, pœnitentiam non agebant.

Expositio parabolæ.

In Græco textu nonnulla est, sed non magni momenti, varietas. καὶ προσελθὼν τῷ ἑτέρῳ. alius habet τῷ δευτέρῳ *secundo.* Prior lectio est in Latino, & Syro. In filii responso etiam libri variant: Quidam habent, ἐγὼ κύριε; alii ναὶ κύριε; alii ὑπάγω κύριε. Prior lectio vera est, ex idiotismo Hebræo, vbi vsitatum est responderi maioribus à minori. הִנֵּנִי *Hinneni*, ecce ego, ita Iosephus Iacobo parenti, Samuel Heli sacerdoti. Christus vero Pharisæos simulatione pietatis interna crimina obtegentes, non modò accusat, sed etiam populo demonstrat, publicanis & meretricibus deteriores esse. Vt omnem illis auctoritatem, qua ad opprimendum Euangelium abutebantur, detraheret. Hoc enim erat furentibus, & ad cædem intentis gladium subducere.

§. 2. Rudem excludit hoc loco calumniam Zwinglius in orthodoxos. *Similes Pharisæis esse* ait Catholicos, *quod iustitiam operibus mereri se dicant.*

Respondeo. Nulli vnquam homini venisse hoc in mẽtem, nullo in libro Catholici vllius inueniri, quod obiicit nobis Zwinglius imponit. Omnium sententia est, iustificationem, hoc est, mutationem à statu peccati ad statum iustitiam non esse ex operibus, à Dei gratia, à Christi merito est. Nulla eam opera merentur. Pœnitentiam requirit Deus, nec sine illa iustificat, & eam requiri docet Papa. Itaq; nullus impurus suo opere iustificatur, nullus siue impurus, siue purus alium iustificat suo opere. Anathema si quis alterius impuri, vel etiam purissimi opere se iustificari dicit. Sacramentorum tamen diuinorum vim efficientiamq; à sanctitate ministri dependere negamus. Itaque baptismus etiam ab impuro homine datus, validus, efficax, purus est. Non igitur Catholici, sed duo genera hominum describuntur, quorum primum aperte impium est, & proteruum, nec quicquam laudabile habet, quam aliquam in scelere ingenuitatem. eius tamen furor breuis est; nam mox damnato proposito ad frugem reuertunt. Alterum tectum, versutum, callidum, quod virtutis simulatione non modo deterius est, sed malorum suorũ ignoratione pene incurabile. Ita interpretatur Origenes. Chrysostomus priore Iudæos altero Ethnicos indicati existimat. *Rursus per parabolas loquitur, ac eos reprehendit, tum ingratitudinem eorum, tum reprobatarum gentium obedientiam occultius significans: hoc enim biduo filij designant: quod & in gentibus, & in Iudæis factum est. Gentes enim cum non promiserint obedientiam, quippe qui nec legem audierint, re ipsa obtemperarunt: Iudæi vero quamuis promiserunt omnia, se quæ Deus dixerat facturos, opere tamen neglexerunt. Ideo ergo ne credant legem sibi prodesse per eam condemnandos esse magis ostendit. Sic & Paulus, non auditores inquit iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Propterea ab ipsis elicit sententiam, vt à se ipsis condemnati discedant: quod & sequenti parabola vineæ confirmat, quod vt facilius peragat, in aliam personam crimen transtulit. Nam & quoniam noluerunt è directo fateri per parabolam, quamuis intelligentes, simpliciter ac recte sententiam protulerunt, occultius eos ad quod volebat protraxit.*

VERSVS 32.

Venit enim Ioannes ad vos in via iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

QVÆSTIO I.

Quomodo venit Ioannes in viâ iustitiæ?

§. 1. SYrus vocat viam רבאנרחא *decimithia rectitudinis*, habitu, victu, doctrina, iustitiæ præco erat. Eam iustitiam Pharisæi agnouerant, & tota probabat Iudæa, non tamen Pharisæi crediderunt. Ita Chrysost. ἦλθεν Ἰωάννης, φησί, πρὸς ὑμᾶς, ἃ πρὸς ἐκείνους. καὶ γὰρ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης. οὐ δὲ γὰρ τοῦτο ἐκεῖνοι ἔμελλον, ὅτι ἠμελημένῳ ὑπὸ τῶν ἱερέων καὶ νόμων ἀφελῶν. ἀλλὰ καὶ ἀνθιλήπτῳ, καὶ ἡ πρόνοια πολλή. καὶ ἃ προσέχειν ἔμελλε, καὶ μετὰ τοῦτο, καὶ ἕτερον ἔγκλημα. ὅτι πελάνων προσῆγον. καὶ μετὰ τοῦτο πάλιν ἄλλο ὅτι κόρε μετ' ὀλίγους ὑμεῖς. ἵνα μὴ δὲ καὶ προσαίτων. τὸ δὲ μηδὲ μὴ τούτοις πείσης ἀγνώμων ἐστεγημένον ἦν, καὶ ἄφαλῶν, κἀκείνων ἔπαινῳ, ἢ τοῦτον κατ-

ἐπιστεύσατε αὐτῷ· ὑμεῖς δὲ οὐδὲ μετεμελήθητε ὕστερον τοῦ πιστεῦσαι αὐτῷ. *Venit Ioannes non ad illos, sed ad vos, inquit, & venit in via iustitiæ: nullo enim iure potestis eum criminari, nec dicere vnquam audebitis, negligentem illum aut inutilem fuisse. Nã & vitæ eius irreprehensibilis fuit, & prouidentiæ singularis, & tamen non attendistis ei. Illud etiam aliud crimen vestrum est, quòd publicani ei attenderunt. Et rursus aliud, quia cum debuissetis, vel ante publicanos credidisse, vos nec post illos quidem vos iustis. Quod sicut omni vos venia priuat, & accusationem vestram amplificat, sic eximia illorum laus est: Venit enim Ioannes ad vos, & non recepistis: non venit ad illos & receperunt. Nec tamen exemplo eorum inducti estis.* Cum ergo nihil in illo inueniretur, quod vel liuor carpere posset, non desiterunt tamen calumniari: dixerunt enim: *Dæmonium habet.*

§. 2. Chrysostomus egregiè fiduciarios nostros cõfundit, qui impios dum manent impij iustos esse nugantur. Aliter ille, & veritas. οὐκ ἀεὶ χάλαζα μένει τὸν ἀεὶ ἀδικοῦντα πένητα, ἀλλ' ἡ δικαιοσύνη, ἡ δὲ μέλαινα πενία εἰς ἄδηλον ἀπῆλθε καὶ ἀνήκουστον, ἡ πιστεύσασα, καὶ καθαρὰ δεῖσα, ἡ μεταβαλόμενα, οὕτως εἰσῆλθον. *Nec ergo gratiæ solum ist, quod meretrices introeant, verum etiam iustitiæ. Non enim perpetuò meretrices manent, sed obedientiæ & fidæ purgatæ, ac commutatæ intrauerunt.* Sic multi hodieq; pœnitentiæ contemptores in profundum dilabũtur, in peius semper mutati. Notabile & plane Heroicæ exemplũ pœnitentiæ ex Chrysostomo huc adscribam. *An non audisti, quomodo illa meretrix quæ omnes impudicitia superauit, vniuersos rursus continentia & virtute, & ergo reliquit? non dico illam, de quâ in Euangelio scribitur, sed aliam, quæ nostra memoriâ ex Phœnice omnium ciuitatũ antiquissimâ fuit. Hæc n. pueris nobis apud nos erat, & cum primum in theatro esset, nomen eius vbiq; ferebatur: non in vrbe nostra solùm modo, sed ad Cilicas vsque & ad Cappadocas. Hæc multorum patrimonia exhausit, hæc multos parentum orbos tenebat, hæc maleficis quoq; vti artibus dicebatur, quasi non elegantiori corporis formâ solum, verum etiam magicis cantibus & herbarum venderet: hæc reginæ quoque fratrem attraxit: tantæ cupidinis tyrannide pollebat: sed subitò nescio quare, imo verò certissimè sic: voluntate nam q; commutata & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa spreuit & calcauit: ita diaboli officina proiecta, facilè ad cœlum ascendit: & quamuis nihil erat ea petulantius dum in scena versaretur, postea tamen continẽtiæ magnitudine multos antecellit. Cilicium. n. induta per totam reliquam vitam hoc sepacto exercebat, huius gratia & profectus à scenicis perturbatus armatos milites misit, qui non potuerunt eam rapere, nec à numero virginum, quæ ipsam receperunt, abducere. Hæc cùm ineffabili Sacramento communicasset, & condignè suscepta gratia vixisset: vniuersis per gratiam maculis detersis, naturæ demum concessit.*

§. 3. At vero quomodo Ioannes in via iustitiæ venit, non eadem venit Dominus, quã antecedulò signanit: An minus iusta doctrina Christi, quam Ioannis? Hoc tenendum est, eandem fuisse doctrinã Christi, & Ioannis in via iustitiæ vtrumq; venisse, & aberrantem terræ reduxisse. Hoc Ioanni tamen Christum præcipuè tribuisse, quod omnia quæ in Ioanne cernebantur iustitiæ & sanctitatis plena erant, supra humanum modum, adeo vt Christum illũ putarent. Hanc illi externã iustitiam in precio habebant, itaque admodum illorum accommodarè Christus loquitur, & obstinationem eorum deregit, quod ne illi quidẽ, qui omnes, quas ipsi iustitias arbitrabantur, modo excellente & inimitabili, tenebat. Christus vero viam illam non tenuit, sed cõmuni vitæ consuluit, soli virtuti intentus, cætera in adiaphoris habuit, ne lex toti mundo promulganda vllam haberet, præter eam quę virtutis disciplinã contineretur, difficultatem.

§. 4. Illa verba. *Vos autem non credidistis ei*, Caluinus ad Deum refert, quod Deo non crederent. At textus indicat, de illo Christũ loqui qui venit ad eos in via iustitiæ, cui credere proinde oportebat, cui meretrices & publicani crediderunt. Sequitur quidem inde, nec Deo credidisse, per os Ioannis loquenti, sed ideo Deo non crediderunt, quia nec Ioanni credebant. Credere hoc loco non fiduciam specialem, sed assensum significat, meretrices enim & publicani vera crediderunt, quæ Ioannes prædicauit, ideoque pœnitentiam habuerunt & regnũ cœlorũ ingressæ, in peccato persequerantibus Phariseis. De veterũ interpretatione dubium nullum est. δείκνυσι δὲ inquit Chrysostomus, ὅτι τοῦτο μάλιστά ἐστιν ὑπήκοον τῷ νόμῳ θεοῦ, τῷ Ἰωάννῃ πιστεῦσαι, *ostendit hoc maxime esse obedire legi, Ioanni credere.* *credentiã irat.*

VERSVS 33. & sequentes.

Aliam parabolam audite: Homo erat patersamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius alium cæciderunt, aliam occiderunt, alium vero lapidauerunt.

QVÆSTIO I.

Quæ vineæ similitudo?

§. 1. PRimo quid vineæ suæ præstiterit plantator edocet, vt est Isaiæ 5. 1. Vineam plantauit, cum populum ex Ægypto educens in Palæstina collocauit: agricolis vineam florentem, & omnibus rebus instructissimam dedit. Isa. 60. 21.

Sepem circumdedit φραγμὸν vocat Græcus. Syrus מְגִידָא maceriam vocat. Sepimentum est singularis custodia, Dei præsentia, Angelorum cura, & ministerium, quo Ecclesiam Israeliticam tuebatur, postea sepem destruxit. Isaiæ, 5. 5. Psalm. 79. 13. *Optimè instructa vinea.*

Fodit etiam torcular, sacrificia, sacramenta, leges & cærimonias dedit. Græcus ληνὸν appellat, est vero locus sub prælo, quo mustum defluit. Turris tabernaculum est, deinde templum. Nonnulli ipsam metropolim Ierosolymam, arcem regni dici malunt. Coloni, sacerdotes, principes, doctores, iudices, reges: Horum enim munus erat ad cultum Dei gentem instruere, vitia persequi, rempublicam ordinare, Deo fructum disciplinæ reddere, vetum inter primos ipsi à Domino desciuerunt. His vineam elocauit, & peregre profectus est, vetus habet locauit, quod est ἐξέδοτο. Deinde misit, vt acciperet fructus, Syrus *acciperet de fructibus*, non enim donauit, non vendidit. *Serui*

Serui sunt Angeli, Prophetæ, viri pij, qui missi sunt, & de reddendis fructibus colonos admonuerunt. Excoluerunt & illi vineam, cum ordinarij agricolæ, socordia, perfidia, rapina, cædibus, omnia perderent. Prophetarum non erat ordinaria & stabilis in Ecclesia administratio, sed extra ordinem & subsidiaria, ad populi, Magistratuum, Sacerdotum mores corrigendos. Magna certè in ea Dei videbatur

batur benignitas. Prophetæ autem munus suum veris miraculis approbarunt, nec aliter illis credere tenebantur.

§. 2. Præcipuam hac in re benignitatem Dei agnoscit Chrysostom. eamq; & vltima prædicat, quod ingratos, & rebelles non deserat. Quod si igitur noui Prophetę mittantur, fidē suam signis & virtutibus approbent, necesse est. Alioqui ordinarij pastores audiendi sunt, quorum nunquam in vniuersum fides deficit.

Crudeles agricolæ. Agricolæ seruos percutiunt, ἔδειραν habetur in plerisque, alij codices habent ἔδηραν, quod vetus interpres & Syrus legit. Nam δαίρω est *percutere*, sed δείρω *pellem detrahere.* Alios occiderunt, alios lapidibus obruerunt, in Syro inuersus est ordo, qui etiam habet ראית Vith. *fuit*, qui occideret: videre licet Ierem. 44. v.4.5.6. 2.Par.36.v.14.15.16. Act.52.

Liberum arbitriū. §. 3. Elocationis pactum mercedem indicat, & meritum: quin Bullingerus sub conditione locatum ait, vt fructum afferret, qui Isa.c.5. recensēt. Absentia seu abitus patrisfamilias significat, hominiliberum arbitrium datum esse, vt habet comment. Hieronym. Libertatem initio furenter oppugnarunt, ab ea tamē hæresi pro re nata recesserunt, & nostram συνέργειαν cooperationem cum gratia diuina probarunt, vt Beza l.1. q. & respons. Vide Amlingum ad Anhaltinos, Hemmingium, Wittenbergenses.

VERSVS 37.

Iterum misit alios seruos plures prioribus & fecerunt illis similiter: Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

QVÆSTIO I.

Quid filio regis factum est?

§.1. MIsit eum rex, vt cum vererentur, dixit enim ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. Sytum est verbum בחת, quod erubescentiam significat. Paterfamilias humano more loquitur apud Lucam, ἴσως fortè, Syrus גבר iam. fortè.

In Christum illa conueniunt; nam spe retinendæ patriæ eum occiderunt, *ne venirent Romani & auferrent locum, & gentem.* Christus autem hæres est vniuersorum Psal. 2. 7. & 8. Christum autem cognouerunt, Ioan. 15. 22. & 24. Nec repugnat illi, quod Christus ait, *Nesciunt, quid faciant*, & Paulus, *si cognouissent, non crucifixissent.* Soluit quæstionem Iustinus q.140. ad orthodoxos p.377.

Imprudentia siue ignoratio dupliciter dicitur, aut enim non sponte sua quis ignorat, cum eas res non habeat, quæ ipsum ad cognitionem ducant: aut voluntate sua ignorat, cum res ad cognitionem eum ducentes habeat, & nosse tamen nolit. Atque hanc destinatam ignorationem, solita est sacra scriptura aliquando nominare, aliquando imprudentiam siue inscitiam, aliquando scientiam. Vt eum dicit. Et me nostis, & vnde sim nostis, pro eo quod est: Ex operibus meis, & nomine meo, & sermonibus meis nosse potestis veritatem. Nam qui per mendacium fallit, opera talia edere non potest, & cum ab agricolis hæres eò est agnitus, quod eum viderant in præsenti vita operum editione & filij appellatione supra omnem esse hominem, iuxta euidentem parabolæ descriptionem, sed tum quod illum post mortem eius Deus è mortuis ad vitam immortalem esset resuscitaturus & facturus hæredem vniuersorum, non cognouerunt. Nam & ipsa perspicua parabolæ descriptio eius rei dilucidam & apertam non habet designationem. Itaque de eiusmodi ignorantia dixit Christus, Pater remitte illis: nesciunt enim quid faciant. Similiter & Paulus: si enim cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixissent.

§. 2. Tertullianus l. aduersus Praxeam c.26. probat patrem à filio distinctum, & non esse seruum, sed Dominum filium & hæredem, l. de carne Christi cap.15. Hæretici autem improbe captabant verba, vt seruum facerent, qui vt cæteri famulorum mittitur ad cultores vineæ, sed non ideo famulus est, cum expressissime dicatur mitti filius, & hæres; & pater dixerit, Reuerebuntur filium meum.

VERSVS 41.

Aiunt illi: Malos male perdet & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

QVÆSTIO I.

Quid factum agricolis?

§.1. IVdicium contra se ipsi Pharisæi pronunciant, *Malos male perdet*, κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς. *Malos male perdet ipsos.* Syrus רביש בריש *debisch bisch.* Prouerbij loco vsurpāt, & Hebræi & Græci Aristoph. κατὰ σ' ὅλῳ κακὸν κακῶς. *Te malum perdam male.* Lex enim generalis esse videtur, vt malis male, bonis bene fiat. Non est inter Euangelistas vlla dissensio. Marci 12. Luc. 20. 16. Christo illa verba tribuuntur. Verum & Christus & Pharisæi protulerunt, illi interrogationi respondentes, Christus vero responsum eorum repetendo, atque approbando, minando, de illis ipsis interpretando. Illi ijdem cum in genere de pœnam proborum agricolarum audiunt, probant, cum sibi vident applicari, refugiunt. Vineam locabit alijs, Syrus נרחך אחך ab אחך *Nochad* ab *Echad*, possidere facietne fieret quod improbi dixerunt κατακρίμεν obtinemus *hæreditatem.* Qui a enim locatione habere noluerunt, sed hæreditario, etiam locationis iure pulsi sunt.

VERSVS 42.

Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris.

QVÆSTIO I.

Quis lapis reprobatus?

§.1. APud Lucam cum dixisset Dominus vineam locandam alijs agricolis, Respondent, ἀλλοι, μὴ γένοιτο. De se enim dictum esse intelligebant. Sed Christus asserit, eos esse qui fructum negarant, seruos primùm, deinde hæredem occiderent, ideo fore vt regni Dei, hoc est, sacra respublica, sacerdotium, lex, & quæ reliqua erat Dei cognitio auferatur. Ita quoque alias gentes post fidem Dei relictam ab eo desertas videmus. Chrysostomus illam

illam ingratæ nationis reiectionem iam olim præ-dictam demonstrat. διὰ πάντων δεικνὺς ὅτι οἱ μὲν ἐκβαλοῦσιν ἡμᾶς ἀπιστοῦντες τὰ δὲ ἔθνη εἰσάξεται· τοῦτο καὶ διὰ τῆς χαναναίας· τοῦτο καὶ διὰ τοῦ ὄνου· καὶ διὰ τῆς ἐκατοντάρχου· καὶ διὰ πολλῶν ἑτέρων παραβολῶν δηλώσας· τοῦτο καὶ νῦν σημαίνει. Ita vndique eijciendos Iudæos, quia non crederent, & gentes introducendas monstrauit. Id enim etiam per Chananæam, id per asinum, id per multas alias parabolas, id per Centurionem apertius significauit, id etiam nunc designat.

§. 2. Vrgitur vanam illis securitatem, & iactantiam excutiat scriptura ostendit eos esse qui filium occidisse essent. Illi enim cùm prudentia, legis peritia, vitæ probitate, ac pietate præstare se putarent, suarum esse partium arbitrabantur, de aduentu Messiæ iudicium ferre, nec quenquam pro Christo agnosci debere, nisi quem illi approbassent. At Christus demonstrat ex prophetis, fore vt à proceribus reipublicę suę, gentis electæ lapis reprobetur. Architecti vocantur, honore officij, quique rem administrabant, re ipsa erant disturbatores. Christus quomodo lapis sit, exponit Athanas. de dictis scripturæ prop. 40. p. 329. Tom. 2. λίθος ὁ χριστὸς, ὅτις ἀπεδοκιμάσθη, ὑπὸ τῶν γραμματέων, καὶ φαρισαίων καὶ πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ τῶν ἰουδαίων, καὶ ἐγένετο κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας τῶν ἐθνῶν. *Lapis dicitur Christus, qui improbatus est à scribis, & Pharisæis, & senioribus Iudaici populi, &c. factus caput Ecclesiæ gentium.*

Est igitur hoc argumentum. Lapis reprobatus, & deinde factus in caput anguli, est Messias ex Psalmo. non enim Propheta de terreno ædificio agit, sed re maxima, quocirca addit: *A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris*: Architecti & ædificantes sunt sacerdotes, & principes gentis, qui in ædificij seu reipublicæ & Ecclesiæ consortium non admiserunt Christum, sed reprobarunt, adeoque seuere, vt lege lata synagoga pellerent, si quis eum confiteretur. Ex quo sequitur eos ipsos esse, qui Messiã non receperẽt.

Vim autem habet ratio non ex ipso modò textu scripturæ, verbum etiam ex Iudæorum ordinaria, & plerisque notissima interpretatione Messiam esse lapidis symbolo in scriptura indicatum cõcors erat Iudæorum sententia. Ita comment. in Genesin, Bereschith Raban. in 18. c. in illud: *egressus est Iacob. Postquam Messias vindictam de Esau, ipse fiet rex magnus. Et hoc est, quod scriptum est Daniel. 2. c. Lapis qui percussit statuam factus est mons magnus, & implebit vniuersam terram.* Et. Isa. 28. *Ecce ego fundaui lapidem &c.* Eum locum sic exponit Rabbi Salomo. *Fundaui verbum præteriti temporis est: itaque de præterito exponendum est sic*: Ecce ego sum, qui fundaui iam in Sion lapidem, id est, iam definitum, & decretum est coram me, & constitui regem Messiam, qui est lapis בחן *bohan*, quod sonat fortitudinem, vel munitionem.

Chaldæa paraphrasis eodem modo de Messia interpretatur. sic enim habet. *Dixit Dominus Deus. Ecce ego constituo in Sion regem Messiam, regem potentem, robustum, & fortem.*

Quin locum Dauidis idem Salomon de Messia interpretatur, cum illud Michææ 5. exponit. *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Verba eius זה מישיחבן דויד רבן נאמר אבב מאסרוהו רועה. Hoc est, *Messias filius Dauid vti scriptum est, lapis quem reprobarunt ædificantes.* Eadem testatur Rab. Hadarsan. Lapis ergo Messias, & lapis reprobandus, & quidem ab ipsis ædificantibus domum Dei. Non igitur mirũ videri debuit, si id facerent, cum propheta futuros præmunciasset, non tamen ideo illi fecerunt, quia illi prophetarunt, sed quia futuri erant, ideo prophetæ Deus reuelauit, & ille Psalmo suo descripsit. Magna improbarum mentium erant ista tormenta, cum suę sibi machinationis conscij essent, Christumque eijcere studerent, & hoc iam prædictum audirent.

§. 3. Caluinus occasionem ex his captauit, vt malediceret præsulibus ecclesiæ. [Eat nunc Papa cum cornutis suis Episcopis, & sibi de omnibus fidem habendam esse iactent, quia pastorum locum occupent. Hoc ille vult Leuiticum Sacerdotium à Deo ordinatum, nec tamen sacerdotibus obtemperare oportuisse fideles, vt Christum negarent.]

Respondeo. Extra controuersiam esse, sacerdotes illos errasse; nam cum Christus iam signis, & virtutibus auctoritatem suam approbasset, qui non credebant, ab ipso Ecclesiã eijciebantur, ipse iam pastor pastorum erat, ipse Ecclesiam colligebat. Papa sibi fidem habendam, vti vicario Christi, merito docet, cum promissum illi sit, non fore vt fides eius deficiat. Idem argumentum Caluino hausũ reuomit Sudlinius contra Bellarminum. *In veteri, ait, non fuisse illam auctoritatem, nec in nouo ergo esse potest.*

Respondet Gretserus nostri. Quicquid sit de antecedente, consequentiam negari. Nam irrita Christi promissio esse non potuit.

Illa argumenta erant ex promissionibus Petro & successoribus illius à Christo factis.

Antecedens etiam negant optime, non enim publice & ex cathedra Pontifex cum toto suo concilio errasse legitur, tum sc licet cum legitimo iure pontifex esset; nam dignitate, quam male accepit, excciderat, Domino ipso veniente & oues colligente suas, vocatur tamen Pontifex anni illius, quia pro tali habebatur. sicut & Paulus cum vocasset pontificem parietem dealbatum, excusat se, quod nesciisset esse Pontificem, scriptum enim: *principi populi tui non maledices.* Nec ille tamen tum princeps erat: Sed Petrus & Apostoli, quibus erat datus Spiritus Sanctus. Ruit ergo conatum Caluini supercilium, dum Ecclesiæ Catholicæ præsules comparat Iudæorum Pontificibus officio motis, & Spiritu diuino priuatis, Christo iam suam Ecclesiam præsentia corporali, & doctrina illustrante. Nam Pontifices Christo venienti credere, in ordinem se ipsi redigere, ex eius ore pendere debuerunt, non agere quicquam pro officio, & dignitate sacerdotij, nisi à Domino instituti, quid agendum, quid relinquendum esset.

Quomodo pontifex fuerit.

§. 4. Nec scripturæ auctoritas à nobis conuellitur, dum Pontificis in iudicando certa veritas asseritur. Scripturæ & immutabilis ac constans veritas, & auctoritas diuina, cum tamen de sensu alicuius partis, aut ve itate controuertitur, opus est Ecclesiæ auctoritate, non qua scripturæ auctoritas firmior reddatur, sed vt nobis fiat euidentior, nosque erudiamur. Cum enim primum quisq; nostrum didicit quatuor esse Euangelia, non est scripturæ sua auctoritas firmata, sed nos edocti sumus, talem esse aliquam scripturam. Exempla multa sunt, vt ar vno. Lutherus Epistolam Iacobi stramineam vocat, respectu Euangeliorum, & expertem naturæ Euangelicæ, in præfatione anno 1525. & 1530. edita, contrariam ait Paulo. Eodem censorio stylo delet Epistolã ad Hebræos, & Apocalypsin. Nos alia eos libros afferere ratione non possumus, quam vt nitamur Ecclesiæ Catholicæ testimonio. Nam titulos eorum librorũ, & quicquid de scriptura adferri potest pro figmento ille habet. Hoc quod de integris libris dixi, de partibus etiam intelligendum est, & quod vel maxime ad rem facit, de sensu partim. Si enim sensus ab omnibus libere inquiritur, nec eius certus canon præscribitur, sed ex collatione, & studio priuato, Spirituq; diuina eloquia iudicantur. veritas ingeniorũ proteruiæ, & affectibus proditur. Omnes ea scientiã venditant, & intelligẽdo faciũt, vt nec ipsi intelligãt, & alios erroribus inuoluãt.

Ecclesia nobis scripturã proponit.

Sensus scripturæ non est ab ingeniis.

Explicuit

» Explicuit hoc Epistola ad Grynæum diuino spiritu
» Pistorius. pagina 297. [Tu vero, quod octauum ab-
» surdum est, reuera dubiam facis scripturam: cum scri-
» pturam ad omnium intelligentiam accommodas. Nã
» quia vis ab omnibus intelligi, tamen constat non vno
» ab omnibus intelligi modo: Semper igitur, quis de
» tot tamque variè dissentientibus recte scripturam in-
» telligat, in dubitatione positum erit: nisi fortasse à te
» rectè intelligi videatur, propterea quod tu Spiritum
» sanctum in te possideas. Sed hoc, mi Grynæe, dubium
» est, vt dixi, & de te, & de singulis aljs. Eo igitur nihil
» demonstras: & æque incerta est scripturæ interpreta-
» tio quam antea. Nec valet quod dicere soletis: ab his
» intelligi scripturam, qui scripturam cum scriptura in
» timore Dei conferunt: & inde firma stabilique ratio-
» cinatione concludunt ea quæ volunt. Vt enim scri-
» ptura non est priuatæ interpretationis vel ἐπιλύσεως,
» sicut D. Petrus ait: ita nec est priuatæ collationis vel
» conclusionis: & vt sine Spiritu sancto intelligi non po-
» test, ita nec conferri commode, neque in syllogismos
» resolui sine eiusdem adminiculo recte potest, Itaque
» quamdiu de inhabitante in te Spiritu sancto nihil
» nobis testatum erit, tamdiu semper de te dubitabi-
» mus: & eodem modo de alijs. Nisi igitur certũ inter-
» pretem scripturæ, cuius authoritas in dubiũ non pos-
» sit vocari, nobis nomines: quamdiu tibi vel cæteris sin-
» gularibus viris sumes interpretandæ scripturæ iudi-
» cium: tamdiu & scripturam dubiam relinques, & nos
» perpetua hęsitatione implicatos esse sines. Vt nihil di-
» cam, quod de collatione scripturæ ponis, tuo exem-
» plo confutari. Non enim dubitare debeo, cum Vbi-
» quistas esses, vitium te fuisse æque bonum atque iam es.
» Sed tum & conferebas scripturam, & ex ea confor-
» mabas conclusiones: tamen non intelligebas, vt iam
» intelligis. Quidquid verò respondeas, vel te iam rec-
» tius conferre, vel plus adhibere iudicij, vel melius es-
» se institutum: eorum nihil ad rẽ pertinet. Quid enim
» si post annos decem tursus & conferas, & aliter quam
» iam intelligas? Quid quod Lutherani Vbiquistæ &
» adhuc hodie conferunt, & tamen à te dissentiunt? An
» te tot maximis viris anteponis? An illi perspicuitatem
» scripturæ non vident, quam tu vides? An contra con-
» scientiam peruertunt scripturam? Quid horum dices,
» mi Grynæe? An in te Spiritus Sanctus est, in illis non
» est: An tu recte confers, illi non rectè? Sed mi Grynæe,
» quidquid tandem dices; tibi forta ssis satisfacies, mihi
» & alijs nunquam: qui de Spiritu tuo, de collatione tua
» dubitabimus semper: quousq; non ostendes, cur du-
» bitare non debeamus: id est, quousque certum nobis
» iudicem non dabis, & certum interpretem: de cuius
» spiritu sine vllo scrupulo liquidò constet. Id vero est
» Ecclesia: cum qua Christus, veritas ipsa, confirmat, in
» æternum mansurum esse spiritum veritatis: quod de
» te & alijs non dixit. Ibi igitur quæri certitudo debet.
» Verum, quamdiu singulares homines sine vitula a-
» rabunt, & sine Ecclesia scripturam exponent: nisi A-
» postoli sint, & se Apostolos esse miraculis testentur:
» tamdiu & dubia, & incerta, & omnibus procellis ex-
» posita erit scriptura. Tu igitur, Grynæe, dubiam scri-
» pturam facis, non nos.

» Nono, quia fundatam esse vis tuam sententiam in
» Apostolorum doctrina: hæc verò non tota est scripta,
» sed etiam sine scripto tradita: quo pudore constitues
» de Apostolorum libris probari sententiam tuam? cũ
» non scripta non recipias? Scis quid diuus Irenæus, vir
» ille maximus, qui à te correctus in publicum ante nõ
» multos annos relatus est, scribat lib. 3. cap. 2. 3. 4. &
» 5. Scis, quid Diuus Augustinus libro de Baptismo
» contra Donatistas, cap. 26. quid contra Faustum lib.
» 28. cap. 2. Quid contra eundem lib. 11. cap. 2. scribat:
nec ignoras, quid Diuus Paulus de traditione sua ad Thess. 2. 1. Corinth. 24. 1. Corinth. 15. 1. Timoth. 6. quid diuus Lucas in Euangelij initio testetur. Ea si vera sunt, tu vero vel non recipis, vel, cum probes, tamen negligis: quomodo conuinces Apostolicam esse doctrinam tuam? Decimò: quia ψυχικὸς ἄνθρωπος non accipit ea quæ sunt Spiritus Dei: si intelligentiam scripturæ animo possunt omnes complecti: aut legitur scriptura sine spiritu Dei intellegetur: aut nemo in vniuerso mundo animalis erit; aut si illi tantùm possunt qui animales non sunt: incerta erit scripturæ interpretatio: cum qui animales & qui spirituales sint, de externis indicijs non constet: & Spiritus Dei in eos non conueniat, qui in Ecclesia non sunt. Itaq; quamdiu inter nos, an in Ecclesia sis, dubitabitur: tamdiu, an spiritualis sis, non erit liquidum: & tametsi in Ecclesia esses, & esse non dubitaretur: tamen quia Spiritus Dei idem est, à se non dissentiens: tu vero contra Ecclesiam veterem explicas scripturam: sequitur, vel Ecclesiam ante te non habuisse Spiritum Dei: vel te non habere. Vtrum dicas: ego id quod à te ponitur, tollam: & quia Spiritum tuum Prophetis non subjcis, & quia contra Ecclesiæ Spiritum veterem, oppo. nis tuum nouum: concludam, te nõ spiritualem esse, neque regi à Spiritu Dei, neque intelligere scripturã: cum Spiritus Dei sit in Ecclesia, à qua tu te abiungis: neque stes in vno illo Spiritu, cuius vnitas Ecclesiam colligat pacis vinculo. An fortassis tu & alij singulares interpretes alium Spiritum accepistis, quam cum, qui cum Ecclesia Dei in æternum manere debuit? An duo Spiritus sunt Dei? An tu spiritualis es? Ecclesia Dei & magna domus Dei non est? An illa spiritualis non est, quam scriptura domum Dei & Ecclesiam Dei, & Ecclesiam Dei viui, & tabernaculum sanctum & columnam veritatis nominat? An fortassis vsque ad Zwinglium, & Lutherum nulla talis domus & Ecclesia, & tabernaculum fuit? Aut an videri non potuit? An omnes libros veterum scriptorum, ab omnes sensus, an omnium hominum intelligentiam effugit? Quid sumes ex his, mi Grynæe? An adhuc dices nihil esse verum in Christiana religione, nisi quod consentaneum esse scripturæ, tibi & cæteris videatur: tametsi Ecclesiæ non videatur?]

Si mihi certam viam Athenas ducentem interroganti centum monstratores totidem diuersissimas ostenderent, affirmarentque singuli suam esse veriss. mam, idque ex ipsa via liquere, cæteros nonaginta nouem impostores esse, monstrare auia: fall: & falleret. Cui ex his vni crederem viator, quem contra starent testes nonaginta nouem? Hoc certe rectissimè facerem, si nemini crederem, necessario autem viderem posse centum falli, non nisi vnum ex centum vera dicere. Idem nunc pluribus contingit, qui in varios interpretes scripturarum incidunt, variasque religiones eudunt, nec tamen vllam vllius rei certitudinem habere valent, nisi ab eo sensum scripturæ accipiant, vtde & scripturam acceperunt, neque enim mortuæ literæ sed viuo sensui, & sententiæ scripturarum credere didicerunt.

§. 5. A Domino factum est istud. Græce ἰδοὺ παρὰ κυρίου ἐγένετο. Potest ἀυτὴ referri & ad γωνίαν, & ad κεφαλήν. Vtrum que enim est fœminini generis. Vt vel dicatur, *Hoc caput à Domino factum, vel angulus ille à Domino factus*, & hoc posteriore modo Theophylactus exponit. Noster interpres ad totum orationis complexum retulit, *Factum est istud*, Hoc est, res illa facta est, vt lapis reprobatus esset in caput anguli. Et vero hic verus sensus est, Græcus retinuit Hebraismum, & vsus est fœmineno, vt est in Psalmo. Fœmininum autem genus apud Hebræos in hoc loquendi genere ponitur pro neutro.

Itaque

Itaque & idem est sensus in Græco. Non esse hanc rem humano iudicio pensandam, nam diuinæ sapientiæ, & potentiæ opus esse, vt lapis reprobatus, cui ne in medio quidem muro locus erat, fieret caput anguli. Vt Christus pauper, abiectus, fabri filius, damnatus, flagellatus, crucifixus, mortuus fieret Dominus vniuersorum.

§. 6. Caluinum iam ante refutaui: sed pergit tamen Catholicos accusare. p. 324. [Quamlibet splendidis titulis polleant homines, peruerse tamen fieri si quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papistarum impietas, qui laruatæ Ecclesiæ suæ determinationem verbo Dei præferre non dubitant. Vnde enim secundum eos pendet verbi Dei auctoritas, nisi ab hominum placito, vt Deo nihil plus sit iuris relictum, quam quod ab Ecclesia precario accipit.]

Respondeo. Cum laruis luctatur, & cum aduersarium non habet, sibi fingit. Quis fando vnquam audijt, Ecclesiæ determinationem verbo Dei præferendam? aut ab hominum placito pendere Dei auctoritatem? Dei verbum summam habet auctoritatē, propria interpretatione non cognoscitur scriptura, illa ab Ecclesia petitur. Illa nobis verbū Dei tradit, & exponit. Interpres regij diplomatis non confert illi auctoritatem, nec à præcone suo ius suum rex accipit. Cum Dei maiestas in medium prodit silendum non est toti mundo, sed quibus data est interpretatio sermonis, maiestatis verba explanare debent. Quin Rullus Caluinianus consensum gentium ad amplectendā scripturam cœlesti numine habere conciliatā auctoritatem affirmat. *theſi* 57. Quod si Ecclesiæ id negant, &, vt faciunt, suo priuato Spiritui concedant, omnibus erroribus viam aperiunt. Porro etiam loca clarissima solent deprauari à leuibus ingenijs, ideoque etiam in illis opus est magisterio & auctoritate Ecclesiæ. Est enim liber signatus per interpretationē aperiendus. Nec aliud sensere prisci, nec hæretici etiam cum ad sese redierunt. Vt alio loco eorum testimonijs demonstraui. Summa autem impietas est laruato Spiritus instinctui credere, & sibi persuadere penes se solum residere veritatem.

VERSVS 44.

Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.

QVÆSTIO I.

Quibus nocet lapis angularis?

§. 1. QVi in eum ceciderit, & in quem lapis ipse ceciderit. Qui enim in lapidem ceciderit, confringetur, συνθλασθήσεται, נתרעע *nethraghagh*, quod est violenter, & cum sonitu quodam frangi. Cadunt super Christum, qui in Christum incurrunt, insiliunt, contemnunt Saluatorem & Ecclesiam. Similitudo sumpta est à rebus fragilibus, vitro, crystallo, testa, quæ à Græcis θλαστὰ, *fragilia* appellantur, quæ lapidi illisa dissiliunt, saxo perdurante. Sunt illa quidem dura, vt plurimum, ideoque dum duci, mollefieri, scindique non possunt, quasi cum lapide de victoria contendunt: sic sacerdotum & Pharisæorum duities magistratu, opibus, potentia, in sublime eleuata, in Christi humilitatem positum inferius, ferociter insultans, lapidis collisu diffracta est.

Super quem vero lapis ipse ceciderit, *conteret eum*, λικμήσει, hoc est, *comminuet*, vt in particulas dissiliat, & penitus dissipetur. Syrus תתרירוהי *Thedriuhi*, dissipabit eū, vt fictilia solent lapidis afflictu, Est autem ab Hebræo verbo זרה mutato ל in ר, quod est Syris familiare. Est autem plus λικμαίνεσθαι, quam θλασθῆναι, Etsi enim vtrunque est in partes comminuere, tamen λικμαίνεσθαι est in minutiora frusta confringere, vt res dissipetur, & quasi vētiletur, sicut vitulum Moses dissipauit & sparsit. Christum autem super aliquē cadere, est homines maxime contumaces, qualis erat Pharao, & nunc plurimi, qui nec beneficijs alliciuntur, nec cladibus molliuntur; grauissimæ damnationis sententia, quasi tota omnipotentia in eos ruente contereres & dissipare. Pertinetque ad eos, qui extrema in malitia mersi sunt, ac potentes, qui bene monentibus obstrepunt, nolunt audire docentes vtilia. Alludit Christus ad Prophetiam Isaiæ 30. 9. *Populus eum ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostrâ sanctus Israël pro eo quod reprobastis verbum hoc, & speraſtis in calumniâ, & in tumultu, & innixi estis super eo, propter hoc erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso. &c.*

Interruptio cadens, & requisita in muro excelso פרצה ruptura, seu pars muri rupta. 70. vocant πίπτον παραχῶμα πόλεως ὀχυρᾶς ἐαλωκυίας. Murum cadentem subito, ciuitatis firmæ captæ. Sic igitur contriti sunt, sic dispersi, vt nec tribuum distinctio, nec sacerdotum constet ratio vlla. Augustinus qq. Euangelic. l. 1. q. 71. sic interpretatur. *Quod Dominus dicit, qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quē vero ceciderit, conteret eum, de his dicit, quod cadent super eum, qui eum contemnunt, vel iniurijs afficiunt: ideo non dum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, vt non recti ambulent. Super quos vero cadit, venit illis desuper in iudicio cum pœnâ perditionis: ideo dixit: conteret eos, vt sint impij tanquā puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Et Chrysostomus: *Duas hic perditiones denotauit: alteram, quia offenderunt & scandalizati sunt: hoc enim est quod dicit, qui ceciderit super lapidem hunc. Alteram, quia capti, calamitosi, & ærumnosi semper vixerunt, & viuent: quam apertissime expressit, dicens, conteret ipsum:* Sic igitur argumentatur. *Lapidem* reprobastis, ille in vos cadet, aut vos super illum. peribitis ergo. ex Psal. 117. 22. inde sumptum, vnde laudatio plebis. Beza *quem lapidem* vertit. Sed noster raro quidem, sed legitimo tamen modo loquendi vsus est. Caput anguli Eph. 2. 20. Iudæos enim & Gentes in vnam structuram coagmentat.

Hæc illi audientes v. 46. conabantur quidem occidere, sed timor populi inuidiæ odioque obstabat. nā sicut prophetam eum habebant. Syrus אחדרן *Achidin*, tenebant, fortiter id tenebant. v. 45. multa Græca omittunt ἀρχιερεῖς, principes sacerdotum.

CAPVT XXII.

Respondens Iesus dixit iterum in parabolis, eis dicens. 2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 3. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias & nolebant venire. 4. iterum misit alios seruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. 6. Reliqui vero tenuerunt seruos eius, & con-

& contumeliis affectos occiderunt. 7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. 8. Tunc ait seruis: Nuptiæ quidem paratæ sunt sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. 9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. 10. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. 11. Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste
Sup 8 b. 18 & 13 f. 41. Inf. 25. c. 30. *nuptiali. 12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium 14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 15. Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt*
Marc. 12. b. 13. Luc. 20. d. 10. *vt caperent eum in sermone. 16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia veraxes, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.*
Rom. 13. c. 7. *17. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? 18. Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? 19 Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20.*
Mar. 12. b. 15. Luc. 20. d. 18. *Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? 21. Dicunt ei: Cæsaris. Tũc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo 22. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt. 23. In illo die accesserunt ad eũ Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionẽ: & interrogauerunt eũ. 24. Dicentes: Magister, Moyses*
Act 23. b. 6 Deut. 25. b. 6. *dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filiũ, vt ducat frater eius vxorẽ illius, & suscitet semen fratri suo. 25. Erant autẽ apud nos septẽ fratres: & primus, vxore ducta, defunctus est, & non habens semen, reliquit vxorẽ suam fratri suo. 26. Similiter secundus, & tertius vsque ad septimum: 27. Nouissime autem omnium & mulier defuncta est. 28. In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam. 29. Respondens autem Iesus, ait illis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. 30. In resurrectione enim neque*
Exod. 3. b. 6. Marc. 12. c. 38. Luc. 10. c. 17. *nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. 31 De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis. 32. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. 33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius 34. Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum. 35. Et interrogauit eum vnus ex eis*
Deut. 6. c. 5. Deut. 19. d. 18. Mar. 12. d. 13. Luc. 20. d. 41. *legis doctor, tentans eum. 36. Magister, quod est mandatum magnum in Lege? 37. Ait illi Iesus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua & in tota mente tua. 38. Hoc est maximum & primum mandatum. 39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. 40. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ. 41. Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus.*
Psal. 109. a. 1. *42. dicens: quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? dicunt ei: Dauid. 43. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens. 44. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 45. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? 46. & nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

IN CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM

ARGVMENTVM.

PArabolam nuptiarum continet, quâ dicuntur inuitatorum plurimi venire recusasse. Inuitatos male tractasse. Alij deinde vocati esse, inter quos vnus sine veste nuptiali inuentus, cœnaculo eiectus est in tenebras exteriores.

Pharisæi deinde cum Herodianis conueniunt, conanturque eum capere in sermonibus, proposita quæstione inuidiosa de censu dando Cæsari. Illis cum Christus os occlusisset, accedunt Saduccæi, nouamque quæstionem de resurrectione mouent, quibus cum silentium imposuisset, de integro eum Pharisæi aggrediuntur, quæritque ex eo legisperitus: Quodnam sit mandatum maximum in lege; cui respondit: Legem dilectionis Dei & proximi.

Deinde aliam ipsis quæstionem proponit. Cuius filius sit Christus, & cum respondissent? Dauidis. ipse quærit, cur eum Dauid Dominum appellat, cum parentes non soleant Dominorum nomine filios appellare. An hæc eadem sit cum eâ parabolâ quam Lucas habet, suo loco disputabo.

Ab initio vsque ad versum 15. in Syro titulus est. *Ministerium præcedens noctem secundam passionis.* Syriacè תשמשתא *Theſmeſchtha* à שמש quod est. ministrauit, stetit, alicui apparuit, vt magistratibus apparere solent ministri & accensi. Itaque in officio diuino dicitur *statio*, vt est c. 21. 28. vbi in Syro est קרבא *Kauma*. Atque ita hic quoque malim interpretari. A versu 15. ad 23. *Legitur ad vesperam feriæ tertiæ septimanæ passionis.*

Hinc ad 34. *in officio defunctorum.* Est enim in Syro קרינא דענידא *lectio defunctorum.* Causa, cur eo tempore legerint, est illa, quod resurrectionis fidem ex proposito contra Saducæos asserit; & qui postea resurrectionem negarunt, hoc loco à Syris sunt confutati. Fuerunt illi posteri Simonis Magi, Basilidiani, Valentiniani, Carpocratiani, Marcionitæ. Ab eo loco ad finem legitur; *Matutinis feriæ tertiæ septimanæ passionis* צפרא *Zaphra* auroram significat, qua matutinas Ecclesia Syriaca celebrat.

VERSVS

VERSVS 1. 2.

Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis dicens. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

QVÆSTIO I.

Quæ parabolæ significatio?

§. 1. REx, Deus est. Filius Christus. Sponsa, Humana natura. Vocati primo loco, Iudæi. Serui, Apostoli. Apparatus, omnia gratiæ, & gloriæ dona. Inuitati secundo loco Gentes. Destitutus veste nuptiali, qui sine fide viuâ seu caritate venit. Cœnaculum, Ecclesia. Tenebræ exteriores, inferi. Exercitus angeliboni & mali, impiorum vltores. Inuitatores etiam olim Patriarchæ, Prophetæ, alijq; iusti fuerunt.

Parabola explicatur.

Pro nuptijs in Syro est, משתותא *meschhutha*, quod conuiuium quoduis, seu vt Græci vocant, συμπόσιον propriè dicitur, vtriq; enim à bibendo, & combibendo appellant, rectius fortè Latini à conuiuendo. Nisi forte viuere non aliud putarunt, quàm bibere. Necdubitandum est de nuptiali conuiuio filij intelligi, quanquam & Lucas tantum habet de cœnâ magnâ.

Nuptiæ non sunt cœlestis vitæ gaudia.

Nuptiæ porro hoc loco non sunt cœlestis vitæ gaudia, nec cœnaculum est cœleste palatium: quamuis conuiuij typo gaudia illa aliquando significentur, & ita docet Hil. can. 22. in Matth. Quem enim Deus illius aulæ ingressu dignatus fuerit, nunquam eijcitur, sed manet immota semel acceptæ beatitudinis æternitas. Beatitudo enim nulla est, nisi quæ æterna est, & esse talem omnibus eam obtinentibus constat.

Christus figuratiue dicitur sponsus.

Nuptias autem vocare voluit, quod etsi Ecclesia omnibus modis serua esset, Sponsam tamen vocare dignatus est, & esse sacrum ac spirituale coniugium, Atque sponsus pro sponsa se in tormenta ac mortem dedit, vt sponsam sibi æternam coniungeret. In Apoc. etiam vocantur nuptiæ agni. Quod vero Innocentius Extrau. de Bigam. cap. debitum. & Lombardus 4. distinct. 26. per has nuptias animæ fidelis cum Christo sponso coniunctionem interpretantur, mystica est expositio, in parte tamen literalis. Cum enim Christus totius Ecclesiæ Sponsus sit, singula etiam eius membra spirituali matrimonio illi iunguntur.

§. 2. Athanasius hunc in modum parabolam expicat. q. 10. de dictis scripturæ. *Quis ille rex?* Deus. *Quis filius?* Christus. *Quinam illi sunt, qui erant vocati?* Prophetæ, & Apostoli. *Qui illi qui denegabant?* Iudæi. *Qui non veniebant?* Hi qui erant ex gentibus. *Quis erat qui non habebat nuptialem vestem?* Iudas, & qui, quemadmodum ipse, in sancta se indigne ingerunt.

Vbi vertit quidam Latinus, *in sancta ministeria*, Græcus habet ἐπιπόδοντες εἰς τὰ ἅγια, *insilientes in sancta*. Porro Messiam vocari filium Dei apud Iudæos vsitatum fuit. Sic enim de Messiâ Psal. 2. illa verba נשקו בר Hebræi interpretantur *Osculamini filium*. R. Salomo testatur Magistros nostros de Messiâ interpretatos. Sic & R. Abbenezra, & R. Abraham. Et in Midras Thehillim. describitur filij opus. *Osculamini filium. Hoc est quod scriptum est*, Psal. 85. *Misericordia & veritas obuiauerunt, iustitia & Pax osculatæ sunt. Dixit Rabbi. Hoc simile est regi, cui filius vrbis iratus. Iuerunt ergo filij vrbis, & iurgia, vt regem placaret, supplicarunt. Iuit filius & placauit patrem suum. Quumq; rex per filium reconciliatus esset, dixerunt filij ciuitatis ad gratias agendas regi. Dixit vero illorum: Mihi vos gratias agitis? ite & filio meo gratias agite. Nam nisi ipse fuisset, iam ciuitatem euertissem, & hoc est, quod dictum est: Osculamini filium.* itaque inter eos constabat filium regis vocari Messiam.

VERSVS 4. & sequentes.

Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negociationem suam: reliqui vero tenuerunt seruos eius & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset iratus est, &c.

QVÆSTIO I.

Cur vocati venire noluerunt?

§. 1. NOn simpliciter mittit vocatum, sed καλέσαι τοὺς κεκλημένους εἰς τοὺς γάμους. *Vocare vocatos ad nuptias.* Syrus hic quoque generale nomen conuiuij retinet. Et duobus verbis vtitur, רגקרון *denecrun, vocare.* לבוזמנא *lamzammene*, inuitatos. Immerito igitur Beza reprehendit, Erasmum & veterem interpretem: quod non dixerint, *vocare vocatos*, sed *vocare inuitatos.* Sunt enim vsi proprio vocabulo conuiuiorum, quo Græci carent, Latini & Syrus habent. Syris זמרמן dicuntur, qui, vtipsi loquuntur, *vocantur ad opus benedictionis mensæ.* Nam זמן est, & inuitare & condicere ad conuiuium. Quod etiam καιρὸν seu tempus opportunum significat. Tanto itaque maior illorum erat improbitas cum tam commodo tempore inuitati, contemnunt, & inuitatorem & regem. More autem regio mittuntur serui ad inuitatos antea, vt indicent adesse tempus: nam ante inuitati aliâ legatione fuerant, vt se se pararent, decenterque ad nuptiarum dignitatem augendam venirent; erant enim subditorum honoratiores, & clientes beneficiarij, quos ex lege venire oportebat. In conuiuarum catalogo primo loco adscripti erant, sed honorem sibi oblatum contempserunt. Læsa autem grauiter regis eo contemptu fuit maiestas, indignati enim solent, qui vocati ad nuptias, nullâ legitimâ causâ datâ, venire recusant. Præsertim si contemptim aspereq; respondeant, at hi sub ipsum tempus, & momentum, cum omnia parata erant, cum iam omnia τεθυμένα, occisa seu immolata erant, recusabant. nam in conuiuio immolare victimas solebant. Deinde contumeliose, & crudeliter seruos inuitantis acceperunt.

Vocantur inuitati.

Contemptu nuptiarum regia læsa maiestas.

Non est probabile quod existimat Abulensis, veritum regem, ne forte non satis prudenter primi serui egissent, aut etiam mentiti essent; non enim solent deesse legati regibus, qui ad conuiuium inuitent, nec tam multos in tam variis locis in mendacium conspirare posse verisimile fuit; nec vero auderent, principum accusatione conuincendi.

§. 2. Recusant ex æquo omnes, alij negligunt, vt suis rebus vacent, alij seruos inuitatores etiam occidunt. Verbum ἀμελήσαντες talem contemptum indicat, qualis in illis est, qui non nisi obiter, & moris causa rebus diuinis intersunt, toti terrenis obnoxij. Syrus textus habet בסר *besau*, & glossa marginalis interpretatur בוא *baza*. Ex quo constat, non esse excusandos, qui quamuis speciosos prætextus quærunt, ne

Negligunt pietatem.

Deo sese dedant, quasi vero alium in finem creati sint, quam vt Deo seruiant. Horum deterrimi seruos ἔδειραν, & ἀπέκτειναν contumelijs, & iniurijs affecerunt. Maior illorum est insania; nam contemptui sæuitiam addunt, quæ posteriores seruos exercuit. Nempe Baptistam, Apostolos; nam in illos grauius, quam in Prophetas exarserunt. Contemptores cœnâ excludûtur, homicidarum ciuitas exuritur, omnes tamen rebelles, si enim adesse regi in conuiuio nolebant, quomodo, si ad belli labores, ac pericula vocarentur, assisterent? Ira igitur grauissima in eos effusa est, quia vocati in societatem filij Dei, tantam neglexerunt salutem, & repellentes verbum Dei, seque iudicantes indignos vitæ æternæ, effecerunt, vt Rex miserit ad gentes, & impleret nuptias ex illis. Christum autem Sponsum dici constat, & c. 9. 15. Ioan. 3. 29. Apocal. 19. 7. Hinc & Ecclesia Sponsa Apoc. 21. 2. Ephes. 5. 25. Conuiuium in Ecclesiâ inchoatur, in cœlo perficitur. Vide Augustin. contra Arian. & l. 50. Homil. hom. 32. cap. 2. qui etiam de incarnatione interpretatur.

QVÆSTIO II.

An eadem sit apud Lucam & Matthæum parabola?

§. 1. LVcas in circumstantijs à Matthæo dissentit. Nam ille conuiuium, Matthæus nuptias appellat. Plures seruos Matthæus, Lucas vnum habet. De Seruis pulsatis, & occisis, nihil Lucas meminit. Itaq; multi diuersam esse parabolam arbitrantur. vt Augustinus l. 2. de consensu Euangelistarum. Greg. hom. 38. in Euang. D. Thom. Barradius. Abulensis rationibus nouendecim probare nititur, diuersas esse parabolas. Et quamuis responderi ad aliquas fateatur posse, concedit tamen non posse ad omnes. Et forte ad eas omnes responderi potest, quas ille adducit; nam præcipuam, quæ rem necessario conuincit, omittit. Eandem putat Iren. l. 4. c. 70. & 76. & Maldonatus, multique alij viri docti, qui de circumstantijs conciliandis laborant.

Diuersam Parabolam multi putant.

§. 2. Diuersam esse, aut vnam diuerso tempore, & loco narratam, ex sacris literis posse demonstrari, mihi planè persuadeo. Nam illa quam Lucas recensét in Galilæâ & in conuiuio narrata est, hæc, de qua Matthæus agit, Ierosolymis, & in Templo. Hæc duo si probentur, facile constabit, non eodem tempore recitatam, nec ideo mirum, si circumstantijs differant.

De hac ergo constat Ierosolymis habitam, non in conuiuio. Nam cap. 21. 23. ingressum in templum, rogant Pharisæi in qua potestate ista faciat, quibus ille aliam quæstionem subiungit de Baptismo Ioannis. & v. 28. Parabolam de duobus filijs refert statim eodem tempore. & v. 33. subdit, aliam parabolam audite, Homo erat Paterfamilias, & ea absoluta, cap. 22. respondens iterum in parabolis eis, dixit simile factum est regnum cœlorum homini regi. Hæc ergo nectitur cum illis quæ in templo dictæ sunt, & particula; *Iterum* indicat illas præcessisse, hanc sequi, at priores in templo dictæ sunt, post solennem ingressum ergo hæc quoq; post illud tempus dicta est. Non enim diceret Euangelista nunc, *Iterum* in parabolis Christum loqui, si id quod in iterato sermone recensetur, iam ante in Galilæa dictum fuit, & nunc non dicitur.

Hæc in vrbe Ierosolymorum, illa in Galilæâ est dicta.

Deinde hæc parabola immediatè cohæret cum disputatione de censu dando. n. 15. *Tunc abeuntes Pharisæi, & in illo die accesserunt ad eum Saducæi* versu 23. & *Pharisæi audientes quod silentium imposuisset Saducæis* v. 34. de mandato maximo quæstionem proponunt; Hæc enim videmus non modo textui coniungi, sed etiam particulis, quæ indicent eodem tempore dicta esse. Deniq; post ista, *nemo fuit eum ausus amplius interrogare*, at vero crebro post illam parabolam in Galilæa habitam interrogatus est. Post hoc autem abeuntibus Pharisæis parabolas ad turbas dicit. cap. 23. & cap. 24. egreditur è templo. Non igitur quicquam horum in conuiuio dictum est, nec illo extremo tempore quisquam eum ad conuiuium Ierosolymis inuitauit. Constat igitur de huius parabolæ tempore quod fuit inter diem Palmarum, & Passionis.

Probandum etiam, Parabolam, quam Lucas habet, in Galilæa dictam. Hoc ex cap. 14. constat. Nam *ingressus est Iesus in domum Principis Sacerdotum vt panem manducaret*, & versu 15. cum quidam ex discumbentibus Luc. 14. dixisset, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, ipse dicta dixit ei; *Homo quidam fecit magnam, &c.* Hoc autem conuiuium fuit in Galilæa. Nam c. 17. 11. vadit in Ierusalem per Samariam & Galilæam. Itaq; antè fuit in Galilæa, aut remotiore loco. Deinde post parabolam hanc in Luca sequitur: *Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos. Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, &c.* Hæc autem verba, de abnegatione & cruce tollendâ, sunt immediatè coniuctam, cum parabola, quæ est apud Lucam; at illa dicta fuit in Galilæa, vt constat ex 11. Matthæi. Postquam enim illa dixit: c. 11. subiungit: *Et factum est cum consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.* At sane post hanc parabolam in Matthæo nullis in ciuitatibus amplius docuit.

§. 3. Mittit exercitus v. 7. nam postea tota ditio destructa est. Nec ideo tamen Deus est auctor peccati, nam ad legitimam pœnam exigendam mittit, occisa sunt vndecies centena millia.

Reiecti sunt illi quia indigni fuerunt, & libertati inuitantis restiterunt. Non minus tamen etiam alij fuerunt indigni. Sed sua eos bonitate vocauit, non habuit alienæ malitiæ rationem.

Horum in locum vocat, v. 9. *omnes*. Hoc est in vniuersum omnes, alium alio modo, omnes tamen vt nemo causari possit se nunquam vocatum, alios per Doctores, alios per Miracula, alios per Angelos, multos per internos instinctus. Nec in horribili illa die inuenietur, qui præter cætera peccata, non oblatam gratiam non repudiarit, & vocantem non spreuerit. Grauissime porro etiam publice in hac vita puniri solent, qui sæpe vocantem sæpe contempserunt. Quia admissum reiecerunt. Eâ enim causâ integras prouincias sub tyrannorum potestatem redactas videmus.

Vocatio.

VERSVS 10.

Et egressi serui eius in vias congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium.

QVÆSTIO I.

Quomodo vocauit bonos, & malos?

§. 1. QVæstionem proponit Augustinus, l. de fide, & operibus, c. 17. Ante vocationem enim, & extra Ecclesiam nemo est bonus. Respondet vero *Adduxerunt serui bonos, & malos, siue quia latebant, siue quia iam adducti & intromissi apparerent: Siue bonos & malos, malos dictum est secundum humanam quandam conuersationem, in qua etiam ij qui nondum crediderunt, vel laudari vel vituperari solent.* & paulò post de illis apud quos discipuli manere iubentur. Profecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suorum cuius bonus habebitur? & quis indignus, nisi qui malus illis innotuerit? Eos autem veni-

venire dicit nolle, qui in peccatis perseuerare voluerunt.

Abulensis bonos putat viros honoratos; malos, pauperes. Verum rectâ accommodatione tota difficultas tollitur. Hoc enim solum dicitur seruos regios, nullo morum, aut status discrimine passim obuios inuitasse, atque in palatium induxisse. Hoc modo omne genus hominum ad fidem vocatur. Paulus dum persequitur Christum, Cornelius dum orat; nulla gens, nullus sexus excluditur. Serui scientes volentes nullum domino suo inimicum admiserunt, sed cum iudicium de animo singulorum ipsis commissum non fuerit, præsumpserunt esse bonos, quos nescierunt esse malos. Alio autem modo vocari ad Christum bonos, & malos dicemus. Primo quidem vt ad fidem, & iustitiam primam vocari censeantur, & ita omnes qui vocantur sunt mali; sed boni tamen quidam ciuiliter, non omnino scelerati. atque ita intelligi scriptura posset. Verum malo accipere de iustis, qui fidem habuerunt in Messiam, vt dicantur vocati, ad credendum hunc dominum Christum esse, vt de Cornelio dixi. Sic Ioseph us ab Arimathia, alijque vocati sunt, ad expressam fidem præsentis Messiæ.

Credentes imperfecte, vocantur boni sine fide, sine charitate, & iustitia.

VERSVS II.

Intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali;

QVÆSTIO I.

Quæ vestis nuptialis?

§. 1. SYrus vestem conuiuij, seu vestem conuiualem appellat, ἔνδυμα γάμου. *Vestis nuptiarum*, Constat Christum nolle vt conuiuæ in cœnaculum admissi securi sint, possunt enim mereri, vt eijciantur.

Primo quidem constituendum est. Vestem nuptialem non esse fidem solam. Et Caluinus quidem negat hic disputandum, an fides sit vestis, an nouæ vitæ? Bullingerus: *Vestis*, inquit, *nuptialis est vera in Christum fides, vitaq; sanctitas*: addit vero. *Frequentissimum esse conuersationem ac integritatem vitæ per vestem significare.* At fide iam ingressi fuerunt, & alij quia incredituli fuerant, non venerunt.

Caluinus, etsi, vt dixi, neget disputandum, valde tamen lubricus est. Primo ait: non exprobrari Iudæis, quod vocationem contempserint, *sed eos qui subrogandi erant in locum illorum, maturè præmonere, ne suis sordibus sacras nuptias inquinent, vbi Deus mensæ suæ participatione dignatus fuerit. Minari deinde ex hoc munere exterminandos esse, qui Ecclesiam contumelia afficerent.* Non enim omnes qui ingressi sunt participes fore vitæ æternæ, sed qui ornatum dignum cœlesti palatio gestant. Non autem quærendum esse, an vestis sit fides, an pia vita, cum separari illa non possint. Ex quo constat eum fidem & opera pariter requirere ad has nuptias ritè, decenter, & sine regis offensa celebrandas: nec enim inani fidei titulo Deo placere possunt. At paulò post ait, non aliò spectare Christi verba, quam *externam fidei professionem minimè sufficere*, vt pro suis Deus agnoscat, quicumque videntur nomen vocationi eius dedisse. Si requiruntur fides & opera, ab vtrisque ergò salus dependet: ab vtrisq; ergò certitudo salutis, sine qua non est secundum Caluinistas vlla salus. Non ergò eò tantum spectant Christi verba, vt ostendant non sufficere externam fidei professionem, sed vt caritatem, spem, ceterarum virtutum ornamenta etiam necessaria demonstrent. Musculus eos, qui veste nuptiali carent, hypocritas esse dicit. Id ex parte verum est, nam amicorum in locum venit, sed regem non amat, non tamen hypocryta est fidem simulando, sed non diligendo.

§. 2. Idem Caluinus: [Secundi sunt, inquit, intrant, & profitentur velle se seruire Deo, interea autem sibi imponunt, quod non habeant veram radicem, vt Simon magus, qui non simulabat se fidelem, sed conuictus in animo veritate Euangelij profitebatur eam: at non habebat radicem, quemadmodum illi Petrus exprobrat Actor. 8. 13. Tales certè sunt, quibus Dominus impertitur Spiritum suum, & quos ad tempus dumtaxat illuminat, deindè suæ ingratitudinis merito deserit, & maiori percutit cœcitate.] *"Ob ingratitudinem deseruntur.*

Hæc cæteris Caluinianis sunt contraria, qui disertè in Colloquio Mompelgartensi profitentur, verborum illorum: *Simon credidit*; sensum esse, *credere se simulauit*; itaque & ille, qui veste nuptiali caruit, non simulauit fidem. Nam de veritate conuictus est, à Deo illuminatus, & spiritu Dei donatus, deinde vero ab eodem desertus. Si ficta fuit, non vera fides, non fuit illuminatio à Deo, sed abominata simulatio, quæ à Diabolo venit. Nec deseruntur à Deo, quorum Hypocrisin ille detegit. Hinc sanè constat, nullum esse debere de salute securum, quia hic conuiua regis, de mensa ad supplicium trahatur. Intrarat, discumbebat, cibo regio vescebatur, sed perseuerantia defuit. Hinc coactus rei veritate Musculus vocationem efficacem solis, vt plurimum, electis dari scribit, cum cæteri Caluiniani solis omnino electis eam tribuant. *Si vt plurimum*, non igitur semper. *Caluinianorum pugnæ.*

Efficace vocatione, vt plurimum, solos electos Deus dignatur. Caluinus l. 4. institut. cap. 14. §. 29. Hunc per solam fidei professionem ingressum tradit. [Illud verbum Domini de multis vocatis, paucis autem electis: pessime in eum modum accipitur: vt germanum sensum habeamus, notandum duplicem esse vocationis speciem. Est enim vniuersalis vocatio, quâ per externam verbi prædicationem, omnes pariter ad se inuitat Deus: etiam quibus eam in mortis odorem, & grauioris condemnationis materiam, proponit. Est altera specialis, qua, vt plurimum, solos fideles dignatur: dum interiori sui Spiritus illuminatione efficit, vt verbum prædicatum eorum cordibus insideat. Interdum tamen ijs quoque impertitur, quos ad tempus dumtaxat illuminat, deinde suæ ingratitudinis merito deserit, & maiori percutit cœcitate.] *Vocatio electorum.* *Caluiniana vocatio.*

Itaque à Caluino hoc Musculus est mutuatus. Sed tamen ipse Caluinus fatetur, etiam reprobos aliquando illuminari. Zuinglius fide interna, & operibus caruisse dicit, communi errore, quòd ista inseparabilia existimaret. Hoc tamen experientia refutat. Sunt in Ecclesiâ non modo boni, sed & mali, fide præditi sunt: per eam enim sunt in Ecclesiâ, per eam vocanti paruerunt. Qui enim in Ecclesiâ damnantur, non de fide, sed de vitâ iudicantur. Stant ad sinistram, nec arguuntur perfidiæ, sed immisericordiæ. *Per fidem in Ecclesiâ sumus.*

§. 3. Hieronymus vestem nuptialem appellat præcepta Domini, & opera, quæ ex lege & Euangelio complentur, & efficiunt nouum hominis vestimentum. Eodem modo cæteri patres appellant opera, aut caritatem. Orig. hunc in locum. Ambros. Serm. 14. de natali Domini. Euthym. Theodoretus ad Græcos infideles περὶ τῆς πρακτικῆς ἀρετῆς pag. 167. Καὶ τὸν ἐσθῆτα περιβεβλημένον ἐκ ἀρμόδιον γάμου τῶν δαιτυμόνων ἐκώλυσε, καὶ τῆς αὐλῆς ἐξήλασε. *Et non indutum veste nuptiis conueniente, à conuiuio separauit, & epulis expulit.*

Plures eodem loco in hanc rem parabolas colligit, & concludit more Philosophico verissimo dicto.

ὅτι μὲν οὖν δεῖται ἡ γνῶσις τῆς πρακτικῆς ἀρετῆς ἱκανὰ ἤδη ταῦτα δηλῶσαι. *Sufficienter ergo ista demonstrant, cognitionem practicâ virtute indigere.*

Et Apoc. cap. 3. 17. Epheſ. 4. 24.

Per fidem certè ingreſſus eſt in cœnaculum: quia verò veſtis nuptialis ſeu charitas defuit, ex Eccleſia in tenebras inferas detruſus eſt.

Hoc ipſum ſimilitudo poſtulat: non enim in conuiuio regio ſatis eſt, regem credere ſuum dominum eſſe, menſæ aſſidere, opus eſt etiam honeſto decentique cultu, honoratum cœtum non deformare. Itaq; Origenes illos eſſe dicit, qui malitiam ſeruant poſt fidem.

Veſtis nuptialis non eſt fiducia.

§. 4. Non eſt etiam fiducia ſpecialis de prædeſtinatione, & remiſſione peccatorum. Lutherus interpretatus eſt, Chriſtum per fidem indutum. Hoc eſt, *ſpecialem fiduciam*. Melanchthon, fidem, quæ eſt ſola interna, & abſoluta iuſtitia. Multum tamen ab illis diſtat, qui fidem mendicam manum interpretantur.

Eraſmus Sarcerius ait, fidem eſſe efficacem, nec poſſe de operibus intelligi. Fides aut efficax illis fiducia dicitur. Lutherus alioqui opera omnino ſolet excludere, vt ſordidos, & impuros regiæ menſæ offerat. Aliter omnino veterum oracula, Auguſtinus l. 22. cap. 19. contra Fauſtum & contra Donatiſtas poſt collationem cap. 20. & tract. 9. in Ioan. & l. 22. c. 14.

Veſtis nuptialis charitas & eius opera.

contra Fauſtum, per veſtem nuptialem intelligit vitæ honeſtatem, ea enim viſa in hominibus Deus glorificatur. & Hilar. in Pſal. 64. ornatum ſpiritualium virtutum eſſe docet. Ambroſ. in Lucam, fidem per caritatem operantem. Greg. hom. 38. in Euang. eſſe caritatem. Chryſ. hom. 9. in Ioan. vitam puram interpretatur, deniq; Iren. l. 4. c. 70. contra hæreſes eſſe opera iuſtitiæ. Quæ interpretationes eodem recidunt. Nempè fidem nullo modo ſatis eſſe, ſed charitatem, eiuſque opera, nouitatem vitæ, integritatem, eſſe neceſſaria in nuptiali conuiuio regis permanſuro. Veriſſimè Chryſ. loco citato. *Ne exiſtimemus nobis fidem ad ſalutem ſatis eſſe, Chariſſimi, niſi enim puram vitam exhibuerimus, &c.* Et hom. 70. in Matth. Non eſt Auguſtini diuerſa ſententia, qui contra Fauſtum: *Sine veſte nuptiali nuptias adit, qui quærit ibi gloriam, non ſponſi, ſed ſuam.* Et Hilarius, veſtem nuptialem eſſe *gratiam Spiritus ſancti, & candorem habitus cœleſtis.*

VERSVS 12.

Et ait illi: Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem: At ille obmutuit.

Qvæstio I.

Quare obmutuit?

§. 1. Græce ἐφιμώθη, capiſtratus eſt: quod ita tacuiſſe ſignificat, vt vocem ſoluere non poſſet. Syriacè eſt אשתתק *Eshthathac.* quaſi ſeipſe conſtrinxerit, & ſilere fecerit. Nam contemptu regis, non inopiâ, aut calamitate aliquâ veſte ſordidâ indutus venit: nec contra decorum rex tam ardenter iraſci dicitur; nam ſordes conuiuæ, tyrannidis eum accuſabant, quaſi ſubditis luctuoſum eſſet regium matrimonium. Omnibus autem, antequam menſæ adhiberentur, veſtes datæ ſunt, vt eſſet regium, non mendicorum conuiuium. Hanc ille vel contaminauit aut perdidit, vt ſordidus veniret, totique conuiuio eſſet probro. Nullam itaque excuſationem prætendit, ne tentauit quidem. Nam aures regia vox verberat, conſcientia, mentem flagellat, & ſe reus ipſe condemnat. Itaq; ſtatim ad pœnam rapitur. ἆραι καὶ ἐκβάλετε. Tollite, inquit, & ejcite.

VERSVS 14.

Multi enim ſunt, vocati pauci vero electi.

Qvæstio I.

Quomodo huic loco conueniat Epiphonema: Multi ſunt vocati, pauci electi?

§. 1. Proposito Chriſti, ac toti parabolæ ſententiæ repugnare videtur. Vnus ex tam numeroſo conuiuio expellitur, infert tamen dominus. Multos vocatos, vnum eiectum. Quidam ad omnia ſuperiora referunt. *Multi* enim *vocati ſunt, ſed pauci electi*, nemo enim ex illis, qui primo loco vocati ſunt, venit. Auguſtinus contra Donatiſtas poſt collationem, Vnum ait ſuſtinere perſonam omnium reproborum. Id quidem verum eſt; nam de illo ſolo mentio eſt, cum alij plurimi ſint electi.

Mihi tamen ſimpliciſſimus ſenſus eſſe videtur. Vt voluerit Chriſtus probare non omnes, quos Deus vocauit fide, alijſque bonis inſtruxit, fore ſaluos, & quia mirabantur ex medio conuiuio illum abripi, & ſeuerum mandatum pronunciari in ipsâ lætitiâ publicâ, adeoq; mandari ſupplicia, & adminiſtrari, occurrere voluit tacitæ obiectioni; nempe non mirum eſſe hunc ejici, multis id euenturum, multos enim eſſe vocatos, paucos electos, omnibus ita cautè ac ſollicite agendum, vt vocationi obſequantur. Videbatur quidem ſufficere ratio, ſi diceret, multos vocatos, non omnes electos, ita mirum non eſſe, ſi ille vocatus exterminaretur. Sed vſus eſt Dominus ratione, quæ & hoc oſtenderet, & plus conficeret, magnumq; terrorem cunctis injiceret.

Monuit itaq; S. Athanaſius de veritate non ex opinione multitudinis eſſe iudicandum. nec ſequendum in actionibus populum, nec tutum eſt enim ἴσιν τὸ λεωφόρον ire viam, qua populus graditur. Maxima pars affectuum, non rationis eſt ſectatrix. Verba Athanaſij, τὰ οὖν.

VERSVS 16.

Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonas hominum.

Qvæstio I.

Qui Herodiani?

§. 1. Qvidam aiunt Sectam fuiſſe ex Iudaiſmo & Paganiſmo, Syrus ait fuiſſe de domo Herodis: nam ille circa paſcha Ieroſolymam venerat. Alij Herodem noluiſſe Romanis tributum pendi, alij voluiſſe eum dari cenſum Romanis, quod non videtur dubium, cum Romanæ eſſet poteſtatis cliens, & adulator, poſſideretq; regnum, ἐπὶ φόρου πλαγιαίου, vt tributa penderet conſtituta, vt docet Appianus, alij Herodem Magnum pro Chriſto habitum ex Geneſeos cap. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum &c.*

§. 2. Sectam aliquam, & quidem peſtiferam fuiſſe Herodianorum illis Marci verbis docemur, quibus vt cauere iubet *à fermento Phariſæorum & Herodis*, cum ſub autem per fermentum intelligat doctrinam, non eſt dubium, ſpecialiter noxios fuiſſe Herodianorum erro-

etrores. Sed quisnam ille error fuerit, quæsitum est à veteribus, & hodie quæritur.

Tertullianus de præscriptionibus aduersus hæreticos. cap. 45. in eâ sententiâ fuisse dicit, vt Herodem dicerent Messiam. *Taceo*, inquit, *Saducæos, qui ex huius erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresin, etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Pharisæos, qui additamenta quædam legi struendo, à Iudæis diuisi sunt. Inde etiam hoc accipere ipsum, quod habent, nomen d gni fuerunt cum his etiam Herodianos qui Christum Herodem esse dixerunt.*

Eadem in sententiâ Philastrius, & Damascenus sunt, & refutat errorem Epiphanius hæresi 20 ab Herode magno dictos ait, qui Antipatri filius fuit, alij de illo Herode dictum existimant, qui Christum irrisit, quiq; Apostolum decollauit, quem Angelus percussit quod impiam assentationem nõ repressisset. Nam hunc studiosum religionis, & Iudaici populi fuisse constat, ideo enim & Iacobum decollauit, & Petrum in carcere tenuit. Erat idem Herodes Iudæis gratissimus, vt adeo vt viderentur eum pro Messiâ non inuiti recepturi. Hic tamen Herodes qui Agrippa dictus non est ille, qui dominum irrisit, miser enim & omnium tum egens vixit ad Caij imperium vsque. Itaque Antipas ille fuit, Tetrarcha Galilææ. Quem non video cur dixerint Christum, non quod non id faceret adulatio, sed non apparet in eo periculum seductionis, vt opus haberent admonitione discipuli. Præsertim cum apud Iudæos in summo esset odio, tum propter alia tum vero necem Baptistæ, at neq; mihi probari potest, quod de Herode magno, filio Antipatri dicunt. Iam enim viginti annos mortuus erat Herodes, omnium hominum ingenti odio, omnibus sceleribus, præsertim crudelitate insignis. Iudæos ille maximè afflixit, idololatriam prouexit, Romanis illos subdidit.

Aliusigitur aliquis error siue veteris, siue aliorum Herodum fuit, error noxius, & quo capi facile Iudæi possent. Mihi secta Herodianorum fuisse videtur, quæ in hodiernum diem perdurat, & vocatur Pseudopoliticorum, quorum hic conatus est, vt sui commodi causa religionem commutent, miscent, perinde æstimantes quacunq; religione viuant, aut sane parum pensi religionem habentes, sed si vtilitas, aut honos id exigat, summum pietatis ardorem simulantes. Huic sectæ plurimi erant ex aulâ dediti, vt sibi consulerent, & regnantibus placerent. Hos aulicos cum suis discipulos subornant, vt ipsis testibus aliquod reprobrium à Christo, quod calumniæ esset obnoxium eiicerent. Planè aulicè dominum aggrediuntur, adulantur, non esse acceptorem personarum profitentur, pulle autem facile veritatem opprimi maiestate Cæsaris, cum in eum peccanti, nulla soleat esse venia, & innumeros patronos inueniat fiscus. Omnes priuatim inire gratiam, quam bonum publico cum periculo tueri malunt. Illa itaq; præfatione eum obliquè hortantur, vt neget dandum tributum, & se quoq; in ea sententia esse ih sinuant, vt si id, quod exspectabant, respondisset, ex Parasitis delatores, apud præsidem læsæ maiestatis accusarent. Sic igitur ab impiis, atheis, pseudopoliticis impetitus est. Fuisse vero illam Herodianorum sectam, ex sententia, & factis Herodis manifestum est. Nam principio ingenio fuit audaci & violento, Ioseph. l. 14. antiq. c. 17. *sed maxime* terrebat Iudæorum primates violentum acaudax Herodis ingenium, & tyrannidis cupidum.

Dolis tamen certabat Antipater; nam cum Hircano persuasisset, vt pecuniam mitteret Romanis ipse quasi de suo mitteret, eius muneris sibi vsurpauit gratiam, vt idem habet. Herodes cædium accusatus, cum ad iudicium veniret, sexti Cæsaris qui Syriæ præfectus erat, literis munitus aduenit, & iudicium euasit, mox factus dux Cœle Syriæ, cum profana turba vrbem ingressus est, & tamen Malicho se amicum simulat, qui parentem interfecerat. Apud Antonium bis accusatus pecunia data accusatores afflixit.

Constat sane eum à puero, gentium opinionibus imbutũ, ita in fuga cum periculum videret, voluit se ipse interficere. Et Romæ rex declaratus ad Capitolium deducitur. Verum quæ religio in Herode fuerit, Iosephus describit l. 15. ant. cap. 11. [Quo factum est, vt magis ac magis discederet à patriis ritibus, & peregrinis studijs veterum instituta corrumpere inuiolabilia: quorum tempore permagna facta est bonorum morum in deterius inclinatio, labante disciplina, qua ante hac populus solebat contineri in officio. Ac primum athletica certamina quinto quoq; anno in honorem Cæsaris instituit, theatro Hierosolymis exstructo: deindè in campo amphiteattum, vtrumq; sumptuoso opere conspicuum, sed alienum à Iudaicis moribus. apud quos nullus est horum vsus, nulla spectaculorum ostentatio. Ille tamen celebritatem hanc nobilissimam esse voluit, denunciatam circumuicinis atque etiam longinquis gentibus: propositisque præmijs magnis vndique athletarum ceterorumque certatorum concursus factus est, confluxeruntque exercitatissimi quique in hoc genere, euocabantur enim magnis præmijs, non hi tantum qui gymnicis certaminibus dant operam, sed musici etiam præstantes & qui vocantur thymelici: nec non quadrigarij ac trigarij, & qui singulis equis celetizontes cursum peragunt: magna contentione Regis, ne quid desideraretur, quod vsquam in hoc genere sit spectabile. Theatrum ipsum per circuitum titulis erat ornatum Cæsaris, & tropæis deuictarum ab illo gentium, auro atque argento collucentibus, quod verò ad instrumentum & apparatum attinet, non vestes pretiosissimæ, non gemmæ raritate insignes deerant in his spectaculis: conquisitis etiam feris plurimis, leonibus ceterisque vel robore spectandis, vel aliquo naturæ miraculo, hæ modò inter se, modò cum damnatis hominibus committebantur: quæ peregrinis quidem spectatoribus plurimum admirationis simul atque delectationis afferebant, indigenis verò prorsus ad dissolutionem patriæ disciplinæ tendere videbantur, nihil enim magis impium existimabant, quam ex spectandis hominibus cum bestijs comparatis voluptatem crudelem captare homines: absurdum æque peregrinis artibus mutare instituta domestica. Sed nihil tam molestum fuit quam tropæa: quæ cum putarent armis contectas imagines, quarum vsus interdictus est nostris legibus, indignissimè eas ferebant, à quibus cum eos sic abhorrere Herodes animaduerteret, per vim nihil agere voluit, sed blandis alloquijs conabatur hanc superstitionem eximere: nihil tamen mouebantur, sed credentes eum grauiter peccare, vno ore exclamant: etiamsi reliqua omnia fere oporteat, non laturos se intrà vrbem hominum imagines: sic tropæa vocabant: hoc enim nefas esse. Herodes verò videns eos turbatos, & sine satisfactione non facilè cessuros, acciis ad se præcipuis ex illo numero, & in theatrum adductis, rogabat eos, ostenlis tropæis, quidnam hoc esse putarent, cumque reclamassent hominum esse imagines, iubet detrahi ornatum appositicium, & ostendit nudos stipites, quo facto in risum vertit indignatio concepta ex suspitione imaginum, atque ita sedato multitudinis tumultu, plerique iam mutati æquo animo ferebant omnia, quidam tamen ne sic quidem destiterunt externos mores abominari, veriti ne ex hac mutatione sequeretur magnum aliquod reipub. incommodum: putaueruntque sui officij labanti disciplinæ publicæ vel capitis periculo succurrere, nec pati

Herodes Ethnico Iudæus.

" Herodem quicquam contrà receptos mores inducere, & pro Rege hostem agere, ex his decem ciues conuauerunt contempto periculo, sicasque vestibus texerunt: & in his vnus cœcus, ob indignitatem eorum quæ audierat non tam paratus ad agendum aliquid, quam ad patiendum, si quid assertoribus patrij moris accideret, cuius exemplo non mediocriter confirmati sunt cæteri: Hi communicatis consilijs in theatrum vadunt, sperantes nec ipsum Regem improuisum impetum suum euasurum, aut certè multos ex aulicis eius stipatoribus opprimendos: & vel hoc sibi fore mortis solatium, si illium violatæ religionis ergò in populi inuidiam adducerent. Et illi quidem quasi duces se cæteris præbentes hæc facere statuerant. quidam verò ex his, quos Herodes ad perscrutanda & indicanda talia disposuerat, rem totam expiscatus, Regi theatrum ingressuro aperit, is non ignarus quantum odiorum sibi quotidiè concitaret, recipit se in Regiam, & nominatim coniuratos accersit: qui comprehensi in ipso facinore, & scientes nullum esse effugium, decreuerunt præsentem necessitatem ferre forti animo, nihil enim inficiati intertito vultu sicas protulerunt, profitentes se rectè ac piè coniurasse, non propter priuatos affectus, aut sui commodi gratia, sed pro disciplina publica, quâ nemo bonus violare ne morte quidem sibi intentata sustineat, hæc illi cùm magna confidentia pro se attulissent, à Regijs abducti per omnes cruciatus necati sunt, nec multò post delator eorum inuisus omnibus à quibusdam interfectus frustatim concisus est, & obiectus canibus: idque multis inspectantibus: nemo tamen hoc factum prodidit, donec post longas ac molestas Herodis inquisitiones à conscijs quibusdam mulierculis per tormenta expressa est confessio, tum verò authores eius facinoris cum totis familijs plectebantur, plebe nihilominus interrita, & parata leges defendere, ni maiore coherceretur potentia.]

Ex his apparet, quod fuerit fermentum Herodis, nempe politicissimum & religionis contemptum, mistionemque.

Cæsari templa struit.

" *Et cap.* 12. [Hæc tamen ambitio studiumque demerendi Cæsarem cum Romanis potentioribus causa fuit, vt multum à patrijs institutis decederet, & leges diuinas violaret, dum in honorem eorum vrbes condit, & templa exstruit, licet non in solo Iudaico, hoc enim illi nequaquam laturi erant, quod nefas sit nostris statuas ac effigies more Græcorum colere, quapropter extrà eorum regionem tales vrbes collocabat, excusans se Iudæis, quod non sponte, sed potentiorum iussu hæc faceret: & interim Cæsarem Romanosq; tanto magis sibi deuinciens, quod in eorum honorem à patriis consuetudinibus sustineret discedere. Sed præcipuus scopus erat vtilitas propria, & studium memoriæ propagandæ ad posteros, ita vt in condendis & exornandis vrbibus nullis sumptibus parceret.]

" *Et c.* 13. [Deducto indè ad mare Cæsare in regnum reuersus, in terra Zenodori elegantissimum ei templum constituxit è marmore candido, prope Panium quod vocant, id Spelunca est in monte amœnissima, eique subiecta in immensum hians terræ deuexitas, plena aquis stagnantibus, ei mons valdè magnus imminet: sub Spelunca autem scatent fontes Iordanis fluminis hunc locum alioquin etiam celebrem ornauit templo exstructo in honorem Cæsaris. Tunc etiam tertiam tributorum partem remisit regni sui subditis, prætextu quidem vt post sterilitatem se reficerent, re autem vera vt placatet eorum animos, offensos talibus regis operibus, quæ videbantur planè ad religionis & bonorum morum perniciem tendere, vt omnium iactabatur sermonibus.]

Populus intelligit religionis interitum agitari ab Herode.

Et cap. 9. de Cæsareæ dedicatione. [In eius dedicatione magna fuit celebritas, & apparatus facti sunt sumptuosissimi, exciti enim sunt ad certamen atrifices musici, & athletæ gymnicorum certaminum, ad hæc gladiatorum ac ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid huius generis in pretio est tam Romæ quam apud gentes cæteras. Consecratum est autem hoc quoque certamen Cæsari, instaurandum per singula quinquennia. Hunc omnem apparatum Rex suo sumptu magna ambitione vndecunque curauit conuehi.]

Et eodem capite. [Inter hæc præcipua quod Rhodijs Pythium templum suo sumptu exædificauit. Et: Lindos etiam Olympios non satis respondentes suæ celebritati propter inopiam adiunt attributis annuis reditibus, quò splendidius & sacrificia fierent, & alia quæ ad decorandum tam frequentem conuentum pertinent: pro qua munificentia perpetuus agonothera declaratus est]

Hæc omnia ex ambitione, vt scribit c. 9. Iosephus.

Ego vero aliter credo & vtrumque ab vna causâ profectum existimo. Eò enim quod honoris esset cupidissimus, & totus huic affectui deditus, incitabatur ad magnificentiam, sicubi spes esset aut in præsens laudis, aut in posterum memoriæ. quare quod esset supra facultates sumptuosus, cogebatur molestus esse subditis; nam cum in alios erogaret multum pecuniæ, necesse erat eam aliquando malè quærere. Deindè sciens se ob eas iniurias inuisum subiectis, eas offensas venire videbat difficile, neq; enim poterat nisi vellet reditus minuere. itaq; abutebatur suorum odio in suum commodum, nam si quis illorum non peromnia seruitutem toleraret, aut videretur velle dominationem eius excutere, in tales impotenter sæuiebat non aliter quam in hostes, nullo cognatorum aut amicorum discrimine, quod solus vellet honorari ab omnibus. Quàm autem honoris cupidus fuerit, colligere licet ex his ipsis honoribus, quos ille Cæsari & Agrippæ ceteris q; eius amicis exhibuit. volebat enim exemplo esse suis, vt quemadmodum ipse præstantiores coleret, sic etiam coleretur ab omnibus: & hoc pacto satis declarabat, cuius rei natura esset appetentissimus. Sed Iudæis per leges patrias non licet hoc modo potentiores colere, quos necesse est maiorem rationem iusti & æqui habere, quam officiorum talium: quibus satis incommodum erat, quod non possent statuis & templis demereri Regis gratiam, & similibus adulationibus explere insanam cupiditatem gloriosi hominis. Atq; hæc mihi causa videtur, cur Herodes ergà familiares & consiliorum participes iniquior, ergà exteros & alienos tanto beneficentior fuerit.

Id verissimum est; nam sepulchrum Dauidis, & Salomonis spoliauit lib. 16. c. 11. Audierat Hircanum inde tria millia talentorum extulisse, idem aggredi animo diu habuit. *Tunc vero noctu apertum sepulchrum ingreditur, cum prius cauisset accurate, ne hoc esciret populus, assumpto tantum amicorum fidissimo. Depositas tamen pecunias non inuenit, sicut Hircanus, sed mundi pretiosi, & magnam vim ornamentorum inde sustulit.* Alia quoq; innumera sunt, vt de aurea aquilâ, proceribus post mortem suam necandis destinatis.

Ex his apparet Herodem, quamuis pietatem simularet, templum extrueret, coleret, reuera tamen etiam dæmones coluisse, & omnia præ regnandi potestate contempsisse. Hæc profectissima de religione existimatio in posteris Herodis manebat, & Herodiani palam flebant impij, ac contemptores patriæ religionis habebantur, non Imo quemcunq; illi Deum facere videbantur parari, nam qui rerum potiretur.

Quin

Quin ipse Iosephus hæc incusans, lib.7. belli, c.12. Metham profitetur Vespasianum, tanta vis adulandi est. [Quod maximè, *inquit*, eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperũt, multiq; sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est Imperator.]

Et hinc Sueto. in Vesp. c.4. Percrebuisse toto Oriente veterem & constantem opinionẽ esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Diluciduis rem indicat Tacitus l.5. hist. *Nam pluribus*, inquit, *persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valescerent Oriens, profecti Iudæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.* Qua ex re discimus, quã facilè oracula sacra infideles profanent, atq; ad sua errata accommodent. Non erat prædictum fore, vt Iudæa profecti rerum potirentur, sed fore, vt de tribu Iuda, de castello Bethlehẽ, de domo Dauid nasceretur, qui regnaret in æternum. Non ergò Vespasianũ ambages illę canebant. Vespasianus, vt oracula eluderet, oẽs quos reperire de domo Dauid potuit, occidi mandauit. Euse. l.3. c.11. Miracula ét Vespasian. irritari voluit. Herodiani ergò regum adulatores fuerunt, religionis irrisores, & pseudopolitici.

Secta eorum ergò, & fermentum, totũ in honore, opibus, & voluptatibus, ex morib. Herodis conflata: ille enim Iudaismum cum gentilium cultu iungebat.

§. 2. Herodianos, Pharisæos, Sadducæos inter se capitaliter dissidentes, ad Christum opprimendum aut illaqueandum venire videmus. Hoc in omni genere sectatorum apparet. Nam etsi acerrimè se mutuò oderint, omnes tamen contrà veteres Ecclesiæ Doctores, & veritatis orthodoxæ assertores syncretismo quodam conspirant. Quare etiam mutuis se operis subleuant: ita olim Wormatiæ, Ratisbonæ, aliisq; locis in iisdem castris disputantium diuersissimæ opiniones versabantur. Calumnus suorum nobis crimen imponit. Et tam infesto odio flagrant Papistæ contrà Euangelium, vt Epicureos, Libertinos, & alia eiusmodi portenta libenter foueant, modò ad illud labefactandum his vtantur adiutoribus. Respondeo. Catholicos atq; adeò ipsum Papã pro Euangelio cõtrà Epicureos, Libertinos, & Libertinorũ fatores Calvinistas stare. Nihil vobis prosunt Epicurei, aut Libertini, quorum multos Catholicæ religionis specie sua scelera fouere dolemus: sed vel ignorantur, aut magistratuum incuria, impotentia, vel metu grauioris mali impunè habent, Dei iudicium & manum vindicem experturi: quamuis ad tempus ruptis Ecclesiæ legibus pietati & iustitiæ impunè insultent. Porrò quid est Calvinismus nisi Libertinismus, verbo ab Epicurismo aperto differens?

VERSVS 17.

Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

QVÆSTIO I.

Quis fuerit census, & an dare licuerit?

§. 1. NEmo non videt quæstionem inuidiosam, & odiosam. S. affirmet: apud populum tanquam libertatis proditor traduci poterat, aut saltem ex eo probari, non esse Messiam, quem publicæ libertatis assertorem, quippe qui in totum orbem imperium propagaturus esset, expectabant. S. neget: apud præsidem erat parata accusatio ac supplicium. An liceat dare? quasi de conscientiâ solliciti, non de argento agant. Erat tunc temporis quæstio illa non modo in scholis, & apud eruditos disputata non modo verbis, verum etiam rebellione, & armis agitata pars altera, Actor. 5.37. à Pompeio Victore primum inductus ille fuit census. Negare optabant Christum, & docere non licere censum soluere, vt occasionem illius perdendi haberent. Nam quamuis Christus ita respondent, vt calumniæ ansam abscinderet, postea tamen eum accusarunt, quasi *prohibentem dare censum Cæsari*.

§. 2. In Syro est רישׁא argentum *capitis*, hoc est, quod capitatim exigebatur. Varios census & Herodes, alijq; Iudæorum dynastæ semper extorserunt, inuentis mille prędandi vocabulis, contra quę si quis hisceret, de vitâ actum erat, & Lucas ostendit quantum fuerit periculi. Ideo quæsisse dicens: vt eum traderent potestati, & præsidi.

VERSVS 19. 20. 21. 22.

Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: cuius est imago hæc & superscriptio: Dicunt ei Cæsaris, Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

QVÆSTIO I.

Quomodo respondet?

§. 1. IVre poterat insidiosam quæstionem omittere, aut aliam vicissim reponere, quod interrogantium nota esset, & publica machinatio. Verum rem sibi curæ esse ostendit, atq; ita temperat omnia, vt ipsi respondeant. Quærit enim quæ sit inscriptio, Syriace כתבא *Cethaba*, scriptio. Norat ille & nummum, & literas, sed eos sibi ipsis respondere cogit. Cum dicerent: esse Cæsaris, iubet dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Hoc est, si nummus est Cæsaris imagine inscriptus, & id etiam literæ signant, atq; ex eo precium habet publicum, Cæsarem igitur dominum agnoscitis. date ergo illi, quod regibus debetur. Nummus enim Romanus, eiusq; vsus, sub Romanorum illos imperio esse demonstrabat. Ne enim à Parthis, Arabibus, aliisq; gentibus opprimerentur, primò fœdus cum Romanis fecerunt, postea dissensione domesticâ in eorum potestatem venerunt. vt Ioseph. lib.4.c.8.antiq. *Ieroſolymam ſtipendiariam factam*, & paulò post: *Quorum omnium malorum causa fuere Hierosolymitanis Hyrcanus & Aristobulus inter se dissidentes mutuò. nam tum primum libertatem amissimus subiecti Romanorum imperio: & regionem de Syris bello captam reddere ipsis coacti sumus: & insuper plusquam decem millia talentorum breui tempore à nobis Romani exegerunt: & regnum quo prius pontificale genus honestabatur, ad plebeios translatum est homines.* *Cogit interrogatores sibi respondere.*

§. 2. Non immeritò quæritur: quo modo in nummis imaginem Cæsaris habuerint Iudæi? cum omnes imagines abominarentur? Constat sanè nummos fuisse Cæsarum imaginibus insignitos, crebro etiam alterâ in parte, idoli alicuius sculpturam habuisse. at Iudæi nefas ducebant, suas in regiones imagines inferri, vnde paulò post bellorum origo.

Non omnes imagines Iudæi abominabantur.

Respondendum est. In Iudæa imagines plurimas fuisse. Nam legionum signa erant, & negociatores, & priuatim vicinarum gentium, & Romanorum idola habebantur. Et ante Herodem Romanos nummos habebant. ita non ipsas imagines, sed earum cultum idololatricum, & ἀποδιόπομπον intolerabilem, & patriis legibus aduersam censebant. Insaniunt itaq; qui imagines simpliciter prohibitas iudicant. Præsertim cum in templo Salomonis tam multas fuisse scriptura testetur.

Tributa danda.

§. 3. Anabaptistæ etiam hic refelluntur, qui tributum, & obedientiam deferre magistratibus recusant. Dominus autem iubet dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris, nihil vero illi dandum est, si nihil illius est. Contra eos vere, & eleganter Chrysostomus. Ἐπιδείξασθαί μοι φησὶ τὸ νόμισμα ὃ κηνσοῦτε. Καὶ ὡς ἐπιδείξαν ὅπερ ἀεὶ ποιεῖ, Δι' ἐκείνου γλώττης ἐκφέρει τὴν ἀποφασιν, καὶ αὐτὸς ψηφίσασθαι παρασκευάζει ὅτι ἔξεστιν. ὅπερ τῷ λαμπρῷ καὶ σαφὴς νίκη. ostendite enim mihi, dicit, numisma census, cum vero ostendissent, vt semper solet, per eorum linguam respondit: & facit, vt ipsi decernant licitum esse, quæ splendida est, & manifesta victoria. Et deinde: ostendit vero eos & Deo & hominibus esse subiectos nec pugnare dico illa seruitia, modo nulla sint, τὴν εὐσέβειαν παραβλάπτοντα, pietatem violantia.

§. 4. Non erat denarius Cæsaris, nec hoc concludit, sed tantum ex vsu denarii Romani ostendit eos subiectos imperio Romano, ab illo contrà Barbaros defendi. Vide Iosephum l. 14. cap. 8. Non igitur conscientiæ aduersum erat tributum soluere.

Non vertebatur autem quæstio; iure, an iniuria Iudæos in prouinciæ formam Romani redegerint: sed an liceret dare censum. Qua in re nulla difficultas erat: nam redimendæ vexationis & vastationis causa dare poterant, fortè etiam tenebantur. Iam enim longo tempore dominium Romanorum agnouerant, omniaque illis detulerant. Sed tamen nullam occasionem prætermittunt, vt Christum capiant παγιδεύσωσι. illaqueent, vel irretiant in sermone. Verum de iure alia est quæstio.

§. 5. Apud Zuinglium quidam virtute horum verborum, omnes homines sub imperium Cæsaris, cogere moliuntur. [Sed hoc faciunt, *inquit ille*, literatores, omnis ferè error ex literatoribus venit, qui relicto vero sensu scripturam torquent. Litera debet intelligi secundum spiritum, alioqui impostura esset. Nullum enim verbum est in mundo, quod à calumniatoribus non peruerti & deprauari possit, si in alienum sensum torqueatur.] Insignis veritatis confessio hosti veritatis extorta. Sensus enim spectandus est scripturæ, non sola verba, quod quia à multis negligitur, ideò tot impostura: nemo enim qui ab Ecclesia sese abiungit spiritum Dei habet, ideò impostor est.

Hoc ergo est illud ipsum, quod toties inter nos controuertitur. Nempe non quæ vera sit scriptura, sed quis illius sensus? Quis spiritus sit scripturæ verus interpretator? Quis scripturam deprauet?

§. 6. Iudæorum calumnias olim gentiles imitati sunt. & Christianos quasi pendere tributa recusarent, odiosos magistratibus reddere sunt conati. Iustinus apol. 2. magno studio calumniam refutat. *Vectigalia sane & collationes eis quod à vobis sunt ordinati exactoribus, præ omnibus vbique inferre contendimus: quemadmodum ab eo fuimus instituti. Illo namque tempore accedentes quidam, percunctati sunt ex illo, an Cæsari Vectigalia pendere oporteat? qui responsum hoc ab eo retulere: Dicite (inquit) mihi, cuius imaginem nummus habet? qui vbi dixissent, Cæsaris: Reddite igitur, ait, quæ Cæsaris sunt, Cæsari: & quæ Dei, Deo. Proinde nos solam Deum adoramus & vobis in rebus aliis lati inseruimus; Imperatores ac principes hominum esse professentes, & simul precantes, vt cum imperiali potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini. Quod si nos hæc ita precantes, atq; omnia nostra in propatulum proferentes non curaueritis, aut respexeritis? nihil nos quidem capiemus detrimenti, credentes, ac potius persuasum habentes, vnum pro se quemque, pro factorum suorum meritis pœnas per ignem perpetuum daturum, iuxtaque analogiam & comparationem accepte à Deo potestatis rationem ab eo exactum iri sicuti Christus indicauit dicens: cui plus contulit Deus, plus etiam reposcet abeo,*

Id fecerunt etiam alij magno consensu. Areopag. c. 12. Ignat. Epist. ad Smyrnens. Basilius c. 79 mor. Didym. Alexand. Epiph. hæres. 40. Cyrillus de rectâ in Deum fide. Isidorus l. 2 Epist. 216. Maximus serm. 9. Photius in c. 19. ad Rom. Cypria. de baptismo. Optatus Mileuitanus l. 3. Augustin. Epist. 48. Hieronym. ad Titum 3. Innocentius tertius Ep. 2. c. 3. Leo primus Epist. 82. Symmachus Pontifex apolog. contra Anastasium Imperatorem. Hormisda Epist. 22. ad Iustinū Imperatorem. Gregorius magnus l. 1 reg. c. 10. Isidorus Hispalens. l. 3. c. 49. de summo bono. Concilium Toletanum Sextum cap. 13. & Toletanum 12. c. 1. Augustinus l. 3. c 51. contra Cresconium. Guido contra Waldenses. Munsterus l. 3. Cosmograph. contra Ioannem Behaim.

Tertullianus non modo tributa, sed ex fide tributa reddere Christianos docet. apol. c. 42. *Vectigalia Christianis gratias agunt, ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus.*

Pari modo Athan. q. 86. ad Antiochum eos reprehendit, qui putabant infideles à fidelibus posse fraudari. Cum. n. hoc inquit de Græco Cæsare sit dictum, μανθάνομεν ὅτι οὐκ ἐπαινετὸν τὸ ἀποφάσθαι. *Didicimus fallere seu fraudare, non esse laudabile.*

§. 7. Cæsari quidem danda sunt, quæ sunt Cæsaris, non tamen quæ sunt Dei. Sic peccarunt illi, qui Act. 12. clamant, *Voces Dei, non hominis.* Sic & illi qui reges suprema capita Ecclesiarum constituunt, & cum pontificatum illis arrogare non audeant, faciunt ex illis tamen pontifices, & vt hoc ipsum dissimulent, supremati vocare malunt, quasi verborum, non imperiorum causa agatur. Matthæus Sudlinius libello adulationum pleno, de presbyterio eiusque nouâ in Ecclesiâ Christianâ politiâ, rerum sacrarum iudices constituit sæculares, c. 25. Vsus illo argumento. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. *non est bonum, multorū principatus.* Sed hunc rursus refutat Gautius ex eâdem secta in palmâ Christianâ. At vero Adrianus l. 2. de imperandi auctoritate supremum ius in res sacras regibus addicit, & l. 3. omnia illis permittit. Cum tamen sacra scriptura ostendat, alia esse regni, alia Ecclesiæ, & religionis iura. De qua re alias egi. Nos interim ita Magistratibus seruiamus, vt suum Deo ius sit integrum. vt Tertull. l. de idololatr. c. 19. docet. *Non enim potest vna anima duob. deberi, & Deo, & Cæsari.* Deo enim cultus suus integer maneat, oportet.

Tertull. de corona militis. c. 12. *Hoc est reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo: nec hominum Deo reddere & denarium Cæsari auferre. Triumphi laurea foliis fruitur, hin aduerbis, lemniscis inauratur lamnulis, vnguentis delibuitur, à lacrymis coniugum & matrum, fortasse quorundam & Christianorum: & apud Barbaros enim Christus. Qui hanc portauerit in capite causam nonne & ipse pugnauit? Est & alia militia regiarum familiarum. Nam & Castrenses appellantur, munifica, & ipsa solennium Cæsareanorum. Sed & tu proinde miles ac seruus alterius es: & si duorum, Dei & Cæsaris, certe tunc non Cæsaris, cum te Deo debes, etiam in communibus credo potiori.*

Et in Scorpiaco c. 14. *De hinc & exequitur, quemodo velit se subiici potestatibus, reddere iubens cui tributum, tributum,*

tuum; cui vectigal vectigal; id est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei Deo. Solus autem Dei homo condixerat, scilicet Petrus, regem quidem honorandum. Vt tamen tunc rex honoretur, quum suis rebus insistit, quam à diuinis honoribus longe est: quia & pater & mater diligenter cum Deo non comparabuntur. Cæterum super Deum diligere, nec animam licebit.

§. 8. Quin etiam quidam eò illa verba trahebant, vt probarent, persecutionem licere pecuniâ redimere. Cæsaris enim tyrannidem illi nummis redimebãt. contra eos disputat Tertull. de fugâ in persecut. c.12. Nihil interest. Si quem Christianum redimere non debeas aut emere. Et adeo voluntas Dei sic est, ab apice regnorum & imperiorum, vtique à Deo disposito statu: in cuius manu cor regis, tanta quotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: nec vnquam usq; adhuc ex Christianis tale quid prospectum est, sub aliquâ redemptionem capitis, & sectæ redigendis, cum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingẽs meti posset. Sanguine empti, sanguine numerati nullum nummum pro capite debemus: quia caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecuniâ constare. quomodo & martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo licentiam Sectæ compensaremus? Itaq; qui eam præmio paciscitur dispositioni diuinæ aduersatur. Cum igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ Sectæ, sed nec indici vnquam tale quid possit, Antichristo iam instante, & in sanguinem non in pecunias hiante Christianũ, quomodo mihi proponere potest scripturã esse, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari? Miles me vel Delator, vel inimicus concutit, nihil Cæsari exigens imo contra faciens, cum Christianũ legib. humanis rum, mercede dimittit. Alius est denarius quem Cæsari debeo, qui adeum pertinet, de quo tunc agebatur, tributarius, a tributariis scilicet, non à liberis debitus. Aut quomodo reddam, quæ sunt Dei Deo, vtiq; pro inde imaginem, & monetã ipsius inscriptam nomine eius: id est hominem Christianum? Quid autem Deo debeo sicut denarium Cæsari, nisi sanguinẽ quem pro me filius fudit ipsius? Quod si Deo quidem hominẽ, & sanguinem meum debeo, nunc vero in eo sum tempore, vt quod Deo debeo expostuler, vtiq; fraudem Deo facio, id agens ne quod debeo, soluam. Bene obseruaui præceptum, Cæsari reddens quæ sunt Cæsaris, Deo vero quæ sunt Dei, abnegans.

Quamuis autẽ quæstio hoc ex loco non posit definiri, Multis tamen modis errat Tertullian. Non coguntur quidem carceres, & mortem redimere. non tamẽ id vetantur. Cur enim non pecuniâ libertatẽ, & vitam redimat, qui cibaria vitæ comparat? Cur hoc minus, quam si viator vitã à latrone redimat? At Deus sanguinem posc it. Non sanguinem, inquam, sed fidem, virtutem, constantiam. Non me Deus continuò mori iubet, cum persecutor inuadit. Non viuere me vetat, sed negare. Si vita sine scelere retineri potest, non cogor eam prodigere. Sic Tertull. c.13. de patientiâ. Carnis patientia in persecutionib. præliatur, si fuga vrgeat, incõmoda fugæ caro militat. Hic rectè ille, vt Athanas. lib. de fuga, Aug. Epist. 180. Cyprian, Epist. 56.

VERSVS 23.

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum.

QVÆSTIO I.

Quæ hæresis & quæstio Sadducæorum.

§.1. MVlta de his R. P. Nicolaus in Trihæreseon libro, & Mineruali. Varij erant eorũ errores. Hic primarius, quod negarent esse spiritũ, & mortuorum resurrectionẽ. Syrus habet: לית יהה מיתתא *Laith yehath methe, non viuificatio mortuorum.* Siue autẽ vera, siue parabolica sit septẽ fratrum historia, ad rem non facit. Cum in duobus aut tribus sit eadem difficultas. Eadem fuere olim Pythagoræorum, Atheorum, Epicuræorum dogmata.

O genus attonitum, inquiebat, *gelidæ formidine mortis. Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis? Materiam vatum, falsiq; pericula mundi.* Ouid. lib. 15. Metamorph. & Iuuenal. Satyr. 2.

Esse aliquid manes & subterranea regna,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.

Secuti sunt ista, Simon Magus, Basilides, Seuerianí, Carpocratiani, Valentiniani, Marcionitæ, ita Ireneus & Tertullianus testantur.

§. 2. Contra mortuorum ergo resurrectionem argumentum, vt sibi videbatur, inuictum proponebãt. Lex est Deuter. 25.5. hic græcus ἐπιγαμβρεύσει ὁ ἀδελφὸς τὴν γυναῖκα. est iure leuiri eam ducere. γάμβρος autem inter cætera etiam est affinis, est ergò, affinitatis iure eam ducere debent.

Tam quam certum statuunt, in alia vita vxorum vsum fore. Deindè iure ad vnum ex fratrib. eam pertinere: non autem rationem apparere, cur vni potiùs quam aliis detur. Lex est Deut. 25.5. qua fratri defuncto iubetur frater ἐπιγαμβρεύσαι, Hebraicè leuirare, hoc iure leuiri vxorem ducere, & fratris nomine filiũ primogenitum appellare, ne nomen eius deleretur ex Israel. Cùm ergò fratres septem vnam habuerint vxorem, quis post resurrectionem eius erit maritus?

§. 3. Zadocum nõ adeò improbum fuisse testatur Rabbi Nathan in sententiis Patrum. Discipulus Antigoni fuit, is Esdræ temporibus propinquus erat. Zadocus frequenter hanc sententiam vsurpabat. Ne sitis sicut serui, qui ministrant Domino ob conditionem, quod accepturi sint præmiũ. Sic etenim in libello isto est. Hæc sententia vt potuit habere sensum sanctum & verum; vt nempè Deo gratuita caritate seruiretur: ita à successoribus deprauata est. Præmia. n. virtutis, & scelerum pœnas negabant, quod hac in vita multos scelestos fortunatos, pios viderent afflictos: itaq; animã negabant immortalem, & pari impudentia corporum resurrectionem. Magna certè Ecclesiæ tum erat perturbatio, Antistites enim & proceres, qui præstabant opibus, spem resurrectionis tollebant, inter hominum & brutorum animas nullo discrimine constituto. Varias Iudæorum sectas recenset Philastrius ad 28. Epipha. 12. Damasc. 8. sed accuratius & minutius diuisit primus. Sunt autẽ Iudaismi hæreses apud Philastrium. Ophitę, Carani, Sethiani, Iosithęi, Saducęi, Pharisæi, Samaritani, Nazaræi, Esseni, Heliognosti, Betrecholatræ, Musoritæ, Musoaccaronitæ, Troglodytæ, Cultores fortunæ cœli, Bahalitæ, Asturitę, Molochitæ, Cultores aræ Tophet, Puteoritæ, Serpentis ærei cultores, Pythonissæ, Asthurotitæ, Herodiani. Epiphanius addit Scribas, & Hemerobaptistas. Raban. de inst. Clericor. l. 7. c. 58 alios etiam recenset; Efnęos, Marbonæos, Genistas, Meristæos, Samatitas.

VERSVS 29.

Nouissime autem omnium & mulier defuncta est.

QVÆSTIO I.

Quæ Saducæis causa errandi?

§.1. IGnoratio Scripturarum, & potentiæ diuinæ. *Erratis*, inquit, *nescientes scripturas.*

At vero scripturas manu tenebant, quotidieq; ex illis disceptabant, contra Pharisæos, & contra Christum. Quin ipsa quam Christus profert. scriptura notissima erat. Quid. n. notius, quam dixisse Dominũ. Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Quomodo igitur non discunt ex scripturâ, quod verum est? Nesciunt igitur, quia vim sententiamque eius

non

Scriptura frustra citatur, nisi intelligatur.

non capiebant, velamen oculis oppositum erat, ne verum intuerentur. Nunc si hæreticos audias; omnes scripturam profitentur, omnes scripturas citant, sed nemo intelligit. Cum Deus se Deum Abrahami, Isaaci, Iacobi, profiteri non dedignetur; nequaquam eorum qui omnino non sunt, aut puluetis se Deum dicit, hoc namque contumeliosum est. Sed Deus est viuorum. Insigne igitur documentum est, nihil prodesse scripturas, nisi etiam gratia scripturas intelligendi sit data. Hieron. Epist. 13 c. 4. T. 1.

Et Tom. 4. l. 6. in Proœm. in Ezechielem. *Hæresis ipsa non moritur, hæreditariis contra nos odiorum suorum catulis derelictis: qui nostra simulantes genitricis antiquæ, & pellacis Vlyssis venena non deserunt: labiaque tantum melle circumlinunt, & iuxta eloquia scripturarum: mollierunt verba sua super oleum: ipsi autem sunt iacula, & iacula ignita, quæ scuto fidei repellenda simul, & exstinguenda sunt.*

Hæc ipsa venena ex fragrantibus diuinarum sumunt scripturarum floribus.

Et Tom. 2. Epist 101. Apostolos in scripturis, non verba quæsisse, sed sensum. Et l. 16. comment. in c. 69. Isa. *Iudæos non sensum, & fructum, sed folia in scripturis quærere.* Et in c. 23. Ieremiæ T. 4. *Non solum,* inquit, *in hæreticorum conciliabulis hæc reperta sunt, sed in Prophetis quoq; Ierusalem, id est doctoribus Ecclesiæ vidi similia, siue horribilia, adulterantium verbum Dei, & ingredientium per viam mendacii: vt hæreticorum fallaciis, acquiescerent, & confortarent manus peßimorum.*

§. 2. Non nubent, inquit, neque nubentur, Græcissimum imitatus est vetus interpres, γαμεῖν, & γαμεῖσθαι dicunt. Tertull. de resurrectione carnis. Nonius apud veteres ait verbum nubendi apud veteres viris, & fœminis fuisse commune. Non refutauit Christus consequentiam. Nam etsi septem eam habuerint, poterat eam accipere primus, vel retinere vltimus, & eius rei dari aliqua ratio. Cæteris aliæ vxores dari. Sed Christus totam illam carnalem ac crassam cogitationem eripere voluit. Ideo simpliciter respondit errare eos. Non enim opus esse generis humani reparatione, cum sint futuri immortales, Cerinthiani tamen in vitâ futurâ carnales voluptates suis proponebant sectatoribus, vt & nunc Mahomedani faciunt.

VERSVS 31.

De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus probat resurrectionem mortuorum?

§. 1. *Dictum est à Deo dicente vobis*, inquit, in Græcis non est ὑμῖν, neque in Syro. Sed transpositum est τὸ ῥηθὲν. dictum. Ego sum Deus Abraham. & Exo. 3. 5. & v. 15. & 16. Non est in Hebræo, sum, sed subauditur.

Cum ergo non sit Deus mortuorum, eorum ue, qui non sunt, sequitur Abrahamum viuere.

Mirantur multi cur locum tam obscurum ad probandam mortuorum resurrectionem attulerit. Nonnulli respondent. Ex Mose responsum reddi, quia Mosis legem illi citarunt. Alij putant solius Mosis libros ab illis receptos, ideo vsum esse testimonio, quod apud ipsos esset authenticum. Nam Iosephus ait eos præter legem nihil seruandum dicere. Verum non puto probabile cæteras Scripturas eos contempsisse, cum enim quotidie Psalmi Dauidici in templo canerentur, & aliorum Prophetarum scripta legerentur, non fuisse admittendos ad religionis & sacrorum communicationem, si Prophetis non credidissent, at iam non modò in consilio sacerdotum considerent, verum etiam summi aliquando sacerdotes fuerunt, vt Annas Luc. 4. 16. 17. Act. 13. 15. & Ioannes filius & successor Simonis Maccabæi. Cùm verò Iosephus dicit antiq. l. 13. c. 18. Eos præter legem nihil seruandum existimare, hoc ille non de Prophetis, sed traditionibus interpretatur; nihil enim nouæ Prophetæ seruandum præcipiebant. Traditiones ergò Pharisæorum irridebant, libertate legitima vsi, sed libertate abusi sunt ad cupiditates & licentiam carnis, vitata superstitione athei, & dum humanas leges superstitiones, & obseruatiunculas irridentes, magis profanè quam piè in legem Dei peccarunt.

§. 2. Sadducæi videntur cæteros libros sacros pro authenticis non agnouisse, nec tamen omninò reiecisse, sed velut vtiles historias bonorum virorum, non absque errore tamen toleraſſe, Psalmos cecinisse, Prophetas legisse, eo modo quo nunc hymni & cantica spiritalia, historias sanctorum legimus, ita tamen, vt in Canonem eas non referamus. Negasse Prophetas docent Epiphan. Philastrius, Damascenus. A Dositheo oriundi erant, qui primus est ausus repudiare Prophetas, vt habet Epiph. hæresi 13. Hieronym. dial. aduersus Lucifer. Philastrius & Damascenus consentiunt. & Tert. l. præscript. aduersus hæreticos: p. 401. Qua ex re apparet, quanta fuerit Ecclesiæ corruptio, cum in eius visceribus illę pestes hærerent: simul etiam se prodit Pharisæorum improbitas, qui hos collegas habebant, & Christum tamen violatæ legis accusabant.

Deinde præter hanc authoritatem etiam ratio ipsa hoc docet: si enim Prophetas agnouissent, quomodo poterant negare Angelos, animarum immortalitatem, & præmia, pœnas q; post hanc vitam? ita enim perspicuè illa docentur, vt negandi locus nullus sit relictus. Quamquam autem in Pentateucho non desint de Angelis certa testimonia, illa tamen facilius eludere poterant, vt dicerent, homines aliquos, aut quasi semihomines fuisse, animalia quædam rationalia.

§. 2. Cùm homines dicit fore tamquam Angelos, nequaquam eos facit incorporeos, sed aliâ vitâ feliciores asserit. Lucas æquales Angelis fore dicit. Manebit ergò corporum natura, sed mortalitas detrahetur. August. l. 22. de ciuit. c. 17. corporibus illis vitia detrahentur, natura seruabitur, erunt membra fœminea, non accòmodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis cõcupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia, atq; clementia, qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit.

Æquales igitur Angelis futuri sunt eo modo, quo inter se pares sunt beati: omnes enim immortales atque incorruptibiles, in summa beatitudine degent vitam æternam, dignitate, & alijs rebus inter se differentes.

Athanasius q. 24. ad Antiochum, non modò sensuum diuersitatem, sed mutuam etiam ex corporibus notitiam negat. ὥσπερ οἱ ἄγγελοι μιᾶς ἰδέας, καὶ σχήματος ὑπάρχοντι, ἵνα πιστώσωμεθα καὶ ὅτι τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐν τῇ ἀναστάσει μᾶλλον τῆς ἀφθαρσίας λοιπὸν γενεσθαι.

Iustinus quæst. 112. statum dicit fore, in quo neque esca, neq; potio, neq; matrimonium est, sed Angelis Dei similes erunt resurrectionis filij.

Tertullianus vt non moriantur, nec nubant, per denutationem corporum futurum ostendit. *Quoniam* pag. 693. *autem mortui resurgant: siue & confirmando*

da esse. quod negabatur, id est, resurrectionem mortuorum apud Deum viuorum, talem quoq; eam confirmabat esse, qualis negabatur. vtriusq; scil. substantiæ humanæ. Neq; enim si nuptuos nunc negauit, ideo nec resurrecturos demonstrauit. Filios autem per resurrectionem quodammodo nasci dixit.

Ecl. 1. ad vxorem. c. Transferri dicit in angelicam sanctitatem & qualitatem. Quod c. 62. contra Valentinianos exponit. *Non dixit: erunt angeli, ne homines negaret, sed tam quam angeli, vt homines conseruaret. Errat tamen, dum angelis corpora tribuit.*

§. 4. Deus etiam mortuorum dicitur Rom. 14. 9. non igitur conuenit Magistro & discipulo. Quoniam hic etiam mortuorũ, ille verò tantum viuorũ Deum esse pronuntiat. Respondeo. Nõ esse Deum mortuorum, quales mortui cẽsebantur à Saduccęis: Corpore nimirum & anima. Spiritum enim, & angelos, & animas negabant, omnia interire cum morte arbitrati. At Paulus vocat Deum mortuorum, hoc est, vita terrena defunctorum, secundum optimam sui partẽ viuentium. Chrysost. πῶς ἂν (pag. 615.) ὁποῖ ἀλλαχοῦ, ἵνα μὴ νεκρῶν ᾖ ζώντων κυριεύων· ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἐναντίον τὸ ἐνύπνιον. τοῦτο γὰρ ὅπερ ἐνταῦθά φησι, τῶν μὴ αὐτῶν ζήσεσθαι μελλόντων. Quomodo igitur alibi dicit: vt & mortuis & viuis dominetur? Sed non est hoc illi contrarium: Hic enim loquitur de illis qui victuri erant. De resurrectione vide Iustini apologiam ad Iustinianum. Aug. de ciuit. l. 13. c. 20. & l. 10. c. 29. Epiphan. contra Appellianos.

§. 5. Cyprianus Epist. 27. de lapsis, ad mortuos spiritualiter accommodat. Absit enim, nec domini misericordia, & potestas eius inuicta patiatur, vt Ecclesia esse dicatur lapsorum numerus, cùm scriptum sit: Deus non est mortuorum, sed viuorum.

§. 6. Occurrunt illi, qui resurrectionem mortuorũ inficiantur, contra Dei sapientiam arguti, & aiunt. Deus Abraham dicitur, non iam viuentis, sed eius qui olim Abrahamum defendit, & ab eo cultus est.

Respondeo. Inter viuos manere fœdera, itaq; si Abraham non est, nec Deus est illius Deus. Iustin. apologia 2. pro Christianis. sunt igitur illi, quorum Deus se Deum nominare dignatur.

Athanas. de communi essentia patris & filii, pro Christi diuinitate hunc locum vrget. Volens autem Saluator ostendere, quod non solum spiritus vocat, Christum Dominum, sed quod ipse Christus Dominus ac Deus sit, interrogatus hæc verba: præceptor quod est primum mandatum? dicit ei: diliges dominum Deum tuum, & scriptum est: Dominus Deus vnus est: secundum autem mandatum. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Tum responsum dedit Iudæus. Rectè locutus es magister: Deum vnum esse. Hoc autem dixit vt Deitatem filij inficiaretur. Seruator autem volens dominatum suum, cum dominatu patris coniungere, percunctatur ex eo, de Christo quid sentirẽt, & cuius eum filium esse dicerẽt, ita vertit interpres. In Græco est τὴν κυριότητα αὐτῆ συνάψαι τῇ τοῦ πνεύματος. Videtur tamen latina lectio esse melior.

Idem Athanasius de assumptione hominis secundum carnem esse Dauidis filium, secundum diuinitatem filium Dei in virtute, & Dauidis dominum.

§. 7. Epicuri sententiam esse, quam Saduccæi propugnabant, constat. Tert. de resurr. carnis c. 1. p. 677. *Nihil esse post mortem Epicuri schola est, ait & Seneca omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Deinde vero addit: si vero & apud aliqua secta est, Epicureis magis affinis, quam prophetis, scimus quid audiant à Christo Saducæi.* Alios deinde nominat Saducæos partiarios sententiæ illorum.

Hic partiarios vocat sententiæ Saduccæorũ, alios Saduccæos, Marcionitas & Apellitas, vt l. 3. aduers. Marcion. *Cum partiariis erroris tui Iudæis.* Adiungendi illis Basilei des, Valentinus, Saturninus, Ophitæ, Carpocrates, Marcus Colarbasius, Cerdo.

Dimidiam eos resurrectionem agnoscere dicit: solius animæ, aspernatos carnem, sicut & dominum carnis. Ideo etiam Christi carnem negauerunt, & eos vocat *alterius diuinitatis hæreticos*, quia præter Deum creatorem fingebant alium Deum, patrem Christi.

Vide præscript. aduers. hæret. c. 46.

Hæc ergo hæreticis, Herodianis, & deterrimis philosophorum communia fuerunt.

VERSVS 35. 36. 37.

Et interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mẽte tua.

QVÆSTIO I.

An lex caritatis seruari possit?

§. 1. SAduccæos semper æmulos, & inimicos, cum pudore discessisse gaudebant Pharisæi, & sibi insigne argumentum contra acres disputatores suppeditatum. Quomodo ex toto corde Deum diligere, & qui caritatis sint gradus, docet Bellarm. lib. 1. c. 6. de amissione gratiæ, & statu peccati. Pelagiani docebãt, posse perfectè hanc caritatem seruari. Catholici distinguunt: Triplex est perfectio. Prima, Deum sẽper actu diligentium, vt beatorum: hæc excludit omne peccatum. Secunda, Dei causa omnia deserentiũ, seq; illi deuouentium: hæc est consilij, non præcepti perfectio. Tertia, omnia deserere paratorum potius, quam Deum offendere, hæc præcepti est. Nec secunda, nec tertia excludit omne peccatum, sed tantum crimen, quod caritati ita aduersatur, vt cum ea nequeat cõsistere. Quotidiani autem sanctorũ defectus amicitiam, quæ homini cum Deo est, non abrumpũt. *Gradus caritatis.*

Pareus dum cœcus contra Bellarm. fertur. valde magnam Caluinismo plagam imponit. Assumptio in obiectione Pelagij hæc est: Sancti debẽt & possunt esse perfecti in hac vita. Probat: id enim præcipit Deus. Quod verò præcipit Deus, id debent sancti præstare, & quia non frustrà præcipit, possunt. Respõsio Parei. Intelligendam assumptionẽ de perfectione secundũ quid. Deinde ait: præcipitur quidẽ perfectio absoluta, ad quam velut ad scopum indies contẽdamus, sed non sequitur, quia præcipitur, quod in hac fragilitate obtineamus. Argumentum hinc solidum in Caluinistas ducitur. Cũ sancti in hac vita debere & posse perfecti esse dicũtur, intelligitur perfectio secundũ quid, eaq; præcipitur, non prima illa, quæ est angelorum, & beatorum, solum. n. præcipitur, vt ad illam contẽdamus, non vt hic possideamus. Nisi dicat etiam multos ea causa damnari, quia nõ sint perfecti sicut angeli, & beati. Non igitur propriè præcipitur, ne sit vlla cõcupiscentia, ne vllus delicti motus inuitis obrepat, ne vnquam mens ab actuali Dei dilectione deflectat, sed illa vt scopus ostenduntur. Non ergò illæ sunt ἀνομίαι. qa non contrà τὸν νόμον, aliud. n. non exigit νόμος, quã perfectionẽ secundũ quid. Aut igitur Pelagij argumẽtum non soluit, aut soluendo suam hæresin destruit.

Neq; verò illud parum momenti habet, q̃ adiungit de perfectione graduum & partiũ. Maior est, inquit, vera de perfectione graduum, minor de perfectione partium. Itaq; hæc vera est. Sancti debent, & possunt esse perfecti, perfectione partiũ, non perfectione graduum. quid verò est perfectio partiũ? quid perfectio graduũ? Catechismus eius q. 117. perfectio graduũ est pfectus obedientiæ gradus quẽ lex requirit. Perfectio partium est initiũ obedientię, & opponitur hypocrisi. *Perfectio graduum, & partiũ.*

Quid

Quid igitur sanctis in hac vita præcipitur? perfectio partium, hoc est, fuga hypocrileos, & inchoatio obedientiæ. Quid non præcipitur? perfectus obedientiæ gradus, quem lex requirit. Hæc sanè cum illis consistere non possunt, quæ de minimis peccatis æternum damnandis, de impossibilitate legis, de omnib. operibus naturâ malis iactare consueuerunt.

§. 2. Lutherus, Melanchthon impossibilem aiunt mandati huius obseruationem, eosq; cuncti pene sequuntur. Sed ratio repugnat & scriptura. summa enim tyrannis est, imperare, quod scias fieri non posse. Augustinus de naturâ & gratiâ cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Et de tempore serm. 62. & de naturâ & gratiâ c. 63. *Tyrannis enim est, quæ fieri non possunt, imperare, & pœnas exigere.*

Caritas seruari potest.

Iustinus diaiog. contra Tryphonem ostendit naturæ conuenientem esse illam Dei legem. Nam ait gentes etiam non ignorate iniustè se agere, cum in hanc legem committunt, exceptis illis, qui τὰς φυσικὰς ἐννοίας ἀπώλεσαν, μᾶλλον δ' ἔσβεσαν, ἢ ἐπεσκημένας ἔχουσι, ἰδίᾳ γὰρ ἐστι καὶ τοῖς μὴ τὰ αὐτὰ παθεῖν βουλομένοις, ἅτερ αὐλοὶ τοὺς ἄλλους ὀρχεῖσθαι, καὶ ἐν συνειδήσεσιν ἐχθρᾶς ταῦτα ὀνειδίζοντας ἀλλήλοις ἅτερ ἐρᾳάζονται *Naturales notiones perdiderunt, potius vero exstinxerunt, vel detentas habent. Videre enim est, & eos qui ea pati nolunt, quæ aliis ipsi faciunt, & conscientiis hostilibus probro se obiiciunt, quæ ab aliis committuntur. Quapropter*, addit: *pulchre videtur mihi dictum à Domino, & Saluatore nostro Iesu Christo: duobus præceptis impleri omnem iustitiam, & omnem religionem. Sunt autem ista: Diliges Deum tuum, &c.*

Opera veri Christiani faciunt.

Quin calumniatoribus ille eadem animositate obiicit, quod olim Christus, & amorem Dei possibilem astruit. & apol. 2. requirit vitam professioni consentaneam. οἱ δ' ἂν μὴ εὑρίσκωνται βιοῦντες ὡς ἐδίδαξε, γνωριτέθωσαν μὴ ὄντες χριστιανοί, κἂν λέγωσι διὰ γλώττης τὰ δ' χριστοῦ διδάγματα. *Qui vero deprehenduntur non ita viuere, vt docuit, cognoscuntur non esse Christiani, etsi linguâ Christi doctrinam profiteantur.*

Deinde demonstrat Deum operibus, & caritate colendum, quia bonus sit. Addit Nazianzenus oportere esse caritatem proximi comitem. Sicut enim nec corpus sine animâ, nec hæc sine corpore est homo: ita nec dilectio Dei sine caritate proximi, vera caritas esse potest. Ex quo ostendit etiam Iustinus, non probari sibi eos, qui Christiani sunt μέχρι τοῦ λέγειν, ἄχρι τοῦ πράττειν, *solâ professione sine operibus.*

§. 3. Caluinus libro 1. institutionum c. 3. § 83. etiam hanc doctrinæ partem corrumpit. Cùm enim disertè dicat Apostolum totam sanctorum perfectionem in caritate ponere, Eâ totam legem comprehendi Rom. 13. Eph. 1. Galat. 5. Certum tamen, ait, in lege & Prophetis primum locum tenere fidem. At quid ad Paulum respondebimus dicentem: maior autem horum est charitas. Quid Christo respondebimus: qui ex caritate legē & prophetas pendere pronuntiat? Non est in lege aut prophetis quicquam maius eo ex quo dependent. Fides necessariò præcedit, at non est præstantior illo, quo illa, & omnia comprehenduntur.

Tertullianus l. 5. c. 14. contra Marcionem, rectè & solidè probat, legis auctorem esse Deum, qui est Euangelij. *Meritò itaque totam creatoris disciplinam principali eius præcepto conclusit: Diliges proximum tuum tanquam te. Hoc legis supplementum si ex ipsa lege est, quis sit Deus legis iam ignoro. metuo ne Deus Marcionis.*

Vide etiam Epiphan. contra Marcionem confut. 8. vbi simili ratione vtitur. Diligi Deum ex corde toto in martyrio docet idem Tertullia. *Propriè* (p. 994.) *enim martyribus iam nihil reputari potest: quibus in lauacro ipsa vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat: ex totâ animâ suâ quam pro Deo ponit hominem martyrem excudit.*

§. 4. Amorem sui mandare vnicuiq; nihil necesse erat. Nimium enim fere, quilq; se deamat. Eo tamen nos amore diligere iubemur, vt salutem nobis æternam non opremus modò, sed ea etiam adhibeamus, quibus eam assequamur. Caluinus sophistas reprehendit, qui priores partes τῇ φιλαυτίᾳ concedunt, vt amor nostri sit regula amoris ergo proximum. Rationem reddit. *Quia quem naturaliter effectum trahimus ad nos ipsos, eum ad alios transfert.*

Respondeo. Errare sophistam illum, sed rudem. Non enim illum affectum, quo nos ipsi diligimus, ad alios transfert, sed eâ sinceritate, affectu, alacritate, solicitudine nos ferri ad benefaciendum proximo vult, quo erga nos ipsos sumus. Hæc igitur regula amoris ponitur. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, vos illis facite & illis, à vobis vera charitas incipit, in proximum desinit. Amor nostri, regula est amoris in proximos. Quin vero amorem nostri, normam amandi proximi facimus, non de vitiosâ φιλαυτίᾳ intelligo, sed de caritate quâ suâ quisq; incolumitatem ex rectâ ratione, & gratia diligit, accipi volumus. Est etiam amor sui quidam naturalis, nullo modo vitiosus, de quo Seneca Epistola 6. *Quid me hodie apud Hecatonem delectauerit, dicam. Quæris, inquit, quid profecerim? amicus mihi esse cœpi. Multum profecit, nunquam erit solus. Qui sibi amicus est, scito hunc omnibus amicum esse.* optimè sanè.

Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

VERSVS 40.

In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.

QVÆSTIO I.

Quomodo ex caritate pendet vniuersa lex & prophetæ?

§. 1. CAusam reddit, cur hoc præceptum sit maximum, quòd ab eo vti primario cætera dependeant, quod id prophetæ præcipue propositum habuerint. Omnia enim ad illud diriguntur. Qui enim diligit proximum legem impleuit. Rom. 13. & omnis lex in vno sermone impletur. Galat. 5. Augustinus lib. 1. qq. Euangelic. quæst. 33. exponit, quomodo ex illa lege omnia dependeant: quo modo in omnibus lex ista seruetur legibus, & in omnium mandatorum transgressione lex charitatis violetur. Quæ principium est finisq; mandatorum.

Summa igitur huius præcepti est dignitas, sine quo cætera ingrata sunt creatori, ideoq; frustra, hoc præceptum, si obseruetur saluti sufficit. Sola enim caritas est, quæ inter filios Dei, & filios Diaboli discrimen facit.

§. 2. Non consequitur hinc, nullum esse peccatum veniale, vt Caluinus in Antidoto Concil. Tridentini sess. 6. c. 12. Quæro, inquit, an vllum sit omnino quamlibet leue peccatum, quod non legis obseruantiæ repugnet? quæ enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animum, si totius Dei amore occupetur. Non autem satisfit legi, nisi cum diligiter Deus toto corde.

Respondet Bellarminus lib. 1. cap. 12. de amissione gratiæ, & statu peccati. *Respondeo*, inquit, *Dilectio Dei ex toto corde duobus modis intelligi potest: vno modo, vt idem*

idem sit ex toto corde, quod super alia omnia integrè, ac perfectè, vt nihil Dei amori anteponatur, vel aequetur. Altero modo vt semper acta Deus cogitetur, & diligatur, & sic animum Dei amore occupatum teneat, vt nihil obrepere possit, quod sit, non inquam contra, sed praeter Dei, vel proximi charitatem. Priore modo fatemur imperari nobis, vt Deum ex toto corde diligamus. Sed cum hac dilectione negamus pugnare peccata venialia: ac per hoc falsum esse contendimus repugnare observantiae legis, quamlibet leue peccatum. Posteriore modo fatemur, nullam vitiosam cogitationem obrepere posse ei, qui totus in Dei amore occupetur: sed eam dilectionem, quae propria est beatorum, nobis in hac vitâ non propriè imperari, sed tantum indicari asserimus, vt nimirum sciamus, quo spem ac desideria dirigere debeamus.

§. 3. Occurrit tamen Pareus. [Sed est inanis illusio. Etsi in phrasi hebraea (Ex toto corde) non significat omnimodam perfectionem, sed sincerum cordis affectum, hypocrisi oppositum. Hoc tamen praeceptum omnimodam actualem & habitualem dilectionis perfectionem, districtè semper praecipit. Secundo priori perfectionis modo etiam repugnant venialia. Sunt enim defectus; at omnis defectus repugnat perfectioni. Tertiò hoc summum est mandatū, ergo obligat, & perfectissimo sensu primum est & summum. Quartò de Dauide, Iosia, Zacharia illudit lectori, nam supra dixit Dauidem & Petrum letaliter lapsos.]

Respondeo ad 1. & 2. Requiro probationem eius, quod negauit Bellarminus, eam tertio loco adfert. Perfectissimo sensu est primum, & summum mandatum, ergo obligat ad omnimodam actualē, habitualē perfectionem. Consequentiam quomodo probas? Deinde si probares, iam corruent illa, cap. 6. Sancti debent, possunt, esse perfecti in hac vitâ perfectione partium, non graduum, id enim Deus praecipit. Quāquam absurdum est, hoc praeceptum ita obligare in hac vita, vt semper actu diligamus. Non imperatur nobis, quod Cherubim & Seraphim, quod ipse dominus Iesus in coelo praestat. Nam si nullam omnino interruptionem, aut diuisionem lex illa admittit, impię sunt leges ciuiles, & Academiarum, quę variis officiis, studiisq; homines distinent, quibuscum etsi habitualis Dilectio Dei possit consistere, actualis tamē interrumpitur, aut si & actus amandi perseuerat, non tamē omnimodam habet perfectionem, dimidiato in alias curas animo. Quicunq; igitur aliud negotium praecipit, contra hoc praeceptum delinquit. Non enim perfectissimo modo actualiter Deo inhæret, cuius intētio in alia quæcunq; diuiditur.

Ad 1. Futilis paralogismus. Omnis defectus repugnat perfectioni, Ergo leuia peccata, quae sunt defectus, repugnant priori perfectioni. Non quicquid repugnat perfectioni, id repugnat omni perfectioni, non omnis defectus, repugnat omni perfectioni, quidam repugnat perfectioni graduum, non partium, quidam vtriq;.

Ad 4. Toto coelo aberrat. Dauid & Iosias, cæteriq; toto corde secuti sunt Dominum, sed non cum peccarent mortaliter: cum Dauid adulterio, Petrus negatione à Deo recederent, non illi tum corde sequebantur Dominum, non hoc dixit Bellarminus. Sed eos toto corde secutos esse, cum rectè viuerent non peccando. Dauid cum Sauli parceret, Iosias cum regnum ab idololatria purgaret. Petrus cum paratus esset in carcerem, & in mortem ire. Qui toto corde Deum sequitur, aliquando mutato corde recedit, quia mutabiliter sequitur. Adam in originali suâ iustitia toto corde diligebat Deum, nec tamen eius lapsus non fuit letalis.

QVÆSTIO II

An dilectio proximi naturalis, an supernaturalis imperetur?

§. 1. NOua est ista disputatio, & quod deterius censeo, noua sententia. Caietanus legem à Deo latam, esse de amore naturali arbitratur, non autem de illo qui supra naturam infunditur. Aliud tamen scriptura dictat. Diligere eum proximum oportet propter Deum, eâdem quâ Deum amamus caritate, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Deinde, proximi dilectio facit ad salutem, de illâ namq; dicitur. *Hoc fac, & viues.* Supernaturalis autem proximi dilectio hoc facit. Non potest autem natura peccato deprauata, tot occasionibus irritata, sine Dei gratiâ praeceptum dilectionis implere, vt proximū etiam inimicum, nocētem, cruciantem, occidentem diligat, & diligat, sicut semetipsum, seu vt Syrus loquitur, *sicut animam suam.* *Supernaturalis caritas imperatur.*

Caput autem legis est, proximum diligere propter Deum. Nam amorem Dei proximi dilectio complectitur. Si enim Dei causâ proximum complector, certè Deum arctius diligo, cuius amor est causa hominē amādi. Quod si illa lex, quae omnium finis est praeceptorum naturalibus viribus potest impleri, non est ad legem seruandam opus gratiâ supernaturali: nec longè receditur à Pelagianismi blasphemiâ, gratiæ diuinæ negatrice; cum tamen Apostol. Rom. 8. doceat, impossibile esse vt iustificatio legis in nobis impleretur, in quo infirmabatur per carnem. Ideo enim filius Dei venit, vt per eius gratiā legem seruare possemus. Cur vero Deut. 30. 6. tam seriò dicitur: *Circumcidet dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, vt possis viuere, omnes autem maledictiones has conuertet super inimicos tuos.* *Proximus propter Deum diligitur.*

Quorsum opus est cordis circumcisione, si aliud amandi proximi genus non requiritur, quam quod posset etiam praestare incircumcisus? Nam & Philistæus naturaliter amare proximum potest. Nec censendum illud maximum mandatum, si ad ordinem naturalem pertinet, ad vitam æternam est inutile. Multo minus ex eo lex pendet, & prophetæ.

§. 2. Rationes quibus hoc paradoxon astruunt, non modò infirmæ sunt, verum etiam sophisticæ.

Certus sit, inquiunt, amor in proximum, oportet. Neq; enim minus dubitare debes, proximum tuum à te diligi, quam tu ipse à te ipso. At proximum à te diligi dono caritatis supernaturalis infuso, id vero incertum est. Fieri enim potest, vt eo dono careas. Sane sine reuelatione cognoscere non potes te habere.

Respondeo. Duo assumi, & starui tanquam vera, quae sunt falsa. Primum est; certum esse cuiquam, se sibi sic conciliatum esse, vt verâ & supernaturali caritatē se complectatur, propter Deum. Nam nihil est facilius, quàm φιλαυτίαν naturalem loco spiritalis caritatis substitui. Ad supernaturalem opus est animam suam odisse in hoc mundo, vt in æternam vitam custodiant, at multi se amando perdunt. De illo amore spiritali ac diuino, nemo nisi reuelāte domino certus est. Decipi enim facile quisq; potest, & si vspiam latere vitia consueuerunt, in amore sui sunt abditissimæ latebræ. Non ergo de hoc amore certum quicquam habetur, nisi spe, & signis probabilibus. *Caritatis suae supernaturalis nemo certus est.*

Alterum erratum ex priori natum est. Nempe certos nos esse de amore in proximum. Neq; enim de amore supernaturali certum esse necesse est. Quamuis enim bona illi ex animo precemur, constanterq; velimus. Non tamen constat, an non aliquid vitij, quod eum amorem vitiet, sit additum. Aut naturæ sit, non caritatis affectus.

§. 3. *Cur verò, inquiunt, Deus proximum amari ex caritate imperaret infusâ, cùm illud præceptum sit omninò superfluum? Nam in mandato de Deo diligendo continetur. Qui enim Deum amare iubetur, etiam ad eos qui Dei sunt amandos astringitur.*

Vnum præceptum explicatius per duo proponitur.

Respondeo, Non esse superfluum, quod rem vbertius & distertius explicat. Deum amare præcipimur, ac proindè id quod Dei opus est. Singulatim tamen id præcepit Deus, ne quispiam necessarium non putaret. Et videmus Iudæos sic legem interpretatos, vt inimicos odisse sibi permitterent. Eâdem etiam ratione conficere aduersarij possent, decē præcepta Decalogi superflua esse, quod in his duobus contineantur: sed absit blasphemia, vt dicamus, Dei verbum superflua nobis obtrudere. Quod si præceptum proximi diligendi ex primo pendet, quo Deum diligere iubemur, supernaturaliter est diligendus: nam hoc præceptum de charitate supernaturali omnes intelligunt. Cùm igitur iam etiam expressè proximi dilectio proponitur, idem quod in primo præcepto implicitè continebatur, nobis mandatur.

Quin & illud absurdum est. Postquam prima lege imperata est nobis proximi dilectio per caritatem infusam; altera deindè mandari, vt eum amore naturali complectamur. Nam eâdem ratione dicendum esset, præceptum Dei diligendi esse naturalis ordinis: quod si illo præcepto tenemur omni modo Deum diligere, ita altero proximum diligere oportet.

Si enim non est præceptum diligendi Dei & proximi, supernaturalis erga Deum amoris præceptum, etiam mandatum de proximo diligendo includit: nec modo naturalis, sed etiam supernaturalis est dilectionis, quâ proximum complectatur.

Plus hac lege à nobis postulari quam naturâ præstare possit, ostendit Augustinus Hom. 38 l. 50 homiliarum. *Non solum in nouo, sed etiam in veteri testamēto admonemur, fratres dilectissimi, qualiter perfectam charitatem tenere debeamus. Sic enim ipse Dominus in Euangelio dixit: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Tractemus ergo aliquantum de amore hominis in hominem: quia sunt amores hominum peruersi, ipse peruersè amat alterum, qui & se peruersè amat.* Et deinde: *Remoue ergo istos illicitos, quæramus licitos, incipit amor licitus à coniugio, sed adhuc carnalis est. Videtis quia communis est cum pecoribus: & passeres illi, qui personant, habent coniugia, & nidos faciunt, simul oua confouent, simul pullos nutriunt. Licitus quidem amor iste in hominibus: sed videtis, quia carnalis est. Secundus amor filiorum est, sed adhuc ipse carnalis est. Non enim est laudandus, qui amat filios, sed detestandus, qui non amat.* Et paulò post. *Alius est qui est propinquorum, iam iste videtur proprius hominum si non sit consuetudinis. Nam maior est amor qui extenditur vltra propinquos.* Et: *ab extraneis ad inimicos peruenit.* Denique: *Est & alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem, & mutuam benuolentiam in ipsâ vitâ mortali. At superius quidquid iam inuenerimus, diuinum est, incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine nisi Deum.*

Gratiâ præcepta seruantur.

Præcepta autem Dei impossibilia non sunt, faciliora autem sunt caritati: nam per eam implentur in nomine Saluatoris, non viribus præsumentis. Imò vltrà ea facit libera caritas: qui autem suis viribus ea implere se posse putat, similis est Iudæis. Quæ verba sunt ipsius Augustini, qui de illo mādato dilectionis multa habet, de vera relig. c. 46. de doctr. Christ. l. 1. c. 22. de Spiritu S. lit. C. 36. & tract. 17. in Ioan. Epistol. 52. Quorum omnium summa est, non posse nostris nos viribus mandata obseruare, ideo ad Christum ab ipsâ lege deduci, vt gratiæ adiutorio possimus, quod nostro Marte non poteramus.

VERSVS 42.

Dicēs: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? dicunt ei Dauid.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus filius Dauidis, & Dominus?

§. 1. QVæstionem illis Christus proposuit, ad quā ipsi respondere non potuerunt. Non enim Dauid & rex, & pater filium dominum appellat: Imo filius eius Salomon 3. Reg. 1. 19. *Seruus regis dicitur.*

Respondere tamen solent nonnulli, propter Messiæ dignitatem id fieri, vt Iosephum pater & fratres adorarunt. *Num ego & mater, & fratres tui adorabimus te super terram?*

Verum quod ad Pharisæos attinet, audierant illi toties vocari filium Dauid à populo, & pueris, qui non quemlibet, sed Messiam eo nomine designabant: norant etiam Christum admisisse illum titulum, veluti legitimum: dixerat enim ita propheratum esse; & si tacerent, lapides filio Dauid acclamaturos. Nolebant igitur vllo modo indicare, aut concedere Christum esse Dauide maiorem. ne hoc continuò populus arriperet & discipuli, vt hominem paupere m Dauidi ipsi præponerent. Hoc autem obseruandum est, ex circumstantijs esse argumentum firmissimum. Dauid enim Christum vocat dominum suum, tum cum ipse imperaret, & filios haberet, inter quos tamen Christus non erat, quomodo igitur Dauidis Christus regnantis erat filius, quod de illis tum viuentibus Dauide posset intelligi? & tamen vocat eum dominum suum, ut vt qui tum esset? Nam oraculum habet: *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Tum ergo Christus erat, cum illi diceret hoc Deus, & dictum illi hocà domino fuit, antequam Dauidi reuelaretur. In eo igitur contradictio versabatur, quod non possent respondere, quomodo ex posteris Dauidis longo post tempore nasciturus, iam tum Dauidis regnantis filius diceretur. Non enim sciebant distinctionem facilem, fuisse tum secundum diuinitatem dominum Dauidis, & sedisse à dextris Dei. Nouatianus adhuc Catholicus de Trinit. cap. 11. *Et quomodo quâ homo filius Dauid, ita dominus Dauid, quâ Deus, nuncupatur est.*

§. 2. Nihil vero opus est eorum argutiâ, qui Psalmum illum in Ecclesiâ non à Dauide, sed ab Ecclesiâ, in Ecclesię personâ cantatum aiunt. Christi enim verbis repugnant. Christum ait Christus Dauidis dominum appellari, & à Dauide in Spiritu, hoc est, Deo sic reuelante ita vocatum.

Quod si etiam ab Ecclesiâ sic canente dictum est. Certè si illi Deus iam id dixerat, Iam tum viuere necesse fuit. Non enim sedere iuberet ad dextram eum, qui nondum factus erat.

§. 3. Iudæi Psalmum ab Eliezer seruo Abrahami dictum comminiscuntur, vel à Melchisedeco. Sed eos inscriptio refutat, est enim Psalmus Dauid. Nec sedit Abraham ad dextram Dei, nec dominus erat Melchisedeci, vt cui decimas dederit Abraham. Nec veteres Iudęi tale quippiam obiecerunt: nam recepta erat expositio de Dauide, & Messiâ. Cætera in Psalmo 109. exposita sunt.

CAPVT

CAPVT XXIII.

TVNC Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, 2. dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. 3. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. 4. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt humeris hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. 5. Omnia vero opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua & magnificant fimbrias. 6. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis. 7. & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. 8. Vos autem nolite vocari Rabbi. vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. 9. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est. 10. Nec vocemini magistri: quia Magister vester vnus est, Christus. 11. Qui maior est vestrum, erit minister vester. 12. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur. & qui se humiliauerit, exaltabitur. 13. Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. 14. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. 15. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum. & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. 16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. 17. Stulti, & cæci. Quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? 18. Et quicunque iurauerit in altari nihil est: quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. 19. Cæci: Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? 20. Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt. 21. & quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & ab illo, qui habitat in ipso: 22. & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. 24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. 25. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem plenisti rapina, & immunditia. 26. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id, quod deforis est, mundum. 27. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. 28. sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. 29. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum. 30. & dicitis. Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. 31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? 34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem: 35. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. 37. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

IN CAPVT VICESIMVM TERTIVM

ARGVMENTVM.

POST colloquia disceptationesque cum Pharisæis, Scribis & Senioribus institutas, cum eorum contumaciam desperatam, & contra omnia monita, & miracula obstinatam demonstrasset, eorum vitia singulatim redarguit, ne auctoritate & vitæ prauis exemplis populo obesse possent. Laruam enim pellium ouillarum lupis detrahit, ne pro libidine in caulas grassari possent.

Et primo quidem eos docendi munus ordinarium obtinuisse, & veluti Mosis legitimos successores audiendos monet; opera tamẽ eorum doctrinæ nequaquam consentanea, esse fugienda: vt qui recta docerent, praua facerent, linguâ sancti, mente & manu profani. Capita autem reprehensionis ista sunt. Alligant onera grauia, quæ ne digito quidem attingere sustinent. Si quid boni facere videntur, id famæ, non Dei causâ faciunt. Superbiæ autem & vanitatis indicia sunt, dilatatio fimbriarum, ambitio in cœnis, honoris in salutatione, & titulo cupiditas. Sequũtur deinde alia grauiora, deuorant domos viduarum. Claudunt regnum cœlorum, proselytos faciunt, & grauioris damnationis causam dant factis. Cœci sunt, duces cœcorum minora custodiunt, magna negligunt, sepulchra dealbata sunt; prophetarum monumẽta erigunt, sapientes & prophetas occidunt, vt veniat super eos omnis sanguis iustus. Tandem Ierusalem sanctorum sanguine oblitam increpat, & filios eius sibi congregare volenti non parentem, prædicit perituram.

A versu 29. ad finem vsq; legitur in Ecclesiâ Syriacâ, in ministerio, seu officio, seu statione secundæ noctis, tertiæ hebdomadis passionis, & domini Stephani מרי אסטפנוס demari Estephanus, hoc est, *domini mei Stephani.* Vsitatum est enim apud Syros sanctorum nominib. hoc honoris vocabulum præponere. sicut dicunt Dominus Petrus, Dominus Paulus. Eratigitur in illâ Ecclesiâ תשבשתא thoschmoschtha. seruitiũ, seu statio S. Stephani protomartyris, stationem autem appellant, quod veluti serui coram Deo, & aulâ cœlesti sese sisterent.

VERSVS 1. & 2.

Tunc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.

QVÆSTIO I.

Quomodo Scribæ & Pharisæi sederunt super cathedram Moysi?

Vitia non ordinem Christus reprehẽdit.

§. 1. OBseruauit inter Latinos S. Cyprianus Epist. 69. Christum ita sacerdotum & doctorum vitia reprehendere, vt tamen functionem, ordinemq; non infirmaret, ex quo ille quoq; Episcopatui suo auctoritatem asserit. Apud Græcos eodem modo Chrysostomus argumentatur, & ostendit non deijci illos officio, quantumuis vitiosos. Ita hunc in locum ὑπὲρ μὲν αὐτῶν ἔσησε τὴν ἀρχὴν, καί τοι πονηρῶν ὄντων, ὡς μετὰ τοσαύτην κατηγορίαν εἰπεῖν· πάντα ὅσα ἂν λέγωσιν ὑμῖν ποιεῖν ποιεῖτε. ἃ δὲ αὐτοὶ λέγουσιν, ἀλλὰ τὰ θεῖα, ἃ διὰ μωσέως ἐνομοθέτησε. καὶ σκόπει πόσην περὶ τὸν μωσέα κεῖται τιμὴν, πάλιν πρὸς τὰ παλαιὰν συμφωνίαν ἐνδεικνύμενος. *Sic igitur quãuis nequã essent, principatum eis confirmauit, vt vel post increpationem, edixerit: facite quæ.unq; illi vobis esse faciendæ confirmãt: non enim sua, sed quæ per Mosem Deus imperauit prædicant. Tu autem considera quantum Mosi deferat honorem & se veteribus conuenire ostendat.*

Doctoris vita doctrinæ consentanea esse debet.

Vita enim doctoris à doctrinâ ipsius discernenda est, cum in promptu sit bona alijs consilia dare, cupiditatib. resistere arduum: ideo illud pene omnes, hoc pauci præstant. Hoc olim Philosophorum etiam vitium fuit, ita non parum vitiosus Plato in Timæo docuit. Σοφισεύσην οὐκ ὀλίγοι μέχει λόγων ἀποδεικνύμενοι τὴν ἀρετὴν, ἔργῳ δ' πάντα πᾶσιν ἀπῳκισμένοι. *Sapientiam profitentur haud pauci verborum tenus, virtutem docentes, factis omnino ab eâ semoti.*

Cathedra Mosis non est sedes.

§. 2. Cathedram Moysi nullo modo interpretor eam, quam ipse insedit: nec.n. credibile est, in Christi tempora seruatam, & ad institutum parum faciebat. Non enim auctoritas ex sede Pharisæis aut nascebatur, aut crescebat. Itaq; non probo, quod nonnulli Mosis cathedram interpretantur suggestum ex l 2. c. 8. 4. Esdræ. vbi ille stare in gradibus, & legem populo audiente pronunciare dicitur. Stans enim ipse legit, non sedens. Errat itaq; Bucerus, cum monet Cathedram non significare auctoritatem Mosis, quâ abutebantur Scribæ & Pharisæi, sed locum ex quo Mosis legem populo prælegebant, & explicabant. Nec orthodoxi duntaxat, sed etiam sectarij aliter locum illum exponunt.

Cathedræ vocatio, auctoritas.

§. 3. Cathedra igitur Mosis, est ordinaria ad legendam, interpretandamq; Dei legem vocatio, & ex vocatione auctoritas. Pharisæi igitur & Scribæ ad erudiendum in fide moribusq; Dei populum vocati erant, & eâ auctoritate, quam ordinariæ successionis iure hæreditarant, in Ecclesiâ subleuabantur. ita veteres Augustinus lib. 4. de doctrinâ Christiana c. 27. l. 16. c. 29. contra Faustum. l. 4. de baptismo, contra Donatistas c, 11. Chrysostomus, Euthym. alijq; Chrysostomum secuti; ita & noster Maldonatus, Barradius, deinde Iansenius, Carthusianus. Abulensis tamen actũ docendi vocari cathedram arbitratur, vt sit cathedra Mosis ipsa prædicatio & expositio legis Mosaicæ, quæ tamen expositio non priuatæ præsumptionis, sed ordinariæ missionis fuit. Nec interpretationem illâ hæretici repudiant, quamuis ex illâ errores suos refutari sentiant. Zuinglius hoc loco: *Cathedram Mosis doctrinã appellat, & prophetiam: hanc autem expositionem legis dicit.* Non enim legem Mosis tantummodo prælegere, sed illius sensum explicare, est prophetare. Eodem modo Caluinus. Pharisæis nomen Pherusim impositum, q in mysticum scripturæ sensum subtilius inquirerent, in tradendo Dei cultu & sanctè viuẽdi disciplinâ præcipuè eorum viguisse auctoritatem, rectę vitę probos fuisse magistros, impijs operibus pessime vitam instituisse, quare ad eorum ora, non manus attendendũ. Sedere autem in Cathedrâ Mosis definit, nihil aliud esse, quam ex lege Dei, tradere quomodo viuendum sit. Addit vero: [simul tamen legitima vocatio hic notatur: quia ideo scribas audiri iubet Christus, quod publici essent ecclesiæ doctores. Sedet ergo in cathedra Mosis, qui non ex seipso, vel proprio sensu, sed ex Dei auctoritate & sensu præcipit.] Hæc Caluinus. Latius eadem illa Benedictus Aretius prosequitur, vt ostendat, per cathedram ordinariâ vocationẽ signari. Et Erasmus notanter monet, sedere esse legere & interpretari. Quod accurate obseruãdum est, vt postea ostendam. Hinc eorum ipsorũmet cõfessione cõuincuntur, vt concedant, in Ecclesia ordinariũ esse à Deo scripturæ interpretandæ munus institutum, ideoq; illam nec natura sua omnibus planam facilemq; intellectu esse, neq; eam prouinciam omnib. mandatam.

QVÆSTIO II.

An doctoribus Christianis ex Christi argumentatione auctoritas concilietur.

§. 1. ZVinglius inde conficit, sibi suisq; permissum, vt in Pontifices & sacerdotes inuehantur. Caluinus, *Papistis satis esse*, ait, *titulo præditos esse.*

Verùm illi more veterum hæreticorũ lædunt sacerdotes, nos imitatione sanctorũ eos defendamus: Cathedram, inquam, non vitia: quæ non omniũ sunt, & quamuis plurimorum essent, non tamen cathedram euerterent, licet plurimos contagione inficerẽt. Obiiciebant Augustino Petilianus & alij l. 2. c. 51. [Sicathedram, inquit Petilianus, vobis miseri vendicatis, vt superius diximus, habetis illam profecto, quam Dauid propheta psalmographus pestilentiæ cathedram pronunciauit: vobis enim iustè relicta est, quia in ea sancti sedere non possunt.] Planè quasi verba nostris hæreticis præiret.

Augustinus respondit: *Et hæc non vides non aliqua esse documenta, sed vana conuitia. Hoc enim est illud, quod paulo ante dixi, Verba legis dicitis, sed in quos dicatis, non attenditis: sicut Diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret, non agnoscebat. Ille caput nostrum sursum ascensurum, deorsum volebat deiicere: vos autem corpus eiusdem capitis, quod per totam terram diffusum est, ad exiguam partem vultis redigere. Certè ipse paulo ante dixisti, nos legem nosse, & legaliter loqui, sed in actibus erubescere. Dicis quidem ista nihil probans, sed in aliquibus probares, de his cæteris non præscriberes. Verumtamen si omnes per totum orbem tales essent, qualis vanis-*

vanissime criminaris, cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in quâ Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis? Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid Dominus IESVS Christus propter Pharisæos, de quibus ait: Dicunt enim, & non faciunt; cathedræ, in quâ sedebant, vllam fecit iniuriam? nonne illam cathedram Moysi commendauit, & illos seruato cathedræ honore redarguit? Ait enim, cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est aliud, quam nescire, quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere.

Quamuis exempla trahant in vitium, non tamen nomen, & ius doctorum perdunt, dum virtutem edocent. Vtcunq; igitur mores sacerdotum doctrinæ aduersentur, non tamen eorum exemplo lasciuire fideles debent, multo minus cathedrâ concessâ illos excutere. Christus enim ideo audiendos docet, quia in cathedrâ Mosis sederunt. Sunt multi inter Ecclesiæ veræ & orthodoxæ sacerdotes, qui salem infatuatum se ostendunt, filij sunt tenebrarum, serui inutiles, nec tamen vocatione, nec officio excidunt. Constat sane Deum Euangelij sui præconibus arbitrij libertatem relinquere, eam naturali infirmitate sæpius ad malum inflecti, aliquando errore eligentium pessimos ad Doctoris munus assumi. Nec tamen sacramẽta pollui, etsi grauibus sceleribus sit contaminatus eorum administer. Hæresis enim Donatistarum erat, non fides Catholica, quâ docebatur: Sacramentorum efficaciam pendere ab innocentiâ ministri. Fructum enim baptizantium existimabant baptizatos: quibus respondet Augustin. l.2. c.2. contra Epist. Petiliani. *Si ita est, magnum malum Africæ denunciatis, si tot Optati pullulauerunt, quot quot Optatus baptizauit.*

Tueritis tamen Iacobum inuitatum non desinet.

Nimis pubes ex ista auctoritate.

§.2. Non tamen eo se tueri possunt illi, qui nullam habent vocationem, & cum in maximis sint vitiis, nouam etiam doctrinam adducunt, nec in Cathedrâ Christi sedent, & errores ex se fœdos vitæ turpitudine faciunt abominabiles. Explicuit egregie eam rationem P. Adamus noster Tannerus demonstrat. 1. in anatomiâ Augustan. confession. p. 41.

» [Verum si loquamur de eo, qui non ordinariâ ac
» consuetâ hominum electione, sed extra ordinem ab
» ipso Deo (falli & fallere nescio, ac proinde non nisi
» dignum & aptum ad designatum munus electuro)
» eligatur ac destinetur, non ad communem, & vete-
» rem fidei doctrinam tutandam: sed ad propriam ac
» nouam mundo inferendam, adeoq; ad extinctam in
» mundo fidem reuocandam, ac restaurandam impos-
» sibile est, vt talis prudenter existimetur esse bis terve
» perfidus, & impurus apostata, Deo & hominibus iu-
» re execrabilis, vt in argumento superius dictum est,
» vbi expresse locuti sumus, de aliquo extra ordinem
» à Deo misso, ad veram Dei fidem, fideiq; doctri-
» nam collapsam in mundo restaurandam ac reuocan-
» dam, atq; adeo ad nouam, & immediatè antea in
» mundo inauditam fidem disseminandam, & propa-
» gandam: quæ suam primam authoritatem ab autho-
» re & proseminatore suo accipere, vel tueri debet. Vt
» in nostro casu, cum de Luthero agimus, accidit. Ad
» huiusmodi enim nouæ doctrinæ, & fidei prædicato-
» res spectat illud Christi. Matth. 7. Attendite à falsis
» Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium,
» intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructib. eorum
» cognoscetis eos, &. Nõ omnis qui dicit mihi Domine
» (etiamsi nomen, & verbum meum centies
» multiplicet) intrabit in regnum cœlorum: sed qui fa-
» cit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit
» in regnum cœlorum. Hæc ergo nota est ab ipso Chri-
» sto proposita dignoscendi eos, qui veluti prophetæ
» noui nouam doctrinam, quasi diuinitus inspiratam
» iactitantes, extra consuetam aliorũ Doctorum ac Pa-
» storum semitam posit se alios abducere conantur. Hi
» si vitam diuinis legibus consentaneam non agant, si
» fidem Christi, quam verbis profitentur, factis perfidi
» lædant, persuasissimum esse nobis debet, eos non nisi
» falsos Prophetas esse, vtcunq; vel millies interim di-
» uina nomina verbumq; vt aiunt purum putum Dei
» iactitent.] Atq; adeo his ex vitiis hæreses originem ducunt: neq; n. virâ commendant errores, & de suo loquuntur, non quærunt quæ sunt Iesu Christi: hoc deteriores, quod etiam somnia sua tribuere Deo non verentur. De Luthero testantur Tigurini in confess. Germ. *Propria cerebri figmenta vsq; adeo illi placent, vt quot-quot illa vt Dei oracula, vt reuelationes non suscipiunt, pro asinis habeat.*

Audiendus est Petri successor.

§.3. Argumẽtum inuictum est apud Bellarminum l.3.c.5. & Iacobum Gretserum in eiusdem capitis defensione. Si enim audiendi successores Mosis, nonne audiendi etiam, & multo magis successores Petri? Obiicit Wittakerus. Quædam rectè docebant, in his audiendos: non audiendos tamen fuisse per omnia: tum non erasse, cum secundum legem Mosis docebant. Hoc quidem verè ille docet: *non errasse cum legem Mosis docerent*: quod autem adiungit, quædam non rectè docuisse, perspicue falsum est: nam Christus omnia complexus est. *Quæcunq; dixerint, facite.* Intelligit vero de publicâ auctoritate, quâ ex cathedrâ docebat cum suo Concilio summus Pontifex, quâ in doctrinâ non errabant. Priuatim multorum erant varij errores.

Publicâ auctoritate non docebant falsa.

Quod vero Hunnius etiam publicam doctrinam vitiosam fuisse arbitratur: in eo ipse vehementer errat. Publicè docebant multi errores, sed non publicâ Ecclesiæ auctoritate. Quocirca non monet Christus, vt doctrinam examinent, quam ex cathedrâ docent: sed vt faciant, quæ dicunt. Docebant quidem illi non audiendum esse Christum, eum eiicere in Beelzebub dœmonia: sed priuatæ inuidiæ, odii, impietatis erant illa flagitia, non publicæ auctoritatis. Nec oẽs Scribæ & Pharisęi veritatem infallibili certitudine docebant, sed cum suo Pontifice coniuncti, vt nũc Conciliũ cui Pontifex prędet. Nec vllius est momẽti Sibrandi obiectio: Inde .n. concludere sibi videtur posse: Cathedram siue doctrinã Petri esse interpretationis regulam. At Christus ius & auctoritatẽ Ecclesiæ in controuersiis decidendis, & doctrinã tradendã demonstrat, quod ne quidem in Pharisæis & Scribis defecit. Nec cathedris aliorũ Apostolorum idem est concessum priuilegiũ: quia soli Petro dictum est: *Pasce oues meas.* Romana Ecclesia semper refugium fuit omnium vbiuis oppressorum, & index. Iulius testatur vt est in eius Epistola, apud Socrat. l.2.c.13. & Sozom. l. 3.c.9. εἶναι νόμον ἱερατικὸν, ὡς ἄκυρ' ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα Ῥωμαίων ἐπισκόπου. *Esse legem sacerdotalem, seu canonem Ecclesiasticum, vt irrita decernerentur, quæ præter sententiam Romanorum Episcopi acta essent.* Et idem Iulius ad Athanasium. *An ignari estis consuetudinem hanc esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc quod iustum est definiri possit?* Hinc apud Tertullian. de pud. c.1. Pontifex Maximus, & Episcopus Episcoporum appellatur. Quos titulos inimicus ille recenset, non facturus, nisi in Ecclesia vsitati fuissent. Verum de his aliàs pluribus.

Cathedra Petri dotrix omnium Ecclesiarum.

Interim cum iam Christo præsente, & sese clarè & euidenter ostendente filium Dei esse, ac Messiam con-

contradicerent, Cathedra Mosis deiecti sunt, & Pontificem ipse dominus egit, deinde Vicarium suum Petrum constituit, qui, Pharisæis & Scribis deinceps falsa docentibus, errores docere non potuit.

VERSVS 4.

Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.

QVÆSTIO I.

Quæ onera imponebant Scribæ?

§. 1. GRauia βαρέα, & δυσβάστακτα, *portatu difficilia*: quæq; ipsi digito mouere nolunt, pro κινῆσαι Syrus habet, רנקרבון *denecrephun*, quod est *accedere, tangere*. Turpe vero doctoribus erat, quod ipsi immunes operum, alios lassabant, labores vrgendo, sibi securi omnia remittebant. cum non Dei cultus modo, sed naturalis etiam posceret æquitas, vt legem paterentur, quam ipsi tulerant. Duobus vero modis grauia imponebant: nam legis antiquæ omnes cærimonias rigidissimè, inde sanctitatis opinionem aucupantes, exigebant: Sabbatum v. g. superstitiosissimè colendum tradebant, non illo sanari, non iuuari quenquam ferebant, cum iumenta tamen ipsi curarent. Pharisaici sabbati obseruationis documentum in Synesio legitur, qui Iudæum in periculo remigare noluisse refert. Noua plurima addiderunt, ad irrisum vsq; gentilium, vt festos Herodis, vide Persium Satyra 5.

Grauia imponebant, vetera vrgendo, noua addendo.

H. rodis venere dies, vnctâq; fenestrâ
Dispositæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ.

Sabbatis etiam factum ab illis liquet, Seneca Epistol. 95. *A cendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus: quoniam nec lumine dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Hæc Iudæi κακοζηλίᾳ domi vsurpabant, occasione ex templo, in quo perpetuus ignis alebatur acceptâ

Nec hæc modo ad amussim exigebant, sed fabulis, rationibus falsis ad obseruationem legis persuadendam abutebantur, cuius farinæ pleni sunt libri Thalmudici, nugamenta enim illa postmodum in immensum aucta sunt. Legem vero Dei illis additamentis fœdum in modum contaminabant, eiusq; auctoritatem eleuabant. Sic intelligo Theophylacti, Haimonis, interpretationes. Etsi enim legislator æterna Dei sapientia fuit, & legis obligatio grauis, onus tamen illius Scribæ interpretando aggrauabant, nec quam Dauid, aliiq; moderationem, admittebant.

Legem contemptibilē facichant.

Onus vero difficulter portabile traditionibus, & obseruationibus nouis augebant, & miseros iniusto sub fasce premebant. Nam si tantummodo lotiones corporum, vrceorum, calicum consideremus, quantam molestiam adferebant? Δευτερώσεις igitur additæ veteri legi, pondus ingens adferebant, & humeros deprimebant.

Mollities scribarum.

§. 2. Omnino autem grauiorem oneris portationem magistrorum mollities faciebat, qui ne digito quidem ea, quæ præcipiebant, attingere conabantur: nec enim pietatem, nisi suauem & deliciosam amplectebantur, imò omnem abdicantes timorem Dei, austerè conscientiis dominabantur: similes illis noui Euangelij ministris, quos Aretius Caluinianus ait, *dissolutos, auaros, ebrios, adulteros, vanos esse*, quos tamen audiendos in cathedrâ esse contendit. Quâ quidem in re fallit, & fallitur. Non enim in apostolicâ illi cathedrâ sedent, sed in sede pestilentiæ, quam non ordinariâ, vel extraordinariâ vocatione: sed profanâ curiositate, apostasiâ, hæreseon defensione conscenderunt.

§. 3. Porro ligare idem esse, quod leges imponere satis constat: ideo enim culpantur, quod legibus suis, quos negligebant ipsi, populos onerarent. Concedunt hoc Sutliuius, & Sibrandus, contra Bellarminum lib. 4. cap. 16. de Pontifice. Et Wittakerus, *ligare significat legem imponere, fateor.* Fatetur etiam hoc à Christo in Pharisæis reprehendi. Et nos alio loco exposuimus.

VERSVS 5.

Omnia vero opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

QVÆSTIO I.

Quomodo Pharisæos superbiæ, & hypocrisees conuincit?

§. 1. PAradoxon videri poterat, quod omnis iustitia, ducibus & doctoribus legis Christi sententiâ, detraheretur: orationes eorum longas videbant, & fimbrias religionis indices, decimationes mentæ & aneti, similiumq; rerum. At Christus vt vno verbo improbis illis laruam detraheret, & nudam eorum vitia spectanda præberet, etiam bona illa, quæ populus mirabatur, speciem duntaxat virtutis habere demonstrat: omnia enim superbiâ, vanitate, auaritiâ contaminata esse. Omnia enim non Dei causâ faciebant, sed πρὸς τὸ θεαθῆναι, vt spectarentur ab hominibus: Boni enim haberi, mali esse pergebant, nec virtutem, sed famam virtutis, & commoda spectabant, quorum theatrum homines erant, quibus placere percupiebant. Quod itaq; maximi faciebat populus, Christus abominabile coram Deo esse demonstrat.

Hypocrisis Scribarum.

Quæ obseruanda sunt.

§. 2. Dilatabant Phylacteria, & magnificabant fimbrias. Has diuinâ ferebant, vt Exod. 13. 16. vt legis diuinæ recordarentur. Sic Deus præcepit Deut. 6. 4. Num 15. 38. & 39. 40. item Deut. 22. 12.

Phylacteria laminulæ sunt, seu bracteæ, & interdum membranulæ, quas fronti, brachijs, manib. circumponebant, legis aliquam partem inscribebant, vt religiosi obseruatores legis viderentur. Fimbrias κεφσπεδα Græci appellant, & quædam exemplaria addunt: πρὸν ἱμαλίων ἄνωθεν, vestium eorum. Has amplioris faciebant *hypocritæ*, vt conspectiores essent, atq; adeo etiam, vt in Phylacteriis plura legis mandata inscribere possent. Fimbria Num. 15. dicitur ציצית zizith. Epiphan. hær. 15. Phylacteria è purpurâ esse existimat. Tostatus Phylacteria appellat, & deducit à Phylaxe, & Thora, hoc est, *lege custodiendâ*, quasi vero è Græcâ & Hebræâ voce amphibia dictio constet.

De Phylacteriis vide Chrysostomum hoc loco. *Quænam sunt hæc phylacteria & fimbriæ? quoniam facile benefactorum Dei obliuiscebatur, idcirco Deus signa suam libellis breuissimè conscribi & manib. eorum appendi iussit: vnde dictum est: nec remouebuntur ab oculis tuis. Hæc phylacteria, id est cōseruatoria, vocabāt, sicut multæ mulierū modò faciunt euangelia ex collo dependētes: & vt aliundè in memoriā reducātur, quod*

*quod obtritiores crebrò facere solent filo digitũ strictius ligantes, id Deus cen*fantu*is inſit facere. Hyacinthinam enim vittam in extremitate veſtis quæ ad talos eſt, aſſui præcepit, vt attentiore cura mandatorum recordaremur, hanc fimbriam appellant. In his igitur rebus diligentiores, ligacula quibus libelli dependebant, latiora, & fimbrias maiores faciebant: quod ex inani gloria proficiſci videbatur. Quam enim ob rem hæc ita facis? An quia virtutem id eximiam putes? vel quia aliquid vtilitatis inde habeas? non enim vt illa dilates, & magnifica faciat, Deus præcepit, ſed vt ſigna & miracula eius memoriâ teneas. Quod ſi Eleemoſyna atq; ieiunio, quæ opera noſtra efficiuntur, nullo pacto gloriari oportet: qui mobrem his te plurimum iactas, ô Phariſæe, quibus maximè tua deſidia declaratur? Illi verò non hinc ſolum, verum etiam ex aliis multo minoribus morbum contrahebant.*

VERSVS 3.

Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis ſeruate & facite: ſecundum opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.

QVÆSTIO I.

An omnia facienda, quæ Phariſæi & ſcribæ dicerent?

Doctrina ſcribarum damnata.

§. 1. DE doctrinâ, nõ imperio agi Origenes docet. & exeo Toſtatus. Cathedra quidem Moſis non modo docendi auctoritatem, ſed iudicandi etiam habuit poteſtatem, videtur tamen hic de ſolâ doctrinâ, non iudiciali ſententiâ loqui: etſi enim nonnulli Phariſæorum & ſcribarum iudicia exercebant, doctores tamen hoc loco Chriſtus reprehendit; ideo iudiciorum iniquorum, quæ in tanta rapacitate, odiis, ambitione fuiſſe deploratiſſima, nemo ambigit, reprehenſionem non inſtituit, nec illa penes ſolos Phariſæos, ſed penes alios erat.

§. 2. At quomodo omnia facienda quæ dicebant? nonne ſuis commentis legem Dei obſcurabant? Chriſtum occidendum pronunciabant? Et doctrinam eorum falſam arguit paulò poſt, qua iusiurandum per templum nihil eſſe docebant. Quomodo ergo omnia ſeruanda Chriſtus aſſeuerat? & in Græco quidem cum Emphaſi. πάντα ἔν ἐὰν εἴπωσι ὑμῖν τηρεῖν, *omnia quæcunq; dixerint facienda*, ſeu *ſeruanda*. Quam etiam Syrus imitatur eſt, דתטרון *dethetterun*, *vt ſeruetis*. Abulenſis illa quæ obſeruare Chriſtus iubet, eſſe traditiones ſeniorum, quæ diuinæ legi non repugnabant, quas obligaſſe ideo docet, quod à legitimo magiſtratu, concilio ſcilicet Sanedrin tanquam publica lege promulgatæ eſſent; malitioſè etiam & inſidioſè latas illas leges ad pecunias extorquendas arbitratur.

Quæ obſeruanda ſunt.

Verum Chriſtum non iubere, vt omnia faciant, quæ imponunt, alij exiſtimant. Chryſoſtomus tantum ea quæ ad ſalutem neceſſaria doceri Chriſtum velle affirmat. Verba eius ſunt. πάντα δὲ ὅτι ἂν εἰκῇ εἴπωσιν, μὴ πάσχειν ἔλαττε τὸ νομοθεσίαν οἷον; τὰ περὶ βρωμάτων, τὰ περὶ ὑσσιῶν, καὶ ὅσα τοιαῦτα. πῶς γὰρ ἐμέλλε ταῦτα λέγειν, ἀπρολαβὼν ἀνεῖλεν; ἀλλὰ πάντα φυσὶ, τὰ διορθώντα ψυχὰς, καὶ βέλτιον ποιῶντα τρόπον, καὶ τοῖς ἡμῶν συμβαίνοντα νόμοις, ἢ ἐκ ἀφιέντα λοιπὸν ταῦτα τὸν νόμον ζυγὸν εἶναι. *omnia autem cum audis, non debes omnia, quæ ſunt in lege intelligere, vt de cibu, & ſacrificiu, cæteris q; eiuſmodi. Quomodo enim hæc confirmaſſet, quæ iam conſtituit? ſed omnia ait mores confirmantia, & meliorem faciencia, & noui teſtamenti legibus conſentanea: nec relinquentia in poſterum ſub legis iugo.*

Pati modo Maldonatus, ea quæ ex Moſe legitima interpretatione adferebant, non, quæ de ſuo arrexebant. Sic Auguſtinus intelligendus cum ait, Cathedram coëgiſſe eos vera docere, ita l. 4. de doctrina Chriſt. cap. 27. *Quoniam boni fideles, non quemlibet hominum, ſed Deum obedienter audiunt, ideo vtiliter audiuntur, qui etiam vtiliter non agunt. Cathedra ergo non ſcribarum, ſed Moſis cogebat eos bona docere, etiam non bona facientes: ſua enim agebant in vita ſua; docere autem ſua, Cathedra eos non ſinebat aliena.* Et tractatu 46. in Ioann. *Audite mercenarios ab ipſo Domino demonſtratos. Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper Cathedram Moyſi ſedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: Quid aliud dixit, niſi per mercenarios vocem paſtoris audite? Sedendo enim ſuper Cathedram Moyſi legem Dei docent, ergo per illos Deus docet. Sua vero illi ſi velint docere, nolite audire, nolite facere: certe enim tales ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Nullus tamen mercenarius auſus eſt dicere populo Chriſti, tua quære, non quæ Ieſu Chriſti. Quod enim malè facit, non prædicat de Cathedra Chriſti: inde tacit, vnde malefacit, non vnde bona dicit.*

Hæretici traditiones reijciunt.

§. 2. Reſtringunt hæc Domini verba, & ad ſuas hæreſes Sectarij accommodant, non licere aliud docere, quam quod ſacrâ ſcripturâ continetur, omnes traditiones vna voce reijciunt. Caluin. lib. 4. Inſtit. cap. 10. §. 26. & l. 4. c. 8. §. 8. *Vetari ait quicquam de ſuo docere.*

Hoc & Chriſtus, & ſua ipſorum praxis refutat. Non iubet eos ſoli lectioni legis eſſe intentos, interpretationis negligentes; dicendum enim eſſet, quæ ex lege Moſis legunt, facite: ſed quæ dicunt, ne facite. Lex legenda & explicanda.

Quin etiam ſe ipſi refutant, innumeris in Biblia commentarijs, quæ non modo reijci tanquam ſuperflua, ſed damnari vt impia debent, ſi ad ſolam textus cognitionem relegatur auditor. Si enim præter verbum ſcriptum nihil attendere populum oportet, nec etiam deberet Doctor quicquam interpretando proferre: fruſtra enim docet, quod diſcipulus accipere vetatur. At vero multa etiam hæretici commentantur, & docent, etiam contraria legi diuinæ. Reciprocè autem docendi & diſcendi neceſſitas imponitur Doctoribus & diſcentibus. Conſtat igitur ſeruanda non modo eſſe, quæ ex mandatis Dei legerent, ſed etiam quæ ex lege deducta, & legi conſentaneâ interpretatione, quam ab Eccleſia accipere oportebat, ſeruanda pronunciarent. Non autem cuiuſq; priuati Doctoris obediendum eſt imperio, ſi noua, & à vetuſtis diſſentientia proponat. Interpretes audiendi.

§. 3. Caluinus iniuriam Catholicis infert, cum fingit: *Papiſtis ſatis eſt præditos eſſe titulo, ac locum occupare, qui leges imponunt. Huc enim detorquent verba Chriſti, quaſi neceſſe ſit obedienter recipere, quod mandant ordinarij Eccleſiarum præſides.* Nos ſane hoc non docemus: Tantum id agendum dicimus, quod legitima auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ præceptum eſt, vt ſunt quæ vocamus Eccleſiæ præcepta, quæq; rationi, legi, ordini, conſentanea diſciplinæ cauſa paſtores ſubditis imponunt, non imperandi libidine, ſed ad ſuorum conſeruationem. Itaq; nec titulus, nec locus ſufficit, ſed hæc neceſſaria ſunt, & imprimis doctrinæ ſanitas: Si enim errores aliquis docuerit, nullo modo conſcientias conſtringit: nemo enim obtemperare tenetur. Calumnia Caluini.

Summum Paſtorem pro Cathedra & publicè docentem, negamus erroris eſſe poſſe defenſorem: adeo vt doctrinam antiquæ auctoritatis in omnibus Deus eſſe voluit; cum enim non in primis duntaxat Eccleſiæ initijs, ſed omnium ſæculorum decurſu, neceſſaria fuerit ſcripturæ explicatio authentica, quæ omnibus hæreticorum commentis opponatur, cum maneat in Eccleſia Apoſtolorũ Cathedra, neceſſe eſt

perseuerare etiam auctoritatem. Quis enim non videt Ecclesiam perisse funditus, si eius fundamentum, hoc est, veritas doctrinæ defecit? Quis porro resistet tot falsis hæreticorum interpretationibus, si vera nulla est infallibilis? Omnium hæreticorũ perpetua consuetudo est, scripturis citandis vexare religionem. Nam concionari, exhortari, scripturæ testimonia producere, genuina sunt vestimenta; quibus se exornant; ita Lutherus postillâ Eccles. Dominica 8. post Trinit.

Falsis interpretationibus vera opponenda.

„ [Hoc esse, *ait*, quod vulgo fertur, scripturam esse librum hæreticorum, hoc est, cum librum in quo præsidium collocent hæretici: nec enim alium librum „ inueniri vllum, quo magis sectarij abutantur, & quod „ amplius est, nullum esse, quo magis glorientur, nec „ sectam vllam esse tam rudem, & agrestem, vnquam „ prodijsse, quæ scripturæ oraculis, ornare se & tucare „ non tentarit. hoc esse venire in vestibus ouium.] Cum igitur tot millia errorum scripturam deprauent, adulterent, ad improba sensa detorqueant: in Cathedrâ Ecclesiæ suæ stabilem, falli, & fallere nesciam auctoritatem Christus collocauit, & firmauit. Hac ostenditur error omnium, qui impia dogmata ex scripturis contexunt. Plures enim scripturarum expositiones falsæ sunt.

QVÆSTIO II.

An Euangelium S. Ioannis aut alia ferre, sit superstitiosum?

§. 1. BEza eiusdem superstitionis condemnat, qui collo Phylacteria gestant, quibus inscriptum est Euangelium sancti Ioannis, quam magicam superstitionem iam olim ab Antiochenâ Synodo damnatam opinatur expresso nomine φυλακτηρίων. Constat quidem etiam ex Hieronymo hæc aliquando pro ἀπροσωπαίοις vsurpata.

Superstitio Phylacteriorum.

At vero Christus Pharisæos non erroris, aut superstitionis, sed hypocriseos, & vanitatis accusat, qui humanæ laudis ambitione ista ferebant. Imo eo vsq; processerat insania, vt fimbrijs spinas inserrent, quæ incedentes pungerent, & sedentes; quo fugere delicias, sectari vitæ austeritatem viderentur, teste Abulensi. Forte prauâ æmulatione Ioannis Baptistæ, quem ex Camelinâ veste, magnam sanctitatis famam collegisse videbant. Diuersa plane ratio est eorum, qui Euangelij verba, aut res sacratas collo gestant. Principio non id faciunt ad ostentationem sanctitatis, aut gloriam aucupandam: nemo enim horum gestatione sanctus habetur apud orthodoxos, ab aduersarijs vero etiam ridentur, & hypocritæ. superstitiosi que existimantur, qui tale quippiam gestarint. Deinde vt plurimum occultè & sub veste illa geruntur, vt vanæ gloriæ causâ ferri non possit, quod non ostentatur.

Austeritas Pharisæorum.

Hoc vero ratione potest non modò partes; sed integros etiam libros sacros circumferre. nec in eo crimen est, aut superstitio, si bono ac sincero animo fiat. Hoc constitutum est, Exod. 13. 16. Et Deut. 6. 6.

Mandato igitur Dei ista ferebantur vestibus inscripta, aut postibus insculpta. quæ Hebraice טוטפות Totaphoth. Chaldaicè תפילין appellantur. *Hunc autem ritum à domino constitutum*, ipse Beza testatur, *vt esset, velut μνημόσυνον legis, & beneficiorum, quæ Dominus in ipsos contulerat, posteaquam eum à Iudæis contaminatum superstitionibus*: at Christus eos de superstitionibus non accusat, sed vanâ gloriâ.

Quod verò idem comminiscitur, eos in his quasi summam pietatis collocasse; non videtur esse verum, nec n. de tam graui eos crimine Christus reprehendit, & ipsi non pietatis, sed gloriæ intuitu ista faciebant.

Orthodoxi sine superstitione Euangelium S. Ioannis ferunt.

§. 2. Catholici absq; vllâ superstitione Euangelium sancti Ioannis, aliaq; circumferunt. Primum amore Dei, qui salutem per Euangelium dedit: Deinde vt verbum Dei magnificare & meminisse perpetuo assuescant, ac de tanto munere Deo gratias agant. Sic enim etiam solent Principis veneratione, annulo, catenâue gestandâ testari, qui eorũ beneficia habent.

Sanctitas gestationis.

Non enim naturâ suâ gestatio illa est illicita, exfine autem & intentione ferentium sancta & laudabilis esse potest. Hinc etiam, vt experientia docuit, talium hominum deuotionem creberrimè magnis beneficijs Deus prosecutus est. Scribit Emanuel Costa comment. rerum Indicarum, dæmonem illis periammatis pullum Ormutij. Plura recenset noster Thyræus de dæmoniacis. Hæc tamen obseruanda sunt, ne scilicet vim inesse aliquâ apotropæam existimemus, neq; etiam certum euentum esse credamus, sed ad Dei gloriam, religionis, & spei incitamentum ista gestemus, & vicissim Deum nobis propitium speremus.

Error Physicorum.

§. 3. Quæ vero hæretici obijciunt, ad gentilium præsiscinos, apotropæa, & φάσματα pertinent. Quorum vim ex Characteribus, formaq; verborum illiæstimabant. Tutos se bello, gratiosos regibus arbitrabantur. De his Chrysost. hom. 73. in Matth. Basil. in Ps. 45. Et lex Ecclesiæ Can. 1 & 4. 26 q. 5. & Canone vltimo ibidem. Iubent autem ejici clericos de Ecclesiâ, si ista faciant, quod in his omnibus sit ars Dæmonum. Vnde hoc loco B. Isidorus, Imo Antoninus Caracalla hæc supplicijs vetare constituerat, vt testatur Spartianus: & Lucianus in dial. Philost. testis est. Tales erant, quos Vrsarios appellat Balsamon commen. Syn. 6. in Trullo. Hæc igitur superstitiosa damnauit Antiochena Synodus. Iudæi recentiores plurima eiusmodi habent, quorum aliqua recenset noster Delrio Disq. Mag. l. 6. c. 2. sect. 1. q. 1.

Physica vitia.

Nec modo sicut apud dæmonum cultores gentiles inueniuntur, vt apud Aurelianum l. Chron. c. Myrepsum sect. 2. antid. 298. & 405. Marcellum, Aëtium, Columellam; sed etiam recentiores. Paracelsum, Aureolum seu Bombastum, Cornelium Agrippam, aliosque. Horum autem omnium errores ex idololatriâ originem habent. Genios enim suos, & signa quibus illi delectarentur, fingebant; hinc dæmones ἀλεξίκακοι, ἀποτροπαῖοι, ἀποπομπαῖοι φύξιοι, λύσιοι. Et pacta cum illis instituta per amuleta & Phylacteria, ieu conseruatoria confirmabantur: quod semper verum est, & factum. Habebant & Iudæi sua nomina, quæ thalamis aut ostijs inscriberent, quæ à Lilith reginâ Smargad didicisse se ferunt. Erant & Phylacteria serpentis, quę Moses erexit; imagine enim illius se tutos ab incommodis fingebant. Non tamen talia erant Pharisæorũ; nec enim eos Magiæ, aut pacti cum dæmonibus iniri Christus accusat, non taciturus si tam grandi crimine tenerentur. Post Christi mortem maiora apud Iudæos errorum, vitiorumq; incrementa fuerunt. Adeo vt in hodiernum vsq; diem dæmonis ope in Medicinis, alijsq; rebus vtantur. Hinc tot tamq; monstrosa apud eos sunt Angelorum nomina, de quibus multa & erudita præceptor meus Nicolaus Serarius, in 12. Tobiæ. q. 10. 11. 12. 13.

§. 4. Alia superbiæ argumenta: *Amare primos recubitus in cœnis, primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* v. 6. & 7. Omnium igitur operum causa erat eminentiæ appetitus. Hinc enim amor τῆς πρωτοκλισίας, seu vt Syrus habet, ריש סמכא *Risch Samcha, caput accubitus*, est autem dictum à סמב *Semach*, quod est *fulcire*, *sustentare*. Hinc dicitur סמך *Semech* cibus, sustentatio, quod naturæ semper ruentis sit fulcrum. In Synagogis vbi modestiæ, & virtutis certamen esse debuit, ambiebant τὰς πρωτοκαθεδρίας, *primas Cathedras*, Syrus ריש מותבא *Risch mattebe, caput sedendi*, *seu caput sessionum*. In *foro* autem ἐν ταῖς ἀγοραῖς conuentibus publicis, Syrus בשוקא *in platea*

Ambitio primatus.

τὰς salutationes ἀσπασμοὺς, Syriace שלמא pacem; eo enim verbo salutabant. Ambitio autem in salutationibus præcipua cernebatur, vt priores tanquam digniores suis titulis appellarentur.

Denique vocari auebant ab hominibus *Rabbi*. In Græco duplicatur. *Rabbi, Rabbi*, quâ in re salutantis affectus, & bona æstimatio ostendebatur. Syrus, vti nec vulgata versio, non geminat.

Quod nonnulli obseruarunt titulum *Rab* illis dati, qui in Academijs Babylonijs magisteriũ adepti sunt, *Rabbi* autem eos, qui in Israël per manus impositionẽ sapientes declarati sunt. Deniq; רבנין *Rabbenin* sapientes de domo Dauid, mihi friuola distinctio visa est. Nam Rabbi est *magister mẽ*, estq; affixum ὑποκοριστικὸν seu blandientis. Rabbenin autem cum sit numeri pluralis, non recte accommodatur singulis, vti titulus conueniens. Indifferenter itaq; vsurpant, nomen Rab, & Rabbi.

Calumnia Beza. §.5. Beza iniuriâ conuitiatur Ecclesiæ doctoribus, cum ait: *nullâ eos re magis affici, quam cum salutantur Domini magistri nostri: eosq; Pharisæis successisse*. Bullingerus etiam queritur, *Laborari à quibusdam suorum, vt in eorum Ecclesia titulos Doctoratus restituant*. De facto Carostadij aliorumq; satis constat. Equidem inficiari non ausim, vt sunt hominum ad fastum propensa ingenia, in mediâ Ecclesiâ non sine grauissimo illius damno ambitionem residere: grauiorem in illis tamen fuisse, qui per superbiam Ecclesiâ exciderunt. Non tamen doctrinæ est illud, aut religionis sed humanæ corruptionis vitium: nec omnes tales sunt apud nos, nec plures, verum apud hæreticos nemo non talis est. Apud nos aliqui sunt mali, apud illos nulli sunt boni. In Ecclesiâ nostrâ.

Porro tres titulos Christus prohibet. Nempe *Rabbi*, quod Græcus & noster retinuerunt, magnum enim, & magistrum significat, ab eo diuersum est מרבנא *Medabranne*, quod Græcus vertit καθηγητὴς. *dux, doctor, magister*, quod etiam in quibusdam exemplaribus legitur, cum de Christo sermo est, διδάσκαλος. Porro Syrum רבי est *loqui, tollere, præesse*. Deniq; nomen patris etiam vetat.

Patrem, inquit, *nolite vocare super terram*, in plerisq; Græcis est, atq; etiã Syro, ὑμῶν, *vestrum*. Sic Rabbinos ætate prouectiores honoris causa appellabant. Non prohibemur autem magistratui, aut parentibus honorem legitimum deferre, sed titulos ambitiose vel sectari, vel alijs tribuere. Vnus est enim pater Deus, & magister Christus; Chrysostomus vna dictione exponit. Καθάπερ ὁ διδάσκαλος ὃν δεῖ διδάσκαλος πεφηνέναι, *quemadmodum magister, non est magister principaliter*. Nunquam enim quicquam est tribuendum hominibus, quo Dei gloria obscuretur. In his creaturæ nõ tribuitur diuinus honor, cum Deo seruatur principatus. Quomodo titulis vtendum.

VERSVS 13.

Væ autem vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis.

QVÆSTIO I.

Quomodo claudant regnum cœlorum?

§.1. GRauissimum procul dubio delictum, quod cum Doctores essent, quorum officium erat, cunctis aperire regnũ cœlorum, nunc nec ingrediuntur, necalios in limine hærentes intrare sinunt. Claudunt autem veritatem oppugnando, falsam doctrinam proponendo: iam enim conspirauerant Ioan. 9. *ne quis Christum confiteretur*. ita D. Thom. Tostat. Euthym. Claudebant & suis traditionibus contra Dei legem intrusis, vocabant autem סיגלתורה *sig lethora, legis sepimentum*, quod illis seruatis legem violari nõ facile esset. Zuinglius etiam hoc loco conuitio abstinere nequit: *In Papatu doceri homines, ait simulare*: cum nihil magis quam simulatores detestemur. Claudit regnum cœlorum.

VERSVS 14.

Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.

QVÆSTIO I.

Quomodo deuorent domos viduarum?

§.1. HIc versus ab Eusebio, & Origene videtur omissus, in aliis exemplaribus est transpositus. vide annotationes Lucæ Brugens. Duplex porro crimen, vt monet Chrysostomus, committebat. Viduarum domos expilabant, & hoc quidem specie pietatis, τῶς μὲν ἄξιον, inquit Chrysost. πημονῆς ὁ κακὸν ποιῶν, ὁ δὲ καὶ τὴν αἰτίαν ἀπὸ εὐλαβείας λαμβάνων, καὶ προσχήματι ταύτῃ χρώμενος τῆς πονηρίας, πολλῷ χαλεπωτέρας κολάσεως ὑπεύθυνος. *Omnis qui malum agit, pœna dignus est, qui vero causam à pietate sumit, & hac pro prætextu vtitur, multo acrioris vltionis est reus*. Hoc faciebant scribæ, & Pharisæi; nam viduas opinione sanctitatis deceptas spoliabant. περφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, *prætextum longum orantes*, noster videtur legisse, προσευχὴν μακρὰν προσευχόμενοι vel προσευχὰς μακρὰς, *orationes longas orantes*. Quod in Græco ponitur καὶ, &, sensus est, *Comeditis domos viduarum, & quidem orando, hoc est, simulando longas orationes*. Viduas autem prædæ habebant præcipuè, quod illæ pietati addictiores essent, & rerum suarum dominæ. Quidam etiam existimant peccandi impunitatem ab his impostoribus illis promissam. Zuinglius multa Catholicis exprobrat, quasi precibus, & cantu viduas exspolient, cum hactenus viduas alere soleat Ecclesiâ, & illi qui in officio Ecclesiastico primatum tenent, sua ipsi patrimonia pauperibus, & viduis legarint. Hæreticorum est, mulierculas oneratas peccatis in fraudem inducere. Duplex crimen Sacerdotum.

VERSVS 15.

Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus facitis eum duplo filium gehennæ.

QVÆSTIO I.

Quomodo proselytos facerent duplo filios gehennæ?

§.1. MAre circumeunt & aridam: hoc est, terram quam Deus aquis eminere iussit. Græci ξηρὰν vocant, sed dialectus est ex Hebræo. Vocant enim terram יבשה *Iebascha*. Hanc etiam dictionem hic Syrus vsurpat, nisi quod more gentis in fine non ה sed א collocet. Latini imitati sunt. *Exilit in siccum. Rostra tenent siccum*. Proselytos quasi aduentitios, aut accessorios nominabant. Et si quidem bono zelo animas lucrandi tantos itinerum labores suscepissent, supra modum laudabilis eorum esset industria: verum tam operosis conatibus non Dei gloriam, vel animarum salutem quæsitam esse euentus docuit. Non enim ad Iudaismum conuersos cœlo asserebant, sed duplo faciebant filios gehennæ. Cur igitur tantos labores subibant? Primum gloriæ, deinde auaritiæ causâ, conuersionem enim gentium superbè iactabant, & victimas, decimasq; templo inferebant. Aridã. Cur in prosselytis laborarent.

§.2.

§. 2. Quomodo autem duplo redderent filios gehennæ, quærunt interpretes; videntur enim doctores quorũ operâ discipuli corrumpuntur maiore pœnâ digni, quam illi qui seducti sunt. Hilarius idcirco hæc dici, quod omnes post Christi mortem damnarentur, qui in eũ credere nollent. Verùm Christus loquitur de eo tempore, quo ipse prædicabat, & quod antecesserat. Deinde nec scribæ Christo credebant, multo grauiore perfidiâ quam proselyti; hi enim neophyti erant, parum in scripturis versati; scribæ doctores erant, gnari Prophetiarum, odioq; & inuidiâ veritatem agnitâ impugnabant. Quocirca aliam interpretationem idem Hilarius adhibet: nempe quia additi sunt illis, qui Christum crucifixerunt: deinde quia Dei legem cognitam, ac sponte susceptam violarunt. Non tamen ne his quidem apparet, quomodo διπλότερον facti sint filij gehennæ, quàm Pharisæi, & scribæ; hi enim Christi morte procurandâ multo grauius deliquerunt; & legem Dei cognitam transgrediebantur, alijsq; transgrediendi verbo, & facto auctores erant. Christus tamen signanter dicit. *Duplo quam vos*, duplo igitur grauior pœna proselytorum quã scribarum. Hocenim loquendi ratio indicat, Sic loquitur Colũ. l. 1 c. 8. *duplicia ferramenta, quam seruorum numerus.* Causa igitur fuit, quod discipuli magistris duplo redderentur deteriores, occasione accepta, vltra quã exspectari poterat, prouoluebantur. Sic queritur Horatius: patrum *ætatem auis peiorem, posteros tulisse nequiores,*

nox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Cur duplo filij gehennæ.

Proselyti peiores magistris.

Eiusmodi proselyti exemplum Herodes erat, tum omnibus vitijs contaminatissimus, tum etiam ludorũ in Iudæa institutor, & idololatra. Proselyti igitur cognitâ idolorum vanitate, ad veri Dei cultum accedebant, deinde circumcidebantur, legem autem, cũ scribarum corruptelis accipiebant, deinde eorum vitijs offensi, non modo illa imitabantur, verum etiam grauiora cõmittebant, vel ad idololatriã relapsi, vel alijs inquinamentis morum Pharisæos superantes. omnia nempe gentilũ scelera cognitâ Dei lege perpetrando. Ita vt iam à scribis contineri non possent. Ita in familia fieri assolet, vbi dum quædam peccata parentes indulgent, maiora audendi ansam præbent; Ebrietatẽ in filijs non puniunt; quia nec ipsi eam vitant; at illi hinc gradum ad scortationes, adulteria, homicidia, parricidia faciunt. Nunquam enim improbitas consistit, vbi primum cœpit.

§. 3. Catholicos cum Pharisæis in quærendis proselytis Zuinglius comparat. Piscator hoc Societati nostræ tribuit. Prior totam Ecclesiam, alter eius particulam carpit, ille criminatur nos Ecclesiam non puram quærere sed amplam. Hic dolet Gentes conuerti.

Calumnia Zuinglianorum.

Gratia autem Dei, fremente Diaboli inuidiâ, iam recens latissima regna Euangelio impleuit

ab ortu
Solis, ad Hesperium cubile.

Facta est maior accessio paucis annis, quam olim multis, nouorum conuersio populorum, apostasiam hæreticorum suppleuit, veniunt ab oriente & occidente, & recumbunt cum Abraham, Isaac, & Iacob, filij autem regni eijciuntur foras. Nec fiunt filij gehennæ, qui vitia dedocentur, virtute imbuuntur, quorum in fide sinceritatẽ quotidiana docent martyria: ad fidem signis & virtutibus vocantur. Nec numerum tamen duntaxat inspicimus, sed solida fidei, & virtutum fundamenta ponimus. Et mirum profecto est, tantâ esse impudentiam quorundam, vt nobis Ecclesiæ impuritatem obiectare audeant: cum ipsorum Synagoga sit omnium sordium colluuies. Imo protestentur, eos, qui ad Euangelium nouum veniunt, *duplo fieri filios gehennæ.* Luther. Postilla in I. Domin. Aduent. *Et mundus ex hac doctrina indies deterior euadit.* idem testatur in Postill. Eccles. præfat. & Dom. 26. post Trinit. *Antea: cum Ebraei sub Pontificis seductione & falso Dei cultu bona opera iuberentur, omnes vltro prompti, & parati erant; poterat q; vnus princeps, aut vna ciuitas maiores & opulentiores fundationes, & eleemosynas præstare, quam modo omnes reges, & imperatores possunt. Iam enim omnis mundus è contra nihil aliud dicit, quam iniquis exactionibus, manifestis rapinis, furtis, mendaciis, vsuris omnia ad se transferre. Tam insigniter malos fieri necesse est homines, in gratiam Euangelij, cuius virtute ex captiuitate pontificis, in libertatem asserti sunt: vt iam non amplius humano, sed diabolico more omnem misericordiam exuerint.* Et in c. 1. ad Galat. *Euangelicos ait fieri plane porcos, & ventres.* & in c. 5. *Esse suos tam improbos, vt sæpe optet illos adhuc esse sub tyrannide Papæ. Impossibile enim esse hunc populum Gomorrhæ Euangelio pacis regi.* Eadem canit And. Muscul. Dom. I. Aduent. Ioan. Wigandus de bonis & malis Germaniæ. Hedio Epist. ad Melanch. Pluribus Iacob. And. in Euang. Luc. c. 21. conc. 4. Ioan. Spangenbergius ait *illos velle liberos esse à præceptis seruandis.* Bucerus l. 1. de regno Christi, c. 4. *Maximam eorum partem videri id tantum ex Euangelio petijsse, vt iugum quale, cunq; disciplina, pœnitentia & religionis vniuersæ qua in Papatu reliqua fuit, abijcerent.* Videatur Erasm. ad Valturium. Quomodo non ergo filios gehennæ duplo, imo decuplo faciunt, quos ad sua lustra sola licentiæ dulcedine illiciunt.

Imitatores

VERSVS 16. vsq; ad 23.

Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunq; iurauerit per templũ nihil est; qui autem iurauerit in auro templi debet. Stulti & cæci: Quid enim maius est, aurum an templum? &c.

QVÆSTIO I.

Quis scribarum error de iureiurando?

§. 1. DE iureiurando differui alio loco, quod licitum esse, contra anabaptistas, & per creaturas etiam, Dei tamen intuitu, licitum esse ostendi contra quosdam Caluinianos. Quod etiam hoc loco lo. annes Piscator ostendit. Christus enim clarissimè demonstrat, & illo iureiurando nos per Deum iurare, & obligari. v. 20. Ideo v. 17. vocat μωρούς stultos & cæcos qui per aliquas creaturas iuramentum obligare sentiebant, per alias negabant. Quanuis illud μωρούς à quibusdam exemplaribus absit. Quemadmodum enim per cœlum iurat, etiam iurat ἐν τῷ καθημένῳ, vel vt alij codices habent καθοικοῦντι ἐν αὐτῷ, ita qui per quamcunq; iurat creaturam, etiam iurat ἐν τῷ κτίσαντι αὐτὰ, *in creatore illius.*

Iuramentum per creaturas obligat.

Pharisæi si vlla in re aliâ, in hac certe vel maximè se impostores esse demonstrabant, vt qui doctrinam suis lucris æstimarent. *Qui iurat in templo, nihil est,* ἐν ᾧ ὀμνύει ναῷ, hoc est, *per templum*, at qui iurat *per aurum*, ἐν χρυσῷ, Pharus *debet.* ὀφείλει, reus voti est, non autem reus peccati, nam חוֹב, & חוֹבָא non solum peccatum, sed quodlibet debitum est Syris. Magni ergo auri, & doni iuramentum faciebant, vt ita victimas pluris facerent Israëlitæ, & sacri thesauri crescerent. Aurum autem ideo sacrum est, quia per templum consecratum est Deo.

Quod Zuinglius nobis obijcit. Si per Christi vulnera quis iuret, immunem esse à pœnâ. Si per ignem Antonij, in eum vindicari: Ipse iniuriã infert, & calumniatur. Nos iuramenta, seu blasphemias, seu imprecationes per Christi vulnera factas damnamus, itemque per ignem S. Antonij; magistratum etiam ad puniendà delicta obligatum dicimus. Adeo vt vnam ex prima-

Calumnia Zuinglij.

primariis prouinciarum, & principum calamitatum cauſis, recenſeamus blaſphemiarum licentiam.

VERSVS 23. & 24.

Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.

QVÆSTIO I.

Quomodo decimabant mentam & anethum?

§. 1. VErbum Græcum ἀποδεκατόω eſt verbum ambiguum, nã dare, & accipere decimas ſignificat, quemadmodum & Hebræum עשר ita 1. Reg. 8. & Gen. 28. Dabant autem Phariſæi & ſcribæ decimas Leuitis & Sacerdotibus, qui Leuitæ, aut Sacerdotes non erant. Leuitæ ſacerdotibus, hi ſummo pontifici. Eas autem minutim & accuratè, ſed uegligebant alia maiora: iudicium, miſericordiam, fidem. Perinde ac ſi quis fundos alienos corrupto iudice obtineat, pupillos crudeliter expellat, pactis conuentis ſtare nolit, interim cereum Eccleſiæ offerat.

Decimæ ſolebant ſolui de rebus minimis.

§. 2. An rerum exiguarum decimas dare tenerentur diſputant interpretes. Lyranus, Salm. Ianſen. negant de tam paruis legem eſſe latam. Toletus alijque uerius affirmant. Nam Chriſtus aſſerit. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* & ſatis conſtat, ex Leuit. 27. Num. 18. Deut. 14. & 26. Vbi omnium humo naſcentium decimæ imperantur. Sed hanc diſputationem ad illa loca remitto.

§. 3. Chriſti inſtitutum eſt, vt hypocriſin oſtendat, in leuibus obſeruationem legis ſimulantē, in magnis, vbi operæ precium fraudis eſſe videtur, præuaricantē. Quæ etiam prouerbiali locutione exponit cum ait: *Culicem excolare, Camelum deglutire.* Vel vt in Syro eſt, plurali numero, *Culices, & Camelos.* Qui per Camelum funem nauticum intelligunt, aberrant: nam per iota ſcribitur cum illam ſignificationem habet. Deinde maiorem analogiam horũ animalium collatio habet.

§. 3. Bellarminus l. 1. c. 9. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati ex hoc loco probat aliqua eſſe peccata venialia. Quædam peccata culicibus, quædam Camelis compatantur, inter quæ nulla fere eſt comparatio. » Contrà Pareus inſurgit. [Quis culicem hunc non ri» deat? Tot vitia conſecutionis ſunt, quot vocabula. » Allegoria, ὁμωνυμία, aſſumptio falſa eſt. Neq; enim » Dominus prouerbiali dicto proportionem inſtituit » peccatorum, ſed Phariſæorum taxat hypocriſin, quod » in cærimonialibus legis minoribus, omnem religio» nem ponerent, moralia grauiora ſecurè negligerent.] Ne ride lector culicem, non eſt dignus tuo cachinno, maior tidendi in aduerſario materia, qui nobis ex Græco κάμηλος, & Syro גמלא fecit Elephantem, ita enim textum allegat. Ne eum in Hecubam μελαμορφωθῆναι miremur. Collatio eſt peccatorum, qui in minutis anxij, præcipua ex profeſſo negligunt, comparatur ergo minutorum peccatorum fuga anxia, cum præcipuorum neglectu, itaq; proportio peccatorum inſtituitur. Aug. l. 1. q. Euang. cap. 55. *Minima obſeruatione maxima contemnitis.* Eodem modo D. Hieronymus, & ex illo Iunius & Tremellius. *Similitudo ab iis, qui ſi in vinum culex forte inciderit, colant potum ne hauſtu minimi inſecti ſtrangulentur, cum interim ſolidum Camelum certo exitio intercluſa gula glutiant.* Culex naturâ ſuâ cum vino hauſtus, etſi nauſeam pariat, non tamen vitæ perniciem adfert: Camelum ſine certâ morte nemo vorarit. Culex igitur venialia, Camelus mortalia ſignificat. Iunius & Tremellius prouerbialem volunt eſſe ſententiam, qua pulchrè exprimatur putida in rebus minutis hypocritarum anxietas. Verum non eſt putida illa cura ſeruandi minora mandata, cauendi delicta leuiora, minimè Caluiniſtis, quibus & illa minuta ſunt mortalia. Non igitur reprehenditur ſollicitudo minorum, ſed exprobratur neglectus maiorum. *Hæc oportebat facere, & illa non omittere.* Quod ſi putida eſt ſollicitudo, non poſſunt eſſe mortalia; neque enim putide anxius eſt, qui peccata, quæ ignis æterni obnoxium cruciatibus faciunt, ſerio fugiunt.

VERSVS 25. & ſequentes.

Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis. intus autem eſtis pleni rapina & immunditia, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo externa mundant, interna minime?

§. 1. DVplici ſimilitudine Phariſæorum hypocriſin ante oculos ponit. Extima enim paropſidis ſeu calicis emundant. Pro paropſide Syrus habet; *quæ ſunt anſæ.* ורזבירא *Vedazbara*, vbi eſt poſitū ו pro ר vt ſit gabata vas, ſunt exemplaria, quæ habent ἐν πατίναις, Beza *patinam* dicere maluit, cum ſit nomen paropſidis Latinis etiam vſitatum. Contra ergo faciunt, quam natura exigat, Phariſæi; In ſupellectile quâ cibus miniſtratur, interior mundities quæritur, nigror ollæ exterior nauſeam nullam parit: at ſi intus ſordes animaduertantur, etiam delicatiſſima faſtidio ſunt. Non abſimile eſt Dei de hominis puritate iudicium, ſi animus ſit putus, ille præſtantiſſimus Dei cultus eſt; mundiciem ex illo ſacrario actiones ſuam trahunt. *Similitudine hypocriſin exponit.*

At Phariſæi exterius compoſiti, modeſti, largi, deuoti apparebant, intus γέμουσι, *pleni ſunt* ἀδικίας iniuſtitiâ, vbi alij habent ἁρπαγῆς, intemperantiâ, alij ἀκαθαρσίας immunditiâ Foris aurum erant, intus lutum.

Altera ſimilitudo eſt ſepulchrorum dealbatorum κεκονιαμένων, hoc eſt tectorio inductorum, quæ intus plena ſunt oſſibus mortuorum. Magna apud Iudæos ſepulchrorum erat cura, quam Chriſtus non reprehendit, ſed quales illi ſint oſtendit.

§. 2. Noluit Chriſtus monumenta, aut oſſa ſanctorum hac comparatione contemni, vt hoc loco fingunt hæretici. Quamuis enim oſſa ſanctorum, ſint oſſa mortuorum, ſunt tamen & oſſa viuentium cum Deo, ſunt templa gratiæ, & quemadmodum eſt pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, ita & cadauera, quorum omnes pilos Deus in numerato habet, vt corpus reſuſcitet, & gloriâ circumdet. Reſpondet vero illis S. Iuſtin. q. 28. *Mortuorum corporum cadauera & eorum ſepulcra abominationi ſunt, propter conſequentem graueolentiam, nam ſi omnino propter mortalitatem abominationi eſſent defunctorum corpora, non oporteret animantium morticinorum partes accomodare ad viuentium vſum, vt pelles, cornua, pilos, bilem, adipem, carnes: quæ nulla ratione ex eâ, quæ illis adeſt eximi poſſunt mortalitate. Quod ſi hæc quoq; ſunt emortua minus tamē deteſtationi ſubiecta, propter eorum vſum: quomodo multo abſurdiſſimum non eſt, pura qui ē iſta vſus eorum gratia exiſtimari; abominationi verò Græcorũ, ſubdita eſſe Sanctorũ corpora, & ſepulchra Martyrũ? quæ & Dæmonum amoliuntur inſidias, & morborũ* *Oſſa ſanctorum non contemnenda.*

ab arte

ab arte medica comploratarum conferunt fanationes. Comparauit autem Dominus perfidiam Phariseorum pietatem, sepulchris dealbatis: quoniam ut sicuti viuorum sensu abominabilis est exanguium corporum fetor & spurcicies, sic & illorum iniquitas detestabilis est piorum sententiæ: quæ quodammodo ipsorum animi est mortalitas, grauiolentia & impuritas. Quemadmodum enim per diuortium animæ à corpore mortuum fœtidum, & immundum corpus est: ita si ab anima secedat Dei timor, exsanguis est & maleolens & impura anima.

Consentiunt sanctissimo martyri Augustinus contra Faustum l. 2. c. 21. de Ciuit. Dei l. 8 c. 27. & l. 22. c. 8. Chrysost. hom. 66. ad populum. *Sanctorum ossa dæmones fistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Et cinis & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant.* Merito igitur illa nos honoramus, ad quæ dæmones, Principes, & rectores mundi tenebrarum harum contremiscunt. Atq; inde colligimus, quanta sit sanctorum in cœlo futura potestas, quorum pulueres, & putredines aëreis potestatibus dominantur, quæ nondum sentire possunt, animum autem & immortalitatem extremâ die recipient.

Vis à Deo data reliquiis.

VERSVS 29. 30. 31.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis. Si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.

QVÆSTIO I.

Cur ædificent sepulchra Prophetarum?

§. 1. LAudabile videtur Prophetarum & Martyrum excitare sepulchra. Nam Mausoleis eorum non modò defunctorum memoria colitur, sed ad imitationem animi excitantur: fidei professionem edimus, eorum qui eos occiderunt perfidiam & crudelitatem detestamur.

Mirum igitur videtur Pharisæos hanc ob causam reprehendi; Præsertim cum clarè & palam protestarentur non futuros se socios fuisse patribus suis in sanguine Prophetarum. Maior est ex Luca c. 11. 48. difficultas. *Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Quomodo vero ista cohærent? Sepulchro honorare occisos, & neci consentire? Chrysostomus sepulchra excitasse existimat, vt vires animosq; maiorum ostentarent. *Non quia ædificant, nec quia patres suos accusant verbis dixit: sed quoniam ita facientes, & ita dicentes, patres suos se condemnare simulabant, cum ipsi peiora committerent.* Certè si id quod re verâ ex operibus colligi debuit, non alienum est, quod interpretatur. Dominum enim Prophetarum, cultores Prophetarum occiderunt.

Maiores verbo damnunt, factis laudant.

Amb. Luc. 11. *Non ædificatio, sed æmulatio, hoc est, imitatio, loco criminis æstimatur.* Maldonatus ideo ista dici, quod sepulchri exstructio tam pertineat ad abolendam, quam retinendam occisi memoriam: latrones enim sepeliunt occisos, ne inueniantur. Verum est sepulturam esse quandam occultationem, & memoriæ abolendæ idoneam, qua mente Ægyptium Moses fabulo abscondit. Non eo tamen animo sepulchra veterâ restaurabant, & noua struebant; erant enim conspicua, & Prophetarum inscriptiones habebant.

§. 2. Mihi hæc certa sunt. Primo, eos sepulchra ædificasse Prophetarum, vt pietatis amantes viderentur; & eorum qui occiderunt crudelitatem detestati. Hæc enim illi profitentur. Secundo, eodem facto duo testatos; quorum vnum hoc loco, alterum apud Lucam Christus exprobrat. Hoc loco eos fateri se esse filios eorum, qui Prophetas occiderunt. quod planum est. Apud Lucam vero. Eos testificari sepulchrorum exstructione, quod consentiant interfectoribus Prophetarum. Hoc Pharisæi negabant, necesse videbatur. Verum Christus ex circumstantiâ, & animis eorum perspectis argumentum solidum ducit. Cum seruos Dei ad vos missos occidatis, vt Ioannem Baptistam, eos qui Euangelio credunt, Synagogis excludatis, me occidere velitis, etiâ Lazaro quem à morte suscitaui, alteram necem machinemini, idq; quia flagitia vestra reprehenduntur, quia ad Deum purè colendum vocamini; certissimum est, non pietatis vos causa exornare sepulchra Prophetarum. Si enim vobis fides, religio, Dei cultus cordi esset, Prophetas viuos, imo dominum Prophetarum non occideretis. Non est verum, quod profertis, elogium; *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum*: iam enim estis in diebus vestris, & tamen cæco furore duces estis in fundendo sanguine iustorum. Hinc quidem manifesto probat, illam exornationem monumentorum, non esse pietatis indicium. Sed & alterum consequitur. Illo ipso sepulchrorum ambitioso ornatu potius eos conuinci, ab illis probari parentum occidentium perfidiam immanitatem, quam Prophetarum constantiam, & fidem. Eadem enim ob causas suos Prophetas, & veteres, & qui tum viuebant, Iudæi occiderunt: Non igitur eâ de causa Isaiam honorabant sepulchro, ob quam Baptistam decollabant in carcere. Christum vitia increpantem tradunt Pilato quomodo igitur Ieremiam eadem adhuc damnantem scripto, scribæ monumento condecorant? Probant ergo factis parentum facta, dum easdem ob causas atrocius in seruos Dei sæuiunt; atq; adeo in dominum, ob quas maiores in Prophetas exarserunt, eademq; vitia contra eos tuentur. Facta igitur verbis contraria erant: cum occidendo sanctos alios, aliorum vero in eadem causa sepulchra ornando, trophæum de omnibus statuerent. Imo si redijuuus Isaias, aut Ieremias ea in Pharisæos dixissent, quæ olim in sui temporis Israëlitas intonabant, non minus in eos, quàm parentes eorum fecerunt, crudeles fuissent. Cæsar, viso Pompei abscisso capite, ingemuit.

Lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemituq; expressit pectore lato.

Quis credidit honori generi hoc tributum, & non potius gaudij lacrymas fuisse; cum amicos Pompei, & filios terrâ, mariq; persequeretur? Et si magno Cæsare eo tempore Mausolæum struxisset, cui dubium esse poterat, id potius Cæsaris trophæum, & victoriæ; quàm Pompei monumentum fuisse? Sic hi quidem verbis memoriam Prophetarum commendabant, factis homicidas parentes laudabant.

Nec in Pharisæis hoc nouum aut mirum, quotidie in mundo agitur. Laudant Nathanem qui Dauidē de adulterio monuit; mirantur Eliam, qui Achabo vineæ rapinam, & Nabothi necem exprobrauit. Ipsum Theodosium obstupescunt, qui Ambrosio obtemperarit: At si quis alicuius potentis fastum, vsuras, libidines, reprehendat, protinus in furorē aguntur, facturi idem Nathani, Eliæ, Ambrosio; si molesti esse pergerent. Sanctorum mortuorum se fingunt amicos, viuorum sunt hostes. Nec amici tamen illorum innocentiæ, sed silentio, à quo sibi non metuunt.

VER-

VERSVS 35.

Vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.

QVÆSTIO I.

Quomodo venturus sanguis omnium super Pharisæos?

§. 1. QVomodo hoc intelligendum sit, non est facile statuere. Non enim delicta maiorum immeriti luere debent Pharisæi. Quanquam autem ipsi maiorum sint imitatores, satis tamen pro suis peccatis pœnarum dati sunt, vt nihil opus sit alienas culpas præstare, propriis nimium infelices. Omnium interpretationes eo tendunt, vt indicent non puniri posteros ob peccata maiorum, sed vt alio modo aliquo probabili sententiam exponant.

Palatius. Omnium cædium pœnas daturos Pharisæos, à sanguine minimi, vsque ad sanguinem maximi. Alii omnem pœnam debitam occisoribus iustorum eos subituros. Alii tantum scelus occiso Christo Iudæos admisisse, ac si omnes iustos trucidassent. Alii ideo grauiores pœnas daturos, quia post tot exempla peccassent. Equidem illæ sententiæ grauius puniendos indicant, quod tamen non satis indicat, quomodo sanguis præcedentium cædium super eos veniat. De externa igitur pœna, & publica, quam post annos triginta octo, & antecedentibus cladibus luerunt intelligo. Ante suas quisque dedit pœnas, nunc & suas quisque, & omnes in communi, perdita republica, & gente excisa. Cum subito in vrbe aliqua grauiter peccatur, non statim illa exscinditur, sed exspectatur emendatio, at cum longa serie maiores improbi fuerût, manetq; eadem in posteris obstinatio, tandem quasi completis iniquitatibus euertitur, quod contingit, sine eorum qui puniuntur iniuria, non enim quisquam grauius, quam pro merito punitur, sed dum omnes puniuntur, desinit respublica; quod si maiorum fuisset vita melior forte nondum finis aduenisset. Itaq; non parcitur ciuitati iam dudum peccatrici, cui maiorum respectu parci poterat. Diluuium exiguo tempore omnes abstulit, non omnes tamen grauius puniri sunt, quam peccatores, qui variis casibus ante cataclysmum interierunt, sed super eos omnia præcedentium peccata dicuntur venisse: quia post humani generis inemendabilem malitiam visum est publicam pœnam expetere, & delere prauam generationem, vt sequentes metu pœnarum flagitiis abstineant.

QVÆSTIO II.

Quis Zacharias?

§. 1. FIlium Barachiæ appellat. Coniecturæ incertæ sunt, ideo breuis ero. Constat insignem aliquem fuisse Prophetam, à Iudæis occisum; alii Patrem Ioannis Baptistæ opinantur, & causas, historiasque non probabiles adferunt. Alii Zachariam, qui inter minores Prophetas numeratur. Alii Zachariam filium Ioiadæ. Verum cum primum nominet Abelem, consentaneum fuit, vltimum nominare, non in alio intermedio sistere, nam post duos illos Zacharias in Scriptura nobiles, alii Prophetæ & iusti occisi sunt. De hac quæstione in libris Regum, & præfat. ad Zachariam disputationes vide.

VERSVS 37.

Ierusalem Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, sub alas, sed noluisti?

QVÆSTIO I.

Quomodo voluit congregare filios Ierusalem?

§. 1. AMorem erga homines suum similitudine matris tenerrime pullos suos amantis significare voluit, vt ostenderet, tam multorum exitia, non ex se esse, sed improbitate inobedientium Iudæorum. Voluit ille, sed noluerunt illi: Caluinus hinc de arcano Dei consilio quicquam colligi negat. Piscator, de voluntate humanâ Christi, interpretatur. Bullingerus ex eadem sectâ sed prior, non Christum modo, sed Deum etiam Antechristi in carne tempora congregare voluisse fatetur, itaq; etiam de diuina voluntate sermonem esse non negat. Caluinus, *Simulac doctrina eius in medium profertur, Deum omnes velle colligere.* sic & Bulling. *non de arcano eius consilio, sed effectu cogitandum.* Impia etiam Zanchii est opinio. *Ergo alij,* inquit, *omnium hominum sunt prædestinati ad Euangelion audiendũ, ideoq; ad salutem consequendam: alij prædestinati ad non audiendum, ideoq; ad mortem.* At vero Christus se colligere voluisse, eos noluisse, nullum excluſit, quem colligere noluerit, cui sinum misericordiæ claudere noluerit, nisi qui in eo recondi noluit. At cur non factum est, quod voluit? Quia ita voluit, si & illi vellent, suam voluntatem noluit esse nostræ voluntatis necessitatem. Nec â nostra tamen voluntate Dei voluntas pendet: sed ea efficax est cum ita per gratiam mouet nostram, vt consentiat; ac tum infallibilis est effectus conuersionis, cum absoluta voluntate beneplaciti, & vocat, & venire vocatos vult. Qui igitur voluntate antecedente omnes vult saluos fieri, idem etiam omnes congregare vult sub alas.

Amor Christi in nos.

Hæreticorũ placita.

§. 2. Hinc luce clarius apparet gratiam sufficientem ab efficaci distingui, qui enim vocati sunt sub alas, subire eas potuerunt, sine gratiâ sufficiente non potuerunt. Quia tamen non venerunt, gratiam efficacem non acceperunt. Vide Bellarm. lib. 1. c. 11. de gratia, & libero arbitrio.

Gratia sufficiens & efficax.

§. 3. Hinc etiam liberum arbitrium non modo Bellarminus probat, lib. 5. c. 22. & l. 6. c. 26. verum etiam Irenæus l. 4. c. 71. Quid enim clarius dici potuit? Volui congregare, & noluistis? Certè qui nolle voluerunt, etiam velle poterant, quod nisi potuissent, non exprobraret illis Christus contumaciam, qua renuerunt, sed miseriam subleuaret, qua impediti non potuerunt, viresque volendi dedisset.

Liberum arbitrium.

Liberum vero arbitrium etiam posteriores sectarii vi veritatis adacti comprobarunt. Ita Beza lib. 1. quæstio. & respon. συνεργεῖν nostram voluntatem asserit, & Amlingus, aliiq; quos odiosè idcirco Lutherani Stoïci appellant Synergistas, qui fuêre olim primarii Theologi Wittenbergæ, aliorum factione potentiore pulsi. Eandem veritatem recens Arminiani in Hollandia cum aliis articulis amplexi sunt, vt iam non sit, nisi cum imperitioribus, & in concepta præceptorum opinione suorum ideo obstinatioribus, controuersia.

* *
*

VERSVS 39.

Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit nomine Domini.

QVÆSTIO I.

Venturus est ad iudicium.

§.1. AModo, inquit, ἀπ' ἄρτι, & Syrus מן השׁתא *men haſcha kadma.* Ab eo igitur tempore, quo loquebatur, & quod paulò post secururum erat, hoc est à passione visuri non erant, vsque ad diem iudicii. Quando fideles dicturi erant, benedictus qui venit in nomine Domini, idque magno affectu, gaudioque, improbi vero tristes, & malis domiti. Nunc præsentem salutem contemnunt, olim frustra desideraturi. Etrant qui ante diem qua Ieroso ymas ingressus est, hæc à Christo dicta arbitrantur, ideoq; ad populi illum plausum referunt. Verum constat ista cum superioribus continuari, & post ingressum dicta. Vide Augustinum de concord. Euang. & Cyrillum hoc loco, & Theophyl. atque adeo Chrysostomum, qui ad diem Iudicii extremum ista referunt. Hieronymiani commentarii est mystica interpretatio, de aduentu in animam fidelem. Hæc vero minatur, vt prædictionem de Ieroſolymorum destructione veram ostendat.

CAPVT XXIV.

Mar.13.a.1. Luc.21.b.5. Luc.19.g.44. Eph.5.b.6. Col.2.d.18. Ioan.15.c. 20.& 16.a.2 Sup.10.c.17. Luc.21.c.11 Ma.12.b.14 Lu.21.d.20 Dan.9.g.27 Act.1.b.12. Mar.13.c.21 Lu.17.c.23. Luc.17.g.6 Ma 13 c.24 Lu.21.c.25. Ezech.52. b.7. Isa.13.b.10. Ioel.3.c.15. Apoc.1.b.7. 1.Cor.15.g. 52. Mar.13.d.31 Luc 17.f. 26. Gen.7.b.5. 1.Thes.4. d.17. Mar.13.d.12 Lu.12.c.39. Apo.16.c.15 Sup.13.f.42 Inf.25.c.30.

ET egressus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. 2. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. 3. Sedente autem eo super Montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? 4. Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat. 5. multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent. 6. Audituri enim estis prælia, & opiniones prælium. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. 7. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. 8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. 9. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. 11. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. 12. Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 13. qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. 14. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus? & tunc veniet consummatio. 15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stante in hoc loco sancto, qui legit, intelligat: 16. tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: 17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: 18. & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. 19. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. 20. Orate autem vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho. 21. erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. 22. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. 25. Ecce prædixi vobis. 26. Si ergo dixerint vobis. Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. 28. Vbicunq; erit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. 30. & tunc parebit signum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate. 31. Et mittet angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum. 32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia prope est æstas: 33. ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 36. De die autem illa, & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater. 37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus Filij hominis. 38. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, & nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam. 39. Et non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. 40. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur. 41. Duæ molentes in mola: vna assumetur, & vna relinquetur. 42. Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique & non sineret perfodi domum suam. 44. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. 45. Quis putas, est fidelis seruus, & prudens quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? 46. Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. 48. Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, 49. Et cœperit percutere seruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis; 50. Veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat: 51. Et diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & stridor dentium.

IN CA-

IN CAPVT VICESIMVM QVARTVM

ARGVMENTVM.

STENSO templi robore, & magnificentiâ, eius ac gentis ruinam, totiusque mundi interitum prædicit: & signa præcedentia commemorat, bellum, famem, pestem, terræmotus, persecutionem, Euangelii toto mundo prædicationem. Deinde quæ proxima futura sunt extremo iudicio, obscurationem Solis, & Lunæ, adeoque aduentum filii hominis; à ficu parabolam sumere monet, quæ signa præbet æstatis. Diem illum ignotum esse asserit, & incautos ac securos oppressurum, vt factum est diluuii tempore. Ideo paratos stare omnes iubet, idq; exemplo serui fidelis, & improbi exponit.

Syriaca Ecclesia versus 36. legit ad vesperam Festo S. Crucis. Hoc est enim צליבא *Zeliba.* Nam de Cruce & persecutionibus sustinendis agitur, & vero versu 30. dicitur signum Filii hominis in cœlo appariturum.

A vers. 36. ad 45. est lectio defunctorum. Inde ad finem est lectio dominicæ sacerdotum, quæ & in Latinâ Ecclesiâ legitur diebus Festis confessorum Pontificum.

VERSVS 1.

Et egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi.

QVÆSTIO I.

Cur nunc templi structuram ostendunt?

§. 1. CVm præcedentibus historiam continuari; ex Marc. 13. Luc. 21. manifestum est. Egresso igitur Domino, quod docendo fatigatus esset, & iam requiem aliquam natura postularet, accedunt discipulorum tres, & ostendunt, οἰκοδομὰς substructiones templi: imo lapidum mirantur magnitudinem, vti ipsa apud Lucam ἀναθήμασι. Idque in ipso itinere: In Græco est nonnulla differentia verborum, sine vlla iniuria sensus; quædam habent ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐπορεύετο, aliæ exemplaria verbum præponunt. Syrus eodem modo, sed paulum mutatâ constructione לאתרא *Lemixal; abeundum.* Nunc causæ peculiares interrogandi fuerunt: Non quidem ipsa magnificentia templi, licet lapides essent longi quindenos, lati duodenos pedes, omnia inaurata & ornata, vt nihil quod oculos delectare posset, deesse videretur, dena enim millia artificum peritissimorum vt Ioseph. l. 6. c. 6. Belli Iudaici tradit octo solidos annos in eo elaborarunt. Non erat illa causa; millies enim templum spectarunt. Multo minus mirati sunt lapidum congeriem, aut, vt Caluinus suspicatur, leuitate à seriis cogitationibus abducti sunt, vt illos Zwinglius criminatur. Verum cum à Domino audissent: *Relinquetur vobis domus vestra deserta;* commiseratione quadam commouebantur, cum domum Dei deserendam, ac proinde vrbem exscindendam cognoscerent. Non est amor ille patriæ, & diuini honoris zelus in vllo culpandus: Nam si de suarum possessionum detrimentis dolerent, potuerit fortsitan maleuola suspicio hæreticorum illis obiectare mollitiem, nunc ad exitium patrii templi, atque aduersorum eos ingemiscere, & cum dolore Domino offendere, nulla culpa est. Duri & ἀστοργοι esset siccis oculis ista intueri. Cicero doliturum se profitetur, si vel post dena annorum millia sciret barbaram aliquã gentem Romã potituram, & non liceret de sanctificatione Domini profanatâ dolere Apostolis? Audiendus igitur potius Hilarius, qui non ambitione templi motos Apostolos, sed charitate gentis suæ, ostendisse sanctitatium docet. Equidem si Dauidis lachrymas miramur, quod ab inimicis suis exulare coactus, factis patriis careret, cur non similis dolor in Apostolis laudabilis est?

§. 2. Quærere tamen operæ precium est; cur Sectarii nodum in scirpo quærant; & tantopere laborent, vt discipulorum factum condemnent? Equidem facile ex eorũ scriptis Satanę ingeniũ se prodit. Zwinglius eos, leues, carnales, infirmos, oscitantes esse ait. Bullingerus Zwinglii successor; duas causas adducit, vel quod verbem exscindendam audissent, vel quod pro imbecillitate, vanitate, & stultitiâ humanam ingenii plus admirati terrena quam cœlestia, pueriliter despuerint. Caluinus oculos templi fulgore præstrictos fuisse ait, vt lapidum congeriem Domino obiectarent. *Hæretici in Apostolos tur maledici.*

[Non secus atque hodie multos reperire licet, qui vehementius ad splendorem, & luxum illum templorum Papisticum commouentur, quam viuâ verbi Dei prædicatione. *Et Caluinus.* Talis etiam Papatus admiratio multos simplices hodie detinet, cum maximis opibus, ingentique potentiâ instructum videant, protinus obstupescunt.]

Hinc illa conuitia in Apostolos, quia inuictum Catholicorum simplicium argumenta dissoluere nequeunt, nisi discipulis Domini maledicant. Vident in Ecclesia Catholica vetusta templa, altaria, calices, earũ auctores, & exstructores Pontifices, Reges, Respublicas, imo confessores & Martyres, notunt in illis ritum, & doctrinam à sua diuersam fuisse, nullum toto orbe sacellum fuisse, quod Caluinismum reciperet, hinc templa nostra tanquam suæ nouitatis indicia è medio sublata percupiunt. Nam vnde tu veteri ædi nouam doctrinam infers? nonne ipsa clamant templa nostram esse possessionem religionis? Spurium esse, quod aduentitium est? Cur possessionem eripere tentatis? vestra vos conscientia condemnat, & spolii conuincit. Hanc ergo rationem cum orthodoxi tanquam auiti fundi possessionem tueantur, & cùm Pseudoprophetæ consurgunt, & tradere templa sibi nostra postulant, eos inter se committant, vt mutuo consensu statuant, cui sectiunculæ ex tot competitricibus sectis ea cedenda sint. De templo vide Origen. Chrysost. Hilarium, Iosephum loco citato, & lib. 15. c. 14. antiq. Multa etiam Ribera noster, & deinde Baradius eruditissime collegerunt. *Nostri templa hæreticos confutant.*

VERSVS 2.

Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non reliquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

QVÆSTIO I.

Qualis templi fuerit euersio?

Textus Latinus defensus.

§. 1. INter Græcum & Latinum textum est nonnulla diuersitas. Latinus habet: *Ipse autem respondens dixit illis.* Græcus: ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς. *Iesus vero dixit illis.* Noster ergo legit; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς. Erasmus admodum nostrum interpretem sed immeritum carpit; quod respondere non posset Dominus, cum nihil rogassent. Verum Beza nostram versionem approbat: & sese Erasmus redarguit, ipse enim fatetur: Hebræos crebro verbum respondendi in principio collocare, licet nullum colloquium præcesserit. *Videtis hæc omnia,* inquit Dominus, in Græcis est varia lectio. Codices multi habent, ὑ βλέπετε, *non videtis?* vt etiam Syrus. alii negationem omittunt.

Lapis non manet super lapidem.

§. 2. Responsum Domini præcisum est, & durum; *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Destructio, non omnium lapidum est confractio, sed dissolutio, ὃς ὐ μὴ καταλυθήσεται; *qui non dissoluatur,* sic enim ædificium destruitur: monet autem Tostatus non loqui Christum de comminutione, sed dissolutione; quamuis in ea dissolutione cum lapides maximi, & artificiosè cæsi fuerint, non est dubium fractos, eorum angulos & eminentias, mutuo collisu. Nolim itaque hyperbolen hoc loco comminisci, vt eo loquendi modo tantummodo dicatur templum penitus euersum; non anxiè quærendum an omnia ita diruta fuerint, vt non maneret lapis super lapidem. Nam in tam seria assueratione cum nihil sit, quod tropum agnoscere cogat, textus propriè accipiendus est. Et historiæ sanè consentiunt. Narrat Iosephus l. 7. de bello, c. 18. à militibus diuino quodam impetu templum euersum. *Tandem,* ait, *Postquam vero quos occideret, quidue raperet exercitus, non haberet, & iubet eos Cæsar, totam funditus eruere iam ciuitatem, ac Templum.*

Templum penitus destructum.

Postea vero Iuliani tempore, cum nouum Iudæi templum erigere conarentur, suis manibus priora diruerunt, vide Chrysostomū contra Iudæos. Quæ vero superesse videbantur, terræmotu dissipata sunt, & ignibus vndiq; emicantibus Iudæi territi aufugerunt. Consulas & Nazianzenum, contra Iulianum, qui illi exprobrat in erigendo Iudaismo conatum, qui eo tendebat, vt religionem Christianā premeret. Cum verò postea fuerit noua ciuitas in vicino exstructa, quæ Ælia dicta est, cui dubium esse potest, veteris ruinæ saxis vsos esse ædificatores? Omnia enim fundamenta erutta sunt, Theophylactus, Eusebius, Chrysostomus, Orosius libro 7. Theodo. libro 3. capite 20. Iudæi eo consilio diruebant, vt postea restaurarent nouis fundamentis positis, sed diuino consilio, omnia dispata sunt, multis insuper prodigiis & portentis editis.

Miraculum in diruendo Templo.

Templum euersum ob Christi mortem.

§. 3. Causæ porro cur omnino demoliri illam molē Dominus voluerit plures fuerunt. Primaria est, mors Christo illata, & gentis perituræ improbitas ac nequitia. Deinde vt cærimoniæ veteres penitus abrogarentur, nec locus esset, vbi victimas immolarent inaniter, postquam vna oblatione Christus in æternum consummauit omnia. Periculum enim erat, ne infirmiores aspectu templi, & cærimoniarum commoti, difficilius Christo nomen darent. vt Beda, Remigius, alii monent. Nec iam opus erat victimis typicis, postquam veritas aduenit. frustra autem tam sumptuosa staret moles, si nullus eius fuisset vsus. Imo si templum euersum non fuisset, cui dubium esse potest à Gentribus alicui Idolo consecrandum fuisse? S. Augustinus enarr. in Psalm. 64. *Factum est, completis septuaginta annis restitutum est templum quod deletum erat: & regressa est de captiuitate magna pars illius populi. Sed quoniam dicit Apostolus:* Hæc in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obuenit: *debemus & nos posse prius captiuitatem nostram, deinde liberationem nostram, debemus nosse Babyloniam, in qua captiui sumus, & Hierusalem, ad cuius reditum suspiramus. Istæ quippe duæ ciuitates, secundum literam reuera duæ sunt ciuitates. Et illa quidem Hierusalem modò à Iudæis non incolitur: post crucifixum enim Dominum vindicatum est in illos flagello magno, & eradicati ab eo loco, vbi impia libertate furiosi aduersus medicum insanierant, dispersi sunt per omnes gentes, & data est illa terra Christianis. Impletum est illud, quod de his prædixerat Dominus:* Præterea auferetur à vobis regnum & dabitur genti facienti Iustitiam. *Cum autem viderent tunc multas turbas ire post Dominum prædicantem regnum cœlorum, & mirabilia facientem, dixerunt Principes illius ciuitatis:* Si dimiserimus eum, omnes ibunt post illum, & venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. *Ne locum perderent, Dominum occiderunt: & ideo perdiderunt, quia occiderunt. Ciuitas ergo quædam illa terrena, ciuis Sion ciuitatis æternæ in cœlis vmbram gerebat. At vbi capit illa quæ significabatur, euidenter prædicari, vmbra qua significabatur, deiecta est: propterea ibi modò templum non est, quod fabricatum fuerat in imaginem futuri corporis Domini.*

Et in Psalm. 130. *In hoc templo, vt dixi, rogatur Deus, & exaudit in Spiritu & veritate: non in illo corporali. Nam illic vmbra erat in qua demonstraretur quod venturum erat. Ideò illud iam cecidit. Cecidit ergo domus orationis nostræ? Absit, Non enim illud templum quod cecidit hoc potuit dici domus orationis, de qua dictum est:* Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. *Audistis enim quid dixerit Dominus Iesus Christus: Scriptum est:* Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem feciſtis eam speluncam latronum. *Nunquid illi, qui voluerunt facere domum Dei speluncam latronum, fecerunt, vt rueret templum? Sic & illi qui malè viuunt in Ecclesia Catholica, quantum in ipsis est volunt facere speluncam latronum, nec ideo euertunt templum.*

Ipsi igitur templum destruxerunt, qui ex eo speluncam latronum fecerunt, postea præsertim totiens patratis cædibus, & flagitiis.

§. 4. Interim ex his Nazianzeni orat. 2. in Iulianum, gentes conuincit. Nempe Christo, qui illa tam vere, certo, & cum circumstantiis prædixit, credendum esse: nam euentus ad amussim respondit vaticinio. Nos etiam eorum, qui seducuntur, lapsu ne moueamur; nam Christus ipse hoc etiam prophetauit, fore, vt seducantur multi: cum igitur desciscunt à fide, id agitur, quod futurum ipse prædixit.

§. 5. Atque hic interitus nobilissimi tota orbe terrarum templi fuit. Quod à Salomone exstructum, à Chaldæis euersum, à Iudæis deinde reædificatum ac tandem ab Herode iterum amplius, & magnificentius constructum fuit. Non quod Deo aurata, & marmorea templa displiceant, fieri enim iusserat, sed ne fidelium fiducia in lapidibus, parietibus, picturatisque lateribus conquiescat, sed vera fide, bonis operibus, & charitate, se ipsi viua templa Spiritus sancti efficiant. sic Hieronymus Epistol. ad Demetriadem. de seruanda virginitate. *Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore, argentoque valuas, & gemmis aurata distinguant altaria. non reprehendo, non abnuo. Vnusquisque in sensu suo abundet: melius est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est: Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maximè in domesticis fidei: Virginum alere monasteria; seruorum Dei & pauperum*

Spiritu

Spiritu habere curam, &c. Item in Epistola ad Gaudentium: *Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum: & nudus at ̃q; esuriens ante fores nostras Christus in pauperе morit ur?* *Vnde octauo Zachariæ capite ita scribit: Tempore persecutionis tempore in Ecclesiis Christi expleta conspeximus; quando in tantam rabiem persecutorum seritas excitata est, vt etiam conciliabula nostra destruerent, diuinos libros ignibus traderent: omnes insulæ, metalla, carceres, Confessorum & Martyrum catenatis gregibus implerentur. Quis eo tempore crederet rursum Ecclesias construendas, ab his ipsis qui ante destruxerant? Non quod iidem homines fuerint: sed quod eadem regalis potestas, quæ prius sedebat in insidiis, cum diuitibus, & quasi ex Senatusconsulto Christi nomen conabatur extinguere, nunc expensis Reipublicæ, Ecclesiarum basilicas extruat, & exaltet summa fastigia: vt non solum laquearia, & tecta auro fulgentia decoret, sed parietes diuersi marmoris vestiat crustis: & diuinos libros, quos prius tradebat incendio, nunc dealbatos & purpuratos, & gemmarum varietate distinctos in custodiam Romani veneretur status.*

§. 6. Ex sancto Hieronymo errorem Iudaicum fuisse intelligo, vt templo Salomonio Deum continuò crederent. Hunc igitur Deus errorem euersione templi sublatum voluit, sed Hieronymum audire præstat, in c. 66. Isaiæ.

Hæc dicit Dominus, Cœlum sedes mea, &c. *Ne montem sanctum intelligeremus Sion, & Iudaico caperemur errore: qui putant extruendam Hierusalem, & omnia quæ Dominus pollicetur ibi explenda carnaliter: aufert nobis hanc suspicionem, & ponit testimonium quo vsus est Stephanus primus Martyr in Christo aduersum Iudaicam contentionem. Salomon ædificauit ei domum (haud dubium quin Deo) sed non in manufactis excelsus habitat, sicut Propheta ait:* Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. *Et Paulus in eodem volumine:* Deus qui fecit mundum, & quæ in eo sunt, neque quam in templis manufactis habitat. *Si enim in star sedentis in solio at ̃q; regnantis, cœlum thronus eius est, & terra scabellum pedum illius: Quomodo paruo claudetur loco, qui complet omnia, & in quo sunt omnia? Vnde & Moyses:* Ne dicas, *inquit*, in corde tuo; longe est: Deus enim in cœlo sursum, & super terram deorsum & non est alius præter eum Deus. *Et Psalmista:* Quo ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illices: si ad inferna descendero, ades; *Cui & Ieremias ex persona Dei congruit dicens:* Deus appropinquans ego & non de longè Deus. Nunquid latere quis potest in absconditis & ego non videbo eum? Nonne cœlum & terram ego impleo? in ipso enim omnes sumus, & mouemur. *Hoc autem dicit vt Iudaicum commictat errorem: qui putant inuisibilem & incorporalem, & incomprehensibilem Deum, templo Hierusalem posse concludi. Quod quidem & ipse Salomon exstructor templi, in oratione sua ad Dominum prolixius confitetur. Ac ne arbitretur cœlo quo ̃q; & terra Dei magnitudinem metiendam: in alio loco de eo legimus:* Qui tenet cœlum palmo, & terram pugillo. *Per quæ ostenditur Deus, & forinsecus & intrinsecus, & infusus & circumfusus, dum & solio ambiente non concluditur, & pugillo concludit ac palmo.*

priuatim. Syrus בציהון ולא *banehun velech, inter se, & ipsum.* Nam illa de excidio templi Prophetia non carebat ingenti periculo; nam quasi legis aduersarium, & proditorem habebant, si quis contra templum loqueretur? In accusatione Stephani Act. 6. 14. ponitur, *quod contra templum locutus sit.* Naturali studio futura sciendi feruntur, & cognoscere auent; an breui, an longo post tempore hæc consummãda sint, ita enim quærunt Marci 13. 4. At Christus primum eos salutis propriæ, & vnumquemq; nostrûm admonet, ne solliciti sint de clade Iudæorum duntaxat, non enim eos securos fore, sed mediis in fluctibus, persecutionum, seductionumq;. Christiano cuilibet, cum Dei sit templum, sanctitas sua tutanda est, ne à Pseudoprophetis profanetur. Hæc cura præcipua esse debet: neq; enim tanti est corruere lapides, & alio cumulo iacere, sed ne interna templa Spiritus animæ fideles scelerum turpitudine polluantur. Ideo monet seriò: βλέπετε prospicite, attendite, ne quis vos seducat, de vobis, non de lapidibus mihi cura est. *Quisq; Dei Templum esse debet:*

§. 2. Tres proponunt quæstiones, quas parum distinguunt. Cum enim Christi regnum temporale esse existimarent, templi desolationem, eiusq; aduentum coniungunt, & consummationem sæculi, non enim intelligebant, quomodo hęc separari possent. Interim hodieq; manet difficilis controuersia. An illa quæ sequuntur, de Iudaicis temporibus & templi desolatione accipienda sint, an vero de Antichristi regno, & consummatione sæculi? Tostatus ad Titi & Vespasiani tempora illa applicat, multisq; argumentis vtitur, & multi ante eum, & postea idem docuerunt. *Quæstiones Christo propositæ.*

Quamuis tandem in ipsa rerum tractatione ad Tempora Antichristiana, & finem mundi venire cogantur. Adeo enim clare multa de extrema die dicuntur, vt stolidum sit alio referre.

Origenes ad tempora Antichristi refert, plurimiq; alii, quos in ipsa textus expositione producam.

Interim templi sanctissimi, & magnificentissimi excidium, nobis documento est: nihil rerum externarum esse, quo Deus placetur, si abfit vnicus illius cultus, qui ab animo proficiscitur. Nec mirum; ne homines quidem beneficia aliter quam animo dant: sæstimare solent: cætera nominant, hostium dona, non dona, sed damna.

§. 3. Rem accurate perpendenti dubium esse non potest, quin de Iudæorum excidio agat: Templum enim interiturum prædicit, & multa quæ eo tempore contigerunt. Rursus cum totus contextus consideratur, vsq; ad 29. versum, vbi dicit, post eorum dierum tribulationem statim solem obscurandum, clarissimè apparet, de fine mundi sermonem esse. Illa enim quæ sequuntur ad & tempus pertinent. Hoc igitur constituto dicendum est. Christum à suis interrogatum toti Ecclesiæ vtilem ac prorsus necessariam doctrinam tradere. Nempe vrbem interituram, pios in magnis rerum difficultatibus versaturos, nec finem fore tribulationum vsque ad mundi extremum diem. Atque hanc esse veram expositionem singulis exponendis apparebit. Ita sanè Tertullianus de resurrectione carnis. *Interrogatus à discipulis, quando euentura essent, quæ interim de templi exitu eruperat, ordinem temporum, primo Iudaicorum, vsque ad excidium Ierusalem; dehinc vsq; ad conclusionem sæculi digerit.* Et in Apologetico c. 20. Prænunciationes illas ad sua tempora extendit. *Plus iam offerimus pro istâ dilatione, maiestatem Scripturarum si non vetustatem, diuinas probamus. si dubitatur antiquitas; nec hoc tardius, nec aliunde discendum; coram sunt quæ docebunt, mundus, & sæculum & exitus. Quicquid agitur, prænunciabatur, quidquid videtur, audiebatur. Quod terræ vorant vrbes, quod Insulas Maria fraudant, quod externa at ̃q; interna bella dilaniant, quod regnis regna compulsant, quod fa-* *Christus omnia temporа complexus est.*

VERSVS 4. & 5.

Et respondens Iesus, dixit eis. Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent.

QVÆSTIO I.

Quæ seductiones, & quando futuræ?

1. MArcus Petrum, Ioannem, & Andream accessisse dicit. Secreto acceduut κατ' ἰδίαν

mes & lues, & locales quæque clades & frequentiæ plerumque mortium vastant; quod humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur, quod iustitia rarescit, & iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit; quod etiam officia temporum & elementorum munia exorbitant, quod & monstris & portentis naturalium forma turbatur, prouidenter scripta sunt. Dum patimur leguntur; dum non recognoscimus probantur. Idoneum opinor testimonium diuinitatis, veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoq; fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eadem voces sonant, eadem litera notant, idem Spiritus pulsat. Vnum tempus est diuinationi futura præfanti apud homines, si forte distinguitur, dum expungitur, dum ex futuro præsens, dehinc ex præsenti præteritum deputatur. Quid delinquimus (oro vos) futura quoque credentes, qui iam dudum illis per duos gradus credere. Sed tamen inter reliqua omnia, ea quoque in Patre eius bonitas admirationi est, quod de hostibus nostris quibus nobiscum prælia futura erant, silentium non tenuit, sed de ea re iam antea in longum prædixit, vt cum illa inciderent, statim agnosceremus animoq; firmaremur ex illius præmonitionibus, ita inquientis. Oborientur falsi Prophetæ & falsi Christi, edentq; signa & prodigia. adeo vt seducant (si fieri posset) etiam ipsos electos: Ecce prædixi vobis.

Tertullianum sequitur Athanasius, qui Epist. ad Episcop. Ægypti & Lybiæ in magni beneficii loco habet, hæc prædicta esse. *Ἐὰν ἦ μὴ πάντων ἡ τῶν θαυμαζομένων τούτων, ἐγερθήσονται ψευδοπροφῆται, ψευδόχριστοι, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς, ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν.* Id est: Est illud vero, (scilicet prædicere) admirandæ bonitatis. Exsurgent Pseudoprophetæ, & Pseudochristi, & dabunt signa magna, & portenta, vt in errorem, si possibile esset, inducerentur etiã electi. Ecce prædixi vobis.

Magnum beneficium, prædixisse venturum.

Nec superuacua monitio fuit: Non enim Apostoli seduci potuerunt ab illis, qui in nomine Christi veniebant, ipsos tamen admonet, ad tentationis magnitudinem demonstrandam. Deinde Apostolos ad prædicandum instruebat, vt subditos edocerent. Ante enim quam de secundo aduentu mentionem faceret, ad occurrentia mala auertenda eos hortatur.

§. 4. Ingens numerus Pseudoprophetarum & seductorum circa excidii tempora sese exeruit. Eusebius l. 2. c. 12. & 13. Hegesippus libris quatuor. Iosephus lib. 18. antiq. Anno Tib. 20. cædes ob pecuniam è Corbonã ad aquæductum à Pilato factã, excitante populum Pseudoprophetã. Anno 21. Tiberi Seianus necem Iudæorum vrsit. Secutæ sunt deinde Samaritanæ, Alexandrinæ, Gazenses, Damascenæ, aliæ seditiones, & mortes Iudæorum. Euseb. l. 10. Philo. alii. Cum enim constaret iam adesse Messiæ tempus, plurimi occasionem arripuerunt, & populum deceperunt. Iosephus l. 20. ant. c. 6. & l. 2. de bello. c. 12. *Prouinciam*, ait, *refertam fuisse latronum, & magorum turbâ, sub specie religionis rebus nouis studentium, populumque pollicitationibus decipientium.* Vide quæ idem Iosephus l. 7. c. 12. de bello, de Tyrannis Pseudoprophetas sibi adscitis recensent. Postea secuti sunt Simon Magus, Menander, Barchochabas, Hymenæus, Philetes, Nicolaitæ, Manes, Turcæ, Anabaptistę, Caluinistę cæteraq; pestes, quorum malitiam fraudesque adueniens Antichristus complebit. Horum omnium magna vis ad seducendum erit. Bello, vi domestica, signis, scripturis vtetur: omnes enim illi tyranni ferebant, suum imperium à Prophetis prædictum esse. Quare optimè monet Athanasius scripturarum explicationem à Deo petendam. orat. 2. contra Arianos, quod nisi fiat, omnium Pseudoprophetarum deprauationi erit obnoxia fidelium simplicitas.

Multitudo Pseudoprophetarum.

*καὶ οἱ μαθηταὶ ἠθέλοντες τὸ καιρὸν τῶν λεγομένων μαθεῖν παρεκάλουν τὸν κύριον λέγοντες, εἰπὲ ἡμῖν πότε ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας; καὶ αὐτοὶ μὲν ἀκούοντες ταῦτα ἐσωτῆρα τὰ τέλος, ἤθελον μαθεῖν καὶ, πρὸ καιροῦ ἵνα μὴ πλανῶνται, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους διδάσκειν, διωρθώσατο. μαθητὰς διορθώσων τὸ μέλλοντας πλανᾶσθαι τοὺς ἀπὸ τῆς θεατρονίκης. ὅταν μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα καλῶς τις ἔχῃ τῷ γνώσει ὀρθῶς ἔχῃ καὶ ὑγιαίνοντι τῷ τῆς πίστεως Διανοίαν. ἐὰν δέ τι ἕτερον σκαμβεύῃ τις τούτων δι' ὃ εἰς ἄφεσιν σκοπὸν καιρὸν μὴ οἶμαι ἐπλανήθησαν. οἱ μὲν θεὶ ὑμέναιον καὶ ἀλέξανδρον λέγοντες τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι, id est, Et ipsi quoque audientes de fine mundi, tempus eius cognitum habere voluerunt, quo certiores facti non errarent, sed alios instruere possent. Instructi igitur eius rei scientia Thessalonicenses alioquin erraturos in viam reduxerunt. Cum igitur quis ista probe intellecta & obseruata habet, rectum quoq; & sanum fidei intellectum habuerit. Contra si diuersa ab istis seiunctaq; à veris personis, temporibus, causis, ex scripturis colligit, statim in hæresin delabitur. In tempore errauerunt Hymenæus & Alexander cum suis gregalibus, cum dicerent resurrectionem iam contigisse.

§. 5. Venient igitur multi in nomine Christi, idque duplici modo. Quidam enim ita veniunt in nomine Christi, vt se dicant esse Christum; quemadmodum Theodas Ægyptius, Simon Magus, alii q;. Alii ven unt in nomine Christi, vt fingant se legatos, & Apostolos Christi, vt pleriq; hæretici: priores impudentiores sunt, posteriores tamen nocentiores. Posteriore modo non veniet Antichristus, sed priore; ideo dicitur venturus in nomine; non enim à Christo se missum profitebitur, sed se esse Christum mentietur. Sine causa itaque hoc loco textum Beza corrigit. *διὰ τὸ ὄνομά μου, sub nomine meo*; nam in nomine Christi venire, tam potest esse, quam dicere se Christum, quam sub nomine Christi venire, potest extendi ad eos, qui se à Christo legatos fingunt. Noster interpres Hebraismum retinuit.

Duplex modus.

Primus.

Secundus.

§. 6. Quid porrò contrà Prophetas illos est remedii? Versu 26. illud Christus proponit; *nolite credere.* Zwinglius hoc loco aliquas discernendi Prophetas dat, proponit rationes, sed in eo tandem hæret, vt conscientiæ & spiritui relinquat. [Papistæ nos, *inquit*, tales vocant, nos Papistas. Is vero verus est Propheta, qui Spiritum Christi habet, & summâ fide prædicat verbũ Dei, qui demolitur, & ædificat: fidem solus Deus dat, &c. Spiritus probat, & cognoscit Prophetias, Spiritus scilicet piorum, qui Spiritu Dei illustratus & edoctus est. Is inquam omnia cognoscit, vt inquit Paulus, & signa diiudicat. Mox enim intelliget, quid ex Deo sit, & quid minus. *Pergit deinde alia recensere signa Prophetæ veri.* Si Propheta cognitionem & dilectionem proximi vrget, si ad iustitiæ & innocentię studium omnis eius sermo hortatur, si aduersus sceleravirtutis amore clamat. Si quicquid contra Deum erectũ est demolitur, certũ est, verum, & fidelem Prophetam esse. *Tandem concludit:* Iudicium ergo discernendi falsos à veris Prophetis, nõ pendet nisi à conscientia, & Spiritu fideli ac pio.]

Nota.

Dum

Quibus ex verbis facile demonstramus Zwinglianos veros Prophetas nõ esse. Dilectionem Dei & proximi non vrgent, satis habent, si fiduciã certã sibi persuadeant, in omni scelerum genere Deo se gratos esse; si omnia crimina committant, iustitia indelebili se iustos perseuerare. Quare etiam Arminiani aliique eam hæresin detestantur, vt quæ caritatem è med. o non tollat, virtutis studium aboleat. Tales vero reddi auditores Zwinglianos, vt nos taceamus, & ipsi dissimulent, veritas indignata recondi proclamat. Musculus mihi testis est. l. de die nouissimo. [Res ipsa loquitur, & nobis licet inuitis confessionem veritas extorquet, quod iam peiores, irreligiosiores, ingratiores, infideliores, petulantiores homines, maioraq; scelera & peccata, in vniuerso orbe, ne inter Turcas quidem aut Iudæos, aut paganos inueniantur, quam ijs in locis, vbi verbum quàm diligentissime prædicatur.]

Nota.

Calumnia.

dum

Ita

est,

est, & ratio est necessaria: nam vbi diligentissime ritu Zwingliano verbum DEI prædicatur, ibi summa confidentia, & impunitas nascitur: ibi namque cuique quam creberrime, contentissimeque inculcatur: In adulterio, homicidio aliisque peccatis non esse periculum exilii; imo Zwinglianos in his omnibus manere iustos, ac beatos, quod ne Turcæ quidem docent. Hac etiam nota Lutheranos prophetas accipsum in primis Lutherum diiudicabimus. Tom. 1. Epist. 238. anno D. 1521. ita scribit. [Esto peccator, & pecca fortiter; sed fortius fide, & gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis, & mundi: peccandum est, quamdiu hic sumus. Vita hæc non est habitatio iustitiæ, sed exspectamus, ait Petrus, cœlos nouos, & terram nouam, in quibus iustitia inhabitat. Sufficit, quod agnouimus per diuitias gloriæ Dei agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non auellet nos peccatum: etiamsi millies, millies, vno die fornicemur, aut occidamus. Putas tam paruum esse pretium & redemptionem pro peccatis nostris, à tanto, & tali agno? ora fortiter, es enim fortissimus peccator.] Hæc sunt quæ prophetam dæmonis, & inferorum paranymphum elato vexillo ostendunt. *Spiritu inquit prophetam cognoscimus, & diiudicamus.* Quid igitur? Iamne Scripturæ oblitus es? Venit Lutherus, Zwinglius, Stancarus, Menno, sola scriptura pugnandam contendunt, & tandem cum ad rem ventum, suo spiritui, ac conscientiæ insistunt. Quomodo vero certus es spiritum te tuum non fallere? sed de priuato horum spiritu aliàs egi; non est ille aliud, quam obstinatissima cuiusque contumacia.

Spiritus Lutheri.

VERSVS 6. & 7.

Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum finis. Consurget enim gens in gentem & regnum in regnum & erunt pestilentiæ & fames & terræmotus per loca.

QVÆSTIO I.

Quæ bella, fames pestis & terræmotus?

Mala mundi.

P. R. PRæter falsos prophetas, alia etiam mala, quæ concussura, & laceratura sunt mundum renouet; quæ communia erunt fidelibus, & infidelibus. Scelera enim supra modum augescent, & comites scelerum pœnæ incremento pari sequentur. Imminente mundi fato, morbi illud & conuulsiones antecedent. Audituros dicet prælia, & ἀκοὰς opiniones, auditiones, rumores bellorum. Videtur noster legisse ἀκοὰς. Non oportet Christianum turbari θροεῖσθαι, cohorrescere, & tremere, quædam exemplaria habent: μη θροεῖσθε ταῦτα ne timete illa. Verum retinenda est plurium codicum auctoritas, cui consentiunt Latina & Syra. Qui de sola templi & Iudææ deuastatione verba Christi interpretantur, de Iudæorum pugnis, cum Samaritanis, Syris, Romanis, Cæsariensibus, Ascalonitis, Ptolomæensibus, Damascenis, item de Platii, Cestii, aliorumque cædibus interpretantur. Ego de illis, quæ deinceps bella contigere, vsque ad mundi supremum diem interpretor; Principio quidem, mundi statum & clades generaliter demonstrat, quæ circa Titiana tempora, & à Christi morte contigerunt. Fuerunt enim Tiberiana tempora inquieta, & bellis cladibusque infamia, deinde secutus Caius, Clandius, Nero, Otho, Galba, Vitellius, donec rerum Vespasianus est potitus; afflicta est hisce maxime Roma, & Romana nobilitas. Deinde regnū in regnum, gentem in gentem consurgere affirmat, id de Iudæis, & vicinis populis satis improprie dicitur. Neq; enim tum circa Iudæā erant, quæ eam oppugnarent regna, sed vrbes, & prouinciæ Romanæ. Hæc vero magnam gentium collisionem significat. Pestilentia quidem in Iudæa illis temporibus peculiaris non fuit, qualis post. ris sæculis humanum genus pene tertia parte deleuit. Fames Claudii tempore magna fuit: & anno 4. Claudii inter Theram, & Therasiam insulam terra mouit, Orosius lib. 7. Romæ anno 4. Neronis teste Euseb. In Asia anno 10. vt idem scribit Orosius lib. 7. multa damna terræmotus dedit. Laodicea, Hierapolis, Colossæ conciderunt. In Iudæa tempore passionis terræmotus fuit. Ex quo constat, non agi de calamitatibus, quæ solam Iudæam afflixerint, aut deuastarint, sed quæ communes fuerunt orbi habitato & noto. Terræmotus enim in Iudæa nullus momenti alicuius fuit; nam illa concussio, qua domino moriente petræ fissæ, monumenta aperta sunt, non cladis alicuius causa facta est, sed ad testimonium resurrectionis: Ad tempora igitur vltima saltem hæc pars referenda est, & consequenter fames, & pestilentiæ. Quod vero Beza illa verba κατὰ τόπους *per loca*, conuertit, *singulis locis*, sensum corrupit. Non enim singulis locis fuit terræmotus, aut erit, sed quibusdam, est enim κατὰ τόπους perinde, ac si dicat: κατὰ τινας τόπους, *per aliqua loca*. Hoc etiam moneo. In nostro esse; *pestilentiæ & fames*, in græco, λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, *fames & pestilentiæ*. Sic etiam Syrus habet. solet porro famem pestis sequi, vt prouerbio Græci dicere solent;

Mala Iudæorum & mundi describuntur.

Pestis.

Terræmotus.

λιμὸς, καὶ λοιμὸς ἐπ' αὐτόν.

Fames & pestis super eam. Fame enim corpora infirmantur, vt venenato aeri resistere non possint, noxios humeros stomachus attrahit, & cibi non humani febrium pestilentialium cohortem inducunt. Hæc ergo futura sunt; *sed nondum est finis*, hoc est, *nondum erit finis:* vt quædam Græca exemplaria pro ἐστὶ, habent ἔσται, *erit*.

Pestis & fames.

Imo vt v. 8. initia hæc sunt dolorum, ὠδίνων, hoc est, dolorum quales sunt parientium: omnis enim creatura parturit vsque adhuc, donec pios pariat, & edat in lucem æternam, impios velut abortum eiiciat in tenebras exteriores: illa igitur omnia sunt præsagia & prænuncia miserandæ obsidionis Ierosolymitanæ, & dolorum eius, & hæc ipsa sequentiumque sæculorum, maxime Antichristianæ crudelitatis persecutio, typus est iudicii ac suppliciorum æternorum. Non igitur illa mala, quæ mundus horret, & sola æstimat integra sunt; maiora enim miseris incumbunt, quorum ista sunt præludia. Sic apprehensio, carcer, robur, mala mansio, flagellatio, crucis signa sunt, non tantum ex se mala, sed maioris mali præparamenta. Quæ enim hoc in mundo impii patiuntur, quibus magis obdurescunt, quædam sunt cruciatuum æternorum experimenta. De hisce enim verissime dicitur πῦρ ἐπὶ πῦρ, ignem super ignem sustinent, ex flamma mundana tum aduersitatum in stagnum ardens sulphure præcipitantur. Sunt illa mala improbis grauissima, quod solatio spiritali careant, sed illa futuri sæculi adeo grauiora futura sunt, vt ex fumo se in ignem venire sentiant. Clamant nunc multi:

Mala immundi sunt typi malorum inferni.

Οἵοις μὲ χειμῶν, καὶ κακῶν τρικυμία
Ἔπεισ' ἀφύκτως;

Quanta mihi tempestas & malorum triplex fluctus ingruit? at ludicra hæc videbuntur, in malorum abysso, quæ nulla æternitate transiri potest.

VERSVS 9.

Tunc tradent vos in tribulationē & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

QVÆSTIO I.

Quis status fidelium in mundo?

Omnes pii persecutionem patiuntur.

§.1. PRædicit aduersa, dolores, futura odia omnium gentium; quamuis multis è Græcis desit ἐθνῶν *gentium*. Omnium inquam improborum quos inter viuent. Et vere omnino, omnium Apostolorum pietas & constantia per gladios, cruces, ignes, aliaque tormenta probata est. Nec alia est aliorum ratio, omnes qui pie volunt viuere persecutionem patientur, de Apostolis vide Actor. 3. 4. 7. 8. 19. 14. 18. 24. 25. 26. Rabanus & Beda causam reddunt, cur tot malis Iudæi afflicti sint, quod non modo Christum crucifixerint, sed pertinaciter etiam Apostolos & sanctos persecuti fuerint. Nec tantum illos persecuti sunt ipsi infideles Iudæi, sed etiam plurimi ex illis conuersi grauissime Ecclesiam erroribus suis conturbarunt. Nec sine consolatione tamen hoc prædicit: cum addit, odium hoc non eorum culpa contractum, sed propter nomen suum esse accensum; carus autem duci suo miles est, quem acerbissime exosum hostis imperatoris habet. Imponebant quidem illis crimina, *infanticidii, & pabuli inde, vt post conuiuium incesti, vt homicidæ, sacrilegi, incesti haberentur*, verum illæ calumniæ odiorum erant; vt docet Tertullianus: Si quis enim se negasset Christianum omnis illa accusatio cessabat. Vide Apolog. initia.

Iudæorum persecutiones.

Quomodo vulgus depostulare solitū fuerit Christianos, lapidibus & incendiis inuadere, nec mortuis parcere, idem ipse ostendit, sed docet eos pro veritate certare, & prædam habere vitam æternam, & gloriam placendi Deo. Christianos ergo ethnici cœlo inferebant, dum omni illos furore exagitant, & trucidant. Nec impune tamen sua scelera habuerunt. Tertullianus ad Scapulam cap. 3. *Tamen* (sicut supra diximus) *doleamus necesse est, quod nulla ciuitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem: Sicut & sub Hilariano præside, cum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: Areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. Ceterum & imbre anni prætriti, quid commerucrit genus humanum, apparuit, cataclysmum scilicet & retro fuisse propter incredulitates & iniquitates hominum, & ignes qui super mœnia Carthaginis proxime pependerunt per noctem quid minati sint, sciunt qui viderunt, & pristina tonitrua quid sonuerint, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est quoquo modo possumus, vt & annunciemus & prædicemus, & precemur interim localem esse. Vniuersalem enim & supremam suo tempore sentient, qui exempla eius aliter interpretantur. Nam & soli illi in conuentu Vticensi, exincto pene lumine adeo portentum fuit, vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos. Possumus aque & exitus quorundam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse quod vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus his gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cum indigne ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, soluisque in prætorio suo vastatus peste cum vitus vermibus ebulisset: Nemo sciat (aiebat) ne spe gaudeant Christiani. Postea cognito errore suo, quod tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, pene Christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamauit. Sed & qui videntur sibi impune tuliſſe, venient in diem diuini iudicii. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse; quod cum Adrumeticum Mapalium ad bestias damnasses, & statim hæc vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis.*

VERSVS 10.

Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.

QVÆSTIO I.

Quomodo scandalizandi sint multi?

§.1. ADhortationis suæ causam adiungit grauissimam. Fortiter enim pugnandum est, & constanter; idque omnibus omnium temporum Christianis inculcandum est, multi enim scandalizabuntur & deficient. Imo *tradent inuicem*, παραδώσουσιν, tradent inimicis, & gentibus in lanienam, mitor Bezam maluisse παραδιδόναι vertere pro παραδιδόναι, prodete pro tradere, cum apertus sit in Græco sensus, & verba clara; nec enim omnis traditio prodi tione peragitur, sed aperta viae professa hostilitate, tradebat populus, postulabat Christianos ad Leonem, de his Dominus loquitur. Cum dicit fore vt tradant inuicem, ἀλλήλους non indicat, infideles à fidelibus tradendos, sed vel fideles ab infidelibus, vt Syrus intelligi potest. Vnus vnum tradet, vnus vnum odio habebit. Vel potius cum vers. 9. de piis egisset, nunc ostendet impiorum conditionem, quorum alius alium odio habebit, & alternatim in sese sæuient; quod verissimum est; Nam primum tyranni, qui Ierosolymas tenuerunt, inimicissimi fuerunt. Deinde si quis consideret rabiem furoremque delatorum in Cæsarianis aulis, facile apparebit, per illas artes & Cæsarum improbitatem plures impios absumptos, quam per martyrium Christianos, ac mira sane conuersione rerum; nam qui quæsitores sæuiebant tormentis, mox alio indice ipsi lacerabantur. Nullum auctorem cito, quia tota historia augusta talibus plena est. Nec tamen nego multos, qui scandalizati fuerunt, & à fide defecerunt etiam in numero traditorum fuisse. Constat autem parentibus, filiis, fratribus, cognatis multos traditos. Lucia septuaginta annorum ab Euprepio filio defertur. Bellum enim erit ab hostibus, seductoribus, falsis fratribus.

§.2. Prophetat Christus, & Caluinianorum fidem indelebilem esse falsam, & præsumptuosam prædicit. Negant illi quenquam à fide, à iustitia discedere posse. Christus multos scandalizatum iri prænunciat, Scandalizari est impingere vt cadant, atque à fide deficiant. Fidem igitur habuerunt, & perdiderunt. Tertullianus de præscriptionibus cap. 1. 2. 3. Idcirco ostendit non esse mirandum hæreses prævalere interdum. *Conditio præsentium temporum, etiam hanc admonitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, sine quia sunt; futuræ enim pronunciabantur: sine quia fidem quorundam subuertunt; ad hoc enim sunt, vt probes habendo tentationem, habeat etiam probationem. Vanc ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant, quantum sint: quum quid fortuitum est, vt omni modo sit, sicut causam accipit ob quam sit sic vim consequitur per quam sit, ne esse non possit.*

Et cap. 2. *Cæterum nihil valebunt, si illas tantum valere non miremur. Etenim dum mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur, ideo mirantur quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilic. vt malum vires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent. In pugna pugilum & gladiatorum, plerumque non quia fortis est vincit quis, aut quia*

quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeo idem ille victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses, de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.

Et cap. 3. Solent quidem isti miriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis ædificari in ruinam. Quare illa vel ille fidelissimi, prudentissimi, & vsitatissimi in ecclesia, in illam partem transierunt? quis hoc dicens non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) vt probatus aliquis retro postea excidat? Saul bonus præ ceteris; fuare postea euertitur. Dauid vir bonus secundum cor domini; postea cædis & stupri reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino ad idololatriam à mulieribus inducitur. Solì enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere?

At dicent: Non fuisse eos Christianos, qui scandalizari potuerunt. Quos ergo hortatur Christus, vt videant, ne seducantur, si Christianus seduci non possit? si autem seduci potest, cur non etiam scandalizari? cur illi vero scandalizari dicuntur, qui nunquam vere crediderunt, sed hypocritæ latuerunt? Zwinglius eos fidem simulasse arbitratur, Bullingerus à fidei professione defecisse. At illi qui fidem simulant, ficteque profitentur, cum sint athei, atque irrisores religionis non scandalizantur, cum laruam abiiciunt, sed ingenue fucum produnt. Vorstius p. 2. Tesseradec. antipistorianæ. *In paucis locum habere dicit illam* πληροφορίαν *suorum, nec vulgarem esse*; nam nimis multos deficere videbat: & ab ea fide, de qua iam sibi certus erat; post defecit.

VERSVS 12.

Et quoniam abundauit iniquitas refrigescet charitas multorum.

QVÆSTIO I.

Quomodo refrigescet charitas?

§. 1. GRæcus textus habet διὰ τὸ πληθυνθῆναι, ob multitudinem iniquitatis, sic & Syrus conuertit. Quod in Græco est ψυγήσεται, *refrigescet*. Syrus vertit ܢܬܚܫ *nephug*, *elanguescet*. Caritatem hominis erga Deum, & Dei seruos intelligo, nemo Christianos excipiet facile, aut adiuuabit, 2. Timoth. 4. 6. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit.*

Caritatis refrigerationem accipio non imminutionem aliquam duntaxat aut remissionem, sed exstinctionem. Nam opponitur perseuerantiæ, qua saluantur. v. 13. Constat igitur, vt docet Bellarmin. lib. 3. de iustificat. cap. 14. iustos posse deficere, caritatem amittere, certe caritas multorum ante multitudinem iniquitatum illis inerat, deinde refrigescit, & perit, perire non potuit, si nulla erat. Nec caritatem hypocritarum intelligere possunt aduersarii, illa est fraudulenta amoris simulatio, nec iniquitatum multitudine refrigescit, sed ipsa non minima pars est iniquitatum, ficte blandiens, dolose persequens, Christus de ea caritate loquitur, in qua qui perseuerauerit, saluus erit. *Qui autem perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit.* Perseuerantia vero est, caritatis sinceræ ad finem vsque tuitio, atque adeo fidei cæterarumque virtutum, quas negant semel datas posse amitti: non considerant alios esse ὑπομείναντες sustinentes omnia, perseuerantes, non cedentes iniquitati, alios non perseuerantes, non, quia illa non habuerint; habebant enim, sed in dono Dei non perseuerarunt. Frustra vero obtendunt, de perseuerantia certos esse, cum tot videant cadentium lapsus. Augustinus lib. 11. de ciuitat. cap. 12. *Nemo de perseuerantia certus.* *Pios ait dici beatos, qui licet de perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen sua perseuerantia reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque iustitiæ, perseueraturum vsque ad finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re, iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit?* Zwinglius sensum inuersum esse ait. *Quandoquidem caritas ita infriguit, scelus inundat*, male enim accommodat, cum ait, *Deum esse caritatem.* Hoc enim loco caritas refrigescens non est Deus. Bullingerus, *veram pietatem, beneficentiam, & religionem interpretatur, quæ gemina dilectione constet, Dei & proximi, & hanc defecturam fatetur.* Caluinus subdolè: *Nam quia luce Euangelii clarius detegitur hominum malitia etiam in probis, & recte animatis languescit, ac fere exstinguitur beneficentiæ studium.* Zwinglius quidem sententiam Christi inuertit: nam ideo caritatem ille refrigescere pronunciat; quia iniquitatis diluuio opprimitur, & exstinguitur. Caluinus ne concedere cogatur caritatem exstingui, adiecit, *fere*, at constat eorum caritatem refrigescere, quorum perseuerantia labascit: qui proinde salute excidunt, nisi pœnitentiam agant.

VERSVS 14.

Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.

QVÆSTIO I.

An Euangelium ante consummationem sit prædicandum in vniuerso orbe?

§. 1. DE prædicatione Euangelii in vniuerso mundo magna controuersia est. In aduersorum denunciatione semper consolationem ad animos erigendos intermiscet. Mœstos enim de suæ gentis excidio promissione conuersionis multarum gentium solatur, vt recte obseruat Beda; Id vero præcipue, quod nondum eo tempore gentium conuersio credebatur. Chrysostomus adiungit, bellis vndique frementibus futurum, vt non modò viuere, sed docere etiam possint, itaque nequaquam desperandum duce Christo, & auspice Christo. Quamuis autem de conuersione gentium non loquatur, sed Euangelii prædicatione, quod etiam incredulis promulgandum erat; hoc ipso tamen conuersionem indicat, cum & eam prophetæ prædixerint, & prædicatio sine effectu, consolationem datura non fuerit. *Inter aspera consolationem miscet.*

§. 2. An de consummatione vrbis Ierosolymitanæ, an vero de fine sæculi loquatur incertum, quibusdam videtur. Chrysost. hom. 76. in Matth. Euthym. Theophyl. Ambrosius lib. 10. in Luc. Hieronymianus comment. Hil. can. 25. Anselm. de vastatione Ierusalem intelligere videntur, ita tamen vt aliam interpretationem etiam complectantur. Eam sententiam q. 92. multis astruere conatur Abulensis. Nec minus etiam sectarii inter se dissentiunt. Maior tamen pars eorum de præsenti vrbe, & eius excidio interpretatur. *De tempore vastationis Ierosolymorum intelligunt.*

Vera

Vera est & textui conueniens interpretatio, de consummatione mundi verba Christi accipienda.

Hanc Augustini sententiam, & Ecclesiæ illius temporis fuisse multis ex locis constat. Epist. 78. *Opportunitas vero illius temporis profecto non erit antequam prædicetur euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus. Apertissima enim hac de re legitur sententia Saluatoris dicentis; Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Tunc veniet, quid est, nisi antè non veniet? Quanto post ergo veniat, incertum nobis est, ante tamen non esse venturum dubitare vtique non debemus. Si ergo susciperent hunc laborem serui Dei, vt peragrato orbe terrarum, quantum possent colligerent, quod remanet gentium, vbi nondum est euangelium prædicatum, hinc aduertere vtcunque possemus, quantum hoc tempus longe sit à fine seculi. Quod si propter loca quadam inaccessibilia & inhospita fieri posse non creditur, vt à seruis Dei peragretur orbis, & quot quantaque sint adhuc gentes sine Christi euangelio, fideliter renuncietur: multo minus existimo, scripturis posse comprehendi quanta vsque ad finem futura sint tempora, quandoquidem in eis legimus: Nemo potest cognoscere tempora, quæ pater posuit in suâ potestate. Vnde si iam nobis certissime nunciatum fuisset in omnibus gentibus Euangelium prædicari, nec sic possemus dicere, quantum temporis remaneret vsque ad finem, sed magis magisque iam propinquare diceremus. Nisi quis forte respondeat tanta celeritate prædicato Euangelio Romanas gentes, & plerasque barbaras occupatas, atq; ita nonnullas non paulatim, sed subito ad Christi fidem fuisse conuersas, vt non sit credibile paucis annis, & si non vitæ nostræ, qui iam senuimus, certe iuuenum qui venturi sunt ad senectam, vniuersas omnino residuas gentes, euangelio posse compleri. Sed si ita erit, facilius cum factum fuerit probari experiendo quam legendo antequam fiat inueniri potest.*

Et pariter lib. 2. de sermon. Domini in monte. Sic Cyrillus Catechesi 15. clarius etiam exponit, & ad omnia futura sæcula extendit.

Origenes tract. 28. in Matthæum. *Et eo statu compositis rebus, Euangelium, quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo (multi enim non solum barbarorum, sed etiam nostrarum gentium, vsque nunc non audierunt verbum Christianismi) tunc prædicabitur, vt euangelicam prædicationem omnis gens audiat, & nemo derelinquatur, qui non audiat.* Pari modo Damascen. lib. 4. c. 28. Gregor. lib. 35. Moral. c. 15. Theod. in 2. Thessal. c. 2. Beda hoc loco.

Videtur sane omnino requirere textus, vt ad extrema tempora referamus. Tunc erit *consummatio*, seu finis. Non ciuitatis sanctæ, sed sæculi; Apostoli enim quæsierunt; quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi: Christus respondet, tunc erit *consummatio* seu finis. Non modo non responderet ad interrogata, sed etiam falleret, si de mundi fine quærentibus, diceret: post euangelium toto mundo prædicatum erit *consummatio*; & in animo subaudiret: Ierosolymorum & templi. Cum autem absolute consummationem nominat, vniuersalem, seu totius mundi esse intelligit. Quamuis aliqua signa præcesserint de Ierusalem, & de illa multa intelligantur, non omnia tamen conueniunt. Deinde auctores qui in diuersam sententiam citantur, non repugnant huic interpretationi. Nam signa communia cognoscunt, vt typi, & eius cuius est figura; vt monet Chrysostom. homil. 11. in Matthæum, & hoc loco: ὅτε περὶ τῶν ἱεροσολύμων εὐθέως, οὔτε περὶ δευτέρας αὖτε παρουσίας εἴρηκεν, sed de malis, quæ iam in ianuis erant, itaque de signis vtramque consummationem præcedentibus agi existimat. Ipse etiam à v. 23. Transitum ait fieri à Iudaicis calamitatibus ad Christi aduentum. πληρώσας τὰ περὶ ἱεροσολύμων, εἰς τὴν αὖτε λοιπὸν μεταβαίνει παρουσίαν, καὶ λέγει αὐτοῖς τὰ σημεῖα, οὐκ ἐκείνοις χρήσιμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡμῖν, καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς ἐσομένοις πᾶσι. i.e. Postquam compleuit ea quæ de Ierosolymis erant, de reliquo transit ad eius aduentũ, & signa prædicit, non illis modo, sed nobis, & omnibus posteris vtilia. At illa signa Christus iungit cum magna tribulatione, & aliis quæ ad Ierosolymam referunt. *Tunc si quis dixerit:* nempe in illa tribulatione, igitur & illa signa ad secundum aduentum etiam spectant. Hilarius plane contrarium docet ei sententiæ, pro qua citatur. Euangelium enim prædicandum ante abominationem existimat; sed abominationem interpretatur Antichristum Anselmus vtramque sententiam disiunctim refert.

Finis absolute positus pro mundi consummatione.

A Ierosolymorum clade ad finem mundi transit.

Adeo vero certa visa est hæc sententia, etiam hæreticis Iunio & Sutliuio, vt expresse doceant, prædicationem Euangelii præcessuram aduentum Christi & citant Hilarium, Cyrillum, cæteros omnes, præter vnum Damascenum. Quamuis in eo erroris ipsos conuincit Gretserus noster defens. lib. 3. cap. 4. Quod negant præcedere Antichristum, nusquam enim hoc patres dicunt, sed contrarium; nam Antichristum cum aduentu Christi, & sæculi fine coniungunt exiguo interuallo. Quod verum aiunt Antichristum non ante palam dominaturum, quam Euangelium palam prædicari desierit, contra ipsos facit. Sequitur enim Papam non esse Antichristum, adhuc enim Euangelium palam prædicatur.

§. 3. Obiiciunt hæretici locum ad Roman. 10. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Et Coloss. 1. *Sunt & in toto mundo est, fructificans, & crescens.* Et: *prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est.* Hoc igitur impletum esse volunt.

Respondet Bellarminus ex Augustino intelligi futurum per præteritum. Augustin. verba Roman. 10. *Quod autem dixit Apostolus* (Rom. 10.) *nunquid non audierunt?* In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum: *quamuis locutus sit præteriti temporis verbis, tamen quod futurum erat, dixit, non, quod iam factum, & completum: Sicut ipse Propheta quo vsu est, teste, non ait; in omnem terram exiturus; sed, exiit, inquit, sonus eorum quod vtique nondum factum erat: quale est etiam illud;* Foderunt manus meas & pedes meos; *quod tam longe postea factum nouimus.* Quamuis in omnem terram exiit sonus eorum.

Itaque frustra Bellarmino oppugnando Augustinum lancinant Danæus & Sutliuius, vide Gretserum nostrum loco citato, pag. 851. *Sutliuius impudenter; Iterum mentitur;* Augustinum loci ad Colossenses ne meminisse quidem, tantum abesse, vt sic exposuerit. *Audiamus denuo S. Augustinum. Multo minus mirandum est, quod etiam verbis præsentis temporis vsus est in eo, quod illum identidem dixisse, memorasti, propter spem, quæ reposita est nobis, quam ante audistis in verbo veritatis Euangelii, quod aduenit in vos, sicut & in omni mundo est fructificans & crescens, quamuis Euangelium nondum mundum tenebat vniuersum: Sed fructificare illud in vniuerso mundo dixit, & crescere, vt ita significaret quousque fuisset fructificando, & crescendo venturum.*

Prædicatum igitur, quia iam in parte prædicatum, & in toto prædicandum. Sane Christi signum generale est, ad omnes, omnes inquam, gentes, Indos etiam qui sunt ad vtrumque solem, Æthiopes, Iapones, alios pertinent.

Hoc vero dominium Christo promissum est, Psal. 71. Apoc. 7. Itaque fideles omni in gente erunt, vt omnes gentes aut credant, aut reddantur inexcusabiles. Nec vnus aut alter occulte, sed publice seruient illi gentes, nomen eius professæ, vt in vtraque India annorum memoria cœptum est. Nec satis est fama, vel rumore aliquo de Euangelio inaudisse gentes, sed opus est illis sufficienter proponi, testimoniis, exemplis, signis & virtutibus, vt euidenter credibilia iudicent, quæ audiunt, alioqui non redduntur inexcusabiles. Cætera videri possunt apud Bellarmin. & Gretserum loco citato.

VERSVS

VERSVS 15.

Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.

QVÆSTIO I.

Quæ abominatio desolationis?

§. 1. DAnielis 9. locum exposui, pauca nunc adderam. Syrus vocat אתא טנפתא דחורבא atha thannephtha dechureba. *Signum immundum vastitatis.* Quod Christus dicit in loco sancto, 70. *In templo*, apud Danielem est in Hebræo על כנף *super alam.* Sanctus autem dicitur à Daniele qui fuerat, quique sanctus futurus erat: nam postquam profanatus erat, vix sanctus vocari merebatur.

Abominatio desolationis ad templi destructionem pertinet, vt ex Luca demonstrat Augustinus Epistola octogesima. *Signa quæ in Euangelio futura prædicta sunt, sicut commemorat sanctitas tua, secundum Lucam, eadem sunt secundum Matthæum & secundum Marcum. Hi enim tres narrant quæ dixerit Dominus, cum interrogatus esset à discipulis suis, quando futura essent, quæ de templi euersione prædixerat, & quod signum esset aduentus eius & consummationis seculi.* Cum itaque signa dicat, quæ ad istatria pertinent, id est, ad excidium illius ciuitatis: ad aduentum eius in corpore suo, quod est ecclesia, ad aduentum eius in capite ecclesiæ, quod est ipse: quod eorum signorum ad quod horum trium referendum sit, diligenti consideratione cernendum est: ne forte quod pertinet ad euersionem Hierusalem ad finem seculi referendum putemus: aut è contrario, quod ad finem seculi pertinet affirmemus ad ciuitatis illius excidium pertinere, aut quod pertinet ad eius aduentum in corpore suo, quod est ecclesia dicamus pertinere ad eius aduentum nouissimum in corpore suo, quod est caput Ecclesiæ: aut rursus quod pertinet ad aduentum eius nouissimum, per se ipsum ad eum pertinere asseueremus aduentum, qui est per Ecclesiam. In quibus omnibus sunt quædam manifesta, quædam vero sic obscura, vt vel laboriosum sit ea diiudicare, vel temerarium, quamdiu non intelliguntur, de his aliquid definire. Quis enim non videat ad illam ciuitatem pertinere, quod dictum est: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius. Item quis non videat ad aduentum Domini nouissimum pertinere quod dictum est: Cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei?

§. 2. Nihilominus tamen etiam de Antichristo locutum dominum Hilarius tradit, cap. 25. *Sequitur deinde & iudicium aduentus futuri (quando nimirum Christus ad iudicium veniet) cum abominationem desolationis stantem in loco sancto videbunt; tunc claritatis reditum intelligendum. Et de hoc quidem, beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem: de Antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quod aduersus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet. Desolationis autem abominatio; quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit: atque ob id à Iudæis susceptus loco sanctificationis insistet, vt vbi sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.* Eadem est etiam Bedæ sententia.

Alii abominationem desolationis ipsam desolationem vastatricem interpretantur, vt sit abominanda, vel abominabilis desolatio: sed causam illi, vnde illata sit considerant. Alii statuam vastatoris, vt Aquilam, ab Herode collocatum, signa Romana, exercitum Romanum, quod etiam Chrysostomus probabile arbitratur, sed templo exciso tum primum ille ibi stetit, & cum excîdit. at apud Lucam egredi iubentur cum viderint abominationem desolationis. alii ad statuam Adriani, vt Ambrosius in Lucam, referunt. Eam desolationem esse non dubito, quæ à seditiosis facta est, cum templum occuparunt, vt Ioseph. lib. 18. ant. & lib. 2. belli, cæde sacerdotum, & omni flagitiorum genere templum profanatum, & vere proprieque est factum spelunca latronum. Maior tamen olim erit eodem in loco abominatio desolationis, cum in eo restaurato sedebit Antichristus. Ita 2. Thessal. 2. *In templo Dei sedebit, ostendens se tanquam sit Deus,* actum magna quoque erit tribulatio. *Desolatio.*

QVÆSTIO II.

Cur dicat: Qui legit, intelligat?

§. 1. BEza interpretatur, *consideret.* Græce est: νοείτω, *intelligat, cognoscat:* Hoc enim indicat: Danielem à multis legi, non intelligi, quocirca cerebro præstaret ne legi quidem; errabant enim veteres Iudæi *non intelligentes scripturas.* Errant hodieque hæretici, ex Daniele, & aliis fingentes sibi Antichristos, quos scriptura non continet, sed ipsi sibi ex malesano cerebro fabricantur, atque hinc conficimus in rebus grauissimis scripturam esse ita difficilem, & obscuram, vt legentibus obuia non sit, & lectorem elaborare oporteat, vt quod legit, intelligat. Quomodo autem intelliget? Non ex aliorum locorum collatione, non enim ab aliis illa clarius expolita sunt, quæ Daniel prophetat. Hic igitur deficit collatio scripturarum. Opus igitur est, vt à Deo, ab Ecclesia vetere petat expositionem, cum priuatæ auctoritatis non sit expositio scripturæ. Itaque ridiculus est Vorstius in Tesseradecade Antipistoriana, cum dicit: [Necesse est vt inde pendeat vera scripturæ interpretatio, vnde eiusdem pendet auctoritas, siue certitudo ac veritas: cum verus demum scripturæ sensus sit, ipsa scriptura. Quare qui penitus mihi persuadere potest, scripturam hanc esse θεόπνευστον, idem, quæ sit germana & vera scripturæ sententia, penitus mihi persuadeat necesse est. Illud vero externâ quidem ratione facit, ipsa sacra scriptura, ipsa diligenter secum collata. Internâ vero ratione Spiritus sanctus in ipsa scriptura loquens.] Fallitur vehementer, & fallit. Certum nobis est, caput nonum Danielis esse veram θεόπνευστον scripturam: quæ vera, & germana sit sententia, non potest certum esse Vorstio: nam vt de interna ratione taceam, quem ille sibi tribuere debet, nos negare cogimur: Externa hic illum deficit, non enim diligenter conferre potest, hanc scripturam cum alia, quæ clarissime dicat, quod obscurius Daniel effatus est, seu angelus Danieli. Nec Daniel qui asseuerat intelligentiâ esse in visione, verba angeli cum alia scriptura contulit, vt ea intelligeret, sed nec illa Ecclesia quæ fuit Danielis tempore, quæque deinde secuta est, & custos fuit non modo literarum, sed etiam sententiæ Danielæ, ex collatione sensum prophetiæ venari potuit; sed ex Daniele primum eius familiares, & sacerdotes, deinde ex illis Ecclesia intellexit: aut sane vnum ex tota scriptura locum nominent, quocum illi veteres conferre verba Danielis potuerint, vt intelligerent. Verum autem idemque in Ecclesia fuit medium

Intelligentia opus est in lectione.

Modus intelligendi.

Scripturæ sensus est sensus.

Collatio nil sufficit.

medium quo scripturæ intelligerentur, nempe interpretatio Ecclesiæ. Hoc veteres illi vsi sunt, & nobis quoque vtendum est. Quod vero ait; *Scriptura sensus est ipsa scriptura*: etsi improprie dicatur, & putidæ argutiæ sit; examinabo tamen. *Scriptura ipsa est scripturæ sensus.* Multiplex potest sententia. Prima: Vna scripturæ pars est alterius sensus: hoc est, continet significationem alterius partis. Hoc etsi crebro fit, non in omnibus tamen fit; non enim quæcunque ad religionis, & fidei dogmata pertinent, bis dicuntur. Altera: Scriptura id quod significat, id significat, vt cum dicitur, Deus vnus est. Hoc adeo clarum est, vt expositio aliunde non petatur. Hoc tamen modo si hæretici interpretentur; dicent vnum essentia, & persona. Ideoque concertationes oriuntur. Quod si tertiam adferant expositionem. Nempe scriptura secum adfert sensum, vt aliunde non sit petendus; hoc quoque anceps est, & quocunque sensu falsum: quod experientia tot interpretum demonstrat. Deinde ipse Vorstius de mediis desperat. 1. p. ad 6. sect. pag. 217.

Scriptura non est sui sensus.

Media cognoscenda scripturæ.

„ [Primum enim non dicimus, singula hæc media per
„ se seorsim accepta, ad inuestigandum scripturæ sen-
„ sum non sufficere: sed omnia simul coniuncta plurimum huc valere contendimus.] Omnia igitur media adhibenda sunt, & non tamen illa sufficientia dicere audet, sed plurimum valere. At tum sine paucissimorum est ea felicitas, vt legere scripturas & intelligere possint. Verba Vorstiana hoc conuincunt. *Hæc autem sunt media*; inquit Tesserad. 1. Antipist. 1. *Inspectio fontium, seu cognitio originalium linguarum, & peculiarium scripturæ phrasium.* Hæc necessaria ergo est omnibus scripturam intellecturis, omnia enim media sunt necessaria. Non igitur nisi Hebrææ, Chaldææ, Græcæ linguæ bene periti, & phrasium gnari, scripturam intelligunt. Frustra eam alia in lingua legunt, non enim illis constat, interpretem aut illos fontes penitus lustrasse, aut omnia vere retulisse. Cum enim toti Ecclesiæ scripturæ sensum exponenti non credant, quomodo Bezæ, Iunio, Tremellio, aliis credunt totam in alias linguas transferenti? Qui igitur eas linguas, earumque idiomata, & phrases non callent, non recenti memoria tenent, non à fide dignis magistris didicerunt, & scripturam se intelligere iactant, eorum principiis conuincuntur, hoc agere vt cum ratione insaniant. Pergit ille. *Collatio locorum scripturæ, tum similium, tum dissimilium.* Hic quoque non alteri collatori, qui errare potuit, sed propriis oculis, ac menti credendum, certoque statuendum, nullum locum qui collationi necessarius fuerit, vel negligentia vel obliuione, vel ignoratione omissum.

Hæreticis scripturæ est obscura.

3. Consideratio scopi, inquit, item occasionis, & circumstantiæ, siue materiæ cuique loco subiectæ. Parum ad rem facit consideratio. Certo constare tibi oportet scopum, occasionem, circumstantias, materias subiectas cognitas tibi penitusque perspectas esse: nec fieri posse, vt aliter illa se habeant; alioqui aliquo horum ignorato, falli in scripturæ sensu posses. Nemo igitur Caluinianorum scripturam intelligit, nisi illa omnia ita considerauerit, vt penitus peruiderit.

Analogia.

4. *Analogia indubitatæ fidei.* At vero illa tam varia est, quam variæ fides, v. g. Fides indubitata est in Caluinismo: Christum hominis damnati dolores pertulisse; ad hanc normam scripturas detorquent; Hinc voces desperationis in cruce protulisse blasphemant. Analogia enim est, qua scripturam, & Spiritum sanctum in ea loquentem, sub magisterium suum cogere nituntur, vt nihil aliud dicere videatur, nisi quod anteoccupatis eorum opinionibus consentaneum videtur.

5. *Denique seria ad Deum precatio, ex animo veritatis & gloriæ diuinæ studioso profecta.* Hanc vel maximè nobis scriptura, & sancti Patres commendant. Hinc factum, vt multi sanctorum θεοδίδακτοι à Deo docti, citra laboriosa studia scripturarum cognitionem hauserint. De hæreticis, & oratione eorum, necipsi sibi credere possunt: cum tot martyrum, confessorumque millia suis orationibus nihil impetrasse iudicent, omnes enim illos grauium errorum, aut plurimos sane accusant. Denique non possunt vnum è suis producere, in quem hæc omnia conuenire certi sint, nullum ergo tuto sequi possunt. Sibi igitur quisquis dux, & auctor est, aliorum secutus. Atque hoc est, quod de priuato spiritu, cum premuntur, iactare assolent.

VERSVS 16. 17. 18.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suo: & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam.

QVÆSTIO I.

Quæ fuga persecutionis suadetur?

§. 1. QVantâ atrocitate sæuituri sint Romani Dominus præmonendo demonstrat. *Fugiant ad montes.* Syrus sua phrasi לטוורא *ad montem.* Montes quidem, & in illis posita oppida Titus expugnauit, & ante Vespasianus, vt Thabor, Garizim; sed alludit Christus ad consuetudinem eorum, qui sunt in perculis constituti, qui auia montium, & syluarum inaccessa petunt, nec ad cultos montes, & in quibus oppida exstructa sunt fugere hortatur, sed in asperos & solos montes. Abulensis de montibus, in quibus Agrippa regnauit, is enim Romanorum amicus fuit, multique sub eo, sed non longo tempore defensi sunt; Pellæ autem eius ditionis oppido Christiani latuerunt. Nam post obsidionem, & fugam Cestianam Christ ani plerique, & Iudæorum nobiliores de rebus rebellium male sperantes discesserunt. Vide Epiphan. hæres. 29. & 30. Euseb. lib. 3. c. 5.

§. 2. Versu 17. celeritatis admonet; audito enim aduentu exercitus, & occupato à seditiosis templo, vetat eum, qui est in tecto (quod in Iudæa planum) descendere, vt auferat aliquid è domo, ἆραι τι, vel vt alii ἄραι τι, auferre aliquid. Græce ἐπὶ δώματος, super domum.

Et versu 18. eum qui est in agro non redire in vrbem, ad accipiendam tunicam τὰ ἱμάτιον, quod alii pallium dicere malunt, alii legunt τὰ ἱμάτια vestes, sine tunica, & pallio, leuiore, & breuiore vestitu ibatur in agrum. Fugere porro celeriter iubet, ne ab exercitu deprehendantur, quod Iudæis contigit; Itaque non assentior Tostato; qui negat requiri à Christo tam magnam festinationem: quod quamuis dici possit, ea tamen contigerunt, vt omni modo celeriter abeundum fuerit. Nam non minora, nec mitiora passi sunt à seditiosis, quam ab Romanis, adeo vt Iudæorum 20000. indignitate rerum moti discesserint. Latronum princeps erat Geiora, Zelacarum Ioannes, alterius factionis Eleazarus, qui non nisi magna pecunia exitum permittebant. Deinde noluit Christianos decipi Dominus, vti Iudæi sunt in fraudem inducti. Anno enim 72. Titus Cæsareum misit, vt bellum Iudaicum prosequeretur, vt Iosephus lib. 5. cap. 14. recenset, & lib. 6. cap. 1. 2. 4. 16. Iudæi enim existimabant, rebus male pacatis, Vespasianum,

lianum, & Titum illo anno firmandis imperii rebus operam daturos, nec ocium illis fore belli inferendi, quasi in pace ingenti numero ad pascha celebrandum conuenerunt, nihil profanatione templi, & tyrannide triplici, qua vrbs premebatur, deterriti. At Titus celerrime apparatu confecto, ad vrbem aduolat, & Abdita Patrum. 14. die Aprilis in monte oliuarum castra ponit, tantam multitudinem, supra vndecies centena millia, quasi indagine cingens; mirum autem est, id eum autumasse, cum iam alibi expertus esset Iudæos fortes, & mori obstinatos; videretque sibi dena castra paria opponi posse: sed Deus tantorum scelerum vindex Iudæos deseruit: Id magis admiror; Iudæos tantos apparatus, profectionemque non sensisse: quod ne Christianis contingeret tam serio fugam illis inculcauit Dominus. Calamitatem adauget crudelitatis hostilis recensione vers. 19. *Væ autem prægnantibus & nutrientibus.* Nec enim prægnantibus parcebant, vt illi 4. Regum 8. 12. Amos 1. 12. Et fugere illæ non potent, fugientium etiam lactantium se proles eiulatu prodebant, aliæ filios suos voratur; vt fœcunditas tantopere genti optata, versa fuerit in calamitatem. Monet etiam vt orent, ne hyeme, vel sabbato fuga fiat. Hyemis tempestas est in donea fugæ, sabbato impedit religio. Athanasius mystice interpretatur *hyemem*, ἁμαρτίαν, *peccatum*; Sabbatum ἀμέλειαν, *socordiam*, verum hoc mystice. Hyems sabbatum.

§. 3. Quare sabbati mentionem Christus fecerit? varie disputant. Nonnulli id factum, vt se Iudæis accommodaret, qui sabbatum seruabant. Alii vero Christianos in Iudæa, vsque ad templi excidium sabbatum custodiuisse; idque ad scandalum vitandum, publicamque quietem, vt qui Iudæis magistratibus subessent. At vero in tanta necessitate, & periculo, sabbatis & fugere, & pugnare licitis, exemplo Machabæorum. Quomodo igitur Christus sabbatum proponit, tanquam impedimentum fugæ? Nec puto Christianos obligatos fuisse, vt sabbatum cum periculo vitæ seruarent, ne Iudæis essent scandalo. Non enim ignorabant Iudæi quid maiores fecissent præsidio in Antiochum. Hoc igitur ad Christi verba intelligenda considerandum est. Christianis & Iudæis omnibus sabbato licuisse fugere. Deinde tempore obsidionis sabbato fugam fuisse difficillimam, ac periculosissimam, quemadmodum hyeme. Quod facile explico. Nam primo constat Christi tempore fuisse superstitiosam sabbati obseruationem; qua ex re, Christo crebro lis inentata est, cum manum aridam sanaret, dæmonem ejiceret, paralytico lectum portare imperaret, vsque adeo vt ob eam causam mortem illi machinarentur: nihil enim adeo populare videbatur, quam sabbati violati pœnas exigere. Hinc etiam Augustus eos sabbatis ad vadimonia præstanda cogi lege prohibuit, imo addit: *aut pridie sabbatorum post horam nonam parasceues*: vt appareat legem à Iudæis conceptam fuisse. Ioseph. lib. 16. Ant. cap. 10. Vale autem eum diem coluisse constat ex historia quam recitat Synesius ad Euoptium de sua nauigatione. *Cum*, inquit, *exorta tempestate, peracta esset dies parasceues, & decidente sole, Iudæi qui nautæ erant, sabbatum inchoarent: qui clauum tenebat, mox vt solem reliquisse terram coniecisset, relicto clauo prosternit se, seque cuique calcandam exhibuit. Rati autem nauigantes id ex desperatione eum fecisse, omnes consternabantur: cum autem causam accepissent, quidam gladio euaginato necem eidem intendebant vt in opus incumberet: ille vero immobilis librum legebat legis, nec minus quam Machabæus aliquis mortem comminatam contemnebat. Sicque tota nocte, cum sequenti die, vsque ad tertiam noctis, sedit Iudæus otiosus; tunc vero sponte surrexit, & clauum omissum recepit.* Christus sabbatum sanctificauit.

In summis etiam periculis eos sabbatum olim seruasse constat ex Iosephi lib. 1. contra Apionem, Agatharchidem ille citat de Iudæis ista scribentem. *Qui vocantur Iudæi, habitant omnium munitissimam ciuitatem, quam vocant Hierosolymam prouinciales solent; hi vacare consueti sunt septima die, & neque arma portare in prædictis diebus, neque terræ culturam contingere, neque alterius cuiuspiam curam habere patiuntur, sed in templis extendentes manus adorare vsque ad vesperam soliti sunt. Ingrediente vero in ciuitatem Ptolomæo Lago cum exercitu & multis hominibus, cum custodire debuerint ciuitatem, eis stultitiam obseruantibus prouincia quidem Dominum suscepit amarissimum: lex vero manifestata est malam habere solennitatem. Huiusmodi autem casus, præter illos, alios quoque docuit vniuersos: Vt tunc ad somnia & opiniones quæ tradebantur de lege confugiant, dum circa res necessarias ratio nihil valet humana. Hoc quidem Agatharchidi videtur esse ridiculum: eis autem qui hæc examinant integrius, apparet magnum, & præcipua laude dignissimum: Si & saluti & patriæ quidem custodiam legum pietatemq; diuinam præponere concupiscant.*

Cum igitur Iosephus semigentilis, certe minus superstitiosus, hæc non reprehendat, constat sane alios in superstitiosissima sabbati obseruatione insaniuisse.

His de sabbato constitutis, hoc etiam addendum; fuisse inter Iudæos tumultus, & omnibus in vrbibus discordias; quod alii pacem, alii bellum cum Romanis suadebant, ideoque multos pacis amatores occisos, multos ad Romana castra profugos, eosque velut patriæ & legis proditores habitos. Iosephus lib. 4. belli cap. 5. *Sæuam inter belli & pacis amatores ait fuisse contentionem, omnibus in vrbibus, corruptam iuuenum manum, non prudentium, &c.* Et exponit, *Primo ante singuli indigenarum prædari cæperunt; deinde ex composito, confertis cuneis per territorium latrocinabantur.* Deinde nulla erat grauior aut promptior accusatio, quam ad Romanos fugisse, aut cum illis collocatum esse, vt Iosephus exemplo Antipæ, Leuiæ, Raguelis ostendit, & deinde Anani, & cap. 6. clarum est ex oratione Simonis ducis Idumæorum. Ideo & lib. 5. cap. 1. nobilium illi duodecim millia interficiunt, & Concilium aduersus Zachariam conuocant. Ad Vespasianum multi Zelotas fugiendo veniebant. Iosephus lib. 5. belli cap. 2. *Erat autem fuga difficilis, quod omnes exitus custodibus obsidebantur. Etsi quis ibi qualibet ex causa deprehensus fuisset, velut ad Romanos ire cuperet, interficiebatur, qui tamen eis dedisset pecuniam, saluus abibat: & qui non dabat solus proditor habebatur. Restabat igitur pecuniosis fugam redimentibus, solos pauperes iugulari. Mortui vero per omnes vias coaceruabantur innumeri multiq; etiam transfugere cupientium, rursus in ciuitate perire præoptabant, nam spe sepulturæ in patria mori tolerabilius videbatur.*

Difficilis igitur fuga erat per agros. Nam Massadenses, omnem Iudæam, & alii populabantur, Iosephus lib. 5. cap. 3. Erant tamen qui clam effugerent, at postea cap. 9. omnem viam fugæ præclusam ait Et 1. cap. 1. Idem plane ostendit. Duobus igitur malis premebantur, & summa fugæ necessitate, & summa fugiendi difficultate.

Et cap. 9. obsessa iam vrbe, qui vel vmbram fugæ dedisset, mactabatur. Perinde autem habebatur fugere, aut ad Romanos desciscere; ac legem prodere. Iosephus in vita sua, de Iesu filio Saphiæ. *Is tum præferens Mosis tabulas in medium progressus: Si vestri*, inquit, *nulla cura tangimini, at sacratas has leges nolite contemnere, quas publico odio prosequendus Iosephus iste vester dux sustinuit prodere, quantumuis atroci pœna dignissimus.*

Ex hisce facile est cognoscere, cur die sabbati fuerit periculosissima fuga. Cum enim sabbati cultus iam in summum adductus esset, si quis sabbato fugiens res aliquas colligeret, ferretque, aut consueto

longius iter faceret, tanquam violator sabbati accusabatur, & superstitiosis quidem occasio dabatur, vt calumniarentur, eos fauere Romanis, ad gentium ritus transire, aut sane esse Christianos. Aliis diebus idem periculum non erat; nam commeabunt hinc inde homines, vt itineri quisque posset causam aliam habere, vel prætexere, sabbati profanati crimen, eo tempore impietatis, apostasiæ, proditionis habebatur: Tyrannis autem & satellitibus optata sæuiendi causa offerebatur, vt quamuis illi omnia iura, legesque Dei pessumdarent, in sabbati tamen violatoribus puniendis se iustos, & religiosos esse monstrarent. Cum enim vndique calumnias in contribules confingerent, sponte & vltro oblatas occasiones eos dimisisse de manu, nemo facile adducetur, vt credat. Non igitur impeditum erat iter sabbato, & fuga, ob religionem, vel conscientiam fugientium, aut scandalum Iudæorum: sed furorem populi superstitiosi, & insidias tyrannicorum satellitum, quibus causa specio sa sæuiendi præbebatur. Quemadmodum si quem paschæ aut pentecostes die opus facere Christiani videant, facile coniiciunt eum religionem parui facere, ita quoque, sed multo seueriusin sabbati neglectu Iudæi statuebant.

VERSVS 21.

Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.

QVÆSTIO I.

Quænam illa tribulatio?

§. 1. MAior erit illa noua tribulatio, quam vetus, quæ Antiochi tempore Iudæos oppressit, vt Hilar. Deinde Tostatus etiam maiorem putat, quam ea quæ sub Antioch isto. Calamitates recensetIosephus toto tractatu de bello Iudaico. In ipsa obsidione Metropolis occisa sunt vndecies centena millia, capta nonaginta septem millia. Quod si generaliter rem consideremus, plures Cæsar occidit. Nam in Galliis absque bellis ciuilibus numerum æquauit: Bello autem ciuili in Gallia, Italia, Hispania, in acie Pharsalica, deinde contra Scipionem, & Pompei liberos belligerans, non paucos perdidit. Captiui eius multum superant Iudaicorum mancipiorum numerum. Hæc vnus Iulius, at quam multos inter im Pompeius, Crassus, alii imperatores, & proconsules? Lucas futuram dicit tribulationem illam, cum Ierusalem circumdabitur ab exercitu, & esse dies vltionis, fore magnam pressuram in terra; ita & populo huic, & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Magnæ tribulationes.

Hanc tribulationem S. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 8. ad finem sæculi refert, vt etiam illud de refrigescente caritate. Ita Iren. lib. 5. cap. 29. Ambros. in Lucam. Et ratio ostendit. *Nam Matthæus ait statim post tribulationem dierum istorum sol obscurabitur.* Verbum autem ἐυθέως non conuenit designationi temporum, si post millenos & sexcentos annos adhuc spacium, siue magnum, siue paruum supereſt; Christus enim loquitur more humano de temporibus, licet mille anni, imo centum annorum millia sint in conspectu eius, sicut dies vnus. In ratione tamen temporis vsurpat calculum humanum; alioqui cum dicit breuiatos dies, posset nihilominus quispiam aliquot annorum millia sibi imaginari. Sic & Marcus connectit, c. 13. 24. *Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur.* Nondum sol est obscuratus, nondum luna defecit; interea tot Christianorum per orbem totum millia occisa sunt, & grauius, & crudelius, quam sint tractati Iudæi. Nã vt illa quæ Iudæi fecerunt in Christianos taceamus, Neronianam persecutionem, & hortos illos ferales consideremus. Deinde Antichristi persecutio grauissima futura est, & generalissima; totam enim Ecclesiam opprimet, Apoc. 20. Vide Augustin. lib. 20. de ciuit. cap. 11. *Hæc erit nouissima persecutio, nouissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto orbe terrarum patietur, vniuersa scilicet ciuitas Christi, ab vniuersa diaboli ciuitate, quantacunque erit vtraque super terram.* Tertio persecutio illa acerbissima futura est, vt nec emere, nec vendere quispiam possit, nisi habeat imaginem bestiæ. *Antichristi persecutio.*

Christus in temporum calculo vtitur more loquendi vsitato.

§. 2. Oritur tamen ex Christi verbis difficultas. Non enim & de illa Titiana, & alia antichristiana dominus videtur posse loqui. Tribulatio enim hæc adeo magna est, vt alia maior aut par nec anteceſserit, nec secutura sit. *Non fuit*, inquit Matth. *ab initio mundi vsque modo, neque fiet.* Et Marc. 13. 19. *Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient.* Si igitur de Titiana clade intelligimus, ad tempora Antichristiana referre non possumus, cum parem dari neget Christus: si de persecutione Antichristiana, interpretamur; non possumus de Titiana; nam par præcessisset; itaque vna tantum, vnius temporis est persecutio.

Vidit eam difficultatem Augustinus, & soluit, Epist. 80. ad Hesychium. *Nam Iosephus qui Iudaicam scripsit historiam talia mala dicit illi populo tunc accidisse, vt vix credibilia videantur. Vnde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse à creaturæ initio, nec futuram. Sed & si tempore Antichristi, talis aut maior forsan erit, intelligendum est de illo populo dictum, quod ei talis amplius futura non erit. Si enim Antichristum illi primitus & præcipue recepturi sunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quàm passurus.* Euangelistas igitur de tribulatione Iudæorum locutos indicat Augustinus.

Non ergo maior fuit vnquam populi Iudaici tribulatio, nec erit, quam illa Titiana. Nec fuit maior Ecclesiæ Christi, nec erit, quam Antichristiana. Nec Iudaici populi, nec eius progenitorum, forte tamen aliarum gentium maiores fuerunt afflictiones. Atque hoc ipsum Lucas indicare videtur. Nempe de Iudæorum tribulationibus sermonem esse. Nam diserte dicit. v. 20. Tunc scitote, quoniam appropinquauit desolatio eius. Et v. 23. ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ. *Erit enim pressura magna & iræ populo huic.* De solis Iudæis dicitur. Nam obsidionis tempore inter gentes nõ fuerunt illæ tam grandes calamitates. Sub initio enim Vespasiani imperii orbis, etsi nõ omnino pacatus, solito tamen erat quietior. Comparatio igitur est inter Iudæos, qui bellum passi sunt, & eorum maiores & posteros. Maior vero Ecclesiæ totius erit afflictio tempore Antichristiano, tanta, quanta nec retro decem persecutorum imperiis, nec sub aliorum tyrannide fuit. Hæc vero ad Antichristi tempora interpretes plerique deducunt.

§. 3. Cum hactenus illa publica, & vniuersalis Ecclesiæ persecutio non fuerit, nondum etiam maximus ille mundi totius monotyrannus Antichristus rerum potitus est. Obstupui impudentiam Caluini, Bezæ, Parei, Brederodii, Poueli, Wittakeri, Rulli Bisileensis, Parei, Sutliuii, Sibrandi, Grolii Abbati, aliorumque, qui persecutionibus illis se petitos ab Antichristo seu Romano pontifice queruntur, cuius imperio, cum mille, vel octingentos, aut minimum sexcentos annos tribuant, suas tamen Ecclesias ad centum annos extendere, non possunt, & quidem impius interea mutata doctrina, vt in Iubilo Iubilorum probaui. Simul etiam alias ostendi plures Catholicos, honore, fortuna spoliatos ab hæreticis, quam à pontifi-

pontifice animaduersum lege fuerit in sectarios. Qua de vide Bellarminum lib. 3. de pontific. cap. 7. & in eius defensione nostrum Gretserum. Plura de hac calamitate in cap. 12. 1. Danielis. *Et veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt.*

VERSVS 22.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

QVÆSTIO I.

Quomodo & quando dies breuiati?

§. 1. AVgustino quæstionem proponit Hesychius de tempore extremi iudicii, & addit: *Breuiatos dies, ideo illos cognosci non posse.* Hoc Augustin. Epist. 80. prorsus intelligere se pernegat. Si enim ex pluribus fiunt pauciores, falsa est prophetia de pluribus. Nam non ignorabat angelus Dominum dies breuiatorum, nec prophetia Christi, prophetiam destruit Danielis, siue igitur dies singuli breuiores facti sunt, siue aliqui decurtati, vt essent pauciores, id à Daniele & à Christo prædictum est. Decurtati sunt autem seu κολοβωθησαν vt Marcus habet, à Domino. Non quod cum ante plures decem fuisset, postea vero resciso τῷ ῥίζματι in pauciores redegisset, sed quod curtos seu paucos esse iusserit à principio, sic arctare tempus dicitur, non qui abbreuiat, sed qui breue constituit.

Quomodo dies breuiati sint.

§. 2. Decurtati sunt obsidionis tempore. Cum enim diutissime Iudæi defendere se potuerint, breui in potestatem Titi venerunt. Nam primo seditionibus seipsi attriuerunt. Deinde frumentum pene omne, quod non paucis annis sufficere potuit, *incendio absumpserant.* Ioseph. lib. 6. cap. 1. belli. *Nullos apparatus fecerunt*, eodem loco, præsente Tito pugnant in templo, cap. 4. Imo Iosephus cap. 11. *Fontes Tito vberiores fuisse narrat, qui ante aruerant.* Ita properata est obsidio, cum Titus reliquias populi miseratus, liberare contendit, & nouos aggeres instruit. Et tandem ingenti periculo superat, multosque seruauit, quod si obsidio esset protracta, non esset *salua facta omnis caro*, sed propter electos dies illos Deus breuiauit. Hoc ergo tempus definiunt decurtationis dierum Chrysostom. & Potitatus, & nonnulli recentiores.

Tempus persecutionis Antichristianæ breuiatum.

§. 3. Hanc sententiam vt non oppugno, ita aliam potiorem esse demonstro, qua tempus persecutionis Antichristianæ breue fore promittitur. Durabit *enim per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, vt est apud Daniel. 12. 7. Deinde propter electos tempus persecutionis Antichristianæ breuiatum potius, quam obsidionis. Neque enim vel ad idola colenda cogebat, vel à Deo Titus auocabat. Imo sacrilegia illis obtectat. Ioseph. lib. 7. cap. 4. *Nonne vos cancello locum sanctum protexistis? Nonne literis Græcis ac nostris incisas tabulas constituistis? quibus ne septa cuiquam transire liceret, edictum? Nonne eos qui transissent, quamuis Romanus esset, non necare permisimus? Quid igitur in eo etiam mortuos conculcastis, o nocentissimi? aut cur templum externi, & gentilis sanguinis confusione polluistis?* Promittit deinde non accessurus ad templum Romanos, si illi inde discedant, seruabo autem, inquit, vobis etiam nolentibus. Dedititios autem pontifices, quod sciret illis grauem esse alienigenis moribus versari, misit Gophnam, vt quieti illorum consuleret, ad nullum crimen igitur electos impellebat. *Titus, at nec seditiosi.* Clarum autem videtur ex vers. 24. *Surgent enim Pseudochristi, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, (si fieri potest) etiam electi.* At à signis seditiosorum, & prophetarum quos subornarunt, signa & prodigia non fuerunt, connectuntur autem ista. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Tunc si quis vobis dixerit*; Hoc tempore breuiatorum dierum. *Surgent enim pseudoprophetæ, &c.* At vero Antichristi tempore pugna religionis, & persecutio non externa modo, sed etiam spiritalis erat, vbi periculum labendi est, non vbi de imperio certatur. Lucas qui alia ad Ierosolymitanam obsidionem accommodat, de abbreuiatione dierum omittit. Itaque tanta seductio, quæ etiam electos afflat, tempore Antichristi fuit: neque Iosephus, nec vllus auctorum est, qui tempore obsidionis tanta signa & prodigia facta dicat, vt Christianos à fide abduxerint. Sed rapinas, crudelitates, & scelera prodigiosa omnia inundabant. Nec ideo omisit, quod bellicis intentus illa negligeret, cum ad belli causas pertinerent. Deinde prophetæ quos seditiosi producebant, siue eorum duces, non Christos alios, Ioannem, Eleazarum, aut Simonem dicebant: sed vt est versu 5. dicebant: Ego sum Christus: sed neque magi de quibus lib. 2. cap. 12. loquitur Iosephus tanta signa faciebant.

Seditiosi nō faciebant miracula.

Seductores, inquit Iosephus, *homines & circumuentores, sub specie religionis nouis rebus studentes, vulgus insanire fecerunt. nam in solitudines egrediebantur, promittentes Deum signa eis ostensurum libertatis. Contra quos Felix (videbantur quippe semina defectionis esse) mittens equites atque pedites armatos, magnam multitudinem interfecit. Maiore autem plaga Iudæos afflixit Ægyptius quidam pseudopropheta. Adueniens quippe, in prouinciam. Magus cum esset, Prophetæ opinionem sibi arrogans, triginta ferme millia hominum congregauit, quos vana seductione deceperat. Et circumducens eos, de solitudine in montem qui vocatur oliuarum, inde ad Hierosolymam nitebatur ascendere: depulsoque Romanorum præsidio in populares exercere dominationem. Vtebatur autem stipatoribus, qui ad id facinus conuenerant. Præuidit sane eius impetum Felix, & occurrens cum ipsis Romanis armatis, quos etiam Iudæorum reliqua multitudo iuuabat, iniit conflictum. Et Ægyptius quidem cum paucis fugit. Plurimi autem qui cum ipso fuerant comprehensi atque vinculis traditi sunt. Reliqua vero multitudo in regiones proprias dispersa est. Compressis vero his etiam, sicut fere in agro corpore, rursus pars altera tumescebat. Magi enim quidam & latrones collecti, multis afflictionem inducebant: & quasi ad libertatem vocabant, mortem apertissimam comminantes, his qui Romanorum principatui obedire voluissent: vt vel reluctantes auerterent eos qui spontanee ferrent seruitutem. Dispersi ergo per totam regionem diripiebant quorumque potentium domos, eosque insuper trucidabant: inflammabant etiam vicos, ita vt desperatione eorum tota Iudæa protinus impleretur.*

Seducunt illi quidem aliquot millia, sed tamen pauci erant, qui illos Christos credebant; Nam tres illi principes obsidionis tempore à nullo homine, ne à suis quidem, satellitibus pro Christis habiti sunt: à ciuibus, vero & sacerdotibus Iudæorum pro sæuissimis latronibus æstimabantur. Etsi igitur quispiam suspicari sine vlla auctoritate velit, quasdam illusiones magorum illo miserabili tempore fuisse, in metropoli Iudæorum, non tamen signa & prodigia fuerunt talia, vt posset quispiam credere latronem aliquem Messiam esse, aut si talia fuerunt, vt multi crederent, non id historiæ tacuissent.

§. 4. Quomodo pro Ecclesia pugnando Deus tempus decurtarit, vi spiritali Antichristum euertendo suo loco ostendam. Nunc eius rei typum in obsidione Christus demonstrat, cum pro Romanis contra sacrilegos steterit. Ioseph. lib. 6. cap. 1. & lib. 7. cap. 16. *Intrò Titus ingressus, & alia, & ciuitatis munitiones, ac turrium cautes miratus est, quas tyranni per dementiam deseruerant,*

rant, conspecta quidem earum solida altitudine, itemq; magnitudine, subtilia, lapidum compagine singulorũ, quantumq; paterent, quantumq; erigerentur. Deo, inquit, plane adiuuante pugnauimus. Et Deus erat, qui detraxit ab istis munitionibus Iudæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machina ad istas valerent? Quin Titus se Dei instrumentum fuisse, ad gentis impiæ excidium professus est. Forte inter obsidendum veteres historias Bibliorum, & prophetias legit, & in illis: *Assur virga furoris mei.* Itaque oblatas à vicinis prouinciis coronas recusauit, vt Philostratus habet lib. 6. *Se enim eo honore indignum testatus, non esse sua illa opera, se Deo iracundiam suam demonstranti commodasse manus.* Hæc Titus modeste vsus Victoriâ, nec sua sponte in Iudæos sæuus. Interim tamen etiam respiciendum, vt dixi, ad extremum diem. Chrysostomus de Antichristo proxime sequentia interpretatur: ἐν παθᾶ τὸν ἀντίχριστον φησι, καὶ δείκνυσι τινὰς, καὶ ἀλλοκοτοσμοὺς αὐτοῦ· καὶ ἓν καὶ παῦλον φησὶν [ἅτος] καλέσας δὲ ἄνθρωπον ἁμαρτίας [ἢ] υἱὸν ἀπωλείας ἐπήγαγε. ἔ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν δὲ σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει ἢ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδεσ, ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. *Id est*, Antichristus autem significatur, cui nonnullos etiam ministraturos ostendit: quem Paulus hominem peccati, filium perditionis appellauit. Deinde adiecit, cuius aduentus est secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & prodigiis mendacii, in omni deceptione iniustitiæ, in his qui perduntur.

VERSVS 24.

Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

QVÆSTIO I.

Quæ signa Pseudoprophetarum?

Signa falsa. §. 1. IAm ostendi signa obsidionis tempore non esse edita: quæ magnitudine sua possent quemquam à fide abducere. Ioseph. l b. 7. cap. 12. oraculo excitatos ait ad rebellionem, & cap. 11. *sex millia à propheta deceptos confugisse ad porticum in qua cremati sint.* Miracula tamen illis tribuit omnino, nulla in obsidione.

§. 2. Signa & prodigia magna vocat, non vera, non quod reuera magna essent, sed quod ita Satanæ astu facta sint, vt magna viderentur, aut si, vt dixi, facta non sint, futura sint: nam ad Antichristum Chrysostom. Theophil. aliique referant. Magnitudinem eorum Christus ex hypothesi demonstrat, ita vt in errorem inducerentur, (si fieri posset) etiam electi. Possunt induci in errorem electi, si eorum spectes naturam & infirmitatem; sæpe etiam in graues errores, & peccata reipsa inducuntur, resurgunt tamen, & salus eorum ex electione vocantis restituitur. Hic Christus loquitur de illo errore, qui perpetuus est, & ad mortem perseuerat. Tam igitur magna illa signa sunt, tam verisimilia, vt electi illis credere, à Christo recedere, atque in apostasia mori possent, si prodigiorum efficacia, cum eorum viribus conferatur, quia tamen electi sunt, stante hypothesi diuini decreti quod immutabile est, & certissime saluat, quos elegit, non possunt seduci. Possunt eorum corda concuti, vt Gregor. l b. 33. moral. fatetur, non concidunt tamen. Non est exaggeratio, vt putat Origenes. Nam tempore Antichristi multi magni & fortes cadent: vt est apud Daniel. 12. 10. atque hoc est quod Rabanus monet. *Electos secundum Dei iudicium non cadere, electos secundum humanum iudicium cadere.* Talia sunt signa, quæ facit bestia, & pseudopropheta in Apoc. c. 13. 14. *Et seduxit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.* Hæc signa vt plurimus exponit Tostatus sunt talia, quæ non superent naturalem agendi potentiam, quæ est in spiritibus immundis. Talia sunt de quibus Clemens l. 2. recogn. Augustin. l. 10. de ciuit. Dei. Iustin. in apologia. Magna est in rerum naturalium motione, & mutatione potestas. Hinc *Vide Pag.* naturaliter multa faciunt, quæ mira non sunt, sed nobis talia videntur. Miraculum autem verum est, quod est supra rerum naturas, vt mortui suscitatio, cæcinati illuminatio. Quæque nulla creatura potest efficere. Hinc omnia miracula pseudoprophetarũ sunt mendacia: non quod non veros effectus aliquando edant, sed quod effectus reuera naturales, causarum sola ignoratione hominibus admirandos.

QVÆSTIO II.

An sanctorum miracula reijcienda sint, quia miracula etiam videntur facere pseudoprophetæ?

§. 1. MAgno furore orthodoxorum miracula eradicant hoc loco Caluinus, Bullingerus, sed *Prouocant.* maiore stultitiâ, si enim vera quæ fiunt à Dei seruis *Calu.* miracula repudianda sunt, quia illa imitantur & magi, dæmonum pedissequi, in eundem censum reponenda sunt etiam Christi & Apostolorum miracula. Imo omnis pietas abneganda est, quia pietatis speciem induit, & videntibus imponit hypocrisis; denique ouibus sua vellera ponenda, quia illis aliquando reguntur & lupi. Statuendum vero est illam veram Ecclesiam non esse, in qua nulla eduntur miracula. Videmus enim ab Exod. 4. à missione Mosis miracula per desertum, & consequentia Iudæorum tempora vsque ad Christum continuata, atque adeo nostro tempore plurima. Adeo vero illa est nota necessitas vt Christus dicat: *Si opera non fecissem, peccatum non haberent.* Et Paulus 2. Corinth. 12. & 1. Thessal. 1. & *Mendacia.* Hebr. 2. miraculis se doctrinam firmasse pronunciat. *Vide mi-* Quin Deus sub finem sæculi mendacibus Antichristi *racula.* signis vera suorum prophetarum miracula opponet, vt docet Apocalypsis. Quin etiam Lutherus fatetur de seruo arbitrio; nullum sine miraculis nouum dogma admittendum. At nulla hactenus in sectariorum Ecclesiis miracula visa sunt: & tamen si facere viderentur, tanquam mendacia nobis vitanda esse, ex Christi verbis didicimus. Quare Deus magna misericordia nostri sæcul. hæresibus miracula negauit, etiam falsa. Quid enim non perficerent, si fraudibus *Fides.* consuetis etiam præstigias addere possent? Ligatus est Satanas, non potest, quod optat. Quod igitur Neroni contigit, vt ait Plin. lib. 30. cap. 2. vt Magiam addiscere non posset, etsi nec ingenium, nec opes, nec voluntas, nec studium, nec præceptores deessent: ne summa potentia veneficis artibus armaretur; hoc etiam diuina prouidentia decreuit, ne nostri hæretici, cum inter eos magi non desint, vlla possent, vel falsa miracula confirmandæ perfidiæ producere, cum tamen veteres Valentiniani, Marcionitæ, Gnostici, Montanistæ, Donatistæ, aliique omnibus modis in hoc incumberent, & fidem miraculis sibi conciliarent. Vide Iren. l. 1. c. 8. Epiph. hæres. 48. Euseb. l. 5. c. 3. Augustin. tract. 6. in Ioan. Greg. Tur. l. 2. c. 3. hist. Franc. Quinetiam circa finem mundi, cum solutior erit Satanas,

tanas, pseudoprophetæ præstigiis illudent incredulis. Semper enim ab orthodoxis obiectum est: si noui Apostoli sunt, noua signa edant, si traditam fidem veterem inficiantur, tot miraculis comprobatam, nouitatis suæ fidem suscitandis mortuis astruant. Hinc olim conabantur; etiam Lutherus, teste Staphylo p. 1. absolutæ respons. & Caluinus recensente Bolseco c. 13. in vita Caluini. Verum nullo successu, adeo vt posteris omnem spem præciderint. Hinc vertitur in accusationem miraculorum Caluinus. [Porro cum " antichristos & mendaces prophetas miraculis fore " pronunciet, non est quod tantopere superbiant Pa- " pistæ hoc obtentu, vel ipsorum iactantia territemur; " &c. Si excipiant, hoc modo euerti miracula; quibus " tam legis, quam Euangelii sancita fuit auctoritas: Re- " spondeo certam spiritus notam illis insculptam fuisse; " quæ dubitationem, & errandi metum fidelibus exi- " merent. Doctrinam obsignati miraculis vt illa quoq; " vicissim reluceat. *Et concludit.* Denique si ab impo- " sturis cauere placet, sit apud nos individua signorum " & doctrinæ coniunctio.]

Respondeo mendaces prophetas non præiudicare veris, nec præstigias miraculis. Nec Catholici miraculis superbiunt, sed diuinam cum bonitate potentiam, & cum seueritate iustitiam coniunctam laudant, quod Ecclesiæ Catholicæ ministris dederit potestatem miraculis doctrinam confignandi, hæreticis negatit. Apud Catholicos est individua signorum & doctrinæ coniunctio; apud eos falsa doctrina, nulla signa. Ideo nulla auctoritas doctrinæ, nulla reuerentia ministris; quia nullum est veritatis sigillum. Nec obstant nobis præstigiæ magorum: quia nec Christo, nec Apostolis. Falsi doctores cauendi sunt, non ideo omnes doctores. *Certam spiritus notam esse in veris, quæ metum erandi auferat*, inquit Caluinus. Recte sane, notam illam nemo Caluinianorum exhibuit; nemo enim miracula fecit. Quæ vero illa nota? Non indicauit eam Caluinus, ne deprehendi posset. Nota est, si illa faciant fideles, quæ si Deus promisit, si dæmones eiiciant, cæcos illuminent, mortuos suscitent, eisque factis sermonem prædicationis à Deo firmatum auditoribus tradant, atqui hæc adeo à multis sanctorum millibus præstita sunt, vt aut omni penitus historiæ fides detrahenda sit, aut hæc credenda. Habent testes omni exceptione maiores Cyprianum, Hieronymum, Eusebium, Ambrosium, Augustinum, Basilium, Nazianzenum, Nyssenum, Chrysostomum, omnes Ecclesiæ scriptores: hodie etiam adeo multa contigerunt, vt nec hæretici negare audeant. *At impostura esse* aiunt. Ita Bullingerus hoc loco. Melanchthon in c. 14. Rom. Brentius in prologomenis. Centuriat. cent. 5. cap. 10. & toto examine horum posteri. Habent illi quos imitentur Porphyrium, Eunomium, martyrum veteres tortores, qui miracula quæ inter ipsa supplicia videbant, magiæ tribuebant. Hæc eadem Ariani, hæc Iconoclastæ, hæc Vigilantius obiectabat. Imo à Phariszis & scribis hæc didicerunt, qui dominum in Beelzebub eiicere dæmonia calumniabantur, audiant D. Hieronymum lib. 4. cap. 4. aduersus Vigilantium. *Argumentatur contra signa atque virtutes, quæ in basilicis martyrum fiunt; & dicit eas incredulis prodesse, non credentibus: quasi nunc hoc quæratur quibus fiant & non qua virtute fiant. Esto signa sint infidelium: qui quoniam sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem & Dominus incredulis signa faciebat: & tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant, sed maiori admirationi erunt, quia tanta fuere potentia, vt etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas signa infidelium sunt: sed responde quomodo in vilissimo puluere & fauilla nescio qua, tanta sit signorum virtutum, præsentia. Sentio, sentio infide-*

lissime mortalium quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere, immo hodieq; torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in ceteris confitetur. Nisi forte in morem gentilium impiorumque Porphyrii & Eunomii has præstigias dæmonum esse confingas, & non vere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium: ingredere basilicas martyrum, & aliquando purgaberis: inuenies ibi multos socios tuos; & nequaquam cereis Martyrum, qui tibi displicent, sed flammis inuisibilibus combureris: & tunc fateberis, quod nunc negas; & tuum nomen qui in Vigilantio loqueris, liberè proclamabis, te esse aut Mercurium propter numinorum cupiditatem, aut Nocturnum, iuxta Plauti Amphitryonem.

Nos eadem eisdem hæreticorum erroribus opponimus. Nam in martyrum Basilicis eadem, imo & plura fiant miracula, idque etiam propter hæreticos infideles.

Atque hoc sane scire velim, an post Apostolorum tempora, quæ in historiis Ecclesiæ, patrum monumentis sunt scripta miracula, omnia falsa arbitrentur? an vero donum miraculorum etiam viris Apostolicis concessum esse, nec Ecclesiam auxilio opportuno ad gentium conuersionem destitutam? si aliqua concedant, cum omnia illa sint Catholicorum, nulla vero Caluinianorum, consequitur fidem nostram miraculis firmatam.

§. 2. Præcipue in miracula illa inuehuntur, quæ per imagines fieri consueuerunt, vel ad memorias sanctorum. Bullingerus hoc loco. [Et quoniam nullis argumentis, pensant miraculis, & prodigiis, & iis minime vulgaribus. Notissima est Maria, speciosa cognominata, apud Regenspurgenses, non sine prodigiis & miraculis visitata, addit Lauretanam, Aquensem, Eremitanam; tanta istorum virtute signa dicebantur patrata, vt nihil mirum fuisset, si vel piissimi à veritate ad mendacium defecissent.] Sed cur deficerent, si Deus ad suæ matris memoriam miracula facit? An quia suos honorat Deus ideo piissimi ad mendacium deficient? Multo pluribus locis verissima miracula conspiciuntur, vt in æde Dittelbacensi, vt est apud Trithemium: vt in Vrticeto apud Helprunam vide Bredenbach. Lindanum, Canisium lib. 5. Marial. cap. 25. Lipsius scripsit historiam Sichimensem, Hallensem. Eisengreinius Oetinganam, alii alias, nec ficta sunt, sed vera miracula tot probata testimoniis atque etiam oculis principum, & magnatum, adeoq; hæreticorum, vt negari non possint. Cur vero imaginum, vel reliquiarum sint falsa miracula, cum vmbra Petri liberaret ab infirmitatibus? Actor. 5. sudariis & semicinctiis Pauli dæmones & morbi fugarentur? Actor. 19. Eiusdem generis illa nostra sunt, eadem Christi virtute peracta. In translatione corporum Protasii, & Gerualii cæcum esse sanatum, teste ciuitate grandi, & imperatore, lib. 22. cap. 8. de ciuitate docet Augustinus. Integri libri ex Augustino aliisque colligi de miraculis illis possunt. Cur igitur illa creduntur, hæc nostra non creduntur? aut cur ideo nostra negantur, vt & illa negentur, & hoc gradu veniatur ad neganda etiam Domini & Apostolorum miracula, quibus sublatis de fide dubitetur? vt autem credatur vnum, maximumque miraculum, ascensus Christi in cœlum facta sunt multa miracula, quæ partim sactis literis, partim aliis gestis Ecclesiasticis continentur. *Nam facta*, inquit Augustin. lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. *esse multa miracula quæ atteslarentur illi vni grandi salubriq; miraculo quo Christus in cælum cum carne in qua resurrexit ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc vt fidem facerent, innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt multo cla-*

rius innotescunt. Leguntur quippe in populis vt credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula, in eius nomine siue per sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias sanctorum eius, sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari, & memoria cunctorum inhærere populorum: hæc autem vbicunque fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate, vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit ciuitas, & quando alibi, alijsque narrantur, non ea tanta commendat autoritas vt sine difficultate vel dubitatione credantur quamuis Christianis fidelibus, à fidelibus indicentur. A paucioribus ergo sciuntur, sed tamen certo. Reliqua capitis lector persequatur, omnia miracula nostratibus similia intelliget esse.

Hæc autem ad fidei confirmationem facta docet, cap. 9. *Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres, huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando sed moriendo vicerunt, pro ista fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cuius nomen occisi sunt. Pro hac fide præcessit eorum mira patientia, vt in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.*

Hæc martyres impetrasse, pro his miraculis antecessisse miram patientiam demonstrat. Et argumentum inuictum, omnibus irrisoribus opponendum conficit. *Nam si carnis in æternum resurrectio vel non præuenit in Christo, vel non ventura est, sicut prænunciatur à Christo, vel sicut prænunciata est à prophetis, à quibus prænunciatus est Christus: quare Martyres tanta possunt, qui pro ea fide, qua hæc resurrectio prædicatur occisi sunt? Siue enim Deus ipse, per seipsum miro modo, quo res temporales operatur æternus, siue per suos ministros ista faciat: & eadem ipsa, quæ per ministros facit, siue quædam faciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos: siue omnia ista per angelos: quibus inuisibiliter, immutabiliter & incorporaliter imperat, operetur: Vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant: siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt: ei tamen attestantur hæc fides, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur.* Non ideo quia gentes illa cauillabantur, Augustinus hæc arma ponit, sed eorum conscientiis illa contra verborum prætextus opponit.

Gentium miracula.

§. 3. Nondum tamen calumniandi finis. Dii gentium, Magi Pharaonis, Simon Magus, Apollonius Tyanæus, imo ipse, quem Messiam multi crediderunt Vespasianus, miracula fecerunt. Ita Exod. 5. 6. 7. Actor. 8. 9. Philostrat. lib. 5. Tacit. lib. 4. Sueton. in Vespas. cap. 7. Fecerunt, & fidei confirmandæ fecerunt.

Respondeo. Hoc ipsum recte eos facere, quod tantam sui cognoscendi nobis adferant facultatem. In castris enim gentium contra Christi, & martyrum miracula militant. Id igitur illis respondendum est, quod ethnicis respondet Augustinus lib. 22. cap. 10. de ciuitat. Dei. *Hic forte dicturi sunt, etiam Deos suos aliqua mira fecisse. Bene si iam incipiunt Deos suos nostris mortuis hominibus comparare. An dicent etiam se habere Deos ex hominibus mortuis, sicut Herculem, sicut Romulum, sicut alios multos, quos in Deorum numerum receptos opinantur. Sed nobis Martyres non sunt Dii: quia vnum eundemq; Deum & nostrum scimus & Martyrum: nec tamen miraculis quæ per memorias nostrorum martyrum fiunt, vllo modo comparanda sunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum. Verum si qua similia videntur, sicut à Moyse Magi Pharaonis, sic eorum Dij victi sunt à martyribus nostris. Fecerunt autem illa Dæmones eo fastu impuræ superbiæ, quo eorum Dij esse voluerunt. Faciunt autem ista martyres vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, vt fides illa proficiat qua eos, non Deos esse nostros, sed vnum Deum habere nobiscum credimus. Denique illi talibus Diis suis, & templa ædificauerunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed vni Deo & martyrum & nostro sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat inuocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoria sacrificent eorum: quia Dei sacerdos est, non illorum.*

Nos igitur hæreticis noua docentibus, noua scribentibus sigillo veritatis nihil confirmantibus ne credamus. *Credamus autem eis,* (martyribus) *& vera dicentibus, & mira facientibus. Dicendo enim vera passi sunt, vt possent facere mira.* Hæretici nec vera dicunt, nec patiuntur, sed inferunt persecutionem, nec faciunt mira; sed sanctorum opera, ne homines mirentur, calumniari pergunt. Ficta autem gentium miracula, & impostura fuisse, exitus docuit, atque adeo ipsorum docent historici, vt Tacitus de Vespasiano, morbos illos à medicis iudicatos esse curabiles. Addam quæ lib. 10. de ciuitat. Dei cap. 16. idem habet Augustinus. *Cum Deus id egerit ad commendanda eloquia veritatis suæ, vt per istos immortales nuncios, non sui fastum sed maiestatem illius prædicantes faceret maiora, certiora, clariora miracula, ne infirmis pius ille, qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum quædam stupenda monstrarent, quæ tandem ita desperet libet vt non vera eligat, quæ spectetur, vbi & ampliora inuenit quæ miretur? Illa quippe miracula Deorum gentilium quæ commendat historia, non ea dico, quæ interuallis temporum occultis ipsius causis mundi, veruntamen sub diuina prouidentia constituta & ordinata, monstrosa contingunt: quales sunt inusitati partus animalium & cœlo, terraq; rerum insolita facies: siue tantum terrens, siue etiam nocens, quæ procurari atq; mitigari dæmoniacis ritibus fallacissima eorum astutia perhibentur. Sed ea dico, quæ vi ac potestate eorum fieri satis euidenter apparet. Vt est quod effigies Deorum penatium, quos de Troia Æneas fugiens aduexit, de loco in locum migrasse referuntur: quod eodem Tarquinius nouacula secuit quod Epidaurius Serpens Æsculapio nauiganti Romam comes adhæsit: quod nauim qua simulachrum matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumq; conatibus immobilem redditam vna muliercula zona alligata ad suæ pudicitiæ testimonium mouit & traxit: quod virgo vestalis de cuius corruptione quæstio vertebatur aqua impleto cribro de Tiberi neque perfluente, absoluit controuersiam. Hæc ergo atq; alia huiusmodi, nequaquam illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt: quanto minus ea, quæ illorum quoq; populorum, qui tales Deos coluerunt legibus indicata sunt perhibenda atq; plectenda, magica scilicet ac theurgica? quorum præraq; specietenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quale est lunam deponere, donec suppositas vt ait Lucanus propior desumet in herbas. Quædam vero etsi non talibus factis videantur opere coæquari, finis ipse quo dirigunt incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tanto minus sacrificiis colendi sunt, quanto magis hæc expetunt: His vero vnus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere & scripturarum suarum testificatione, & earundem posthæa sacrificiorum remotione demonstrat.*

Atque ista in præsens sufficiant. Interim videri potest Damascen. de fide l. 4. c. Niceph. l. 2. c. 7. Euagr. l. 4. c. 7. Ruffin. l. 1. cap. 7. Theod. l. 1. c. 18. Socr. l. 1. c. 13. Sozom. l. 1. c. 1. Euseb. l. 7. c. 14. & l. 1. c. 27. de vita Constant. Na-

Nazianz. orat. 1. in Iulian. Epiph. hæres. 30. Athanas. in vita S. Antonii, Hieron. de Hilarione. Nyssenus de Gregor. Thaumaturgo. Paulinus lib. 3. de Martino, & in eiusdem vita Sulpitius. Ignatius ad Philipp. Ambros. lib. 10. Epist. 85. Chrysostomus de Caten. Petri &c. Basilius de mamante; & 40. Martyribus, Prudentius de Laurentio, Agnete, Hippolyto. Nilus ad Heliodorum. Hæc qui calumniantur aut negant, iam dudum etiam Christum negauerunt, câq; solum causa in seruos Christi tam sunt insolentes. Quod si doctissimum, simul & lectu iucundissimum vtilissimumque de miraculis Ecclesiæ tractatum videre libeat Christiano lectori, Friderici Forneri Palmam triumphalem legat, in qua præstitum inueniet, quicquid hactenus in eâ materiâ desiderari potuit.

VERSVS 23. 25. 26.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis; Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus nolite credere.

QVÆSTIO I.

Quomodo dicent hic, aut ibi est Christus?

§. 1. QVi magna necessitate premitur, quodlibet auxilium arripit: Miseriæ enim hominem faciunt credulum vt secunda facile somnient, & meliora promittentes diligant. Itaq; tempore obsidionis & antecedente, cum bellum iam gereretur, quidam impostores salutem promittentes trepidis, & exspectatione suspensis, dicebant: *hic, vel illic est Christus* ὧδε vel ὧδε. Hoc vel hoc loco. Duo vero loca præcipue nominant. Desertum, & penetralia, ταμεῖα, loca conclusa, munita. Eo enim auocabant impostores credulum populum. Hoc etiam futurum est in illa magna tribulatione, quæ superuentura est vniuerso orbi. Iam etiam fieri per Antichristi præcursores, & metatores videmus. De excidio Ioseph. l. 2. c. 12. *Seductores namq; homines, & impostores sub religionis specie nouis rebus studentes, vulgus insanire fecerunt. Nam insolitudines aggrediebantur, promittentes Deum signa illis libertatis ostensurũ. Contra quos felix, (videbatur enim semina defectionis esse) mittens equites atque pedites armatos, magnam multitudinem interfecit.* Narrat deinde de Ægyptio, qui 30000. è solitudine in montem Oliuarum eduxit. Simon etiam in deserto 40000. latronum collegit, quibus Hierosolymam instructus venit. Zelotæ in penetralibus, & templi adytis hærebant.

Quomodo in deserto dicit

§. 2. Ridiculum planè est, quod Caluiniani ex hoc loco sacramentum Eucharistiæ impugnant. Quasi illi, qui verbis Christi credunt, Hoc esse corpus eius, sint ex his prophetis, qui dicunt, *hic, aut illic esse.* Hi enim cauere monentur eos impostores, qui alios Christos prædicant, aut Christi aduentum annunciant specie aspectabili: non illos, qui veritatem sacramenti asserunt. Vide Bellar. l. 1. de Euch. c. 14. Non separamus Christum vnum hic, & alibi, & in cœlo agnoscimus. olim ita vsus habuit, vide Ambr. de excessu fratris Satyri, c. 7. Optatum l. 2. contra Parmenianum: secum in intimis habuerunt, in templis reposuerunt domi asseruarunt, & verum Christi corpus credebant.

Errant in Eucharistia

§. 3. Non minus ridiculus est Bullingerus. Constituit primo hæc ad extrema tempora pertinere. Deinde emersuros ait, [qui salutem illis in rebus constituent, in quibus non est. nempe hic, aut illic, in locis, personis, intercessionibus diuorum. Romæ, Ierosolymis, Compostellæ. Luco Matiæ Eremiticæ, Phano Aquansi, missis, confessione, indulgentiis, cærimoniis. His veram liberationem impetrari, cum non sit salus nisi in vno filio Dei, Domino nostro, nec nisi per fidem.]

Calumniæ Bullingeri.

Respondeo. Nondum comperisse me, qui in his remissionem, & salutem constitueret, quæ in solo est Christo, per fidem & caritatem. Grauissimè sane peccatur, si aliunde petitur salus. Loca ad salutem non faciunt. Inter sanctos versari potest impius, vt inter Sodomitas innocentiâ tutus sua Lothus. Indulgentiis peccatum non remittitur, nec legi, qui hoc sentiat, aut si quispiam id scripsit, hæreticus est. Pœna temporaria, quæ culpæ remissæ superesse solet, tantummodo condonatur. Sanctorum interces siones eo modo, quo viuorum, prosunt. Sunt tamen quædam loca, quæ sanctè visitari solent; vel quia in illis sunt plura ad pietatem incitamenta, vel quia in illis Deus operatur, quæ alibi nusquam facere dignatur. Elegit montem Oreb in quo legem daret, Vrbem Silo in qua tabernaculum, Ierusalem in qua templum haberet. Elegit varias memorias martyrum, de quibus Augustinus loco, iam ante citato. Quod si ea loca in quibus frugum, aut vini alterius ue rei copia à Deo præstatur, commodorum causa adeunt profani homines. *Hic segetes illinc veniunt felicius vuæ;* cur tandem aut Deo non liceat, quo visum fuerit loco diuitias suæ bonitatis expendere? aut quæ inuidia est, si eo, vbi est vberior beneficentia sese conferunt, qui suæ sibi indigentiæ sunt consci?

VERSVS 27.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis.

QVÆSTIO I.

Cur Christi aduentus fulguri comparatur?

§. 1. SIne vlla controuersia, aut vllius interpretis dissensione, aduentus Christi, qui hic describitur, ad finem mundi pertinet; nullus enim alius futurus, quam ille similis fulguri, omnia complexus, omnia collustrans. Ex quo clara ratione deduco; proximos versus qui antecedunt eodem referendos. Consequentiam claram facit particula causalis, *Sicut enim.* Syllogismus enim ille est. Cuius aductus est, sicut fulgur, quod exit ab Oriente & paret vsque in Occidentem, de eo dicendum non est, ecce hic est, aut illic, in deserto, aut in penetralib⁹, nec credendũ prophetis ista dicentibus. Sed talis erit aduentus filii hominis sicut fulgur: non ergo dicendũ est, hic aut illic est. Maior manifesta est: fulguris enim lux ingens, omnibus est conspicua, & celerrima. Hac ex argumentatione concluditur, Christum præparare discipulos suos ad eum aduentum, qui extremus est, & contra eos pseudoprophetas, qui eum antecedent. Si versus 23. 24. 25. & 26. ad hoc tempus pertinent, idem etiam dicendũ, de versu 22. quia vers. 23. ita habet: Tunc si quis dixerit, &c. Tunc, hoc est tempore dierum breuiatorum. Hoc si conceditur, etiam vers. 21. ad finem mundi referri debet. Nam dies breuiati sunt tempore tribulationis magnæ. Aduentus igitur Christi plenus erit luce, & maiestate, non ibitur eius causa ad desertum, non quæretur in conclauibus.

Aduentus Christi vltimus prædicitur.

Beza fulguri Euangelium comparat, quod verum est, non tamen Caluiniano conuenit, quod in

tenebris perseuerat, & iam crebro errorum fluctuatione, & inconstantia mutatum est. Hæc etiam cum proxime antecedentibus ad secundum aduentum Chrysostomus accommodat. Καὶ ὅρα πῶς ἀσφαλίζεται. μὴ ἐξέλθητε, φησὶ, εἰς τὴν ἔρημον μὴ εἰσέλθητε εἰς τὰ ταμεῖα. οὐκ εἶπεν ἀπέλθητε, καὶ μὴ πίστευσητε. ἀλλὰ μὴ εἰσέλθητε, μὴ ἐξέλθητε, μὴ ὅλως ἀπέλθητε. ἡ γὰρ πολλὴ πότε ἡ ἀπάτη; Μᾶλλον καὶ σημεῖα γινέσθω ἀπάτης. εἶπὼν τοίνυν πῶς ἐκεῖνος ὡφθήσεται οἷον [ὅτι] ἐν τόπῳ, λέγει πῶς καὶ αὐτός. πῶς ἔν καὶ αὐτός; ὥσπερ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δύσεως, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία ἡ ὑὸς ἀνθρώπου. ὅπου γὰρ ἂν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ καὶ οἱ ἀετοί. πῶς ἔν ἡ ἀστραπὴ φαίνεται; ἐὰν ἔλθῃ ἀπαγγέλλοντος, ἐὰν ἔλθῃ κήρυκος, ἀλλὰ καὶ πᾶς ἐν οἰκίαις καθήμενοις ἐν ἀκαριαίᾳ ῥοπῇ τὴν οἰκουμένην δείκνυται [πάσην] ὅτως ἔσται ἡ παρουσία ἐκείνη ὁμοῦ πᾶσιν ἅμα φαινομένη. Μᾶλλον τὴν ἔκλαμψιν τὴν δόξης;

Id est: Perspice autem quomodo cautiores facit. Non exeatis inquit, in eremum, non introeatis in penetralia: non dixit, Ite & non credite: Sed non exeatis neque introeatis: magna enim fraus propter signa futura est. Cum ergo dixerit quomodo venturus est Antichristus, quia in loco aliquo futurus, tunc de seipso demum exposuit. Quomodo igitur ipse venturus est? Sicut fulgur exit ab Oriente & apparet vsque in Occidentem, ita erit aduentus filii hominis. Quomodo igitur fulgur apparet? Non indiget certè præcone aut nuncio, sed in momento temporum omnibus apparet; sic igitur aduentus ille statim propter gloriæ splendorem vbique videbitur.

VERSVS 28.

Vbicunq; erit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

QVÆSTIO I.

Quid prouerbio illo: vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ indicatur?

§. 1. NOster legit σῶμα *corpus*, quod est fere in Græcis πῶμα, *cadauer*. Quamuis & corpus pro cadauere poni soleat. vt ille,

Quod corpus humandum, &c.

Nihil hic opus disputatione; quomodo Christus πῶμα corpus, quomodo sancti vocentur aquilæ. Nam simplex est comparatio, qua occurrit dubio, quod mouere discipulis promptum erat; Si enim aduentus hominis tanta celeritate emicabit, vt sit;

Sancti Christo iungun-tur.

Et ventis, & fulminis ocyor alis:

quomodo igitur eo fruentur sancti? nonne mox ex oculis euanescet, quemadmodum illa in monte Thabor? Huic ille cogitationi respondet. Spiritali quadam atq; arcana vi fore, vt sibi iungantur eadem celeritate electi: ferentur enim obuiam Christo in aera. Atque ad hoc vtitur noto, & familiari prouerbio, quo significatur duorum indiuisa coniunctio. Vt cum dicimus Latine, vmbram sequi corpus, vbi enim corpus est in luce, non timendum ne desit vmbra. Aut vbi ignis, ibi & fumus. Ita, inquit, non est timendum ne cadaueri desit aquila, ita nec à me separabuntur electi: alludere videtur ad Iob 39.30. Pullí eius lambent sanguinem, & vbicumq; cadauer fuerit statim adest. *Vide quæ de hoc loco noster Pineda.* Aquilis in vniuersum tribuitur vesci cadaueribus & procul dubio non omniũ generum commune est, sed alicuius tantum: sicut enim non omnes sunt carnium oræ, nam vna quæ Iouis appellatur carnes non attingit. Sed ad victum ei herba satis est, vt Ælianus scribit; ita Aristot. ex aquilis vnum tantum genus videtur nominare quod cum cadaueribus versatur, & forte hæc est, quam Perenopterorum Plinius vocat, Ieiunæ semper auiditatis, & quę rulę murmurationis, quę sola aquilarum examina fert corpora, quod descripsit ex Aristotele l. 9. c. 32. atque Oppianus testatur. Aquilas nullum attingere cadauer nisi forte ab ipsis relictum post venationem. Itemque de Falconibus & Accipitribus scribit Albertus. Quod videtur facere cum ipsa præstantia & superbia animalis; Sicut enim Leo quadrupedum rex, dedignatur cadauera, sic etiam & aquila regina volucrum. Cæterum dubitari non potest, quin cadaueribus gaudeat aliquod Aquilarum genus, tum propter hunc locum, tum propter illud Matth. 24.28. Luc. 17.37. Vbicunq; fuerit corpus (mortuum) illic congregabuntur aquilæ, quod hic dicitur, statim adesse. Quod autem hic dicitur cadauer, proprie est in originali corpus occisi, aut vulnerati, vt videatur respicere illam peruulgatam vulturum proprietatem præsentiendi, atq; etiam præsagiendi futuram hominum stragem. nam huiusmodi vultures sanguinarii sunt, & sanguinem exsorbent. Propterea scribunt, hominem vicinum ad moriendi diligenter obseruare. Tum etiam expeditos in bellum exercitus præsensione quadam consequuntur, plane scientes, & quod ad bellum profisciscuntur & quod omnis pugna strages edere solet. Quare illud quod ab Ælianо scribitur. c. 13. Futuro bello septem ante dies, quam pugna committatur, locum prænidere, in eamque partem, in qua alterutra pars succumbet, respectare. Vel vt Plinius scribit c. 6. Triduo ante aut biduo volare vbi cadauera futura sunt. quod referendum potius videtur ad odoratum acutissimum, quo ex longissima distantia odorem percipit cadauerum. Quo profecto alludere potest illa, quam diximus ex Ieremia & Abacuc, hostium velocitas instar Aquilarum ex longissima distantia conuolantium, vel propter cædis præsagium, vel propter certitudinem; non enim secus accelerabãt, quam si iam cadauerũ odorem percepissent vt statim tempore adessent, quippe hostes instar vulturum, non nisi ex alieno damno & sanguine pascuntur & pinguescunt. *Hucusq; Pineda.*

VERSVS 29.

Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur.

QVÆSTIO I.

Quod signum in Sole & Luna?

§. 1. VIm textui inferunt, qui hæc ad signa quædã Iudaicæ calamitatis reducunt. Agitur de signis præcedentibus extremum iudicium. Alii vero cum legunt εὐθέως *statim*; post tribulationem dierum illorum particulam εὐθέως per multas centurias annorum extendunt, quos supra refutaui, & refutat eos hoc loco Chrysostomus. Θλίψιν δὲ πάσαν λέγει ἁμαρτίας καὶ ἀνηκεστίας, καὶ τῶν ψευδοπροφητῶν θλῖψις δὲ τόπου ἐστὶ μεγάλη, τοσούτων ὄντων τῶν ἀπατώντων. ἀλλ' οὐκ ἐκτείνεται εἰς χρόνον μῆκος. εἰ γὰρ ὁ ἰουδαϊκὸς πόλεμος Μᾶλλον τῶν ὅλων ἐκολοβώθη. πολλῷ μᾶλλον ὅτος ὁ πειρασμὸς συντμηθήσεται Μᾶλλον τῶν αὐτῶν; Μᾶλλον τοῦτο οὖν εἶπε μετὰ τὴν θλῖψιν, ἀλλ' εὐθέως μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, σήλιος σκοτισθήσεται. ἐμοὶ γὰρ χέδον ἄπιστα γίνεται, οὔτε γὰρ ψευδοπροφῆται ἐφ' ἑ-

δοκεσεν

ἀδικεῖσθαι ἢ συνθλᾶσθαι ὑπὸ χωμάτων. καὶ οὐδέπω αὐτὰς παρεῖναι· ἢ δὲ μικρὸν τότε μέλλει κατέχειν τὰς ἀκτῖνας οἰκεῖον ῥεῦμα.

Id est: Quorum dierum? Antichristi scilicet & falsorum prophetarum? Magna enim tunc tribulatio futura est, cum ita multi futuri sint seductores, quamuis non longis temporum spatiis perdurabit. Nam si bellum aliud aduersus Iudæos propter electos breuiori tempore fuit dissolutum, quanto magis propter eosipsos contrahetur illa tentatio? Propterea non dixit post tribulationem, sed addidit statim post tribulationem: ita ferè simul omnia peraguntur, & pseudoprophetis & pseudochristis perturbantibus confestim ipse aderit.

Nihil alienius est, quam hominibus dicere statim futurum quod longe futurum est.

§. 2. Solis & Lunæ obtenebrationem nonnulli metaphoricè interpretantur, alii propriè; omnes tamen docti signa iudicii sequentis esse asserunt. Aug. Epist. 80. de Ecclesiæ oppressione interpretatur, sublato iugi sacrificio, cunctisq; valde afflictis. Causas habet; Non enim tam horrenda sunt signa illa in solis & lunę obstrationibus, & sæpe visa sunt, non ergo nunc ea horrescere conuenit, quæ sepe euenire consueuerunt.

Deinde videretur ex illis dies Domini certus apparuturus. Quin solent in prophetis accipi Metaphoricè Isa. 13. 9. & 10. Ierem. 15. 9. Ezech. 32. 7. Ioel 2. 20. Amos 8. Ezech. 32. Ambrosius in Lucam expositionem spiritalem adhibet. sed literalem quasi certum, & historicum constituerat. Hilar. Hieronymus, Orig. tract. 30. Theod. Rupert. Beda veram solis & lunæ tenebrationem agnoscunt: & recentiores omnes. Proprie enim Scripturæ accipienda est, cum nihil proprio sensui obstat. Deinde Lucas ait fore signa in Sole & Luna, quod non potest nisi planè coactè de Ecclesia explicari, & ne dubitemus cum proprie loqui, addit: *& in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum. Arescentibus hominibus præ timore*, &c. Quin Petrus ait, *cœlos magno impetu transituros*, Græcè ῥοιζηδὸν cum stridore. 2. Ep. 3. 10. & v. 11. omnia dissoluenda sunt. & v. 12. *cœli ardentes soluentur*. & v. 7. *Igni reseruatos dicit in diem iudicij*. Non igitur mirum si obscurentur Sol & Luna, & cœli exurentur, strideant, omnia turbentur. Quod ad similes prophetarum locutiones attinet. Origen. loco citato, Cyprianus ad Demetriadem, Chrysost. Perænes. ad Theod. lapsum. Tertull. de resurrect. carnis c. 22. proprie interpretantur, & ipse Augustinus fatetur talia frequenter contigisse; at nunc maior erit, horribiliorque obscuritas; nec inde certus dies colligi potest indicii, sed non multum abesse: *scitote*, inquit, *quia prope est in ianuis*. Quomodo obscuranda sint luminaria illa magna, coniecturis potius, quam sententiis exponitur. Alii luce suâ naturali priuanda, alii solum effectum illuminationis impeditum iri. Alii oppositum siderum alioru m; alii nubium concursu lucem auferendam, alii Eclipses varias arbitrantur fore. auctores & loca recensere in re incerta, non est operæ precium.

Solis luminis obtenebratio.

QVÆSTIO II.

Quomodo stellæ casuræ sint?

§. 1. CAsum stellarum comment. Hierony. & Beda aliiq; retractionem luminis ex Ioele interpretantur. c. 3. *Et Stellæ retraxerunt splendorem suum*. Origenes cadere existimat, quod à lumine nõ sustineantur. Alii meteora ignita, cometas, & stellas cadentes quas vocant, fore putant. quamuis enim non proprie cadat stella, potuit tamẽ cecidisse videri. Causa vero cur stellas cadere nõ credant, est triplex: Quod graues nõ sint, q̃ sint incorruptibiles, q̃adeo magnæ, vt totã terram obruerent. Verum illa peripatetica dogmata hac quidem in causa locum non habent. Non enim naturalis rerum ordo iam perseuerat, sed diuinâ potentiâ mutatur, & mundi perituri signa præcedunt. Quemadmodum igitur sonitum maris & fluctuum, Solis, & Lunæ tenebras propriè interpretamur; ita stellarum quoq; lapsus eâdem manu Dei vibratas dicemus, idque contra naturam, quemadmodum Solis & Lunæ tenebræ naturales illis corporibus non sunt. Quod si stellas negamus cadere, & ad tropum refugimus, ne terram obruant, aut etiam exhalationes esse dicimus, causam dicere non possumus, cur in Sole & Luna verborum proprietatem retineamus. Auellentur igitur, *& erunt decidentes*: contra naturam fateor, sed & Sol contra naturam obscurabitur. Neq; necesse est interram cadere stellas integras, neq; hoc dicitur, satis est, si longissime spacio descendant, aut collisione, aut angelorum opera, nec tamen negauero, vel partes stellarum, vel integras steliulas, quarum est numerus innumerabilis decuti, quas enim nos videmus maiores sunt, quam terrâ capi possint, cum minima earũ multis partibus terram superet. At paruulæ, quæ v. gratia lacteam viam constituunt, aut partes maiorum, decident. At erit contra naturã. scilicet verendum ne Deo id non liceat, qui montes suspendit subter labentibus vndis & naturarum pugnas quotidie spectat, quarum multæ quotidie naturam, contra naturam amittunt, quod nunc in parte, in illa die fiet in vniuerso, quem commotiones stellarum vt dixi antecedent. Stellarum casus proprie interpretor, nec mirum, cum cœli ardentes soluendi sint. Nec audio hic Aristotelem, cui cœlum ideo est incorruptibile, quia est ingenerabile. Si factum esse mundum intellexisset, etiam corrumpi posse doeuisset. Miror sane quosdam Philosophorum illi tam firmiter inhærere, cum rationes eius necessario refutare oporteat.

Stellarum casus.

Quæ stellæ casuræ.

Aristoteles hic non audiendus.

QVÆSTIO III.

Quomodo virtutes cœlorum mouebuntur?

§. 1. VIrtutes Græcè vocantur δυνάμεις, potestates siue potentiæ. Nec agitur hic de energia & efficientia, qua se res ipsę ad agendum concitent, vimque suam exerant, sed de violenta, quæ ab extrinseco fit, concussione. Hoc enim indicat dictio σαλευθήσονται, *concutientur, fluctuabunt*, vt debiles, quiq; in lubrico pedem figere non possunt, aut vti nauis in mari fluctuat. Ex quo constat non esse angelos orbium motores, vel exercitus alios angelorum, iudicium quodammodo horrentes, ob eius seueritatem. Angeli enim iustiq; omnes gaudebunt, summaq; exultatione exspectabunt diem illum, in quo Dei iustitia eluceſcet, & quemadmodum terrentur dæmonum tormentis, & damnatorum ita nec seueritate iudicii. Chrys. August. serm. 130. de tempore, Oecum. & alii hanc sententiam probabilem existimant. Etiam cœlestes ministri pauebunt, & formidine contremiscent, vt putat Augustinus. Verum cum de se securissimi, damnationes quotidie audiant, videantque supplicia, cum in damnatione Babilonicæ meretricis Deum laudent, & illi, & sancti omnes, nolim illis aliquem pauorem tribuere. Cum etiam commotio illa iudicium antecedit. Si angelos motores intelligendos sic arbitremur, sic accipiendum esset, vt ipsi cœlum alio modo mouentes, quasi fluctuarent, verum quocumque cœlos moueant, ipsi immobiles persistunt, neque σαλεύονται. Alii virtutes cœlorum dicunt stellas; earum enim lux est, viresque, & influentiæ in hæc inferiora, hac in sententia hoc solum difficile est, quod Dominus, iam stellas nominarat expresè, vt causa non videatur, cur iterum obscurè vocet virtu-

Virtutes cœlorum.

virtutes, cumque casuras de cœlo dixerit, cur nunc mouendas dicat. Vocantur quidem militia cœli Isai. 34. Tabescet omnis militia eorum, quæ verba de extremo iudicio Patres interpretantur Epiph. in ancor. Euseb. l. 11. de præpar. c. 27. Tertull. contra Hermog. c. 34. Iustin. q. 93. ad orthodoxos.

§. 2. Cum igitur nec angeli sint, nec stellæ, ipsos cœlos potentes seu robur, & firmamentum cœlorum mouendum Christus dicit. Iob. 22. 14. *cardines cœli*, sicut Deut. 30. 4. *cardines terræ*, & Iob. 36 30. *cardines maris*, itaque ratio obscurationis solis & lunæ, & cadentium stellarum pronunciatur; ipsa enim cœlorum fundamenta, & tota corpora quatientur, poli locis suis emouebuntur, vt sit quædam corporum cœlestium confusio. Iob c. 26. 11. *columnas cœli appellat.*

VERSVS 30.

Et tunc parebit signum Filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate.

QVÆSTIO I.

Quod signum filij hominis?

§. 1. MAgno consensu de signo crucis interpretati sunt Patres. Chrysost. *Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Hoc est, crux ipsa: crux enim sole fulgentior videbitur: obscuratur enim sol, crux autem apparet: quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret. Cuius autem rei gratia istud signum apparet? vt magno cumulo Iudæorum impudentia opprimatur, crucem in suam iustificationem secum habens, in iudicium veniet. Non vulnera solum, sed etiam acerbum ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens? tunc plangent tribus, non enim accusantibus opus erit cum crucem viderint. Plangent igitur quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt. Vides quomodo terribiliter aduentum suum descripsit? quomodo animos discipulorum suscitauit? idcirco prius tristia posuit, deinde iucunda commemorat, vt vel hoc modo eos consolaretur. Caterum passionis rursus atque resurrectionis ex præstantiore habitu crucis meminit, vt iam non pudeat eos, nec dolor inuadat, cum in signum tum proponenda sit. Alius autem* videbunt, *inquit*, in quem pupugerunt, *propter quod vtiq; plangent tribus videntes quod ille ipse sit, quem crucifixerunt: Verum quoniam crucis mentionem fecit, ideo subiecit:* quia videbunt filium hominis non in cruce, sed venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria multa. *Noli enim credere, quia crucem audisti, tristem & amarum futurum, sed cum virtute & gloria magna venturum, non dubita. Crucem autem secum habet vt peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur veluti quis lapide percussus ipsum lapidem vel cruentas vestes in testimonium ostendat. Veniet autem in nube sicut assumptus est: hæc omnia tribus videntes, flebunt, sed mala sua non in solo fletu terminabuntur. Et fletus quidem erit, vt à seipsis proferre sententiam & seipsos condemnare aspiciantur.*

Et Augustin. tract. 118. in Ioan. *Postremo quid est, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi: Quod signum, nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex quâ regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

Signum crux. Signum enim notum esse debet, quod proprium est Christum signum, quod velut regium vexillum, ipsum iudicem antecedat. Tale signum non est aliud, nisi signum crucis. Apparebit autem ἐν ἔργοις, alii codices, ἐν ἔργοις *in cœlis*, Φανήσεται *splendebit, conspicuum erit.* Nondum ita nota crux erat discipulis, vt signum aut vexillum regium iudicarent: itaque certum aliquod signum fore iudicarunt, ipsis tum quidem ignotum, vt rectè Tostatus monet. Tota tamen Ecclesia est in hac sententiâ. *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Vide hoc loco Chrys. Hilar. Bedam. Consolationi erit iustis, qui tanto precio redempti sunt, & impiis terrori, qui tantam neglexerunt salutem. Ideo plangent se, κόψονται collisis palmis, suo dolore & pœnitentia peccata sua detestabuntur.

§. 2. Eadem illa crux, in qua dolores & mortem Christus sustinuit; Ita ex Sibyllâ.

O lignum felix in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis.
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

Ita Thom. Wald. 3. p. tit. 20. c. 158. Ita & S. Ephrem. de pœnit. cap. 4. Magna luce præceder, vel ab angelis deferetur. Anselmus præferendum existimat. Ex quo etiam Bell. lib. 2. cap. 28. de imaginibus probat S. Cruci honorem haberi posse, qui tamen ad Christum referatur.

§. 3. Ne crucem Caluinus admittat, ipsum Christum a tfore signum, & velut vexillum, totius mundi intuitû in se conuersurum. Bulling. *signum*, ait, *venturi filij hominis in iudicium. Alludit*, inquit, *ad morem regum ac principum seculi qui in militiam aspugnam egressuri, prius signa ad quæ miles spectet, ac congregetur, proferunt.* Signum igitur aliquod est, quod iudicem præcedit, non ipse Iudex. Zwingius vero parum conuenienter. Metaphoricam locutionem ait, *Periphrasin esse accinctus & aduentus profectionis diuinæ.* Er wirdts Banet/ oder Zeichen außstecken/ *ergo certissimè veniet. Signum apparebit, hoc est præparat se, iam veniet. Erigit signum.* Additautem, solent duces primum signa erigere, & exerere, antequam exercitus proficiscatur. Signum igitur aliquod Christus erexit, apparuit signum filii hominis, cuius aspectu plangent omnes familiæ terræ, deinde videbunt filium hominis. Si sane diceretur, iam apparuit signum imperatoris, & timuerunt hostes, & tunc viderunt imperatorem venientem: nemo sanus non distingueret Imperatorem à signo Imperatoris.

Mirum autem est, quosdam esse tam inimicos crucis Christi, vt cum dicit Scriptura, signum filii hominis apparituram, & visuros filium hominis ipsi negent signum appariturum præter filium hominis, cum idem Eucharist â vbi est filius hominis, signum filii hominis imaginentur.

QVÆSTIO II.

Quomodo veniet filius hominis?

§. 1. ΜΕτὰ δυνάμεως, καὶ δόξης πολλῆς, *cum potestate, & magna gloriâ.* Veniet autem in nubibus, sicut ascendit. Magnâ corporis, & animi gloriâ externo etiam splendore. Nam c. 25. omnes angeli cum eo. Omnes enim in iudicio tanquam re omnium maximâ assistent, vide Dan. 7. Soarez us noster in corporibus assumptis venturos putat; sic enim & tubam inflabunt, & sic ascendente Domino apparuerunt. De angelorum frequentiâ, Dionys. c. 14. cœlestis Hierarch. ex Zachar. & Iudæ Epist. Ex quo etiam apparet Christi diuinitas in cuius ministerio sint omnes angeli. Caetera quæ ad maiestatem pertinent alijs in locis propriam habent expositionem.

VER-

VERSVS 31.

Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum.

QVÆSTIO I.

Quomodo Angeli mittuntur?

§. 1. Mittet cum tubâ. μετὰ σάλπιγγος, veram tubam intelligo, seu potius tubas, quia Angelos plures. Qui tubam spiritalem hoc loco substituunt, imprimis à verborum proprietate discedunt. Deinde necesse est, vt pariter vocem spiritalem confingant, Quam si concedant, iam omnia spiritalia eadem operatione facient; si enim aduentus Christi est aspectabilis, non sunt negandi illi ministri etiam aspectabiles, & sonus tubæ, qui regum est. Nolim sanè τῷ φωνῷ μεγάλῳ dicere non esse propriè vocem. Alioqui & congregatio electorum à quatuor ventis pari ratione dicetur spiritalis; cum tamen omnia corpora eorum in vnum congreganda sint, ab omni parte mundi ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, à summis cœlorum vsque ad summũ. Syrus vocem & tubam cõiungit ܫܝܦܘܪܐ ܪܒܐ *Schofura rabba, tuba magnâ.* Dum ergo Christus veniet, tanquam Deus, electos momento congregabunt Angeli, sonante tubâ subsequente voce magnâ vocantium Angelorum.

Præsagia iam ante dixit, nunc ostendit, inter signa & aduentum non multum interesse temporis, non erantilli visuri, sed posteri: illis autem dixit, vt monerent posteros. Fici folia, & ramorum teneritudo signum est æstatis, ita hæc signa iam venientis iudicii. Chrysost. ἐντεῦθεν ἑτέρου τινὸς προφητεύει θέρους πνεύματος καὶ ψυχῆς καὶ ὑπενίττει ἑστηκότας ἐν ἁμαρτωλοῖς τοὺς ἐναντία χειμῶνα λέγοντας εἶναι θέρος ὅπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἐδήλωσεν εἰπὼν τῶν φύλλων αὐτῶν ἐκφυόντων ἐπιγινώσκετε τὸ θέρος ἐγγύς ἐστιν. διὰ τοῦτο δὲ μυστικῶς τὸ συκῆς τέθεικεν ἵνα τὸ ῥῆγμα δηλώσῃ. οὐ γὰρ ἦν ἄτοπος αὐτοῦ ἡ ἀφασία. ἀλλ' ἵνα κἀντεῦθεν πίστωσαι τὰ λεγόμενα ἅπαντας.

Idest: Hinc etiam prædicit æstatem tunc spiritualem, tranquillitatemq; à fluctibus huius vitæ iustis hominibus futuram: iniustis autem à Contrario hyemem ac terribiles tempestates post æstiuam tranquillitatem venturas, quod paulò post significauit dicens: Iam illis viuentibus, diem illum esse venturum. Non autem eâ ratione tantum modo, vt spatium temporis designet, ficus similitudine vsus est, cùm & aliter id significare potuisset; sed vt omnino futuram rem confirmaret.

Omnia vero futura dicit, antequam generatio illa pereat, hoc est, humanum genus, in quo electi & iusti erunt, vsq; ad finem sæculi.

Alioqui etiam apud profanos prouerbium est, fici folia esse signa æstatis.

VERSVS 36.

De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.

QVÆSTIO I.

An Iudicij diem Christus nescierit?

§. 1. IGnorantiam Christo tribuerunt hæretici Themistiani, qui idcirco Agnoetæ dicti sunt. Ariani ex ignoratione iudicii illius impugnabant diuinitatem, vt est apud S. Athanasium multis locis, quorum aliqua postea citabo. Bullingerus Christum ait suscepisse ignorantiam, eodem modo Caluinus. Inter omnes insignis est stoliditas Friderici Braunbomi Papæ hoffensis, initio librorum decem, quos vocat; Florum Flaminiorum, seu Romanensium, Papalium, seu Bapalium. Is pag. 9. [Ausim, *inquit*, dicere, nulli antehac « visa in lucem profero, ab aliis allata, vera astruo, falsa « corrigo, dubia stabilio. *& pag.* 5. nec sine prospertimo « successu, præfiscine dixerim. *Illius verba sunt*: Non Da- « nielipse, non angelus Danielis instructor, non anima « saluatoris plena sapientiæ, numeros Danielicos intel- « lexit, quia non curauit, nondum enim tempus: ideo « nec Apostoli.] Loquitur de numeris Dan. 12. 6. Tempus tempora, & dimidium temporis, & 12. 11. & 12. Intelligere se tamen profitetur, & demonstrare. Imo omnia digerit, vt ipse videatur S. Trinitatis consilia tempestasse, compendio tradidi libro de incremento hæreseon. pag. 575. *Hæretici Christo, ignorantiã tribuunt.*

Primò, antè annum Domini 86. iam pridem conceptus erat Antichristus.

Secundò, anno 86. natus est.

Tertiò, anno 376. adolescens erat.

Quartò, anno 636. virilem ætatem agebat.

Quintò, anno 711. erat ἐν ἀκμῇ.

Sextò, anno 1086. Antichristi ætas vergens, Ecclesia reformata nascens.

Septimò, anno 1376. Antichristi ætas inclinata, Ecclesia reformata adolescet.

Octauò, anno 1636. Antichristi ætas decrepita, Ecclesiæ reformatæ vita.

Nonò, anno 1639½. Antichristi paroxysmus.

Decimò, anno 1641. Antichristi mors.

Vndecimò, anno 1711. Antichristus, Iesuitæ stirpitus exciduntur, Ecclesia reformata ἐν ἀκμῇ.

Duodecimò, anno 1711. ResVrreCtIo, Magna aDpoLos. VeL tartara.

Ne vero ignorare quicquam videatur anno 1639½. nouit fore paroxysmum Antichristi, adeo in numerato habet & menses.

§. 2. Orthodoxi Patres & Doctores; Christum hominem docent diem illum scisse, Chrysostomus multis argumentis. Τῷ μὲν πνεύματα ἐφώνα καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ οὐδὲν ἦν ἄδηλον ἢ καιρὸν τῆς κρίσεως οἶδεν; ἀλλὰ τῷ μὲν πῶς δεῖ κρίνειν οἶδε, καὶ τὰ ἑκάστου ὑπόρρητα ἅπαντα, ὁ δὲ οὐ πολλῶν τούτων ὕστερον τοῦτο ἔμελλεν ἀγνοεῖν; πῶς δὲ εἰ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, τὴν ἡμέραν ἠγνόησεν; ὁ δὲ τὰς αἰῶνας ποιήσας, εὔδηλον ὅτι καὶ τοὺς χρόνους. εἰ δὲ τοὺς χρόνους, καὶ τὴν ἡμέραν πῶς οὐκ ἴσμεν ἀγνοεῖ; καὶ ὑμεῖς μὲν αὐτοῦ, καὶ τὴν ὥραν οὐδένα φατέ, τὸ δὲ μόνον οὐδὲ τὴν ἡμέραν; τὸ δὲ πάντος ἐν τῷ κόλπῳ ὄντος τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ παιδὸς μείζονα, πῶς οὖν τὸ μεῖζον ἑαυτοῦ διδόντες, οὐδὲ τὸ ἔλαττον σὺν χωρεῖτε τῷ υἱῷ ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας, καὶ τῆς γνώσεως ἀπόρρητοι; ἀλλ' ὅτε ὑμεῖς ἴστε τὴν ὥραν, ὁ θεὸς καὶ μυριάκις ταῦτα μανήνθε, ὅτε ὁ υἱὸς ἀγνοεῖ τὴν ἡμέραν. ἀλλὰ καὶ σφόδρα θαύμασα τοῦτο. Διὰτοι τοῦτο πάντως εἶπων, καὶ τοὺς χρόνους, καὶ τοὺς καιρούς, καὶ ἐπ' αὐτοὺς τοὺς ὠδῖνας ἀγαγὼν ἐγγὺς δὲ ἐστιν ὅτε ὠδῖνας φησίν. ἀπεσίγησε τὴν ἡμέραν. εἰ μὲν γὰρ ἡμέραν ζητοῖς, καὶ ὠδῖνα οὐδὲν ἂν τοιοῦτον ἐφθέγξατο. ἐγὼ πάντως οὐ μὴ ἀπολέσεις. ὅτι μὲν γὰρ οὐκ ἀγνοῶ λέγει πολλῶν ἕνεκα ἔδειξα διαπεμπόμενος εἶπων, καὶ τὸ συμβησόμενα ἅπαντα, καὶ ἴσον ὑπὸ τοὺς τὸ χρόνον μέχρι τῆς ἡμέρας αὐτῆς τέτο γὰρ τῆς συκῆς ἐδήλωσεν ἡ ἀποβολὴ, καὶ ὅτι τὰ ὠδίνων ἐστὶ σημεῖα [αὐτά] εἰ δὲ μὴ ἀνέξῃ σοι αὐτὰς τὰς ὠδῖνας. καὶ τέτο συμφερόντως ποιῶ ἵνα μὴ ἐπερωτήσῃς μάθῃς, ὅτι τῆς ἀγνοίας αὐτὸ τὸ σιγῆσαι ὅρος μὴ τῶν εἰρημένων πῶς καὶ ἄκρο ποιήσῃ σημεῖον. *Christus diem iudicii nouit.*

idest,

id est: Præterea etiam Spiritus Dei profunda inuestigat, filius verò nec tempus quidem iudicii nouit? Sed quomodo quidem iudicare oporteat, non fugit eum? & arcana singulorum clam eo non sunt: quod autem multo vilius est, id ignorat? Adhuc quomodo is per quem omnia facta, & sine ipso factum est nihil, eum illam ignorabit? Qui enim sæcula fecit, is profectò creauit & tempora, vtique & diem produxit. quomodo igitur quem ipse produxit, ignorat? Deindè vos vel ipsius substantiam filii non ignorare affirmatis, filio vero nec illius diei cognitionem conceditis, filio dico, qui semper in sinu Patris est? Et certe multo magis imò verò absque comparatione maius quid substantia filii est quam dies illa. Quomodò igitur cum maiora vobis attribuatis, hæc minora filio concedere non vultis in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & cognitionis occulti? Sed neque vos scitis quænam sit substantia Dei, quamuis furore incitati hoc affirmetis: neque filius diem illam ignorat. Quapropter cum omnia dixerit, & tempora & tempestates exposuerit, ac ad ipsas demum ianuas peruenerit, propè enim est, in ianuis, inquit, diem ipsam reticuit. Ita si diem atque horam curiosè scrutaris, non audies à me ait: sin vero tempora & initia, nihil, celabo, sed omnia tibi exacta dicam diligentia. Multis enim tibi ostendi non esse mihi diem illam ignotam: spatia temporum & res venturas tibi prædixi, & quantum ex hoc tempore ad illum diem. Idem enim ficus parabola designauit: ad ianuas denique ipsas te duxi: est tum verò si nolo tibi aperite ex commodo etiam tuo id facio. Sed vt aliundè quoque discas non ex ignoratione ipsum dicere recusasse, sed ea quæ dicta sunt, aliud quoque signum proponit dicens.

Athanasius disputat. in Consil. Nicen. Λοιπὸν πάντων τῶν ἐφονόμων ἐστὶν ἐπιγνῶναι ἐκ τῶν προσημανθέντων ἐκ δὲ σωτῆρος τὴν ἡμέρας καὶ ὥρας, ὅτι γινώσκει ἀσφαλέστατα πότε μέλλει ἔρχεσθαι, καὶ ἐπικαθιστάνειν ἅπαντα, καθὼς προεῖπεν πρὸς τὸν ἀπιόντα αὐτὸν βαλλων καὶ δὲ πατρὸς αὐτοῦ. λαβὼν γὰρ τὸ εὐαγγέλιον ἐν χερσὶν, ἀνάγνωθι τὴν παροιμίαν, δὲ μαθὼν παρὰ δὲ ζητήσεις, καὶ ἔσῃ σὺ πάντα κατάδηλα, ὡς ὅτε ἀγνοεῖ ὁ κύριος τὴν ἡμέρας, εἰ δὲ ἠγνόει, πῶς ἠδύνατο τὰ μηδέπω ὄντα, μήτε μὴν χρόνια σημεῖά τε καὶ παρατηρήσεις, ἅπερ προέχουσι προ τῆς ἡμέρας, προλέγειν; ἕως γὰρ τῆς συντελείας, καὶ παρουσίας ἑαυτοῦ προεδήλωσε τὰ σημεῖα ἢ τὰς ποιότητας αὐτῶν, ὡς δύνηθῃ, καὶ τὰς παραδιατριβὰς καὶ φιλοπονίας ἐπιγνῶναι τὸν καιρὸν ἐκ τῶν προμεμνημένων παρὰ δὲ κυρίου. *id est*: Iam prorsus est hominum sapientium deprehendere ex tot indiciis, de die & hora, à seruatore pronunciatis, ipsum certissime cognoscere, quando venturus sit & restituturus omnia quemadmodū prædefinitum est ab indiuiunctibili sua cum Patris voluntate. Sume enim in manus Euangelium, & lege partem eam Matthæi, quæ est de hac quæstione, & omnia tibi innotescent, quam non ignarus fuerit huius diei Dominus, alioqui si ignarus fuisset, quomodo ea quæ nondum contingebant signa & notamenta diem istum antecedentia prædicere potuit? Nam vsque ad consummationē & aduentum suum, signa notasq; rerum præiudicauit, adeo vt qui diligentiores sint & laboriosiores, tempus illud agnoscant ex admonitis Domini.

Et oratio. 4. contra Arianos, & ad Serapionem. Aliorumque Patrum est eadem sententia, qui pro hac causa contra Arianos fortissime, & multo cum sanguine depugnarunt.

§. 3. Quo sensu vero ignorasse filium dicat, id nunc exponendum est. Nam absolutè falsum est Filio Dei diem iudicii ignotum; Deus enim est. Explicatione igitur aliqua generalis propositio restringenda est.

Nonnulli particulam; *neque filius*, delent, sed ita omnibus est apud Marcum. Vide Ambrosium libro 5. capite 8. de fide. Nonnulli negant in hac vita secundum humanam naturam sciuisse in ascensu ad Patrem cognouisse. Themistiani etiam diuinitatem ignorasse putarunt, quod in humanam conuersa natura, eius ignorantiam contraxisset. Multi ignorasse ne explicaret. Nescisse non sibi sed aliis, corpus enim suum quod est Ecclesia, celatum voluisse. Sensumque esse; nescio, vt vobis reuelem. His si obiciat, eodem modo, vt Patrem nescire. Respondent: Patrem reuelasse filio, filium nulli. Acutius nescisse diem qua homo est, non quod humano intellectu non comprehenderit, sed quod ratio cognoscendi non humanitas, sed diuinitas fuit: itaque scisse, quia erat homo Deus, puris hominibus non conuenire illam cognitionem. Aliqui non solum dicere Christum se nescire, sed etiam Patrem solum scire, quo videtur & Spiritum sanctum excludere. Itaque ideo negat, se scire, quod eius officium non sit scire. Esse constat quædam propria personarum. Verum cum filius sit sapientia Patris, non videtur, proprietas hæc illi neganda. Alii, solus non excludit filium, nec Spiritum sanctum, sed hominem, qua homo est. Sic enim ad eum nec mundi creatio, nec dissolutio, nec cognitio pertinet. Verum hoc quoque ancepsest. Creatio mundi ad nos non pertinet, cognitio creationis cerebro inculcatur. Verum tamen est, quod dicunt; nouit qua filius Dei, non qua filius hominis, nouit in natura humanitatis, non ex ipsa natura. Quæritur igitur prohibet, quod Angeli ignorant, quod filius ignorat, qua homo est, & omnino ignoraret, nisi Deus esset. Tostatus impedire sic voluisse, ne rogarent. Theophyl. si scire se dixisset, futurum fuisse, vt quæstionibus eum semper inquietarent. Alii, non nouit practica & experimentali scientiā. Verum nec tali opus erat, vt diceret quando futurus esset. Cum enim de re futura inquirerent, haud commodè respondisset; se nondum expertum esse. Barradius noster amphibologicè locutum Christum affirmat, Apostolos non intellexisse, ad veritatem autem verborum satis esse, vt vno aliquo modo ignorauerit, et si aliis modis cognouerit. Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 5. Augustini, Gregorii, Chrysostomi expositionem amplectitur. Non sciuisse filium ad dicendum aliis, nec etiam angelos eo modo sciuisse, hoc tamen discrimen esse, quod reuera filius sciuerit, non autem alii.

Christum enim sciuisse diem constat; nam Ioan. 5. 22. & 27. *Pater omne iudicium dedit filio*. Tempus ego etiam iudicandi cognouit, Iudex omnium viuorum, & mortuorum. Negat tamen se diem scire, quod nullius id creaturæ sit, & ipse quoque non nisi, quia Deus erat, cognouit? Responsionis igitur sensus est. Nemo diem illum nouit, οὐδεὶς, nullus, non homo, non angelus, nec vllius est scire; reus enim, audituus sententiam, & administer Iudicis diem non cognoscunt, hinc nec angelorum est scire, nec filii hominis quidem quamuis legatus Dei sit, & Doctor, & Propheta, vos autem à me, vt à Prophetâ hoc vaticinium postulatis, at non est vlli Prophetæ reuelatum, nulli reuelabitur. Nec mihi aliam ob causam reuelata est, nisi quia sum filius Dei viui: hic vobis non conuenit interrogare, nec mihi respondere. Arcana enim Dei abscondita manent in hoc summo totius mundi negocio, vt nemo scire debeat, nisi vnus Deus. Quamuis verò ego homo sciam cognouerim, non tamen id humanæ naturæ conuenit, quamuis sanctissimę, sed quia diuina hypostasi iungitur.

VERSVS

VERSVS 37. & sequentes ad finem Capitis.

Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Tunc erunt duo in agro: vnus assumetur & vnus relinquetur, duæ molentes in mola: vna assumetur & vna relinquetur. Vigilate ergo, quia nescitis &c.

QVÆSTIO I.

Cur diem postremum ignotum esse voluerit?

§. 1. CAusam explicuit à v. 37. vsq; ad finem, ne vlli ignauia & securitas obrepat. Talis erat in diebus Noe torpor, & in vitijs stupor; centum annis arca ædificabatur, & de pœnitentia sine profectu audiebant, sed erant comedentes, & bibentes, τρώγοντες, bestiarum instar ventribus dediti, Noe vero ludibrio habebant.

V. 40. Parisienses duo addunt: Erunt duo in lecto vno &c. quod ex Luca sumptum esse Titus, & Euthymius disertè testantur.

V. 41. Alij codices habent ἐν μύλῳ. Extrema erat conditio ancillarum in pistrina molentium, vt ex historia Romana constat, & Exod. 11. 5.

V. 49. συνδέλκειν alij addunt αὐτῷ, alij pro ἐσθίειν καὶ πίνειν, habent ἐσθίῃ καὶ πίνῃ. Luc. habet. c. 12. 41. Mar. 13. 32.

V. 45. Pro familia est in Syro בני ביתה *benai baithehh* filij domus.

V. 51. Diuidet διχοτομήσει. amouebit, separabit, ejiciet, lacerabit, secabit. Dan. 13. Syriace אבגירוה *Nephlubi*. Quibus omnibus hoc inculcat, non esse vlli certum finem, ideo vigilare, & sibi attendere oportere. De Noe, & alijs actum suo loco. Gen. 6. & 7. & 8.

CAPVT XXV.

TVnc simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: 3. sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: 4. prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. 10. Dum autem irent emere venit sponsus: & quæ parata erant, intrauerunt cũ eo ad nuptias, & clausa est ianua. 11. Nouissime vero veniunt, & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis. 12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 13. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. 14. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. 15. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. 16. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 17. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. 18. Post multum vero tempus venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. 19. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinq; talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 20. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudiũ Domini tui. 21. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 22. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa constituam, intra in gaudium Domini tui. 23. Accedens autem, & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine scio, quia homo durus es, metis, vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti. 24. & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. 25. Respondens autem dominus eius dixit ei: Serue male & piger, sciebas, quia meto, vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: 26. oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est cum vsura. 27. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. 28. omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 29. Et inutilem seruum eicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentiũ. 30. Cũ autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cũ eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: 32. & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicẽ, sicut pastor segregat oues ab hædis: 33. & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autẽ à sinistris. 34. Tũc dicet rex his, qui à dextris eius erũt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnũ à cõstitutione mundi. 35. Esurijui enim, & dedistis mihi mãducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erã, & collegistis me:

Isa. 18.b.7. Ezech. 8. b.7. Eccl.7.d. 38. Psal. 5.c.9. Sup.7.d. 23. Luc.13.f. 26. Ioan.5.c. 25. Dan. 12. a.22.

30. Nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. 37. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? 38. quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? 39. Aut, quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te? 40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quam diu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41. Tunc dicet, & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius 42. esurui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui & non dedistis mihi potum: 43. Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me: 44 Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? 45. Tunc respondebit illis dicens. Amen dico vobis. Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

IN CAPVT VIGESIMVM QVINTVM

ARGVMENTVM.

PArabolâ duplici ad vigilandum fideles Dominus excitat, decem virginum obuiãtium sponso, & seruorum talenta ad negociationem accipientium; ac denũ iudicem se venturum pollicetur, ac statum iudicij describit. In Ecclesiâ Syrâ tredecim primi versus leguntur *in statione tertiæ noctis secundæ septimanæ passionis: & mulierum sanctarum.*

Historia parabolæ de talentis, *in dominicâ sacerdotum.* רחר בשבא לכהנא *dechad beschabba lechohene*; *In vno sabbato sacerdotum*: quo commemorationem sanctorum pontificũ & sacerdotum fecerunt. Nam de illis præcipuè parabola intelligenda est, etiam ex interpretatione S. Augustini. Iudicij descriptionem à v. 31. ad finem alio die legunt. Titulus ita habet. *Lectio in commemorationem rectorum & iustorum: feriaque sexta candidatorum.* Candidatos seu הדורא appellant, qui iam baptizati à sinistris, seu hædis, ad dextram translati erant, & recens baptismo loti, in symbolum internæ ablutionis albati incedebant. Quamuis alia etiam sit significatio de qua alibi.

VERSVS 1.

Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ.

QVÆSTIO I.

Quis parabolæ scopus?

Parabolæ non omnia explicanda.

§. 1. DIfficilis est parabola, si omnia singulatim, etiã illa quæ decori, & ornatus gratia sunt adiuncta, explicare velis. Facilis, si generatim scopum & institutum Christi spectes. Nam si in singulis hæreas, vix vlla cura efficies.

Persius.

Ne quid hiet, ne quid protuberet angulus, æquis,
Partibus vt coeant, ne quid deliret amussis.

Non licebit igitur Ζώστειν διεσταμένως, καὶ θλῖψαι τὰ θύμια ἐθύνειν, *expolire scienter, & ad amussim omnes partes*, & emblemata dirigere, vt non protuberent, noui anguli: obseruauit hoc Augustinus postquam tentasset. libro. 83. qq. 59. q. *Inter parabolas à Domino dictas solet quærentes multum exercere ista quæ de decem virginibus posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt, quæ non sunt præter fidem: Sed quomodo partibus omnibus eius conueniat expositio id elaborandum est. Legi etiam in quadam scriptura, ex earum genere quæ apocrypha nominantur, non quod sit contra Catholicam fidem. Sed huic loco mihi congruere visa est, consideranti omnes huius similitudinis partes. De qua tamen expositione, temere nihil audeo iudicare, ne forte non eius inconuenientia mihi angustias fecerit, sed mea tarditas in ea conuenientiam non inuenerit.*

Et paulò post: *Hæc maxime augent quæstionis difficultatem, quanquam & cætera diligenter considerata, vt omnia in vnam rationem concurrant, nihilque in vnam partem dicatur quod impediat aliam, magna cautio adhibenda est.* Quapropter quod alijs in parabolis monui, quædam in explicatione præteriri possunt, hanc vero parabolæ expositionem & in synagogis suis vsum, post Augustini ætatem pestilentiorem fecerunt pestilentiose hæreticorum labores, dum omnia ad errorum suorum confirmationem detorquent.

§. 2. Finis parabolæ est, vt Christiani intelligant, in hac vita quasi in perpetua vigilia sibi excubandum esse, nec in singulos modo annos, sest dies, & horas aduentum iudicis exspectandum: nec fide modo, sed omnium virtutum paratura instructos Domino occurrere oportere: nec locum esse torpori, cum tot pericula vigilantiam excitent. Nam & parta facile mitti possunt, & quæ sperantur, nostra culpa, negligentiaque dum quo te loco Iudex sit deprehensurus ignoras, prudenter eum in omni loco præstolaberis.

§. 3. Non discedit ab hæc sententia Chrysostomus, cum *scopum* ait *esse quatuor parabolarum, vt ad misericordiam & Eleemosynas hortentur.* Nam in operibus caritatis nos attentos, & vigilantes inueniri necessarium ducit. ὡς οὐκ ἐνὸν σωθῆναι ἑτέρως. *Alio enim modo saluari non licet.* Deinde vigilare iubemur, idque crebro monere Dominum obseruauit: χρησίμων, inquit, ἀνὴρ τὴν ἄγνοιαν τῆς ἐξόδου τῆς ἐντεῦθεν. *Vtilem ignorantiam exitus ab hac vita demonstrans.* Vbi sunt ergo, qui pertam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur: respondere non dubitant; ὅπου ἐν καιρῷ τελευτῆς καταλιμπάνω τοῖς δεομένοις. *Quod tempore mortis relinquam egentibus. Audiant hæc verba, & emendent se.* Etenim illo tempore multi exciderunt, subito rapti, nec permissi suis mandare, quæ proposuerant.

§. 4. Hunc etiam scopũ Zwinglius, Bullingerus & Calu-

Caluinus, imprimis Musculus agnoscit. atq; hac, sed incauta interpretatione, suâ de fiducia hæresin redarguunt. Caluinus *subito fastidio interdū* ait *deficere fideles. Non sufficere alacre exigui temporis studium, nisi insatigabili constantiæ simul accedat. Non satis esse paratos semel, nisi perseueremus.* Addit Musculus: *Nesi vbi venerit, imparati simus, & excludamur.*

Hæc si vera sunt, (sunt autem verissima) non potest esse certitudo perseuerandi, vbi periculum est deficiendi, vbi laborandum est, ne imparati inueniamur, & excludamur. Quomodo vero possunt deficere, qui certi sunt, nunquam se posse iustitia accepta destitui, quomodo possunt esse imparati, qui credūt, non se magis excludendos, quam si iam ingressi conuiuio nuptiali fruerentur. Nec opus est illis fide & operibus, sola fide ostium reserari docent. Cum Lutherana enim fide omnia peccata consistunt, præter infidelitatem, similiterque cum Zwingliana, Lutherus de cap. Babylon. tit. de Baptismo. Tom. 1. Wittemberg. p. 78. *Ita vides*, inquit, *quam dines sit homo Christianus siue Baptizatus qui etiam volens non potest perdere salutem suam, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cetera omnia sit redeat, vel stet fides in promissionem diuinam baptizato factam in momento absorbentur per eandem fidem.*

Necessaria sunt ista in eorum Theologia pronunciata, Nam Bezam si in colloq. Mompelg. consulamus. An Dauid, cum de homicidio & adulterio nondum pœnitentiam egisset, imo cum peccata illa meditaretur, paratus ad iudicis aduentum fuerit? Respondet. Spiritum sanctum, fidem, iustitiam non amisisse: occurrere ergo, modo fidem habeant, & homicidæ interimi possunt. Atque hoc est, quod Lutherus serm. de missa. *Caueamus à peccatis, sed maxime ab operibus bonis, & legibus, solamque promissionem Dei attendamus & fidem, ipsa enim breuis est perfectio: nec aliqua lex requiritur aut opus.* Absit vero vt talem iudicem, aut ad iudicem nobis aditum fingamus. Cuius sententiam iam nouimus, vt qui de operibus disceptationem instituet.

QVÆSTIO II.

An lectio vulgata probanda sit?

§. 1. IN vulgatis Biblijs est: *Obuiam sponso & sponsæ.* Sponsæ seu τῆς νύμφης non est in Græcis codicibus. Legit tamen Syrus רבלתא *vecalletha*, & *sponsæ.* Legit etiam Hilarius, Augustinus. Auctor operis imperfecti. At Chrys. Titus, Theophylactus non habet, nec Euthymius. Lectionem eam, quæ nomen sponsæ adiungit, idcirco probo, quod auctores exponunt, & virgines exornatæ sunt vt sponso, & sponsæ gratulentur, sponsus domum sponsæ venit, vt eam domum deducat suam, idque vesperè, vt virgines illæ in egressu paternæ domus occurrant, gratulentur, facibus deducant, & lucernis: non enim sponsus sine sponsa pompam ducit. Apud Romanos tres patrini matrimoniales sponsam ducebant, quæ faces prælucebant, Plutarchus in problem. Materia luminū ex spina alba: Græci δαδικὴν vocabant. Itaque errant, qui arbitrantur non nisi sponso soli virgines occurrisse.

Clamat hic Musculus, corrupte apud veterem interpretem additur: *& sponsæ. Etenim Christus est, & huc spectat tota parabola, vt illi iam aduenienti obuiam eamus. Ad sponsam nulla parabolæ pars pertinet, imo illi ipsi qui bene occurrunt, sponsa sunt: Hilarius etiam & Augustinus non legit.* Hoc postremum est falsum vtrunque; nam Ep. 120. legit Augustinus & Hilarius vt dixi. Ratio vero quia pugnat contra sponsam, pro illa facit. Sponsus enim non solus aduenit, sed cum Ecclesia triumphante, assistentibus, & iudicibus suis, venit ergo cum sponsa, & virgines, quæ occurrunt, sunt quidem desponsatæ, prudentes scilicet, nondum tamen ad amplexus aceptæ, fatuæ vero reijciuntur. Confutat Musculum eadem Beza. *Sponsæ vero nomen*, inquit, *si addamus, beatos illos cum eo versantes Spiritus, cum eo venturos, vt corpora cum viuis resumant, & quibus aggregari nos oportet, Heb. 12. 23. interpreca bimur.*

QVÆSTIO III.

Quæ virgines fatuæ? quæ prudentes?

§. 1. REgnum est Ecclesia militans. Ad virgines solas Chrysostomus restringit, ita tamen vt per eas dari omnibus documenta censeat. Aliorum sententia est, ad omne genus hominum extendi parabolam. Origenes tract. 35. Eos hic nomine virginum cēseri, qui Christum fide receperunt, etsi corpore virgines non sint, quod etiam docet Augustinus serm. 22. Quamuis Hilarius fidelium, & infidelium diuisionē verbis Christi contineri existimet. Verum multa sunt, qui de credentibus agi sua deant: vt etiam August. in Psalm. 147. & serm. 40. de tempore docet. & Origen. hom. 32. & ipse Hieronymus. Sic etiam D. Thom. Rab. Remig. & recentiores plerique. Omnes enim sponsi aduentum exspectant, ornant lampades, oleū accipiunt, lucernas accendunt, deinde dormiunt, & excitatæ iterum adornant lampadas: Christum igitur per fidem cognouerunt, nuptialis conuiuij, vt sociæ, & cognatæ, quæ ius intrandi habuerunt. Quin etiam virgines idcirco dictas Beza existimat, *quod idololatriæ, & huius sæculi pollutionibus se renunciasse profiterentur. Fidem tamen fuisse temporariam, quam meditatione verbi diuini, & precibus non fouerant.* De fide quidem temporaria solitum errorem obtrudit, nos enim veram fidem habuisse ostendimus, quæ eas aliqua coniunctione cum Deo castas faceret, ne scortatrices essent, & adulteræ, quo nomine vocari solent, qui idola colunt. Hinc etiam facile est refellere Caluinum, qui Hieronymum, Chrysostomum. Gregorium, cæteros; patres irridet, quod hinc occasionem commendandæ virginitatis acceperint. *Puerilis est Hieronymi & aliorum speculatio*, inquit, *hac ad virginitatis laudem trahentis.* &c. Non puerilis, sed ex scriptura, hoc est, Spiritu Dei tradita est doctrina. Magna enim laus est virginitatis, esse symbolum nostræ cum Deo vno coniunctionis & castitatem vocari fidem rectam eorum, qui idolorum cultu polluti non sunt; quemadmodum scortationis est ignominia, quod per eam in scripturis apostasia à Deo, & communicatio cum idolis comparatur. Virgines igitur typus sunt omnium Christi fidelium, & iustorum & peccatorum, sed in quibus hoc laudatur, quod per fidem Deo adhæserint, fidem seruarint vni. Ideo autem virgines vocantur, quia coniunctio cum Deo castas facit, Ingreduli virgines non dicuntur, perfidia enim, qua creaturis iunguntur, facit impudicas.

Virgines.

Virginitas laudabilis.

§. 2. Prudentes sunt, vt docet Gregor. Quæ rectè credunt, & faciunt. Fatuæ, quarum fides recta, opera negant fidem. Hæc communis & omnium patrū interpretatio. Gnosticos & Valentinianos refutat Tertullianus, qui quinque prudentes quinque sensus internos, quinque fatuas, quinque sensus externos significare contēdebant. Verba Tertulliani: *Relucent ne tū hæretica semina Gnosticorum & Valentinianorum? Hinc etiam arripiunt differentiam corporalium sensuum & intellectualium virium quam etiam parabolæ decem virginum adtemperant, vt quinq; stultæ sensus corporales figurauerint stultos videlicet, quia deceptui faciles: Sapientes autem intellectualiū virium notā expresserint, sapientium scilicet, quia contingentium veritatem, illam arcanam & supernam, & apud*

pleroma constitutam hæreticarum Iudaearum Sacramenta: hoc enim sunt & ἀιῶνες & genealogiæ illorum. Itaque & sensum diuidunt: Et intellectualibus quidem à spiritali suo semine: sensualibus vero ab animali, quia spiritualia nullo modo capiat: & illius quidem esse inuisib. lia: huius vero visibilia & humilia, & temporalia quæ sensu conueniantur in imaginibus constituta.

Ex hæreticis illis interpretationē suam hausit Philosophus quidam Genuensis apud Salmeronem nostrum, qui eisdem sensibus applicat Physice, & mirum in modum philosophatur.

VERSVS 3. & 4.

Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

QVÆSTIO I.

Quid oleum, lampades, vasa?

Oleum caritas.

§. 1. INcredibili consensu patrum & interpretum, oleum est caritas, & eius opera ex fide manantia. Hilarius: Oleum boni operis fructus est. Hieronym. oleum, opera. Chrysostomus opera caritatis, vt Eleemosynas; fatuas in paruo certamine vinci, in magno victrices, cum enim carnis cupiditatem superarint, pecuniæ amore prosterni, cum tamen multo sit vehementior carnis, quam opum appetitus. Augustinus serm. 22. de verb. Domini, clare ostendit, oleum esse opera. Non autem hic distinguimus inter eos, qui caritatem, & qui opera vocant oleum. Est enim & caritas opus: & externorum operum principium.

Sic recte Maldonatus oleum in vasis habere, qui fidem & opera habent, oleo carere, qui opera nō habent. Pari modo Hugo cardinalis, & recentiores. Nec omnes hæretici ab ea sententia recessere. Bullingerus cum demonstrasset, de Christianis baptizatis agi, exspectantibus aduentum sponsi, oleum interpretatur fidem cum caritate efficacem, quod posset habere verum sensum, sed ille de sua fiducia delirans, nec veram fidem intelligit, nec caritatem.

Virgines fatuæ oleo caruerūt.

§. 2. Statuendum est itaque virgines ideo caruisse oleo, quod opera caritatis defuerint. Ea causa regno exclusas, supplicio addictas, quod cum Deum per fidem cognouissent, non vt Deū coluerunt: quod fidem operibus negarint. Hoc confirmat Bellarminus l. 1. de iustificatione cap. 15. Iam enim supra ostensum est in virginibus etiam fatuis fidem fuisse. Imo S. Chrysostomus non fidem modo, sed studium castitatis. *Virginitatis encomium.* οἶδε τὲς πολλὲς τῶν ἀνθρώπων μεγάλην ὡς ἐκ τὸ δόξαν ἔχοντας. καὶ γὰρ ἔστι φύσει τὸ πρᾶγμα μέγα, καὶ δῆλον ἐξῶν ὅτε ἐν τῇ παλαιᾷ, ὑπὸ τῶν ἁγίων, καὶ μεγάλων ἀνδρῶν κατωρθώθη, καὶ ἐν τῇ καινῇ δὲ ἐκ ἦλθεν εἰς ἀνάγκην νόμε. ὁ γὰρ ἐπέτρεψε τότε, ἀλλὰ τῇ προαιρέσει τῶν ἀκουόντων, τότο κατορθῶσθαι ἐπέταξε. *id est.* Nec ignorat vulgo magnam de virginibus existimationem fieri: quippe res natura sublimis est, quod inde patet, quia nec apud veteres, à priscis illis sanctisque viris culta fuit, & post gratiam nulla legis necessitate iubetur. Non enim imperauit. Sed voluntati fidelium commisit.

Liberum arbitriū.

Damnantur igitur, quod oleum non habeant in vasis ἐν ἀγγείοις, hoc est, oleum in vasculis alijs præter illud, quod erat in lampadibus; Itaque primum in lāpadibus oleum fuit, sed cum longa mora intercederet, eo assumpto non erat nouum quod affunderent. Vasa illa Hugo conscientiam appellat, ex S. Hilario vasa humana sunt corda, intra quorum viscera thesaurus bonæ conscientiæ recondendus est. Ioannes Piscator rigidus Caluinista; per oleum fidem, per lampadas bona externa opera intelligit. Quod licet falsum sit, tamen etiam eius per fidiam arguit. Falsa enim tam falsis, quam veris repugnant. Vti clauus clauum pellit. *Piscator.* *Lampades externa opera.* καὶ ἥλους πέντησον ἥλους θαι, *mutuo se pungunt spinæ.* Si enim oleum est vera fides. Principio igitur fidem habuerunt; nam oleum in lampadibus, vt dixi, sumpserunt. Deinde vt Musculus docet, non agit de incredulis, sed de stultis ac negligentibus Christianis, & paulo post. *profuerit tamen per lampades intelligi, omnem externum cultum, conuersationem, iustitiam, honestatē, & caritatis opera omnia.* At lampadas habent, omnia ergo illa habuerunt initio, si caritatis opera, igitur & fidem: Imo Beza ait. [In medio itinere ἀναπαυθῆναι destitisse, & fidei ellychnio exstincto defecisse. Itaque pari ratione lampadum quidem nomine verbum Dei fide in cordibus nostris velut accensum, & gressus nostros dirigens, per oleum vero Spiritus sancti gratiam assiduis precibus in nobis perseuerantem, qua fides hæc fouetur, intelligimus.] Quid clarius dici potest contra Caluinianos, qui oleum fidem esse aiunt, vt Bulling. Zwinglius alij. Sed mihi satis pro instituto est, vt ostendam etiam eorum sententiā virgines fatuas oleum habuisse, ellychnium exstinctum defecisse, ac proinde pelus arsisse, nec quouis modo, sed fide accensum. Ex quo colligo fidem esse delebilem: & non tantum posse, sed re ipsa sæpe iustum à iustitia sua deficere. Nam male viuendo virgines fatuæ perierunt. Quin monet hoc loco Caluinus [Nuncabo omnibus Dei filijs prudentiam in genere requirit, ne scilicet inconsideratè ruendo Satanæ in prædam se exponant.] possunt igitur Satanæ præda esse filij Dei? Vbi igitur securitas illa toties ad multorum exitium decantata? Cur dicunt non posse perire? non posse iustitiam amitti? Et Caluiniani quidem aliquanto tectius licentiam inducunt, sed postquam acceperūt licentiosius vtuntur. Lutherus vero apertis tibijs personat.

φυσᾷ γὰρ ὁ σμικρόϊσιν αὐλίσκοις ἐπ.

Inflat non paruos amplius tibias, sed famæ prodigus, & sui, Deique securus, præfat. in Galaticam Epistolam. [Summa ars *inquit* & sapientia Christianorum est, nescire legem, ignorare opera, & totam iustitiam actiuam, præsertim cum conscientia luctatur cum iudicio Dei; sicut extra populum Dei summa sapientia est, nosse, inspicere, & vrgere legem, opera & iustitiam actiuam. Mira autem res est & mundo (immo nec clesia Christi) inaudita docere Christianos, vt dissimulanter ignorate legem, vtque sic viuant coram Deo, quasi penitus nulla lex sit. Nisi enim ignoraueris legem & iram Dei, sed meram gratiam & misericordiam, non potes saluus fieri.]

Et de libertate Christiana. [Ex ijs clare videre potest quilibet, quomodo Christianus homo, liber sit, ab omnibus, & super omnia, ita vt nullis operibus ad hoc indigeat, vt iustus & saluus sit, sed sola fides hæc omnia largitur abunde.] Et deinceps hæc etiam ad peccata extendit. [Vera itaq; *inquit* sunt hæc duo verba: Bona opera non faciunt bonum virum, sed bonus vir facit bona opera; mala opera non faciunt malum virum, sed malus vir facit mala opera.] Hæc tam legi diuinæ, & naturali repugnantia rationi, qui docent, non possunt non nisi impijs, planeque Epicuræis imponere. At Christus iubet lucere lucem nostram coram hominibus, iubet exspectare aduentum, Incertas gestare vide Matth. 19. Ioan. 5. Act. 9. 2. Cor. 5. 1. Petr. 1. Eph. 2. Itaque si illa Lutherica vera sunt, βραχυεπῶς πρὸς τότο ἀποκρίνομαι, *breuiter ad hoc respondeo*, vt S. Iustinus in simili, & pene eadem causa. Si non est Lutheri ratio falsa, non est Deus. ὅπ εἰμὴ τότό ἐστιν ὄντως

ἐν Θεοῦ, ἢ εἰ ἔστιν οὐ μέλοι αὐτῷ τῶν ἀνθρώπων, καὶ οὐδὲν ἔσται ἀρετή, οὐδὲ κακία, καὶ ὡς πρόδηλον, ἀδίκως πᾶσι τοῖς ἀνομοθέτοις τοὺς πρεσβύτερους καὶ καλοὺς ἐπὶ κακοῖς ἀδίκοις ἐκείνοις ἢ ὁ αὐτῶν πατὴρ τὰ αὐτὰ αὐτοῖς πάντων ὄφελος τοῦ λόγου διδάσκων οἱ τούτοις συνηθέμενοι κακῶς ἀδικοῦσιν ἐστί, Si hoc non sit, neque Deum esse: aut si sit, nihil illi curæ esse res humanas, atq; nec virtutem esse nec vitium: & iniustè prout diximus, legislatores eos qui honestatem constitutionibus ordinatam transgrediuntur, pœnis afficere. Sed enim quoniam illi iniusti non sunt, eorumq; parens eadem quæ ipse facit, facere per Rationem & Verbum docet: neque qui doctrinis illis obsecundantes consentiunt, iniusti sunt.

Hæc ille Apologia prima. In altera deinde Apologia ad Senatum. Cum ostenderet Christianos religionem suam operibus probare, multos gentium eorum virtute conuersos. *Non enim* inquit *reluctari oportet, neq; imitatores malorum esse vult Deus: Sed per patientiam & lenitatem omnes à probro & cupiditate malorum abducendos est ostentatus est. Quod sane de multis etiam vestrorum qui nobiscum fuerunt probare possumus, qui ex violentibus & truculentis, ab prorsus per mutationem morum euaserunt, consuetudine nostrorum hominum victi. dum aut vicinorū constantiam vitæ sequerentur, aut comitū in via omnia inferiora habentium & iniurias tolerantium, patientiam nouam perspicerent, aut fidem eorum in contractibus experirentur. Ne autem iuremus omnino, atq; vt vera semper loquamur, sic præcepit. Ne iurati omnino, sed sit vestrum Est est, & Non non: quod verò vltra hæc additur, ex malo proficiscitur. Deum porro solū colendum esse, ita suasit dicens: Maximum mandatum est: Dominum Deum tuum adorabis, atq; illum solū coles ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua: Dominum Deum tuum qui fecit te, & accedente ad eum quodam, atque dicente Magister bone, respondit inquiens: Nemo bonus præterquam solus Deus, qui condidit omnia. At enim qui non ita viuere comperiuntur, sicut ille docuit, certum id documentum est, non esse Christianos, quamuis doctrinam Christi lingua profiteantur. Nō enim professentes tantum, sed operibus simul professionem confirmantes, salutem iri dicit. Sic enim ait: Non quiquis mihi dicit Domine Domine introibit in regnum cœlorum: sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est. Nam qui me audit, & quæ dico facit, eum audit qui misit me. Permulti autem dicent mihi Domine Domine, nonne in nomine tuo edimus & bibimus, & virtutes præstitimus? & tunc dicam eis: Discedite à me qui operamini iniquitatem. Ibi tum fletus erit & stridor dentium, cum iusti quidem vt sol fulgebunt, iniusti autem mittentur in ignem sempiternum. Multi siquidem venient sub nomine meo, extrinsecus ouium pellibus indati, cum intrinsecus lupi sint rapaces: Ex operibus eorum cognoscetis illos. Omnis autem arbor non faciens fructū bonū excidetur, & in ignem conijcitur.*

Tantum verò abest, vt Christianos à lege Dei excolet, vt etiam puniri eos à magistratu velit. κολάζεσθαι δὲ παρ' ἡμῶν ἀκολάστως τοὺς διδάγμασιν αὐτοῦ βιοῦντας, λέγομεν δεμόνων χρηστῶν, καὶ ὑφ' ὑμῶν αἰτούμεθα. Puniri autem eos à vobis postulamus, *eos qui consentaneè præceptis eius non viuunt, nomine duntaxat Christianos.* Vide & S. Ephr. de certamine pietatis, qui stultos vocat, qui se operiri non dant. Et de Beatitudinib. ac miserijs. Vbi inter Beatos ponit, qui non comedit panem gratis. Et paulò, qui non studeat cūctis viribus, se sic præparare, & vitā ducere instituere, vt ibi gratam coram iudice defensionem habeant. Ocio torpescit, & ignauia, si quis se non præparat. vide Chrysostomum in 2. Thess. c. 3. & Cassianum lib. de Spiritu acedię. Lutherus opera nescit: non bona bonū, non mala malū facere contendit. S. Ephrem de extremo iudicio & compunctione. *Nihil nobis in illa prudenter hora, præter bona, quæ hinc nobis detulerimus operata. Futurum est enim, vt vnusquisq; nostrum propria facta, ac dicta, ante incorrupti, ac tremendi iudicis tribunal deferat. Mirum tremit, & renes immutantur, dum cogito de actuum o-*

mnium manifestatione, cogitationum ac sermonum exacta discussione quæ ibi fiet.

§. 3. Lampades, seu lucernæ, quas Syrus etiā vocat לפידין *lampidin*, assumpto Græci sermonis vocabulo: Origenes vocat organa & instrumenta ac dona naturalia, quibus gratia Dei affunditur. Omnes .n. lampadas habent, & naturali lumine quædam bona ac mala discernunt. Hieronymus lampadem fidem esse docet. sic Hilarius, Lampades esse animarū splēdorem, de accensis intelligit. Consentiunt cæteri; Fidei .n. lux illa conuenit, atq; vt viuat ab oleo caritatis & pietatis exercitijs habet. Sic etiā cōtra suos Beza interpretatus est. dū monet, fidem nos debere ἀναζωπυρεῖν resuscitare. Magnus autem honor erat facibus, & lampadibus obuiam prodire, vt constat ex Iudith. c. 3. Holofernem enim eo modo excipiunt. Ridicule errant hoc loco, Zwinglius, Bullingerus, Caluinus, Musculus. Cum lampades ardentes opera bona esse docent. Bona quidem verè, ex fide, & caritate manantia in prudentibus; simulata vero, & cum solo externo strepitu in fatuis. Nam sequitur etiam fatuas oleum habuisse; sine oleo enim non accenditur Ellychnium. oleum autem est illis fides, fidem igitur habuerunt: amitti igitur potest. Deinde non de olei defectu duntaxat, sed lampadum extinctione etiam queruntur. Intelligebant ergo, sibi opera esse necessaria ad salutem. Non sunt opera bona absolutè sine fide & caritate. Et sane Zwinglio est extra hoc loco veritas. *Vita ergo æterna & salus, non tribuitur absolute operibus, sed fidei operanti per charitatem*; Vel operibus ex fide prodeuntibus. Atqui hoc ipsum est, quod obtinere contendimus; nam opera sine fide, ad salutē nihil conferunt. Nec obest, quod salus gratiæ sit, & electionis diuinæ; plures enim sunt vnius effectus causæ. Addit ille. *Fidem esse signum electionis*: Verum tamen signum est incertum, tot vbique à fide deficientibus, & in apostasia morientibus.

Lampades organa.

Fides.

Hæretici operaprætendunt.

VERSVS 5.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.

QVÆSTIO I.

Quæ mora sponsi?

§. 1. HOc etiam ex decoro adiectum est, & habet significationem: Magnæ pompæ non modo tarde procedunt, sed lente etiam instruuntur, dū moliuntur, dum comuntur annus est: imo bona pars splēdoris est, diuturna exspectatio: quod enim quisquis, præstolatur, id æstimat. Christus aduentum suum, nō inani ostentatione, sed rebus ipsis magnū, diu exspectari voluit, graditur enim ἠσύχῳ ποδὶ, *lento pede*, nemo enim ἐπείγων διώκει, *nemo sequitur, qui impellat.* Sat cito venit, qui vltimus erit dies. Non tamen in illo extremo duntaxat venier, sed singulorum decessibus, ante quem nemo beatus est, aut miser. Mora igitur sponsi maximi temporis interuallum est, quod inter ascensionem Domini, & inter eius aduentum interest: quod longissimum iam multis visum est, quia semper exspectatum est: iam olim ante mille trecentes & quadringentos annos à patribus exspectatus est Sponsus, & à nobis exspectatur, forte post mille annos venturus. Est etiam illud quod cuique ab accepta fide, seu vsu rationis in Christianis ad finem vsque vitæ conceditur, quod in alijs breuiorem, in alijs longiorem moram habet, in omnibus incertam.

Tarditas pompæ.

§. 2. Interea, omnes dormitare, & dormire cœperunt. Hoc nonnulli interpretantur, de negligentia, & securitate; dum enim sponsi aduentus differtur,

tandem fastidio, & mora somnus obrepit, & perinde agunt, ac si venturus nunquam esset. Græce est ἐνύσταξαν, dormitarunt, quod de negligentia, & qui ex ea consequi solet sopore vsurpatur. Ita bonus interdum dormitat Homerus, imo & Demosthenes Ciceroni visus est aliquando νυστάζειν, vt refert Plutarchus. Dormitare & dormire, est vt illi putant, obliuisci iudicij Domini, non considerare, cur venerint, sed ad sua negocia conuerti, quasi nondum sit sponsi deducendi tempus.

Consentanea est illa interpretatio hominum moribus: quia tamen non solæ fatuæ, sed etiam prudentes dormitauerunt, & dormierunt, quæ tamen paratæ steterunt in aduentum Domini: malim sequi Augustini interpretationem, quæ est etiam Gregorij: quã Ianscnius, multiq; alij sequuntur; nempe dormitare significare morbos, & languores mortis causas, & prænuncios, dormire esse mori: est enim mors soror soporis, *placidoque simillima somno*. Aut sane vtramque coniungere.

VERSVS 6. & 7.

Media autem nocte clamor factus est ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

QVÆSTIO I.

Quando venit sponsus?

Noctu quomodo veniat.

§. 1. MEdiâ nocte, Iudæi proprie interpretantur: quemadmodum enim media nocte venit Angelus, occiditque omnia primogenita Ægypti, ita Messiam etiã media nocte venturum affirmãt. Quod si rem absolutè spectemus, noctu magis quam meridie, semper enim respectu diuersorum horizontium, & nox, & dies est: in omnibus partibus gentes sunt, si igitur vni aderit nocte media, alijs meridie, vesperi, & mane alijs superueniet. Nunc etiam Iudæi in paschate in mediam vsque noctem excubias extendunt. Probabile quidem nocte venturum Dominum, seu eo tempore, quo in Palæstina nox est. Hoc tamen certius eo tempore quo minime exspectabatur; sic enim ille aduenit, qui media nocte improuisus adest. Tum vero inter tot errorum noctes, & plerisque aliò versis, vt in diebus Noe, & diebus Lot, personabit tuba, & mortui omnes ad iudicium citabuntur. Nocte fortasse vtetur, vt maior improbis oriatur, quamuis Christus suo, suorumque splendore tenebras omnes illuminaturus sit.

Ornare est instruere.

§. 2. Omnes itaque consurgent, omnis cura aliarum rerum de manibus excutietur: omnes intenti erunt, vt lampadas adornent, præparent, vt legitime occurrant sponso. Quis ornatus ille sit, frustra quæritur; floribus aut alijs ornari qui putant, non intelligunt ornandi verbum; quod est adornare, instruere, concinnare. Hoc Græcis est κοσμεῖν, vnde κοσμήτορες λαῶν, qui in ordinem exercitus cogunt, aciem instruunt. sic Syrum תקנו *Vathbecane, aptarunt*, nempe componendo lampadas, & Ellychnium, oleum infundendo, neque enim fatuæ adeo fatuæ fuerunt, vt cum oleum deficere viderent, de floribus, aut sertis cogitarent. Ad reddendas igitur operum rationes se accingunt, vt monet Augustinus serm. 22. alia enim cura fingi nulla potest. Momento enim veniet, aut æternitas beata, aut supplicium ignis.

§. 3. Hic etiam suam fiduciam iactant veteres Zwingliani, nam recentiores eam deseruerunt, Musculus. *Infidelis vocatus à Domino, mox turbatur; de lampade cogitat, nihil vero in promptu habet. Fidelis contra nunquam imparatus deprehenditur.* Ingens profecto iactantia, vt nunquam sit imparatus, qui credit. Quomodo autem paratus erit ex sententia Caluiniana, si credat non se paratum, si credat esse in vasis oleum? Si credat se ad nuptiali cœna non excludẽdum? Hæc est enim fides, quæ tutos & securos reddit, incredibili stoliditate. Nam Pareus in c. 4. ad Romanos, Plene beatificatos suos iustos arbitratur, nec præsentibus, nec præteritis, nec futuris peccatis posse excidere iustitia, aut iram Dei mereri. Aliter Conradus Vorstius in 2. parte Tesseradec. Antipist. [Pistorius nostri officij *ait* esse, obla-tum Dei beneficium libero consensu amplecti, & Deum vocantem vltro sequi. At vero postquam iustificati sumus, cum nos bonis operibus, & secundam iustificationem, hoc est, continuum iustitiæ progressum & salutem æternam vere promereri, & posse, & debere docet: ne perdamus præmium &c.]

Inde deducit, doctrinam Caluini de certa perseuerantia plane detestandam esse, quæ securitatem & ignauiam pariat.

Hic respondet Vorstius: [Et speciatim fatemur, Iustificatos si peccatis iterum contra conscientiam se-cure iudulserint, iræ & vindictæ diuinæ obnoxios esse & iudicio damnationis æternæ subiacere.] Imo deteriorem fieri eorum conditionem, quam fuerit antea. Deinde concludit, Electos non posse deficere finaliter, quod verum est, sed multum abest, vt hinc à vero & intimo Caluini sensu, *nunquam in parte*, ait *eos deficere, vt iusti esse desinant*. Negat tamen Vorstius, ex illa perseuerantiæ certitudine oriri superbiam aut præsumptionem; Nam non nisi sanctis & electis illam perseuerantiam & certitudinem tribui. Et his nõ simpliciter, & absolute: sed hac demum conditione. *Si quidem cum timore, & tremore salutem suam operari non cessauerint*. Sed ille vel nobiscum sentit, vel fraudem facit. Catholica sententia est: Eos perseuerare, qui cum timore, & tremore salutem suam operantur, si operari non cessauerint. At Caluiniani non hoc modo dicunt, quod verum est, sed hoc insuper addunt, quod à malo est; Certo sibi constare fore, vt cum timore, & tremore salutem operari nunquam cessent. Hoc est, quod culpamus. Hoc simpliciter & absolute arrogant, ideoque timorem, & tremorem abijciunt. Nec sic hoc modo asseuerant, sed etiam addunt: se quamuis lapsu exemplo Dauidis adulterio, & cædibus polluantur, tamen cum D. Petro peierent, aut alia scelera contra vtramtabulam concipiant, eo tamen ipso tempore nec iustitiâ, sibi à Deo imputata priuari, & salutem suam operari. Atque hoc est supremum facinus, quod scelerati audent. Hæc solent aliqui tectius, alij nudius proponere. Sicq; solent λόγους ὥσπερ ἡμάντας, καὶ σφαίρας δοῦναι. *Sermones vt lora, & sphæras inter se mittere*, vt est in prouerbio, vt simplicibus illudant. Itaque non est hic finis sperandus.

Λίκμη δίκην ἔξιπτε, καὶ βλάβη βλάβην.
Lis litem, noxam noxa parit.

Nunc igitur si virgines illas moneant illi doctores, vt sese excspiendo sponso præparent, aliud dicere necesse non habent. Nisi vt credant se non excludendas, credant se recta via semper ituras. Si lucernas frangant, oleum tamen perlaturas, vno verbo, certitudinem omnia posse. Multò de iustitia diuina rectius prisci etiam poetę sensere. Diphilum comicum Clemens citat l. 6. strom.

Tu ne mortuos putas, heus Nicerate,
Qui se omnibus repleuere voluptatibus
Acsi Deum latuissent, penitus esse liberos?

Primũ pœna iniustitiæ

Iustitiæ est oculus tuetur qui omnia.
Namque in inferis duas putamus semitas,
Vnam bonorum, sed malorum esse alteram
Viam, licet duas tellus simul tegat.
Agedum furare alacriter omni tempore
Prædare, diripe, spolia: at ne erraueris
Iudicium est, faciet quidem quod in inferis
Qui est omnium Dominus Deus, cui nomen est
Terribile, ego quod neque nominauerim.
Mortalium si quis putat. Sed indies
Dum agit male quicquam latêre apud Deos,
Male is putat, falsisque dein conuincitur
In otio & quiete dum degit iustitia
Videte qui Deum haud esse creditis,
Est, est enim Deus, si quis facit, sed improbè
Cum sit malus, tempus ille contemperet
Nam tempore ille postero pœnas dabit.

Conuenit autem his quoque per hæc tragœdia.

Erit ne erit nouum iam tempus seculi,
Quando ignis effundet refertas copias
Auratus æther, flamma quæ pasta & fuit
Terrena cuncta, cunctaque & sublimia vret furens.

at Caluinianæ virgines aliud respondebunt.

Non tempore ille postero pœnas dabit.

Et quare non dabit? Quia certus est se non daturum. At longe alia mens Sanctorum. S. Ephrem de apparit. ciuis tempore Iudicii.

Tunc cuncti prospicientes in sublimi formidabile & sanctũ magni Regis apparere sceptrum, cognoscent & in memoriam reducent sermonem Domini dicentis: quia signum apparebit filij hominis in cœlo, certique erunt post illud continuo Regem reuelandum. In illa hora vnusquisq; tractabit pauidus, quo pacto obuiam tremendo occurret Regi, reuoluetq; mente cunctas actiones suas. Deinde quisque propria ante faciem suam cernet opera. Tunc omnes qui misericordiæ opera coluerunt, & vere pœnitentiam egerunt, quiq; angustam & arctam ingressi sunt viam suam q; in solitudinibus, & montibus atq; speluncis professionem ad finem vsque caste seruarunt, hilares contuebuntur bona, quæ præmiserunt ante se, opera. Misericordes cernent ibi mendicos ac pauperes quorum hic miserti sunt, pro ipsis interpellantes, eorumq; opera bona coram angelis, & hominibus adnunciantes. Qui vero hic lacrymas pro peccatis fuderunt, & labores atq; molestias per pœnitentiam subierunt, hilares ibi atq; alacres cum gloria adstabunt, exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Et tur breuiter cum timore licet, maiora non refero? Quando magnum illum atque horribilem audiemus clamorem, ex altitudine cœlorũ personantem: Ecce Sponsus venit. Ecce Iudex adest. Ecce Rex apparet. Ecce supremus Iudicum Iudex reuelatur. Ecce vltimorum seculorum aduenit Deus, vt iudicet viuos & mortuos. Tunc Christo dilecti à voce clamoris, contremiscent fundamenta & renes terræ, à finibus vsq; ad fines, & mare omnesque abyssi. Tunc fratres mei angustia & timor, stuporque in omnem inruet hominem, à clangore atq; resonantia tubarum & a metu exspectationis eorum, quæ superuenient vniuerso orbi. Ecce quantum veritima sanctorum Theologia distat à nouatorum præsumptione, & fastu, qui sola fide se tutos iactare non desinunt.

Et de extremo Iudicio & compunctione. Et ne aliam in nobis habeamus sollicitudinem fratres, præter hanc solam, quomodo scilicet anima nostra, cum lumine illo cum sanctis omnibus inueniri possit. Neque exstinguamus, constringamusq; eam vllis rebus terrenis, aut sollicitudinibus possessionum & pecuniarum: verum exornemus eam orationibus & ieiunijs, & vigilijs, & lacrymis, vt quantulamcunque fiduciam anima coram tribunali tremendi tunc iudicis Christi inueniat, quando omnes animæ cum timore atque tremore adsistent: quando electi ibi separabuntur à peccatoribus, quando vicissim steterint oues à dextris, & hœdi à sinistris.

Hæc forma est, hæc præparatio ad illum diem magnum, hoc modo curandæ lampades ne exstinguantur.

VERSVS 8. & 9.

Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes & emite vobis

QVÆSTIO I.

Cur petunt oleum fatuæ, & cur recusant dare prudentes?

§. 1. Fieri solet, vt cui subito deest aliquid, id à proximo postulet, quemadmodum nunc fatuæ virgines faciunt. Respondent illæ, *ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius, &c.* In Græcis est. μήποτε, οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν, nequaquam, *ne non sufficiat nobis.* Non sunt eo tempore petituri damnati præsidia ab aliis, sed hæc eo dicuntur, vt sera & inutilis pœnitentia significetur; Dicetur illis: *Auxilium petunt fatuæ.*

Ὄψε γε φρονεῖς &c. τότε λιτῶν σωτῆρα Ζεύν.
Sero bene sapis, tunc turpiter linquens Deum.

Fatuas vero dici idcirco non dubito, quod futura non prospexerint, sed in ipso malo prius sapiant. quos Græci vocare solet ὀψινόους, *sero sapientes.* ita Pindarus Epimethea appellat in Pithiis, & Hesiodus, ἀμαρτίνοον, *qui post erratum sapit.* Hinc & illud in Cleonem stolidum. κλεὼν προμήθευς ἐστι μετὰ πάγματα. *Cleon post facta Promotheus.* Factum enim stultus cognoscit. Maior autem fingi stultitia non potest, quam sit eorum, qui totam vitam ludicris intenti, hoc est, terrenis, de salute tum primum cogitationem suscipiunt, cum perire incipiunt. Hoc tamen magnæ hominum parti contingit. Non est autem consilium, quod dant fatuis prudentes, sed amarulenta irrisio. Fieri n. non poterat, vt tempestiue coemerent, & ante ianuam clausam, ingrederentur. An emerint, an non inuenerint, non est opus quærere; Parabola est; Hilarius pauperes esse, à quibus emendum sit, docet. *Fatuæ quia serò sapiunt.*

§. 2. Negant prudentes, ne non vtrisq; sufficiat, hoc forte rectè accommodari non potest. & emblema potius est. Nec enim in illa die, cum clamor factus est, *Ecce sponsus venit*, Electi de sua salute dubitabunt, *tant in Iusti*bunt obuiam Christo in aëra. Deinde non ignorabunt reprobi, se iam reprobos esse: aut sanè non posse se iustorum operâ, aut meritis saluari. Siue enim oleum sit opera, siue charitas, siue fides per charitatem operans, non potest alteri sua quisquam dona communicare. Quisque sua iustitia saluetur oportet: nunc cum tempus est, operemur bonum. Optimum Chrysostomi consilium. Τί ἐντεῦθεν μαίνομαι; ὅτι οὐδεὶς ἡμῶν ἐκεῖ τῶν ἐκ τῶν ἔργων πεφοδοδενλωμένων δικαιωθῆναι δυνήσεται, οὐκ ἐπειδὴ βούλεται, ἀλλ' ἐπειδὴ δικαιωθῆναι οὐ δύναται. Quid igitur hinc docemur? Quia videlicet nullus nos, qui per opera perditi fuerimus, suo patrocinio defendere & auxilio esse ibi poterit, non quia nollet, sed quia non potest: Videmus enim prudentes ad impossibilitatem confugere. *Non dubidicio beati, vel dãnandi.* *Alienis bonis peribus nec mo saluatur.*

Nullum illo loco meritorum seu propriorum, seu alienorum, aut precum, est operæ precium. Adferuntur eo, quæ iudicentur, non fiunt. Vide Sap. 5. 3. & 4.

§. 3. Petulanter hic insectantur hæretici, intercessiones sanctorum, missas, indulgentias. Beza particulam μήποτε esse addubitantis; ipse ellipticum dicendi genus putat, notatque quædam exemplaria habere προδήλως μᾶλλον. Fingit vero posse fieri, vt Catholici à Caluinistis rogent Euangelii gratiam, ipsi negent. [Vt si hodie, *inquit*, Christo adueniente, (cuius etiam dies non videtur procul abesse) pii roganti- bus hypocritis, Christianis Euangelii gratiam, à se tam pertinaciter neglecti, sibi communicari; Respondeatur. Nobis nunc non de vobis, sed de nobis ipsis cogitandum est. Ite potius ad vestros illos sacrificos & Pontifices, & venias vobis emite.] *Ridicula, Bezæ imaginatio.*

Bullingerus vero. [Vbi estis Monachi, qui dicere solebatis, vos constitutos esse, vt pro laicis horas legeretis canonicas, & seuera vestra illa disciplina, &c. animas tam viuentium, quam in purgatorio lugentium subleuaretis in cœlum? *Et paulo ante.* Non recurrunt ad meritum Christi, sed aliena merita, nec committunt, se misericordiæ, & gratiæ Dei. At qui in præsenti se aperit doctrina, quid post fatalem horam, iudiciique diem aliena valeant merita. Nihil plane. Da hilfft kein fürsetzen/vnd Gelt/kein leihen. Nam ipso mortis articulo iudicatur anima, vt vel in cœlum ascendat protinus, vel è vestigio deprimatur in tartara.] Similia cæteri adferre solent.

Mihi respondendum est ad singula, quantum quidem ad plenam huius loci intelligentiam est necessarium. Ac primo quidem nemo Catholicorum Euangelii gratiam à Caluinianis communicari petet. Nos enim Euangelium, & eius gratiam possedimus, ante quam Caluinismus eam corrumpere conaretur. Nec eam gratiam esse in eorum secta dies ille decretorius ostendet. Ecclesiam nouitiam illi vel ingressi sunt, vel instituerunt, non tenent id, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Vincent. contra hæres. cap. 3. Euangeliorum nomen vsurpant, sed diuersissimæ ab eo abeunt, grassantur, qui eâ compellatione gaudent. Lutherani, Caluiniani, Libertini, Svvenckfeldiani, & horum sectiunculæ. addunt se, Catabaptistæ, Trinitarii, aliique qui specioso nomine dum venditare se hominibus laborant, nouitatem, & vanitatem produnt, sic olim Gnostici, Cathari, Apostolici, magnis se nominibus iactarunt, re inanes erãt. Vnde vero Euangelii gratiam acceperunt? nos antiquam tenemus. Iren. contra hæreses l. 3. c. 3. *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare, eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum vsq; ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognouerunt, quale ab his deliratur.* Et ca. 4. *Tanta igitur ostensiones cum sint hæc non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis quicunq; velit. Sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: Omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidẽ illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionem.* Tertull. de præscrip. cap. 28. *Age nunc (scilicet vt vos dicitis:) omnes errauerint, deceptus sit Apostolus, Ephes. 1. de testimonio reddendo quibusdam: nullam respexerit Spiritus Sanctus, vti eam (Ecclesiam) in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hæc postulatus de patre (iuxta scripturas superius citatas ad quas etiam alludit Tertullianus,) vt esset Doctor veritatis: neglexerit officium Dei Villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat, &c.* Euangelii igitur gratiam obtinemus diuturna possessione, illisque renuentibus & subsannantibus patienter offerimus. Nostram Ecclesiam Dominus agnoscet, illorum cœtum ignorabit. Vnde enim vos? dicet. Mea sponsa à principio fuit, non defecit, pudica fuit. Eam mihi sele gi adhuc in terris viuens, per me, per meos Apostolos, Episcopos, doctores, eruditi, quod vos mihi scortum obtruditis? Quid vero vestra Ecclesia loquitur? Certa sum me non exclusum iri, quamuis fornicata sim cum amatoribus multis. Sola certitudo me beatam facit. at nos in veteri, vereque Euangelica sumus Ecclesia. *Illius* inquit Cyprianus, *Ecclesiæ fœtu nascimur illius lacte nutrimur; Spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, & pudica; vnam domum nouit vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno quos generauit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perueniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Quomodo igitur illi Euangelii gratiam conferent aliis, qui Euangelii custodem & doctricem Ecclesiam deseruerunt? *Catholici non erunt in iudicio supplices Caluinianis. Euangelici.*

Non igitur ad hos accedent Catholici petitum Euangelii gratiam; sed adiungent se Apostolis, Ignatio, Polycarpo, Cypriano, Cornelio, Ambrosio, cæterisque, verè sanctis, vereque beatis. Tum Caluiniani quidẽ optabunt, vel vnius horæ inducias, vt illis seiungere possint. Tum dicent illis Catholici. Ite ad Luiherarum, Caluinum, Quintinum, Mennonem. Nos illis inauditis Christo credidimus: & ecce in nostra parte stant tot centena millia sanctorum. Dicent forte cum Donatistis. Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, iam non est, periit. Respondebit Augustinus. In Psal. 101. concion. 1. *O impudentem, &c.* *Illiterati.* *Donatistæ.*

§. 3. Nec modo Caluinianos non accedemus, vt gratiam Euangelii ab ipsis emendicemus, quam non habent, sed neq; à nostris sacerdotibus, aut Pontificibus venias ememus. Nunquam enim veniã emi pecuniâ potest, Nummo non delentur delicta, sed lacrymis, nummo, inquam, quo res sacras cauponantur Simoniaci. Pecunia illa est in perditionem ementis, & vendentis. Itaque ne nunc quidem indulgentiæ emi possunt, aut vendi. Quod si aliquando quispiam venditi; illum Ecclesia pro suo non agnoscit. Deinde illo tempore venia nulla danda est peccatoribus; non enim ignoscentiæ, sed dies vltionis aduenit. Ne pœnitentiæ quidem locus est. Quam alienum sit à ratione, & Euangelio, ex illa die ad pœnitentiæ tempora argumentum ducere, nemo non intelligit. Non erit in iudicio locus deprecationi, non igitur nunc orare pro aliis, vel Monachi, vel alii fideles possunt. Nonne Apostolus orare pro inuicem iubet? nonne suorum pro se orationes postulat? Et tamen in illo iudicio nemo pro aliis intercedet. at neque pœnitentiam aget quispiam, neq; baptizabitur in remissionem peccatorum, & nunc tamen illa sacramenta negligi sine crimine non possunt. *Nummis.* *Simoniaci.* *Pœnitentiæ.*

§. 4. Occurrit tamẽ Bullingerus, pro mortuis nihil illa iuuant, sententia pronunciatur, vel manet immutabile decretũ, vel beatitudinis, vel damnationis, orantes.

Neque nos vel pro viuis, vel pro mortuis oramus, vt decreta Dei mutemus. manet immutabile, quicquid effatus est Deus. In eo error Zvinglii & aliorum versatur, quod in Dei iudicio negent, quibusdam decerni æterna gaudia, cum conditione temporalis pœnæ sustinendæ, quibus solis preces & sacrificia vtilia esse docemus. Itaq; non omnis anima saluanda protinus in cœlum ascendit, si aut leuibus culpis detinetur, aut pœnarum temporalium pœnis purganda est, igne purgatorio detinetur. Sic Monica apud Augustinum l. 9. conf. cap. 13. memoriam sui ad altare fieri opta-

optauit: quod ille probauit, & fecit, & in eius funere etiam factum Possidius narrat, qui illi interfuit. Causam reddit Cyrillus Catecheſi *cur pro defunctis oremus. Maximum esse credimus animarum iuuamen*, inquit, *pro quibus effertur obsecratio sancti illius, & tremendi quod in altari positum est sacrificij.* Id vero factum tempore Sancti Dionyſii, hoc est, Apoſtolorum ipſe teſtis eſt. Hanc etiam partem habent omnes Liturgiæ veteres, S. Iacobi, S. Marci, S. Matthæi, tota Orientalis Eccleſia.

Non autem pro omnibus hoc ſacrificium offertur, nec omnibus prodeſt, ſed qui ita vixerunt, vt prodeſſe poſſit, ſic olim Auguſtinus, vt autem videatur Græcæ Eccleſiæ hac in ſententia conſenſus, adſcribam Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopol. verba, quibus id noſtris Germanis, cum eius amicitiam prenſarent, expoſuit. In primo reſponſo hæc eius verba ſunt, vt edita ſunt Wittenberg. anno 1584. καὶ οἱ μὲν τοὺς δὲ ἔτι μᾶλλον προσφέροντες ὑμᾶς τε καὶ μνήμας, τοῦτο τὰς οὐσίας τοὺς ὑπὲρ τῶν κατοιχομένων, προσαγορεύουσι καὶ ὀνομάζουσι. Εἰ γὰρ καὶ ὁ χρυσόστομος ἐν τῇ πρὸς φιλιππησίους φησίν. οἱ ἕλληνες συγκαίουσι τοῖς ἀπελθοῦσι τὰ ἑαυτῶν. πόσῳ γε μᾶλλον ὀφείλομεν, τὸν πιστὸν συμπροπέμπειν τῷ πόσῳ τὰ οἰκεῖα. οὐχ ἵνα τέφρᾳ χώσαντες καθυπέλθωσι, καὶ ζῶσι, ἀλλ' ἵνα μείζονα τότε ἀπολαβῇς δόξαν καὶ ἀμοιβὴν ὁ τεθνηκὼς εἰ. ἵνα τὰ ἁμαρτήματα λύσῃς εἰ δίκαι ὦσιν. ἵνα προσήκῃ μισθὸς, καὶ ἀνταπόδοσις. καὶ αὖθις. ὀφείλομεν τοῖς ἀπελθοῦσιν, ὠφέλειαν δῶμεν αὐτοῖς τὴν πίστιν βοήθειαν. Ἐλεημοσύνῃ λέγω δὲ προσφορὰν. φέρει γὰρ τάχιστα πολλὴν τὴν ἄνωθεν καὶ τὸ κέρδος, καὶ τὴν ὠφέλειαν ὁ ζῶν τῶν τελωνῶν, καὶ τὴν ἰδίαν σωτηρίαν τῆς ποδὸς πέλας ἀσεχθεῖ ψυχῶν, ὅτι μάλιστα, καὶ πάλιν ἀλλαχοῦ. οὐκ ἔφθασας θεῶν ἐν τῷ βίῳ τὰ τῆς ψυχῆς σου πάντα διοθρεῦσαι; ἐν τῷ τέλει δὲ βίου ἐπέλαι τοῖς σοῖς, μὴ θάνατον παραπέμψαι σοι τὸ σὸν καὶ βοηθεῖν σοι δι' ἔρχων ἀγαθῶν δῶναι. Ελεημοσυνῶν λέγω καὶ προσφορῶν. καὶ θεόθεν τὴν λυτρωτὴν καταπάζεις. Δεκτὴ δὲ καὶ ζῶσι δὲ προσφορὰ. *id est.* Anniuerſarios offerimus honores, recordationis ergo. Pias nempè inferias, quæ pro defunctis afferri ſolent. Deinde Chryſoſtomus in Epiſtola ad Philippenſes, Græci (inquit) concremare cum defunctis res ipſorum ſolent. Quanto magis te fidelem decet, vna cum fideli res ipſius comites mittere? non quidem vt in fauillam redigantur, ſicut illi cum ſuis: ſed vt hoc maiorem aſſequare gloriam. Sique peccator fuit ille defunctus, vt peccata ſoluas: ſin iuſtus, vt acceſſio fiat mercedis & retributionis. Et iterum excogitemus rationem, qua conſulatur defunctis: demus eis cõueniens auxilium. Eleemoſynam inquam & oblationem. Magnum enim illis affert vſum, lucrum, & vtilitatem. Qui ſic facit, is non modo proximi animæ, ſed etiam ſuæ maximum dat beneficium. Rurſus alibi. Non diſpoſuiſti in vita, quicquid ad ſalutem animæ tuæ pertinebat, dum bene valebas? Manda in exitu vitæ tuis, vt te mortuo, tua poſt te mittant, tibique auxilium bonis operibus præſtent: nempe eleemoſynis.

Quandoquidem vero tantum eius conſuetudine delectantur, alium ex eo locum adſcribam, vt habeant, quod ſuis reſpondeant. Λιαπῶς δὲ ἀγιάζεσθαι φαίνεται ἡ θεία αὐτὴ, καὶ ἱερὰ τελεῖν. ἕνα μὲν τρόπον τὴν μεσιτείαν. προσφερόμενοι γὰρ τοὺς δῶρα αὐτῷ τῷ προσφέροντι ἁγιάζει τοὺς προσφέροντας, καὶ ὑπὲρ ὧν προσφέρουσι, δὲ ἵλεων αὐτοῖς ἐργάζονται τὸν θεόν. ἕτερον ἢ τῇ μεταλήψει. ὅτι βρῶσις ἡμῖν, καὶ πόσις κατ' ἐξ κυρίου λόγον ἀληθινή. Τούτων τῶν τρόπων, ὁ μὲν πάντων κοινὸς ἅπασι ζῶσι, καὶ τεθνηκόσι. καὶ γὰρ ὑπὲρ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ἡ θυσία προσφέρεται. ὁ δὲ ἕτερος μόνοις ἔξεστι τοῖς ζῶσιν. οὐ γὰρ ἐθέλειν, καὶ πίνειν οἱ νεκροὶ δυνάμενοι. Διὰ τοῦτο καὶ ἀγιάζουσιν, τὸν ἁγιασμὸν ἀπὸ μεγαλείων ἢ ἐλαττόνων ἔχουσιν ἐν ζῶσι τῶν ζώντων οἱ τεθνηκότες καὶ ἁμαρτίας; καὶ γὰρ καὶ αὐτοῖς ὁ χριστὸς ἑαυτὸν μεταδίδωσι τρόπον, ὃν οἶδεν αὐτὸς. καὶ ἵνα γνῶσι δῆλον ὑμῖν ἐν τῇ ἐξηγήσει τῆς λειτουργίας καὶ τοῦτο, καὶ ἄλλα ὅμοια σιωπήσομαι. *Id est.* Bifariam porro ſanctificare conſpicitur diuina hæc & ſancta actio. Vno modo, meditatione, interceſſione ue. Dum enim offeruntur Dora: eo ipſo quod offeruntur, ſanctificant, tum eos qui offerunt: tum alteros pro quibus offeruntur: propitium que eis Deum faciunt. Altero modo ipſa perceptione: quia cibus nobis eſt & potus, vt Chriſtus dixit verus. Horũ duorũ modorum prior, cõmunis fit viuis & mortuis: quia pro vtriſque ſacrificium hoc fit. Alter ad ſolos viuentes pertinet: quia non poſſunt edere & bibere defuncti. Quid igitur? Ideone nec illa ſanctificatio, quæ à perceptione eſt, eos attingit, & deterior hoc modo defunctorum conditio eſt, quam viuorum? Abſit. Nam ipſis etiam ſe Chriſtus impertit eo modo, quem ipſe nouit. Quod vt nobis notum fiat, in enarratione Liturgiæ, tum hoc, tum alia inſpicite.

Hæc de mortuis ille, qui adhuc viuorum egent auxilio, quæ nullo modo ad eos, qui iam in iudicio rediuiui apparebunt extendi debent.

§. 5. Aliud etiam Caluinus calumniatur; *ſtulte exemendi verbo merita quari.*

Reſpondeo id dici eo modo ab illo, quaſi nos merita ex eo ſtabiliamus, quod fatuæ à prudentibus oleum emere iubeantur. Fidem, primamque caritatem nemo, ſed eius augmentum meremur. Hic nos irriſionem fatuarum cum Auguſtino dicimus, non autem meritum, imo neceſſe conſilium, quod exequi illæ poſſent, ſi ad id, quod parabola indicat, referatur. *Fidem nemo emit meritis, nec caritatem.*

Hinc etiam concludit: Perſeuerantiæ donum non acquiri induſtriâ noſtrâ. Reſpondeo perſeuerantiam donum eſſe Dei; noſtram tamen cooperationem requirere. Eius rei magnum argumentum eſt, fatuarum virginum exitium, & ſalus prudentium. Illæ enim oleum non acceperunt, hæ vero acceperunt. Dein Caluinus ſcopum parabolæ eſſe affirmat, *vt ad perſeuerantiam nos Dominus adhortetur*: fruſtra eſt autem admonitio, & cohortatio, ſi noſter labor, noſtra induſtria nihil ad rem facit. Laborandum igitur omnibus eſt, volentibus intrare ad nuptias, ſiue vt v. 10. eſt in Syro בית חלולא *beth chalula, domum chori.* Non enim tum erit locus precibus, aut meritis, ſed lumen bonorum operum præparandum eſt, vt monet Auguſtinus ſerm. 22. de verbis Domini. Fruſtra clamant *fatuæ, Domine, Domine*, Syriace. מרן מרן *maran, maran, Domine noſter, Domine noſter.* negligentiâ earum factum eſt, vt non exaudiantur. Nec enim confundi poſſunt tempora miſericordiæ, & iudicii. *Perſeuerãtia coopẽtionem requirere. Eius rei magnum argumentum randum eſt.*

VERSVS 12. & 13.

At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.

QVÆSTIO I.

Quomodo neſciit fatuas virgines, & quomodo vigilandum?

§. 1. IGnotas ſibi profitetur brabentes, quæ non vigilarint. Hoc enim crebro repetit, vt confidentiam & ſuperbiam vero timore ac ſollicitudine compeſcat. Neſcire diem & horam nos voluit, vt omnis dies, omnis hora vltima videatur. Nulli enim aut dies craſtina, aut hora inſequens promiſſa eſt. In Latinis omittitur ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, *in quo filius hominis venit*: quædam etiam Græca *Vigilandũ eſt.*

Græca omittunt. Quin etiam Syrus interpres omisit: ex capite superiore additum videtur.

Non nouit, non approbat.

§. 2. οὐκ οἶδα ὑμᾶς, non noui vas, non iudico dignas nuptiis, abdico, repudio, contemno. Agitur enim hoc loco de scientia approbationis, non cognitionis; atque hinc alia quædam loca Scripturæ exponi possunt, vt Bellarminus docet l. 2. cap. 13. de gratia & libero arbitrio. Est enim hæc ignorantia iudicis, non insipientiæ, sed summæ scientiæ, qua omnia cordium arcana penetrat, & iustitiæ, quæ ianuas clausit omnibus, qui vigilias & stationem non tenuerunt, qui suis meritis, non Christi donis confidunt, qui alienis operibus, non suis cum gratia Dei factis nituntur. Bullingerus quasi ipse iudicis dictator, aut magister esset, hic excludit, omnes religiosos, corporis castigationem, ieiunia. Tantum admittit fideles, & pietatis studiosos. Hactenus quidem recte, si tantum eos excludit, qui oleum, hoc est, charitatem non habent. Omnia enim opera mortua sunt, quæcunque animata non sunt caritate. At ille dum pronunciat omnibus oleum deesse, iam ante tempus iudicat, alienæ iurisdictionis inuasor. Melius Paraphrastes, quem ille ipse producit. *Vos igitur ad exemplum prudentium virginum, serui fideles, & prouidi patrisfamilias, vigilate: In tempore parate vobis bonorum operum commeatum: quia nescitis diem, & horam illius aduentus, qui cum subito extiterit, iam non erit amplius tempus benefaciendi. Sed cuique erit præmium pro retro gestis.*

Bullingeri proteruia.

VERSVS 14.

Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.

QVÆSTIO I.

Quis scopus sit parabolæ de talentis?

Lucæ 19. non eadem parabola.

§. 1. NOn est hæc eadem parabola, cum illa, quæ est Lucæ 19. Multa enim diuersa sunt, quæ legenti cuilibet sunt obuia, hoc primarium est; quod illa parabola narrata est in itinere, cum veniret Ierosolymam, ita habet. vers. 10. *Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem; & quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur.* & v. 28. *Et his dictis præcedebat ascendens Ierosolymam.* Illa ergo in itinere; hæc post aduentum dicta sunt, cum est egressus è templo, non magno temporis intervallo, eandem parabolam repetit, sed necesse erat rem illam sæpe inculcare.

Obscuritas in textu.

§. 2. Ante omnia notanda est causalis particula, qua cum præcedentibus connectitur: nam cum dicit ὥσπερ γὰρ, *sicut enim*: ostendit se ex præcedentibus aliquid velle declarare, & probare, Beza nostrum obscurè vertere criminatur, verum in Græco est eadem obscuritas, quæ est ex eo, quod sit ἀναφ. πρόδοξον, nihil enim respondet particulæ ὥσπερ. Expleri autem sensum hunc in modum oportet. *Sicut enim homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, &c. Sic faciet filius hominis, tradet enim bona sua,* &c. & deinde: *Cum venerit in maiestate sua rationem repetet.* Vigilandum itaque docet esse. Nam filius hominis veniet, & quidem hora qua non putatur, & rationem ponet, ad omne igitur momentum rationes compositas esse oportebit.

Talenta nō sunt fides.

§. 3. Principio quidem constat non agi hoc loco de fide duntaxat: Sed seruis credentibus, & dominum agnoscentibus talenta dari, hoc autem ab illis requiri, vt negocientur, & data augeant, excusso torpore. nec enim piger ille seruus coniectus est in tenebras exteriores, quod talentum abligurierit, aut malè expenderit, sed quod in eo negocius non sit, nec rem auxerit. Talenta sunt omnia, quæ Deus largitur. Ambrosius in cap. 16. Apocal. *Quæcunque ergo temporalia, aut quascunque artes à Domino accepimus protalentorum acceptione nobis reputabuntur. Iusti igitur, qui per primum & secundum seruum designantur, talenta sua duplicant, cum bona temporalia, quæ à Domino accipiunt, in bonis operibus expendunt atque ad bona agenda, quoscumque possunt prouocant. Impij vero qui per seruum tertium designantur, talenta sua in terra abscondunt, qui à bonis temporalibus, quæ à Domino acceperunt, vitia potius, quam virtutes gestriunt.* Hinc itaque etiam bonorum operum studia nobis seriò inculcantur, ne vel naturæ, vel externa bona in vanum, seu ad exitium nostrum accepisse nos olim serò doleamus. Agri inculti nulla est vilitas, animus vero sine virtutum exercitatione vitiis obsolescit.

Idem Ambrosius ex talentis non modo probat, de operibus agi; sed ostendit etiam inde merita operum, l. 2. de vocatione gentium. cap. 2. at in præfatione l. de fide, ad Episcopos, & doctores præcipue pertinere ostendit. *Prouocati*, inquit, *magisterio Euangelicæ lectionis vt credita nobis quinque fidei talenta quasi quædam horum quinque sortè librorum, humanis fœneremur effectibus, ne fortè cum venerit Dominus, & inuenerit intera absconditam pecuniam suam dicat mihi:* Serue male & piger, sciebas quod meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi, oportuit ergo te committere & pecuniam meam nummulariis, vt veniens ego recepissem quod meum est. *Aut quemadmodum in alio libro est*: Et ergo, inquit, veniens cum vsuris vtique exegissem illam.

Et paulo post. *O si mihi liceat securè de vobis nunc tempora dicere*: Domine quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque lucratus sum, *& ostendere vestrarum talenta pretiosa virtutum.* Augeri itaque in suis ouibus illa pastor sincerus exoptat.

Hinc colligitur & scopus prioris parabolæ; nempe in virginibus fatuis non desideratam fidem, sed charitatem, vti in seruo pigro, non fides, sed opera desiderata fuit. Hinc etiam vi veritatis coactus Musculus, docet hic agi *de donis bonâ fide dispensandis.* Et Bullingerus, *de omnibus donis omnium hominum* intelligi posse vult, præcipue tamen *de donis Ministrorum*: ex 1. Corinth. 12. Itaque cum eadem sit ratio virginum, & seruorum, de operibus bonis, non de fide agitur, in parabola lucernarum, sed operibus.

VERSVS 15.

Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.

QVÆSTIO I.

Quomodo dedit secundum propriam virtutem?

§. 1. CAluinus *ridiculos* ait esse Papistas, qui dari putant vnicuique secundum meritis sui modum.

Non dubito id maleuoli calumniatoris esse, nec Catholicorum hoc docet. Scimus Deum dona sua distribuere prout vult, dare multa non modo nihil merentibus, sed etiam mala merentibus. Dantur enim illa gratis, dantur interdum pro officio. Dantur pro aliorum salute.

Quod verò dicitur dari vnicuique secundum virtutem, seu ἰδίαν δύναμιν, propriam facultatem, seu dexteritatem, non significat Deum spiritualia secundum

cundum naturalium bonorum magnitudinem distribuere, sed quid soleant in vsu seruorum spectare Domini, vt singulos illis muneribus præficiant, quibus administrandis, sint pares. Ita Deus quoq; ita singulis distribuit, vt nihil cuiquam proponat, quod vires laborantis excedat. Ambrosium l. 2. de vocatione gentium audire præstat: cap. 2. Non meritis, sed gratia diuina ad diuinorum bonorum perceptionem nos venire docet. *Hæc magistro gentium, tanta luce, tanta euidentia prædicante, qua ratione, qua causa dubitandum est, an omnium nobis virtutum germen ex Deo sit? vel quis nisi insipientissimus de differentia diuinorum munerum conqueratur aut imparibus ad scribendum meritis arbitretur, quod non æqualiter de superna liberalitate conferatur? Si enim hæc distributio secundum præcedentium operum merita proueniret, non ipsorum donorum catalogum tali conclusione apostolus terminaret. vt diceret: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis pro vt vult. Vbi vtique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret: Diuidens singulis pro vt merentur, sicut plantatoribus, aut rigatoribus præmium deuotionis spospondit dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Datur ergo vniciuique sine merito vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quisque mercedem accipiat, secundum laborem. Quod ita esse etiam Euangelice veritatis testimonio agnoscitur, vbi per comparationem dicitur, quod homo peregrè proficiscens vocauit seruos, & tradidit illis substantiam suam: & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum, quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentiæ, iustitiæ, sapientiæ, aliud vero esse continentem, iustum atque sapientem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse de natura est: reparatum autem & sanatum esse, de gratia est. Denique isti quibus secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis distributor substantiæ prauidebat, dispar creditus est numerus talentorum, non meriti remunerationem, sed operis accipere materiam. In qua duorum seruorum vigilantissima industria, non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in æterna Domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertij vero pigrum otium, & desidiosa nequitia sic punitur. Vt & vituperationi dedecoretur opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui non exercuerat charitatem.*

Talenta sunt merita naturalia.

Ecce quanta ille soliditate doctrinæ, & eloquentia, operum merita in talentis illis deprædicat; & fidem sine operibus inutilem esse iudicat. Tertium seruum non ob infidelitatem, sed pigritiam damnatum esse decernit.

Ideo ex Ambrosii disceptatione, meritum, aliaque colligere facile est: qua causa etiam verba complura citanda putaui.

§. 2. Hieronymus l. 2. contra Iouinianum cap. 18. Non modo merita; sed etiam inæqualia esse colligit. Vnus apud Lucam decem minas ex vna, alter quinque lucratus est: Hic etiam imparitas est, vnus decem talenta habet, alter duo. Hieronymi verba sunt. *Pater familias proficiscens tradidit seruis suis substantiam, alij quinque talenta, alij duo alij vnum, vnicuique secundum proprias virtutes. Simile quid & in alio Euangelio scribitur, quod homo nobilis proficiscens in regionem longinquam, vt acciperet sibi regnum & reuerteretur, vocauerit decem seruos, & dederit eis singulas minas: de quibus vnus lucratus est, decem minas, alius quinque, & singuli iuxta vires suas, & emolumentum, vel decem vel quinque acceperint ciuitates. Porro alius qui vnum talentum, siue vnam minam acceperat, quod accepit infodit, siue in sudario colligauit, & Domini reseruauit aduentui. Primo considerandum, quod si iusti non sperent profectus laborant, vt vult noster Zeno, sed ne perdant, quod acceperant; iste qui minam vel talentum infodit, ne perderet, quod acceperat, non peccauit, magisque laudanda est cautio reseruantis, quam casus labor eorum, qui sine laboris præmio desudarunt. Deinde, quod hoc ipsum talentum, quod auferetur à timido vel negligente seruo, non datur, & qui minus lucrifecerat. Sed qui plus, id est, qui super decem positus fuerat ciuitates. Si numerus non facit ordinem, quare dixit, dedit vnicuiq; secundum vires suas. Si eadem lucra sunt quinque talentorum & decem: cur ei qui minus lucrifecerat, non decem, & ei qui plus non quinque traduntur vrbes? Quod autem Dominus non his contentus sit, quæ habemus, sed semper maiora desideret, ipse mostrat dicēs? Quare non dedisti pecuniam meam ad trapezitas, & ego veniens cū vsura exegissem? Quod quidem & Paulus Apostolus sciens præteritorum obliuiscitur: & ad ea quæ in ante sunt se extendit, id est, quotidie proficit, nec seruat in sudario delicate gratiam, quam accepit: sed auarus negotiator, renuncatur de die in diem; & decrescere se putat, nisi semper creuerit.*

Chrysostomus eadem ratione varia dona esse recenset, & Origen. tract. 33. *vel vnum accepisse magnum esse pronunciat. Nec dicere quisquam potest, cum vnum talentum habeam, nihil possum efficere. Potest enim quisque ex vnâ re comprobari, & placere Deo.* Vno talento decem lucrari poteris, laboris enim, gratiæ & caritatis ratio habetur. Consensu etiam docent Patres ex seruorum negociatione & exactione rationis, opera necessaria esse ad salutem. Et insignis est professio Hieremæ Patriarchæ Constant. in primo responso aduersus Lutheranos. *Opera necessaria.*

χωλὶς γὰρ θεῖον ἔργων, σωθῆναι ἀδύνατον. *Sine bonis, seu luti sunt d. uinis enim operib. saluari est impossibile.* Et c. 18. μὴ δὲ ἤρκει ἡ πίστις σῶσαι φησιν. ἀλλ' ἵνα μὴ κενὸς, μηδὲ ἀργὸς σῶσῃ ζωντὸν ἐξήτησε τὸν διὰ τῶν ἔργων. ἢ τοῦτο θεῖον δῶρον ἵνα μήτις αὐχήσῃ τι. ἢ ὅτι ἀδεὴς φησὶν ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη ἵνα δειχθῇ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, δι' ἣν ἡ φιλανθρωπία. Οὐχὶ ἔχοντας ἔργα ἀπώσατο, ἀλλὰ πεφοδεδομένους ὅπως τῶν ἔργων χάριν ἔσωσε. *Id est.* Nisi enim nos vocauisset: qui potuissemus credere? Dei donum est. An non sufficiebat inquit fides ad seruandum? Ne vacuos & otiosos saluaret: hanc quæsiuit quæ instructa esset operibus. Et hoc Dei donum est, vt ne quis glorietur. Nullus inquit ex operibus iustificatus est: vt ostendatur gratia & humanitas Dei. Non repulit instructos operibus, sed perditos, seu derelictos ab operibus πεφοδεδομένους ὅπως τῶν ἔργων: Potest etiam significare, præmanibus datos, seu præparatos ab operibus, gratia saluauit.

§. 2. Clarissime etiam eadem verba τὸ ἐφ' ἡμῖν, vt vocant Græci, seu, quod in nobis est, probatur. Et enim cum dedit talenta paterfamilias secundum vnicuique liberum fuit, operari, aut torpere; nam dedit κατ' ἰδίαν δύναμιν. Secundum propriam virtutem. Poterant igitur operari, & gratia aderat, qua facerent, quod poterant. Nulla re magis contra Lutheranos exultauit Hieremias quam titulo περὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν, ἑκουσίου, seu αὐτεξουσίου ἢ ἐν τοῖς πνευματικοῖς, *de eo quod in nostra est voluntate, seu de libero arbitrio in spiritalibus.* Aduocat enim vt ipse ait τὸν χρυσορρήμονα Ἰωάννην. Aureo flumine eloquentiæ Ioannem. Ille in Rom. 2. ἐκεῖνο πάντα ἐπίστευσεν ὅσα ἐχρῆν. ἢ γνῶσιν σε τῶν καλῶν, καὶ τῶν μὴ τοιούτων καὶ ἔγνως, ἢ μακροθυμίαν ἐπεδείξατο. ἢ εἰς μετάνοιαν ἐκάλεσε. Εἰ δὲ μένεις ἀνένδοτος, σαυτῷ δημευτὴς ἔσῃ λόγων. Ὡς ἡ παροιμία λέγει Παῦλος: ἢ ἀπειθοῦσι μὲν τῇ ἀληθείᾳ, πειθομένοις δὲ τῇ κακίᾳ. κρυσοστομος: ἵνα πάλιν ἐπιτρέψῃ κατηγορίαν ποιῶν. ὅπλον δὲ ἔχει ὁ τὸ φῶς φεύγων, ἢ τὸ σκότος αἱρούμενος; ἢ οὐκ ἄπεβιαζόμενος, ἀλλὰ πειθόμενος τῇ ἀδικίᾳ ἵνα μάθῃς, ὅτι πεφαιρέσεως τὸ πρᾶγμα, οὐκ ἀνάγκης τὸ ἔγκλημα. *Id est.* Ille nihil non fecit, quod debuit: & facultates discernendi bona ac mala te instruxit: & patienter vitia tua tulit: & ad pœnitendum vocauit. Sed si manes pertinax: tibi iram colligis: sicut Paulus infra dicit: Et veritati quidem non obtemperant, obtemperant autem malitiæ. *Liberum arbitrium.*

malitia. Ibi Chrysostomus: Hæc, inquit, noua accusatio est. Quam enim excusationem habet, qui lucem fugit, & tenebras mauult? Non dicit coguntur: sed obtemperant iniustitiæ, vt scias, liberæ voluntatis esse rem, non crimen necessitatis.

Eodem modo Basilius, Athanasius, Damascenus. *Non oportuit*, inquit Basilius, *per baptismum auferri τὸ φαυλὸν malum, ne quis ratione instructus, in numerũ animalium irrationalium reijceretur. ἅπερ μὴ κεκτημένῳ τὸ λόγον αὐτεξουσίου. Quasi non obtineret gratiam liberi arbitrij.* Et Damascenus l. de prouid. c. 46. *Vnde enim Dominus diceret: Euge serue bone & fidelis, si nihil ille sua voluntate fecit?*

Cur alter malus, nisi sua voluntate? Boni quidem sunt gratia, sed tamen & voluntate cooperante. Denique cur in tenebras exteriores proiicitur, si non potuit dare trapezitis? vt aliquo saltem Dominum augeret fœnore? Noluit negociari, defodit in terram, timuit, si aliud melius nõ potuit, crudelis est Dominus in miserum, non iustus in malum. Imo cum videretur timor excusationem pigritiæ adferre; non idcirco punit, quod negociationis aleam non subierit, sortem in periculum non dederit. Id quod facilimum fuit, nec ingenio, nec labore parabile, fieri poterat, vt ad mensam daret. Oportuit igitur te committere pecuniam meam nummulariis. Quod si non potuit, excusari debuit, & si excusari non debuit, id facere potuit. Si necessitas miserum pressit, quid mirum si cessit?

ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δυλεύεται τύχα.
A necessitate cuncta facile domantur.

§. 3. Ex quo etiam consequitur, patremfamilias seruis suis impossibilia non imperasse. Cum vero hic de vita humana agatur, operibus, & præmiis ac pœnis, debuit ea lex figi, ratioque viuendi imperari, quæ gratia adiuuante à nobis teneri posset. Qui firmo est animo, omnia illi facilia sunt, infirmo etiam leuia sunt grauia. Nostros Lutheranos mirum in modum confundit Hieremias Constantinopol. primo responso. c. 19. εἰ δὲ ἀνάγκης ὑπακουόντων διωκήσεται. ὁ μὴ ποιῶν πῶς προαίρεσιν ἔχει. Οἷον εἰ λέγω, ἀναπτῆναι, ἢ τρέχειν ἀρχαῖον δρῆναι, σῶμα ἔχοντα βαρὺ πάντως ἀδυνατόν. Εἰ δὲν εἰ βασιλεὺς ὑπετάξατο τοῦτο ποιῆσαι, ἢ θανάτου ἠπείλησε λέγων· οἱ τῆς μὴ πετομένους ἀνθρώπους δότω τέμνεσθαι κελεύω, ἢ κἂν εὐθυμῇ, ἢ ἀλλότι πάσχειν ποιήτων; ἆρα ἂν ἐποίησεν, ἢ δαμῶς. ἡ δέχεται γὰρ ἡ φύσις. Ἂν δὲ θῇ δόγμα, σωφρονεῖν ὅρα ἐὰν ἐπείσθησαν πολλοὶ τῷ προστάγματι; ἢ χὶ φησί. Διὰ τὰς παραβαίνουσας. ἀλλ' εἰ δήσας καὶ ἐρεῖς, διωκήσεται ἐνεγκεῖν, ἢ μηδὲν παθεῖν ἀνδρός. Οὐκκν ὁ δεῖνα φύσει καλὸς. ἢ ὁ δεῖνα φύσει κακὸς, ἢ γὰ ἂν μεταβάλοιτο ὡς ὁρῶμεν ἐμφανῶς. *Id est.* Sin necessitate poterit: qui non facit, voluntate sua non facit. Exempli gratia, qui graue corpus habet, fieri non potest, vt ad cœlum subuolet. quid ergo si Rex imperet hoc sub pœna mortis dicens. Homines non volantes obtruncari iubeo, & cremari, aut aliter necari: num ne aliquis faceret? Nequaquam: Repugnat enim natura. Si verò decretum faciat, tẽperantiam colendã esse? nũ non multi dicto audientes fuerint? Negas, propter transgressores. At si talem in vincula coniecero: poterit is illi decreto obedire, & pœnam effugere: Non igitur alius naturâ bonus est, alius naturâ malus. Alioqui non mutaretur, sicut manifeste videmus. Quid potest hac in re dici clarius contra eos, qui cum flagitium fecerunt, necessitatem prætexunt. Quasi necessitate, non praua voluntate peccetur. Nec dicere improbis licebit, fatis adactos, in scelere pertinaces fuisse, sicut ille

ἄνεμος καὶ κῦμα πέλοσσε.
Ventus & fluctus appulit.

Non imperat impossibilia Dominus talentorum.

Nec aliud respondent nostrates; quam non esse in libero arbitrio eas vires, quæ fuerunt ante ipsum, quasi vero id Græcus ille nesciuerit. Tum in ea felicitate operabatur, cum delectatione sine fastidio bonum, nunc voluntas deprauata laboriosam habet virtutis exercitationem, sed non coactam. Ratio gratia Dei adiuta recta cognoscit, & voluntas perficit libere, & non coacte. Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, sed tamen nostra sufficientia est ex Deo. Operatur ille in nobis velle, & perficere, non cogendo, sed suadendo, gratiam auxiliumque ferendo, amorem infundendo. Talenta igitur legitime omnia expendenda sunt, dona fortunæ, corporis, ingenii, auctoritatis, doctrinæ, gratiæ. Nihil terræ infodiendum, omnia ad gloriam creatoris proferenda.

VERSVS 16. 17. & 18.

Abijt autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.

QVÆSTIO I.

Quæ negociatio seruorum.

§. 1. DVo *operati sunt in eis.* ἐργάζεσθαι est rem gerere, negociari: Proprie interdum negociationibus tribuitur. Alioqui ἐργάζεσθαι tribuitur manuariis opificibus, seu τοῖς βαναύσοις, quorum officinæ ἐργαστήρια dicuntur. & ligna eorum seu instrumenta, ξύλα ἐργάσιμα, *ligna seu instrumenta fabrorum, quibus operantur*, quæ non sunt καύσιμα, *igni deputata*. Hinc dictam puto, quæ apud Spartiatas erat Pallas ἐργάνη, in Chalcideco, Quod operibus & negociationi præsidere fingeretur. Malim tamen ἐργάζεσθαι sic de commerciis & negociationibus accipere. Hoc etiam indicat Syrus: Nam תגר à אתגר *est negotiatus*, quin etiam vers. 20. significat lucratum esse, quemadmodum etiam ἐργάζεσθαι Herodotus in Clio, μεγάλα χρήματα ἐργασάμενος, & Demost. κατὰ Διονυσ. δισχιλίας ἐργάζεσθαι τῷ αὐτῷ ἀργυρίας, & Aristoteles l. Oecon. τοῖς λοιποῖς ἐκέλευσεν ἐργάζεσθαι. Quod postremum proprie ad hunc spectat locum. Negociari igitur Dominus voluit, atq; omnia in re lucrũ quærere. Talis negociator erat Paulus Rom. 15. v. 15. & 16. & hic præstantissimus, qui quinq; talenta accepit; nã magna opera effecit, nec contemnendus, qui duo lucratus est, cui non industria, sed materia maior defuit. Vnus sibi defuit absconditor talenti. Quod sic intelligendum, non quasi illi, qui minora acceperunt, semper abscondant, qui plura negocientur. Sæpe enim contingere solet, vt non modo sæculares, sed Ecclesiastici etiam ingentibus donis præditi, ocio, aut inutili negocio ætatem prodigant, diuinæ gloriæ gratiam concessam non impendant, sed pecuniam seu ἀργύριον, vt est in Græco, vt & in Syro ܟܣܦܐ *Cassha*, defodiant in terram.

§. 2. Quod si quispiam talenta, & dona de sola interpretari incipiat, à limine aberrabit. *Talenta*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nam ipsi etiam Sectarii de donis interpretantur, vt Beza, Bullingerus, Musculus. Aiunt etiam eos peritiores, qui in Euangelio negligentes fuerint. Securitas certe non potest dari; nam varia est & incerta negociandi fortuna. Et si rem consideremus, securissimus qui fuit, damnatus est. Talentum inquit reddo. Habes quod tuum est, me missum face. Quasi dicat, nihil hic labore opus est, credo mihi non imputari negligentiam, credo iustum me esse. Alii lucrati sunt, ἐπούησαν *fecerunt* alia talenta, & duplicarunt, (vbi quædam Græca ἐκέρδησαν ex glossa habent) at mihi curæ non fuit, vt essent ἴνεργα χεήματά tua, *vt augerentur*, sed vt meæ securitati consulerem; Sciebam enim, mandata tua esse impossibilia, & opera ad salutem non facere.

VERSVS 19. & sequentes.

Post multum vero temporis venit Dominus seruorũ illorũ, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum: Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, &c.

QVÆSTIO I.

Quod iudicium de seruis, & præmium?

§. 1. POst multum temporis Dominus rediit, vt magna esset negociandi copia, & si quid damni fecissent, vt fieri assolet, id diligentia, & industria restauarent. Longum tempus est, illud, quod in præcedente parabola indicatum est per moram sponsi. Venit tamen, & rationem ponit cũ seruis suis, συναίρει, simul ponit; nempe rationes expẽsi & accepti conferens, id vero in generali, & particulari iudicio. Syrus, *recepit rationem.* חרשבנא ונסב, quod dicitur de accurata, & meditata ratione, à verbo חשב quod est studiosè, acute, & prudenter moliri, cogitare. Nam omnium dictorum, etiam verbi ociosi reddendam erit ratio. Nihil enim occultũ, nihil erit impunitũ. Cogitationes omnes nõ facta modò clarà in luce apparebunt, & accusabunt. Neminem tutum reddet vel fraus, vel tenebræ, omnis tergiuersandi est absumpta occasio. *Quales* inquit S. Amb. l. 8. in Euan. Luc. *autem mites qui possint metum futuri cohibere iudicii, cum scriptum sit. Tremor ante te montes occupabit: & cœlum & terra transibunt? Quomodo terrarum portio manebit immunis, aut tuerĩ me poterit, quæ nec ipsa se seruat? Vbi igitur me ab ira eius abscondam, qui conturbat profundum maris? Si ascendero in cœlum, ibi est: Si descendero in infernum, adest. Non ego falli potest, qui vbique est, sed placari. Adest itaque iudicij dies: Si non vis comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Quæris quomodo fugias? Ascende in montem qui euangelizas Sion, vt excelsorum vertice possis eminere meritorum. Deus enim montium, & non vallium est. Ascende eo, vbi Christus sedet ad dexteram Dei, cuius fundamentum in montibus sanctis; & mõtium circuitu eius. Mons tuus Paulus, mons tuus Petrus est. Supra illorum fidem mentũ tuæ locato vestigium. In lege Dei, atque hæreditate fidei constitutos iudicij dies non ad pœnam mœnit, sed ad gloriam.*

§. 2. Eo in timore operatus est ille seruus, qui aduenies dicere potuit; ἄλλα πέντε ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς, *alia quinque lucratus super ipsa*, noster legit, ἐπεκέρδησα αὐτοῖς *superlucratus sum ipsis.* Syrus: על־יהן *super ipsa.* Retulit enim argentum quod accepit, & tantundem lucri. Eum Dominus collaudat. εὖγε, Euge; Syrus אירֵ בּמוֹ בלשׁין יהן *vt in lingua Ianan*, seu Ionica, hoc est Græca. Eadem voce laudatur & qui duo superlucratus est. *Laudãtur, qui lucrati sunt.*

Non tamen ille supra multa, vel paria, vel numero æqualia constitutus est. Nam alter decem talenta habet, hic quatuor. & iam supra ostendi. Hieronymus ex his meritorum disparitatem demonstrat. Ita Iouinianum ille ex eo conuincit, meritorum paritatem in Ecclesiam inducere parantem. Nostrorum sectatiorum furor, non modo paritatem, sed ipsa merita, adeoque ipsas virtutes excidere conatur. Bullingerus hoc loco ambigue loquitur claritate textus conuictus, & sua hæresi impeditus ne omnino vera fateatur. [In eo autem iudicio oportet vnumquemlibet « nostrum rationem reddere omnium eorum, quæ dixit, & fecit. hoc est, quomodo donis sibi à Deo con- « cessis vsus sit in hoc sæculo. *Et paulò post.* Per duos ser- « uos omnes boni per Ecclesiam significantur, quo- « rum vt est dispar gratia, ita fructus quoque impar. « *Et deinceps.* Proinde cum ipsi de se modeste sentiunt, « merentur habere ipsum Dominum laudatorem. « Nam ipsus iam prædicat, ac collaudat, ipsorum fi- « dem ac diligentiam, præmiumque confert iustis, at- « que pulchris virtutibus, Euge, inquit, &c. *Et paulo post*; « Ineffabilia ergo dona rependuntur fidelibus seruis à « Domino. Nam intra, ait, in gaudium Domini tui, &c. « *Merita impária.*

Hæc vere & catholicè. Nec illud male. [Rursus quisquis « liberalissimam Dei beneficentiam expertus, dispen- « satione plurimum valet, & lucrum indies facit am- « plissimum, meminerit se aliena liberalitate felicem « esse, Deo ergo gratias agat, &c.] Quod a. communi suorum errore, meritum, ideoque præmium negat, cũ hisce consistere nõ posse, ipse sine dubio iudicauit.

Non potest vlli dubium esse eos mereri dominum laudatorem, vt Bullingerus ipse fatetur. Nam cum dona sint gratuita ipsa talenta, operatio, & cooperatio, lucrum ipsum; non est gloriandum; sed Deo gratia habenda, qui sua dona, nostra voluit esse merita. Et primus quidem plurimum fructus Deo retulit, fructus ille est augmentum gratiæ, & bonorum operum exercitatio, & quicquid inde in alios vtilitatis deuenit. Fructus ille ex merito est, quia ex promissione redemptoris. Nam gratia dispar, & fructus impar, quia respondet gratiæ. In Ecclesia sancta sedulitate pensare iubet, quod hactenus deminutum dolet. Promissio igitur Dei tenetur in Ecclesia, qua constat, posse pensari sedulitate sancta quod deest, id si fiat, non deerit ex fœdere manus munifici liberatoris. Quod si etiam quispiam lucrum facit amplissimum, de liberalitate Dei liberalis, non est dubium lucrum esse ex pacto, ideoque ex merito, licet, pactum, & meritum sint ex gratia, solum autem debitum ex pacto. *Superlucratus sum*, vterque dicit, non exprobrando Deo labores suos aut merita, sed gratias agẽdo, quod gratiam dederit, & ex gratia laborantibus præmium promiserit. Si Deus collaudat fidem, & diligentiam, si præmium confert iustis, & pulchris virtutibus, & confert ex promisso, vi iuramenti sui, etiam confert ex merito, quod ipse promittendo fecit meritum; alioqui nulla mercedis exspectatione omnia facere etiam oportet. Laudat autem bonitatem & fidem, nec modo laudat, sed propter eam, *supra multa*, inquit, *te constituam.* Cum ergo Dominus vniuersorum pronunciet, se eos supra multa constituturum, quia super pauca fuerunt fideles, non oportet seruum negare mercedem reddi operibus, cum Dominus profiteatur. Quis obsecro hominem ferret, hic de sola fide *Non gloriandum in talentis.* *Lucrum omne expacto.*

gantrientem, & fiduciatione illa sceleratissima, qua certissimo persuadent, in gaudium Domini se intraturos, etsi omnibus criminibus sint cooperti, modo fidem retineant? Quod fiet, de quibus Iacobus Andr. Conc. 4 in c. 21. clamat. [Atq; vt totus mundus agnoscat, eos non esse Papistas nec operibus fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent.] Quid si autem ex eorum sententia quispiam dicat, vt Beza & Lutherus. [Omne opus optime factum ex natura esse peccatum mortale?] Nonne hunc patrem familias redarguit, & seruos ipsos. Illum quidem qui laudet peccata mortalia, & præmio dignetur. Hos autem qui tanquam rè bene gesta mortalia peccata Domino referant? imo referendo, quid egerint, peccent mortaliter. Enge serue bone, multa peccata mortalia fecisti, intra in gaudium Domini tui. Ex natura, inquiunt, esse mortalia, Deum illis non imputare, at insuper laudar, & commendat, non modo condonat. *Deum*, inquit Bullingerus, *merentur habere laudatorem.* Non minus laudari à Deo peccata, quam remunerari debent. Quid igitur ille qui eiicitur in tenebras exteriores, *ille*, inquiunt, *peccauit mortaliter, & Deus illi imputauit, his non imputauit*: quamuis ergo alius plura, alius pauciora habeat peccata, omnes tamen habent mortalia. Sola imputatione distinguuntur. Quod aliud non est, quam cœlos, & tartara commiscere. Parum erat dicere ad salutem nihil facere opera, nec obesse ignauiam, nisi etiam addant, operibus bonis inferos deberi. S. Ambrosius l. 19 Epist. 82. *Qua autem virgo audiat nullum præmium esse integritatis & non ingemiscat? (absit enim vt facile credat:) certe vt non studia deponat & intentionem suam deflectat: Quæ vidua cum conceperit, nullum esse fructum viduitatis, malit seruare fidem coniugij, & in tristibus degere, quam lætioribus se credere? Quæ coniugij disciplina vinculo si audiat, quod nullus honos castitatis sit, non possit curiosa tentari, corporis aut mentis facilitate?* Si hæc ille tanquam moribus perniciosa damnauit, quid diceret, si profundissimum impietatis mysterium tartareo ore reuelatum audiret, virginitatem, castitatem, omnium virtutum studium esse peccatum mortale: Lutherus sane seruo pigro, si nunc est quispiam, hunc in modum suaderet; ne sollicitus esto de negocatione, crede, te domino tuo carum esse. Nulla peccata te possunt damnare nisi incredulitas. T. 1. Wittemb. p. 78. Imo animabis illum ad scelera. Sermon. de operib. [Quia angusta est via, oportet te esse tenuem, si vis per eam transire. Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut Conchilibus videmus onustos Iacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare. *Et Serm. de Piscatura Petri.* Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam suam infundit.] An hic de Deo, an de dæmone aliquo loqui videtur? Quin Ambsdorffius scurra & cõpotor Lutheri contra maiorem Lutheranum librum flagitiosissimo titulo inscripsit. *Quod opera sint perniciosa ad salutem. Qui docet*, inquit, *quod bona opera sint necessaria ad salutem, hic iam anathematizatus est.* credo sane fulmine Ambsdorffiano, non Christi, non huius patrisfamilias, qui seruis suis opera necessaria ad salutem iudicio suo definiuit. Colloquii Altenbergensis ista sunt axiomata.

Hæretici fugiunt bona opera.

Serui fideles non peccarũt mortaliter operę fidelitatis.

Hæreticorũ impietas.

I. Christiani Concionatores prædicare debent verum Euangelium & non legem.

II. Opera bona legis & noua obedientia, non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent.

III. Lex non docet bona opera, necidirco prædicanda est, vt bona opera peraganiur.

IV. Nihil ad nos Christianos præcepta decalogi pertinent.

V. Qui credit Christianus, supra omnem est obedientiam & supra omnem legem.

VI. Ad Sathanam spectant Christiani cum operibus bonis.

VII. Sola fides sine operibus bonis efficit omnia, non solum quod ad meritum, sed etiam quod ad præsentiam bonorum operum attinet.

VIII. Precari Deum oportet, vt in fide sine bonis operibus omnibus ad finem vsque constanter perseueremus.

IX. Ab Apostolo Paulo non solum bonorum operum meritum, sed etiam bona opera nostra excluduntur.

X. Paulus in semetipso adeo separat opera, & iustitias à salute, vt ea pro reiectamentis, atque adeo damnis salutis deputet.

XI. Falsa est propositio, Opera sunt necessaria.

XII. Adeo necessaria illa non sunt, vt etiam ad salutem incommodent sintque perniciosa.

Hæc ex professo refutat Christus, non modo parabolis suis, sed etiam diserta iudicii descriptione, in quo de operibus erit disceptatio. Nonne necessarium erat seruo, qui vnum talentum accepit, ne esset mulus, nec piger; hoc enim exprobrat illi Dominus. Deinde vt vteretur Domini pecunia, ad hoc enim dederat. Durum se non concedit, nec negat, hoc tantum asserit, si aliena rapio, mea non quæram? Non ergo ad Christi regnum pertinet Christi parabola, fideles & gnauos seruos postulans? Profecto obedire seruos Domino oportuit, & negociari, non modo credere se iustos esse seruos. Nec illos legis suæ Dominus, sed factores esse voluit. Quid enim? non erat seruus ille piger adeo impudens, vt diceret, supra omnem legem, & obedientiam se esse, ad sataram spectare locios suos cum negociationis operosæ operibus, suam solam fidem efficere omnia. Opera sibi non esse necessaria, nec quo ad meritum, nec quo ad præsentiam. Velle se sola fide, sine vllis in posterum operibus manere constantem. Denique esse perniciosa. Ecce talibus instituti documentis ad iudicium Domini mittunt infelices, ad hoc, inquam, iudicium, quo redderur vnicuique secundum opera sua.

§. 3. His Epicuræorum κενὰς δόξας, seu axiomatis oppono præter ea quæ ex ipso textu attuli, sanctorum Patrum sententiam. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. *Nam & prophetare & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique & admirabilis res est, non tamen regnum cœleste consequitur, qui quis in hu omnibus inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione graditur. Denunciat Dominus & dicit: Multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia exclusimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Numquam vos cognoui, recedite à me qui operamini iniquitatem. Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deum iudicem. Præceptis eius & mandatis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Dominus in Euangelio, cum spei & fidei nostræ viam compendio breuiante dirigeret: Dominus Deus tuus inquit, Deus vnus est: & diliges Dominũ Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum: & secundum simile huic: Diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis, tota lex pendet & Prophetæ. Vnitatis simul & dilectionem magisterio suo docuit: Prophetas omnes & legem præceptis duobus inclusit. Quam vero vnitatem seruat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordia furente vastat Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, Sacramentum profanat.*

Quo vero spiritu agitentur Lutherani nostri, non [illegible] est difficile colligere veterum cõfirmatis. Iren. l. 1. c. 20. [illegible] De Simone Mago refert, cum dixisse: Propheras eb [illegible] Angelis

Angelis mundi fabricatoribus inspiratos Prophetias protulisse, proinde ne eos curarent amplius, qui in eum & in Selenen eius sperarent: Et vt liberos agere, quæ velint, secundum enim ipsius gratiam saluari homines, & non secundum opera iusta. Semper etenim diabolo curæ fuit obtrectare virtuti, & bonis operibus. Quæ ex Apostolo adferunt, ad ea respondet Augustinus l. de operib. & fide cap. 14. Sanctus Paulinus Epist. 26. ad Victricium plane de operibus contraria ratione loquitur, plenos operibus bonis ad cœlum Christianos ire profitetur. *Quid ergo miremur tã potentem te esse meritorum, tam diuitem gratiarum, cum hoc tibi fuerit virtutum in Christo rudimentum, quod longorum laborum pauciè consummatio est? Dubitemus etiam nunc, an perfectus sis, qui de perfectione cœpisti? Et si legitimè coronandus is agone decurso, cũ currere cœperis à corona? Memineris quæso te nostri in illa die, qua te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum, ornamentisq; felicibus comptũ, vt pretiosam diademati suo margaritam rex æternus aptabit, nec tuarum tibi cãtum præmia se debere virtutũ iudex Iustus agnoscet, &c.*

Sixtus 3. de malis doctoribus, & operibus fidei, non modo veram doctrinam exposuit, verum etiam de nostris hæreticis prophetauit. *Ex his omnibus credo iam manifestum esse his tantum professionem fidei ad vitæ gloriam profuturam, qui eam habere se bonorum operum exercitatione, & sancta conuersationis protestatione monstrauerint. Illi vero non satis iure prærogatiuam collaturam, qui vitã suam probroso delictorum inquinamento, & turpissimo flagitiorum cœno fœdauerint. Sed dices mihi, si fides absque iustitiæ operibus minus proderit, quomodo per Prophetam Dominus dicit: Iustus autem meus ex fide viuit? Non dixit peccator in fide viuit, si in delictorum suorum conuersatione duruauerit, aut si fidem habet, permanens in peccatis suis ex fide viuit, & peccatorem, etiamsi peccare non desinat, sola iustificat fides, demõstrare te parest. Cæterum eius rei præmium, quod solis iustis promittitur puto, quod in sua iniustitia perseuerantibus denegetur. Memento de baptizatis non de Catechumenis haberi sermonẽ. Præscius enim fuit Dominus nouissimis temporibus tales fore Doctores, qui sub velamento fidei, omnem disciplinæ vigorem, atq; iustitiæ adulatoriæ niterentur persuasionis oblectatione destruere. Et idcirco huius sententiæ definitionem ac inexpugnabilem iustitiæ murum, ante construxit, quem nequaquam pernose doctrinæ aries possit agitare. Iustus autem meus ex fide viuit, hoc est dicere, illi tantum fides proderit ad salutem, qui secundum me iustus esse voluerit, &c. Ergo inquit Iacobus, ne solam sibi fidem sufficere existimarẽt, nihil solius fidei prærogatiuam, absq; iustitiæ operibus ijsdem profuturã esse testatus est.*

Nec tamen bona opera illi sine gratia agnoscunt: Sedã gratia manantia. Optime enim Concilium Arausicanum c. 18. *Debetur merces de bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Itaque nec opera sine fide, nec fides sine operibus saluat, vt Prosper ad c. 6. Gallorum respondet. Et Leo Sermon. 2. de Epiphania. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus, ac vigilantibus.

Audiamus igitur Alcimum Auitum Christiane canentem, minus ornate, sed vere.

Non vanum præ se tumefacta scientia nomen
Nostra ferat, sed iuncta sibi dilectio subsit,
Nam non Christicolas nosmet sanctosque putamus:
Aggrauat hoc etiam nomen ni facta sequantur.

Certe S. Athanasius grauiter monet Episcopum Dracontium Epistola ad eum scripta, ne fugiens Ecclesiamque deserens talentum abscondat. *Si non accepisses denarios nequaquam ille te incusauerit. Cæterum cum acceperis, eosq; infoderis, & in occulto habueris, merito inculet, proferens illa verba, quæ absit vt audiat tua religiositas: Oportebat te porrigere denarios meos trapezitis, vt ego veniens, ab illis repeterem. Obsecro igitur vt tibi ipsi & nobis parcas: Tibi ipsi periculum euites: nobis, ne super te lugeamus. Curam habe tuæ Ecclesiæ, ne per te multi expusillis detrimentum accipiant alyque ex tuo exemplo occasionem nanciscantur se subducendi. Si igitur tempora metuis, & formidine contractus id feceris, nequaquam illud virilis est animi: oportebat enim, te secundum zelum Christi in istius modi temporibus specimen tui edere, & potissimum in grauioribus circumstantiis, fiducia libertateque rei, & dicere Beati Apostoli verba. In omnibus istis magnificè vincimus. maxime ea de causa, quia non temporibus nos, sed Deo seruire condeceat.*

§. 4. De nummulariis, & vsura non est pars necessaria, sed emblema: nec Christus, quid recte fiat inter homines, sed quid fieri soleat, ostendit. Nec cum venturum se minatur vt furem, ideo furta comprobat. ἔδει οὖν, *oportuit igitur* te pecuniam dare nummulariis, hoc est, lucellum aliquod congerere, etiam minimo labore. Hominem enim attentissimum ad rem, & vndiq; lucris inhiantem describit, vt iudicis nobis in exigenda ratione diligẽtiam ob oculos ponat. cuius calculum, ne obolus quidem effugiet. Eodem modo auferetur id quod habet, pigro, omnia enim dona in irritum cadunt. *Datur vtenti.*

Datur illi qui decem talenta possidet; ille enim vsus est. Docet vero Chrysostomus *dari habenti, & vtenti.* Quin & Beza, *Eripi talentum male vso.*

Hoc etiam notandum quibusdam Græcis codicibus deesse verbum πᾶσι, omni, sed est tamen in aliis, vt etiam latinis. Deinde Latini codices habent; *quod videtur habere.* Et pauci Græci ὃ δοκεῖ ἔχειν, *quod videtur habere*, cæteri. ὃ ἔχει, *quod habet.* Addetur autem habẽti. καὶ περισσευθήσεται, *abundabit*, supererit illi. Syrus tantum habet: וגתתוסם לה veneththeſaph lech. *Et adijcietur ipsi.* Male Origenes. *Omni habenti ex se fidem dabitur gratia.* Nemo enim ex se fidem habet, cum sit gratuitum donum Dei.

VERSVS 31.

Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

QVÆSTIO I.

An venturus sit ad iudicium Christus.

§. 1. QVod hactenus parabolice inculcauit, nunc aperte, & remoto velo proponit; se esse sponsum, se esse patremfamilias, se iudicaturum. Nunc laborandum esse, nunc talentis negociandum, vasa oleo complenda, tum fore clausam, ianuam misericordiæ, superfuturas tenebras. Salubre monitũ est Chrysostomi. Ἀν γὰρ ὀκνήσωμεν, καὶ ἐν ὀργῇ διαπεῖσωμεν, οὐδεὶς ἡμᾶς ἐλεήσει λοιπὸν, κἂν μυρία θρηνῶμεν. *Si enim nunc negligentes simus, & per ignauiam degimus ætatem, nemo nostrum de cætero miserebitur, & si decies millies fleamus.* Hic igitur iam de talentis ratio putabitur πάχαυζα, inquit Chrysostomus, τί ἐστιν ἐκεῖνα, ἢ ἐκάστῳ δυνάμεις εἴτε ἐν πρεσβείᾳ εἴτε ἐν χρήμασιν, εἴτε ἐν διδασκαλίᾳ, εἴτε ἐν ἄλλῳ ὁτῳοῦν δήποτε πεφύκαμεν ποιεῖν. μηδεὶς οὖν λεγέτω ὅτι ἓν τάλαντον ἔχω. κἂν ἓν ἔχῃς δυνάμει πείθειν. δύναται γὰρ καὶ εἷς δοκιμῆσαι. *Id est.* Talenta enim hic pro eo quod vnusquisq; facere potest accipimus, siue authoritate protegere, siue pecuniis iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat, cum vnum talentum habeam, nihil possum efficere: potes profecto ex vna te sola comprobari. *Nunc tempus est misericordiæ.*

§. 2. Hoc tam terribile iudicium, vt metum mentibus demerent, & ostium omnibus flagitiis aperirent, multi hæretici negarunt. Principio quidẽ eâ de causâ Christianos irridebant Ethnici. Ita Tertul. Apol. c. 48. Itaque *Iudicium qui negarint.*

Itaque & ridemur Deum prædicantes iudicaturū. Sic enim & Poetæ, & Philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehẽnam comminemur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnã thesaurus proinde decachinnamur. Sic enim & Pyriphlegethon apud mortuos amnis est. Et si paradysum nominemus locum diuinæ amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum maceria quadam ignea illius zonæ à notitia orbis communis segregatum Elysii campi fidem occuparunt. Vnde hæc (oro vos) Philosophis aut Poetis tam consimilia? non nisi de nostris sacramentis. Si de nostris sacramentis, vt de prioribus. Ergo fideliora sunt nostra magisque credenda, quorum imagines quoq; fidem inueniunt. Si de suis sensibus iam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebunt, quod rerum forma non sustinet. Nunquam enim corpus vmbra aut veritatem imago præcedit.

Et Apol. cap. 18. *Sed & obseruantibus quæ præmia destinarit, vt qui producto euo isto iudicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem: profanos in ignem atq; perpetem & iugem suscitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis & recensitis ad vtriusque meriti dispunctionem. Hæc & nos risimus aliquando. De vestris fuimus, fiunt, non nascuntur Christiani.*

Hos secuti sunt, Simon, aliique qui se Christos nominarunt, & mundi seruatores esse persuadere sunt conati.

Marcionitæ deinde, quod iam ante docuissent, Deum suum totum bonum, alium à Deo creatore, quamuis illi puniendi vices non darent, tamen peccatorum non faciebant amicum. Tertullian. l. 1. c. 27. contra Marcionem. *Multo adhuc vanius, cum interrogati, quid fiet peccatori cuiq; Dei illorum, respondent, abijci illum quasi ab oculis. Nonne & hoc iudicio agitur? iudicatur enim abiciendus, & vtique iudicio damnationis: nisi si in salutem abiciatur peccator, vt & hoc Deo optimo competat. Et quid erit abijci, nisi amittere id quod erat consecuturus si non abiceretur? id est salutem. Ergo salutis in detrimentum abijcietur: & hoc decerni non poterit nisi ab irato, & offenso, & executore delicti, id est iudice. Exitus autem illi abiecto quis? ab igne, inquiunt, creatoris deprehendetur. Adeone nullum habet elementum, vel in hanc causam prouisum, quo peccatores suos vel sine sauitia releget, ne illos dedat creatori? Quid tunc creator? Credo sulphuratiorem eis gehennam præparabit, vt blasphemiæ suis scilicet: nisi quod Deus zelotes fortasse an desertoribus aduersarij parcet? O Deum vsquequaque peruersum, vbique irrationalem, in omnibus vanum, atque ita neminem: Cuius non statum, non conditionem, non naturam, non vllum ordinem video consistere, iam nec ipsum fidei eius sacramentum.*

Itaque nullo modo impunitum peccatorem dicere audebant. Creatorem vindicem faciebant. Idem de præscription. c. 13. *Venturum ait cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione.*

Idem Ruffinus multis probat, & Tertull. aduers. Praxeam. Item Cyprian. aliique vetustissimi.

Gnostici etiam iudicium Dei negabant, Castr. v. Iudicium. Deinde circa annũ Domini 200. Florinus, postea circa annum 300. Manichæi Epiph. hæres. 66. Albanenses secuti anno 800. Hæcilli à Simone sumpto initio, vt Epiph. hæres. 21. & August. hæres. 1. Farellus Epist. ad Caluinum resurrectionem corporum negat. Caluinus in cap. 27. *Neque enim timendum est, vt in Dei iudicium amplius veniant peccata nostra, à quibus tam preciosa mercede nos absoluit Dei filius.* Venient vero omnia in Dei iudicium, nisi pro quibus ipse Dei filius soluit precium nobis non modo credentibus, sed & pœnitentiam agentibus.

Fugienda allegoria.

§. 3. Origenes tractatu 34. in Matthæum dubitat: an nubes in quibus venturus est, sint veræ, proprieque dictæ nubes, an perfectiones Sanctorum? Nimium allegoriis suis ille addictus fidem iudicii eleuat; si enim allegoricæ sunt nubes, non possunt cæteræ etiam per eandem allegoriam exponi: & Origenus, & Angeli, atque adeo resurrectio. Facile enim Prædestinationi, & Borborianiea expositione abuti iudicium, & resurrectionem negabunt. Facile Nathanael Ælianus, *iudicare*, interpretabitur *regnare*: semel enim admissis figuris, cætera corrumpentur, vt nihil certi sit in literali, & historico scripturarum sensu. Verum de iudicio toties Scripturæ testimonia proferant, vt nemo qui illis credit, vel minima dubitatione labi pulsari possit. Ad totum enim vniuersum pertinet, vt Deus iustitiam cunctis manifestam faciat: omnem iniuriam vleiscatur; Ita Mosi prædicit, se in die vltionis & hoc eorum peccatum visitaturum. Tu lege quæ apud Iob sunt cap. 31. v. 14. Eccl. 12. 14. Sap. 5. 1. Isa. 3. 13. & 66. 15. Ierem. c. 23. v. 19. Daniel. 7. 9. Ioel. 2. 1. & 3. 2. Soph. 1. 14. Zach. 14. 5. Malach. 3. 2. & 4. 1. in nouo Testamento sæpe, adeo, vt perpetuo inculcetur; minæ enim omnes iudicii, gehennæ, & væ eo pertinent, ita Ioannes Baptista incipit, ita Christus. Deinde vide Matth. 12. 36. & hoc loco. Ioan. 5. 22. Act. 10. 42. & 17. 33. Rom. 2. 15. & 14. 10. 1. Cor. 4. 5. 2. Cor. 5. 10. 1. Thess. 1. 5. & 5. 2. 2. Thessal. 2. 2. 2. Petr. 2. 9. & 3. 3. Iudæ v. 14. Apocalypsi pene tota, sed c. 20. describitur. Testantur idem omnes SS. Patres & quos citaui, eorumque consortes & collegæ. Hæc vere, seuere, & aspectabili apparatu futura, Christo in carne gloriosa metum improbis, gaudium electis differente, adeo certum apud veteres fuit, vt ex eo Tertullianus veritatem, & munditiem carnis Christi probet, l. de carne Christi c. 16. *Agnoscunt hominem Deo mixtum, & negant hominem. Mortuum credunt, & quod est mortuum, ex incorrupta natũ esse contendunt, quasi corruptela aliud sit à morte. Sed & nostra caro statim resurgere debebat. Expecta, nondũ inimicos suos Christus oppressit, vt cum amicis de inimicis triumphet. Insuper argumentandi libidine ex forma ingenij hæretica lucri sibi fecit Alexander ille, quasi nos affirmemus idcirco Christum terreni census induisse carnem, vt euacuaret in semetipso carnem peccati. Quod etsi diceremus, quacunque ratione, muniremus sententiam nostram, dum nec tanta amentia qua putant, tanquam ipsam carnem Christi opinemur, vt peccatricem, euacuatam in ipso, cum illam & ad dexteram patris in cœlis præsidentem minerimus & venturam inde suggestu paternæ claritatis prædicemus. Adeo vt euacuatam non possumus dicere, ita nec peccatricem. Nec euacuatam in qua dolus non fuit, defendimus autem, non carnem peccati euacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis: non materiam, sed naturam: nec substantiam sed culpam: Secundum Apostoli auctoritatem dicentis: Euacuauit peccatum in carne.*

QVÆSTIO II.

Qui cum iudice venturi sint?

§. 1. PRimo sancti Angeli, in Græco enim est ἅγιοι. Omnes quod vetus interpres nõ legit, nec est in correctis; Syrus tamen apponit. Nec modo Angeli, sed omnes Angeli, hoc millena millena, nemo aberit, omnes enim sunt administratorii Spiritus. Qua etiam ex re apparet, Christi diuinitas, cui ministrent omnes Angeli. Alia etiam ex parte eadem ostenditur, dum omnia penetrare, & scire, ideoq; iudicare dicitur. Atq; hac ex re maiestas facile ostendetur, cum tot Angelorum legionibus circumdatum iudicem videbunt aduersarii. Non desunt qui eo in assumptis, lucidissimis, pulcherrimisq; corporibus comparitutos existiment; quod Dominus etiam aspectabilis in veritate carnis in throno ad iudicandum sedeat.

§. 2. Aderunt etiam sanctorum millia, de quibus Omnes Matth. 19. Luc. 22. 1. Cor. 6. Sap. 3. cum Christo enim sanctis iudicabunt: Verum hoc ad aliorum locorum expositionem pertinet.

§. 3. Cal-

§. 3. Caluinus vt metum iudicii demeret & carnis licentiam augeret, eos omnes inter Christi assessores & iudices constituit, & non ad reddendam rationem, sed iudicandum alios informat. l. 2. instit. c. 16. §. 18. Neminem enim suorum iudicandum affirmat. [Hinc egregia exoritur, *inquit*, consolatio, quod penes eum » iudicium audimus esse, qui nos sibi, in iudicando ho» minis consortes iam destinauit, tantum abest, vt in cô» demnationem nostram tribunal sit conscensurus.] Quid verò inde colligendum sit, quamuis nimium omnes norint, non ipse tamen dissimulat. [Non mo» dicæ certe est securitas, quod non ad aliud tribunal si» stemur, quàm redemptoris nostri, à quo salus sit exspe» ctanda. Ergo hunc in finem Pater filium honorauit, » tantæque iudicium illi deferendo, vt ita conscientiis suo» rum terrore iudicii trepidis consuluerit.]

Iudicabunt cum Christo electi; verum non est satis, vt se quisq; Electum opinetur, & cum sit peccator, iudicandi sibi partes arroget. Sunt eorum qui vere credunt, vt ipsi fatentur horrendi sæpe & multiplices lapsus, de illis etiam iudicium instituetur, quamuis fiducia tione superbissima contumaces, clament sibi non imputari, quicquid demum peccauerint, imo se aliorum iudices fore minentur. Tantum mali, præsumptio parere potuit, vt quàuis in peccatis se esse videant, tamen rationes se ab aliis, neminem à se exactum esse imaginentur. Hæc enim ex illa fiducia orta sunt Caluinii dogmata. Indubitatam diuinæ voluntatis notitiam posse sibi suos arrogare. l. 3. instit. c. 2. §. 38. & §. 39. scire se iustos esse, & in iustitia perseueraturos, cum tamen id neget Scriptura. Prou. 20. 9. Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato? Et 1. Corinth. 10. 12. *Qui stat videat, ne cadat.*

Audaciam verò mirum in modum auget, l. 4. instit. c. 17. §. 2. [Nobis secure respondemus, vitam æternam » nostram esse, cuius Christus est hæres, nec regnũ cœ» lorum quo iam ingressus est, posse nobis magis exci» dere, quam ipsi:] Rursum peccatis nostris non posse nos magis damnari, quam ipsum. Qua quidem in re quàm arroganter se reum iudici exæquet, res ipsa loquitur, cum omnis Scriptura illam securitatem damnet, & plus quàm atheum sit, profiteri peccatis nostris damnatos non posse. Imo se Christo præfert, quem fingit vacillasse, nostræ salutis oblitum, de quo dicam c. 26. Et notandum Caluinum de se loqui; se enim credit electum, de se solo certus est, de aliis ambigit, electi an reprobi sint?

§. 4. Quod si etiam veram Christi præsentiam & è cœlo descensum credimus, barbara quorundam Lutheranorum vbiquitas repudianda est; si enim humanitas Christi deificata, immensa, omnipræsens est, non descendit, non ascendit, ne cognoscitur quidem: non minus ergo mysterium vltimũ, quo omnia finiuntur, quàm natiuitatis, resurrectionis, ascensionis Vbiquistæ tollũt. Eadem est enim omnium mysteriorũ ratio.

VERSVS 32.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis.

QVÆSTIO I.

Quinam congregandi sunt?

§. 1. Sicuti ante dixit; omnes Angelos adfuturos, ita nunc omnes gentes congregandas pronunciat. Nemo igitur deerit, ab homine primo vsque ad vltimum. Omnis inquam creatura rationalis tanquam in supremo, & generalissimo actu iustitiæ comparebit. Omnes Angeli, boni, mali, homines iusti, iniusti, fideles, infideles, etiam paruuli, tam illi quos mors in peccato originali oppressit, quam illi qui gratia Dei per sacramenta sunt iustificati. Nec aderunt modò, sed omnes omnium causam mira Dei virtute cognoscent, dataque de se aliisque omnibus Dei sententiam approbabunt.

Cum enim ea causa iudicium instituatur, vt Dei iustitia, patientia, misericordia, erga cunctos singulis patescat; nemo ex omnibus erit, qui non conscientia sua conuictus certissime iudicet, in singulorum impiorum damnatione Dei sententiam esse iustam, non modo quod damnarit, sed etiam in pœnarum culpis respondentium, æquissima proportione: quam cognoscere non possunt, nisi omnium factorum, dictorum, cogitatorum perspiciant genera, & varietatem? Congregabuntur in vallem Iosaphat Ioel. 3. 2. Zachar. 14. 4. Facile enim omnes vallis illa, & vicina loca capient. Sancti enim obuiam Christo in aëra rapientur, impii in cumulum congregabuntur mox arsuri.

§. 2. Angeli aderunt testes ministeriorum suorum, & vitæ cuiuslibet anteactæ. iudices etiam erunt, sed tamen & ipsi iudicandi, vt Richar. art. 1. q. 6. Bonauent. in 4. distinct. 47. art. 1. q. 4. cæterique, etsi enim initio mundi est eorum iudicium peractum, hoc tamen priuatum fuit, inter Angelos solos, nunc publicè omnes iudicabuntur, & quidem etiam ab hominibus, 1. Corinth. 6. *Nescitis quia Angelos iudicabimus.* Malos quidem iudicandos docet Petrus Epist. 2. c. 2. Sic & Clemens. Rom. l. 7. constit. c. 33. Lact. l. 7. c. 26.

Quod si damnantur ab hominibus mali, non est dubium etiam bonis suo modo decerni præmia, seu iam decreta comprobari. Pari modo etiam sancti, qui iudicandi sunt, testes erunt, & suo modo iudices. Separabit autem hœdos ab ouibus. הזר בין הזר *chad men chad.* Vnum ab vno. Ita Syrus loquitur.

VERSVS 34. & sequentes.

Tunc dicet rex his qui à dexteris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, &c.

QVÆSTIO I.

Quæ causa salutis, aut damnationis proferatur?

§. 1. BEnedictos patris sui vocat; εὐλογημένους, vt originem felicitatis ostendat, Dei nempe in eos amorem gratuitum. à mundi enim constitutione paratum illis est prædestinatione patris. Quocirca etiam dicit; *possidete* κληρονομήσατε, tanquam paternam hæreditatem adite. Deinde cur donet, exponit, bona eorum opera. *Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.* *Electio fons beatitudinis.*

§. 2. Quantumcunque locum istum depraueni Sectarii, non tamen efficiunt, ne sibi contradicant, vel bonis operibus non dari persuadeant. *Bona opera causa salutis.*

Nimis enim clarè & diserte profitetur iudex, ideo se his regnum dare, quia eorum sit beneficentiam expertus; illis negare, quia sibi egenti non adfuerint. Necaliter ipsi qui iudicantur, sententiam intelligunt. Nam quibus regnum confertur, de causa quærunt; *quando te vidimus esurientem, &c.* idcirco enim se saluari intelligunt. Qui verò damnantur excusationem præ-

rexunt; non enim se vidisse *esurientem, &c. & non ministrasse.* Non igitur causam damnationis, quam iudex pronunciat, veram agnoscunt: quamuis eam adferri tanquam causam damnationis intelligunt. Confirmat causam expositione. *Quamdiu vni ex minimis fecistis*, inquit, *mihi fecistis.*

Caluinus sic eludere iudicis sententiam conatur. »[Si hic disputatio esset de salutis nostræ causa, non »male colligerent Papistæ, nos bonis operibus vitam »æternam mereri: sed cum nihil aliud propositum sit »Christo, quam suos ad bene recteq; agendi studium »hortari, perperam ex eius verbis elicitur, quid valeant »operum merita.]

Agitur de causa Sabatis & damnationis.

Atqui vero tota disceptatio est de operum meritis, & causa salutis. Omissio bonorum operum est causa damnationis, quod nemo negat, ne Caluinus quidē. De causa igitur damnationis agitur. Deinde bona opera sunt causa salutis. *Esurijui enim, & dedistis mihi manducare, quia quod minimo feciſtis, mihi feciſtis.* Si ducatum imperator alicui conferret, quod se bello pressum, captum, egentem anxilio fouisset. Atq; hoc elogio donaret: *Veni, posside prouinciam à Deo tibi paratam, quia rebus meis aduersis fidem & charitatem præstitisti*; nemo dubitaret donationis causam esse, eam quam olim exhibuit fidelitatem. *Esurijui enim & dedistis mihi manducare.* Causa igitur vera redditur, vt in posteriori, ita & priori sententia. Hinc 2. Cor. 4. dicitur quod est leue, immensum æternæ gloriæ pondus operari.

At quo tandem argumento probat, non agi de »causa salutis? [Sed quum nihil aliud propositum sit »Christo, quam suos ad bene recteque agendi stu»dium adhortari, perperam ex eius verbis elicitur, »quid valeant operum merita.]

Nihil minus rationi consentaneum est, quam illa argutia. *Christus hortatur ad bene recteque agendum. Non ergo sunt vlla operum merita.* Hortationi non repugnant merita, sed eam faciunt efficaciorem. Itaque Christus hortatur ad excutiendam ignauiam, charitatem exercendam, fouendos pauperes: & graue, solidumque argumentum continet adhortatio. Iudex enim dicet illis qui ista fecerunt: *Possidete regnum: Esurijui enim & dedistis mihi manducare.* Contrarium igitur hinc conficitur; nempe hortari nos ad opera sancta Dominum, proposito eorum præmio, quod est redditurus. Non enim inania, & infœcunda futura sunt, sed salutem operantur; semina sunt, Galat. 6. vnde Messis illa die colligetur. Causa igitur salutis indicatur.

Causam veram Augustinus interpretatus contra aduersi legis & Prophetarum. cap. 16. *Vbi venturum se Dominus, & ad sinistram positis gentibus minatur esse dicturum, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius: huius tanti supplicij quærit causam, esurijui, inquit, & non dedistis mihi manducare. Ecce pro esca temporali, non ablata, sed non data, æternum & horrendum supplicium comminatur. Et recte, si consulas veritatē. Perparuum est enim quod in Eleemosynis: sed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur. Et ideo potius, quia paruum est, quod datur, magna impietate non datur.*

Hæc quidem ex diametro scitis Caluinianis repugnant, quemadmodum Caluino Augustinus. Quod si vere proprieque causam salutis & damnationis exponere Deus vellet, præsertim habita ratione circumstantiarum, aliis verbis nullis opus foret. Quod si Caluino credimus, reprobi non damnantur, quia ista egerunt, sed quia Iudex eos noluit saluari.

Causam Augustinus, non consequentia esse docet.

Diuersitas meritorū.

Itaque & Augustinus Papistatum conuitio hic exagitatur. Hinc Hieron. l. 2. contra Iouin. *Sine causa* (in cœlo) *diuersitas nominum est, si non est diuersitas meritorum.* Et in cap. 46. Ezechielis. & in 4. Malach. *Iusta meritorum in futuro erit retributio.* & in cap. 1. Isa. Liberum seruat arbitrium, vt in vtramque partem, non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium. Et l. 1. in cap. 1. Lament. *Deum iustum esse, & iuste reddere præmia.* Et in caput 11. Eccles. Eleemosynæ fœnus explicat & mercedem.

§. 3. Pergit Caluinus: [Quod in causali particu- «la insistunt; infirmum est. Scimus enim non causam «semper, sed consequentiam potius notari, cum vita æ- «terna iustis promittitur.] Deniq; aliam solutionē ad- «fert, mercedem dari, sed gratuitam: quæ sit ex adoptione. *Addit*, Vocari fideles ad possessionem regni cœlestis; non quia illud promeriti sint operum iustitia, vel quod eius acquirendi sibi fuerint auctores. Sed quia Deus iustificat, quos elegit.

Nos vero in particula causali merito insistimus. Quia opera sunt causæ regni, & alia opera causa combustionis: Ideo causalem Dominus verbo suo Sacro inseruit, quam nobis tollere religio est. Nec consequentiam tantum, sed rationem dat. Nec obstat cœlestis regni possessionem adiri ex adoptione: plures enim causæ sunt, nec hic causarum concursum negare potest, qui eodem loco concedere debet. Nam damnationem impiorum Caluinus ex Dei voluntate ad cruciatum prædestinantis primam originem habere contendit, & tamen eos suis factis meritis idem pronunciat. Si igitur duæ damnationis causæ esse possunt, Dei voluntas, & peccata hominum, cur non duæ etiam possunt esse salutis, Dei electio, & opera bona? Merces igitur datur vita æterna merces operum, ex Dei gratia, & Spiritu Sancto, factorum, non quorum nos simus auctores, sed cooperatores. Operum inquam non solius fidei præmia promittit Augustinus egregie iam olim hæreses illas confutauit. l. de 80. quæst. 1. *Illud quoque non video, cur Dominus dixerit: Si vis venire ad vitam, serua Mandata, & commemorauit ea, quæ ad bonos mores pertinent. si etiam his non seruatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est. Illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicet, Ite in Ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius? quos non increpabit, quia in eum non crediderunt: Sed quia bona Opera non fecerunt. Nam profecto, ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis vtebantur, vt apparent eos illi dicturos, Domine quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministrauimus tibi, qui in eum crediderant, sed bona opera ij non curauerant, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam peruenire tur æternam. An forte ibunt in Ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt, & non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei, in se ipsos immisericordes fuerunt, quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo, si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: aut diligat quisquam proximum sicut seipsum, qui non diligit seipsum: qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ducentes, ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam: per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt Salutem; vt videlicet ipse ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eis æterna: cum & hoc prædidens Dominus sententiam suam ita concluserit, dicens: Si ibunt illi in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis, & eos in illam ituros veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declarauit.*

Iustinus martyr homines suis operibus regnum cœlorum adipisci protestatur in Apologia 2. ad Antonium. ὁ ἐὰν ἀξίως τῷ ἐκείνου βουλήματι ἑαυτὸν βιώσῃ, τῆς μετ' αὐτοῦ ἀναστροφῆς καταξιωθῆναι πεπεισμένος

θανάτῳ συβασιλεύοντες ἀφθάρτως, καὶ ἀπαθῶς γενομένους, ἢ τέκνων ἢ τῶν ἀρχὴν ἐκ ἔντας ἐποίησε τὸν αὐτοῦ ἡγεμόνα τούτων ὄντα τὸ ἑλέσθαι τὰς αἱρεμένας τὰ αὐτοῦ ἀρέσκειν καὶ ἀθανασίας, καὶ σωτηρίας καὶ καταξιωθῆναι. id est, Homines qui dignos se eius voluntate & consilio operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis accepimus & regnaturos, sic vt ab omni interitu, perturbationeque sint liberi. Vt enim eos cum non essent principio effecit: sic fore speramus. Vt ex eo quod sponte secuti erant ea, quæ illi probantur, eos & immortalitate & consuetudine dignetur.

Regnaturos ait eos, qui fuerint καταξιωθέντες ἑαυτοὺς ἔργων, se per opera dignos fecerint. διὰ τὸ ἐλέσθαι τὰ αὐτοῦ ἀρεστά. Propter electionem eorum, quæ ipsi placerent. Et deinceps, δοξάζομεν ὡς λαθεῖν θεὸν κακόεργον, ἢ ἀπλεονέκτην, ἢ διάβολον, ἢ ἐναρέτον, ἀδωμάτον, καὶ ἕτοιμον εἰς αἰωνίαν κόλασιν, ἢ σωτηρίαν, κατ' ἀξίαν τῶν πεπραγμένων. Censemus latere Deum, eum qui improbe faciat, aut avarum, aut insidiatorem, aut eum qui virtutibus sit præditus, non posse: & in æternum supplicium raptum iri, vel salutem consequuturum vnumquemque pro operum dignitate. Dignitas illa, seu ἀξία vt appellat sanctissimus Martyr proportionem ad regnum habet, & causæ rationem, ab quam regnum confertur.

Neceam doctrinam celat Clemens Alexand. pæneh ad gentes. μὴ οὖν δοτικάμητε ἔξεστιν ὑμῖν, ἵνα ἐθέλητε ἡμῖν σωθῆναι τὸν πολυτίμητον σωτηρίαν οἰκείῳ θησαυρῷ, ἀγάπῃ καὶ πίστει ζωῆς, ὃς ἐστιν ἀξίολογος μισθὸς παύτῳ ἡδέως ὑμῖν ὁ θεὸς λαμβάνει. Ne vos ergo laborasse pigeat, licet volitis preciosissimam salutem emere proprio Thesauro, charitate, & fidevitæ, quod quidem est iustum pretium: hoc pretium Deus libenter accipit.

Basilius eandem fidem profitetur hom. 12. ad populum. πάντες οὖν οἱ τὴν εὐαγγελικὴν ὁδὸν πορευόμενοι, ἐμπορευόμεθα τῆς ἐργασίας τῶν ἐντολῶν, τὴν κτῆσιν ἑαυτοῖς τῶν κρειττόνων πραγματευόμενοι. Omnes igitur qui Euangelicam viam ambulamus, mercatores sumus, per præceptorum quæstum, cœlestium possessionem, nobis ipsis acquirentes. Illi de operum non modò meritis, sed emptione etiam, & precio loquuntur. Ex pacto enim datur regnum, si opera illa antecedentia mereantur.

Concludam sententia S. Cypriani de oper. & Eleemos. *Quidpotuit nobis maius Christus edicere? quomodo magis potuit iustitiæ ac misericordiæ nostræ opera prouocare, quam quod præstari dixit sibi, quidquid egenti præstetur & pauperi: & se dixit offendi nisi egenti præstetur & pauperi, vt quorsum fratris in ecclesia non mouetur, vel Christi contemplatione moueatur: & qui non cogitat in labore atq; in egestate conservum vel Dominum, cogitet in illo ipso quem despicit constitutum.* Verissime Cyprianus. Ne enim quispiam in Eleemosyna danda morosus sit, & parcus, quasi pereat, quod datur misero, vel ignoto, vel improbo, Christus se accepisse, & acceptum referre profitetur.

§. 4. Atque hæc de meritis & operibus: de Iudice Athanasius insignem locum habet, quo illius probat diuinitatem contra Arianos. πῶς οὖν ἐξελέξατο πεῖν ἡμᾶς, εἰ μὴ ὡς αὐτὸς εἴρηκεν ἐν αὐτῷ ἡμῖν πεποτυκόσιν, πῶς ἦν ὅλως πεῖν ἀνθρώπους κπθῖῶσι, ἡμᾶς πεοῦσιν, εἰ μὴ αὐτὸς ὁ υἱὸς πρὸ τῶ αἰῶνος πεθεμελίωτο ἀναδεξάμενος τὴν πρὸς ἡμῶν οἰκονομίαν, ἢ πῶς, ὡς ὅπι φέρει λέγων ὁ ἀπόστολος, ἐκληρώθημεν προορισθέντες, εἰ μὴ αὐτὸς ὁ κύριος πρὸ τῶν αἰώνων ἦν θεμελιωθείς. ὥστε αὐτὸν πεοθεσιν ἔχειν πρὸ ἡμῶν πάντα τὰ καθημῶν κλῆρον τῆ κείματος ἀναδεξάμενος τὸ σπέρμα, καὶ λοιπὸν ἡμᾶς ἐν αὐτῷ ξωοποιηθῆναι πῶς ἦ καὶ πρὸ χρόνου αἰωνίων ἐλαμβάνομεν μήπω γεγονότες, πῶς ἐν χρίνῳ γεγονότες, εἰ μὴ ἐν τῷ χρίσῳ τῶ λόγῳ ἡμῖν ἡ σὰρξ ἐφάνη σαρκωθείς, διὸ καὶ ἐν τῇ κρίσει. ὅταν ἔκαστος κατὰ τὰ πραξιν δοτολαμβάνῃ φησὶ. δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου. κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. πῶς οὖν ἢ ἐν τίνι πεῖν ἡμᾶς ἦν ἡτοιμάσθη. εἰ μὴ ἐν τῷ κυρίῳ τῷ πρὸ αἰῶνος εἰς τὸ πο θεμελιωθῆναι. ἵν' ἡμεῖς ὡς ἐπ' αὐτὸν οἰκοδομούμενοι μεταλάβωμεν ὡς λίθοι ἐναρμόσεως τὸ παρ' αὐτοῦ ζωῆς τε καὶ χάριτος. i.e. Quomodo igitur elegisset nos ante quã haberemus, nisi vt ipse dixit, in eius animo iã antea præfigurati, delineatique fuissemus? aut quomodo omnino, priusquam homines crearemur, nos designasset in adoptiuos filios, nisi ipse filius ante æuum fundatus fuisset, susceptæ nostri procurationis? aut quomodo vt Apostolus ait, heredes, participesve predestinati fuissemus, nisi ipse Dominus ante æuum fundatus fuisset, vt ipse iam tum propositum haberet, vt omnẽ pro nobis, quæ contra nos erat, iudicis hæreditatem in se per carnem reciperet, vt ita nos in illo filij redderemur? Aut quomodo ante æterna tempora acciperemus nondum conditi, nisi in Christo Iesu dona gratiæq; repositæ fuissent, quæ ad nos peruenirent? Ideoque in iudicio quum vnusquisque pro ordine suo, meritisque quod æquum est recepturus est, dicit. Agite benedicti Patris mei pro hæreditate vestra possidete regnum vobis præparatum à primis mundi fundamentis. Quomodo igitur, aut in quo antequam nasceremur, id præparatum esset, nisi in Domino ante æuum in hoc ipsum fundato? quo nos quasi super eum inædificati, vt lapides bene coaptati participes redderemur eius, quæ ab illo deriuatur, vitæ & gratiæ.

§. 5. Sed neque omittendum, quod in huius loci expositione habet S. Ephrem Syrus. *Et extra duos hosce ordines alius non est ordo medius: loquor autem de altero quidẽ superno, altero vero inferno, inter quos medians est varietas differentia retributionum. Quod si verum sit vt constat esse verissimum, quid insipientius, absurdiusue ijs qui dicunt, quoniam sufficerit mihi gehennam effugisse, ingredi autem in regnum cœlorum, mihi non est curæ. cum effugere gehennam hoc ipsum sit regnum cœlorum ingredi: quemadmodum ex eo excidere in gehennam est introire. Neq; enim tres nos regiones scripturæ edocuit. Quid ergo? Cũ venerit filius hominis in maiestate sua: statuet oues quidem à dexteris suis: hœdos autem à sinistris. Nõ enim tres ordines recensuit, sed vnum à dexteris: & alterum à sinistris.* Hunc enim locum contorquere solent, & ansam arripere vt contra purgatorium disputent. At nihil ille contra purgatorium disputat, Vltimo die nullum erit amplius purgatorium. Quamuis recte dicamus duo esse loca, electorum & reproborum. Nam in purgatorij pœnis qui versantur electi sunt: sed quoniã sanctum illum appellant, eius sententiã exquiramus, legatur *eius oratio ad euersionem superbiæ, & testamentum.* Quæ quia alio in loco produxi, hic omitto.

Porro aliqua bona opera proposuit, omnia autem quæ cuique conueniunt intelligenda sunt. Neque enim sola opera misericordiæ corporalia sufficiunt. Iniuriam autem & Caluinus & Zwinglius nobis faciunt, dum aiunt nos sex tantum opera misericordiæ numerare, duplo plura agnoscimus; sed ad illa sex omnia alia corporalia reuocamus, & totidem spiritalia dicimus, quibus omnia comprehenduntur. *Operum quædam produxit omnia intelligit.*

§. 6. Qui hoc loco prædestinationem ex meritis præuisis esse probare nituntur, minus firmo argumẽto vtuntur, vt ostendit Bellar. l. 2. c. 14. de gratia & libero arbitrio. Nam alius est intentionis, alius executionis ordo.

VERSVS 37.

Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?

QVÆSTIO I.

An vere ista responsuri sint?

§. 1. OMnia incredibili celeritate peragentur, locutiones momento efferentur, & intelligentur. Cæterũ non ignorabunt, Christum ferre acceptum, quicquid in egenos confertur. Hoc enim iam Christus docuit, cui crediderunt. Itaq; nonnulli dicunt orationem esse magno gaudio admirantium, cum plerique Christum in vita non viderint. Mihi omnino non videntur, ne quidem admiraturi, cum iam nõ modo cognouerint, sed meditati insuper ista fuerint. Sed eo omnia referuntur vt Christus significet, se tanti æstimare eleemosynas, ac si ipse accepisset. Itaq; verba sunt Christo gratias agentium, eiusq; benignitatem collaudantiũ. Quasi dicant. Nos quidẽ te Domine non vidimus ista patientem, nec tibi ministrauimus, sed tua est humanitas, & benignitas, sic nostra opera acceptantis. Tũ Christus: ita est, *qua minimis fratribus meis fecistis mihi fecistis.* Nam quod amore mei factum est, tanquam mihi factũ gratum acceptumq; habeo. Nec tam virtutis factũ, quam causam æstimo Itaq; vt prudenter monuit Rabanus, nec verbis Christi diffidunt, nec dubitant, sed parui ipsi æstimant, quod fecerunt, & omnia ad Christi misericordiam referunt. Pari modo sui contẽptum interpretatur, quod fratres suos reprobi despexerint: nam ipsum, & legem in eorum neglectu spreuerunt.

Gratias agunt.

§. 2. Maledicti igitur Manichæi, qui non modo immites & duri in egenos erant: verum etiam Eleemosynam dandam negabant. Athanasius ad solitariam vitam agentes. *Eusebiani vero quasi eo ipso grauiter habiti fuissent, alia crudeliora magisq; nefaria moliti sunt facere, quæ qui dem immania aliorum ingenijs videntur, ipsorum vero hæresi cristitia in Christum profitenti prorsus consentanea. Siquidem Christus nos admonet, vt pauperũ memores essemus, & vendenda esse bona & danda in Eleemosynã, & Esuriui inquit & dedisti mihi quod comederem: sitiui & dedisti potũ. Quatenus. n. vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Isti autẽ vt reuera Christo infesti, eius voluntati hac in parte obsistere conati sunt: Quũ eũ à fratribus in egenos, & viduas, quibus in ecclesiis, qua ea per ducem in Arianorũ potestatem concesserant, sedere nõ liceret, ac proinde in locis per Clericos in quorum tutelá erant, assignatis versarentur, eleemosynas benigne conferri conspicerent, non ferentes hanc pietatem, miseros illos ferire ac verberibus insectari ceperunt: criminibus quoq; in donatores eleemosynarũ intentatis, eos eo nomine apud ducẽ accusarunt vtentes ad eã opera cuiusdam militis. Gratum id admodũ fuit Sebastiano; Nam apud Manichæos misericordia non est, & pro re hostili habetur pauperũ commiseratio. Erat igitur noua expostulatio, & tribunal primum ab ipsis excogitatum, vbi de beneficio reatus fieret, & miserator, accusatione impeteretur, & is qui beneficium acceperat, vapularet.* Multo Manichæis deteriores nostri sectarij cum Eleemosynam & benefacta in censum peccatorũ mortaliũ referant. Cũ Christus tanquã sibi exhibitam beneficentiã cõmendet, & mercede dignetur, nec dicat; vos quidem mortaliter peccastis, & quia esurienti manducare dedistis, facinus æternis ignibus dignum in me commisistis, verum æterno ego præmio scelera vestra remunerabo, aliorum puniam. Non ita loquitur. *Sed mihi*, inquit, *fecistis*, Euge, bene fecistis. Beneficentia vestra peccatum nõ fuit. Sed ex mea gratia præueniente, comitante, Spiritu sancto supra naturam in vobis operante, Eleemosynam dedistis, non igitur eâ dandâ inferos meruistis, cum mihi dederitis, hoc est, me amando, honorando, pascendo in minimis fratribus. Amor autem mei peccatum esse non potest. Magna igitur dignitas, magnum Eleemosynæ præmium. Athanas. qq. ad Antiochum. q. 88. præfert Eleemosynarios facientibus miracula. οὐκ ἀφ' ἑαυτῶν τῷ τοιαύτῳ ψήφον εἰσήκασιν, ἀλλὰ πάντως τὸ σωτῆρος εἰπόντος ἀκούοντες. ὅτι ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἴνα σημεῖα ποιῆτε. ἀλλ' ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. ἐκεῖνο γὰρ ὅτι τὸ γνώρισμα τῆς ἀληθείας ἀγάπης ἡ ἐλεημοσύνη ἐστίν, καὶ τὸ ἐρεῖσαι ἐκ δεξιῶν, ὁ χέλεσε τοὺς δικαίους ἐκ φησι. διότι οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου. κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν. ὅτι σημεῖα καὶ τέρατα ἐποίησαν ἐκεῖνοι ἀλλ' ὅτι ἀγαθὸν ἐποίησαν. ἀλλ' ὅτι ἐπίνασαν καὶ ἐδώκατε μοι φαγεῖν, καὶ τοὺς ἐξῆς ὡσαύτως ἢ καὶ τοὺς ἐξευτελισμένους ἐκ πεπόνθασιν εἰς τὸ σώζεσθαι τὸ αἰώνιον τὴν ἀνελεημοσύνην καὶ τὴν ἀπλαγχνίαν αὐτῶν ἐνεκάλεσεν. καὶ γὰρ τὸ ποιῆσαι σημεῖα, τῆς τοῦ Θεοῦ καὶ μόνης ἐστὶν ἐνεργείας. τὸ δὲ ἀγαπᾶν καὶ ἐλεημοσύνην εἰς τὸν πλησίον ἐνδείκνυσθαι πρόδηλον, ὅτι καὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶν προαιρέσεως. ἀκούσον δὲ καὶ τῶν τὰ σημεῖα ποιούντων καὶ ἐλεημοσύνας μὴ ποιούντων φησὶν ὁ σωτήρ. ἐὰν, φησὶν ὁ παῦλος, ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ, καὶ τῶν ἀγγέλων καὶ ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν ὥστε ὄρη μεθιστάνειν. κἂν παραδῶ τὸ σῶμά μου, ἵνα καυθήσωμαι, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω οὐδὲν ὠφελοῦμαι. καὶ πάλιν κύριος φησι, γίνεσθε, καὶ σημειοφόροι ἀλλ' οἰκτίρμονες, καὶ ἀγαθοὶ ὡς ὁ πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, id est. Non à seipsis hoc suffragium dixerunt: Sed cum audiuerint seruatorem nostri dicentẽ: Hinc cognoscent omnes quod Discipuli mei sitis, non si signa feceritis. Sed si dilexeritis vos inuicem. Pater autem quod iudicium sinceræ charitatis sit ex eleemosyna. Etenim cum statuat Christus iustos ad dexteram & dicat. Venite benedicti patris mei, & possidete regnum vobis, non quia signa fecistis, & miracula, aut aliud quid fecistis boni: sed cum esurienti dedistis mihi esculentum, & sic deinceps. Similiter autem & eis qui ad sinistram ejiciendi erunt in æternas tenebras, immisericordiam & animi duritiẽ exprobrabit. Edere enim signa, diuinæ solius est potentiæ, charitatem vero & condolentiam ostendere ergà proximũ, in nostra esse potestate constat. Audi etiam clarius de facientibus miracula, & eleemosynas largientibus restimonium & suffragium. Si, ait Paulus, linguis hominum loquerer & Angelorum, & habeam omnem fidem, adeo, vt montes transferam, & tradam corpus meum comburendum, charitatem autem non habeã, nihil prodest mihi. Et rursus Dominus ait: sitis, non mirifici, sed misericordes & boni, sicut pater vester, qui in cœlis est.

Alia igitur interpretatio patrum, alia hæreticorum est. Quod si autem Eleemosynæ electorum mortalia sunt crimina, cur impij damnantur, quod illa non cõmiserint? Respondere poterant, & iure, Non miliuimus, quia tuo decreto hoc opus crimen capitale est, tartari supplicijs plandum. Quiescere maluimus, enim operoso labore tormenta nobis conciremus? At Christus eos reprehendit, ostenditq; causam damnationis esse quod sibi non fecerint, non damnandus si fecissent ἐφέσου, quandiu, Syrus רבמיא quot. etenim alij malunt vertere: quatenus. Ideo inquit maledicti estis, maledictionis causam non in patrem, sed in eorum malitiam confert. οὐκ ἔπ, inquit Chrysostomus, ὑπὸ τοῦ πατρὸς οὐ γὰρ αὐτὸς κατηράσατο, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν κακίαν. Non amplius à patre, *ille enim non maledixit, sed propria opera.* E contrario docet ille præparatum pijs regnum ob eleemosynas dandum.

O quanta gloria, quanta beatitudinis hæc verba sunt? sed dicit, accipite: sed, hæreditate quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis à principio debebantur. Nam antequam nati situs, quia sciebam vos huiusmodi futuros hæc ipsis retribuuntur? præparata fuere. Quibus vero pro rebus hæc ipsis retribuuntur? pro tecto, pro veste, pro pane, pro aqua frigida, pro visitatione, quia in carcerem ingressi vinctum consolati sunt. Vbi, n. indigentiã, atq; patrocinium indigentium inquirit, imo autẽ, negligentiã, id semper. Non enim visitatione ac consolatione solummodo qui infirmus est, & qui vinctus indigent, sed alter eorũ ex carceribus solui, alter ægrotationem euadere peroptat: Verum ipse adeo

mun

mitu est, vt quæ possumus flagitet, immo vero his etiam minora. Voluntatis enim nostræ commissit, vt possimus maiora facientes, maiorem acquirere laudem. Hæc pluribus ostendenda fuerunt, vt ne quis sola fide deceptus, veniat ad illud iudicium imparatus, sed illis sese instruat, quibus iudicium subire possit.

VERSVS 41.

Tunc dicet & his qui à sinistris erũt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.

QVÆSTIO I.

Cur Impij damnentur?

Q.1. CAluinus exprobrari dicit impijs. [Quod reiecto salutis auctore, sponte se in istam sortem coniecerint, & cũ satana perite maluerint. Non quod minus ipsi ad exitium destinati sint, quam diabolus, sed quia in eorum scelere palam apparet exitij causa, dum vocationis gratiam respuunt. Quamuis igitur arcano Dei iudicio reprobi, tam antequam nascantur mortẽ deuoti sint, quandiu tamẽ offertur illis vita, nõ censentur mortis hæredes, vel satanæ socij, sed ab incredulitate emergit, ac detegitur eorum perditio, quę prius abscondita erat.]

Hæc est horrenda & in Dei bonitatem blasphema Caluini Philosophia. Quam etiam Beza, Piscator alijque eraserant, vide coll. Mompell. circa finem Bezam in summa Christianismi. Contra Castalionem, p. 696. Vide & librum concordiæ, seu consensus orthodoxi Germanum Bauarum in Examine cõtra Solnecerum, à quibus refugiunt Hemmingius, Arminiani & iam pleriq; Caluiniani facti molliores, non. n. recipiunt dogma eorum, qui Parcarum tabulas cum fama Zenonis confingunt. Ita ille præfatione in Epist. Apostolorum. Non vult Deus mortem peccatoris, vt docet de Idolo Caluinistico c. 8. Ezechielis testimonium est. c. 18. 23. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat?* idem pronunciat cõtrarium in eos, qui à sua iustitia defecerint. *Suauissimæ consolationis argumentum ex sanctissimæ Triados bonitate per prophetam, fidelibus pronunciatum, ex animis euellere subdola disiunctione tentat. Tam emphatica est in Hebræo sententia. Nunquid delyderando desidero mortem impij* חפץ *voluntatem, beneplacitum,* εὐδοκίαν *cum desiderio & voluptate propensam:* Ion. & Threm. *in hunc Psalmum? Argumentum est à natura Dei studioq; in res creatas suas: Nam ego vt omnium sum creator, ita paterno studio erga omnes ducor. Non possum à me tenere quenquam abalienare. Sed si quis abalienatur, id ipsi sua iniquitate euenit, non mea iniuria, omnium iniquitatum non recordabitur amplius: & Quarè? quia non est mea voluntatis mors impij. Nunc impiam distinctionem adhibeamus. Non est mea voluntatis mors impij, sed vt conuertatur, scilicet, quia crimen est mors, quæ contumacia scelus est, at quia iudiciorum seges est, quæ media perditionis, meæ voluntatis est; vno verbo. Nolo tuum, vt scelus, volo vt pereas. Imo inquiet impius, tua voluntatis est mors mea, quia antequam mea voluntas esset, antequã mea peccata tuæ præuisioni oblata fuissent, iam mors mihi decreta fuit, & nigrum theta consilio aternitatis præscriptum, nõ delictis meis, vel morte, vel contumacia, vt peccata sunt, sed vt tua iudicia exequaris, ideo & vitam subtraxit, & dæmonio traditurus, nunc in scelera, olim traditurus in supplicia. Bonitatem tuam à qua ducitur argumentũ agnosco: sed illa me non violatur, si creaturas suas sine illarũ culpa addixit exitio, & decreto præparat flagitia. Dicit Adolphus venator Caluinistã (in declaratione) vna voluntate Deum dicere peccatori eidem: conuertere, nolo mortẽ tuam: altera vero loquit: volo vt iste homo absq; conuersione & damnatus maneat. Esse in Deo fœdus duplex, externum & internum: quo in externo declarat amicos suos & hæredes vitæ æternæ, eos in interno iam antequam nati essent, hostes declarasse, & ad æternam damnationem immutabili decreto ordinasse. Dicet: Quantumuis Deus reprobos inuitet, vocet, oret, obtestetur, ad conuersionem admoneat, verbum illu annunciari curet, salutem polliceatur, rem eo pacto proponat, ac si tantũ per ipsos staret. ista tamen omnia Deo cordi non esse, sed fieri tantum ab ipso: vt istos (quos tamen nolebat credere & conuerti, & in quibus nunquam operari voluit) ob ipsorum infidelitatem, & impœnitentiam grauiori damnationis pœna efficiat. Sic ille suorum popularium mentes, à quibus longe recedit, exponens.* Minus videmus in iudicio refractarios ipsos improbos; non. n. excusant vitæ suæ nequitias, prædestinatione, & voluntate iudicis ad crimina impellẽte, ne quidẽ beneagenda potestatẽ sibi defuisse querũtur: cũ tamẽ speciosissima & iustissima excusatio esse potuisset: si diceret à iudice se coactos, & impulsos. Non potuisse necessitati non parere. Necessitati omnes impares esse. Cur nõ vsurpabũt illud.

τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.

Necessitates quæ ex Deo oriuntur, ferre mortales oportuisse. Dixi xalpe rare hæc Piscatorẽ, & eccetheses eius. [1. Peccata fiunt Deo procurante, & fiunt eodem volente immo omnino hic volente. Sect. 17. itẽa. 6. & b. 64. & passim. 2. Vult Deus iniquitatẽ fieri, etsi ea non delectatur: sicut ægrotus amãtũ potum bibere vult etsi eo non delectatur: Et sic dictũ illud Ps. 5. Non es Deus qui delectetur iniquitate &c. intelligi et Sect. 95. 3. Voluit Deus vt Iudas Christum proderet, & vt Iudæi ipsum occiderent; quod tamen illis prohibuerat. Sect. 10 & 16. & 24. 4. Consentaneũ est voluntati Dei quod iniustũ est, hoc est præcepto ipsius contrariũ v. g. homicidiũ illud Iudæorum & proditio Iudæ &c. Ibidẽ præsertim Sect. 16. & 24. 5 Omnia fiunt ex decreto Dei, etiã ipsa peccata: & quidẽ ex decreto absoluto & speciali. Sect. 56, & b. 58. & c. 130. 6. Quia Deus iustitiã & misericordiã suã patefacere vult, ideo quoque vult, vt peccata fiant. Sect. 61. 7. Quia Deus procurat patefactionẽ istã iustitiæ & misericordiæ suæ, ideo etiã procurat ipsa peccata, Sect. 64. 8. Deus procurauit, vt Absalon stupraret vxores patris sui, vtq; Simei regi suo malediceret &c. ibid. vti & Sect. 17 9. Deus destinauit omnes homines ad peccata: idque propterea, vt alios ex misericordia seruaret, alios ex iustitia puniret ac perderet. Sect. 89. 10. Quia Deus peccata permittere decreuit, ideo necesse est, vt illa fiant: quia secus frustrà decreuisset permittere. Sect. 131. 11. Incredulitas Iudæorũ (& simile ter omniũ incredulorũ) pendet à prædestinatione Dei. Idq; Apostolus Rom. 9. diserte docet. Sect. 133. Quis Cereris & Bacchi sacris vel ipsi Asmodæo aliud officiũ tribuat, & tamen nobis indignãtur, & furiosum conuitium nominant. Legat obsecro præfationẽ nouem orphanorũ liberorum Iacobi Arminij in amicã eius cũ F. Iunio collationẽ, præcipue in hæc verba. Ac fatebatur quidẽ sæpe numero parens noster fieri posse, vt D. Caluin. & Lutherus in sententiam illã, quã ipse oppugnabat, religione aliqua scripturarũ perducti essent; sed quũ & illæ ipsæ scripturę non rectè ab ipsis essent intellectæ, & tota ab ipsis dissentiret antiquitas, Græca pariter & latina, & pietati noxia esset illa ipsa crudelitas, & religionem illam euerteret, putabat ille sine vllo pacis publicæ dispendio ea à se proponi posse, quæ & scripturis consona, & Dei naturæ conuenientia & pietati instillandę idonea, & si admissa essent pacem, ac concordiam cum sanctimonia allatura esse iudicabat. Imprimis verò etiam illud pium ipsius pectus percellebat, quod posita illa

sita illa absoluta decretorum, mediorumque in fines
suos subordinatorum necessitate, videbat fieri non
posse, quin & causa peccati Deus ille optimus & san-
ctissimus statueretur, & in clementissimum numen,
Atrox Caluinismus. sub titulo iustitiæ summæ crudelitatis infamia tran-
scriberetur. Fertur quondam Tiber. Cæsar virginem
quandam strangulari voluisse, cur? quia ita libebat.
Sed cum vetaret id patriæ mos, quo non licebat inte-
meratam occidere, misit virginem ad Lenonem & de-
creto suo viam ipse sternens stupratam occidi iussit.
Suetonius. Immaturæ puellæ, quia nefas esset virgi-
nes strangulari, vitiatæ prius à Carnifice, dein stran-
gulatæ sunt. Ignosce O bone Christe Ecclesiæ tuæ
Doctoribus, qui de Deo, ad exemplum Tiberij, do-
cere, loqui, scribere non verentur, Deum homines
hoc consilio condidisse, vt non tantum labi possint,
sed etiam vt re ipsa laberentur; quippe cum non nisi
hac ratione peruenire potuerit ad fines illos princi-
pales. Caluini sentẽtiam horridiorem cum posset de-
ferere, maluit incrustare. D. Iunius. Ecce hæc fratres
tui cum dicunt, ab ecclesijs vestris amantur, defen-
duntur, apud Status belgicos sunt in precio, cur igitur
furiosum est, conuitium cum dicitur à Bellarmino?]

Hæc vero diuina est bonitas, vt cum videret omni-
no ad omnes orthodoxorũ monitiones, esse animos
Caluinianorum obfirmatos, ex illis excitaret, qui ve-
ritatem etsi non omnino agnoscerent, blasphemias
tamen tam execrabiles refutarent. Nec hominũ scele-
ra, aut damnationis originem in Deũ transcriberent:
quod vbi fit, necesse est, non modo pietatem, sed re-
rum etiam naturam immutari.

§. 2. Iusta autem reprobis excusationis ansa datur, si
Deo volente sine vllo respectu culpæ ad ignem præ-
destinati sunt: qua de re in Idolo Caluinistarum c. 12.
tractaui, cum Bellarminum defenderem contra Pa-
reum. *Secundo* loco obijciuntur testimonia ea, quibus
significatur, Deum creare impios, vt postea in ipsorũ
pœnis iustitia diuina reluceat, sic enim legimus Prou.
16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium
quoq; ad diem malum.* Et Rom. 9. *An non habet potestatem
figulus facere aliud vas in honorẽ, aliud in contumeliã?* Exod.
9. *Idcirco autẽ posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam,
& narretur nomen meum in omni terra.* Vel vt Apost. cita-
to Rom. 9. *in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te fortitu-
dinem meam.*

Deus non creat impios. Respondeo, Deum non creare impios nisi materia-
liter, vt in scholis Theologi loquuntur, id est, creare
eos, quos videt futuros impios, vt eorum impietate,
quã ipse non fecit, sed tantũ præsciuit, vtatur ad iusti-
tiam, & potentiã suam manifestandam, sic S. August.
loquitur epistola 106. ad Paulinũ. *Quamuis peccata nõ
fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bona sunt
quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia pecca-
torum, & in multis talia, quibus esset æterna pœna reddenda,
quis nisi Deus creauit? Quare? nisi quia voluit? Quare autem,
O Homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmen-
tum ei, qui se finxit quare sic me fecisti? an non habet potestatẽ
figulus luti ex eadem conspersione facere, aliud quidem vas in
honorem, aliud in contumeliam? Hæc ille.*

Pareus pag. 338.

3. Siue illud. Omnia operatus est Deus: referatur ad
consiliũ creandi omnes homines, siue ad ipsam crea-
tionẽ singulorum, non potest hoc dici. 1. Quia videt
vniuersos fore impios ex massa perditionis, nisi ipse
discrimen faciat: omnes etiam pariter creat impios, ni-
si ipse discrimẽ faciat, &c. pag. 339. 2. Res etiam loqui-
tur impios omnes vadere in interitum? ergo aut ad in-
fernum sunt creati id est ordinati ab æterno, atq; etiã
procreati in tempore: aut Deus frustratur creationis
fine: aut nullo fine vero, sed temere aliquos creauit
Deus. 3. Deus absoluto iure potest destinare ad interi-
tum, hoc vult Beza, non ordinato in lege.

Defensio.

Ad 1. Parùmne manifestè Deum suum nobis inculcat? non tantum quem præuidit improbũ destinauit, sed quem ordinauit. Si non impium, quem præuidit, *Non ex sed ex impœnitentia, creauit in diẽ malũ, ipsum ergo Deus* impiũ fecit, vt iure merito iret in diem malũ, ordinauit vero in suã gloriã etiam iam præuisam impietatẽ. *culpa.*

Ad 2. Ab æterno ordinati sunt, & in tempore creati, sed non absoluto decreto, verũ intuitu impœnitentiæ, nã vt in tempore non sine peccatorũ merito damnantur. Sic ab æterno nõ nisi respectu meritorũ damnationi sunt destinati. Quod n. facit in tempore hoc constituit facere. Quod nec facit, nec facere se velle reuelauit, id neq; decreuit, at non præcipitat in exitiũ sine culpa ruentium, ergo nec decreuit sine culpa ruinam. Nec alia mens Sancti Augustini & Fulgentij ad Monymum libro 3. de Augustini sententia vide Prosperum siue ipsum Augustinum lib. 2. contra calumnias Pelagianorum. Nam capite 3. sic ait.

Obiectio 3.

Quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creat, vt illam perdat in æternum.

Omnium quidem hominum Deus creator est. Sed nemo ab eo creatus est vt periret: quia alia est causa nascendi & alia est pereũdi. Vt. n. nascantur homines, conditoris est beneficiũ: vt autem pereant, prævaricatoris est meritũ. In Adam quippe in quo omnium hominũ præformata natura est omnes peccauerunt, eidemq; sententia quã ille excepit obstricti sunt. Neq; ab hoc vinculo etiãsi proprijs peccatis careant, resoluuntur nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi per Spiritum Sanctũ renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui vitiũ naturæ nõ discernit ab auctore naturæ: à quo prorsus alienũ est, quicquid in vnoquoq; damnandũ est, creat. n. homines, vt sint homines: nec multiplicãdis generationũ successionibus opificiũ suum subtrahit secundum consiliũ bonæ voluntatis suæ: reparaturus in multis quod ipse fecit, puniturus in multis, quod ipse non fecit. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.*

Obiectio 4.

Quod maior pars generis humani ad hoc creetur à Deo, vt non Dei, sed diaboli faciat voluntatem.

Insanũ omnino & contra rationem est, dicere, voluntatem Dei in Dei voluntate non fieri: & damnatorem diaboli eiusq; famulorum, velle vt diabolo seruiatur. Sed hoc Catholicis Pelagiani consequenter se obijcere existimant, qui Adæ peccatũ transisse in omnes diffitentur. Quoniã si primam natiuitatem originalis culpa non obliget, non sint obnoxij diabolo paruuli: nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui nũquam à suo auctore discesserint. Nos autem qui omnes in Adam perisse profitemur: *venit enim filius hominis quærere, & saluare, quod perierat*: nec dicimus ideo creari quenquam hominem, vt diaboli faciat voluntatem, & agnoscimus omnem hominem non redemptum diabolo esse captiuũ. Prævaricatio enim hominum dispositæ à seculis creationis ordinem turbare non potuit, & merito creatura peccatrix pœnalem damnationem illius patitur, cui relicto vero Deo, sponte se vendidit. Hæc quippe seruitus nõ institutio est Dei, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto, & male credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur nisi per mediatorem Dei & hominum hominẽ Christum Iesum, cuius gratuita gratia & multorum malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis prævenitur.

Obiectio 5.

Quod quando incestant patres filias, & matres filios: vel quando serui Dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinauit, vt fieret. Si

si Diabolo obijceretur, quod talium facinorum impiscatio: ipse esset incentor, puto quod aliqua ratione se exonerare se hac posset in iudicia, & taliũ scelerum patratorem de ipsorum voluntate vincere: Quia etsi declaratus est furore peccantium, probaret tamen se non inutiliter vim criminum. Qua ergo insipientia, quae dementia definitur, ad Dei referendum esse cõsilium, quod nec Diabolo in totum ascribi potest, qui in peccantium flagitijs, illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est, esse generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus, prædestinauit vt fieret: nec illam animam nequiter, turpiterque victuram ad hoc vt taliter fieret, præparauit: Sed talem futuram non ignotauit, & de tali iuste se iudicaturum esse præscijt. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratię largitatę.

Obiectio 13.

Quod omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suũ reuertuntur, vitio quidem suo, hoc facere videntur: Sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

Idem blasphemiarum Spiritus perseuerat, & à præcedentibus mendacijs, subsequens impietas non recedit: quam prorsus vera ratio reprobat, & in cunctã terna doctrina condemnat. Quia omnibus quidem a fide ad infidelitatem, a sanctitate ad turpitudinem lapsis, & ante finem vitæ, nulla emendatione purgatis, nihil aliud quam æterna mors debetur: Sed nefas est Deo scribere, causas talium minarum. Quia etsi exæterna scientia præcognitum habet, quod vnusquisque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem aut voluntatem inijcit delinquendi. Si ergo à Iustitia, & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit: cuius opera multos scimus, ne laberentur retentos, nullos autem, vt laberentur impulsos. Hisce oppone illa piscatoriana in responsione ad parascenen Verthadam: Cõsiderandum quomodo Deus mysteria regni cælorum Scribis & Pharisæis absconderit. Non certe inerne. &c. ergo externe quatenus scilicet mentes eorum excæcauit. Deinde pag. 6. ex omnibus illis scripturæ dictis clare patet, incredulitatem hominum à Dei prædestinatione, tanquam effectum a sua causa pendere. Quum igitur axioma illud meũ de principe causa, in verbo Dei clarissime sit fundatũ, certe nemini pio qui hæc perpendit, atque considerat, iusta causa offensionis relinquitur. An obsecro Deus non est causa peccati, qui causa est princeps incredulitatis? qui Piscatoris opinione ideo Christum occidi, ne fidei crederent? An non hæc sunt ineptissimarum blasphemiarum prodigiosa mendacia? Quod dicere absolutò narrat, si mel ertat, bis mentitur. Erratum enim fingi potest vis odiendi, puniendi, nisi iniustos, verum hac de re relegat quæstionem quartam D. Martini Becani, quam eum in vsum hic descripsi.

Qvæstio II.

An Deus potuisset aliquos creare ad mortem tudo suo arbitrio citra ipsorum culpam?

Ostendi hæreticos esse qui asserunt Deum aliquos creasse ad mortem sine vllo ipsorum vitio. Nunc quæstio est, esto Deus neminem hoc modo ad mortem creauerit, an saltem id facere potuisset, aut etiam nunc possit, si vellet? Ratio dubitandi est, quia cum Deus sit absolutus Dominus omnium creaturarum, cur non posset de ijs facere, & statuere pro suo arbitrio: cur non posset aliquos si vellet citra culpam ipsorum creare & prædestinare ad damnationem & interitum? aut quis ei resisteret? At contra, si faceret, quomodo crudelis non esset? videlicet difficilis hic nodus. Sed cum diuina gratia facile illum dissoluam, non tam meis quam Augustini verbis. 2. Res ita habet. Varia in Deo attributa spectari possunt; & quidẽ quod ad præsens institutum attinet, hæc tria potissimum, Potentia, Bonitas, Iustitia; quæ omnia in Deo infinita. Est enim ipse infinite potens, infinite bonus, infinite iustus. Imo vt Patres & scripturæ loquuntur est ipsa omnipotentia, ipsa bonitas, ipsa iustitia. 3. Si ergo spectemus præcise potentiam Dei, non spectata bonitate & iustitia, sine dubio posset non solum aliquot, sed omnes homines creare ad mortem. Hoc enim non repugnat ipsius infinitæ potentiæ. Quis enim illi resistat? Hoc sensu dixit Augustinus in libro de prædestinatione & gratia, capite 16. *Si humanum genus non cum debita mortis, & peccati origine nasceretur, & tamen ex ijs creator omnipotens in æternum non nullos damnare vellet interitum, quis omnipotenti creatori diceret, quare fecisti sic?* 4. Si vero spectes iustitiam Dei infinitam, non potest suo arbitrio damnare, quos vult, nulla ipsorum culpa præexistente. Hoc asserit idem Augustinus in Epist. 106. *Vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereatur, non frustra videretur iniquitas, vt ex ea vasa fierent in contumeliam.* Et infra. *Quemquam vero immeritum & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et lib. 3. contra Iulianum c. 28. *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* & Sanctus Fulgentius lib. 1. ad Monimum capit. 26. *Notum est, iram Dei dici non posse nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.*

5. Forte occurres duobus modis accipi posse, vt Deus dicatur aliquos damnare sine ipsorum culpa. Primo quo ad executionem. Secundo quo ad prædestinationem. Priori modo fore iniustum ex sententia Augustini, non posteriori. Nam cõtra iustitiam esset, reipsa damnare aliquos qui nihil culpæ contraxissent. Non autem esset, prædestinare aliquos ad damnationem, sine ipsorum culpa, & simul statuere, non velle exequi damnationem, nisi mediante culpa. Hoc facit Deus; illud non facit. Ego contra concludo; si iniustus est, qui damnat hominem, sine peccato, magis iniustus est, qui prædestinat hominem ad peccatũ vt damnare eum possit. Recte Fulgentius libro 1. ad Monimum c. 22. Nec iustitia iusta diceretur, si puniendum reum non inuenit, sed feciſſe dicatur. Maior vero erit iniustitia si lapso Deus retribuit pœnam, quẽ stantem prædestinasse dicitur ad ruinam. 6. Iam de infinita Dei bonitate ita statuendum est. Repugnat illi quenquam supplicijs addicere non præuisa ipsius culpa. Hoc quidem distinctis verbis in Augustino non reperio. Sed tamen optimè demonstrari potest. Nam Deum infinite bonum esse, nihil aliud est, quam infinite propensum esse ad benefaciendum. Et hæc ipsius natura, vt recte docet D. Thom. in 3. parte q. 1. artic. 1. vbi ex hoc principio sic concludit. Ad rationem boni pertinet, vt se se alijs communicet: Ergo ad rationem summi boni, vt se se summo modo communicet, Deus autem summum bonum est: Ergo ad rationem Dei spectat, se summo modo cõmunicare, quod fit per incarnationem. Ergo similiter concludo. Quo quis magis natura propensus est, ad benefaciendum alijs, eo magis abhorret ab inferendo malo, præsertim iniusto. Ergo qui infinite propensus est ad benefaciendum alijs, infinite abhorret ab omni

iniusto

iniusto malo': Esset autem iniustum malum; Si quis prædestinaretur ad damnationem citra culpam suam, vt ex August. ostensum est. Ergo Deus qui est infinite bonus, maxime abhorret à tali prædestinatione. 7. Si ergo absolute quæras, posset ne Deus aliquem absolute creare, vt pereat, dicendum est, non posse quia repugnat ipsius infinitæ bonitati, & iustitiæ, tametsi non repugnat omnipotentiæ. Potest hoc illustrari simili exemplo. Nam si quæstio sit, an Deus hunc mundum quem decreuit conseruare, possit hoc momento destruere & alium producere: Respondeo non posse. At non repugnat ipsius omnipotentiæ. Quid refert? satis est repugnare immutabili decreto voluntatis. Cum Becano sentit Augustinus l. 1. Retract. c. 9. Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est: & supplicium nominatur.

QVÆSTIO III.

Quæ pœna Meledictorum?

§. 1. IGnis æternus, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Quædã exemplaria habent apud Franciscum Lucam. ὁ ἡτοιμασεν ὁ πατὴρ μοῦ τῷ διαβόλῳ, qui parauit pater meus diabolo &c. Diabolum Syrus vocat לבאלקרצא *Lazelkarza*, criminatorem. Ad contumeliam & desperationem hoc facit, quod infestissimo inimico tradantur excarnificandi, & non magis liberationem sperare possint, quam ipse dæmon. Origenes alterius generis ignem existimat. Caluinus improprie ignem dici vult. Augustinus l. 21. de ciuit. Dei c. 10. demonstrat, quomodo possint igne torqueri dæmones, & animæ. Et c. 17. probat æternum ignẽ. Verum de prima quæstione, eo loco qui primus occurrit disserui c. 3. v. vltimo, & alibi. De alia etiam locus in Apocalypsi, & alibi commodior occurrit. Hoc solum notandum, nullam hic appellationem, nullum effugium esse: sed continuo executionem post sententiam vrgeri. Continuo eunt hi εἰς κόλασιν supplicium, seu supplicium æternum, iusti in vitam æternam.

* *
*

CAPVT XXVI.

Mar. 14. a. 1 Luc. 22. a. 1

1. ET factum est: cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis. 2. Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas. 4. & consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. 5. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6. Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Ioan. 11. a. 2 & 12. a. 3. Mar. 14. a. 8. 8. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? 9. potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. 10. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. 11. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. 12. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. 14. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum: 15. & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. 17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? 18. At Iesus dixit: ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei. Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. 22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere. Nunquid ego sum Domine? 23. At ipse respondens, ait, Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem: & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens. 28. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in Montem Oliueti. 31. Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis. 32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. 34. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem. 37. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. 38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum. 39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 40. Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? 41. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 42. Iterum secundo abiit, & orauit, dicens, Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. 43. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. 44. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertio, eundem sermonem dicens. 45. Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite, ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Mar. 14. c. 41.

46. Sur-

46. Surgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet. 47. Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. 50. Dixitq; illi Iesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. 51. Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum: & percutiens seruum principis sacerdotum ampu tauit auriculam eius. 52. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. 53. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum. 54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? 55. In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. 56. Hoc autem totum factum est, vt implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo, fugerunt. 57. At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant. 58. Petrus autem sequebatur eum à longe, vsq; in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, vt videret finem. 59. Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti tradrent. 60. & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem venerunt duo falsi testes. 61. & dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. 62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? 63. Iesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. 64. Dicit illi Iesus. Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. 65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: 66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. 67. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt. 68. Dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? 69. Petrus vero sedebat in atrio, & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. 70. At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. 71. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi. Et hic erat cum Iesu Nazareno. 72. Et iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominem. 73. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. 74. Tunc cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. 75. Et recordatus est Petrus verbi Iesu: quod dixerat. Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè.

Luc. 22. c. 47. Ioan. 18. a. 3. Gen. 9. a. 6. Apoc. 13. c. 13. Isai 13. c. 15. Thren. 4. d. 20. Mar. 14 f 13. Ioã. 8. c. 24. Ioan. 2. d. 19 Su. 16. d. 27. 1. Thess 4. d. 14 Rõ. 14. b. 10. Isai. 50. c. 6. Marc. 14. g. 65. Luc 22 f 55. Ioan. 18 c. 25.

IN CAPVT VICESIMVM SEXTVM

ARGVMENTVM.

Complectitur primam passionis partem, & quæ in horto, viâ, Annæ, Caiphæ ædibus, contigere recensetque: Vt vero ostendat Christum omnia illa, liberrimâ caritate, non durâ necessitate susceptisse toleranda, & sacrificium voluntarium, non necessarium, seu coactum fuisse, initio Christum prædixisse narrat, & tempus, & genus mortis. Principes quidem conuenerunt, & de morte eius consultarunt, sed statuerunt, non esse die festo ad supplicium educendum; post tamen occasione proditoris sese offerentis abusi, ipso die Festo crucifigendum curarunt: cum autem in domo Simonis Leprosi vnguentum trecentorum denariorum effusum esset, Iudas spe lucri deiectus, & aliâ viâ detrimento sarciendo intentus, de proditione cum Sacerdotibus pactus est. Quod Dominus agnoscere se indicauit, & illi in mensâ, tacito nomine exprobrauit.

Dato deinde corporis sui & sanguinis Sacramento, monitisq; vt constantes essent, discipulis, in hortum egressus est, & post trinam orationem vadens obuiam hosti, captus est, atque ad Concilium, quod Caiphæ in aulâ congregatum erat adductus, examinatus, damnatus, verberibus, contumeliisque vexatus est; negante interim & peierante Petro.

In Ecclesiâ Syriacâ à principio, vsque ad versum 17. legitur, *Die quintâ secretorum, & in consecratione Chrismatis.* ארזא *Aratze* est in Syro, quod est à רז, quod secretum, arcanum, sacramentum significat. Syri eo nomine vocant Eucharistiam, eo quod hoc mysterium non modo non infidelibus, sed ne Cathechumenis quidem, nisi iam satis de fide instructis, patefaciendum existimarent. Viderituale Seueri Patriarchæ. Æthiopes sacrorum præsulem etiam רז *Raiz* appellant, à cærimoniarum secretarum tractatione: Forte inde etiam dicti, quos Berosus *Ratzemoi*, Sacerdotes nominat. Certe inde dictus est superstitiosis, & magis רזיאל *Raziel*, Angelus, quasi arcanorum præses, quem Adamo adstitisse fabulantur. Sacra ergo solebant dici ארזא *Aratze*, vti Græcis μυστήρια. Cum vero in Ecclesiâ summum sit, atque arcanissimum sacramentum Eucharistiæ, ideo per antonomasiam dicitur, Secretum, seu plurali numero, Secreta. Idem titulus repetitur ante vers. 17. & vsque ad 31. continuatur ea lectio.

Nec prætereundum quod additur: Et in consecratione Chrismatis, וקורש מורון *Vekudasch*

dasch mureuan. & sanctificatione Chrismatum. Nam מירן *muran*, plurali mureuan est Chrisma. Est autem à מורא mura, quod significat myrrham, seu murrham. Hebraice מור *mor*. Non quod Chrisma ex myrrhâ conficiatur, sed quod latâ in significatione pro omni Chrismate Syri vtuntur. Nam etiam מור valde generaliter definiunt, nempe aroma ex speciebus germinum collectum, non tamen probandi sunt, qui מיקש *mokesch*, muscum appellant. Habetur hic testimonium consecrandi Chrismatis in Ecclesiâ Syriacâ. Nec ego dubito, inde Græcum τὸ μύρον, seu muron, vnguentum, imo & σμύρνα, seu μύρα; Latini certe primam literam omittunt. Sic Hieremias Patriarcha Constantin. Responso primo ad Germanos vocat χρίσμα & θεῖον μύρον. Chrisma diuini vnguenti, & inter septem Sacramenta ponit secundo loco, at sacrum Oleum, quod vocat ἅγιον ἔλεον, c. vltimo. Eius autem effectus ita describit. Τὸ χρίσμα δὲ τῷ σφραγῖδα τὴν πρώτην, καὶ τὸ κατ' εἰκόνα συντηροῦσι καὶ ῥώμην τῇ ψυχῇ ἀπερ ἀλλο παρασκολοῦ ἀπωλέσαμεν. ἐπὶ ᾗ καὶ χάριν ἐνίει τῇ ψυχῇ τῇ θείᾳ ἐμπνεῦσαι πάλιν ἔλαβεν. διὸ καὶ τῷ θ' πνεύματι Φέρει δωρεάν, καὶ τῷ ὠφελεῖν αὐτὸ πλατεῖα ἡ σημείωσις χρίσθ' ἐστι, καὶ σφραγίς. *Chrisma animæ indit signaculum primum, & quod secundum imaginem est, & robur: quæ per primam inobedientiam amiseramus. Gratiam præterea quam diuina inspiratione homo initio in anima sua acceperat. Idcoetiam Spiritus vti Chrismate inest: & suaueolentia illius hoc præditum est, & significatio, signaculum q. Christi est.*

Quâ ex re apparet orientalium Ecclesiarum consensus, quem post tot hæreses & schismata retinent. Non enim Constantinopolitanæ duntaxat, sed etiam Syricarum, & Armenicarum illa est sententia.

Ille quidem in scripturis esse non putat, sed tamen ab Apostolis traditum, p 80. Τὸ δὲ θεῖον μύρον μυστήριον, οὐκ ἐμφέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, παραδέδοται γε μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν & λόγῳ καθὼς ὑπὸ & θείας παύλου διδαχθεὶς ὁ ἱερώτατος διονύσιος, ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ συγγράμμασι παραδέδωκε, ὧν δὴ αὐδεμιᾷ τῶν ἀποστόλων, ἡ θεία ἐκκλησία γεγέμιρε. *Quod autem sacri vnguenti mysterium attinet: id in diuinis quidem literis non extat: traditum tamen à discipulis verbi: sicut qui à D. Paulo institutus est. Sanctissimus Dyonisius in sacris suis scriptis tradidit: quem quidem virum proximo secundum Apostolos locos, Dei Ecclesia honorat.* Verba S. Dionysii Areopagitæ in actis Apostolorum produco.

Atque hæc occasione Chrismatis, quod feriâ quintâ conficerabatur in Ecclesiâ Syriacâ: non enim erat omittendum tam luculentum pro Sacramento nostro testimonium.

Hinc vsque ad finem legitur, in parasceue crucifixionis, hoc est noctu quæ antecedit diem crucifixionis דלליא דערובתא דזקיפותא *delelia degharubetha dazkiphuta, nocte parasceues crucifixionis.* Dicitur autem ערובתא *gharubetha*, ab ערב quod est occidit, occubuit, inde vespera, & parasceue ad Sabbatum, seu aliud festum. Ita etiam addito literâ ו in computo Ecclesiæ Æthiopicæ legit Iosephus Scaliger 7. de emend. temporum וערב *zagharub, parasceue.* Sic & alterum nomen est זקף quod est *crucifigere, & exaltare*, Syri זקיפות *crucifixio.* Propriè autem est erectio, eleuatio. Atrox enim supplicium mali ominis auertendi causâ, quasi per ἀσυμὸν dicitur *eleuatio.* Sic apud Latinos, quæstiones dicuntur interrogationes per tormenta factæ.

VERSVS 1.

Et factum est: cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis.

QVÆSTIO I.

Quos vocet sermones?

Ad mortem sponte properat.

§. 1. NVnc ad extremum ac summum sacerdotij sui se munus accingit, sacrificium expiatorium, quo pro vniuerso humano genere perlitauit: Illud etiam in proximo esse prophetat, eo tempore, quo integrum ipsi erat, quocunq; gentium abire. Post sermones de iudicio, & excidio Ierosolymorum institutos interpretantur Rabanus, Titus, Theophyl. Barr. alij more Hebræo sermonum nomine omnia annorum trium gesta & dogmata interpretari malunt: Beda, Strabus. Glossa, Mald. vt sit generalis ad mortis historiam transitus. Atq; ita omnino sentiendum videtur. Post multa in gentem suam collata beneficia, post tot labores, & miracula, denunciat iam post duos dies instare mortem: itaque nec fauor populi ante duos dies, nec eorum quos sanarat multitudo, à morte liberatura erat: Verum in eo prouerbium fuit

Sermones & facta, & dicta continent.

Ἀμ' ἠλέπτω, καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις.

Simul misertum est, periit gratia. Pauit eos à quibus mactandus erat.

Θρέψαι κ λυκεδεῖς, θρέψαι κύνας ὡς τὸ φάγοσι.

Pasce luporum catulos, pasce canes, qui te deuorent. Christus id fecit, atq; vtinam in solos illa ludæos conueniant. Moribus etiam hodie redemptorem suum post omnes illos sermones, post Apostolorum & martyrum certamina Christiani iterum crucifigunt.

VERSVS 2.

Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur.

QVÆSTIO I.

Quis ordo dierum est gestorum ante Paschæ?

§. 1. DIe Sabbati cœnauit Bethaniæ, Ioan. 12. 1. *Iesus ergo ante dies sex Paschæ venit Bethaniam. Fecerunt autem ei cœnam ibi.*

Insequente die, qui nunc est Dominicus ingressus est, tanquam rex Sionis Ierosolymam. Sed vesperi redijt in montem Oliueti, & Bethaniam.

Die Lunæ, seu feriâ secundâ iterum in templum redijt, & ficui infructuosæ maledixit.

Die Martis discipuli ficum arefactam viderunt, itaque eo die denuo templum adijt, ideoq; & die Lunæ redijsse Bethaniam dicendus est.

Die

Die Mercurii quid actum sit non constat, an in templum redierit, an Bethaniæ manserit. Ex Lucâ tamen satis constat, etiam illo die se populo impendisse. c. 21. 36. *Erat autem docens in templo, noctiuagans exibat & morabatur in monte, qui vocatur oliueti: & omnis populus manicabat ad eum, in templo audire eum.* Cum ergo generatim diebus docuisse, noctibus in monte fuisse, non est, cur die Mercurii populum manicantem deseruisse dicamus. Quod vero alii Bethaniæ, alii in monte pernoctasse volunt, non viderunt in re magnum esse discrimen Bethania ad montem erat, in eâ cœnabat; deinde in monte pernoctabat. Ita conciliari possunt, quæ Theophylactus, Titus, Rupertus, Iansenius, Carthusianus, Barradius scripserunt. In Bethaniâ fuisse ratio docet, neq; enim tot dierum ieiunio Apostolos vexauit, cœna autem non nisi in Bethaniâ esse potuit, nisi dicere malimus emisse Apostolos cibum, aut Lazari sorores eo tulisse, quod multa habet inconuenientia. In monte fuisse noctibus Lucas diserte scribit. Nec sensus est, in ædibus Lazari & sororum, quæ in montis radice erant, habitasse; Nam eo in loco pernoctare soliti erat, vbi eum postea Iudas quæsiuit & inuenit. Frequenter enim eo conuenire cum discipulis consueuerat. Alioqui in Lazari ædibus illum proditor quæsisset.

QVÆSTIO II.

An Pascha post biduum?

§. 1. GRæcè est μετὰ δύο ἡμέρας, *post duos dies*: eodemque modo in Syro. Beza tamen vertit intra duos dies, quo loquendi modo arctius tempus significatur, aliud est enim *post*, aliud *intra* duos dies fieri. Nec mediocris tamen oritur difficultas, ex c. 12. 1. Ioan. & hoc loco collatis, apud Ioannem ita legitur, *Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi & Martha ministrabat, Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo.*

Hic vero, Cùm autem esset Iesus in Domo Simonis Leprosi. v. 6. & v. 2. *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Si est vnum idemque conuiuium, non conueniunt tempora. Illud sex, hoc duos dies antecedit Pascha. Si duo sunt conuiuia, unum sexto, secundum altero die ante Pascha, cur tam breui tempore bis vngitur Dominus? aut quomodo iam Iudas iterum murmurat, alijq; discipuli, iam ante tres dies instructi, & reprehensi? De Iudâ quidem minus admiratione digna res est: auaritiâ enim cœcus rationes non intellexerat, perire enim sibi existimat, cuius prædandi potestas ablata est. De alijs Apostolis vix cogitare licet eos priorem Magdalenæ defensionem à Christo institutam ita contempsisse, vt etiam in eam fremerent, vt habet Marcus. Addo etiam illud: Conuiuium de quo Ioannes loquitur, videri fuisse in domo Lazari. Ipse enim & sorores fecerunt illi conuiuium, vt est in Ioanne.

§. 2. Cæsar Baronius Cardinalis T. I. anno 32. diuersas cœnas esse ait. Nam illam, quæ describitur Ioan. 12. eandem non posse esse cum eâ quam Marcus 16. ait biduo ante Pascha celebratam. At nec Marcus nec Matthæus aiunt cœnam illam in domo Simonis biduo ante Pascha factam, sed recensitâ Christi de vicinâ morte Prophetiâ: deinde narrant occasionem, quâ Iudas ad proditionem impulsus effecerit, vt Sacerdotes eius mortem accelerandam iudicarent. Dixerant enim: *non in die Festo*, at nunc in ipso instant, vt crucifigatur. Itaq; à v. 6. vsq; ad 14. in Matthæo omnia dicuntur per recapitulationem Euangelistis vsitatam ita S. Augustinus & Beda. Maldonatus, Franciscus Lucas, alijque.

Neque alterum argumentum Baronij firmum est. *Sed plane contrarium, duos, fuisse conuiuia, vnum eandemq; mulierem, & in priori pedes, in posteriori caput vnxisse, facile demonstrabimus. Si enim vnum idemq; fuit conuiuium cum alio, illudq; ante sex dies Paschæ peractum; cum constet Matthei testimonio abijsse Iudam ad principes Sacerdotum & de proditione Christi conuenisse; necesse esset nos dicere, ante sex dies Paschæ eiusmodi de prodendo Christo pactum esse conuentum: quod nemo sanè iure dicere poterit, cum Marcus expressè testetur, id factum biduo ante Paschæ.*

Respondeo. Iudam potuisse proditionis consilium iam ab illâ cœnâ quæ fuit in domo Simonis Leprosi concipere; atque adeo etiam offerre se Sacerdotibus. Eadem enim causa erat, quæ postea. Et eum indignatum fuisse scribit Ioannes v. 4. Deinde nec Matthæus, nec Marcus aiunt Iudam statim post cœnam Simonianam, vel sub ipsâ cœnâ operam obtulisse Sacerdotibus; necid factum ante illud biduum. ita miror illum dicere: cum Marcus expressè testetur id factum biduo ante Pascha. Non enim Marcus aliud habet, quam Iudam iuisse ad summos Sacerdotes cap. 14. v. 10. *& Iudas Iscariotes vnus de duodecim, &c.* Dicuntur hæc post effusum vnguentum, & Mariæ defensionem, sed illa ipsa facta est ante. Iudas post abijt, nam particula Tunc optimè refertur ad versum 3. *Tunc congregati sunt principes Sacerdotum, &c.* Tunc inquam etiam Iudas accessit, nec enim ignorauit eos congregatos, & occasionem facinoris idoneam videbat. Non igitur hoc argumento rem concludit: nec quisquam in recentes auctores iniquior esse debet, cum sententia Augustini sit, verbis pluribus exposita. l. 2. de consensu Euangelist. cap. 78. Et factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes dixit discipulis suis. quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. *Huic attestantur alij duo Marcus & Lucas ab eodem ordine non recedentes: Neq; hoc tanquam à Domino dictum insinuat: hoc enim intimare prætermiserunt. Ex suâ tamen personâ & Marcus dicit.* Erat autem Pascha, & azyma post biduum. *Et Lucas*; Appropinquabat autem dies Festus azymorum, qui dicitur Pascha. *Sic ergo appropinquabat vt esset post biduum, sicut alij duo apertiùs consonant. Ioannes verò tribus quidem locis commemorauit eiusdem diei Festi propinquantem cum alia quædam duobus superioribus locis narraret. Tertio autem loco apparet eius narratio circa ipsa versari tempora, vbi hoc etiam illis tres intimant, id est, impendente iam Dominicæ passionis die. Sed hoc videri potest parum diligenter intuentibus esse contrarium, quod Matthæus & Marcus posteaquam dixerunt Pascha post biduum futurum, deinde commemorauerunt quod erat Iesus in Bethania, vbi de vnguento illo precioso dicitur. Ioannes autem ante sex dies Paschæ dicit Iesum venisse in Bethaniam, de vnguento eadem narraturus. Quomodo ergo secundum illos duos post biduum futurum erat Pascha: cum posteaquam id dixerunt, inueniantur cum Ioanne in Bethania illud de vnguento, quod ipse, narrantes; cum autem ipse dicat, post sex futurum Pascha? Sed qui ita mouentur non intelligunt Matthæum & Marcum: illud quod in Bethania de vnguento factum erat, recapitulando posuisse, non post illam de biduo prædicationem suam, sed iam antè factum, cum adhuc sex dies essent ad Pascha. Non enim quæquam eorum cum dixisset, post biduum futurum Pascha, sic adiunxit de illo facto in Bethania, vt diceret.* Post hæc cum esset in Bethania; *Sed Matthæus quidem,* Cum autem esset *inquit* Iesus in Bethania. *Marcus autem,* Cum esset Bethaniæ. *Quod vtique intelligitur, & antequam illa dicerentur, quæ ante biduum Paschæ dicta sunt. Sicut ergo ex Ioannis narratione colligitur,* ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam: *ibi factum est illud*

Iudas ante Pascha aliquot diebus proditionem venditauit.

Matthæus & Lucas per recapitulationem de cœna agunt.

conuiuium, vbi de vnguento præciosi fit commemoratio: Inde venit in Hierosolymam. Sedens super asellum. Deinde postea geruntur ea, quæ narrant post hunc aduentum eius Hierosolymis gesta. Ex illo ergo die, quo venit in Bethaniam, atque illud de vnguento factum est, usque ad diem quo ista omnia gesta atque dicta sunt, intelligimus etiam Euangelistis non commemorantibus, consumptum fuisse quadriduum, vt occurreret dies, quem ante biduum Paschæ duo definierunt. Lucas autem cum ait. Appropinquabat autem dies Festus azymorum: *non expressit biduum, sed hanc propinquantem, quam commemorauit in ipso intervallo biduj debemus intelligere. Ioannes verò cum dicit,* proximum erat Pascha Iudæorum, *non hoc biduum vult intelligi. Sed sex dies ante Paschæ. Proinde cum quadam post hoc dictum commemorasset. Tunc iam volens ostendere, quam proximum fuisse Paschæ dixisset. Iesus ergo ante Sex dies quam Paschæ, venit in Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi. Hoc illud est quod commemorant recapitulantes Matthæus & Marcus, cum iam dixissent,* post biduum futurum Pascha. *Recapitulando ergo ad illum diem redeunt in Bethaniam qui erat ante Sex dies Paschæ, & narrant quod & Ioannes de cœna & vnguento: vnde venturus esset Hierosolymam, & peractu illis quæ narrata sunt peruenturus ad diem, qui erat ante biduum Paschæ: vnde isti digressi sunt, vt recapitulando commemorarent, quod antè in Bethaniâ de vnguento gestum est.*

§ 3 Non tamen incommode rationem eorum soluit doctissimus annalium conditor, qui negabant, eodem tempore Iudam posse esse Bethaniæ, & Ierosolymis; loci enim illa est propinquitas, vt facile ire & redire potuerit: cum enim spacium esset 15. stadiorum, quod horâ vnâ confici potuit, non video, cur non excurrere furore suo actus potuerit: negat enim Iudam venisse ad concilium, sed tantum principes conuenisse, Et rectè sanè, nisi hic aliud consideretur: reuera interuallum vrbis, & vici non impedit propositum Iudæ, in scelere gnaui, & ardentis. Verum tamen ratio Auctorum contrariasentientium non ita inualida est, vt primâ fronte apparet. Considerandæ enim aliquot circumstantiæ occurrunt.

Prima est, cœnam fuisse, hoc est, vespertino tempore inchoatam. Deinde eo anni tempore, cum nox est æquata diei: vt iam mensæ initium fuerit ad lumina.

Ex cœna Iudas non videtur isse ad Sacerdotes.

Tertio, Iudam finem cœnæ exspectasse; non enim audito Domino, mox abruptâ cœnâ erupit, sed dissimulatâ iâ finem exspectauit.

Quarto, Cœnam fuisse sollennem, in qua hospites tractati, Martha ministrabat, ideo non ita breuem vt solet esse cœna ordinaria, sed protractiorem, non luxuria, sed caritate, sacrisque colloquijs. Ex quo consequitur, Iudam iam multâ nocte Ierosolymam venisse, noctu cum principibus sacerdotum, & magistratibus tractasse, quod non est verisimile, cum præsertim plures appellarit, & illi pecuniam quasi communi consilio, & de publico promittant.

§. 4. Alia duo argumenta adducit conditor Annalium. *Ex hucitaq; iam satis liquido de lætatum videtur, duo diuersa, diuersisque diebus exhibita fuisse Iesu conuiuia: quorum primum factum dicitur in domo Lazari à mortuis excitati, in quo Lazarus ipse vnus ex discumbentibus fuit, Martha ministrauit, Maria eius sorror pedes vnxit, & Iudas ei detraxit: Alterum verò apud Simonem cognomento leprosum, quo accedens mulier habens alabastrum (vas scilicet ex alabastro factum) effudit super caput recumbentis; quando non vnus Iudas: Sed & cæteri discipuli indignati sunt, ac tunc Dominus se eandem pro illa habuit defensionem à prima diuersam, & addidit dicens:* Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.

At non dicit Ioannes in domo Lazari conuiuium institutum. Sed: *Iesus ergo ante Sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo.*

Bethaniam venit, ibique institutum est conui- Conuiuium uium non domi Lazari, sed Simonis, fecerunt au- in quibus tem illi, non modo Lazarus cum sororibus, sed Si- ma mon etiam, aliique discipuli; nam vt est cap. 12. 42. multi Iudæi qui venerant ad Mariam & Martham crediderunt in eum: etiam credibile est cæterorum ni- hi multos, qui Bethaniæ habitabant, & Lazaro ac eius sororibus familiares erant, credidisse. Non dicit quo loco fuerit habitum conuiuium, necâ quibus institutum; quia communi consilio, & opera factum. Tam autem in aliena, quàm sua domo accumbere Lazarus potuit, & ministrare Martha.

At vero apud Ioannem pedes vngit, & capillis extersit: apud Matthæum & Marcum effudit vnguentum super caput recumbentis: In priore conuiuio solus Iudas, in altero alij etiam discipuli murmurarunt.

Respondent nonnulli vnguentum capiti infu- Pater sum ad pedes vsque defluxisse; sicut vnguentum in pat capite Aaron, quod descendit, vsque in oram vestimenti eius. Verum aduertunt illi, non potuisse fieri, vt cum Christus recumberet, tanta copia descenderet in pedes; iacebat enim in lectulo cœnatorio, more tum vsitato. Deinde ipsa pedes vnxit, & capillis abstersit, quo indicatur, non solo defluxu pedes tinctos, sed ex proposito vnctos, & capillis abstersos. Iraque dicendum est: eodem vnguento & caput, & pedes vnctos; totum pene effusum in caput, reliquias in pedes; hoc Ioannes recenset, vt mulieris charitatem, & Christi dignitatem indicet; Illud Matthæus & Marcus, quod totum pene infusum capiti fuit; illis vero duntaxat propositum fuit, ostendere causam cur Iudas in eum furorem venerit, vt prodere Christum cogitaret.

Quod Ioannes Iudæ soli murmurationem attribuit; causa est, quod ipse malo prauoque animo, furtis intentus, pauperum simulata cura mulierem reprehendit, alij verò bono quidem zelo, & amore egenorum improbabant, sed non secundum scientiam. Murmurasse autem & reliquos, apud Ioannem indicio est Christi defensio, qua appellat, non Iudam vnum Iudam, sed plures. *Sinite illam. &c. semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis vobiscum.* Quod nescio cur soli Iudæ diceretur, qui Christum non amabat, sed quæstum, quem ex locu- lis capiebat.

QVÆSTIO III.

Quomodo filius hominis tradatur?

§. 1. TRaditus est à Deo ad redemptionem nostram, permissus impiorum potestati, tradi- A Deo tus à Iuda pecuniæ amore, à Iudæis odio & inuidia, à Pila-

Pilato, metu Cæsaris, à seipso, cum potentiâ se non opponat inimicis. Traditur autem vt crucifigatur, summo supplicio, & seruili afficiatur.

§. 2. Caluinus, Pareus, Gommatus, alij q; rigidi Caluiniani ideo traditum aiunt, quod aliter nobis placari Deus non posset. [Ita duplex huius fuit sententiæ vsus, primo vt testatum faceret sponte ad mortem Dei filium descendere, vt mundum reconciliaret patri: quia neque aliter expiari poterat scelerum reatus, vel acquiri nobis iustitia.] Poterat sane aliter, sed Deo visum est, hoc modo expiare. Caluinus autem Deum negat, de suo iure quicquam posse remittere, & tam esse necessarium, ac naturale punire peccatum, quàm odisse. Multo vehementius Sibrandus, eiusque collegæ errorem illum vrgent, quos aliâ parte Vorstius libro de centum errotibus Sibrandi refutat. Sed & ipsa veritas, ac diuina Maiestas hoc ipsum nos docet. Cùm enim misericors sit, & liberi arbitrij, potest peccatum, quod odit, liberali beneficentiâ remittere. Imo hoc ipsum quotidie facit, in illis, qui sanguine Christi expiati non sunt, qui apud inferos torquentur, quos cum citra condignum puniat, negandum non est, id liberali fieri misericordiâ, quâ pœnas non omnes, quas iure posset, infligit. Quin in Christi acceptando sacrificio, quo nostra peccata expiantur, Deus parer misericorditer suo iure cessit, vt docet Caluinus, quod enim satisfactionem illam ad sui placationē ordinarit, misericordiæ fuit, & summi iuris imminutio. Caluinus lib. 2. Institut. cap. 17. Christi passionem negat posse opponi Dei iudicio. [Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet Iudicio Dei, non fore locum merito, quia non reperietur in homine dignitas, quæ possit Deum promereri.] Quod si igitur non potest simpliciter Dei iudicio, quod est ipsius iustitiæ æquissimum decretum, opponi Christi meritum, ergo vt esset in Christo meritum, de summo suo iure Deum concedere oportuit, atque vt ea esset in homine dignitas, misericorditer rigorem iustitiæ temperate.

VERSVS 3.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas.

QVÆSTIO I.

Quando congregatum fuerit concilium Sacerdotum?

§. 1. IOannis 11. 46. cum quidam ad Iudæos retulissent de resuscitatione Lazari, collegerunt consilium, sed hoc diu ante contigit; interea enim Iesus abijt, & moratus est in ciuitate Ephrem, ibidem. v. 54. Hoc ergo concilium diuersum est, post Christi ad Pascha aduentum: nam post illud tempus, & miracula in templo, grauissimaque inuectiuas, magis insaniebant. Conuenerunt autem principes sacerdotum, seu capita familiarum sacerdotalium. Deinde seniores populi, de quibus multa est disputatio. Constat autem sic vocatos eos, qui dignitate aut magistratu aliquo subleuantur.

Beza contra Adrianum Sarauiam ex his seniotibus suæ presbyteria nititur confirmare. Erat senatus quidam Israëlitarum etiam in Ægypto. Exod. 4. 29 Num. 11. etiã seniores sunt: alij seniores 18. Exodi qui iudices erant causarum, & Exod. 22. 8. Seniores ciuitatum nominantur alij Deut. 21. & 2. Par. 19. Malach. 2. 7. Hi nihil ad Caluinianum presbyterium faciunt, vt ex eorum castris probat Matthæus Surlinius.

In Græcis adduntur οἱ γραμματεῖς, *scribæ* quod ab omnibus Latinis abest, & aliquot Græcis, etiam in antiquissimo Græco Bibliothecæ Molsemensis. Societ. Iesu desideratur. In Syris vero legitur, *conueniunt in atrium Caiphæ*, Syriace ܩܝܦܐ *Kaipha*; ἀυλὴ non est locus subdiualis, sed aula magna, anterior, in quâ consessus impiorum fuit; de moribus Caiphæ, auaritiâ, libidine &c. vide Iosephum l. 18. antiq. c. 3. & 6. Certa igitur Concilij dies non potest indicari; verisimile tamen est intra biduum illud contigisse; tam enim Pascha vicinum erat, vt non putarent ante festum posse fieri. Vix dubium videtur quin seniores sint ex iudicio, seu concilio Sanedrin; de quo vide Barradium l. 6. c. 2. Luc. 22. adduntur οἱ στρατηγοὶ duces, quotũ sub manu milites; Magistratus templi fuerunt, & quidem Iudæi; quamuis enim Romani ad templum excubarent, oportebat tamen intra septa custodiam esse, atq; in ipso templo, si quid oriretur aduersi. Atrium enim gentium apertum, cætera clausa erant, ita Titus apud Iosephum l. 7. belli c. 4. *Nonne vos ò scelleratissimi cancellũ locum sanctum protexistis? nonne literis Græcis, ac nostris incisas tabulas constituistis? quibus septa ne cui quam transire liceret edicitur? Nonne eos, qui transissent, quamuis Romanus quis esset, vobis necare permisimus?* cum ergo intra ipsa septa tot millia Iudæorum crebro essent, oportuit ad eorum quietem, & sacri loci tutelam milites & duces ex Iudæis esse, quibus ingrediendi ius esset. Christum autem Dominum non vi opprimendum, sed dolo circumueniendum statuunt, v. 4. Luc. 22. 1. Sapient. 12. 13. Timebant enim seditionem in populo præsertim peregrino, qui cum palmis obuiam Domino erat.

Graci veteres non habent.

Magistratus templi.

VERSVS 6. 7.

Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.

QVÆSTIO I.

Quænam fuerit illa mulier?

§. 1. QVæstio nobilis & multis voluminibus disputata, vt etiam fatetur nostet Maldonatus: adam ego forte operosè magis, quam necessario, aut vtiliter. Quidam enim tres Marias, alij duas, alij vnam arbitrantur esse, quæ Dominũ vnxerunt. Vide Meld. Franciscum Lucam, Barrad. Baron. anno 32. Ambrosius dubitat, & veteres minus certo hoc, aut illud asserunt. Vt res apertè cognoscatur in medium proponam, quæ habent Euangelistæ.

Disputatio de Maria.

Matthæus cap. 26. 7. mulierem vocat.

Marcus eodem modo cap. 14. 3. vterq; vero in domæ Simonis factam vnctionem testatur.

Ioannes cap. 12. 3. Mariam appellat, atq; ex textu colligitur, esse Lazari, & Marthæ sororem: quod quidem negari non potest, si quis c. 11. consideret.

Ex horum trium capitum collatione certo constat Mariam sororem Lazari & Marthæ vnxisse pedes domini ante sex dies paschæ, an vero eadem sit cum illâ, quæ Matthæi 26. Marci 14. id fecit ex quæstione in v. 2. intelligi potest.

Lucæ 7. 37. mulier in ciuitate peccatrix idem officium præstat, in domo Simonis: id vero contigit in

Galilæâ: multo ante hanc vnctionem, cum & lacrymis pedes lauaret, & Simon, non discipuli pietatem illam reprehenderet.

Lucæ. 8. 2 Inter pias mulieres Christum secutas, nominatur Maria quæ vocatur Magdalena, de quâ septem dæmonia exierant. An vero Magdalena fuerit illa mulier peccatrix, & pœnitens, non dicit Lucas.

Magdalena tamen fuit cui Christus primo apparuit Marci 16. 9.

Ex quo sequitur eandem esse cum illa quæ Matth. 28. 1 Marc. 16. 1. & quæ Ioann. 19. 25. stabat ad crucem, quæq; c. 20. 1. venit ad sepulchrum, & v. 11. stat ad monimentum plorans. Et apud Matth. 27. 61. & 28. 1. Magdalena igitur, de quâ septem dæmonia exierant, ad crucem, & sepulchrum stat, & Domini comes est, an vero sit eadem, quæ bis Dominum vnxit, nondum ex his liquet.

Ioannes autem c. 11. 2. 3. rem definit. *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de Castello Mariæ & Marthæ sororis eius. (Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.)*

Quid ex scripturis colligatur. Hinc verò hoc duntaxat connincitur: Sororem Lazari Mariam esse; an vero sit Magdalena, de quâ septem dæmonia exierant; an etiam illa mulier peccatrix, quæ lacrymis pedes lauit, non constat. Ioannes enim tam loqui potuit de vnctione, quæ facta est Bethaniæ, quam de illâ, quæ fuit in Galilæâ.

In scripturâ igitur soror Lazari, & Marthæ non vocatur expresse Magdalena. Mulier quæ vngit pedes bis dicitur Maria Ioan 11. 3. & 12. 3. cætera, si scripturam spectemus, incerta sunt. An mulier peccatrix. Maria soror Lazari. Maria Magdalena, vna eademque, an duæ, an tres mulieres sint. Neq; video quid aliud ex scriptura â confici queat.

§. 2. Quia vero de scriptura nihil certi licet concludere variæ fuerunt sententiæ. Clemens Alexandrinus l. 3. c. 6. constitutionum Apost. Mariam Magdalenam, & Mariam sororem Lazari distinguit. Baronius ex Origene probat, verum non esse quod Clementi ascribitur: Origenes enim tract. 36. in Matthæum testatur nullum ante se auctorem docuisse Mariam Magdalenam aliam esse à Maria sorore Lazari. Qui tamen eandem facit in orat. de Magdalena. De illa enim, quæ ad sepulchrum venit, ista habet. *Fortasse nescis an diligatte. Olim te diligebat; à Pharisæo te defendebat; à sorore tua diligenter, excusabat: Olim laudabat te, quando vnguento pedes eius vngebas, lachrymis rigabas, capillis tergebas: dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat, &c. rursum in fine hæc habet: Ploret vnusquisq; ad Iesum, quærat fideliter Iesum, quia non celauit quærenti se peccatrici. Discat peccator homo à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata, &c.*

Eusebius ad Marin. dubitat. Chrysost. hom. 81. in Matth. duas putat, Hieronym. comment. eodem modo duas, alio sensu tamen. Sed Epist. 148. Peccatricem, & Magdalenam eandem putat. Amb. in Luc. 7. dubitat. Sed de Salomon. cap. 5. eandem existimat. Augustinus tract. 49. anceps est, in l. 2. de consens. Euang. 79. vnam putat, atque ita Greg. hom. 25. & 33. & Beda in Luc. c. 5. Videmus itaque rem incertam esse, de qua tanti viri dubitarunt, aut trepide affirmarunt.

Clictoueus tres esse docuit, Faber de tribus Magdalenis scripsit: ineptè, melius tres Marias appellasset.

§ 3 Vnam esse eandemq; Magdalenam, seu Mariam, ex his quæ dicta sunt probabile est, & Ecclesia Romana in eam sententiam inclinat. Hymnus ita habet.

Vna Maria.

Æterni Patris vnice
Nos pio vultu respice
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriæ,
In Thesauro repositæ
Regis est drachma perditæ
Gemmaq; luce inclyta
De luto luci redditæ
Iesu dulce refugium
Spes vna pœnitentium
Per peccatricis meritum
Peccati solue debitum.

Et alio Hymno.

Amore currit lancea,
Pedes beatos vngere, &
Astare non timet cruci.
Sepulchro inhæret anxia.

Idem testantur & antiphonæ, aliaq; quæ Romano in breuiario leguntur.

§. 4. Quæ obijciuntur in contrarium nullius momenti sunt. Deut. 23. Lex vetat esse meretricem de filiabus Israël.

Respondeo Legem fuisse sanctam mores, malos. Tota gens fornicata est, cum amatoribus multis, O olla, & O olibama, subter omni ligno frondoso prostitutæ sunt, si idola coluerunt, mirum est, si castitatem prodegerunt? Fuisse autem magnas corruptelas in illa republica omnes Prophetæ testantur: Idololatriam autem impuritas sequitur & præcedit. Mores vero hoc tempore erant corruptissimi; Pharisæi improbi, Sadducæi erant Epicuræi, adde Herodem & Romanos. Neque dicendum illas meretrices, quæ Pharisæos in regnum cœlorum præcedebant fuisse gentiles, sed Iudæas. Tempore Salomonis fuisse docemur 3. Reg. 3. Romæ tot erant leges contra adulteria, & tamen miseræ leges affigebantur parietibus, adulteræ volitabant per vrbem, & pendentibus senatusconsultis insultabant. *At peccatrix illa Galilæa; soror Lazari Bethaniana fuit.*

Respondeo. In ciuitate Naim conuiuium fuisse videtur, sed potuit mulier illa Bethania, vel Magdalo oriunda eo profecta esse multis occasionibus, vel quod à suis abesse mallet, licentius victura, vel quod amatorem eo loco haberet, aut sanè verecundia. Magdalel est in tribu Nephtalim, Ios. 19. Magdal in Iudæa. Ios. 15. Solet hoc genus hominum vt plurimum esse peregrinum, cognatos & familiam veteri solitum.

§. 5. Difficile est, fateor, quod de septem dæmonibus obijciunt. Si ante dæmones eiecti sunt, quam pedes Christi lacrymis lauit, mirum est, eam non continuo pœnitentiam egisse. Si adhuc obsessa ad Christum venit, quomodo erat meretrix energumena, & si quidem ipsa erat tam demens, vt in tanta calamitate libidinari vellet, nemo tamen tam impotentis ac furiosæ intemperantiæ fuit, qui dæmonibus obsessum scortum, in quo cœlestis vindictæ tam luculenta indicia, & impudicitiæ pœna apparebat, accederet. Post condonata à Christo peccata liberam fuisse, non est dubium. Nam inter mulieres, qui Christo ministrabant, versatur, & deinde cum Lazaro, & Martha, nec vlla dæmonis est mentio. Quod si post adeo seriam pœnitentiam, & Christi detensionem septem dæmonibus tradita fuisset, haud partum miraculi auctoritatem ea res imminuisset; clamasset Simon ipse; peccata non remissa, sed scelerum vltores Diabolos immissos. Itaq; huc pertinere non puto, quod aliquando legimus, iustos dæmonum vexatione obnoxios fuisse. vt Chrys. l. de Prouidentia. Hier. Epist. 25. Baronius eo ipso tempore, quos illa pietatis

officia

officia præstabat, dæmones ejectos existimat. Quod si verum est, valde minuitur fama tam celebris pœnitentiæ. Non enim mirum est, mulierem tantâ in calamitate constitutam omnia tentare, vt liberetur: at interpretes id singulare in Magdalenâ obseruarunt, eam non alicuius beneficij temporalis indigam ad Christum accessisse, sed solam animæ salutem quæsisse: cum alii contra morbos, & dæmonas remedia petitum venirent.

Mirum etiam videtur miraculum adeo nobile Lucam non suo loco narrasse, præsertim cum ad rei occultæ, hoc est, remissorum peccatorum confirmationem magnopere faceret: Nec enim Simon de peccatorum remissione dubitaret, si dæmones eiici videret.

Mihi duobus modis difficultas posse tolli videtur. Primus est, vt Mariæ peccata dæmone immisso punita censeantur: deinde eam Christus liberarit eo tempore, quod prandium antecessit: Nam vt dicitur Luc. 7. 19. Misit ad eum Ioannes è vinculis & quæsiit: Tune es qui venturus es? &c. & v. 21. *In ipsâ autem hora multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritib. malis & cæcis multis donauit visum.*

Eo tempore Mariam dæmone liberatam arbitror, illa enim disputatio de Ioanne inuitationem præcessit. Illa vero se liberam videns, & causam pœnæ recognoscens, gratias actura, & veniam peccatorum petitura venit. Non ignorabat porro plurimum dæmonibus in libidinis mancipia permissum esse. Asmodæi memineritis, & septem procorum quos genialis nocte dæmon occidit. Erat igitur peccatrix, & prostitutę pudicitię, sed ex merito deinde energumena ad breue tempus: vnum forte aut alterum diem: vt publicum nondum fuerit.

Altera ratio mihi probabilior videtur. Mariam à dæmonibus obsessam, eoque modo lasciuiam, & luxuriam punitam fuisse, ita tamen vt neque ipsâ neque alij cognouerint, donec pulso hoste res manifesta est.

Etenim quos dæmon in potestatem suam redegit, alios mox interficit, vt illum de quo Delrio lib. 3. p. 1. quæst. 7. disq. Magic. *Quando ad sordes libidinum sacrilega voti violatio, & scandalosa status ratione vitæ accedit: minus mirandum. Sed exemplum tamen dabo: quod et si recentiore memoriâ, multis notissimum, sine horrore tamen nequit memorari Loci nomen taceo. In Flandriæ comitatu prioratus est. Tres ibi nominatim nus monachi degebant, regulares & cœnobiarij, sua cuiq; erat, nec pudor vllus aderat. simul belluari & libidinari, quadam die in seram noctem cõpotationes protractæ: vnus qui minus sceleros us: sat ait Bacho, Veneriq; datum; Deo gratias saltem. Ego vero subinfert alius procacior, cacodæmoni gratias ago, & agendas censeo cui operamur. Et eam risu mẽsa relicta, ruitur in cubilia. Singuli cum sorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium, vi ianua reserata Dæmon, magni, atri & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo cœci dito paruuli obambulat, & lectos circumspicit toruo vultu. dein horrenda voce, vbi qui mihi gratias egit? adsum reseram. Lecto abstrahit pauitantem, & ferme præmetu animam efflantem, traditum cocis iubet infigi veru, & luculento igne probe assari. parent prompiè, assatur infelix, emoritur planissime, cæteri præformidine assi corporis nidore implẽtur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix viuos: digni vos etiam ait pari supplicio, nec deest voluntas mihi. Vetor vi maiore. Inuitus abeo & moneo: resipiscite aut manent terribiliora. Dispavent larua, nec tamen his aliis animus redit, vel vox, misiclara iam luce. Vbi surrexere collegam inueniunt mortuum, & (ne visum inane putes) plenè assatum. Haud sic au ab aliquot seculis, quidquam ad exemplum vtilius acciderit: scio locum & ordinem: sed vtrumque silentio involuãt.*

Alios vero ita infidet, vt diu dubium sit, an tali ab hospite teneantur, dum neq; signa certa dat suæ præsentiæ, nec ita torquet, vt ab operibus vsitatis impediat, aut si id faciat, eo modo, & tempore facit, ne cõstet in publico. Neq; enim illi par in omnes obsessos potestas. Quà de re tum alios, tum vero Petrum Thyreum de dæmoniacis videre licet.

§. 6. Non desunt etiam, qui vnum eundéq; Simonem arbitrentur, eum apud quem in Galilæa, & apud quem Bethaniæ Dominus vnctus est. Augustinus diuersos esse demonstrat. Ille in Galilæâ, hic Bethaniæ domum habet. Hic leprosus, ille Pharisæus, cuius in Christum non erat tanta benevolentia, quãta huius, qui Christum in mediâ inuidiâ, & flammâ odiorum, amicitiam professus inuitat: amicus etiam Lazari & sororum, quæ domi eius cœnant, & ministrant. Quamuis autem illa in Nain vnctio non contigisset, non tamen in Bethaniâ facta esset: non enim eo tempore Bethaniam Iesus aduenit. Potuit quidem Pharisæus fuisse leprosus, verum si vnus idemq; fuisset, credo hoc adiecto Pharisæi nomine Euangelistas dicturos fuisse. *Duo Simones.*

QVÆSTIO II.

Quidnam Alabastrum? & quod vnguentum?

§. 1. Alabastrum, velut Cicero nominat Alabaster, lapidis, siue gemmæ species est, quæ in vascula vnguentis seruandis idonea excauantur. Illis enim conseruandis idonea est lapidis natura, frigida, minimeq; porosa, sed spissæ soliditatis, ne facilè transsudent. Vnguenta Alabastro seruari solita Cicero etiam docet: *quibus Alabaster plenus vnguento putere videtur.* Quin refert in Thaliâ Herodotus Ἀλάβαστρον μύρου Æthiopum regi à Cambyse Persâ missum. De Alabastrite lapide vide Plin. lib. 36. cap. 8. Alabastri igitur vsus in his delicijs erat: atque hinc etiam alia vasa, nempe crystallina, quæ erant vnguentis deputata, vocabantur Alabastrina; vti nunc æs vocatur omnis pecunia. Epiphanius de mensuris, Alabastrum ait vasculum vitreum, capiens libram olei, mensuram sextarii dimidii: Alabastrum autem vocari propter fragilitatem: alij vocant ἀπὸ τοῦ μὴ ἔχειν τὰς λαβάς, quod ansis careat. Hinc noster Maldonatus & alij putant Alabastrum non fuisse: quod dicatur effracto Alabastro effudisse, firmior enim Alabaster, quam vt frangi facile queat: seruari autem precioſum vasculum ad alia vnguenta conueniens videbatur: confirmatur etiam illa sententia ex Syro, in quo est שטי פתחא *Scatipheta* inundatorium, effusorium, à שטף Schetaph *effundere.* Verum cum nihil impediat, proprietatem dictionis retinere malo, vt vere Alabastrum dictum fuerit, non alterius generis vasculum. Si quidem illud supereſſet, quod Constantinus Magnus in foro Constantinopolitano, Honorius honestiore loco collocauit, teste Suidâ in verbo φόρος, iam causa decisa esset, nunc nullum aliud est, nisi ex textu signum. Alabastrum fragile esse indicat Epiphanius, & verum est si excauetur, vt tenuia sint latera, id autem facere artifices solent, potuit igitur malleolo, aut alterius rei illisu facilè frangi: hoc autem ad magnificentiam spectabat, non vnguentum modo profundere, verum etiam vasculum precioſum confringere. Sic enim amorem, & venerationem suam erga Dominum mulier omni ratione demonstrat. Quin etiam mysterium indicatur. Fracto & aperto Christi corpore in cruce, vnguentum quod toto orbe suauissime redoleat, effusum. Harpocratio in Demosthene legit Alabastrothecas. *Alabaster vnguentis idoneus.* *An vitrum fuerit.*

§. 2. Vnguentum fuit βαρύτιμον gratis precij, eo modo Salustius locutus est, cum dixit *fructibus graue pretium esse*. Forma loquendi, ex vsu sumpta est: ea enim argentum, aurum, appendebant. Verum de precio post dicam, nunc de genere tantum sermo est. Matthæus duntaxat βαρύτιμον dixisse sat habuit. Syrus textus adiunctum habet רבסמא *suauissimum*, est enim optimi odoris בסמא, vnde & nostrates Balsam appellant museum: Hebræis autem & Syris omnem bonũ odorem significat. Marcus c. 14. 3. *Habens alabastrum vnguenti nardi spicati, pretiosi.* Ioan. 12. 3. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi, pistici, pretiosi, & addit: Et domus impleta est ex odore vnguenti. Omnino vnguentum pretiosum fuit. Hoc super dominum effudit, quasi maiorem homine. Varia vnguenta fuere, & initio quidem singularum plantarum, aut florum, deinde miscere cœperunt, vt Plin. habet l. 13. Cætera quidem conueniunt: nam Matthæus βαρυτίμου, Marcus πολυτελοῦς, Ioannes πολυτίμου appellat. De eo quod Marci interpres vertit spicati, Ioannes pistici, controuertitur. Quæ sit nardus pistica, seu πιστική. Augustinus tract. 50. in Ioannem à loco dictam putat. Et Nonnus πίστιον mediâ productâ appellat: additque φαλιζομένην, *celebrem amomi* loci illius: cui nulla nunc notitia superest, olim tamen rem notam fuisse, constat ex Augustino. *Locum aliquem credere debemus, vnde erat hoc pretiosum vnguentum. Nec tamen hoc vacat, & sacramento optime consonat.* πίστις enim Græcè, *Latinè fides est.*

Quale vnguentum.

Nardus pistica.

Hinc alia interpretatio est, πιστικὴν dici, quasi πιστὴν fidam, probatam, non adulteratam. Sic Theophylactus vocat ἄδολον, quæ adulterata non sit. Sic Tibullus. *Illius pura distillens tempora nardo.* Hanc reiiciunt nonnulli eo quod πιστῆς dicendum esset, non πιστικῆς. Nam πιστικὸς est id quod ad fidem pertinet, non fidus. Verum hac quidem in re difficultas esse non potest. Nam πιστικὸν est id quod fidem facere potest. Sic apud Aristotelem lib. 1. Rhet. λόγοι πιστικοὶ qui credantur, seu fidem faciant. ita νάρδος πιστική, quæ odore: colore fidem suæ bonitatis præstet. τέχνη ἐκάστη inquit eo loco Arist. περὶ τὸ αὐτῇ ὑποκείμενον, ἐστὶ διδασκαλική, καὶ πιστική, οἷον ἡ ἰατρικὴ περὶ τὸ ὑγιεινὸν καὶ νοσερόν. *Omnis ars de materiâ sibi subiectâ, est didascalica, docens & pistica, hoc est, talis cui credi oporteat.* Probata ergo nardus potest vocari Pistica. Hinc quoq; apparet de rebus inanimatis rectè dici: si enim λόγοι & τέχναι vocantur πιστικοί, cur non etiam res ipsæ, certè factæ fidæ sunt, & fidem faciunt. Quod autem non nardus, sed vnguentum pistícum dicẽdum putant, non enim nardus sed vnguentum adulterari solet, triplex est, & iusta solutio. Vnguentum hic per nardum significatur; est enim nardus & germen, & vnguentum nardinum. Deinde nardus duplex est, vera, optima, & notha, seu secundana. Dioscorides libro 1. capite 6. Νάρδου δύο γένη, ἡ μὲν καλεῖται Ἰνδικὴ, ἡ δὲ Συριακή. ἔχ ὅτι ἐν Συρίᾳ εὑρίσκεται, ἀλλ' ὅτι ἐκ ὄρους συῶ γεννᾶται, τὸ μὲν πρὸς Συρίαν τέτραπται, τὸ δὲ πρὸς Ἰνδοὺς καὶ τὴς λεγομένης Συριακῆς ἐστι βελτίων ἡ πρὸς Φαλῶ, καὶ κεφῇ, πολύκομος, ζαυθὴ τὴν χρόαν, εὐώδης ἄγαν, καὶ μικρὸν ἔχουσα τὸ ὀξύ. *Nardi duo sunt genera. Vna ficta dem Indica, altera Syriaca nuncupatur: non quod in Syria inueniatur, sed quod montis in quo nascitur pars vna Syriam, altera Indos spectet. Ac in eius quidẽ quæ Syriaca dicitur genere præstantior ea censetur, quæ recens est leuis comosa: odore est suo, pinq; amodorata, quæq; præterquam quod odore cyperum imitatur, breuem habet spicam.*

Nardi genera.

Nec illæ modo species, sed & συμφυΐαν est, cuius caulum medium dicit esse ὑπερέχοντα, *supra modum olere hircum.* Deinde c. 7. Celticam seu Gallicam esse ait, eam etiam in Istriâ nasci, quam plerique nostram Lauandalam esse arbitrantur. Hæc multo est Syriâ nardo deterior. Deinde est Nardus Montana, quæ Σύλακτις & Νῆις vocatur: quæ etiam in Syriâ & Ciliciâ nascitur. cap. 8. quæ est deterior. Quin cap. 9. Asarum, & cap. 10. φοῦ phu est, nardus syluestris, quæ folia habet vt Dioscorides ait ἐυώδη, παρὶ ζορμὴν ὁμοίως, *bene olentia atq; adeo odoris nardini*, sed μετὰ βάρους βρομώδους, *cum grauitate vis ulentâ.* & ca. 11. Malabathrum multi folium nardi putant, nõ esse tamen docet Dioscorides. vbi & testatur multa Nardo similia inueniri, πολλὰ δ' ἐστὶν ὅμοια τῇ ὁσμῇ νάρδῳ, ὡς τὸ Φᾶ, ἄσαρον, νῆις. *Multa sunt odore nardo similia, vt Phu, asaron, Nesis.*

Tertiò, non modo vnguenta nardium, sed ipsa Nardus etiam adulterari solet, cum enim principatũ adhuc inter delicias vnguentorum teneat, nihil intentatum auaritia relinquit, vt eius loco spurias merces extrudat. Prima fraus in eo est, quod πιπερόσκλαι ἠ βεβρεγμέναι. *Venditur etiam madefacta*, ponderi scil. augendo. Deinde δολίζουσι δ' αὐτὴν ἐμφυσῶντες σίμμι μετ' ὕδατος, ἠ οἴνῳ φοινικίτῃ πρὸς τὸ συμπιλεῖσθαι αὐτὴν καὶ βαρυλιγεῖν μᾶλλον. *Adulterant inspirato stibio, cum aqua aut vino palmeo, vt compactior seu spissior, ponderosiorque euadat.* Imo etiam cap. 7. celticam adulterari testatur, δολίζεται δ' συναπολικμώσης αὐτῇ πόας ἐμφεροῦς, ἣν Ἄλφι τὸ θεῖ τὴν ὀσμὴν βρομῶδες, τεφρὸν καλοῦσι. *Adulteratur vero eiusdem simul cum ipsa per simili herbâ, quam ob virosum odorem appellant Hircum.* Nardus ergo pistica dici potest, quæ Syria, aut Indica montana, nullo additamento facta est deterior. nec aliud est vnguentum pretiosum, aliud nardus pistica, Sed ideo nardus pretiosa, quia pistica, nulla spuriorum germinum admistione. Hæc igitur sententia defendi probarique potest.

Plinius eandem ex eisdem auctoribus sententiam hausit. lib. 13. cap. 1. *In hoc genere conueniet meminisse barbarum, quæ nardum Indicum imitetur, species nouem annobis esse dictas: tanta materia adulterandi est.* De nardo lib. 12. c. 12. *De folio nardi plura dicta par est, vt principali in vnguentis. Fruticosa est grauis & crassa radice, sed breui ac nigra, fragilique quamuis pingui, situm redolente, vt cyperi, aspero sapore, folio paruo, densoque. Cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Alterum eius genus, apud Gangem nascens, damnatur in totum ozænitidi nomine, virus redolens. Adulteratur & pseudonardo herba, quæ vbique nascitur crassiori, atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente. Item suauradice permista ponderis causa & gummi, spumaque argenti, aut stybio cyperiue cortice. Sincerum quidem leuitate deprehenditur, & colore russo, odoris q; suauitate, & gustu maximè siccante os sapore iucundo. Pretium spicæ in libras X. C.*

§. 3. Marcus in Latino textu habet Alabastrum vnguenti nardi spicati, pretiosi, itaq; vel πιστικὸν vertit spicatum, vel legit σπικαῖον. Hac de re plura dicenda sunt: quia vulgus Litteratorum veterem interpretem Syrum flagellat, quod pistícum verterit spicatum: sed non modo defendi potest, verum etiam verè atque adeo ex Euangelistæ sententiâ vertit. Vtar initio testimonio, quod illi defugere non possunt, Bezæ scilicet, quod tamen ille habet, ex Cœlio, aliisque collegit. Hunc igitur in modum contra suos veterem interpretem defendit. *Vulgata vt habent multi vetustis codices πιστικοῦ hoc loco vertit Spicati, quasi corrupta Latina vox pro σπικαῖος scripta sit, siue communi vulgi errore apud peregrinas gentes siue sciolo alicuius correctoris audacia, qui Latinam vocem sic græca terminatione depravatam non intelligeret: sicut φοῦνδα & φελόνη pro penula scribitur.* 2. Timoth. 4. 13. *Laudatur enim maximè in vnguentis inquit Plinius) ea nardi species, quæ in aristas assurgit: quam Galen. νάρδος ἀγλωσ. Plinius Nardi spicam, officinæ spicam nardi & spicam etiam absolutè vocant. Et ne cui nouum illud videatur Galen. de medic.* κῶν τόπους *lib. 8. c. 1. & Æginetæ, lib. 3. ca. 23. latinas voces do-*

λατὴν

ἀλάβαθρον & σπικατὸν vsurpant, etiam non expresso Nardi, vel Nardi vnguenti nomine, quasi satis id per se intelligatur, & in meo vetustissimo codice, Ioan. 12.3. legitur πίστικῆς μύρου. i. Vnguenti ex spicata seu Nardo. Itaque hanc quoque interpretationem non possim improbare: cui etiam videri possit fauere Syrus interpres. Vertit enim רישרא dischara, quod commodè capitatam dixeris, sicut capitatos porros vocamus. Nardum in vnum describens Plinius, eius inquit cacumina in aristas se spargunt. Quod autem Augustinus in illum Ioannis locum, sic putat à quopiam loco pistacium nardinum vocari, haud scio an refutatione indigeat, quamuis Nonnius apud Iacobum penultimam in πίστικῆς producat, & addat epitheton πολυτελοῦς, id est, celebratæ.

Cum igitur magnis auctoribus illa nota sint nomina, & genera vnguentorum, non debuit noster interpres reprehendi aut corrigi. Hoc etiam loco notabis quàm infelicior Beza hebraizet, in Syro est רישרא Rischaia, non dischaia: Beza tamen similitudine, ך & ר, seu ד & ר ita deceptus est, vt etiam latine scripserit dischaia.

Pro πίστικῆς igitur scriptum fuit σπικατῆς, & ita in Ioanne legendum videtur, vtuntur enim illis vocibus etiam Græci. Foliatum aut spicatum opposita sunt, melius est enim, quod est è spica. Foliatum Græcis dicitur πιτάλιον. De Spicato loquitur Statius Syluar.

Odorata nec Arabs decerpsit aristas.

Et Ouid. Metamorph. 15.

Nardi lenis aristas.

De vnguento Nardino Dioscorides l. 1. c. 75. *Nardinũ vnguentum paratur addito malabathri folio, aut sine eo præparatur. Veluti autem balanino oleo aut omphacino spissandi quidem gratia tuncus odoratus admiscetur: ad odoris vero gratiam cinnamomum, costus, amomum, nardum, myrrha, balsamum. Laudatur tenue, minime acre, nardi aridæ, aut amomi odorem retinens. Vis ei extenuans, acris ac detergens: nec non & humores arefaciendi, & excalfaciendi vi pollet. Liquidum vero est, nec habet strigmenti crassitudinem, nisi resinam recipiat. Conficitur quoq; vilius ex omphacino oleo, iuncu, calamo, costo atq; nardo.*

Attioctale fuerit incertum, variæ enim mistiones erant, præcipue in Syria, & Asia voluptuatum architectrice.

Minus pretiosum Malabathrinum, quamuis & illud horum delicijs Romanis, nomine etiam retento: ita Epicureus Poeta madentes prædicat:

Malabathro Syrio capillos.

Quamuis Dioscorides lib. 1. c. 11. Indicæ paludis, non arboris folium arbitretur Malabathron. Plinius in Ægypto, & Syriâ, Garcias ab Horto in Indiâ patriam illi asserit, & dici hodieq; Tamalapatra, quod idem est cum Malobathro, prima demptâ syllabâ, Græci interdum vocant Πέταλον per excellentiam: Interpres Dioscoridis vnguentum ex eo vocat foliatum. Spicam nardi præstantissimam fatentur, quæ sit tamen Spica nardi magna est dubitatio: Ianus Antonius Saracenus Lugdunensis Scholiis in Dioscoridis l. 1. c. 6. negat esse Spicam, qualis est, in quâ frumẽta cacea semina continentur, quamuis fateatur, thymo, stœchadi, & similib. Spicam seu στάχυν à Græcis tribui. *Sed στάχυν ait, seu Spicam hoc loco ita non esse accipiendam, vel ex eo patet, quod, quicquid dicant nonnulli Plinii authoritate decepti, nardus Indica Spicas huiusmodi nullas habere cõperiatur. Intelligit vero Dioscorides nardi radicis nucleum, quæ quidem pars est ipsius nardi nobilissima, præstantissima, ac etiamnum in vsu Medico frequentissima. Vt enim Columella, Latinig, alii, Spicam interdum accipiunt pro nucleis, quibus numerosis ac sibi innexam coharentibus, quarundam radicum bulbosa capita compinguntur. Velut alij, vlpici, liliorum quoq; in alijs. Disc. teste. Græcis peculiariter ἄγκιθες nuncupatur: ita & graci στάχυας pro iisdem radicum nucleis accepere, actum certè potissimum cum Indicæ nardi fecere mentionem. Idipsum satis apertè innuit Gal. 1. de Antid. quo l. eo radicem nardi Spicam nominari dicit, non quia verè Spica sit, sed quia Spicæ figuram æmuletur. Idemq; lib. 9. de comp. Medic. secundum locos, quam Philo in describendâ suâ antidoto ὀίξην Ψευδάνυμον nominarat, nil aliud esse asserit, quam ipsissimam nardi radicem: ibidemq; annotat Philonis Ψευδάνυμον ita dictam, quod vulgo non radix, sed Spica vocaretur. Quin etiam 8. de simpl. medic. facult. vbi de nardi radice tanquam potiore nardi parte agit νάρδον στάχυν appellat, quasi ex eo vocabulo vnicuiq; satis cognitam.*

Itaq; non Spicas, sed bulbos Nardi interpretatur. Id mihi mirum, non fuisse è veteribus vllum, ne Dioscoridem quidem, qui Indam & Syram nardum hac ratione distinxerit.

Hæc quidem de re disputare nolim. Hoc mihi satis est. Vnguentum è Spicâ nardi esse præstantissimum, siue Spica sit vera, siue nucleus radicis, seu bulbus. Nec facilè adducor vt à communi tam nobilium auctorum sententiâ recedam. Plinium errasse non credo, cum nardus aliaq; Romam totâ Syriâ ferrentur, & Syria iamdudum prouincia habitaretur à Romanis. Indicam nardum Spicas habere negat, at Syriaca Spicas certè habuit, vt nihil opus sit figuras sequi, & radices pro Spicis accipere. Cõstat Statium de veris spicis loqui non enim decerpit odoratas Spicas, qui radices eruit, & de odore campi Poëta loquitur. Nec aliter Ouidius: nec enim Phœnix ex radicib. sed foliis, spicis, lignis odoratis sibi nidum struit. Quod vero Poetas interpretatur de Italica nardo seu Lauandula, vt si de veris Spicis eos intelligere velimus, ad nostrã herbam eos reuocemus, inconsiderate dicitur. Nam Nardus Syria illis notissima fuit, & eius vnguenti vsus. Deinde Statius de nardo cuius Spicas decerpit Arabs, canit, & Ouidius quas Phœnix nido struendo colligit. Omnium eorum Romæ magnus in tanta luxuria vsus quotidie visebatur, & *Nardi veras esse aristas.*

Pulpita solennes tunc olebere crocos.

Quod ad Dioscoridem attinet, nullo modo dicendũ est, eum nomine στάχυος radicem signare. Nam nullo alio loco στάχυν vocat εἴζαν radicem. Imo cum ait de Syria nardo μικρὸν ἔχουσι στάχυν, paruam habens Spicã, & de Indica, πλείονάς τε ἔχουσι τοὺς στάχεις, ἀπὸ τῆς αὐτῆς, καὶ πολυκόμους. *Pluresq; habere Spicas ab eãdem radice comosas*, apertè distinguit radices. & Spicas ab il'a nascentes, & πολυκόμους, hoc est multis capillamentis distinctas, sic de Sampharitica, aliisq; loquitur. Eam quæ madefacta est, ideoq; deterior sit, dignosci docet, ὅτι δὲ λευκὴν εἶναι τὸν στάχυν, καὶ ἀνχμηρὸν, καὶ μὴ ἔχειν τὸν χνοῦν. Quod Spica alba sit, squalida, lanugine careat. Hæc in radices conuenire non possunt. & paulo post radices vocat suo nomine εἴζας. Et cap. 7. discrimen inter nardum & tragon docet, esse, quod Nardus radicem amaram & aromaticam habet, non autem Tragus. εἴζαν non στάχυν appellat.

§. 3. Nec tacere debeo aliorum sententiam, qui nardum πιστικὴν ita dictam existimant, quasi πιστὴν hoc est ποτὴν, potabilem. Hæc notiis interpretibus placuit, Beza liquidam vertit: Duplex vnguentorum modus. alia spissiora sunt, vt vngi, & lini possint conuiuæ, alia tenuiora, quibus perfundantur, tale fuit Magdalenæ. Æschylus medicamenta alia πιστὰ quæ bibuntur, alia βρώσιμα, quæ eduntur, alia χριστὰ quibus vnguntur esse refert. Hic primum πιστὰ non πιστικὰ medicamenta leguntur. Deinde etiam liquida vnguenta Nardina bibebantur, sed odoris causa erant. Imo gustui ingrata erant, & visceribus noxia. Tertio hoc vnguentum erat ὃν τῶν χριστῶν, ex illis quibus vngimur; *Pista potabilia.*

nam

nam Luc. 7. & Ioan. 12. mulier ἤλειψε vnxit pedes. Denique, μύρα non potantur, ideoq; nec vocantur potabilia, vt medicamenta, quæ ægris nauseant hus ingerruntur.

VERSVS 8. &c.

Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: vt quid perditio hæc?

QVÆSTIO I.

Cur vnctionem tam sumptuosam Christus admiserit?

§. 1. MVltos facti sui habuit calumniatores deuota Deo mulier, vnicam, sed quæ omniũ ora clauderet, causæ optimæ patronam, sapientiam Dei. Nec desunt qui delicias illas vix excusent. Socrates apud Xenophontem, vnguenta planè repudiat, μύρα μοιχὰ εἶναι: Solon etiam, & Spartiatæ legibus vetuerunt. Contra illa multa Tertullianus; & imprimis Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. cap. 8. Στεφάνων ἢ μύρων χρῆσις οὐκ ἀναγκαία. ἐξοκείλει ἡδείᾳ ἡδονὰς, καὶ ἐπιθυμίας ζητνώσης τῆς νυκτός. διὸ ὅτι ἀλάβαστρον μύρου ἔψεκε τὸ δεῖπνον τὸ ἅγιον κομίσασα, ἡ γυνὴ τὰς πόδας ἤλειψεν ἔ κυρίου καὶ ἧσεν αὐτόν. *Coronarũ & vnguentorum vsus minime nobis est necessarius, inclinat ad voluptates, & prurigitiam, propinquâ maximè nocte. Scio mulierem in cœna accepisse alabastrum vnguenti, vnxisse Domini pedes, &c.*

Vnguentorum deliciæ.

Deinde postquam vnguenta enarrasset, Aristippi, Simonidæ, & aliorum mores præter rationem luxuriantium. addit: καὶ νάρδῳ ἐυδοκιμῶ παρὰ αὐτοῖς. *Nardus in precio ab illis habetur.* Dehortatur autem quod fœminarum, Christianarũ bonus odor sit virtus, vnguenta vero effœminent. μαλθακὸν ἢ τὸ ἔλαιον μύρον ὄν, οὐκ οἶσθα τὰ ἤθη τὰ γενικὰ ἐκθηλύνειν δύνασθαι: μάλησα. *Non existimandum, cum vnguentum sit oleum lentens ab eo generosos mores effœminari? Maximè?* cur igitur Christus tantas delicias admittit, præsertim cum pedes vnguntur, quod Orthonis inuentum esse & Neroni principi suggestum ait Plin. Clemens non dissimili modo coronarum odoramenta reprehendit. Plinius iuuari nos pedum negat vnctione, quod ad odoratum non perueniant, aut sane exigua portio, Clemens coronarum odores supra sensum odorandi positos esse inutiles contendit.

Pedes qui vnxerint.

Initio quidem non res ipsa, sed vsus rei laudandus aut culpandus est Odores, vt cæterorum quoq; oblectamẽta sensuum, & rectè, & praue vsurpari possunt: Finis & intentio in re mediâ virtutem, aut vitium ponunt. Male & nequiter canit ille:

Vsus rei spectãdus.

Pinguesat nimio madidus mihi canus amomo
Lassinturg, rosis tempora subtilibus.

Voluptati precia impendebant, quod pecudum est. illis dictum à Clemente: ἡδονὴ ἢ μὴ πρόσεστι τὸ χρειῶδες, ἢθους ἐστὶν ἑταιρικοῦ ἀλαβολὴ, καὶ φάρμακον ἐρεθισμῶν. *Voluptas, cui nulla non est vtilitas, morum est, meretriciorum opprobrium, & medicamentum irritationum libidinosarum.*

At vero si ad sanitatem, corporis vigorem, alacritatem vnctio adhibea ur, medicamentum est, non lasciuiæ instrumentum. Alcæus in caput, & pectus, valetudinis causâ defluere vnguenta voluit. Pomponius in Pandect. & ipse Vlpianus responderunt. *Vnguenta quibus valetudinis causa veimur, mundo non conuenire.* Non enim ornatus causâ, sed necessitatis possidentur. itaque distinguit Clemens inter μυρελοιφεῖν, καὶ χρίεσθαι. Hoc est vngi ad vtilitatem ad robur. Illud deliburum esse vnguento ad solas illecebras. Christus vnctus est, non voluptatis, sed vtilitatis, & præcipue mysterij causâ. Post iter, ieiunia, chameunias, orandi, vigilandi, docendi labores corpus vnguento recreare, & Dominum honorare Maria voluit, ὅπερ ἡγεῖτο τὸ κάλλιστον εἶναι παρ' αὐτῇ, τοῦτο μύρον τῷ κυρίῳ τὸν κύριον. *Quod præstantissimum apud se esse existimabat, eo dominum coluit*, cultum sui corporis negligens, & reliquum capillis abstergens, lacrymas pœnitens Domino libans. ita loco citato Clemens.

Iudas inuidus pauperum.

§. 2. Verum aliud Iudas habet, & aliud prætendit argumentum. Præstat vendi & dari pauperibus, in hanc sententiam trahit Apostolos, qui crebro pauperum alendorum curam commendari audierant, nunquam nisi in peccatrice tale exemplum, prodigalitatis, vt ipsi interpretabantur, in Domino videbant.

Itaque ἠγανάκτησαν indignati sunt, Syrus וּתְבָאשׁ לְהוֹן Vetebesch lehusin, *& indignatio illis.* Nempe grauis, quâ factum abominarentur. Vt quid ἀπώλεια, perditio hæc? Nam perditum Iudas putat, quod Domino impenditur, quia lucro eius decedit. Sic vnius malenolentiâ accensi κόπους παρέχειν mulieri eam increpant, stolidam esse asserunt. Syrus מרלאין לה *fatiganies eam.* Nec causam suamillą agit, non imprudentiam, non amorem, non aliud excusat. Apostolorum iram iniquam fuisse docet Christus, cum ait, bonum opus fecisse. Elegantet Ambrosius in Luc. lib. 6. *Verum est quidem quod propter pauperes passus est: sed tamen ipse corripuit Iudam dicentem de illo vnguento. quod effuderat Maria super pedes Christi. Potuit hoc venundari trecentis denariis, & dari pauperibus. Idem & cæteri Apostoli senserant, sed alio affectu. Ille per auaritiam, isti per misericordiam. Iudas enim furto prospiciebat discipuli pauperum alimoniæ consulebant.* Ex quo apparet, non credidisse Iudam cogitationum & factorum occultorum fuisse Dominum cognitorem.

Opus omnino bonum, in quo non liquores aromaticos, sed animũ ministrantis approbauit, vt idem docet Ambros. lib. 6. cap. 7. in Lucam. *Non ergo vnguentum Dominus, sed charitatem dilexit, fidem suscepit, humilitatem probauit. Et tu si desideras gratiam, charitatem augemitte in corpus Iesu fidem resurrectionis, odorem ecclesiæ, communis charitatis vnguentum, & ita progrediens pauperibus dabis. Plus tibi pecunia illa proderit, si non tanquam affluentem tribuas, sed tanquam proficuturam Christi nomine largiaris: si ita eam conferas pauperi, vt deferas Christo, &c.* Christo enim confertur, quod pauperi tribuitur. Vt enim ad liberalitatem non excitet, in omnium illuuie se mendicare profitetur.

QVÆSTIO II.

Quo precio vendipotuit?

§. 1. Πολλῶ, *multo.* Apud Ioan. 12. 3. Iudas mentem habens ἐν κλοπιδαῖς, *in furtis suis*, subito summam confecit. *Quare non veniis trecentis denariis, & datum est egenis*, de denariis dixi Matth. 5. itaq; nihil opus est hoc loco addere. Apparet quid auaritia valeat, & obstinatio, atq; adeo cœcitas. Si dominum conscium facti esse putauit, in eum spicula linguæ maledicæ dirigit, quia non impediuit, si ignorasse existimauit, infidelis fuit: hoc postremum verum fuisse, facta quæ consecuta sunt, ostenderunt. ita enim cum Christo egit, quasi eum machinationis & proditionis ignarum putaret. Aliorum Apostolorum diuersa mens erat, mulierem imprudenti zelo deliquisse arbitrabantur, dominum id voluisse permittere, nec tamen reprehendere mirabantur, itaque serio pauperum causas agunt.

VER-

VERSVS 11. 12. 13.

Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc dicetur, quod & hæc fecit in memoriam eius.

QVÆSTIO I.

Quomodo mulierem Dominus excusat?

§. 1. PRimo soluit argumentum Iudæ, v. 11. Deinde probat bonum opus esse. Deinde prædicit fore, vt toto orbe factum laudetur. Hæc omnia eo referuntur, vt probet, quod dixerat. *Bonum enim opus operata est in me.* Malum opus murmuratores iudicabant, quod pauperibus detraheretur, & in vsum non necessarium conuerteretur. Respondet Christus, nihil pauperibus detrahitur, vobiscum semper illi erunt, & benefacere poteritis cum volueritis, me non semper habebitis; itaq; trecentos denarios me mortuo in eos impendite. Dicebantur illa præcipue Iudæ, qui furabatur, nec tamen paupertum curâ tenebatur. Hunc iam sumptum ferre non possunt, si Maria Alabastrum seruasset in multos annos, nemo pauperum mentionem intulisset. At pauperes obuij semper occurrunt, & paucis facultas, multis voluntas benefaciendi deest. πάντοτε inquit omni tempore, omni loco. Vere olim Menander cecinit.

ἔργον δ' Ὀρεῖν συγγενεῖ,
Πένητός ἐστιν, οὐδ' εἰς δ' ὁμολογεῖ,
Αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθεῖας τινος.
Δεομένου, αἰτεῖσθαι δ' ἅμα τι προσδοκᾷ.

Pauperum typi. *Difficile est pauperi cognatum inuenire, neq; enim vel vnus fatetur sibi cognatum esse eum, qui ope indiget, semper enim, vt ab se aliquid petatur, exspectat.* Atq; hoc quasi per parenthesin interponit de pauperibus Christus. Deinde ostendit cur bonum opus fecerit.

§. 2. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendum me fecit:* πάλαι effundés alij iaciens, sed propria est verbi *mitto*, ista significatio: sic *mittere sagittas, hastas* i. *mitto dona prius*, non per alium sed iaciendo, sic & Syrus ארמית *armith*, qui vnguento iterum adiungit Epithetum, בסמא *Besma* suauissimum, apud Marcum respondet. *Quod habuit hæc fecit. Præuenit cor-meum vng-re in sepulturam.* Vngi solebant, & condi... sepeliendorũ corpora, præcipue apud Iudæos: itaq; hoc officium ipsa iam anteuertit. Non quod illa Mariæ intentio fuerit, sed quod eo tempore & loco vnxerit, vt ad sepulturam vnxisse posset videri. Atq; hoc Syrus indicat: *Tanquam ad sepeliendum.* Hoc ergo etiam vaticinio mortem certo sibi instare prædixit. Simul ostendit non delectari se odorum fragrantiâ, & deliciis, sed in mortis, & tormentorum imminentium attentissimâ cogitatione versari: illamq; vnctionem, quæ honoris, charitatis, & lætitiæ exhibebatur, tanquam mortualem pollincturam accipere. Magno & salubri præcedens exemplo vt omni tempore, cum præsertim prospera eueniunt, illa tanquam mortis & sepulturæ ornamenta æstimemus. Hinc vero omnis murmurandi præcisâ erat occasio. Cum enim quotidie, etiam in plebea funera, aromata & vnguenta impendi, prodigique viderent, nec inique ferrent, nec fraudari pauperes quererentur, non debebant esse in Dominum in cruce moriturum tam parci, vt nollent aliquem honorem crucis dedecus pensantem antecedere. Non enim sciebant fore vt Iosephus corpus à Pilato impetraret, ipse cum Nicodemo inungeret. Notandum quod ait πρὸς τὸ ἐνταφιάζειν ad funerandum; quod non solam sepulturam, sed omnia eo pertinentia significat. Itaque μύροις ἐνταφιάζειν est vnguentis delibutum sepelire. Genes. 50. vocantur παῖδες ἐνταφιασταὶ, serui qui funera curabant, aromatibus condiebant, non autem vespillones. Ægyptij ita corpora condiebant, vt domi perpetuo seruari possent, Iudæi maxima ambitione & sepulchra, & condituras procurabant: Interim Iudas quasi minimâ ac damno affectus ad facinus magis magisque accenditur, & proditionis consilium capit ita Hieron. Beda, Cyrillus, Hugo Carthus. Barrad. Baron. Maldon. in hunc locum. Antoninus p. 1. hist. t. 5. c. 6.

QVÆSTIO II.

Quid ex Christi verbis hinc concludant Zuingliani?

§. 1. ME, inquit, *Christus non semper habetis.* Non igitur in Eucharistiæ Sacramento Christus est: sed quod corpus suum esse ipse dixit: non est corpus eius, sed figura corporis. ita Caluin. hoc loco. & alij apud Bellar. l. 1. de Sacramento Eucharistiæ c. 14.

Responsio facilis, Christus de præsentiâ aspectabili, & coniuctu, & familiaritate quotidianâ loquitur: qua videri, audiri, conuiuio excipi, vngi, & pasci solebat. Horum inquit in me officiorum opportunitas morte mea finietur. At vero nullo modo negat se inuisibili modo cum illis futurum vsque ad consummationem sæculi. Videmus tamen eum quodammodo, vt fide præsentem credimus, & honoramus. Chrysostomus homil. 83. in Matthæum. *Ipsum vides, ipsum tangis. Venit in mentem tibi quo honore sis honoratus, quâ mensâ fruâris, câ namque re alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pauore, propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, & nos in vnam cum illo massam reducimur facti Christi corpus vnum, & vna caro. Quis pastor vnquam suis membris oues suas nutriuit? ipse proprio corpore nos alit, & sibi coniungit, & deuincit, &c.* *Nobiscum est Christus inuisibili modo.*

§. 2. Caluinus non minus maligne mulierem, & Ecclesiam oppugnat, quam Iudas: [Sed notandum est, *inquit*, defensionis genus, quo vtitur, neque enim mulierem rectè fecisse pronunciat, quasi idem quotidie fieri velit. Addit vnctionem propter circumstantiam placuisse. In exemplo trahi non oportere. Mariam occulto spiritus instinctu, ad opus extraordinarium vocatam esse. Nullum fuisse mandatum, sed fiduciam certam in Mariâ, vt hoc officium præstaret. Non defendi vnctionem vt imitemur, non fingendos Deo sumptuosos cultus, ornatus, suffitus, cereos. Non confidere nos esse legitimos Dei cultores, nisi in sumptibus simus profusi. Pecuniam in pauperes erogandam non in sacrificia: vesanam esse eorum obstinationem, qui ludicras res inuito & recusanti obtrudunt.]

Alia non dissimilia Bullingerus, qui etiam parietes vestiri indignatur.

Constituendum est primo: Sacrificium Christianorum modico egere sumptu, offertur enim Christus ipse, opus est pane & vino. nec minus in cœnâ suâ absumunt Caluiniani. Nec alijs opus est sumptibus, aut profusione: opus est loco in quo sacrificium, poculo, altari seu mensâ, mappulâ, quæ omnia etiam in Sacramen- *Sacrificiũ paruo egest sumptu.*

mentariorum prefanitate requiruntur, tamen addi etiam solet, qui sumptus tanè exiguus. Legitimè igitur Deum colunt multi pauperrimi sacerdotes, nec profusionem impensarum inuito & recusanti obrudunt.

Sumptuũ inæqualitas.

Deinde aliis in locis, vbi maiores sunt vrbes, opulentiores Ecclesiæ, sumptus etiam maiores expenduntur. Templa sunt angustiora, ornatiora, ornatus magnificentior, cerei plures, vestes, & peripetasmata pretiosiora, etiam suffitus, & plures cærimoniæ. Hæc pleraque apud aduersarios etiam incrementa sumunt. Templa, sedilia, cathedræ, mensa, tapetes, lances, pocula, atq; adeo vinum ipsum pretiosius est. Nec mirum ipsi Christiani cultiores sunt. Atque adeo multæ illorum Ecclesię nostris sunt sumptuosiores, ornatus pretiosior. Nec tamen ideo profusionem eorum accusamus, sed de errore dolemus. Dicere tamen etiam nos & regerere possumus. Quorsum ille in templis ędificandis splendor? in parietibus, in sepulchris, in mensis, in cathedris ornatus. Si Deo illa impenduntur, cur nostros sumptus sugillant? si hominibus: quæ vesania est, nobis inuidere, quod Deo præstemus, quæ hominibus exhibere se profitentur? quid si vlterius eorum more argumentari fas erit? Cur igitur die festo comptior ciuitas in templum venit, cur ministri toga nitidior est sacrâ luce, cur vxor eius comptior, fusior, nisi & mensa instructior. Quid vero, quorsum tot sericati, torquati, annulati? Nulline inter hæc pauperes esurient? Cur non illa cedunt in vsus egenorum? Quo tandem tenduntur humanæ cogitationes? templa substructionibus priuatorum superantur, illinitur auru structionibus priuatorum superantur, illinitur aurũ laxis, gemmæ spondis includuntur, marmora calcantur, serico vestiuntur parietes, supellex argentea scalptro adulteratur, ciborum strues luxuriam irritant, vinum ad ebrietatem ingeritur amicis, nec post ebrietatem cessat crudelitas intemperantiæ, ebrij ad certamen reuocantur, & cum tormento, gemituque naturæ haurire coguntur. Inter hæc clamor est pauperum, fames, nuditas, mors in medio. Vnguentum Domini capiti infusum duntaxat in culpâ censetur. Luxuriæ instrumenta sua non esse eripienda censent. Hic clamat decoctor, venator, equorum altor, purpuratus, auratus, semisobrius; *vt quid perditio hæc?* At Mariam defendit Dominus: *Bonum opus fecit:* quia vero bonum ex fide, & charitate feciſſe manifestum est. Mandatum non habuit, sed charitas liberæ voluntatis pro mandato fuit. Non opus erat, inquit Caluinus de vno opere legem præscribi. Verissimum est, nec de altero, tertioue. Si tamen sine lege fuit, dãnari à Caluino de ἀθελοθρησκείᾳ necesse est. At occulto spiritus instinctu fecit. Occulto, non singulari, sed communi charitatis lege Mariam gubernante. Reuelationem hic singularem fingere non est necesse: nam & Simon & Lazarus legem non habebant, quâ Christum inuitare iuberentur, nec Martha imperio, sed amore ministrabat. Opus hoc à Christo laudatum nobis merito est incitamento, ne perditionem esse putemus, si quid Ecclesiæ ornandæ impendamus: Christo enim tribuitur, quod Ecclesiæ, in quo Christi corpus est, confertur. Non delectatur pompis Deus, (ne sordibus quidem) eos tuetur & amat tamen, qui dilexerũt decorem domus Dei. Accepit vnguentum de manu mulieris tanquam ad sepulturam, quamuis non eâ causâ daret, de manu etiam eorum qui cultum Dei in Ecclesia sordidum esse nolunt accipiet, quod fideli charitate fuerit oblatum. Nec Maria laudatur, quod ad sepeliendum fecerit, quasi opus extraordinarium intentione illâ operantis bonum fuerit, sed quia fide, & charitate offerebat, vt etiam Bullingerus fatetur. Ea causâ Christus tanquam vnctionem funeralem

Pauperum cura.

Sine lege Maria vnguentum effudit.

susceperit: quod non dignaretur facere, nisi tam amicâ voluntate mulier præstitisset.

Pluris enim suorum officia Deus æstimat, quam ipsi, qui exhibent. De sepultura autem rationem adducit, quod minus obnoxia esset Calumniæ. Quasi dicat: Molestus sum, & grauis, quod tuis commoditatibus obstare videor. expecta paulisper, videbis hanc non deliciarum, sed funeris vnctionem. Vide S. Chrysostomum, Franciscum Lucam. Quod si opus extraordinarium, nulli imitandum, dicere voluisset, non satisfeciſſet murmuratoribus, nec omnino mulierem excusasset.

Ornatum autem templorum Deus olim serio exegit, Exod. 25. & reliquo libro. 1. Par. cap. vltimo. nec in nouo testamento vetitum est basilicas extruere vel ornare: vide Euseb. l. 9. histor, c. 10. Cyrill. Catech. 14. Amb. l. 2. de officiis. Iam vero olim tempore persecutionis mos erat vt auto libarent antistites, *atq; nisi sacris astare fixos cereos*, vt auarus non ignorabat Iudex apud Prudentium in sacro hymno de sancto Laurentio. Hæc omnia tempore necessitatis in pauperes conferre possunt, & debent. vide Ambro. l. de Off. c. 28. *Non enim in necessitate seruanda sunt, quæ multo in vita templa erogantur.*

Ornatus templorum.

§. 2. Denique Christus paucis aduersariis totum Ecclesiæ consensum, laudationemque opponit v. 8. Vobis illa perditio videtur. Ego autem aliorum iudicium vestro contrarium annuncio: *Vbicunq; enim prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo.* Etiam dicetur id quod hæc mulier: (nam ἀνὴ est in Græco) fecit, in memoriam eius ἀνῆς mulieris. In Græcis est μνημόσυνον, vitiosè aliis in libris dicitur μαρτύριον *in testimonium.* Exegit inquit opus æternâ laude dignum, non vno in loco, sed omni in Ecclesiâ narrandum, laudãdum, ad imitationem propositum. Multi enim eius exemplo, basilicas, oratoria, eorum que supellectilem instruent. Hoc loco contra Iudæos vtitur Chrysostomus, ostenditque verum fuisse propheram, cum id quotidie fieri videamus, quod ille prædixit. Homil. 3. contra Iudæos. *Vtrum ne mentitus est an dixit verum? Euenit quod prædixit, an fuit inane vaticinium. Interroga Iudæi, etsi m illes perf icuerit frontem: aduersus hanc prædictionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim ecclesiis appellari mulierẽ audimus. Sunt Cõsules, Duces, viri, mulieres, nobiles, illustres, Splendidi, in omnibus vrbibus: & in quamcunq; orbis partem deueneris, summo cum silentio audiunt omnes huius mulieris officium: nec est vlla mundi plaga, quæ factum hoc ignoret. At qui quot reges multa magnaque in vrbes contulerunt beneficia, bella cum laude gesserunt, trophæa statuerunt, gentes conseruarunt, vrbes condiderunt, & innumeris commodis Rempublicam auxerunt: & tamen cum suis benefactis silentio tegũtur? Item Reginæ, primariæque fœminæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos, quibus imperabant, quæ de nomine quidem vlli notæ sunt. Hæc autem abiecta mulier, qua tantum effudit vnguentum, toto terrarum orbe decantatur. Ne temporis quidem tam immensa longitudo memoriam illius vel extinxit, vel extinguet vnquam, idq; cum sit ipsum non esset insigne: quid enim magni erat vnguentum effundere? neq; persona esset celebris: erat enim mulier abiecta: neq; multi testes aderant: non inter discipulos res est gesta: neq; locus nobilis, neq; enim hoc fecit per theatrum transiens, sed in domo detem duntaxat hominibus præsentibus?*

Quod porro Caluinus ait, nos ita errare, vt non putemus nos legitimos esse Dei cultores, nisi in sumptibus profusi simus, eius est calumnia.

Nos sine omni sumptu animi puritatem esse Dei cultum sanctissimum arbitramur. Sumptus opportunos suo loco ad decorem huic interdum addendos, λαλημόσυνα *dicetur.* Beza interpretatur λειτουργίαν legetur, non sine deprauatione sententiæ. Dictum enim est in Ecclesiâ, multo ante à docentibus, quam lectũ, nunc

nunc etiam quamuis legatur à multis, dicitur tamen ab innumerabilibus. Prius enim prædicatum est Euangelium, deinde scriptum: non in Iudæis modò, sed & in Gentibus, quarum vocationem etiam hoc loco Christus prædicit.

§. 3. Bullingerus postquam in Ecclesiasticos dixit, quæ dictauit splendida bilis, magistratus suos alloquitur. [Sane si magistratus, bona Ecclesiastica non legitimè, & ita vt instituta sunt sanctè, ad ministerij verbi, pauperum publicarumq; calamitatum, subleuationem, sustentationemq; vsurpauerint, aut dispensarint: si illa conuerterint in vsus vel priuatos vel prophanos, si neglexerint studia, si non curarint pauperes, si res suas, & suum compendiũ quæsierint, non modo Iudæ similes, erunt Episcopis, Pfaffis & Monachis conscleratiores. Multi enim ex his per ignorantiam peccarunt: illi vero videntes, quam male cesserit his aurum Tolosanum, nihilominus contra propriam conscientiam pergunt sese sacrilegio polluere, non ignorãtes quanta hinc ipsos manent tormenta. Reuera non est Deo gratior fragrantia, quam quæ ex verbi sancto, iustoq; ministerio & ex charitate & misericordiâ Deo offertur. Proinde sanctè Deo litarunt, accepta Deo thymiamata adoleuerũt, quicũq; facultates suas ad sustentationem ministerij verbi & pauperum benignè cõtulerunt Ecclesiis. Vnde necesse est Iudæ similimos esse, Deoq; bonã hanc inuidere fragrantiam quicunq; propter quantitiam suam incõmodã studiis & Pauperibus, dum in suos vsus priuatos conuertunt, quod fuerat publicum, dum sacrilegus suis ærarium expilãt ecclesiasticum, vt postea efundendum, algẽdumq; sit pauperibus, neq; porro tantillum supersit, vnde alij possit idoneus verbi minister. Admoneo ergo omnes, quibus commissa est dispensatio ecclesiasticarum facultatum, vt pietatis & æquitatis memores boni & fideles sint dispensatores, malint q; imitatores esse Stephani fidelis Diaconi, quam Iudæ proditoris perfidissimi. Sed de vsu facultatum ecclesiasticarum dixi copiosius in libro de Functione Episcoporum, cap 9.

Hæc pro se suisq; sollicitus; decepti sunt enim Ministri, dum Principibus ad Ecclesiarum rapinas concitatis, suam fore prædam arbitrabantur.

Hisce si conferamus quæ hactenus in Europâ sunt facta, non erit difficile iudicium de magistratibus, quorum in potestate tot, tamq; opulenta sacerdotia fuerunt.

VERSVS 14. 15. 16.

Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.

QVÆSTIO I.

Quodnam precium proditionis pactus est?

b.1. Dies aliquot ante festum nefariam sacerdotibus operam detulit; nam quærebat oportunitatem quâ traderet. ita plusculum temporis interfluisse videtur, dicitur vnus de duodecim, vt criminis atrocitas magis eluceſcat. Iscariotem nominat, vt ab altero Iudâ secernat. Christi respõso, & damno magis exacerbatus omnia meditatur, vt opes congerat. Lucas Satanam intrasse in eum testatur: non vt torqueret, sed tentaret, & obsequentẽ in maius facinus impelleret. August. tract. 62. in Ioan. *antè vt alienum impulisse, nunc possidere vt proprium.* Non itaq; secũdum substantiam, vt rectè Didymus obseruauit, sed secundum operationem ingressus est. Itaq; τότε, seu vt Syrus מן חירין *Ex tunc quærebat opportunitatem vt eum traderet*, ἵνα αὐτὸν παραδῷ, addũt alia exemplaria αὐτοῖς, ipsis. Quamuis etiam Syrus singulare ẽ eius inquærendâ occasione industriã indicare voluit, cũ ait, quærebat sibi. Nẽpe, vt sine turbis eum traderet, videtur ẽt sperasse rem fore occultã, ne amicos domini offenderet, à qb. aliquod lucrum latãte adhuc scelere sperare poterat.

§. 2. Merces igitur proditori designatur, οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια. ἔστησαν quia appendebantur argentei, vt dixi. ἵστημι autem hic est proprium, & ad bilancem pertinet. Hoc precium pactus est, plus sine dubio petiit, sed postquam improbam operã obtulit, iam vilis haberi cœpit, ideo tam exiguâ stipe contentus recessit. Quidã aiunt eum ẽt accusationem contra Dominum instituisse, eum deliciis indulgere, vnctum cœnare. Verum ista tum locum non habuerunt, non causa mortis, sed mors quærebatur. Non est tamẽ dubium publice narratum de vnctione fuisse. Quantum precium sit 30. argẽteorum adhuc quæritur. Vix in re aliquâ tanta est varietas sententiarum, quanta in hac de argenteis quæstione. Qui minimi æstimant argenteum ex triginta argenteis tres aureos conficiunt, qui plurimi trecentos. Tantum efficit diligentiâ computandi, & veteres monetas cum nostrâ conferendi. *Merces proditionis.* *Argentei.*

S. Ambros. l. 3. de Spiritu S. c. 18. Aureos 30. vocat. *Alibi viginti aureis emitur alibi triginta. Quomodo enim poterat verum eius pretium comprehendi, cuius non potest meritũ definiri? Erratur in pretio, quia erratur in studio. Viginti aureis in veteri testamento venditur, triginta in Euangelio. Pretiosior enim Typo veritas: largior gratia, quam disciplina. Opimior lege præsentia: quia lex promisit aduẽtum, legem aduentus impleuit. Viginti aureis emunt Ismaelitæ, triginta Iudæi. Nec hic figura mediocris, ad sacrilegium perfidi largiores quã ad salutem fideles sunt. Vtriusq; tamen contractus considerare conuenit qualitatem. Viginti aurei, pretium seruitutis: triginta aurei crucis sunt.*

Frustra autẽ de obliuione & negligentia eum accusant. Septuaginta interpretes Gen. 37. Καὶ ἀπέδοντο τὸν ἰωσὴφ τοῖς ἰσμαηλίταις εἴκοσι χρυσῶν, *vendiderunt Ioseph Ismaelitis viginti aureis*: q. s. il. argentei, qui in Hebræo leguntur illam summam æquarent, sic in il. â collatione pecuniæ existimauit ẽt Ambro. Eodem tamen capite ait *Iudam triginta denariis vendidisse*, itaq; non potest denarios, quales suo tempore erant, existimasse. *Ambrosius defensus.*

Rupertus l. 10. in Matth. & Glossa etiam denarios 30. asserit, decimam trecentorum. item D. Thom. & Budæus l. 5. de asse Sed Budæus in cã opinione cõstans non est; nam vnum ex his argenteis vidisse se ait Parisiis, visumq; sibi constituere duas argenti drachmas. Egesippus in anacephalæosi etiam denarios esse existimat. Itaq; tres, aut summum quatuor aurei inde cõficerentur. Non est credibile sacerdotes tanto in metu, odioq; non pluris æstimasse Christi sine tumultu apprehensionem, præsertim cum ex publico, non de suo darent. Nec Iudas tam facili negocio in scelus induceretur. Alia postea argumenta adferam. *Nimis exigua summa.*

Iansen. Siclos triginta existimat. ita Abulens. in 4. Reg. 6. Vatablus hoc loco. Iosephus l. 3. antiq. c. 4. Siclũ sanctuarij valere quatuor drachmas Atticas. quæ est etiam summa stateris. Vide Hier. in 4 Ezech. Montanum in apparatu. Eam sententiam multi, etiam noster Batradius sequitur. Septuaginta communẽ duab. drachmis definiunt, Exo. 30. & Leu. 27. vbi Siclus est didrachma. Mirum est, & absq; vlla dubitatione fictũ Illirici commentum in Scholiis anno 1572. Leipsiæ editis. *Paulò maior.* *Maximũ precium*

Sycrorum Tyrici.

odijs. Vetustissimo sed anonymo codice, Budæ allato scribit continerj: fuisse numinos argenteos librales, regum imaginibus insignes, centum denariis æstimatos, qui denarijs & assarijs à collybistis solerent permutarj. Verum cum hactenus nulla talium argenteorum mentio fuerit, aut libri, aut Flacci (prout ingenium hominis fuit) commentum est.

Baronius anno 32. T. 1. 800. aureis, Franciscus Lucas 800 florenis Turonensibus æstimat.

Tota sentientium diuersitas oritur ex variâ argentei æstimatione. Nã varia sunt ἀργύρια, & apud Hebræos כספים *cesaphim.* Quamuis nonnulli ἀργυροῦς legunt apud Prophetã, vt Aquila, & Symmachus. Hoc loco autem Syrus habet חלתין רבספא *chalothin dekesphe.*

Argenteus. *Triginta argenti*: quod potest quispiam interpretari, Triginta argenti denarios, drachmas, stateres, libras.

Argenteus igitur 2. Reg. 18 est Siclus. Vbi enim noster vertit: *Et ego dedissem tibi mille argenteos*, &c. in Hebræo est עשרה בסף *ghasarah beseph* decem argẽteos, & אלפים בסף *leph keseph.* vbi Latinus, Chaldæus, septuaginta consensu siclos vertunt. Siclus autẽ par est Tetradrachmo, quatuor regalibus Hispanicis. Act. 19. 19. vbi nominantur, ἀργυρίου μυριάδες πέντε, adhuc dubium est, quæ summa fuerit.

Siclus.

Talentum. Argẽteus in Prophetis pro libra accipitur, vt refert Elias Leuita in Thisbi, & alij apud Montanum. In Hagiographis vero Talẽtum. citat hæc omnia Baronius, & præsertim Epiphanium de mensuris & ponderib. Qui ait argenteum idem esse, quod apud Romanos milliaresium, seu donatiuum militare. Et deinde de Phole. *Phole*, inquit, *est ex duobus argenteis compositus, & fiunt ducenti octo denarij.* Argenteus ergo centum quatuor denarios continet Hæc Baronius. Denarius autem fere æquiualet drachmæ, vt testatur Iosephus, Budæus de asse. Etsi enim non omnino conueniant, non tamen multum distant. itaq; ὀβολίσκον minam cẽtenariam significat. Mina autem Attica libra Romana, demptis quatuor drachmis. Iosephus in Ægyptũ venditus dicitur viginti argenteis, Iosephus id interpretatur viginti minis. ita l. 2. antiquit. c. 3. Quanquam autem ingens precium videatur, si Iosephus venditus minis viginti, seu libris, in eâq; re mihi sit Iosephi fides suspecta. Hoc tamen constat eum ita vertisse, q כסף *keseph* iudicaret non modo siclum, sed libram etiam significare. itaq; non tam facilè negandũ quod Rabbini de argenteis pr opheticis asserunt: cum in re præsenti testis sit Iosephus. Quãuis autem de dictione סלעא Silegha interpretentur, tamen Iosephus non admodum examinans Hebræa verba ita etiam interpretatus est כסף quod cõstat generale vocabulum esse. Maius autem esse precium quam sint triginta Siclorum mihi clarum etiam apparet, ex Prophetâ: אדר היקר magnificentiam precii appellat, hoc est, quod magnum & dantibus, & accipienti putabatur: quod in Siclos triginta certè conuenire non potest: alioqui paruum, comparatum rei venditæ.

Mina.

Magnum precium.

§. 3. Baronius alio etiam argumento vtitur. Nempe agrum figuli tam exiguo vendi precio non potuisse. Nam hoc satis constat, illâ solâ pecuniâ agrum emptum non aliâ additâ; illâ enim precta est ad statuarium. Et Act. 1. 18. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis*, non alio precio emptum. Agrum illum sat magnum fuisse oportet, vt sufficeret sepulturæ peregrinorum, quorum erant Ierosolymis multæ myriades. Deinde erat ager suburbanus, Terra etiam argillosa seu figlina: Erant vero agri in Palestinâ pretiosi ab hominum multitudinem, & bonitatem terræ, ex vno alterove iugere familia ali potuit. Valde rem probabilem facit illa ratio, imo mihi quidem certam. Nam suburbia Ierosolymorum erant speciosissima, vt Ioseph. l. 7. c. 1. belli Iudaici. Deinde certis anni solemnibus festis ad decena, vel vndena horarum millia, vnde aduenientium inuenirj bantur, quæ res precia agrorum suburbicorum vehementer auget. Neq; hoc negligendum quod Hieron. ait, *agrum illum mortuis ignobilibus alios humo tegit, alios sibi opus facit.* Quin etiam Ierosolymis famosus erat, & Aceldema, ager sanguinis vocabatur. Quod si tam exiguum precium fuit, quomodo in consilio de eo deliberant? quindecim florenos facile erat donare vel egenis, vel Templi ministris, ar decorum precium esse oportuit, de quo inter principes cõsultaretur, quodq; in publicam vtilitatem conuertendum iudicarent. Dubium ergo esse non potest, quin ager ille Siclis triginta cõmi non potuerit.

Agrorum magnum precium.

Quod si Iudam spectemus, facilè apparet tam paruo precio scelus suum non fuisse venditurum. Nam ingenti auaritiâ agitatus Dominum prodidit, sceleratis igitur homo sordidus, quantum potuit extorsit. Non ignorabat autem magno tam expetitum caput posse vẽdi: norat odia, & metum Sacerdotum & vindictæ, & suæ securitatis auidorum: non partâ iuuenta sciebat emendum, quem publicæ quietis, & religionis perturbatorem esse iactabant. Quin suis quotidianis actionibus consulebat, hactenus à Domino alebatur, & furta recondebat, non difficile erat triginta Siclos auertere ex opibus quas ferebat: in posterum prospiciendum iudicabat, vt esset vnde vitam toleraret. Denique; ipse agrum de mercede acquisiuit, & quidem de mercede iniquitatis: vel vt noster interpres habet *possedit.*

Hoc duob. modis intelligi potest: vel vt mercede sceleris sui ipse agrum emerit, vel emere constituerit vt Lucas non de euentu, sed consilio & proposito Iudæ loquatur. Si igitur illo precio agrum emere statuerat, dubium non est, tantum fuisse, vt ager aliquis, ex quo ille viuere posset, emi valeret. Itaq; factum non est, quod multi arbitrantur, & dicunt, Iudam in hostium potestate posuisse, quid dare vellent: Licitatus enim est, & proditionis precium, quantum potuit extorsit. Argentei quos Romæ ostendi Iansenius obiicit, minores sunt, quam vt eam summam conficiant: & sunt quidem illi, quibus venditus est Dominus, sed non triginta modo, verum tot dati sunt, quot necessarij erant ad libram conficiendam. Vt si quis centum aureos debeat, & Siclis soluat, non ideo Sicli dicendi sunt aurei. Numi vero qui ostendi solent florenos septem, & dimidium conficiunt: quę summa nulli agello emendo sufficit. Obijciunt Iunius & Tremellius notis in hunc locũ. [Obseruant Hebræi vbicunq; in scripturis argenteorum fit mentio, non expressa numismatis argentei specie, intellig. Siclum sanctuarij, æquiualentem quatuor denarijs, atq; huic Hebræorum sententiæ patrocinantur Chaldæi paraphrastæ, Onckelos & Ionathan, qui in suis paraphrasibus addunt explicationis causâ nomen סלע Siclj sanctuarij. Videpassim in ipsorum paraphrasibus, præsertim vero Onckelos in Genesin c. 20. 18. & Ionath. 2. Reg. 6. 23. Nihil obstat illa ratio nostræ sententiæ, sienim standum est iudicio Hebræorũ סלע Selag in Prophetis libram significat: Deinde non modo falsa, sed ridicula est etiam interpretatio eum סלע interpretantur, Siclum sanctuarij, & locus Genes. ipsos refutat. Abimelech Gen. 20. 16. dat mille argenteos; non Siclos sanctuarij, quod nullum tum erat, sed quales signarat rex ipse. Latius igitur accipitur Siclus. Aegyptiæ dedit argenteis, de quibus olim etiam Camerorius exilli-

mauit, minam Atticam aliquando significare

libro de Græcorum, & Latinorum numis.

VER-

VERSVS 17.

Prima autem die azymorũ accesserunt discipuli ad Iesum dicẽtes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?

QVÆSTIO I.

Quæ prima dies azymorum?

§. 1. IN Græco vsitatâ Phrasi dicitur τῇ πρώτῃ primâ. Syrus diem addit, vti Latinus, Græci subaudire solent ἡμέρᾳ. Syrus vt vers. 1. ita & hic vocat פיסחא Pesczha, quod à gaudendo ita dicitur, Glossa addit בגין דמסח idẽ significare dicit, quod Pesach. Æthiopes in suo computu, quem lib. 6. citat Ioseph. Scaliger de emendatione temporum habent פסיח Phasicha. Transitum autem significat, quod nocte Angelus dum necat primogenita Ægyptiorum, domos Iudæorum transilierit. Habuerunt autem dierum suorum & festorum seriem Iudæi, atq; locis publicis affixam Calendaria, multo enim maior erat in ipsorum Ecclesiâ, quam Christianâ mutatio festorũ: quod lunares menses haberent, ideoq; singulis quadriennijs magnam, pene vnius mensis intercalationem habebant. Verum de die azymorum magnâ est disputatio.

§. 2. Lex posita est. Exod. 12. 6. *Et seruabitis eum vsq; ad quartam decimam diem mensis huius: immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine eius ac ponent super vtrumq; postem & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni & azymos panes cum lactucis agrestibus.*

Et v. 18. *Primo mense 14. mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem 21. eiusdem mensis ad vesperam.*

Eadẽ sententia Leu. 23. 5. Nũ. 28. 16. repetitur. Cõstat igitur primum mensem sacrum constitutum esse nouum, & eius die decimâ agnum acceptum, deinde decimâ quarta die vespere mactatum, assatum, consumptum. De anno satis constat: nam in Ægypto aliud anni initium habuerunt. Cancer Ægyptijs initium anni dabat, vt ex Macrobio refert Cœlius lib 15. c. 3. lectionum ant. Cancro νῶτον, hoc est, *Canicolam acuibare*, aiunt. Sed crebro illi annos mutarũt, sub Nabonassare, post Alexandrũ, sub Cæsare. Hæc cũ ita sint variæ tamen mouentur in hac quæstione difficultates: de quib. cum Iudæis, Græcis, hæreticis est cõtrouersia.

Quod si quispiam eo die mundus non esset, non poterat in alterum differre diem, nec ob aliam causam anticipare, sed celebrandum erat Pascha, decima quarta die mensis secundi, vt factum est 2. Par. 30. 15. *Dies Paschæ.* De lege igitur satis constat, quæ sit prima dies azymorum, quæ scilicet, more Hebræorum à vespera incipit diei decimæ quartæ, & desinit in vesperã diei decimæ quintæ, quæ dies est Pascha & prima azymorum, sed pridie decimæ quintæ discipuli accedunt, eaque vocatur prima dies per Synecdochen, quod in illa prima dies ad vesperam inciperet, quo tempore etiã fermentato vesci non licebat. imo ne habere quidem in vniuersis habitaculis Israelitarum. Exod. 12. 8. & 15. Ordo dierum est, quem hoc in schemate contueris.

Martis.	Mercurij.	Iouis.	Veneris.	Sabbati.	Solis.	Lunæ.	Martis.
Feria 3.	4.	5.	6.	7.	Dominica.	2.	3
Mensis dies 12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
Sabbati 3.	4.	5.	6.	Sabbatum.	1.	2.	3.
Dies naturalis.	13. nox | dies.	14. n. | d.	15. |	16. |	17. |	18. |	19. |
Dies festa à vespere.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
		Missi discipuli, agnus comestus.	Crucifixio.	Obsignatio sepulchri.	Resurrectio.	2. Festum.	3. Festum.
		nox | dies.	|	|	|	|	|

QVÆSTIO II.

Quo tempore Christus Pascha comederit?

§. 1. HAc ipsâ die nempe 14. ad vesperã, quâ 15. festiua, seu sacra inchoabatur, constat. n. Iudæorũ dies festos à vesperis inchoari. Clarũ est ex lega verbis iam ante citatis, & confirmatur ex Leuit. 23. *Mense primo 14. die mensis ad vesperũ Phase Domini est: & 15. die mensis huius solennitas azymorum Domini est. Septẽ dieb. azyma comedetis.* Hac in sententia sunt Chrysh. 82. & 83. in Matth. Theoph. Theodore. q. 24. in Exo. Theophil. Alex. ad Theodos. Victor Antiochenus, Cypr. de cœna Domini, Amb. Epist. 83. Gennad. pro Cõc. Florẽt. Baro. an. 34. Deckerius Theorematis de anno ortus Christi, ac mortis Domini. Si. n. nõ eâdẽ die sumpsit cœnã, & agnũ paschalẽ comedit, necesse est, vt anticipauerit, quia postea edere non potuit, cũ posteam nocte altera die hora 6. in crucẽ actus sit. At nõ anticipauit. Nam 1. die azymorũ veniunt discipuli, & quærunt. Vbi vis paremus tibi comedere Pascha, non igitur ante diem 1. comederit cum 1. die ante vesperã nondũ apparatũ esset. Marcus consuetudinẽ significãtius indicat. Primo die azymorũ, quãdo Pascha immolabãt. Lucas oĩum clarissimè: *Venit dies azymorũ in quo necesse erat occidi Pascha.* c. 22. 7. ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Ioseph. in prolegomenis secũdę editionis ἐν ᾗ ἔδει, negat rectè verti *in quâ necesse erat*, sed, *oportebat*: nõ illo ludibrio veritatẽ opprimere tamẽ poterit, cur. n. oportebat, nisi quia diuinâ lege cautum erat? Atq; hæc est, quam ἀνάγκην noster interpres dixit. de alio effugio alio loco dicam. Quin ille, ad quem discipuli mittuntur, iam erat ad celebrandũ Pascha paratus, & cœnaculũ grãde stratum: nisi a. eo tempore oẽs simul Pascha comedissent, nouũ & inauditũ & illi, & familię fuisset, & noua sacerdotib. sæuiendi occasio, si anticipãdo oẽs violatæ legis dãnasset. *Christus comedit agnũ die quâ oportuit.* Nec discipuli in crastinum, sed in eundẽ diem Pascha parant. Græci nõnulli tres Euãgelistas errore lapsos, à Ioanne correctos affirmãt. Atq; illud, *ante diem Paschæ* ex Ioã. 13 interpretãtur. Alii negãt Christũ comedisse agnũ paschalem, q recubuerit, al jsteterit. Hęc apud Theophi. ὅτι τὸν νομίζουσί τινες, ὅτι πρὸ τῆς ἑαυτοῦ ἐκείνου οὐκ ἔφαγε τὸ πάσχα. ὁ κύριος. λέγουσι γὰρ ὅτι ἱστάμενοι, ἤσθιον τὸν ἀμνὸν, ὁ δὲ χριστὸς ἀνίατόν, ὄντα οὐκ ἔφαγε τὸ πάσχα. &c. *Graci quidam negãt Christum comedisse Pascha.*

Hæc sit. Ex eo non nulli existimãt eo anno Christũ Pascha non comedisse. Dicunt enim: Stantes agnum comedisse, Christus vero recubuisse: non igitur Pascha comedit. Dicimus igitur quod prius stans Pascha comederit, deinde recũbens, dederit proprium illud mysterium; Prius enim typicum cum sacrificassent, deinde verum sacrificauit. Illa hæresis rudis, & crassa textui apertè repugnat. Adeo vero vt Epiphanius hæresi 30. inde probet carnis vsum in cibo licitum esse. Erat autem ritus ille à Deo mandatus, nec solum cærimonia, sed etiam tempus necessarium, & determinatum.

§. 2. Die decimâ tertiâ ad vesperam Christum comedisse agnum existimant multi Græci: Chrys. hó. 82. in Ioan. Cyrill. Alex. l. 12. c. 2. in Ioan. Origen. tract. 35. in Matth. Epiphan. hæres. 50. Sic auctor qq. veteris & noui Testamenti. q. 94. In Chrysostomo tamen videtur error, cum expresse in eâdem homil â cum illis sentiat, qui die 14. agnum comedisse testantur. Sic Paulus Burgensis, Monachus Veronensis, Scaliger in Prolegomenis, & lib. 6 de emendatione temporum. Fundamentum esse existimant in verbis Ioannis 13. 1. *Ante diem Paschæ sciens Iesus.* Hæc dicuntur post cœnam, cum pedes discipulorum lauare instituerat: & Pascha tamen non erat, sed ante diem Paschę, hoc ante diem, quo Pascha immolatur, seu quo transitus angelici symbolum, & μνησυνον sumebatur.

Hinc orta est illa multorum sententia Iudæos festum transtulisse; cum enim Pascha incideret in sextã feriam transtulisse in sabbatum, ne duo festa concurrerent: qua de re post Baronium aliosq; accuratissime noster Soarez T. 2. in 3. partem. q. 50. sect. 4. Verum quod ad locum Ioannis attinet, cõtrarium inde concluditur. Nam Pascha & dies azymorum vnum est, idemq; festum: *Ante diem* dicit Ioannes, quia vesperè factum, quæ Pascha antecedit, sic Luc. 24. 22. ante lucem egrediuntur fœminæ ad sepulchrum.

Iudæi non transtulerunt.

Vesperam ergo dicit ante diem sequentem esse Ioannes. Marcus c. 15 eodem modo loquitur: *Et cum iam sero esset factum, quia erat parasceue quod est ante Sabbatum, venit Ioseph.* Nam communi loquendi consuetudine, vesperum dicimus esse ante diem, insequentem festum, ac si festa consideremus incepisse censentur.

§. 3. Aliud ex eodem Ioanne proponunt cap. 18 *Erat autem mane, & ipsi non introierunt pretorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha:* non ergo pridie manducarant. Hoc primarium est argumentum eorum, qui festorum translationem à Iudæis factam opinantur. Scaliger in Prolegomenis eo se valdè iactat. *Quis vnquam tam obstinatos aduersus veritatem animos credidisset? Illam autem obiectionem quam arguté eludunt: ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. Aiunt φαγεῖν τὸ πάσχα, hic non esse agnum paschalem comedere, sed alia sacrificia paschalia. Argutè, docte, eleganter, vt nihil supra: quasi in parasceue comedere Pascha aliud fit, quam agnũ paschalem comedere. Imo nos negamus δεῖπνον φαγεῖν τὸ πάσχα, aliud esse quam agnum paschalem immolare aut manducare. Exodi 12. 21. Neq; vllus puto doctior, illud sine risu audire potest. Sed quid ex tot mendaciis consequuntur?*

Scaligeri argumentum.

Pascha nõ modo agnũ paschalem, sed victimas significat.

Verba illa sunt, argumenti nihil est. In parasceue inquit comedere Pascha est agnum comedere. Ergo etiam ipso die Paschæ comedere Pascha, est agnum comedere. Non sequitur illud: Pascha non modo agnum paschalem, & festum, sed alias etiam victimas eo tempore offerri consueras significat. Docet hoc Abul. 2 part. def. 8. & Baronius anno 34 Ex Num. 28. Paralip. 30. & 38. & 35 Deut. 16.

Non credet his Scaliger, & mendacia putabit. Audiat ergo hebræos, qui vix quicquã verum esse putat, nisi orientale. & linguarum exoticarum. 2. Par. 35. *Duces quoq; eius sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo quam sacerdotibus & leuitis. Porro Helcias & Zacharias & Iahiel principes domus Domini dederunt Sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo millia, & centum, & boues trecentos.* Hebraicè חרימו ללוים לפסחים quod est leuare, eo modo, quo solebant sacrificia. Sic & v. 8. 70. ἀπῆρξαντο τοῖς λευίταις εἰς τὸ φασεκ 2. Par. 30 16. *Steterunt q̃ in ordine suo iuxta dispositionem & legem Moysi hominis Dei: Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Leuitarum, eo quod multa turba sanctificata non esset. & ideo immolarent Leuitæ phase his, &c.*

Phase, quod Leuitæ immolant, non erat agnus, quisq; enim domi immolabat.

Deut. 16. 2. *Immolabis q̃ phase Domino Deo tuo, de ouibus, & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.*

Verissimum igitur, Phase seu τὸ φασεκ, vt sæpe vertunt 70. significare ipsas victimas, ad quas edendas mundities requirebatur.

Non est audienda eorum opinio, qui Pascha interpretantur panes azymos. Non enim ad eos comedendos requirebatur mundities legalis.

§. 4. *At vero si Christus passus est feria sexta, Pentecostes incurret in Sabbatum.* Fallitur ergo tum Ecclesia, tum tota Christianitas, quem illam diem dominicum esse.

Non fallitur Christianitas, sed Christianorum temporum inconsideratus emendator. Constat Paschatis festum fuisse die veneris, Pentecostę die solis. Hoc Patres docent: Clemens Constit. 5. c. vlt. Aug. serm. 154. Leo Epist. 81. c. 1. Isid. de officiis Eccl. c. 24 & Synod. 6. c. 8. Hoc Iudæi seruarunt, vt Iosephus lib. 3. antiquit. c. 10.

Baronius respondet, dies quinquaginta numerari solitos â prima Sabbati, si dies Paschæ proximè insequens esset Sabbatum. Nam ad primitias laborerat opus, qui die Sabbati illicitus erat, metere enim oportuit, Exod. 34. Iosephus labores refert, qui in oblatione manipuli primitiarum erant, l. 3. c. 10. metunt, Spicarum manipulum igni torrent, hordeum pinsunt, & alicę in modum fractum ad aram offerunt. ita seruari Sabbatum auctor citatur Epiph. hæres. 51. verum ibi non inuenio.

Leuitici 23. 15. lex habetur. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsq; ad alterum diem expletionis hebdomadæ septimæ, hoc est quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum Domino.*

Initium ergo numerandi ab altero die. Finis, alter dies ab hebdomade septima.

Posset alio modo responderi, ab altera paschatis quinquaginta dies numerari, ita excludatur ipsum solenne Pentecostes, & ipsum solenne Paschatis, interuallum inter duas solennitates sint dies quinquaginta. Scaliger hoc ipsum indicat. l. 6. in tertio Paschate. [Nã מימחרת חמסח *Mimmachrath hapesach*, hoc est ἀπὸ δευτέρας τ̃ πάσχα. Lex iubet septem hebdomadas putare. Itaq; hebdomadas omnes & sabbata omnia à Paschate ad Pentecosten, sumunt appellationem suam ἀπὸ δευτέρας τ̃ πάσχατ⊙. Interuallum autem illud omne dierum, quod Græci πεντηκοστὸν vocant, Iudæis dicitur ספרת חקמיר *Sephirath hogmer.* ἀριθμὸς τ̃ δρ᾽γματ⊙ numerus manipuli: quia ἀπὸ δευτέρας τ̃ πάσχατ⊙ omer siue δέγμα primitiarum offerebatur. Prima igitur hebdomas, quæ putatur ab oblatione Omer, dicitur ἑβδομὰς δευτεροπρωτ⊙ secunda ἑβδομὰς δευτερο δεύτερ⊙, & sic deinceps, vt habes in indiculo, in quem cõiecimus sabbata omnia πεντηκοστ̃ istius anni, de quo nunc loquimur. Intellige autem τὸν πεντηκοστὸν interuallum à Pascha ad solenne Pentecostes: non autem ipsum solenne Pentecostes.]

Quod si inter Pascha & Pẽtecosten sunt dies quinquaginta apud Iudæos, teste ipso Iosepho Scaligero, necesse

hæc esse est Pentecosté incidere ad diem dominicum, hoc est diem primam post Sabbatum, si die veneris, seu parasceue sabbati exclusiue incipiat numeratio. Vt ex hac tabella apparet.

Sabb. post Pasch. 1.	Solis 2	Lunæ 3	Martis 4	Mercurij 5	Iouis 6	Veneris. 7
Sabbati 8.	Solis 9.	Lunæ 10.	Martis 11.	Mercurij 12.	Iouis 13.	Veneris. 14.
Sabbati 15.	Solis 16.	Lunæ 17.	Martis 18.	Mercurij 19.	Iouis 20.	Veneris. 21.
Sabbati 22.	Solis 23.	Lunæ 24.	Martis 25.	Mercurij 26.	Iouis 27.	Veneris. 28.
Sabbati 29.	Solis 30.	Lunæ 31.	Martis 32.	Mercurij 33.	Iouis 34.	Veneris. 35.
Sabbati 36.	Solis 37.	Lunæ 38.	Martis 39.	Mercurij 40.	Iouis 41.	Veneris. 42.
Sabbati 43.	Solis 44.	Lunæ 45.	Martis 46.	Mercurij 47.	Iouis 48.	Veneris. 49.
Sabbati 50.	Solis Pentecostes, 51.					

§. 3. Multo firmius esse videtur, quod est Ioan. 19. ita erat parasceue, vt esset sequenti die sabbatum: quo
i. de Pilato enim pro tribunali sedente, & de iustitiæ sacrario iustitiam damnante, Euangelista dicit. Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta. Scaliger in prolegomenis secundæ editionis. [Contra obij-
» citur: ἦν παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Ioan 19.14. Hic miserâ
» laciebtam quærunt, & strenuo mendacio dictum declinant. Aiunt παρασκευὴν tantũ dici de Sabbatho. Acuti
» homines! Quare dicit παρασκευὴ τοῦ πάσχα nisi πρὸς ἑορτὴν, quasi & sit παρασκευὴ, alius rei, quam τοῦ πάσχα
» quod quidem verum est. Nam παρασκευὴ est genus
» cuius species προσάββατον, & προσάββατον. Vtrumque vno
» verbo Hebræis est ערוב gherub. Itaq; ערוב שבת
» gherub schabbath, παρασκευὴ τοῦ σαββάτου, siue προσάβ-
» βατον dicitur, πρὸς ἑορτὴν. quod sint aliæ παρασκευαὶ,
» siue προσάββατα, quæ à festis suis appellationem sortiun-
» tur ערוב פסח gherub pesach, parasceue. παρασκευὴ
» τοῦ πάσχα, προσάββατον τοῦ πάσχα ערוב שבחות parasce-
» ue Hebdomadum παρασκευὴ τῶν ἑβδομάδων, προσάββατον
» τῆς πεντηκοστῆς. Itaq; ei parasceuæ in quâ Christus pas-
» sus, accidit tum vt ex consuetudine esset προσάββατον, id est παρασκευὴ τοῦ σαββάτου tum vt casu προσάββατον, id est
» παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Sabbatum enim illud erat ἡ ἑορτὴ
» τοῦ ἄρτου.]

Nimis ille contumelios us est in eos qui ab ipso dissentire coguntur. Nemo dubitat, παρασκευὴν τοῦ πάσχα esse παρασκευὴν τοῦ πάσχα, scapha est enim scapha: ille cum scalmum inuenit, scapham se habere gloriatur. Parasceue Paschæ est parasceue Paschæ, ne me mentiente. dabitur Iosephe quod optas. Non est tamen parasceue Paschæ sensu Scaligerino, sed alio meliore, veriore. Ille parasceuen putat præparationem ad Pascha, quæ præcedat Pascha: nos præparationem ad sabbatum, non ad Pascha. Ideo autem dici parasceuen Paschæ, quod in ipsum Pascha incideret, quasi dicas: parasceuen paschalem, seu prosabbaton paschale. Est enim parasceue προσάββατον, non προσέορτον. Septem igitur azymorum dies etiam Pascha dicebãtur, & quod in vnam earum incidebat, sabbatum paschale, & pari prosabbatõ, parasceue paschalis. Ioannes 19. id clarè demonstrat, seseq; explicat: *Iudæi ergo, quia parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus ille dies sabbati, &c.* Ecce dies quia fracta latronum sunt crura & corpora deposita,

ita erat parasceue, vt esset sequenti die sabbatum: quo non licebat in cruce relinqui corpora: parasceue igitur illa erat sabbati, nec opus habebat parasceue Pascha: nam in eo licebat cibos parare. cap. 12. Nihil operis facietis in eis, excepris quæ ad vescendum pertinent. Parasceue habetur Matth. 27. 62. quod est sabbati parasceue. Et Marc. 15. 42. qualis parasceue fuerit exponit. Καὶ ἤδη ὀψίας γενομένης ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ ὃ ἐστι προσάββατον. Et cum iam sero esset factum, quia erat parasceue quod est ante sabbatum, vbi ante sabbatum est vna dictio. in re illâ à nostro interprete facta noua. Definitur igitur parasceue à Marco non προσέορτον, profestum, sed προσάββατον ante sabbatum. Sic & Lucas 23. 54. *Et erat dies parasceues, & sabbatum illucescebat.* Eodem modo Ioan. 19. vers. 14. 31. 42. semper accipitur pro parasceue Sabbati, nunquam pro præparatione ad Pascha. Aut sane locum ostendat, vbi sit parasceue ad Pascha, non ad Sabbatum. *Prosabbaton.*

Quod Scaliger ait ערוב gherub esse generatim προσέορτον, fallere nos vult, in Scriptura non accipitur pro parasceue festorum: Syriacum ערובתא gherubetha est parasceue: seu vespera Sabbati: nam ab ערב vespera nominis est origo. Non est igitur ratio cur nouas parasceues induc at. Nullâ .n. in Scripturâ ערוב est parasceue. Rectius igitur in principio Iosephus Scaliger sensit, cum multis hominum millibus, vt ipse fatetur, lib. 6. de emendatione temporum Christum passum esse 15 Nisan, nec Pascha anticipasse.

§. 4. Negant Iudæi in paschate opus fieri solitum fuisse: at Sacerdotes Pilatum adeunt, accusant, ad Herodem currunt, & recurrunt. Tandem dominus crucifigitur. Respondeo homines improbos odio & inuidia æstuantes festi rationem exiguam habuisse: vitia illa violenta sunt, moræ impatientia, & in transuersum rapiunt. Festum violare metuant, qui filium Dei ad crucem poscunt: Interim Dei causam, & religionis agere sese simulant. Moris autem erat, vt si qui in legem peccassent, paschalibus diebus in exemplũ punirentur. Nec tamen difficile erat excusare festi profanationem: Consultare de religione opus pium & festo conueniens iudicabant: ire ad Pilatum & Herodem non æstimabant tale opus, quo festi sanctitas violaretur: nam sabbato, quo maior erat indicta quies, mille, vel vt alij bis mille passus conficere licuit. *Iudæi festi sui negligentes.* *Excusabãt Iudæi de festo.*

Accusario etiam, Sabbati, & festi patrocinium videbatur. Dum enim religionis violatorem, in templo tumultum excitantem, vt rebantur, tradunt præsidi corrigendum, præclarè se religioni consulere iactabant. cum autem antecedentibus diebus in templo quotidie Christus docuisset, idem per frequentissimos azymorum dies etiam facturum dubitare vix potuerunt. Quin ipso die sabbati Pilatum adeunt, custodiam accipiunt, sepulchrum obsignant, quæ omnia ad iudicia & strepitum fori pertinent. Cætera Pilatus & Romana cohors peragunt, gentiles, & sabbatorum irrisores.

§. 2. Siue autem nostra, siue Græcorum sententia teneatur, de anticipatione Paschatis à Domino factâ. Non est probandus error, quo contendunt Eutychiani in fermentato consecrandam. Cedrenus imperitè. Εὐρέσκεται τοῖς μαθηταῖς μεταδιδὰς οὐ ζύμαν, οὐδὲ ἄζυμον, ἀλλ' ἄρτον καὶ ὀπτάνιν. *Inuentus est discipulis, non thus aut azyma, sed panem & coliciem porrigere.* Nam azyma etiam panes erant. Exod. 12. 8. & 39. Num. 3. 15. Iosue 5. 11. Iudicum 6. 21. & 20. 21. Erant enim panes ex flore frumenti. & 70. Exodi 29. 2. καὶ ἄρτους ἀζύμους vertunt. Leuit. 2. 4. eodem modo & 26. 25. Num. 6. 19. Sic enim vertunt Hebræum מצות matzoth. Verum si Pascha anticipauit, etiam azyma concedit: nam lege illa erant connexa. Exod. 12. 8. *Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Atq; alijs in locis, vbi de Phase est mentio, etiam iunguntur panes azymi. Tam enim erat lege sancitum, vt azyma ederentur, quàm vt agnus. Et par mysterium: azyma enim in memoriam festinatæ egressionis ex Ægypto symbolum erant.

Azyma in cœna fuere.

QVÆSTIO III.

An Iudæi festum Paschatis transtulerunt?

§. 1. PAuli Burgensis est illa sententia. Hentenij in Præfat. ad Euthym. Onuph. l. 2 factorum eos secutus est Iansenius. Auctorem laudant Gamalielem de motibus Solis & Lunæ. Hoc ita factum, quod non cogerentur ad amussim ferias accommodare motib. cœlestibus. Pluribus eam sententiam exponit Iosephus Scaliger. lib. 2. de emendation. temporum, & tabellam exhibet. Translationem facit triplicem, Lunarem, politicam, mistam.

Variæ trãslationes.

Deinde fieri interdum in sequentem diem, interdum in perendinum. Hinc annos æquabiles, & ὑπερεμέους esse, [Quare autem (de translat. lib. 2.) alijs „ annis decedat dies, aliis accedat, alij anni æquabiles „ sint, hæc causa est: quod nimirum nunquam voluerint neomeniam Tisri statui in prima, quarta & sexta „ feria: neq; neomeniam Nisan in prima, quarta, sexta, „ ne duæ festiuitates simul concurrant. Vt in Computo „ explicabitur. Si igitur, verbi gratia, nouilunium Tisri „ fuerit, 1, 5, 5, 7. 0, quamuis nullus est excessus horarum 18. Vt propter illum Astronomica translatio fieri debeat: tamen quia Tisri nunquam incipit feria prima transfertur, & fit ὑπέρβα]ον ἡμέρᾳ, traducenda in „ feriam secundam. Annus vero ille cui hoc accidit iam „ non 354. dierum erit, sed 353. dum taxat. In anno igitur defectiuo. Sicut apud Athenienses ἐξαίρεσις fiebat „ mense Boedromione, ita apud Iudæos eadẽ ἐξαίρεσις „ fit in Casleu: qui cum sit solidus mensis, tunc fit cauus. „ Contra anno abundante, πρόσθεσις fit in Marcheswvã: „ qui cum sit natura cauus, tunc extra ordinem fit solidus: Hoc modo in anno defectiuo, tres continui „ menses caui sunt, Marcheswan, Casleu, & Tebeth. „ In anno abundante, item continui solidi tres: Tisri, „ Marcheswan Casleu. Quis est annus defectiuus? qui „ habet Casleu cauum. Quis annus abundans? qui habet Marcheswan solidum: Quis æquabilis? qui habet Marcheswan cauum, Casleu solidum. Translationes igitur ὑπερεμέους ἡμέρας sunt causa ἐξαιρέσεως aut προσθέσεως. Politica ὑπερέμους, de qua nũc loquimur, „ & secunda est ordine, fit propter ferias reiectas, & „ non idoneas capitii anni, & neomeniæ Nisan. Ferias „ reiectas Tisri, Hebræi notant his tribus numeris a, d, „ v. אדו Aleph est prima feria, Daleth, quarta, Vau, „ sexta. Mixta translatio est, quæ ex vtroque genere „ composita est, ex Astronomicâ, & Politicâ.]

Hæc ille magnâ curâ, & in Prolegomenis mirabatur, hisce non credi ab aliis. At magna causa est, cur illa repudientur. Tum ob ea quæ dicta sunt. Tum eorũ sententiam, qui câ nocte, quâ Pascha comedestũ Dominũ comprehensum dixerũt. Deinde si Iosepho credimus plurimas festorũ translationes esse necesse est. Primo propter excessus horarum. Deinde cum Tisri incidit in feriam primã. Ita feriæ Tisri sunt, 1. 4. 6. dictæ אדו numerũ significantib. literis. Et in Nisan feria, Sexta, & addit ille quartã. Imo interdũ ab Astronomica in tertium diem reijcienda esset feria. Deinde cum 12. annue νεομηνίαι seu nouilunia habeant, ob ferias & sabbatum niutãdæ erant, ne duo festa concurrerent. Ipse Iosephus l. 3. de anno priscorum Iudæorum Abrahameo Neomeniam festam esse testatur, probat ex Psal. 80. σαλπίσατε ἐν νεομηνίᾳ, ἐν εὐσήμῳ ἡμέρᾳ ἑορτῆς ὑμῶν. Philo de decẽ verbis, vocat πανήγυριν sacram nouam lunã בסה vocatu Hebræis: & Iosephus ἑορτὴν appellat. Signa sunt, & accuratæ ad motus lunæ, & politiam translationes, quæ causa est cur nihil de his in scripturis inueniatur? si festum Paschatis nunquam fuit die Veneris, aut Solis celebrandũ, cur nihil de eo mãdauit Deus? At Rabbini ita aiunt: Verum illi Rabbini posteriores sunt, iam ab annis 500. veteres nihil tale finxerunt, aut si aliqui tentarũt, multo post Christi tẽpora fecerũt. Ioseph l. 12. c. 5. antiq. & l. 3. c. 10. ritus immobiles permanere tradit. *Mense autem Xanthico, qui nostris Nisan vocatur, & anno exordium, luna quarta decima, solenne obtinente, quæ ab eo die de hoc mense Ægyptiaca seruitute liberati sumus. Sacrificium quod illo tempore fecisse diximus. Pascha nominatũ, quotannis instituere lege iubemur: celebramusq; id per sodalicia, nihil è victimis in epulem diem reliquentes, quæ est 15. & azymorũ festiuitatis prima.* Nam hoc festum priori continenter succedit, duratq; dies 7. per quos panib. non fermentatis vescuntur, & per singulos dies Tauri iugulantur duo, aries vnus, agni septem. Hæ holocausta omnia fiunt, additurq; hadus pro peccatis in quotidianum epulum Sacerdotibus. Hæc Iosephus nec vllius meminit translationis. Sicut nec Moses, cum tamen Scaliger frequentissimas fuisse contendat.

§. 2. Probat id plurib. Euseb. l. 7. hist. Et sane inuicti argumentum nobis præbent Christiani Iudaizantes, de quib. Nicena Synodus ad Alexan. Niceph. l. 8. c. 24. 25. & Scaliger l. 2. de Cyclo Tesserac decaetiarũ. *Rectus autem* πεντεσκαιδεκατῶν *differebat interdum solo tempore à ritu Europæorum: quod Europæi Dominica die* πάσχα *anniuersalium celebrandum censerẽt* πεντεσκαιδεκατίται *autem pascha* τεσσαρεσκαιδεκάτῃ *XIV. Lunæ celebrabant: Interdum lunationibus in Cyclo, 8, 19. vt diximus. Qui sautem, aut cuiusmodi Cyclus iste* πεντεσκαιδεκατῶν, *etiam me tacente sciunt, qui Eusebium & Autores Ecclesiasticæ historiæ legerunt. Nam qui per omnia Apostolos hac in re imitarentur, & pertinacius ex Iudaismo ad Christianismum transirent non obscurũ est, eorum Cyclum, morum Iudaicum fuisse, & de periodo Alexandrea Iudæorum petitum. Porro per eam scribit Epiphan.* πεντεσκαιδεκατίτας gloriari solitos se cum eorum habere acta Pilati, Christum passum fuisse VIII. Cal. Aprilis, cuius opinionis fuit Augustinus. Sed qui hoc potuit? cum Neomenia Nisan incidat in 12. Martii, quoties 25 est 24. Nisan. Atqui ante illo hoc non potuit contingere nisi cyclo 13. idque in anno Hagareno, in annis 19. 38. 57. periodi.

Magnus sane hærericorum veterũ Patronus, imo & Iudæorum cum Apostolos cum illis sensisse fingit.

Alu-

A Iudæis hoc habuisse tradunt, vt omni die Pascha celebrarint, non ergo Iudæi quasdam ferias habebant, quæ festi illius non essent capaces. Vid. Epiphanium hæres. 50. & 70. Athan. Epist. ad orthodoxos. Nulla tum festi translatio. Solo interdum tempore differebant, inquit, at si Iudæos secuti sunt, semper tempore differebant: nunquam Dominicâ die secundum Scaligeri mentem Iudæi Pascha celebrarunt, ne duo festa concurrerent, at vero aliter factum esse, nos docet Ecclesiæ authentica traditio. Ambrosius Epist. 83. docet exemplo Ecclesiarum cum in Dominicam incidit luna quarta decima, in sequentem transferendum Pascha, consulantur verba eius toto tractatu.

§. 3. De Blasto & Paschatitis vide Tertull. in præscription. Epiph. hæres. 50. August. hæres. 27. si luna illa in Dominicum incideret, ieiunabant. Quod vero Scaliger fingit, eos ab Apostolis hunc habuisse morem, eos centum annos Iudaice Pascha celebrasse, mirandæ est in homine docto παροπτικα, & sentiendi temeritas. S. Petrum constituisse, vt Pascha Dominicô die celebraretur, idq; S. Marcum Alexandriæ docuisse auctor est Proterius Episcopus Epist. ad Leonem pontificem: recenset Beda in retract. in acta Apostol. Ignatius Epist. ad Philippenses ex itinere, anno vndecimo Traiani, negat Pascha cum Iudæis celebrandum. Epistola est octaua, ad Philippenses, in alijs est Epist. 5. *Adhuc dico Episcopo & Presbyteris in Domino, quicunq; cum Iudæis Pascha egerit, aut solennia dierum festorum susceperit, comparticipauit eis, qui Dominum & Apostolos eius occiderunt.*

Neq; vero difficile fuerit Scaligerum ex suomet libro reuincere. Lib. 7. recitat Canonem Hippoliti Episcopi Portuensis, qui martyrium subijt anno Domini 229. Imperatore Alexandro, vt est in Martyr. Rom. 22. Augusti, apud Baron. anno 229. num. 3. Centesimus iam annus ab Apostolorum ætate, & plures transierant. Ex canone tamen conuincitur, priores non celebrasse Iudaicè Pascha, si Scaligero de translatione credamus. In Canone habetur, ἀπονηστεῦσαι δεῖ, ἐὰν ἐπὶ κυριακὴν. *Transferre ieiunium oportet, vbi in Dominicam incidit.* Si autem inciderit Pascha in Sabbatum, scilicet Iudaico more transferebatur in proximum sabbatum. Victorinus in prologo ita de hæresi scribit. *Sin autem die Sabbati plenilunium esse contigerit, & consequenti Dominico Luna decima quinta reperiri, eadem hebdomade transmissa in alterum diem Dominicum, id est, Lunam vicesimam secundam, transferri Pascha debere dixerunt, neminus eiusdem Dominici peragendo mysterio destinarent, quam sextam decimam, ne amplius quam vicesimam secundam Lunam aliquando reciperent, eligentes potius in Lunam vicesimam secundam diem festi Paschalis extendi, quam Dominicam Passionem ante Lunam quintam decimam vidarentur inchoari.*

Hinc Scaliger l. 7. in Canone Hippoliti, concludit. *Ergo in illa prisca Ecclesia mos erat, nunquam Pascha in XV. Nisan celebrare.* Et ego contra Scaligerum: non ergo illa prisca Ecclesia Pascha Iudaicè celebrabat. Hæc enim ille citat: nec minus eo facit Canon, quem citat ex Clemente Alexandrino l. 7. c. 12. ἐ δὲ μόνον σαββάτων ὑμῖν φυλακτὸν ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ τὸ τῆς ταφῆς κυρίου, ὅπερ νηστεύειν προσῆκεν, ἀλλ' ἐν ἑορτάζειν. *Vnum duntaxat sabbatum nobis custodiendum toto anno, quod est sepulturæ Domini, quo ieunare conuenit, non festum agere.* Hoc ieiunium, cum esset Sabbato, sequebatur die Dominico Pascha Christianorum, non Iudæorum secundum Scaligerum, ne duo dies Festi concurrerent.

Quin Canon Apostolorum indicat, non celebratum Pascha die lunæ; & Iudæi die lunæ suum celebrare poterant. Verba Canonis sunt, εἴ τις κληρικὸς εὑρεθείη τῇ ἁγίᾳ κυριακῇ νηστεύων, ἢ τῷ σαββάτῳ, πλὴν ἑνὸς, καθαιρείσθω. *Si quis clericus inuentus fuerit Dominicâ ieiunans, aut sabbato, præter quâ vno & solo, deponatur.* Nunquâ Dominicâ ieiunare permissum erat, Sabbato vno licebat & solo, qui Pascha antecedit: at semper pridie Paschatis erat ieiunium, non ergo dies Paschati pridianus erat dies Dominicus. Quin clarè Scaliger l. 7. in eodem Canone. [Nam quoties, *inquit*, terminus incidit in Dominicam, si in illa Dominica celebraretur Pascha, antecedente Sabbato ieiunandum fuisse ex Canone: qui vetat vllo Sabbato ieiunare præter vnum, id est Sabbatum Paschatis. Sed quia in termino Paschali non licet celebrare Pascha cum Tessarescædecatitis, ideo ab illo Sabbato ad sequens traducendum ieiunium, & ab ea Dominica in proximâ, vnde vocatur hoc ἀπονηστισμὸς, h. e. tralatio ieiunij.]

Si non licet celebrare cum Tessarescædecatitis, non ergo cum Iudæis; nam Scaliger iam ante hos cum Iudæis conuenire docuit. l. 2. de cyclo Tessarescædecatitarum. [Nam qui per omnia Apostolos hac in re imitarentur, & permulti ex illis ex Iudaismo ad Christianismum transissent, nõ obscurum est eorum cyclum merum Iudaicum fuisse, & de Periodo Alexandrea Iudæorum peti solitum.] At dicet, hæc fuisse posterioris ævi, postquam Victor Dominicâ instituit celebrationem Paschatis. At vero aliud conuincunt priora testimonia: non Ecclesiæ, sed paucorum fuisse illã consuetudinem. Et rationes ostendunt, quæ & prisco Apostolorum, & Apostolicorum virorũ tempore valuerunt. Ambrosius Epistolâ ad Episcopos per Æmyliam eâdem ratione vtitur. *Domq; ipsa die (sicut superiora docent) Pascha cum discipulis manducauit. Sequenti autem die, hoc est feria sexta crucifixus est, luna quinta decima. Sabbato quoq; magno illo sexta decima fuit. Ac per hoc septima decima luna resurrexit à mortuis. Vnde hæc lex Paschæ nobis seruanda est, vt non quartam decimã obseruemus in die resurrectionis. Sed in die magis Passionis, aut certe aliis proximis superioribus diebus. Quia resurrectionis celebritas die Dominica celebratur. Dominicã autẽ ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam obsistius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est enim in Resurrectionem Christi non credere, si legem quis ieunij die resurrectionis indicat, cum lex dicat Pascha edendum cum amaritudine, hoc est, cum dolore, quod tanto facto legis hominũ autori salutis sit interemptus: die autem Dominica exultandum Propheta docet dicens: Hic est dies, quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. Ergo non solum Passionis diem, sed etiam Resurrectionis seruari oportet à nobis, vt habeamus & amaritudinis & lætitiæ diem: illo ieiunemus, isto efficiamur. Vndè si inciderit, sicut futurum est proximè quarta decima lunæ mensis primi die Dominica, quia neq; Dominica ieiunare debemus, neq; tertia decima luna die Sabbati incidente ieiunium soluere, quod maximè dies Passionis est exhibendum: in alteram hebdomadam celebritas Paschæ est differenda.* Morem confirmat exemplis. Nempe an. 80. Diocletianæi, & alijs.

§. 4. Non dubium est multos in Asiâ Christianos, inter quos Polycarpus alijq; viri magni decima quarta luna Pascha celebrasse, verum non omnes Asiatici id fecerunt. De Polycarpo narrat Eusebius l. 4. c. 15. *Cum beatus Polycarpus, Aniceto Episcopatũ administrante Romam aduentaret, cumq; ille & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se disceptabant, pauca locuti sint; confestim pax inter eos quorunfuit conciliata: quin pro hoc festo obseruando, quod controuersiam in Asiæ caput videbatur, charitatis vincula nequaquam reperunt. Schisma celebrandi.* Neq; tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, vt suũ obseruandi morem deponeret; neq; contra Polycarpus Aniceto persuasit vt consuetudinem Asiaticam (quippe qui morum Presbyterorũ qui illum erant antegressi, debere se id vel retineri asseveret) vllo modo obseruaret. Hæc Polycarpus ex consuetudine Christianorũ, qui ex Iudæis fidem susceperunt.

Erat illa multorum consuetudo Iudæorum, præsertim, ad religionẽ conuertorum, quos ne offenderent

cærimoniæ causâ, cum illis legem Mosis seruabant, & alij; ferebant id Apostoli, quod sine maiore malo emendari non poterat. Pius quidem pontifex anno Domini 119. decretum fecit, vt Paschæ dies die Dominica celebraretur, vt refert Eusebius in Chronico. Et ait Socrates Nouatianus ad Petrum & Paulum istam consuetudinem referri, scripto autem doceri non potuisse. Verum fidem eius, cum Nouatianus fuerit, qui Quartodecimanis fauebant, merito suspectam habeo.

Cum enim Dominica dies celebertima fuerit in Ecclesiâ, Apoc. 1. nec aliam ob causam quam quod eâ dominus resurrexerit, quis dubitare potest illam ipsam annuam celebertimam fuisse. Luna autem decimaquarta in varias dies incidebat, vt etiam aliquando dies dominicus profestus paschæ necessario fuerit. Imo die dominico stantes orabant, & à pascha ad pentecosten: seu ad octauam pentecostes, quam vocabant τὴν πάντων ἁγίων ἑορτὴν, Festum omnium Sanctorum. Post illud tempus, vt est etiam in Ecclesiâ Romanâ vsitatum, de geniculis adorabant, vocabant & illi γονυκλισίαν, & γονυθεσίαν, genuflexionẽ, & genupositionem. Syrus שים רבוא *Sim rechuba*. Hinc Tertullianus. *Die Dominico nefas ducimus vel de geniculis adorare.* Eâdem immunitate à die Paschæ ad pentecosten vsque gaudemus, ita libro de corona militis c. 3. & inter traditiones hoc ipsum refert. Sic Hieronym. aduersus Luciferianos, vbi docet similia auctoritatem legis scriptæ sibi vsurpasse. Æthiopes tempore Liturgiæ, quæ est apud eos longissima, ad stationem fulcra parata habent, cum igitur Dominica propter resurrectionem ita instituta sit, quis dubitet resurrectionem suâ, non alienâ die celebratam, non die sabbati, quo in sepulchro, non veneris quo passus fuit, non die Iouis quo tristis anima eius ad mortem fuit, non alia die celebratam, sed die resurrectionis. Quin Eusebius l. 5. c. 22. docet, patres Concilij de Paschate instituti, traditionem Apostolicam allegasse, & vnâ sententiâ decretum fecisse, ne alio aliquando die, quam Dominico celebraretur. Hoc decretum ad sua tempora peruenisse scribit.

VERSVS 18.

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

QVÆSTIO I.

Apud quem Pascha Christus comedit?

§. 1. VErba sunt: πρὸς τὸν δεῖνα, *ad quendam*. Miror quosdam interpretes existimare Domini illa verba non esse, cum neminem nominârit, sed ad quendam ire iusserit; Deinde signa quærentibus responderit, vt hominem vas aquæ ferentem sequerentur, vt est Marci 14. 13 Luc. 22. 10. Græci & Latini vix Hebræam phrasin exprimunt, dicunt illi פלני אלמוני *Pheloni almoni*; Est illud 1. Reg. 21. 3. vbi Dauid ait, *Condixi pueris, in illum & illum locum.* Syrus interpres habet לות פלן *Leuath pelan*, & glossa marginalis בבור פ׳ גי, vt Peloni, Pagninus vertit, *in locum obscurum ignoti.* Iun. & Tremell. Caluiniani, *In locum cu usdam N.* sic Rhuth. 4. 1. Booz appellat, illum cui Ruth debebatur vxor. *Peloni almoni* vt Pagninus, *ô quidam singularis.* Iun. & Trem. *Heus tu N.* Vetus interpres vertit, *vocans eum nomine suo.* 70. vtrunque verbum reddunt vno. Κρυφῆ, *occulte, latitator.* Sic formant ab אלם obmutescere, manipulos colligare; alij viduum significare volunt. Sed illa interpretatio nimium à re abit. In libro regum est אל מקום פלוני אלמוני *ad locum cuiusdam.* Nam מקום est pro פ׳, in regimine scilicet. Danielis 8. 13. duo nomina in vnum contrahuntur, diciturque פלמוני, aliquis, quidam.

Ad quendam.

Duo itaque illa ponuntur, pro nomine vel hominis, vel loci, alterius ue rei, ideoque diuersis modis explicari debet. Deinde nomen eius qui dicitur Peloni almoni, aliquo contemptu non subticetur, vel indignatione, sed vrbanè, & amicè. Imo exprimi poterat. Nec enim Booz cognatum apud Iudices dure appellabat, quocum illi nulla controuersia erat, & multo minus Daniel illum contemptum voluit, quocum Angelus loquebatur.

Nec tamen opus vtroque vocabulo, Syrus vno contentus est, פלן, nam לות idem quod אל ad, recipit autem more nominum omnia affixa. פלן &, in fœminino פלגית est talis, quædã. alterum אלמוני non puto Syris vsitatum.

§. 2. Quis vero fuerit, quem communi vocabulo designauit, nondum hactenus sciri potuit. Nicephorus domum Ioannis Euangelistæ fuisse refert. l. 2. c. 28. idemque Cedrenus in annalibus. Hoc mihi idcirco verisimile non videtur; tum quod eius reiiciemo mentionem faciat Euangelistarum, tum quod Ioannes ipse mittatur cum Petro. Reliquerat Ioannes omnia, patrem, retia, domum. Virum magnum fuisse & nobilem fuisse Hieronymus Epist. 19. existimat: nam habere aulam magnam ἐξουσιαστικὸν diuitum & potentum est, non plebeiorum. Alij ignotum hactenus, alij vero amicum & familiarem Apostolis arbitrantur, vtrumque incertum. Qui Marcum fuisse hospitem putant, refelli non possunt, solâ tamen coniecturâ nituntur. Voluit enim ille, qui factum Magdalenæ in eius memoriam toto mundo prædicari iussit, huius à se tantopere honorati nomen ignorari à posteris, in cœlo Angelis & sanctis Dei notissimum. Si tamen omnino vti coniecturâ placet, dicendum, fuisse Ioannem qui cognominatus est Marcus Actor. 12. ita Alexander Monachus apud Metaphrasten die 11. Iunij. & Nazianzenus in carmine: Ioannem quos aliquâ traditione cognouisse non est dubium. Alioqui magnâ illius domus gloriam fuisse nemo dubitat, Deum suprema nocte excepisse, primam fuisse illam, in qua iuge noui Testamenti sacrificium sit oblatum, sacramentum datum Apostolis: templorum Christianorum antiquissimum ac sanctissimum.

§. 3. Diuinitatem & præscientiam suam non modo Apostolis demonstrat, dum euentura prædicit, verum etiam dum iure suo indicat, patrifamilias quid fieri velit, Dominum se ostendit. Quòd Caluinus ait eum nuncios misisse, vt morositatis culpam diluerit, suspiciones sunt, non erat illud hospitis ingenium, vt Domini aduentus grauis illi esse posset. Nec tempus suum adesse ea de causa admoneret, quod se de præuentione legitimi Paschatis excusset, sed vt ostendat, vltimum esse Pascha, se sponte in mortem ire, ibi cœnare, deinde exire, & mori velle. Atq; adeo id iam tempus adesse. Discipulos etiam adfore monet, vt parare ille & instruere necessaria posset.

VERSVS 20.

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.

QVÆSTIO I.

An Christus discubuerit, & qui cum illo?

11. QVotquam ergo in domum venerunt, vbi erat Lucas ait ἀνάκειται μετὰ τῶν δώδεκα μαθητῶν, cæna, inquit, recumbentibus illis, magistro, stratum, paratum, discipulis. Suis patrisfamilias ante reuelatum fuit, vt omnia pararet, iudicat Euthymius, siue ob alios vsus ipsi huic cœnaculi; seu potius, vt moris est apud magnates, semper aula aliqua ad hospites recipiendos instructa erat, ad quam ducerentur, qui aduentabant. De hac aulâ & domo videri potest Brochardus c. 7. §. 47. Beda hoc loco. Primam hic quæstionem mouent, qui discubuisse negant. Agnum enim accincti, cum festinatione, stantesq; edebant. Quadruplex est, quantùm memini responsio. Prima quorundam apud Theophylactum. Christum non comedisse agnum Paschalem, quam responsionem suprà refutauimus.

Altera est ipsius Theophylacti; Prius stantem comedisse Pascha, deinde ad cœnandum discubuisse. Hanc sententiam sequitur Baconius anno 31. annalium. Scripsem autem omissam aiunt, quod satis intelligi cum ea ante dictis, itaq; cum dicitur: *vespere autem facto*, ὀψίας δὲ γενομένης, cum sero esset factum, intelligitur cœnæ, quæ mandducationem agni Paschalis sequitur. Agnus enim comedebatur inter duas vesperas, hæc cœna instituitur ὀψίας γενομένης cum nimirum sero esset factum, & Ioan. 13. 29. cum Iudas accepta buccella exiit, erat nox.

Certa expositio est, verbum ἀνάκειμαι late accipiendum esse, vt significet cœnasse Christum siue stando, siue accumbendo. Stetisse autem Dominum cum Pascha comederet, ita Maldonatus & Franciscus Lucas.

Quæ est responsio, inter cæremonias agni comedendi, hanc fuisse, vt stare cogerentur. Nam Exod. 12. 11. accincti lumbos, calceatos, baculos, manu tenentes comedere iubet, sed illa omnia à sedentibus, & discumbentibus impleri possunt. Itaq; merito negat Barradius de stationelegem esse. Ille etiã vnctos, vestes ornatoriã indutos arbitratur. Discumbẽdi mores vt prouide Ciacconium de conuiuio. Morem Romanum Iudæi secuti sunt, Ioseph. l. 6. c. 6. Serius tamẽ Romani vsi accubitione. Varro de vitâ pop. Rom. Sedendi consuetudo in multis remansit. Suetonius in Claudio. Sedisse pueros refert. Sedebant & tempore Dauidis Iudæi. 1. Reg. 20. Iudæi hoc tempore agnum vel stantes, vel sedentes, vel certe accubantes, prout cuiquam in mentem venit, comedisse videntur. Nam lex de statione nulla expressa erat; & Rabbini fere omnes docent; illas cæremonias vnius tantum noctis fuisse. Dum enim Israëlitæ agnum comederent, Ægyptiorum primogenita necabantur, statim itaque ortâ comploratione, vrgere cœperunt Israëlitas vt exitum maturarent. Magno itaq; consensu etiam veteres docent Rabbini, nec sanguine postas vngi solitos, nec calceatos, cinctos, aut scipionibus armatos comedisse, sed discumbentes, idq; in signum adeptæ libertatis, atq; esse aiunt traditionem. Hanc enim antiquissimã aiunt traditionem in Thalmud tractatu de Pascate. Quæ si vera sunt, nihil Christus in legem accumbendo ad mensam commisit. Verum non immerito mihi suspectum est, quod à Rabbinis adfertur. Auctori mendaci vera dicenti cautè credendum est. Cæremonias alias vsurpatas nõ dubito. Omnes enim faciebant ad repræsentandum celerem exitum ex seruitute Ægyptiacâ, ita lex in futurum fertur Exod. 12. 25. *Cumq; introieritis terram quam Dominus daturus est vobis, vt policitus est, obseruabitis cæremonias istas.*

Signanter dicit cæremonias istas, quæ videlicet ante fuerant indicatæ. Deinde Num. 9. toties repetitur, vt non dubitandum, eas cæremonias fuisse seruandas.

v. 2. *Faciantfilij Israel phase in tempore suo quarta decima die mensis huius ad vesperam, iuxta omnes cæremonias & iustificationes eius.*

Et v. 10. 11. 12. *Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super animâ, siue in via procul in gente vestra, faciat phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam: cum azymis & lactucis agrestibus facient illud: non relinquent ex eo quippiam vsq; mane, & os eius non confringent: omnem ritum Phase obseruabunt.*

Et v. 14. *Peregrinus quoq; & aduena si fuerint apud eos, facient Phase Domino iuxta cæremonias, & iustificationes eius.*

Cum ergo iuxta omnes ritus & iustificationes Paschæ celebrationem requirat scriptura, non est dubium id eos obseruasse. Hoc etiam primaria & verbi & festi significatio requirebat; nam Phase est transitus, quem accincti, calceati, baculis viatorijs instructi indicabant. Respondendum itaq; cæteras cæremonias, ritusq; obseruatos; stare non fuisse necessarium, quia nihil de eo habent sacræ literæ. Nam qui propter calceos, cinctus, scipiones stetisse eos arbitrantur, non satis considerant, iam in medijs aularum pompis, & pace, ocreatos, calcaribus instructos, gladijs accinctos ad mensam accumbere.

§ 2. Maior in eo est difficultas, an Pascha cum discipulis duodecim seorsum Christus, an vero cum patrefamilias comederit? Quidã duos agnos in eâdem domo sumptos aiunt, imo B. Virginem seorsum comedisse cum fœminis meditantur.

Duo mihi certa sunt. Primum est: Christum post agnum sumptum cum duodecim in conclaui seu cœnaculo solum cœnasse. Nec vllus est, quod quidem sciam, qui dissentiat. *Christus cum Apostolis cœnauit.*

Alterum etiam certum est: Agnum in illâ familiâ vnicum fuisse, & pro totâ familiâ immolatum, & ab eâ sumptum, post cuius sacrificij absolutionem, Christus cum Apostolis, cum suis domesticis patrefamilias cœnauit. Ratio sententiæ est clara: Die mensis decimâ agnus domum ducebatur, vt est Exodi 12. 3. *Loquimini ad vniuersum cœtum Israel, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat vnusquisq; agnum per familias, & domos suas: si autem minor est &c.* *Vnus in vnâ domo agnus.*

Ex lege igitur illa in familia ad quam Christus diuertit, vnus erat agnus die decima sepositus, eadem autem qua agnum Christus comedit, discipulos misit, non emptum nouum agnum; nam illo qui præparatus erat, vsurus erat Dominus. Cum igitur neq; duo essent agni die decima separati, neq; victima die emeretur, dicendum vnã in domo vnicum duntaxat fuisse, ex quo particulam quisq; velut ex sacrificio sumeret. Quin etiam addo: fuisse agnum anniculum sine maculâ, masculum, qui viris etiam duodecim in solidam sufficeret cœnam. Proceriores enim, & grandiores erant in Palæstinâ oues, tum fertilitate, tum salubritate pascuorum, & hi quidem agni Paschales eximij & selecti: idq; præsertim cum pedes, caput, intestina omnia absumenda essent, addebantur lactucæ agrestes, & amaræ. Certe Syrianæ oues laudatæ sunt scriptoribus. Plin. l. 8. c. 48. *Syriæ cubitales ouium caudæ, plurimumq; in ea parte lanisuij*: Respondet caudæ reliqua corporis magnitudo. Ita vt quamuis fabulosum, non tamen naturæ contrarium est, quod de ariete Vlyssem ferente Homerus canit.

VERSVS 21. 22.

Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati sunt valde: cæperunt singuli dicere, nunquid ego sum Domine.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Quando de proditore locutus sit Dominus?

§. 1. MAtthæus & Marcus hæc de proditore futuro recensent ante narrationē institutæ Eucharistiæ, Lucas post eam: Ioannes cœnâ factâ ait lotos pedes, post pedum lotionē dixisse Dominum: *Qui manducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum.* v.18 c.13. Deinde v.21. *Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est Spiritu, & protestatus est, & dixit, Amē, amē dico vobū. Quia vnus ex vobis me tradet.* Ex Matthæo & Marco certi nihil statui potest; nam cum vterq; dicat, *edentibus illis hæc dicta esse.* Ex solo narrationis ordine nihil de rei gestæ serie potest constitui, cum omnium historicorum sit consuetudo, vt pro opportunitate rei temporis rationem immutent. Ioannes factâ cœnâ, & cum Dominus surrexisset à cœna, pedesq; lauisset, dictum ait; Lucæ verba hoc etiā insinuant. *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* c 24. v.21.

Sæpius de proditore dictum.

Nōnulli & in mensa, & deinde post mensam dictū volunt. Nam ex Ioanne constare post mensam dictū esse, Matthæus & Marcus ἀνακλίνων αὐτῶν, comedentib⁹ illis factum. Itaq; to mensa hac de re dictum est, & inter eos disputatum, quis hoc esset facturus. Initio igitur Christus dixit: Vnus vestrum me traditurus est, disquirentibus deinde illis cum Emphasi maiori indicat. *Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet.*

Constat tamen etiam illud, hoc quod apud Ioannem dicitur contigisse *facta cœna*, adhuc vel illa durante cœna, vel alia inchoata factum; nam Ioannes recūbens in Domini pectus interrogabat, quis esset, qui eū esset traditurus: & panem intinctum Iudæ porrexit: itaq; necesse est iterum Dominū recubuisse: facta cœna autem intelligendū est, cum fieret cœna. Et quamuis sit in Græcis γινομένου δείπνου, nō vt Erasmus vult γινομένου, est tamen ille aoristus pro præsente accipiendus.

Rogant vt suspicionem amoliantur.

§. 2. Porro interrogant, se vt suspicione liberent, signum Ioanni dedit, eum esse, cui buccellā ipse porrexerit. Nam quod ait, *qui intingit mecum manum in paropside*, non est signum, cum omnes in mensa hoc facerent. Sed prouerbio dicitur, de eo, qui cum alio versatur. Sic Ioan. 3 18 *Vt impleatur scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Ita est Psal. 40 8. deo & v.27. apud Ioannem panem illi intinctū porrexit. Huc pertinet locus ex Psal. 40.8. *Etenim pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem.* Vbi patres fere omnes de fudā interpretantur. Est quidem in Hebr. Psal. אשר יחדו לחמי גבתיק סרן *asscher iachdu lachmi gabtiq sorn.* Septuaginta verterunt. καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος τῆς εἰρήνης μου, ἐφ' ὃν ἤλπισα, ὁ ἐσθίων ἄρτους μου, ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πέρασμόν. Chrysostomus ait alios clarius vertisse. τοῦτο Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων σαφέστερον ἑρμήνευσαν. καὶγε ἀνὴρ εἰρήνης μου ὧ ἐπεποίθησα ὁ σύμμαχος, ὅτως, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπον ὃς εἰρηνεύει μοι ᾧ ἐπεποίθειν. ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμέ. S. καπεμεγαλύνθη μερὰ ἀχολαθῶν. Sch. πέρασμος ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἅμα τοῖς τάχεσι ἀγωνιζομένων, καὶ τὴν πέρυσι τῶν συνθεούντας τρόπον πλαίειν, καὶ πατεῖν μηχανωμένων. id est, *Hoc Aquila & Theodotion clarius dixerunt; Et vir pacis meæ in quo speraui. Et vero Symmachus sic: sed & verum, qui pacificus mihi fuit, in quo speraui magnificauit super me. S. contra me magnificatus est. Schol. est μεταφορὰ metaphora est eorum qui de celeritate contendunt, & calce eos qui simul currunt, percutere, & deijcere machinantur.*

Dulces cibos appellat sapidos, optime conditos, aut potius amicam & suauē familiaritatem, est autem conuictus amicorum suauissimus siue tenuiter, siue opipare sit instructa mensa. Quod Aquila vocat ἀπόκρυφον secretum. *Edulcorabamus secretum* Symmach. γλυκάναν ὁμιλίαν, & Hieronymus, *pariter secretum appellat*, vt videatur aliter legisse. Quamuis יחדו sic potest accipi. Verum de illa sententia suo loco.

Certè Christi citatio indicat esse; ἐπὶ τὸ ἡδύσματα τὸ ἐδέσματα, dulcorare simul cibos, hoc est amice & dulciter conuiuari. Sic & Apollinarius

Ἀμφὼ ἁλὸς ἐν δαῖτι συνάμεθα μειλίγματα.

Ambo apud te conuiuio dulce fruebamur.

Sanctissimum fœdus hospitij & mensæ habebatur. Vide Curt. l.8. de Alex. apud Macedones fœdus sanctum solitum, vt gladio dissectum panem vterq; fœderatorum haberet. Et Symbolū Pythagoræum fuit: *panem ne frangito.* Ne amicitiam familiaritate, & omnū secretorum cōmunicatione firmatam disrumpas, ita Laertius in Pythag. Hinc ad summū dedecus exprobrabāt salem & mensam esse prætergressum. Indigna est enim proditio quæ est ex intimo familiari de quo dicitur. Θέλγε δὲ θυμὸν

Μειλιχίοις ἐπέεσι, νόῳ δὲ οἱ ἄλλο μενοινᾷ

Animum dulcibus mulcebat alloquijs, animus vero aliud illi cogitabat. Hinc & Græcorum prouerbiū οἱ ἅλας καὶ κύμινον, *qui circa salē & cuminū*, vel vt est in Plutarcho Sympos. Decad 4 κύμινον, cuminū, & vera lectio videtur, cū describat & salē & cuminū τὸ μὲν πικρὸν ἐστι, τὸ δὲ ἡδύ, *Illud quidē amarum, hoc vero suauius.* Et Plutarchus Symp. Decad.10. ἐζήτει φλῶρος, ἑστιωμένων ἡμῶν παρ' αὐτῷ τίνες ἂν εἶεν οἱ περὶ ἅλας, καὶ κύμινον, ἐν παροιμίᾳ λεγόμενοι. *Quærebat Florus: quinam essent qui in prouerbio dicerentur, circa salem, & cuminum; cui Apollophanes respondit, prouerbio summā familiaritatem indicari.* In Hebræis quoq; & Asiaticis fuisse gentibus idem prouerbium constat ex Esdra.1.c p.3. *nos mores, alia.* Sic ergo & Psal.41. גבתיק סרן *Gabtiq sorn*, accipiendum est, quasi probet Christus illi ex familiari esse factum proditorem: sic barbatum Polymnestorem Thracem detestabilem etiam amicis fecit Hecuba.

Καὶ τῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμῆς.

Et mensæ meæ sæpe particeps fuit. Euryp. Hecub. Hoc omittere nō debeo quoddū existimare pro סרן legendū צרך *tzrk* φ est venatio, cibus: videat lector an non rectius forte סרך φ est vngere, vt sit vnguentū nam in mensa vsus illius erat, & vngi pro epulari accipi solet.

§ 3. Interim hoc etiam notandum, post agnum solita cæremonia absumptum epulari solitos Iudæos. Quod signum est, eos nequaquam in vsu sacramenti saturitatem, sed mysterium spectasse. Iosephus suū gnarus fere epulis rem definit. l. 3. antiq sacrificia describit. [Mense autē Xanthico, qui nostris Nisan vocatur, & annū exordiatur luna quarta decima, solet aretem obtinente, quando quidem hoc mense ab Ægyptiaca seruitute liberati sumus, sacrificiū, quod tunc exeuntes fecisse diximus. Pascha nominatū, quotānis instaurare lege iubemur: celebramusq; id festa licia, nihil è victimis in sequentē diē relinquentes, quæ est quinta decima & azymorum festiuitatis prima, nam hoc festum priori continenter succedit, duratq; dies septē, per quos panibus non fermentatis vescuntur & per singulos dies, tanti iugulantur duo, arietes vnus, agni septem. Hæc holocausto mata fiunt, additurq; hædus pro peccatis, in quotidianum epulum Sacerdotibus. Secunda azymorū die quæ est mensis huius decima sexta, frugibus demessis, & hactenus intactis incipiunt frui: æquum q; rati Deum huius vbertatis autorem per gratitudinē honorari hordei primitias offerunt, in hunc modū. Spicarum manipulū ignitos rent, hordeum deinde pinsunt atque ita in aliceæ modum, fracti assaronem ad aram offerunt: inde pugillo vno in eam iniecto reliquū Sacerdotum vsui cedit, & ex eo licitum fit, publicas ac priuatas messes metere, primitiarum tempore agnus in holocaustū Deo mactatur. Post Paschale sacrū elapsis septem septimanis, hoc est, quadraginta nouem diebus, quinquagesima quam

" suam, hoc vero azartha Hebræi vocant, offerunt Deo
" frumenti è farina triticeæ, duobus assaronibus cum fer-
" mento confectum, mactantq; agnos duos.]

Et lu. dum describit Pascha post templi nouam æ-
dificationem. [Instante deinde azymorũ festo, mēn-
se primo qui Macedonibus est Xanthicus, nobis vero
" Nisan, consuxit totus populus ex oppidis in vrbem:
" celebraturq; id festum casti ac puri, vna cum con-
" iugibus ac liberis ritu patrio, & victimam Paschalem
" immolantes decima quarta luna epulati sunt, per cō-
" tinuos dies septem, nullis sumptibus parcentes, holo-
" causta etiam offerentes, & agentes gratias Deo,
" qui eos tandem antiquæ patriæ & eius legibus ac riti-
" bus restituerit, deflexo ad benignitatem ac clementi-
" am Regis Persici animo. Atq; ita summa liberalitate
" in re diuina vsi inoluerunt Hierosolyma, instituta cā
" republica forma quæ per optimates administratur.]

Per conuenia igitur epulebantur, dum vicini te
se coniungerent, & Deo gratias agerent, atq; ita nul-
lum dubium est, Christi etiam tempore, atq; in ipsis
azythis præter sacrificij consumptionem etiam con-
uiuia celebrata. Quin etiam hodie Iudæi illos dies in
conuiuijs agunt, & compotationibus.

VERSVS 24.

Filius quidem hominis vadit sicut scriptũ est, væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonũ erat si natus non fuisset homo ille.

QVÆSTIO I.

An Iudas non potuerit non prodere Christum?

§. 1. Caluinus hoc modo interpretatur: Postquã eum Christum non temere ab hominibus ad supplicium raptum docuisset, non tamen ideo Iudam excusandum adiungit. *Negat tamen*, inquit, *Christus in præsentia Iudam absolui à culpa, quia nihil aliud gerit, nisi quod diuinitus statutum erat.* Causam reddit. Deus enim redemptionem mundi, Iudas auaritiã causam habuit. Totam deinde blasphemiam aperit. [Hinc perspicimus, quãuis nihil possint homines, nisi quod statuit Deus: non tamen ideo à reatu absolui, dũ prã-
" ipsa efficacia ad peccandum feruntur. Licet enim Deus
" occulto secessu eos in finẽ illis incognitum dirigat, ni-
" hil minus illis propositum est, quã eius decretis obse-
" quii. Videntur quidem hæc duo humanæ rationi pa-
" rum consentanea, quod Deus tuã providentiã sic mo-
" derentur res humanas, vt nihil fiat, nisi ex eius volun-
" tate, & nutu: & tamen perdat reprobos, per quos ex-
" ecutus est, quod voluit.] Nec eorum conciliatio-
nem admittit, qui de præscientiã non autem decreto
loquuntur, quia Luc. Act. 2 13. definitum ait. *Præscien-
tiam*, inquit, *subsistuunt decreti loco, ac si eminus tantum pro-
spexisset Deus, quæ futura sunt, non autem suo arbitrio dispo-
suisset.* Hinc etiam Piscator scelera decreto diuino fieri
concludit. Hoc idem Zanchius l. 2. de natura Dei, &
l. 6. 3. Beza, alij. Imprimis Zvvinglius serm. de Proui-
dentia c. 5. *Qui dicit necessariam fuisse iniustitiam, vt iniu-
stitia cognosci posset, necessarium fuisse mendacium, vt veritas
cognosceretur, ideo Deum impulisse Angelum, & hominem ad
mendacium, & iniustitiam. Ita Bellarminus de amissione gra-
tiæ & statu peccati l. 3. c. 5. Sed deplorata causa patronum agit Pa-
reus. Non est Theologi, sed Diaboli in hunc modum agere.*

Verum & ex hoc loco deducitur. Nam Deus ne-
cessarium scelus Iudæ sibi duxit, cum definiuit, vt ille
faceret. Zanchius certe impiorum peccata ad interi-
tum ordinata clamat. Beza colloq. Mompelgart.
pag. 9. *Nisi diuino illo decreto cognoscat Doctor Andreas, non
tantum finem vltimum, sed etiam causas intermedias discerni,
quod proinde ipse derelictioni præeat, ergo temere & ignorante
ipso Deo, qui eos deliquit periturè relinquuntur, quod non
est aliud, quam prouidentiam Dei singularem negare.* Cum
idem Beza dicat: *oportuisse hominem lapsi, vt in eo misericordia & iustitia locum habere posset.* Quomodo hoc tan-
to opere fugit & amolitur à Zvvinglio? Secundo dicit
Zvvinglius: Cum Dei bonitas non minus in se conti-
neat, æquitatem & iustitiam, quam beneficentiam &
misericordiam: necesse fuit, vt cum Angeli & animi
creandi essent, hac ratione conderentur, vt Dei iusti-
tiam perinde ac benignitatem cognoscerent. Indicat
vero hanc nõ potuisse cognosci sine iustitia: Vt etiam
Beza pag. 325. Colloq. Mompelg. oportuit Euam per-
suaderi, vt legem transgrederetur, &c. Verum vt Deus
finem creationis hominis consequeretur, oportuit Eu-
am & Adamũ per Satanam decipi, vt misericordiæ
in condonando delicto locus esse posset. Et pag. 524.
*Si Deus immutabiles homines creauisset, vt labi & peccare non
possent: Deus sibi negat ad misericordiam negat, ad iustitiam vam
aperuit, fieri ergo via illa fuit aperienda, necessario per iustitiam
aperienda.* Sic Beza p. 523. Sic cum iustitia præsupponat
culpam, sine qua iustitia exerceri nõ potest (vbi enim
non est culpa, ibi etiam iustitia locum nõ habet) ideo
hominem quoq; ita creari oportuit, vt seruata natura
aptus esset, in quo Deus iustitiam suam declarare pos-
set. Iustitiam enim suam declarare non potuisset, nisi
eum ad æternam damnationem destinasset. Hæc ergo
clara sunt, & necessitatem scelerum inducunt: vt ne-
cesse sit dicere Iudam aliud non potuisse facere quam
quod fecit. Si igitur nihil egit Iudas, nisi quod diui-
nitus statutũ erat. Nihil potuit, nisi quod statuit Deus. *Deus ex sententia Caluinistarum peccauit.*
us. Si nihil egit nisi ex eius voluntate & nutu. Si occul-
to sicuo eum Deus in finem incognitum direxit; Dei
ergo, quod dictu horrendum est, non Iudæ peccatum
est. *At alius Deo, alius homini finis*, ita ille, & Pareus loco
citato contra Cardinalem Bellarminũ. Idem facimus
Dei, & hominis esse fatetur, *sed esse varietatem in modo, & fine.* At vero iam hoc ipsum graue est. Deinde mala
quæ talia sunt natura sua ex modo & fine bona non *Mala quædam nunquam bene fiunt.*
fiunt, ordinare proditionẽ, ad eum Iudam impellere,
vt aliud non possit, quã eam machinari: ita malum est, vt
nullo bono fine possit reddi bonum. Si enim semel
statuamus, mala esse facienda, vt eueniant bona, mũ-
dum totum scelerata sententia euertemus. Quod si
rem accuratè perpendamus, etiam Deus in Iudæ scele-
re id quæsiuit, vt scelerate faceret; hoc enim etiã in
peccato primorũ parentum propositum eius, si Bezæ
credimus, fuit. Ille Coll. Momp. p. 518. *Necesse*, inquit,
*ergo est, ideo lapsos quoq; esse homines primos, Deo sic ordinante,
vt quidam damnarentur.* Si necesse est, lapsos esse, vt
damnarentur, voluit Deus eorũ peccata, vt media, ad
damnationem. Ideo & mala illa esse Deus vult. Nec
quicquam suos iuuat Pareus, dum adducit Ἰούδεα γ'
ἀνδρῶν ἀναίτιον, mendacia virorum Phœnicum, ridiculam
solutionem, nolle Deum peccata, vt peccata, velle vt
causas euentuum bonorũ, vt suæ instrumenta voluntā-
tis. Aliud Piscator ostendit 1 Thes. 6. 7. 9. Sic enim eas
probat. *Si Deus nollet vt peccata fierent, impediret. Si impe-* *Piscator durius loquitur, quã Beza.*
*diret non fierent. Si nõ fierent non posset patefacere iustit ã illa
punien o ne misericordiã illa remitenao, atq; Deus vult hisce
modis p facere iustitiã suam, & misericordiam.* Hinc pro-
bat 6. Thes. quæ est: Quia Deus iustitiam, & miseri-
cordiã suã patefacere vult, ideo q; quoq; vult vt pecca-
fiant. & 7. *Quia Deus procurat suæ factionẽ suam iustitiæ, & misericordiæ suæ, ideo quoq; procurat ipsa peccata.* & 9.
*Deus destinauit omnes homines ad peccata: idq; propterea vt a-
liis sese misericordiã seruaret, alios ex iusta pœna puniret, ac per-
deret.* Ratio & Theses considerẽ nunc tu. Nã primo.
Velle probat ex cõtrario, si nollet, impediret: falsũ est
nolle, vult igitur & quidem actiue non permissiue. De-
inde peccata, vt peccata intelligit, tum quia vt media
sunt

sunt ad pœnas vsit. Tum quia Thesi 10. dicit, vult permittere, at permissio secundum Caluinistas ad formale peccati pertinet. Deinde eâdem argumentandi forma hoc euinco. Si Deus nollet vt peccata, qua peccata sunt, fierent, impediret. Si impediret, non fierent. Si non fierent, non posset patefacere suam iustitiam illa puniendo, nec misericordiam illa remittendo, atq; Deus vult hisce modis patefacere suam iustitiam & misericordiam. Ergo vult peccata vt peccata ex 6. Thesi, procurat ex 7. destinat ad illa vt peccata ex Thesi 9.

Caluinistæ censent, Deum velle peccata vt peccata.

§. 2. Verum peccata vt peccata in alijs operatur, alij enim sic faciunt, nec tamen aliud faciunt, quod Deus facit, & iubet. Si Deus operari potest per hominem omnia opera quæ flagitia sunt, si decipere, si ad mendacia cogere, iubere fraudes, quia lege non tenetur, si illa ideo vitio vertuntur hominibus, quia in legem committuntur, plane poterit fallere mentiri, ad quam blasphemiam merito omnium piorum mentes, & impiorum aures cohorrescunt. Deus & quidem absque culpa. Cur enim non ipse poterit, quod alijs imperare, decernere, in illis operari poterat? aut qualis illa lex, quæ facere suo matte vetat scelera, alias cogere, impellere ad eadem permittit? an ipse in se factor esse non potest, in alijs suasor, factor, coactor est? Sublato igitur illo sipario necesse est, vt appareat idoli Caluiniani fæditas. Quid enim est, quod natura sua, quæ est lex æterna, prohibetur operari? peccata vt peccata; sed an hæc in alijs operari potest? Non, inquit, sed opera ipsa, quæ sunt peccata. An ergo opera, vt opera potest se bona intentione operari, verbi gratia fallere, decipere, mentiri? An per Satanam fallere potest effectiue? non se solo, an non per asinam Balaam idem potest? an non per aërem formare verba mendacia, aut silicibus inscribere, quibus hominẽ in fraudem inducat, impostura? posse videtur, ex Caluinistarum ingenio. Qui enim bona intentione, ad iudicia sua exequenda Satanæ & impiorũ ora determinate, effectiue, detorquet in verba mendacia, illa imperat, cogit, &c. Cur non idem asinæ linguam, aëris mobilem facilitatem in falsiloquia mouere queat? non characteres deceptorios exarare in marmore? nam ille in his effector est, & creaturæ suæ determinator? Quæ lex vel obstat vel sinit in parte alterutra? Nusquam legis freno tenetur, vtrobiq; recta intentio. Nec refert in Satana, & impijs esse etiam voluntatem creatam, hæc enim ministra est, impulsa, mota à voluntate principe, vt aliud non possit. Imo minor excusatio cum in societatem facinoris, creatura adsciscitur, ipsa enim voluntas humana hoc velle debet, quod eam velle vult voluntas omnipotens. In silice igitur potest mendacium insculpere, quod per Prophetam impostorem potest eloqui. Nec illa de voluntate replica Zvvinglij duritiem mitigat. Nam ratio de inuoluntarijs redit, eadem & multo neruosior: operatur hæc in ignorante, non consentiente, contrarium sentiente, dormiente, & sunt tamen illa motus peccata mortalia, non de malitiâ voluntatis, quæ laudabili charitate concupiscentiæ constanter obnititur, aut sine culpâ præuenitur. Sed de imbecillitate brutæ partis, quæ à Deo mouetur, vt resistere nequeat. Deniq; fallere potest Deus per pseudopropheram volentem, an possit & per dormientem? non de absoluta potentia sed de potentia iusta bonaq; loquor, & quid lex æterna vel sinat, vel vetet inquiro. Quod si Deus per Satanam, homines impios, sic per voces in rubo, per vocem qua reuelatus est Samueli, per legem digito suo tabulis inscriptam fallere nos potuit. Concidit omnis religio, atheismus inducitur, ex Deo idolum constituitur, ex Deo Christianorum, Deus Calecutanorum. Nam forte quod facere potuit, re ipsâ iam fecit, aut si non fecit, nos tamen quasi fecerit, timere, & quasi facturus sit, expectare debemus. Fortissime tamen reuinci potest aliâ ratione aduersarius. Libro de gratia primi hominis c. 7. sic argumentatur. *Si concupiscentia carnis fuisset naturalis, fuisset rebellio, & concupiscentia in homine vt peccatum. Quia rebellio & concupiscentia sunt peccatum, contra præceptum non concupisces, sic Deus auctor naturæ, necessario auctor peccati. At hoc falsum, ergo & illud.* Analogia huius argumenti rationem Bellarmini facilè vindico. Primo, rebellio & concupiscentia ex errore aduersarij sunt peccatum. Hæc est enim ratiocinatio. Quod si nunc inane effugium quærat: Deus est auctor odij vt opus est, nõ vt peccatum. Pleno mox ore clamabunt Libertini: Deum naturæ creatorem fecisse concupiscentiam & rebellionem, vt actus, seu res, non vt peccatum, fecisse bona intentione, ad sua iudicia exequenda, habuisse causam iustam, nobis ignotam. Hinc & illud Zvvinglianum, de lege confutatur, Deus lege naturæ suæ tenebatur, ne hominem crearet concupiscentiæ morbo corruptum, secus auctor esset ipse peccati, quamuis crearet talem bonâ intentione, & ad sua iudicia, eâdem ergo lege tenetur, ne conditum efficaciter moueat, impellat, cogat etiam inuitum, nescientem ad peccatum. Quod si hic auctor est operis non malitiæ, cur non & ibi auctor concupiscentiæ & vitij?

Deum posse fallere secundũ Caluinistas.

§. 3. Verum absit, vt Deus hoc iusserit, aut occulto Dei freno omnipotentiæ voluntatem Iudæo direxerit; iam nam omni beneuolentiâ, & dexteritate id egit, vt eum à proposito deflecteret, nec occulta illa actio saluatoris est, quâ in exitium ruit; sed dæmonis impium animum occupantis. Decreuit redimere humanũ genus, id q; morte filij sui, cum vero omniscientiâ videret, quid essent acturi homines, si eo loco res consisteret, quo tandem constituta est, voluit filium impiorum arbitrio permittere, non definiens, vt impiè illi agerent, sed cum sic videret acturos, filium illorũ potestati permittens, vt ex eius morte vita mundo nasceretur. Nec otiosus spectator assedit, sed omnibus facultates agendi, & generalẽ concursum indulsit, atq; adeo ne vel plura, vel alia præterea facinora conciperent, voluntates malorum direxit, non in mala quæ fecerunt, sed ne alia conciperent, quæ non fecerunt.

Detestanda est, inquit Prosper. ad obiect. 10. *& abominanda opinio, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem: cuius prædestinatio nunquam nisi extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est*: Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. *Adulteria enim matronarum & corruptelas virginum, non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare: nec disponere sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentiis & cupiditatibus seruiunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt: cum autem declinant à malo & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, vt viam eius velit. Propter quod dicit Apostolus*: Oramus autem ad Dominum vt nihil malifaciatis: nõ vt probati appareamus, sed vt vos, quod bonum est faciatis. *Non ergo causa recentium, nec malignitatem inquorum, nec cupiditatis peccantium prædestinatio Dei, aut excitauit aut suasit, aut impulit. Sed plane prædestinauit iudicium suum, quo vnicuiq; retributurus, prout gessit, siue bonum siue malum. Quod iudicium omninò futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissimè. Et omnis homo, quem diserto diuinæ scientiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur: quia non Dei sed suam executus est voluntatem.*

Nec modo veteres hoc censent, verum etiam Batani moderatiores & doctiores. [Peccati, inquit „ *Armin.* causa est, qui necessitat ad peccandum, „ qualicunque necessitationis actu, siue externo si- „ue interno: siue internâ suasione, motione, du- „ctu, qui necessario obedit voluntas; siue externa „ violen-

violentia adhibita, cui resistere non valet voluntas, licet aliquando tunc non sit futurus actus ille voluntarius. Immo grauius ille peccat, qui isto actu voluntarius, quam hoc; nam ille hoc facit, vt voluntas creaturæ consentiat in peccatum, iste minimè: licet iste consensus non sit voluntarius, qua se habet secundum modum voluntatis liberæ, sed qua se habet vt natura; quo solo modo Deus voluntatem ita mouere potest, vt necessariò moueatur, hoc est, non possit non mouere. Atque isto pacto voluntas, vt natura consentiens in peccatum, immunis est à culpa. Peccatum enim, qua peccatum est, à voluntate libera, & secundum modum libertatis huius in obiectum tendente. Lex enim non naturæ, sed voluntati; non voluntati, qua se habet secundum modum naturæ, sed secundum modum liberæ voluntatis est lata. Vana itaq; hæc est distinctio & ineptè ad liberandam illam primam sententiam obiecta crimine. Si quis pertinacius tueri velit, vnum eundemque actum libere & necessario patrari posse diuersis respectibus, nempe respectu causæ primæ ordinantis necessario. A respectu causæ secundæ libere, & contingenter. Ille sciat contingentiam, & necessitatem, non respectibus, sed integris essentiis dissentire, totamq; entis amplitudinem diuidere; propterea coincidere non potest. Necessarium est, quod non potest non fieri, contingenter fit, quod potest non fieri. Hæc contradicentia quæ nullo modo eidem actui tribui possunt. Voluntas liberè tendit in obiectum suum, quando à potentia superiori non est determinata in vnam partem. At determinatione illa facta, per decretum aliquod Dei non amplius dici potest libere in suum obiectum tendere: non enim iam principium est sui actus, dominium & potestatem habens.]

Pugnate itaque cum diuina & naturali lege necessitatem Caluiniani docet Arminius, & in Hollandia plerique doctiores.

QVÆSTIO II.

An melius fuerit Iudam natum non fuisse?

§. 1. QVamuis suam feliciorem Iudas conditionem, quam magistri sui existimarit, se enim iam diuitem, Christum in potestate inimicorum breui futurum opinabatur, contrarium tamen inculcat Saluator. Se quidem ire sicut scriptum sit de se; mors enim discessus est à vita laboriosa. Ita Victor Antioch. Theophyl. Tanta vero manere Iudam supplicia ex verbis Christi discimus, vt melius illi esset, nō esse quam ad atrocia in æternum tormenta natum esse. Athanasius ad Antioch. q. 101. *Liquet hinc quod æterna sit iustorum beatitudo, & peccatorum pœna. Et rursus ait Dominus de Iuda: Præstaret nunquam natum esse hominem illum. Si autem finem habet pœna prodesti Iuda, natum esse: siquidem & Iudas olim ad regnum cœlorum resurrecturus erat posti pœnam expiatam, sicut heretici decepti fabulantur.*

Pœna igitur illius æterna, & adeo grauis, vt melius sit non esse, quam tam miserum esse. Et quamuis miserrimum esse credant Philosophi, non esse. Aliud tamen Christus æterna veritas docet. Melius erat illi, si natus nō fuisset homo ille. Miseriam illam etiam serio æstimat Hieronymus in Hierem. c. 21. *Nos vero legentes illud beati Iob: Maledicta dies in qua natus sum: & nox illa in qua dixerunt, ecce masculus: & maledictus homo qui annunciauit Patri meo dicens: natus est tibi puer: huic testimonio coaptamus, quod scilicet melius sit, non esse quam viuere in supplicio: iuxta illud quod scriptum est: Mors vivo requies, cui clausit Deus viam suam. Et iterum: Quare data est misero lux, & vitalibus, qui tu amaritudine animæ sunt? & in Euangelio simpliciter dictum legimus: Melius ei fuerat si natus non fuisset: nunquid sit, qui natus non fuerit: sed quod melius sit non esse, quam male esse. Aliud est enim omnino non esse: aliud cum sit, absq; vlla intermissione cruciari: quomodo mortem quietam vitæ miseræ præferimus. Vnde & Amos diem appellat tenebrarum, & diem afflictionis. Et Iacob eo quod vixerit in labore, & angustia, dic: vitæ suæ paruos & pessimos vocat.*

An vero omnium, paruulorum etiam ea sit conditio, vt melius sit ipsis, non esse, quam sic esse: Augustinus definire non audet, quod hoc de solo Iuda propter diros cruciatus quos passurus est, dictū sit. l. 5. c. 8.

VERSVS 25.

Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi: ait illi: Tu dixisti.

QVÆSTIO I.

An absolutè Christus affirmârit Iudam esse proditorem?

§. 1. AN plena illa sit affirmatio. *Tu dixisti*? an dubia? valde disputant interpretes. Si enim vsitatum sit, ita affirmare quod alter interrogauit, Christus expressè Iudæ exprobrauit meditatum scelus proditionis. Ita factum esse existimat Baronius. negat Chrysostomus & Cassianus; si enim clarè proditorem illius verbis designasset, alii in eum insurrexissent. Equidem illius affirmationis in scriptutis exempla non habemus: videturq; ἀσυνήθὲς seu vrbana concessio esse, quæ Christo idcirco peculiaris, quod omnium corda nosset. Equidem, Iudæ, Pontifici, Pilato sic respondet. Caiphæ v. 64, cum enim adiurasset, vt diceret, an esset filius Dei. respondet Christus, *Tu dixisti*. Mox ille scindit vestimenta, quasi Dominus planè id affirmasset. Sed neque eo loco, solis illis verbis Dominus est vsus: sed addidit: *verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, &c. Imo dixit, *Tu dixisti, Ego sum*. nam illam responsionem, *ego sum*, Marcus habet. Et apud Lucam 23. 71. *Vos dicitis quia ego sum*. Sic & Pilato respondet. Nam quod est apud Euangelistas, *Tu dicis*: Ioannes pluribus exponit. cap. 18. v. 34. 35. 36. 37. *A temetipso, hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me*? Respondit Pilatus. *Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti.*

Concessiō; Tu dicis.

Constat itaq; modum loquendi Apostolos non intellexisse, ideo secundum signum dedit. Responsio autem in eo versatur, vt quod Iudas interrogantis vultu & sono protulit. *sum ego*? Christus ita accipit, quasi affirmatiue dicat. *Ego sum*. Nam hoc ita esse Iudas intus sibi in conscientia loquebatur, sonus quo interrogationis exprimebat affectu, simulantis erat malitiæ. Non absimili modo & Caiphas, & Pilatus ex tot miraculis Regē Israelis esse cognoscebant, conscientiâ conuicti clamabant. Interrogatio in Caipha erat calumnia. In Pilato dissimulatio.

Quod vero addit, visuros filium hominis, minæ sunt, aduentum suum & iudicium prædicentis extremum. Iam se stare ante iudices iniquos reum, breui sessurum pro tribunali, & iudicia impia iudicaturum. Quia verbo rem consideranti videbatur satis dictum, idcirco Theophylactus & alii manifestatum hac voce proditorem arbitrantur, Syrus autem Epitheton addit Iudæ מַשְׁלְמָנָא *Maschlemana*, id est, proditor.

VERSVS 26.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum.

QVÆSTIO I.

An cœna sit Eucharistia?

§. 1. MOris est apud Sectarios Eucharistiæ celebrationem nominare cœnam. Noster vertit, *cœnantibus*, in Græco est ἐσθιόντων, *edentibus*, 1. Cor. 11. 24. μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *post cœnasse*. & apud Ioan. 13. 4. *facta cœnâ*. Non igitur proprium est cœnæ hoc sacramentum, licet nondum mensis remotis Apostolis sit datum.

I. Corinth. 11. 20. quæ nominatur cœna dominica non est Eucharistia, sed agape, quam diuites pauperibus præbebant, vt quibusdã videtur. Verum constanter dominicam cœnam appellant Patres institutionem Eucharistiæ. vt Augustinus de sermone Domini in monte, lib. 2. cap. 7. Caluiniani cœnam appellant, vt veterem loquendi modum, quo corpus & sanguis Domini vocantur, sensim obliterent. Quod tamen minus commodè faciunt, cum matutino tempore & ipsi, non pomeridiano administrent, quæ est antiquissima Ecclesiæ consuetudo. Nam celebrabant antelucanis cœtibus Eucharistiam, quorum Plinius ad Traianum meminit. Et Tertullianus ad vxorem lib. 2. cap. 5. *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes.* Et lib. de corona militis. cap. 3. *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus.* Sic Cyprian. Epistol. 64. ad Cæcilium. Christum vesperi obtulisse, nos mane resurrectionem Domini celebrare: itaque calumnia est Magdeburgensium, dum hanc consuetudinem ad Montanistas referunt. Porro vides hic vsitatum Eucharistiæ nomen, tempore Tertulliani, quod etiam *dominicum* Africani appellarunt.

Cur cœnam Caluinistæ vocent.

Eucharistia.

Imo adeo notum hoc nomen fuit, vt non modo Ecclesiæ Latinæ, verum Syrianæ etiam fuit vsitatum. Nam Actorum 2. vers. 42. vbi nos habemus, ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. In fractione panis. In Syro est: בקצירא דאוברסטיא *Baketzaia deucharistia*, vbi d in principio signum est Genitiui seu regiminis. Non possum intermittere, vin fraudem in parua re, & manifestam ostendam, qua imperitia suorum Lutherani abusi sunt in versione responsi, quod Hieremias Constantinop. ad quæstiones eorum, & postulata reddidit. Verba Constantinopolitani sunt. καλεῖται ἡ εὐχαριστία ἡ τελετὴ, καὶ λογικὴ latria. vbi illi: vocatur autem Eucharistia, seu rationalis cultus illa, cærimonia, seu ritus sacer. At τελετὴ est sacrificium, oblatio, non quilibet ritus sacer. sicut τελεστικὰ ibidẽ verba appellat, cũ non modo Hieremias vrgeat. Missam, & Eucharistiam esse τελετὴν ἱερουργίαν, sacrificium, quod illi negabant, sed alii quoque ea vtantur significatione: sunt enim τέλεια hostiæ maiores, sanctiores etiam apud gentiles, & Christum vocat Dionysius Areopagita τελεταρχὴν, hoc est, *summum sacerdotem*, quod non minus improbe vertunt quidam nouatorum etiam in Lexicis suis, *cærimoniarum conditorem*, non minore Christi filii Dei, quam Catholicæ religionis contemptu. Ita in Iacob. Cellarii Lexico est τελετὴν. Augustinus lib. 10. de ciuit. Dei dixit consecrationem, alii μυστήριον, ἱερουργίαν. Gaza sacrum vertit. Sed maior fraus in versione Hieremiæ, qui sese ipse explicat.

Fraus Lutheranorũ.

Quod dixerat: καὶ τῷ μὲν ἡ προσφορὰ, τῷ δὲ ἀφάτως ἡ θυσία. *Et sit quidem oblatio, sit autem & inuisibiliter sacrificium.* Quomodo autem fiat, ostendit. καὶ τὸ εἰδῶν μεταβολὴ εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα, καὶ αἷμα ἀφανῶς τῆς θείας χάριτος τελεσιουργούσης διὰ τῶν τελεστικῶν λόγων. *Et mutatio specierum in corpus, & sanguinem Domini, occulte diuina sacrificium gratia perficiente, seu perficiente, & precibus* τελεστικαῖς, hoc est, *sacrificium perficientibus*, non autem perficientibus tantum, omnia enim illa verba τελεσιουργεῖν, τελεστικὰ, sunt sacrificiorum, sicut ἱερουργία.

QVÆSTIO II.

Quomodo benedixit?

§. 1. MVltis voluminibus versus hic, & sequens disputantur: Ego memor huius mei instituti, ostendam duntaxat, quid ex hisce verbis prouoritate Catholica contra hæreses disputari possit, quid insuper ipsi inter se discordes obiiciant. Quod si autem vllus tota Scriptura locus est, varie agitatus, ac in multiplices sensus distractus, hic profectò tanta interpretationum varietate vexatur, vt vel numerum sententiarum quærere sit operosum.

§. 2. De Iudæorum consuetudine & distributione, benedictione ac fractione panis rem omitto, tùm quod à plurimis tractetur, tum quod ad institutum meum non magnopere faciat. Summa nobis de benedictione controuersia est. Caluinus ridiculos putat Papistas, quod crucis figuram fecisse dicant, at vero nemo nostrum id asserit, nec tamen non esse factum asseximus, veterum nonnulli censuere. Multa fecit Iesus quæ scripta non sunt, nos de re incerta nihil affirmamus, temerarios eos iudicamus, qui sine argumento factum negant.

Negant hæretici pleraque pani benedixisse, itaque Bezæ εὐλογήσας referunt ad Deum, atque interpretantur εὐχαριστήσας, gratias agens. Nam vtroque verbo Euangelistæ vtuntur. Beza itaque vera, quæ accipit pro eodem. Plerator tamen in Græcis pertior cæteris, etiam interpretatur εὐλόγησεν τὸν ἄρτον, *Benedixit pani.* Nam accipiens calicem εὐχαριστήσας, *gratias egit.* Clara sententia est, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον, καὶ εὐλογήσας ἔκλασε *Accipiens Iesus panem postquam benedixisset, fregit.* De benedictione illa Lucæ nono, vers. decimo sexto, & 1. Corinth. 10. egi. Certum est Deo gratias agi solitas & benedixisse Christum creaturis. Paulus enim vocat *calicem benedictionis, cui benedicimus.* Imo εὐχαριστεῖν est etiam benedicere, & Syrus vertere solet, ברב *Berach.* Sic Ecclesia vtrumque coniungit; Tibi gratias agens benedixit. Hinc Græci vocant εὐχαριστήσαντα τροφὴν benedictum cibum.

Dubium esse nemini debet, quin gratiarum actio, Dei laudatio, creaturarum benedictio, & sanctificatio coniuncta fuerint. Hoc enim nobis Liturgiæ veteres exprimunt. Æthiopicæ quæ est Matthæi, apud Genebrardum, est in fine sæculi primi mentio, habetur gratias egit, benedixit, & sanctificauit. & dedit discipulis dicens. Et ne Caluinus crucem miretur, cum sacerdos dicit: Benedic, sanctifica, munda, crucem facit ad verba singula. Et in Liturgia Iacobi minoris ὁ ἱερεὺς σφραγίζων τὰ δῶρα, λέγει, &c.

Sacer-

sacerdos signans dona, dicit. Christi vero actionem in cœna sic recenset. Ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλογήσας τῷ θεῷ καὶ πατρὶ δυνάμεως, ἁγιάσας, κλάσας, *Suspiciens in cælum, & ostendens tibi Deo ac Patri, gratias agens, sanctificans, frangens*, &c. *De calice sic.* Λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἀναδείξας σοὶ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ δυνάμεως, ἁγιάσας, διακρίνας, πλήσας πνεύματος θείου καὶ ἁγίου. *Accipiens calicem, & gratias agens, ex vino & aqua miscens, tibi Deo ac Patri ostendens, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto.* Litania Iacobi maioris quæ est apud Clementem l. 8. constit. cap. 12. & sequentibus. Vide Turrianum, & vetustiss. Proclum Constan. Bessarionem, Nicolaum Methonens. In eâ cum de calice agitur, habet ἁγιάσας *sanctificans*. Nota est S. Petri apologia, de qua Wilhelmus Lindanus in apologia, Francisc. Turnan. l. b. 3. Charact. dogmat. Hisidorus Hispalensis olim lib. 2. officiorum, de missa, Paschasius Abbas Corbeiensis lib. de Corpore, & sanguine Domini. Cum igitur Apostolorum testimonio constet hæc omnia facta esse in veteri Liturgia, plusquam Satanica est malitia, atq; impudentia, consecrationem appellare magiam, non agnoscere benedictionem creaturarum. Non enim magia est, sed diuinum institutum, omnem creaturam sanctificare per verbum Dei. Manent istarum Liturgiarum etiam in Græca Ecclesia hodieque exercitia. Hieremias in Responso cap. 13. ita habet, vertentibus Tubinganis.

„ [Iam his fundamentis reuelationis diuinæ, rerum-
„ que Ecclesiasticarum ita positis & defixis, superstruun-
„ tur ea, quæ ad sacram Missæ operationem pertinent:
„ ab Apostolo Iacobo Adelphotheo Hierosolymæ E-
„ piscopo, tradita: sicut XXXII. canon Synodi in
„ Trullo celebratæ his verbis testatur. Etenim Iacobus
„ qui ratione carnis fuit frater Christi Dei nostri, cui
„ Hierosolymitanæ Ecclesiæ Thronus primo creditus
„ fuit, & Basilius verè Cæsarensium Archiepiscopus,
„ eius gloria totum terrarum orbem peragrauit: scri-
„ pto comprehensam mystici sacrificii administrationẽ
„ nobis tradiderunt in quo scripto peragendum id ad
„ hunc modum sanxerunt: vt sacræ Liturgiæ poculum,
„ aqua & vino constaret. Reperiuntur quoque anno-
„ tationes sparsim in sermonibus Ecclesiasticis S. Euan-
„ gelistam Matcum ipsius huius sacratissimi sacrificii di-
„ uina oracula & verba deinceps ordine composuisse.
„ Num vero amborum Apostolorum scripta adultera-
„ ta sint (sicut & insecutis temporibus Clementinæ con-
„ stitutiones) an propter nimiam fortasse prolixitatem
„ œconomicè & commodius hæc à Magno Patre no-
„ stro Basilio & deinde à Chrysostomo ad compendium
„ redacta: de hoc nihil certi habetur. Hoc tamen con-
„ stat ab antiquo, iam duos tomos nobis traditos esse & au-
„ thenticos agnosci, ex quibus Liturgiam celebra-
„ mus: tum ipsius magni Basilii, tum S. Patris Ioannis
„ Chrysostomi, ab vno eodemque Spiritu sancto & vna
„ traditione profecti ambo: nisi quod verbis Basilius
„ abundat, contractius loquitur Chrysostomus: Ex his
„ sacris duobus codicibus mystici sacrificii ritum obi-
„ mus. Atq; dominicis quidem per magnam Quadrage-
„ simã Paschalis diebus & nonnullis aliis. M. Basilii To-
„ nus recitatur, ex eiusque præscripto S. Missæ Myste-
„ rium peragitur: reliquis vero diebus Chrysostomi.]

§. 3. Benedictio illa fuit, quibus peracta consecratio. Benedixit igitur dicendo, *Hoc est corpus meum.* Hæc enim verba consecratoria fuerunt. Ambrosius lib. de his, qui mysteriis initiantur. cap. 9. *Quantũ vtimur exemplis, vt probemus non esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis quam naturæ.* Quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. de hac benedictione D. Th. 3. par. q. 78. *Ante benedictionem cælestium alia species nominatur, post consecrationem Christi corpus, significatur.* Eodem loco. Quæ autem sit benedictio declarat, cum ait: *Vbi ipsa verba Saluatoris operantur.* Chrys. hom. 3. de proditione Iudæ. In Liturgia Iacobi minoris, de qua can. 32. Trullano, Synod. 6. Proclus etiam & Bessarion meminerunt. Vide Claudium Sanctesium, præfat. in Liturgias Patrum. Similiter & Matthæi, qua vtuntur Æthiopes, iunguntur ista, benedixit, gratias egit. Cæterum quorũ verborũ sit benedictio S. Chrys. To. 3. de proditione Iudæ exponit. *Sacerdotis ore verba proferuntur & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dixit: crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, sed omnẽ tempore sentit effectum, ad generationem operante natura: ita & vox illa, semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, vsque ad hodiernum diem, & vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.*

QVÆSTIO III.

Quid est; fregit?

§. 1. CVm panis vnus duntaxat esset, vt in plures distribueretur, frangendus, aut scindendus erat. Nec aliud mysterium hic inuenio, nisi quis fractione panis, corporis in passione vulnerationem, & concisionem indicari censeat. Quidam fractionem aliud non esse putant quam distributionem: Quod quidem in Hebræa Lingua vsitatum est, sed ad hunc locum non pertinet. Hic enim dicitur ἔκλασε, ἠ ἔδωκε, *fregit, & dedit.* Proprie itaq; hic accipitur fractio. Deinde Hebræũ verbum שִׁבֵּר *Schabar*, est frangere, cibos distribuere, fragmenta facere. Sic Deuter. 2. 28. vertunt 70. βρωμάτια ἀργυρίου δοτὰ δώσεις μοι. *cibos argento tribues mihi.* Sic Prouerb. 11. 16. vertunt μερίζειν, *distribuere.* vbi Aq. Theod. πιπράσκειν Sym. πωλεῖν, *vendere.* quomodo etiam Genes. 41. 57. & 42. 6. interpretantur 70. at Genes. 41. 58. est ἀγοράζειν *emere.* & Daniel 2. 8. ἐξαγοράζειν red. mere. Sic שֶׁבֶר *cibus*, fractio, emptio, cibus σῖτος triticum Gen. 42. 2. at vero apud Matthæum & alios Euangelistas, non est verbum Schabar, sed קָצָה quod est proprie *extremare, extrema præscindere, succidere,* ἀποκόπτειν abradere. Hic קְצָה *Katza*, ὅριον, finis, Il. 16. 15. πλῆθος Iud. 11. 39. 2. Reg. 15. 7. συντέλεια consummatio. Daniel. 12. 4. Non habet autem distribuendi, vel pascendi significationem. *Fractio.*

§. 2. Zwinglianos frangendi verbum in partes tres diuisit. Ita vt iam in eorum Ecclesia sint tria genera fractionariorũ. Vnum est præfractissimum eorum qui fractionem panis partem sacramenti essentialem fingunt, ita vt sine illa celebrari non possit, ita Beza in confessione sua p. 30. & lib. 1. Epistol. *Fractionem non minimam esse partem actionis sacræ.* & fol. 28. *Qui fractionem panis non adhibent,* inquit, *Christum quodammodo non immolatum, neque vetere illa victimarum legalium dissectione adumbratum, & totidem pene Christos, quot singulares panes tradere videntur.* *Fractionarij.*

Eadem in opinione est Marloratus, in exposit. Eccles. Petzelius, Oleuianus, Widebrandus, omnino necessariam putant.

Alterum genus ordiaphoristarum fractionariorũ: illi rem adiaphoram arbitrantur. Hemmingius in Epistol. Apostol. pagin. 209. non esse præcepti arbitratur, ita videtur Musculus hoc loco; & Bullingerus homil. 1. de cœna. Zwinglius comment. de Eucharistia dubitat. Beza lib. Epist. fol. 28. mutata opinione putat *cœna Dominica nihil decedere, etiam si singulis ostiula in os ingerantur.* & lib. 2. q. fractionem panis cœnæ dominicę intermissam non abolere ipsam formam Sacramenti, quandoquidem ad confectionem Sacramenti non pertineat.

Pareus fractionem præceptam esse, non partem essentialem docuit, in Catechismo Heidelbergensi partem substantialem aiunt, vt sine ea cœna celebrari non queat iuxta Christi institutionem. Casparus Iselbergius docuit fractionem esse essentialem, sed Bremę tamen vsus est rotundis particulis, nec fractionem requisiuit. de his plura in 1. Cor. c. 11.

De cærimoniis litigant rem ipsam negant.

§. 3. Ridicula porro eorum est hypocrisis, cum de cærimoniis digladiantur rem ipsam è medio tollant, & eo tamen vsque proteruia grassata est, vt in mutuos anathematismos exardescant. Verum superstitiosè hærent in externis, cum plura tamen negligant, neque enim in cœna ista faciunt, neque pedes lauant. Nec hoc quidem considerant, ideo fregisse panem, quod paruuli panes ad manum non essent, ex vno enim pane omnibus dedit. Quod si illa cærimonia ad Sacramenti essentiam pertinet, quia vno pane vsus est Dominus, etiam in numerosis cœtibus vno pane duntaxat vtendum est. Verum hac de Epist. 1. Corinth. 11. actum. Hoc tenendum est panem à Christo fractum initio, deinde consecratum, ac benedictum discipulis datum, hoc corpus Christi quod Apostolus dicit ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, quod pro vobis frangitur, quod nonnisi impie ad panem potest referri. Quod explicandum est eo modo, quo dictum est ante de שִׁבֵּר *Schabar, fregit.*

QVÆSTIO IV.

Quæ hæreses in controuersiâ de Eucharistiâ fuerunt?

§. 1. PRæcipuæ enumerandæ sunt, quæ & hæc & alia verba ad suam perditionem deprauarunt. Sola autem recensione eorum satis, moueri quisq; debet, vt in Ecclesia permaneat, & à qua Scripturam accipit, ab eadem etiam audiat interpretationem.

Capernaitæ.

Prima hæresis fuit Capernaitarum & Iudæ, cum enim Ioan. 6. 51. 52. 56. Audissent carnem Christi comedendam, & cibum esse. Dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire, discesserunt que à Christo.* Inter eos & Iudas fuit. *Nonne ego duodecim elegi, & vnus ex vobis*

Iudæi.

Diabolus est? inquit Christus. Iudam non credidisse constat ex cap. 6. Ioan. 65. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt; Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.* Iudas igitur traditor erat ex non credentibus. Atq; hæc est sententia Chrysostom. homil. 46. in Ioan. Augustin. tract. 27. Theophylactus in 6. Ioan. noster Val. lib. 1. cap. 2. de reali præsentia corporis Christi. Quod ad Theophylactum attinet, veram putat quorundam suorum antecessorum sententiã, qui Iudam in cœna corpus Christi sumpsisse quidem, non edisse autem, sed Iudæis per contumeliam ostendisse, poculum bibisse autem, quod dissimulare nequiuerit, docuerunt. Secuti sunt

Simoniani. Menandriani.

Iudam, Capernaitas Simoniani, Menandriani, & quicunque humanam Christum induisse carnem inficiati sunt; illi enim cum corpus Christi aspectabile contenderent esse Phantasticum, non potuerunt veritatem eius in Eucharistia agnoscere, quam in sua substantia negabant. Error ille etiam in quibusdam Corinthiis fuit, qui tamen veritatem carnis in Christo confitentes, de Eucharistia nondum satis edocti erant, ita Cyrillus libro quarto Pentabibli, citatus à nostro Turriano in libro primo, canon. Apostol. capite 24. Sed hos errantes, non hæreticos appellãro.

Gnostici.

Secuti inde Gnostici quorum in profananda Eucharistia tanta erat turpitudo, quam Epiphan. hæres. 26. recensет, vt aures merito abhorreant, animusque. Epiphan. hæresi 26. impunitatem eorum describit.

Montanistæ.

Montanistarum non omnino absimilis improbitas, qui infantium compunctorum sanguine farinam miscebant, ex qua Eucharistiam conficiebant, ita Epiphan. hæres. 48. Augustinus hæresi 26. Artotyritæ qui & Priscilliani, & Quintiliani, & Pepuziani, ex caseo & pane Eucharistiam suam composuerunt. Epiph. hæres. 49. August. 27. Tatianis & Encratitis materia Eucharistiæ aqua fuit, vnde & Aquarum illis nomen est tributum. dicti sunt & Hydroparastatæ, Augustinus etiam, hæresi 64. Epiph. 46. Cyprian. Epist. 67.

Artyritæ. Priscillianistæ. Quintiliani. Pepuziani. Tatianis. Encratitis. Aquarum. Hydroparastatæ.

§. 2. Manichæi fieri corpus Christi expane negabant. Prat. V. Manichæi. Gnosticorum fœditas in illa imitabantur. Cyrill. Catechet. 6. Augustinus §. 46. de eisdem Augustin. lib. 20. contra Faustum capite decimo tertio, decimo quinto decimo sexto. Verba etiam Christi in eadem calumniabatur. Leo serm. 6. de ieiunio mensis 7.

Manichæi.

Origenistis, non Origeni Theophylus, Alexandrinus, & Concil. Nicenum etiam contemptum Eucharistiæ adscribit; Quod indignum existimarem, inrebus terrenis, vt pane & vino, res cœlestes quasi includi, & in illis percipi. Paulus Samosatenus de Sancti corruptione corporis CHRISTI in Eucharistia nu. periculose disputare cœpit. Teste Dionysio Alexandrino.

Origenistæ. Paulus Samosatenus.

Arianos etiam in Eucharistia errores defendisse constat ex Epiphanio hæres. 68. Ex eo principio quod filium assumpsisse quidam dicerent tolam carnem absque anima. Quo nomine etiam ex Cyrillo libro decimo, in caput decimum tertium Ioan. colligimus, realem eos non negasse præsentiam. *An fortasse,* inquit, *Arianus putat ignotam nobis mysticæ benedictionis esse virtutem? Quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare.* Eosdem sermone de paschate, etiam Nazianzenus huius erroris accusat. Certe mysteria Catholicorum pedibus conculcare, & modis indignis tractare soliti sunt.

Arianos.

De Vbico apud Augustinum Epistol. 86. quid sentiendum sit, dubito. Augustini verba sunt. *Dicit cessisse panis pecus, tanquam nescienti, & tunc in mensa Domini panes propositionis poni solere, & nunc se de agni immaculati carne partem sumere.*

Vbicos.

Posse forte excusari quasi sanguini pecudum quia spectabili cæde effundebatur, diceret poculum successisse, in quo quidem sanguis verus, sed non visibili modo continebatur. Verum Augustinus corrigendum vel errorem, vel loquendi modum putauit.

Messaliani Eucharistiam ἐκ τῶν ἀλλοφύλων, ex indifferentibus, esse docebant, eius perceptionem nec vtilitatem, nec omissionem, habere culpam. Theodoret. lib. 4. histor. c. 10.

Messaliani.

§. 3. Iconoclastæ, vt est Act. 6. Nicenæ Synodi secundæ, in Eucharistia dicebant esse vinificæ carnis imaginem, non veritatem, id esse videtur ex Nestoriano dogmate, vt ex Cyrilli Anathem. 2. constat. Fuisse quosdam etiam Damasceni tempore constat, qui figuram corporis in Eucharistia esse dicerent.

Nestoriani.

Ridicula fuit Paulicianorum, seu Paulli Joannitarum, seu Atinganorum hæresis tempore Constantis, qui Nepos Heraclii fuit; Christum cum diceret: *accipite, comedite,* verba, non panem, aut vinum, medum corpus suum dedisse, ita sola suis verba dabant. Euthym. auctor. Idem in Pagnopl. tit. vigesimo primo.

Paulicianæ.

Armę-

Armenios ait, in Sacramento negasse verum Christi corpus, sed esse in eo corpus diuinitatis; nam corpus in diuinitatem mutatum esse imaginabantur. Vide Georg. Cedr. Anno 640. Sand. hæres. 132. Successerunt deinde aliæ atque aliæ pestes ex errorum barathro exhalatæ, & mundum inficientes. Bogomili enim sub Alexio Commeno Eucharistiam in templis dæmonum sacrificia esse blasphemabant. Euthy. Panopl. tit. 23. Hoc illi de Missa proprie dicebant; alioqui Eucharistiam dicebant esse orationem dominicam. Auctor eorum Basilius medicus, Trinitatis negator, anthropomorphita, Iconoclasta. Mundum ab angelis conditum, Michaelem incarnatum dicebat, resurrectionem negabat.

§. 4. Mahomedani, vt Averroes testatur; Impios Christianos dicebant, quod Deum suum comederent. Sataceni, Iudæi; alii etiam rogare solebant, quantum illud esset corpus, quod tot edentibus per tot sæcula sufficeret?

§. 5. Ecclesiam Latinam turbauit primus Ioannes Scotus, Anno circiter 886. damnatus est in Concilio Vercellensi. ita Lantrancus lib. de veritate corporis & sanguinis in Eucharistia. Tritemius à Carolo Magno euocatum ait, fuisse Monachum Benedictinum, Bedæ discipulum, Græce doctum. Gaguinus lib. 5. Annalium ab auditoribus confessum refert. Oecolampad. lib. 3. Epistol. Vadianus lib. 3. aphorismorum Sectæ fuere auctorem. Bellarm. lib. 1. cap. 1. de sacram. Euchar. dubie scripsisse affirmat. Eodem pene tempore Bertramus eandem Quæstionem mouit; quem Paschasius Corbeciensis Abbas confutauit. Scripsisse librum ad Carolum eo de argumento tradunt. Verum Bertramum negant libri auctorem, nec desunt rationes. Claudius de Sainctes existimat, fraudem factam, vt hæretis magni viri auctoritate redderetur commendabilior. Iudicium eius ascribam. *Eodem*, inquit resp. 2. de veritate Eucharistiæ *Tritemio autore, illo sæculo floruit Bertramus, sacris in literis & profanis commendatus presbyter & monachus. Tum editus est liber de Eucharistia, quem nostri Bertramo ascribunt. Sed quo minus ei tribuatur, obsunt multa. Imprimis verum illum Bertramum totos annos septingentos nemo hæreseos reprehendit, quasi male scripserit: sed refertur in Catalogum scriptorum Ecclesiasticorum, vt vir non minus vita, quam doctrina, ingenio, & eloquio disertus & Catholicus, nec memoratur de Eucharistia quicquã scripsisse. Deinde in controuersia Berengariana Catholici Bertramo proximi nihil tale quicquam ipsi imputant, vti faciunt Scoto, quem Berengarius extollebat, & se imitari iactabat, non tacturus de Bertramo, magni nominis viro, si quid illi de sua hæresi potuisset acceptum ferre. Insuper cum Paschasius Corbiensis, qui etiam illo sæculo vixit, suum scriptũ opponat corruptulis libris, qui Bertrami dicebatur, vt ex collatione notum fiet, procul dubio Bertrami nomini non pepercisset, ne quis tanti viri auctoritate falleretur. Postremo nec liber Bertrami excellentiam & probitatem præ se fert, aut sapit, sed artem callidi & impudentis hæretici, simulantis, se à Catholica fide non recedere, cuius locutionibus vtitur, cum tamen desinat in hæresin Berengarianam, cui viam fecit, ac tandem agnoscat sententiam, quam introducit receptæ doctrinæ de Eucharistia repugnare. Sic enim concludit: Hæc si probaueritis Catholice dicta, fidei vestræ meritis deputate. Sin minus placuerit, id nostræ deputetur insipientiæ, quæ, quod optauit, minus efficaciter explicare potuit. Indicat quisquis fuit, suam doctrinam ab Ecclesia non approbari, & testatur se astutius scripsisse quasi non potuerit simplicius & aperius. Itaq; certum est, ortam tum disputationem de Transubstantiatione, ac Corporis Christi in Eucharistia veritate & verbo institutionis circa sæculum Caroli Magni, & Caroli Calui, quemadmodum cernitur ex Rabano Mauro, Paschasio Corbiensi: & tum exisse librum, quem nunc Bertramo adsignant, cui Paschasius respondit. Sed credibile est, tum prodisse Anonymum cui autor non fuerit ausus nomen apponere; ne statim ad Ecclesiæ iudicium traheretur: sicut Berengarius, cum primũ innotuit, vocatus est. Tandem vel nostra solum ætate per Oecolampadium, qui prior emisit hunc libellum, vel post Berengarii tempora, à quibusdam moleuolis Bertrami nomen fuit impositum; vt adulterino fœtui & hæretico maior conciliaretur autoritas.*

Ex his constat Bertrami non fuisse, sed per fraudem Bertramo tributum.

§. 6. Circa annum 1020. Leuthericus Archiepiscopus Senonensis idem docere cœpit; sed à Roberto Galliæ R. ge repressus, cessauit. Verum primum clam, deinde mortuo Roberto palam docere hæresin sacramentariam incepit Berengarius. Monuerat eum Fulbertus; Adelmannus Episcopus Brixcensis, sæpe damnatus sæpe relapsus est, an. 1079. in concilio Rom. vere conuersus hanc confessionem edidit: *Leuthericus.*

Ego Berengarius corde credo & ore confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium Sacræ orationis & verba nostri Redemptoris substantialiter conuerti in veram & propriam ac vitificam carnem & sanguinem Iesu Christi Domini nostri; & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est; non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc Breui continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem vlterius docebo. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Anno 1088. mortientis vox fuit: *Hodie, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus, propter pœnitentiam, vt spero ad gloriam: vel propter alios, vt timeo ad pœnam.* Non tamen illo reuocante errores, & moriente etiam hæresis exstincta est, sed Validius in Arclatensi Prouincia erupit, grassante Petro de Bruis per annos 20. Multos ille errores habuit, paruulos baptismo saluari posse negauit, Ecclesias destruendas esse docebat, cruces frangendas, deridenda sacrificia, orationes, eleemosynas, pro defunctis. Tandem cum crucem Domini subiectis flammis exussisset, ipse quoque in rogum iniectus pœnas dedit. Petrus Venerab. Epist. 1. l. 1. *Berengarius.* *Petrus de Bruis.*

§. 7. Abelardus eiusdem hæresis suspectus fuit, vt est apud Bernard. Epist. 187. nec immerito, cum enim negaret humanam à Christo carnem assumptam, non potuit eius in Eucharistia veritatem agnoscere. Illum tamen pœnitentem & Catholica in fide Cluniaci mortuum tradit Petrus Abbas Cluniac. lib. 5. Epistol. 3. & 20. *Abelardus.*

Albigenses seu Albianos pro sanctis agnoscunt Caluiniani anno 1176. in Prouincia Tolosana conuicti sunt, Manichæorum hæresin instauratunt. Eadem fere Beguardi, cum suis Beguinis sectari sunt. Impuritatis esse dicebant, ita ab altitudine suæ contemplationis descendere, vt de Christi humanitate, aut sacramento Eucharistiæ cogitationes susciperent. Nec Græcia immunis fuit, refert Niceta Chomat. l. 3. annal. disputatum, an corpus Christi in Eucharistia esset incorruptibile, nata disputatio ex Aphthardocitis. Tandem Flagellantes, Waldenses, Wicleffus, Hussus prodiere, quorum adhuc reliquiæ in minutas Sectas sparsæ supersunt. *Albigenses. Beguinæ. Flagellantes. Valdenses. Wicleffus. Hussus.*

QVÆSTIO V.

Quæ hæreticorum nostri temporis explicationes?

§. 1. IN Tabella spectandas exhibuit eas nobis repetitione I. c. 10. Claudius de Sainctes, Reuerendissimus Episcopus Ebroicensis. Eam hic tibi Lector repræsento. Sunt vero octoginta quatuor interpretationes; quarum etsi aliquæ aliquando in eundem sensum incidere videntur: differentiam tamen habent ex sententia proferentium, etiam eorundem au-

ctorum, dum à se ipsis dissident, & aliter atque aliter rem exprimere conantur.

Hoc est corpus meum, id est,

1. *Hic est corpus meum.* quia Hebræi careant neutro genere.
   Luther. in Capt. Babyl. & Bremenses notantur à Caluino in vltima admonitione contra Westphal. & in Epito. Colloq. Mulbrunensis.
2. *Hoc est sanguis meus.*
   Beza in annotat. in nouum Testam.
3. *Hic siue in hoc loco, est corpus meum.*
   Biblia gallica Geneuæ: & notantur ab Heidelbergensibus in Conform.
4. *In hac actione, non tamen in pane, est & exhibetur corpus meum.*
   Bucerus in suis retractationibus Heildeberg. in Conform. Caluinus locis citatis in Examine doctrinæ eius de cœna.
5. *Hæc actio est meum corpus, id est, Societas siue communionis sacramentum in corpore meo.*
   Ioannes Alasco in Tractatu de Sacramentis.
6. *Corpus meum est hoc, nempe panis.*
   Suenckfeldius citante Heshusio, & Petrus Martyr in magno volum.
7. *Corpus meum est hoc, id est, cibus spiritalis: vt Ioan. 6. dicitur, Caro mea vere est cibus.*
   Ioannes Langus Silesius in Comment. ad Apolog. 2. Iustini.
8. *Hic panis proprie, ac sine figura, est corpus meum.*
   Luther. de Captiu. Babylonica. Heshusius & Bremens. vt notatur in Iudicio Melancht. de cœna.
9. *Hic meus est panis.*
   Anabaptistæ; citante Westphal. lib. Recta fides de cœna.
10. *In, cum, sub pane est corpus meũ, vt pillula in ouo.*
    Brencius cum suæ vicis ministris in Syntagmate contra Oecolamp.
11. *Cum pane est corpus meum.* Vt, cum, non sit præpositio sed aduerbium temporis, & significet corpus capi, quãdo capitur panis.
    Wilelmus Clebicius l. de cœna: & Brandeburgenses, vt habetur in disp. Heildebergæ habita anno 1560.
12. *Est in pane, vel cum pane, corpus meum:* vt non intelligatur locus, aut tempus sed externũ cœnæ subiectum, remotum à Christi corpore, quod in illo vel cum illo edi dicitur, non tanquam in illo existens, sed tanquã obiectum cœnæ actionibus circa panem exercitis. Ioan. Matthæus Smalcaldensis lib. de cœna.
13. *Circa panẽ est corpus meũ:* Vt aer circumfusus.
    Suenckfeldius de duplici statu Christi. Notatur à Luthero in Confessione Eucharistiæ.
14. *Hoc est corpus meum:* in panis vsu: seu quamdiu sumitur panis in eo est corpus meum.
    Lutherani, & Bucerani in colloquio Wittebergensi & in Concordia anno 1536.
15. *Hoc est corpus meum speciali modo existens in pane ad edendum, cum alias vbiq; sit.*
    Brentiani in disput. contra Bullingerum & alios de omnipræsentia corporis Christi.
16. *Verbis mentis demonstratur, corpus sicut panis digito sensibus:* vt propria & non figurata sit locutio, & tantum demonstretur corpus.
    Matthias Illiricus ex Bucero lib. de fideli admonitione.
17. *Proferendo panem, dico me proferre corpus meum contentum in eo sine vlla figura:* sicut proferendo Bursam, dico hoc esse argentum.

Hoc est corpus meum, id est,

Wittenbergenses in colloq. Mulbrunens. & Matthias Illiricus in demonstrat.

18. *Tantum demonstro corpus meum, neq; significo panem esse corpus aut factum esse corpus meum.*
    Wittenbergenses in colloq. Mulbrunensi, & Matthias Illiricus in Append.
19. *In Eucharistia duabus rebus compositis, seorsum vna demõstratur:* vt in ferro ignito dici potest separatim, Hic est ignis, & hoc est ferrum sine figurata locutione.
    Matth. Illiric. in fideli admon. & in demonst.
20. *Hic cibus pane & corpore constans est corpus meũ:* vt sit propositio sacramentalis, & duas res simul coniunctas demonstret.
    Matthias Illiricus in Appendice. Valentinus Erythræus in Fabulis Conf. Ausustanæ.
21. *Hic panis est corpus meum:* vt non sit propositio naturalis & secundum proprietatem Logicam, sed naturalis, & familiaris Scripturæ, quando vult significare res diuersas inter se verè coniunctas.
    Martin. Cemnicius in Repetitione de cœna, & in Examin. par. 2. contra Concil. Trid.
22. *Hoc est corpus meum:* non absolute & in actu primo, sed in actu secundo & in operatione & energia.
    Seckius in Responsi. de duabus naturis in Christo.
23. *Hoc est corpus meum:* non in proprio subiecto, nec in panis subiecto & materia, sed in obiecto cœnæ & actionum eius.
    Ioannes Matthæus Smalcaldensis libro de cœna.
    Suenckfeldius citante Heshusio.
24. *Corpus hoc meum est:* vt dixit, destruite templum hoc: quasi demonstraret corpus suum in naturali statu & subiecto.
    Pontanus in Francia Antarctica citante Villagagnone in lib. de Eucharistia.
25. *Corpus meum est hoc,* quatenus mense accumbit.
    Carolstad. in Dialog. de Eucharistia.
26. *Hoc significat corpus meum.*
    Cinglius in subsidio Eucharistiæ & alibi: & Beza contra Westphalum.
27. *Hæc est mea humana natura.*
    Cinglius in expositione rei Eucharisticæ.
28. *Hæc est diuinitas, seu Spiritus qui viuificat.*
    Cinglius in eadem expositione.
29. *Hæc est mors & Passio mea.*
    Cinglius in lib. 2. de institutione cœnæ.
30. *Hoc est fidei corpus, seu fides de me.*
    Cinglius lib. 2. de Institutione cœnæ.
31. *Hæc est commemoratio corporis mei.*
    Cinglius in Responsione ad Conf. Lutheri.
    Oecolampadius ad Theobaldum Bellicanum.
32. *Hoc est Symbolicũ corpus, sed figura veri corporis.*
    Cinglius in Præfat. ad Regem Gallorum, & ad Principes Germaniæ.
    Oecolampadius. De dignitate Eucharistiæ.
    Petrus Martyr in Tractatu de Eucharistia.
    Caluinus in consensu cum Tigurinis.
33. *Hæc est tessera societatis Christiana.*
    Cinglius citante Bucero in Epistola ad Episcopum Erephordiens. & Heildebergens. in Conform. cœnæ.
34. *Hoc est corpus meum, quatenus pro vobis datur.*
    Cinglius in quadam Epistola, & Oecolampadius ad Theobaldum Billicanum.

35. Hæc

35. *Hoc est signum quod admonet vos, quomodo corpus Christi pro vobis traditum vos viuificet.*
Oecolampadius de dignitate Eucharistiæ.
36. *Hoc est Symbolum, quod testatur vos ab vno eodemque corpore esse redemptos.*
Oecolampadius ad Ecclesiastas in Suevia.
37. *Hæc est protestatio & μνημόσυνον meorum beneficiorum.*
Bucerus in Apolog. de doctrina cœnæ Domini.
38. *Hoc est corpus meum, quod do vobis animo edendum, sicut panem ore.*
Petrus Martyr in tract. de Eucharistia. Bucerus in cap. 26. Matthæi.
39. *Hoc est corpus meum paneum.*
Campanus à Luthero notatus in Confess. de Eucharistia, & à Marcione sumpserat.
40. *Hoc est Symbolum sacrum gratiæ & redemptionis meæ quod post me vobis relinquitur.*
Bullingerus in cap. 10. prim. ad Corinth.
41. *Hoc est testimonium & obsignatio corporis pro vobis traditi.*
Bullingerus in tractatu de Eccles. sacram.
42. *Hoc est mysticum corpus meum, seu ecclesia sanctorum redempta meo corpore.*
Bulling. in tract. de Eccles. sacram. Caluin. in cap. 5. ad Eph. 5.
43. *Hoc sacramento significatur passio & mors mea, ac communio cum omnibus sanctis.*
Bulling. in tract. de Eccles. Sacram.
44. *Hæc cœna est tessera & arrabo corporis mei.*
Stancarus in Polonia & Transylvania, vt notat Staphylus de Lutheranorũ concordia.
45. *Hoc est verbum meum cui credatis.*
Ministri Anturpienses in libello de ruina Rom. ecclesiæ.
46. *Hic panis est Tessera nuda communitatis, & nudum testimonium participati corporis.*
Svenckfeldius vt citant Heildebergenses in conformit. cœnæ.
47. *Hic panis est signum efficax corporis mei & participationis in eo.*
Caluinistæ, & Heildebergenses in conformit.
48. *Hoc admonet vos de corpore Christi edendo per fidem.*
Silesiorum confess. citata à Luthero in magna confess. de Eucharistia.
49. *Hic festus dies, seu ceremonia ista est commemoratio, seu gratiarum actio pro corpore meo passo.*
Vrbanus Regius in Epistola Cinglii ad ipsum.
50. *Accipite edite, quod pro vobis datur, est corpus meum.*
Notatur à Luthero in confess. de Eucharistia. Caluin. in 2. defensione contra Westphalũ.
51. *Hoc est corpus meũ in diuinitatẽ transformatũ.*
Svenckfeldius de duplici statu Christi, notante Luthero de confess. Eucharist. & Staphylo de Lutheranorum concord. De eodem notatur Servetus à Beza.
52. *Hæc est societas vobis gratuito delata, ius & vsus illius in meo corpore.*
Ioannes Alasco in tractatu de Eccles. Sacram.
53. *Hæc est communio in meo corpore, non iuxta substantiam suam naturalem, sed iuxta meritum passionis meæ & mortis, ac gloriam admirandæ resurrectionis.*
Ioann. Alasco apud Melanchth. In iudicio de cœna Domini.
54. *Hæc est qualitas mei corporis vobis delata à quibus substantiam accepi.*
Idem Ioann. Alasco in tract. de Eccl. Sacram.

Hoc est corpus meum, id est

55. *Hæc est cœnæ instituta forma, ceremonia, ipsaq; externa actio.* Ibidem.
56. *Hæc est visibilis extremæ meæ voluntatis contestatio.* Ibidem.
57. *Hæc tota cœnæ actio, symbolum est non tantum corporis & sanguinis, sed mortis & effusionis quæ facta est pro vobis.*
Vir. etus libro 7. de Sacram. cap. 9.
58. *Hoc est corpus meum, si fides adsit.*
Hypothetici nominati ab vnicordio in iudicium Melanchth. de cœna.
59. *Hæc est participatio corporis mei si fides adsit: sin minus oblatio quæ recusatur ab indignis.*
Passim Caluinus & Caluinistæ.
60. *Hoc est Testamentum in corpore meo.*
Heidelbergens. in conformit. & Calu. sæpe.
61. *Hoc est corpus meum in cœlo positum tam dissitum à pane & à vobis, quam cœlum à terra.*
Caluin. in Heshusi. & Beza in declam. Pissiaci habita, atque alibi.
62. *Hic est canalis Spiritus sancti, per quem quicquid est Christus ad nos descendit.*
Caluin. lib. 4. Institut. cap. 17. num. 12.
63. *Hic est canalis corporis mei.*
Bucerus ad Epist. Erephord.
64. *Hæc caro est canalis vitæ.*
Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 9. & in cap. 6. Ioannis.
65. *Hic panis est instrumentum, quo Christus nobis suum corpus distribuit.*
Caluin. lib. de cœna.
66. *Hæc est virtus & gratia spiritalis mea.*
Caluin. in cap. 26. Matth. Pauperes semper habebitis vobiscum.
67. *Hoc est abstractũ quid à substantia corporis mei.*
Caluin. in ratione ineundæ concordiæ.
68. *Hic panis est corpus meũ, sacramentali locutione & coniunctione per metonymiã signi & signati.*
Caluinus & Beza in Heshusium.
69. *Hic panis est symbolum defluentis qualitatis alicuius & virtutis à corpore meo, quæ in cœna per fidem extra panem recipitur.*
Eo recidunt omnes Caluinistæ Catholicorum argumentis oppressi.
Liber Anonymus sub persona veri Catholici editus 1572.
70. *Hoc est corpus meum, visibile sacramentum corporis inuisibilis: seu, hæc est visibilis species panis, sacramentum inuisibilis corporis.*
Tanquam ex magistro sententiarum citat falso libellus ille anonymus.
71. *Hoc est verissimũ corpus Christi vt verba sonant.*
Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 3. & in cap. 11. prioris ad Corinth.
72. *Hoc est corpus meum ibi vbi est panis.*
Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. num. 10.
73. *Hoc est Symbolum, quo vera corporis mei communicatio exhibetur fidelibus.*
Bucerus ad amicum quendam. Bulling. in cap. 10. 1. ad Corinth. Caluinus lib. de cœna: in consensione cum Tigurinis.
74. *Hoc Symbolum est, & testificatio, quæ spirituales gratias figurat.*
Caluin. in Catechismo.
75. *Est obsignatio seu confirmatio gratiæ ibi receptæ.*
Caluinus lib. 4. Instit. cap. 14.
76. *In hac cœna quatenus est cœlestis actio, & non quatenus est externa & terrestris, est corpus meũ.*
Caluin. in Heshusi. Heilderg. in conformitate, & Beza in Apolog. ad examen doctrinæ Caluinianæ de cœna.

Hoc est corpus meum, id est,

77. *Hoc est symbolum promissionis meæ de carne mea.*
Caluinus in ratione ineundæ concordiæ.

78. *Hæc est substantia corporis cum gratia, energia, & efficacia inseparabili.*
Vsienergistæ dicti apud vnicordium in iudicium Melanchth.

79. *Hæc est communicatio, seu participatio corporis:* quasi per Apostolum sermo Christi explicetur.
Beza contra Heshusi.

80. *Hæc vnio cum tota persona Christi:* Vt corpus significet quicquid est Christus.
Beza in solut. 17. contra Illyricum.

81. *Adest corpus meum spiritali præsentia & participatione.*
Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. num. 18. & in cap. 4. ad Ephes.

82. *Hoc est corpus meum sine diuinitate & sanguine.* Post Nestorium omnes nostræ ætatis negantes concomitantiam naturarum in sacramento; ne admittant communionem sub vna specie; & adorationem in sacramento.
Caluinus lib. 4. Institut. cap. 17. num. 37.

83. *Hoc est corpus meum sub ratione immolationis, siue, hæc est communicatio passionis & immolationis meæ.*
Carol. Molineus in Annotat. ad suam Hariam.

84. *erest, siue sit corpus, siue non sit:* nam n articulus fidei, nec de eo est digladia.
Citat de busdam Lutherus in Confess. Eucharistiæ: eoque inclinat Melanchth. & via prona ad Alcoranum ait Staphylus de Lutheranorum concordia.

QVÆSTIO VI.

Quomodo contemnant Caluiniani & omnes sacramentarij verba institutionis?

§. 1. DEmonstraui eorum in verbis explicandis malitiosam ruditatem, calliditatem, argutias, nec omnia tamen attulit Claudius, nec exposuit, nec opus erat. Breuis tabella tam multiplices errores non capit, volumine opus est. Imo illa ipsa quæ refert, asperius & absurdius ab illis dicuntur. V. 9. num. 30. ex Zwinglio citat. *Hoc est corpus meum*, id est, *fides de me.* Zwinglius vero non hoc modo dicit, tract. 2. de instit. cœnæ. Sed hæc eius verba sunt: *Panis & caro cuius meminit Christus, nihil aliud est, quam fides.* Sic de aliis quibusdam sentiendum est, exempla pauca producam. Caluinus instit. de cœna, §. 33. *Ipsa caro Christi in mysterio cœnæ, non minus spiritalis res est, quam fides æterna.* Cinglius Epistola ad Lutherum: *Sic nostra quoq; commemoratio corpus dici consueuit, non quod solennis hæc festiuitas vel panis, qui in hac frangitur, Christi corpus reuera sit, sed quod corporis & mortis Christi memoria celebratur.* A. Martyr disputat. Oxoniensi: *Hoc est corpus meum pro vobis tradendum: si fide & spiritaliter à vobis manducetur, est pro pane, vel instar panis; ad vos nutriendos & sustentandos.* Cinglius de vera & falsi religion. *nos non nitimur sub Christi verbis; Hoc est corpus meum.* Beza lib. 2. quæst. pag. 121. *Hic panis est sacramentaliter corpus meum.* Beza lib. 2. quæst. pag. 121. *Hic panis est sacramentaliter instrumentum, nostræ cum Christi corpore societatis.* Ioannes Leonardus in gladio vetsatili fol. 81. *Hoc, Quæstacosa, seu hæc res, est corpus, quod relinquo vobis loco rei inuisibilis corporis mei.* Ioannes Leonardus. *Hoc est corpus meum, id est, in hoc signo & sacramento panis est verum meum corpus, quod non erit vlterius, sicut est nunc visibile.* Ioannes à Lasco tractatione de Sacramentis, *Hæc est communio ius, & societas mei corporis, societas quidem passiua non actiua.* Epist. ad regem Polon. Ioann. à Lasco tractat. de sacrament. Ecclesiæ. *Hoc est corpus meum*, id est, *Hæc est extrema voluntatis meæ contestatio.* Hemming: *est obsignaculum, quo filius Dei sua beneficia obsignat.*

Carolstad. in Dialog. ad 1525. τὸτο est hoc corpus meum, τὸτο ist der Leib mein. Musculus in locis comm. ad corpus quod sedebat in mensa; refert Caluinus in Corinth. 11. vocat insulsum commentum. Cinglius de vera & falsi relig. corpus meum hoc est ecclesia. Cinglius ad Epistol. Pomerani, *Hoc est corpus meum*, id est, *passio tolerata in corpore meo.* Bucerus in apolog. *Hæc est protestatio & memoriaculum beneficiorum Dei.* Bullingerus in 1502. *Hoc est corpus meum non naturale sed mysticum & spirituale, per hoc tamen non intelligit ecclesiam.* Lanaterus in histor. à sacramentaria, *In verbis, Hoc est corpus meum, pronomen, Hoc, accipiendum pro demonstratione spiritali, per quam fidelium mentes ab externo cibo ad Christum, qui in cœlis est perducantur.* Abdias Liberius. *Hoc est corpus meum, perinde est, ac si sponsus absens, dicat nubenti sponsæ & ducat; Hoc est sponsus tuus.* Ioachimus Cureus *Hoc est corpus meum*, id est, *ista manducatione testificor meritum remissionis peccatorum ad te pertinere.* Et, *Hic est calix, &c. testificor, te socium esse fœderis mei.* Candidus libr. de cœna Domini. *Hoc est corpus meum, non quod ita ordinarim sed quia vos creditis.* Bremenses, *Hoc est corpus meum æquiuoce.* Ita Pezelius, Stutmius contra Osiandrum, *Hoc est corpus meum. Hæc est substantialis & viuifica gratia, seu Euangelica gratia, vis & virtus.* Neuerius Wismatiensis, *Hoc est corpus meum non proprium, sed illud quod est in sacramentis*, apud Lauaterum. alius etiam id docet. Hist. sacram. pag. 45. Auctor diallactici. *Hoc est corpus meum improprium, cœleste diuinum, non corporale sed spiritale.*

Hæc tanta est in paucis verbis expositionum diuersitas. Necesse est enim, vt qui à veritatis vnitate discesserunt, in diuersissimos errores labantur.

§. 2. Postquam vero argutiæ eos defecerunt, in apertum institutionis contemptum proruhpere non verentur, & impiam virulentiam audacter euomunt, τεθυμμένες μέτωπον, *perfricantes frontem*, & Cleomeneum illud vsurpantes, συντομία ἡ πονηρία, *Regula ἡ δεινὰ, compendiosa res improbitas, virtus lenta & tarda.* Nedum ergo cum soluere non possunt, gladio secant. Casparus Swenckfeldius fanaticorum antistes exclamat; *Remoue ex oculis meis verba ista, accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Martyr contra Brentium dialogo; pag. 137. *Mihi vos*, inquit, *semper mihi visi estis minus, quam par est, sapere, cum pro dogmate æque falso ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quicquam habeatis nisi Christi τὸ ῥητόν, Christi effatum, seu dictum.* Quasi vero dictum æternæ sapientiæ satis non sit; vt in eo listamus. Zwinglius de vera & falsa religione vocat *commentum argutum quod solis Christi verbis constet.* Anno 1560. cum Bremæ Caluinistæ & Lutherani in vtero nobilissimæ vrbis colliderentur, cuius conflictus finis fuit, vt Lutherani pellerentur, Daniel Buren consul. *Quid vos Lutherani*, inquit, *habetis nisi tria infirma verba: quibus probatis verum corpus & sanguinem suum in cœna Christum nobis dare?* Neustadiani in Syn. Ephes. per ironiam vocant. *Verba, verba, verba.* Caluinus contra Westphalam vocat, *stultam iactantiam.* Danæus contra Selneccerum valde exagitat eos, qui *duobus in verbis* sententiæ suæ fundamentum collocant, pag. 1051. Bernardinus Ochinus contra Westph. *Fieri posse*, ait, *vt cum Christus dixit: Hoc est corpus meum.* dicere voluerit: *Hic panis significat corpus meum.* Martyr clamat; *non verborum struem, sed Christi consilium spectandum esse.*

Qvæ-

QVÆSTIO VII.

Quid est, Hoc?

§. 1. GRæce est τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Hoc est corpus meum. Varias interpretationes in tabella videre licet. Andreas Carolstadius anno 1525. „ esse pronomen ait, quo suum corpus in mensa ac„ cumbens Christus demonstrarit. [Hic versus: *Hoc „ est corpus meum, quod pro vobis traditur*, plena & perfecta „ est sententia, quam alias in euangeliis, quanquam a„ liis verbis Dominus posuit, vbi nullam de sacramen„ to fecit mentionem, Matth. 16. Ioann. 3. & 6. Nam „ pronomen, Hoc, habet magnum H. maiuscula au„ tem litera indicat initium nouæ sententiæ: est itaque „ hic versus insertus sermoni de cœna Domini, vt ali„ quid solet interponi, quod præsenti sermoni inser„ atur, & tamen per se sermo est perfectus. Bonum esset „ si interpretes græcum pronomen τοῦτο reliquissent, & „ latino sermoni permiscuissent, & si ita legeretur: τοῦτο „ est hoc corpus meum, &c. germanice Tuto, Jst der „ leib mein / der für euch gegeben wird: Tum vtique „ homines cogitassent, quid vocula τοῦτο sibi vellet. „ τοῦτο, est græcum pronomen, indicans nomen neu„ trum: iam vero vocabulum ἄρτος, latine panis, germa„ nice Brodt / est masculinum ideoque pronomen τοῦτο „ ei adiungi non potest, nec consistit illorum opinio, „ qui dicunt panem esse corpus Christi. Nam id non „ fert græcus sermo, vt nec in latina lingua recte dici„ tur: istud panis est corpus meum; siue in Theutonico „ sermone der Brodt ist mein Leib. Ego semper sic „ sensi, Christum demonstrato suo corpore dixisse: *Hoc „ est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Nam Chr stus „ non demonstrat panem: Non enim dicit, hic panis „ est corpus meum. Qui autem dicunt, panem esse cor„ pus Christi, ex semetipsis loquuntur mentientes. „ Hæc oratio: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*, „ est conclusa punctis: habet puncta in initio, & fine, „ quibus indicatur hunc versum: *Hoc est corpus meum*, „ non esse connexum cum præcedentibus, sed per se „ esse distinctum sermonem, ideo necesse habeo fateri, „ Christum d cendo: *Hoc est corpus meum, &c.* corpus „ suum non panem demonstrasse.] Hæc sæpe & mul„ tis locis inculcat Carolstadius, & nonnulli eius asse„ clæ, aliquando etiam ad locum applicat.

Verum ridicula est illa demonstratio, nec est connexio, vt si dicat. *Accipite, & comedite, hic sedet corpus meum.* Bibite, hic enim est sanguis in meo corpore, quod vobis assidet, nec veterum vlli hoc in mentem venit, adde quod τοῦτο, & Syrum הדא Hanau, non est loci. Deinde cum ait; Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, in illis verbis τοῦτο demonstrat id, quod manu Dominus gestabat, non autem sanguinem, vt venis continebatur: ait enim τοῦτο τὸ ποτήριον. Hic calix, pari igitur modo de corpore sentiendum. Denique Apostolus institutionis historiam referens, 1. Corinth. 11. 23. 24. 25. non potest sic intelligi. Quocirca Musculus locis comm. de cœna, multa Carolstadium oppugnat. Sic Danæus, Heidelberg. Caluinus in 1. Cor. c. 11. *insulsum commentum* appellat. Beza in dial. *ineptum dogma* vocat, alii Carolstadium tironem fuisse causantur, qui quæ arma cuilibet parti conueniant, ignorauerit, à Zwinglio cæterisque in multis dissensit.

§. 2. Multo magis à vero abhorret eorum opinio, qui pro vocabulo Hoc, τοῦτο, totam actionem significari volunt, vt Ioannes à Lasco tractatu de sacramentis. Vel vt Ioachimus Cureus, ista manducatione testor tibi remissa peccata. Nam cum dicitur: *hic est calix nouum testamenti in meo sanguine*, non potest actionem aut testificationem significare, sed ipsum calicem, par igitur in primis verbis est ratio. Deinde tota illa actio varia continet; Benedictionem, actionem gratiarum, panis & calicis in manus acceptionem, imperiũ iubentis accipere, comedere, bibere, obedientiam Apostolorum ista facientium. Non autem nisi stolidissime fingi potest sensum esse. *Hæc omnia sunt corpus meum*; neque enim proprie, quod omnes concedunt, neque tropice sunt corpus Christi, nec enim verbum concionale, vt isti vocant, neque acceptio, neq; manducatio est corpus Christi, at nec symbolum est corporis, vt de calice taceam qui non nisi stolidissime vocari potest tota hæc actio, itaque hanc etiam expositionem refugiunt plerique, tanquam inutilem, nec suæ causæ conuenientem.

§. 3. Inuertunt alii propositionem: vt dicant particulam: *Hoc, τοῦτο, esse prædicatum.* Corpus meum est hoc, seu corpus meum est hoc, quod manibus teneo. Illi autem per pronomen *hoc* intelligunt panem. Vt sit sensus tandem. *Corpus meum est panis.* Hi pari modo ad difficultatem fugiendam, sequentia verba inuertant, necesse est: Sanguis meus est calix, &c. Quamuis autem pro libidine verba fingant, & refingant, non tamen efficiunt, vt aut sensus eorum consistat, aut veritatem opprimant. Nam propositiones singulares vtcumque inuertantur, vim tamen suæ affirmationis retinent, & vt dialectici docent: Conuertuntur. Si enim Bucephalus est hoc animal, etiam Hoc animal est Bucephalus. Etsi τὸ σῶμα χριστῦ ἐστι τοῦτο, si corpus Christi est hoc, & τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα χριστοῦ. Etiam hoc est corpus Christi. Sine profectu igitur, pestilenti se labore conterunt, qui verborum inuersione testamentum Domini irritum facere conantur.

Conuersio propositionum fauet sectariis.

Langi ista fuit ex Cratoaldo deliratio, ex ignorantia Grammaticæ orta. Quia namque τὸ σῶμα dicitur; existimauit homo imperitus σῶμα propositionis subiectum esse, τοῦτο prædicatum. Subiecto enim, non prædicato addi articulum. Verum ad certam demonstrationem ac Emphasin articulus frequenter prædicato apponitur. Matth. 5. ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς, vos estis illa lux. Imo plane similis est locutio cap. 3. 17. οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός. *Hic est filius meus dilectus.* & c. 11. 3. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος; Tu es ille veniens? vel, venturus? & cap. 16. 20. οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων, *Hic est sermonem audiens.* & versu 22. & 23. & cap. 18. 4. οὗτός ἐστιν ὁ μείζων. *Hic maior est.* Infinita talia sunt, & apud sacros & profanos auctores. Nihil porro attinebat vim corporis sui explicare, sed tantum panis, nam vt Caluiniani existimant, tantum panem non corpus dedit.

Articulus iungitur prædicato.

§. 4. Multi Lutheranorum Hoc interpretantur esse subiectum, & designare panem; sensum esse. Hic panis proprie ac sine figura est corpus meum. Luthe-rus, Heshusius, alii. In, cum, sub, circa panem, vt in bursa aurum, vt in tabula sententiæ recensitæ sunt. Hæc Lutheranorum imprudens expositio, Caluinismum peperit. Nam scriptura nullo loco dicit: esse in pane corpus suum, nusquam panem esse corpus, quod si diceret: non posset proprie intelligi, cum re uera panis non sit propriè, verè, realiter, substantialiter corpus Christi. Ita Carolstadius, Zwinglius, & postremo in controuersia eucharistica Pareus. Bonam enim causam pessime pugnando produnt. Bellarmin. lib. 1. c. 10. Nec adiectiue, nec substantiue de pane dici posse probat, si enim adiectiue; dicendum est ὅπος, nempe ἄρτος, & si substantiue eodem modo; nam discipuli panem videbant, nec dicere solemus, si panem manu ostendamus: Hoc est corpus meum, sed, hic panis est corpus meũ. Si panis & vinum manent, debuit & illa promittere, sicut in baptismo de aqua.

Lutheranorum error.

Quia

Quin hoc ipsum quod ait, hoc facite in meã commemorationem, non iubet facere panem, aut vinum, vt ait S. Dionysius Areopagita, iubet sacerdotem diuinissima consecrare. ὑπὲρ τῆς ὑπὲρ αὐτῶν ἱερουργίας ἀπολογεῖται, πότερον ἱερῶς πρὸς αὐτὸν ἀναβοῶν σὺ εἶπας, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Super sacrificio, quod supra ipsum est, apologiam facit, sancte ad ipsum exclamans: Tu dixisti, hoc facite in meam commemorationem.* Panis ergo corpus Christi fit, De pane, inquit etiam Ambrosius, fit caro Christi, non ergo hoc, ex quo fit, est corpus Christi.

§. 5. Solent tamen de illa propositione etiam Scholastici disquirere. *Hoc est corpus meum*, prædicatum habet, *Corpus meum*, copula est, verbum substantiuum, Est. Subiectum est, Hoc, quod cum sit nota demonstrationis, necesse est rem aliquam quæ demonstretur, subesse. *Quid Hoc demonstret.* Non est panis, non est sensus: *Hic panis est corpus Christi*; non est corpus Christi. Nondum enim est, nisi cum verba sunt absolute pronunciata. Quod si Hoc demonstrat corpus Christi, iam ante erat, non ergo verborum efficacia factum est. Nec etiam panis pro speciebus panis accipi potest. Species enim panis, non sunt corpus Christi. Nec indiuiduum vagum est, quod demonstratur. Nonenim indiuiduum vagum est corpus Christi, corpus enim Christi singulare est, & certissima substantia. Quod si Domini corpus significat nota demonstrationis, iam omnino est identica propositio. Nunquam mihi visa est hac in propositione tam magna, quam multorum speculationes fecerunt, difficultas. *Difficultas nõ magna.* Certis equidem principiis philosophiæ, & loquendi consuetudine cognita nihil difficultatis superest.

A principio si propositionem intelligere cupimus, statuendum est in omni propositione absoluta, affirmatiua, idem esse prædicatum & subiectum, si enim diuersa sint, falsa est enunciatio, qua pronunciatur, Hoc esse illud. Cum igitur dico. Homo est animal, non aliud hac in propositione est homo, aliud animal; ideo enim vera propositio dicitur. *In omni enunciatione subiectũ & prædicatum re sunt eadem.* Quia vnum quod dicitur esse aliud, est aliud. Quod si diuersa essent, negatio interponi debet, vt veritatem habeat propositio, ideo enim falsa est hæc propositio. Homo est lapis, quia alia est subiecti, alia prædicati est essentia. Non alia igitur hac in propositione lex constituenda est: sed dicendum; Id quod nota demonstratrice signatur esse corpus Christi, aioqui verum non dicit, qui ait esse corpus Christi. Nulla enim alia res est corpus Christi, nisi corpus Christi. Sic illæ propositiones. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hic est filius meus dilectus. Hic est propheta, similesque, subiectum habent pronomine designatum, quod non est diuersum à prædicato. Hinc apparet falsam esse propositionem eorum qui particula hac panem designari fingunt. Nam panis non est corpus est Christi. Nec refert esse cum pane, in pane, sub pane circa panem, quod tamen non concedimus, stolidissime enim dicitur sceptrum est corpus regis, quia cum rege est; aut anhelitus, quia in rege; aut sandalia, quia sub rege; aut chlamys, quia circa regem. Sua igitur imprudentia Lutheriani, dum illa noua inuehunt, Caluinistis produnt veritatem. Nam æque improprie loquuntur, & tropos fingunt, & tamen scriptura repugnat; clarissime Lucas. τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον. Pocu um pro vobis effusum, vbi poculum sanguinis, non vini effusum necessario dicitur. Et Paulus 1. Corinth. 11. τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. Hoc meum est corpus. Quod si Hoc est panis, dicendum fuerit. Hic panis meus est corpus, nam duo illa pronomina eandem rem demonstrant.

Doctissime hoc loco Ebroicensis Episcop. Repetit. 7. *Pronomina demonstratiua ait Hilarius, cum agit de* Hic est filius meus dilectus, *nominum habent in se virtutem: ideo proprietatis significatio est vbi hic est, dictum esse auditur & meum est. Hunc ego inquit, tanquam indicante vno proprium ac verbi significatione contingo, qua dico & meus est, & Hic natus est, & filius est. Itidem & proprietatis significatio vbi & hoc est dictum esse auditur & meum est: proprietatis significatio est, perinde ac si diceretur, Hilarii iudicio proprium est corpus, quod demonstro. Tertullianus quoque pronomen ad corpus retulit, sicut Hic est, ad filium, vt in priori quoque repetitione recitauimus. Nonnulli citant tanquam à Cypriano in quibusdam exemplaribus scriptum fuerit, Hoc est sanguis meus: sed vetustiora & plura & castigatiora exemplaria eum reclamant, & locus in quo pro, Hoc est corpus meum, ait, hoc est caro mea. Augustinus etiam tradit, Chrysium commendasse ipsum corpus suum quando dixit, Hoc est corpus meum: Ita vt Augustinus ibi ponat pro eodem, Hoc corpus, Illud corpus, & Ipsum corpus. Preterea si (Hoc) panem connotat, res non tantum absurda efferetur à Christo sed impossibile omnino, ac ne quidem in Dei omnipotentia sita: quandoquidem manifestam repugnantiam in ludit res diuersas, & diuersas esse easdem aut de se mutuo asseri, vt sunt panis & corpus Christi: nec panis magis reuera dici potest, corpus Christi, si simplici, recto ac proprio genere dicendi loquamur, quam potest esse aut duci aqua, vinum lapis, aut quidlibet aliud à se plane diuersum. Et certe longe euidentius constat, corpus Christi non esse panem, quam constet non esse meum vel tuum corpus, cum ad illius corporis naturam multo minus accedamus, quam panis ipse. Quod si relicto proprio & naturali sono verborum & sensu confugitur ad metonymiam siue synecdochen, vt panis hic sit corpus Christi, quia continetur in hoc pane, iam proprietas verborum vera & genuina non retinetur, quam Lutherani crepant & iactant, & sacramentariorum figuris sternitur, ac quorumlibet hominum commentis Christi sermoni assuendis vbi semel eius proprietatem violaris. Aperte enim ad tropicum & figuratum sermonem pertinet, quando res continens accipit nomen rei contentæ: sicut ad tropum pertinet, quando signum accipit nomen rei signatæ. Tametsi discrepent in eo, quod continens rem contentam præsentem habet, signum verotiam rei absentis signum esse possit nihilominus conueniunt, quod deserta verborum naturali ac propria significatione, vtrique in metonymicum sensum & figuram deflectunt.*

Proinde tam longe absunt germani à simplici sono verborum Christi, quam Cingliani & Caluinistæ, quantumuis in contrarios errores diuaricentur.

Vana est igitur hac in re Lutheranorum iactatio, tum clamant retinere se τὸ ἐντὸν, cum longe aliud sit esse aulam, & esse in aula.

§. 6. Quamuis autem eadem res sit, quæ subiectum est, & prædicatum. Non est propositio identica, alioqui omnis affirmatio esset identica propositio: vt iam ostensum est, vt vero propositio identica non sit, non opus est, res per terminos, seu extrema significatas esse diuersas, imo vt dixi, in affirmantibus necesse est vnam eandemque esse, sed vnam eandemque diuerso conceptu apprehensam, vt si videns à longe venientem Petrum, sociis eum nondum cognoscentibus dicam. *Hic est Petrus.* Sensus enim est, Hic homo quem vos generali duntaxat hominis notione concipitis, nescio quis homo sit, est Petrus. Demonstrator autem duos de illo conceptus format, vnum generalem cum illis qui hominem venire videbant, quis tamen esset, ignorabant, alterum proprium: Est Petrum, & hac ratione recte dicitur, pronomen, Hoc designari indiuiduum vagum. Nempe corpus Christi designari, sed non proprio conceptu. Vt qui dicit: Hic est Petrus, duos conceptus habet Petri, primus quatenus est hic aduenies, alter Petri: de priore affirmat posteriorem. Sic Christus: hoc quod manibus teneo, est corpus meum, de corpore suo duos concepros formal. Atque hæc est ratio ge-

tio generalis in omnibus affirmationibus omnino, in quibus vnius rei duæ animi conceptiones esse intelliguntur. Quod euidentissimum est in illis propositionibus, in quibus definitio dicitur de definito. Homo est animal rationale. Non alia res homo, alia animal rationale. Sed vnius tamen rei duæ vt vocant sunt conceptus formales. Hac igitur in re nulla est difficultas, quæ non omnibus propositionibus sit communis.

§. 7. Superest illud quod obiiciunt. Cum diceret Christus: *Hoc est*, nondum erat in manu corpus, ergo erat panis, ergo sensus erat: *Panis est corpus meum.* Hoc Lutherus vrget: & panem proprie ait esse corpus Christi. De captiuitate Babylonica. [Crede sanè non modo corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi, sic enim me seruabunt verba, vbi dicit, *Accepit panem, gratias agens fregit & dixit. Accipite, manducate: (Hoc)* id est, hic panis quem accepistis, *est corpus meum*: Et Paulus: *nonne panis quem frangimus participatio corporis Christi est?* Non dicit, in pane est, sed ipse panis est participatio corporis Christi. Quod autem in græco & latino pronomen ad corpus refertur, facit similitudo generis: sed in Hebræo, vbi neutrum genus non est, refertur ad panem: vt sic liceat dicere: Hic est corpus meum: quod & ipse vsus loquendi, & sensus communis probat subiectum sciliced demonstratiuum panis, & non corporis, dum dicit: *Hoc est corpus meum.* Inscripsit etiam librum de defensione τῶν ῥημάτων verborum cœnæ, & ait: Hæc eo scribo, vt nostri habeant, quid respondeant Sacramentariis istis otie interrogantibus, vbi sit scriptum in sacris literis, quod panis sit corpus Christi, simulant hanc simplicitatem, acsi id nusquam legissent. In libro vero contra cœlestes prophetas ita concludit: Cum nullus fidei articulus nos hanc particulam excipere & eximere cogat, aut quo minus panis sit Christi corpus impediat, verba simplicissime accipienda sunt vt sonant, & nequaquam immutanda, tenendumque panem esse Christi corpus.]

Hinc illa monstra ἀποκρεας, ἀποπιεζ, αἱματινος, σὰρκικα. Brodfleisch / Fleischbrod / Weinblut / Blutwein. Quæ Tigurini, Pareus, præcipue Heidelbergenses in certamine contra Wittenburgenses, & nominatim Eberum, Selnecerum, Brentium, Smidelinum, auctores syntagmatos magna cum insultatione, & imitt producunt.

Ab hac itaque interpretatione Bucerus, Illyricus, alii abhorrent Lutherani. Inprimis Wittembergenses. Qui in pane aiunt esse, prolatis vasculis aiunt, *hoc est vinum*, cunis; *hic est infans.* Ita panem & corpus Christi simul adesse pronunciant.

Porro quam mouent difficultatem omnibus propositionibus efficientibus communis est. Statuamus enim Christum cum in nuptiis ex aqua vinum faceret, tenuisse hydriam, & dixisse, *Hoc est vinum.* Potuit sine dubio hoc facere, vera etiam esset propositio. Nam reuera vinum erat. Nam Deus qui verbo mundũ condidit, res creatas verbo etiam omnipotente mutare aliunde alias potuit. Formauit Deus hominem de limo terræ, Gen. 2. 7. Formauit, aut certe formare potuit sine mora, sine motuum & temporum successione, momento ἀδιαιρέτῳ indiuisibili. Si igitur limum tenens, diceret. *Hoc est homo*, & illis verbis efficaciter operantibus hominem in fine prolationis faceret, nõ esset magnopere quærendum, quomodo pronomen hoc demonstraret hominem. Nam propositionum veritas ipsa rerum efficientia constituitur, & quod ipsa propositione fit, designatur. Verba Maldonati grauissimi scriptoris adducam. *In eiusmodi propositionibus quæ practica sunt & efficaces hæc pronomina demonstrare solere, id quod nondum est, sed per ipsam orationem fit, eaq; finita erit. Cum Deus ex limo terræ hominem finxit recte vereq; dicere potuisset, sumpto in manus limo, hic est homo, sicut Christus dixit, Hoc est corpus meum, & cum ex costa mulierem fabricauit, sumpta costa dicere potuit, hæc est mulier, quamuis cum pronunciasset pronomen hæc, nondum fuisset mulier, nec significasset, si ita locutus fuisset, limum esse hominem, & costam in mulierem conuerti. Ita cum Christus dicit accepto pane, hoc est corpus meum, quamuis eius corpus nondum illic esset: tamen quia statim futurum erat, illud eo pronomine demonstrat, nec significat panem quem acceperat esse corpus suum, sed mutari in corpus suũ quemadmodum si in Cana Galilææ, cum aquam in vinum mutauit, ostensa aqua dixisset, hoc est vinum, nec illud, Hoc, aquam, sed vinũ ostenderet; nec sensus esset aquam esse vinum, aut vinum significare, sed illo verbo in vinum esse conuersam. Quod exemplum eo magis est ad rem, de qua agimus accommodatum quod ex alio simili Christi facto sumptum sit & quod eo veteres autores adprobandam, explicandam q; huius sacramenti fidem vsi sunt, vt Cyrill. Hieros. Cat. ch. 4. mystagogica.*

Nec solus Maldonatus est, sed D. Th. 3. p. q. 78. ar. 5. *Hæc locutio habet vim factiuam conuersionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quæ habent solum vim significatiuam & non factiuam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei conceptioni intellectus nostri speculatiui, quæ est accepta à rebus: nam voces sunt signa intellectuum, secundum philosophum. Et ideo sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam; ita veritas huius locutionis non præsupponit rem significatam sed facit eam, sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hæc autem conuersio non fit successiue, sed in instanti: sicut dictum est. Et ideo oportet quidem intelligere prædictam locutionem secundum vltimum instans prolationis verborum: non tamen ita quod præsupponatur ex parte subiecti id quod est terminus conuersionis scilicet quod corpus Christi, sit corpus Christi; neq; etiam illud, quod fuit ante conuersionem, scilicet panis: sed id quod communiter se habet, quantum ad vtrumq; scilicet contentum in generali subiectis speciebus. Non enim faciunt hæc verba, quod corpus Christi, sit corpus Christi, neq; quod panis sit corpus Christi; sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, Hic panis est corpus meũ, quod esset secundum intellectum, secundæ opinionis: neq; hoc corpus meum est corpus meum, quod esset secundum intellectum tertiæ opinionis, sed in generali, hoc est corpus meum, nullo nomine appositio à parte subiecti: sed solo pronomine quod significat substantiam in communi, sine qualitate, id est forma determinata.*

Multis hæc exponit Soarez disput. 58. sect. 7. & refert sententiam variorum, qui omnes tamen realem corporis præsentiam tuentur, quamuis nonnulli, qui cum hæreticis non litigabant, locuti sint securius. Bonauent. d. 8. p. 2. Ocham in 3. d. 4. Holcot quæst. 3. Particulâ Hoc indicari panem, sed, *est* interpretantur, *transit in corpus.* Quod instanti fiat, alii veteres, sign ficari notâ demonstrationis panem, non vt est panis in se, sed vt conuersus in termino prolationis in corpus Christi, atque ita est, quidem vt visum est nonnullis identica propositio, sed reuera non est, sensus enim est. Hoc conuersum in corpus Christi, est corpus Christi. Nec illi Ocham, & Maior dum aiunt, posse per *Hoc* intelligi corpus in sua specie, & indicari esse iam in sacramento, seu sub speciebus, fauent Caluinianis, sed veritatem præsentiæ tenuerunt, modum exponendi alienum secuti sunt. Imo alium illi iidem sensum protulerunt, vt Maior d. 8. quæst. vnica. Nempe hoc quod significatur his accidentibus est corpus meum, seu potius: Hoc significare corpus Christi, prout est sub accidentibus in termino prolationis verborum. Alens. quæst. 43. membr. 3. art. 2. Marsil. in 4. quæst. 6. art. 4. Gabriel lect. 48. & 52. in canon. Richard. d. 8. art. 3. Verum illi reale, & sub-

Multæ expositiones.

Non omnes distinctæ.

& substantiale Christi corpus agnoscunt. Et dicunt: Hoc in quod conuertitur panis est corpus Christi in fine prolationis. Argumento illi firmo vtuntur. Nam in propositionibus practicis, & reuera effectricibus, pronomen quod subiecti locũ tenet demonstrat prædicatum, vt supra exemplo ostendi. Si ex aqua fiat vinum, hoc elogio: Hoc est vinum, necessario indicat pronomen id quod factum est. Imo si manu circulum ducas, & eo momento dicas. *Hic est circulus*, particula *hic* circulum designat. In his enim significatio non absoluitur nisi in termino integro propositionis. Habet enim necessariam reciprocationem cum prædicato, sine quo intelligi non potest. Quod vsitatum esse in communi sermone videmus. Si enim pingere viderem quempiam in tabula figuram, cuius ductus non viderem, audiremque dicentem: Hoc est, manet suspensa mens audientis: at si absoluat, & dicat: Hoc est Isosceles, iam plene intelligo id quod pronominis notâ indicabatur. Nec est identica, quia prior conceptus confusus erat, alter vero distinctior, vt supra ostendi. Sensui etiam satis res demonstratur: quia in fine propositionis res exhibetur, quamuis id necessarium non sit. Optime tamen illi rem exposuerunt, qui nota demonstratrice signari aiunt, Rem communem, non reipsa communem, sed secundum rationem seu conceptum, vt supra exposui in Petro à longe viso, nec cognito, nisi quod sit homo, ita enim sub communi conceptu hominis apprehenditur, quod si ita longe absit, non ne an homo, nec an animal aut corpus sit, sed an vmbra, aut spectrum, alius vero eum sciens esse Petrum, diceret. Hic est Petrus, hoc est, id quod vos communi ratione apprehenditis, est Petrus. Verbi gratia, Apostoli vident Christum super mare ambulantem, & timore exclamant; putabant enim spectrum esse. Si quis diceret, οὗτός ἐστιν ὁ κύριος. Vel etiam τοῦτό ἐστιν ὁ κύριος. Hic, vel hoc est Dominus, non est dubium, quin non sit identica propositio, sed id quod alio modo apprehenderunt, dicit esse Dominum. Nec dicit, hoc spectrum est Dominus, blasphema est enim propositio, sed hoc quod vobis videtur spectrum, est Dominus.

Subiecti integra significatio.

Hæc est expositio præcipuorum Theologorum veterum, etiam Bellarmini, & Soarez, loco citato. Eius verba ascribere lectori non inutile erit, multa enim Pareus in sua controuersia in hac contra Scholasticos attulit. *Ita sentit*, inquit, *Guidmund. lib. 2. de hoc mysterio in fine, & videtur esse sententia D. Th. hic art. 5. & in 4. d. 8. q. 2. art. 1 ad 1. quæst. 4. ad 1. Scoti. q. 2. art. 3. Durand. q. 2. ad 1. Capreol. art. 3. ad 1. Scoti contra primam concl. & ad argumenta contra 5. conclus. Palud. q. 3. & aliorum ibi. Antonin. 3. parte. tit. 13. c. 5. §. 4. & Ferrar. 4. contra gentes. c. 63. Caiet. tom. 2. opusc. Tractatu 2. c. 7. Iansenii c. 131. Concord. Soto, d. 11. q. 1. art. 5. Altisiodor. lib. 4. tract. 5. c. 2. Ægid. Theore. 42. Victor in summa. num. 75. Ledesma q. 19. art. 5. & eandem sequitur Bellarmin. lib. 1. de Eucharistia. c. 11. & Richar. & multi alij ex autoribus citatis in præcedente sententia non multum ab hac discrepant. Fundamentum huius sententiæ est quia iuxta hanc explicationem, & veritas illius propositionis est facillima, & accommodatissima propriæ significationi verborum, & valde apta ad explicandam conuersionem, quæ per hæc verba significatur & efficitur. Explico singula, quia pronomen (Hoc) substantiue sumptum, demonstrat substantiam, quæ medijs accidentibus sensibus obijcitur. Vt constat ex vsu vocis, in illis autem verbis Christi, pronomen (Hoc) substantiue sumitur cum locum habeat integri subiecti in propositione illa: ergo designat seu demonstrat in confuso eius suæ substantiam contentã sub illa specie bus. Dico rationem hanc non posse accommodari formæ calicis vbi pronomen non substantiue, sed adiectiue sumitur cum dicitur. Hic calix nouum testamentum est. Respondetur apud Matthæum & Marcum in textu græco non legi. Hic est, sed, hoc est sanguis meus noui testamenti, & ita fuisse vertendum censet Iansenius c. 131. Concordiæ, & ita est Cyprian. Epist. 63. ita legentem. Refertur etiam Iustinus Martyr, apol. 2. in fine: Latinus tamen interpres, vitulatus in masculino vertit, Hic est, & ita legunt antiqui patres omnes, & vniuersa Ecclesia, vt videre licet in omnibus liturgiis quæ lib. 4. Biblioth. referuntur & apud Cyprian. & Iust. citatis locis, ita etiam habent emendatiores codices. Et potest reddere eundem sensum: nam etiam pronomen masculini generis potest substantiue accipi, vt apud Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, & Exod. 16. Vbi interrogantibus hebræis, Quid est hoc? Respondit Moyses, Hic est panis qui de cælo descendit. Quod si hæc adiectiue interpretemur, subintelligendo aliquid, verius erit hic homo, vel hic cibus eodem modo interpretabitur terminos huius formæ, vt cum dicitur, hic est sanguis subintelligi poterit, hic potus, vel hic calix, sicut expressius habent Luc. & Paulus. Et eadem ratione in forma panis subintelligi potest cum dicitur, hoc est corpus, hoc edulium, vel hoc ens contentum sub his speciebus, & ita redit idem sensus, quem hæc omnia ratio facta intendunt, quia semper subintelligitur demonstrari aliquid sub ratione communi ipsi pani & corpori Christi, vino ac sanguini nimirum, sub ratione cibi vel potus, edulium calicis, vel entis sub his speciebus contenti. Deinde dicitur, hanc interpretationem esse accommodatam propriæ significationi verborum: quia & pronomen hoc, flatum ac profertur, demonstrat id quod præsens est sensibus: ergo demonstrat contentum sub his accidentibus, quæ præsupponuntur, & percipiuntur sensibus, & demonstrat illud sub ratione cõfusa, scilicet contenti sub speciebus, quæ ratio tunc etiam præsupponit existens, licet non in eadem re induidua & materialiter permanet in termino prolationis, verborum: propositio tamen sit vera ac propria, quia non designatur hæc res materialis sub propria ratione, sed simpliciter aut formaliter sub ratione contenti sub speciebus, quod in fine prolationis est corpus Christi. Dicesimo videtur pronomen (hoc) designare substantialem, quæ tunc est sub accidentibus quando ipsum profertur: quia illa est tunc præsens, & pronomen (hoc) demonstrat rem præsentem, imo proprie videtur demonstrare hoc subiectum, in quo includitur substantia, quatenus vnum concretum cum accidentibus componit. Et augetur difficultas, quia pronomen (hoc) ex propria impositione tantum designat substantiam, cui hæc accidentia inhærent, quæ solum est substantia panis. Respondetur ex doctrina tradita, præcedenti sectione pronomen (Hoc) posse considerari: primo, per se, vt est simplex quidam terminus, habens significationem complexam, vel hoc modo significatio eius est vaga & multiplex, & quasi aequivoca. Hoc enim signo (Hoc) ibi sistendo ex vi talis vocis possum designare, vel solum accidens, vel solum substantiam, vel compositum ex vtroque. Quapropter dum profertur talis propositio, suspensa est significatio illius termini, donec absoluta propositione determinetur. Secundo ergo potest considerari significatio huius vocis, quatenus est extremum alicuius propositionis, & componit vnum integrum significatum eius, quod non est, donec absoluatur propositio, quia, vt Aristoteles dixit, propositio significat aliquid quod sine extremis non est intelligere, & hoc modo significatio talis termini non est integra donec absoluatur propositio. Ad difficultatem ergo propositam respondetur illud pronomen (Hoc) non designare substantiam panis, cum primum profertur, cum tunc habeat, quasi suspensam, & indefinitam significationem suam; tantum ergo designat hoc subsibile, seu contentum sub speciebus, quacunque ratione sub illis existat; in fine tamen prolationis determinatur ratione prædicati ad significandum, vel supponendum pro re contenta sub accidentibus, cui tale prædicatum possit conuenire. Et hinc quique ostenditur hanc interpretationem esse aptam ad significandam conuersionem, quæ per hæc verba fit. Primum quia per hæc verba, hoc efficitur scilicet, vt contentum sub speciebus sit corpus Christi. Deinde quia, cum in omni conuersione requiratur aliquid vtrique termino commune, hoc apte significatum est, per subiectum huius propositionis. Vna tantum videtur superesse difficultas, in hac sententia quia iuxta traditam interpretationem, hæc propositio (Hoc est corpus meum) non est ju-

est singularis sed indefinita, æquivalens huic, contentum sub speciebus, est corpus meum: consequens est contra proprietatem pronominis demonstrativi (Hoc) quod sicut significat singularem rem, ita & singularem propositionem constituit, præsertim cum sit demonstratio ad sensum. Soto respondet, interdum per hæc pronomina non demonstrari rem individuam sed communem, vt cum quis dicit, hæc herba nascitur in horto meo, illud pronomen non significat hanc numero herbam, sed herbam huic similem. Quod exemplum videtur accommodatum, saltem ad probandum huiusmodi pronomen demonstrativum non semper demonstrare directe, sed quasi in recto rem singularem & præsentem, vt in dicto exemplo demonstratur herba, quatenus est similis huic quæ sensibus obijcitur. Et ita in præsente ex parte contenti, vt sic, est quasi indefinita propositio; tamen ex parte specierum in ordine ad quas fit demonstratio sensibilis, est singularis: quia demonstratur contentum sub hoc numero speciebus, vnde sub formali ratione contenti potest quammodo dici idem numero designari, quia est eadem numero forma, sub qua continetur.

Hæ duæ vltimæ sententiæ sunt probabiles, & magis in modo loquendi quam re ipsa differunt: Vltima vero simpliciter probanda est, quia constat pronomen (Hoc) non significare corpus Christi secundum propriam rationem eius, licet in prolationis verborum termino supponat pro illo tantum & de illo verificetur prædicatum. Constat insuper in principio prolationis pronomen (Hoc) neq; demonstrare definite ac determinate corpus Christi, neq; omnino carere significatione seu demonstratione aliqua: quia statim demonstrat aliquo modo accidentia, seu aliquid habens connexionem seu habitudinem ad illa, quod optime explicatur sub ratione contenti sub illis: ergo distincte tunquam designat corpus Christi, materialiter autem demonstrat illud in eo instanti, in quo absoluitur significatio verborũ.

Nec semper huic interpretationi hæretici obsistunt. Illyricus contra 28. & 29. solutionem Bezæ, regulã Philosophorum agnoscit: Nempe talia esse subiecta, qualia describuntur, aut afficiuntur à prædicatis, itaque cum in prædicato dicatur hoc esse quod pro nobis datur, non potest pronomen aliud demonstrare, quam illud, ad quod monstrandum adhibetur.

QVÆSTIO VIII.

Quid est verbum substantiuum Est?

§. 1. NOtandum primo existimo verbum Est, de quo tanta est concertatio in Syro non esse, duo enim verba sunt duntaxat, חנו פגרי *Hanau pagri: Hoc corpus meum.* Quod si affixum quod adiunctum est seorsum numerare libeat, statues tria esse. Nihil sensui tamen Syrus detraxit; nam in talibus non modo elegantiam, sed energiam habent, si verbum omittant. Sic & in vers. 28. חנו דמי *hanau demi, Hic sanguis meus.* at apud Marcum חנא אירהדר פגרי *Hana ithau dagri, Hoc est ipsum corpus meum.* Lucas in consecratione eadem verba habet, quæ Matthæus. In calice חנא כסא Hic calix. Paulus 1. Corinth. 11. 24. Matthæum sequitur, vbi de corpore loquitur.

Tota quæstio in eo vertitur. An *Est* proprie, an tropice accipiendum sit. Zwinglius enim pro Significat vsurpat, itemque Caluinus, Beza, alii. Vide Zwinglium Epistol. ad Albertum. Et lib. 1. de vera & falsa religione. Non tamen omnes Sacramentarii in ea opinione sunt. Oecolampadius à seipso dissidet. Viretus in tract. de sacramentis, ait verbum *est* esse relinquendum, esse veritatis & existentiæ verbum. Tropum tamen ille ponit in nomine corpus. Boquini opinio; *Est*, indicare communionem idiomatum, à Caluinistis iam exploditur. Theophilus Alymantus lib. de re sacramentaria miserrime tricatur, fingitque agi de vnionis hypostaticæ differentia specifica. Vtum eam opinionem iam Caluiniani explodunt.

§. 2. Orthodoxi vero multis demonstrant verbum substantiuum, communissimum, non posse in aliam significationem trahi. Bellarminus lib. 1. cap. 10. docet alia verba resolui in verbum est, & aliud, vt, homo ambulat, idem est ac si dicas: Homo est ambulans: Si verbum Est ad aliam significationem traducatur, non potest sic resolui. Posset quidem responderi. Si propositio Christi: *Hoc est corpus meum*, resoluatur; oportere hunc in modum resolui. *Hoc est significans corpus meum.* Quod si fiat; iam substantiuum verbum est, resoluitur in se & aliud; nam significat esse, & significans esse, ideoque semper includitur in eo alio, in quod resolui dicitur. Nam significare est esse significans, seu esse signum. *Est non resoluitur in aliud.*

Negat etiam Bellarminus copulam, quæ subiecti & prædicati est connexio, posse sua significatione priuari. Hoc verissimum est; nam Est cum sit vinculum subiecti & prædicati, non potest eam proprietatem amittere, quin tota propositio dissoluatur & esse desinat. Et noster Maldonatus non Græce, non Latine, non Hebraice Est, accipi pro significat, vt cum dicunt agnus est pascha, non est figura in verbo substantiuo, sed in dictione Pascha: quæ non pro transitu, sed pro agno accipitur. Quamuis & hic alia ratio sit.

§. 3. Argutiâ hoc loco pugnat Martyr pag. 3. contra Gardinerum. Verbum Est ait esse idem orthodoxis, quod fit, vel transubstantiatur. Idem etiam nobis affingit Vorstius Tessérad. p. 2. pag. 226. Et vos accusat, quasi το ἐστὶν minime obseruemus. *Quare pontificiis nihil hac verba patrocinantur, sed potius causam ipsorum grauissime ledunt, quippe quorum neque veram Λέξιν, neque ἐστὶν ipsi tenent.* Sed argumentum Martyr sumimus. [Nam alioqui falsa esset propositio: « *Hoc est corpus meum*, prius enim debet esse res, quam « pronuncietur eam esse: vera enim est propositio, si res « ita se habeat, non contra ac præsertim secundum Ca- « tholicos, qui volunt hæc verba esse causam conuer- « sionis panis in corpus Christi: semper enim causa est « prior suo effectu. Sed corpus Domini non est in Eu- « charistia antequam dicatur, *Est*, ergo falso dicitur, *Est*, « nisi sumatur pro *fit*. Præterea ista oratio est operato- « ria ex sententia Papistarum, sicut illa: *Fiat lux*; ergo « verbum, *Est*, debet sumi pro *fit*.] « *Est non est fit.*

Respondet S. Thom. 3. p. q. 78. art. 2. & 5. (nam ex eo obiectionem accepit Martyr, solutionem omisit, quia sibi putabat non profuturam) Respondet ergo S. Thomas, & ex eo Bellarminus l. 1. c. 11. de sacramentis. *Verba illa consecratoria non habere perfectam significationem, nisi in vltimo instanti, quo profertur vltima vox: pendet enim intellectus: donec ad finem veniatur; in eodem autem vltimo instanti ponitur effectus verborum in esse, id est, conuersio panis in corpus Christi. Neq; obstat quod verba non videantur habere vltimum instans positiuum cum finiantur per motum. Nam etsi non datur vltima pars motus, & proinde verborum: tamen datur vltimum mutatum esse, & proinde vltimum instans terminatiuum verborum; quomodo in linea non datur vltima pars, datur tamen vltimum punctum. Quare simul tempore sunt completa significatio verborum, & conuersio panis in corpus Christi: ordine tamen naturæ inuicem se præcedunt, & sequuntur hæc duo. Nam verba illa quatenus causa sunt illius conuersionis, præcedunt conuersionem: & contra quatenus veritas propositionis pendet à rei essentia, conuersio præcedit significationem.*

Verissime Bellarminus, addere tamen lubet, quod aduersariorum ostendat imperitiam. Nam in omni propositione ita res habet, vt nec veritas sit nec falsitas propositionis, nisi in toto complexu, eoque absoluto. In eo enim solo conformitas intelligentiæ & rei, itaque cum dicitur. *Hoc*, vel, *est*, nondum veritas, nondum falsitas apparet, sed cum additur: *corpus meum.* Hæc vel dialecticorum pueris nota sunt ex Aristotelis *Veritas in toto complexu propositionis est.*

περὶ ἑρμηνείας libris: Qui ἀλήθειαν καὶ ψεῦδος, veritatem & falsitatem in sola enunciatione constituit. Nec opus est, vt ante res sit, quam verba promi incipiant, satis est, vt simul & res existat, & verba completa veritatem habeant. Nec in operatoriis modò, sed etiam aliis. Nam dum sol oritur, si orientem cœli plagam aliquis intueatur, si sole nondum orto dicat: Iam sol est, nondum certi aliquid affirmat, at si eo ipso tempore quo ille promicat, absoluat propositionem, addito verbo ortus, iam eodem tempore, & solis ortus, & propositionis veritas consistit. Nec enim sol cum ortus est, interuallo, sed eodem momento lumen diffundit, & videtur, eodemque momento perfici potest enunciatio, sunt ergo eodem vt philosophi loquuntur instanti, propositio perfecta, eius veritas, & res ipsa. Non enim necesse est rem fuisse cum dicitur esse, sed satis est, tum esse, cum esse dicitur. Sic enim Aristotel. definit περὶ ἑρμην. cap. 5. ἔστι δὲ ἀπλῆ ἀπόφανσις, φωνὴ σημαντικὴ περὶ τοῦ ὑπάρχειν τι, ἢ μὴ ὑπάρχειν, ὡς οἱ χρόνοι διήρηνται. *Est igitur simplex enunciatio vox significans esse aliquid, vel non esse, prout tempora diuiduntur.* Nempe si tempus sit præsens, vera est, si in præsenti efferatur.

Verba ante rem non vera.

§. 3. At Catholici verba efficientia iudicant, sunt ergo causa præsentiæ, sunt ergo priora, sunt ergo ante rem factam vera: quod naturæ repugnat. Respondet Bellarminus; quatenus sunt causa conuersionis præcedere, quatenus veritas eorum à rei essentia pendet, conuersionem præcedere. Hoc quia imperiti non capiunt, irrident; facilius est enim calumniari, quam discere. Constat inter Philosophos; aliud esse verba, seu enunciationem, aliud veritatem & falsitatem, λόγος ἀποφαντικὸς apud Aristotel. lib. 1. de interp. cap. 4. definitur, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν, ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει; *Oratio enunciatiua est, in qua verum, aut falsum est.* Verum tamen & falsum, cum sit analogia, conformitas, vel difformitas orationis cum re de qua affirmatur, vel negatur aliquid, naturâ posterius est ipsa oratione. Oratio igitur, seu enunciatio essentialiter perfecta, cuius essentia in affirmatione vel negatione consistit, causa est conuersionis, conuersio effectus est simul tempore, naturâ posterior. Idem tamen effectus veritate propositionis est prior, sed naturâ, non tempore. Ideo enim vera est propositio, quia res ipsa est; non igitur propositionis veritas est causa conuersionis, sed conuersio effectus propositionis, est causa veritatis. Simile aliquid, sed male tentant in mala causa sectarii: vt mirum sit eos hic Scholasticis obiectionibus veritatem oppugnare. Fide sola aiunt, se iustificari: Fides ea est, vt credant se esse iustos, peccata sibi non imputari. Cum primum igitur hunc animus actum cogitatione credula promunt, Non imputantur mihi peccata: mox remissa sunt, vt ipsi credunt. Hic quærunt orthodoxi. Quomodo facere possint vt id credant. Nam cum credunt, nondum erant remissa, fides enim remissionis est instrumentum. Ideo naturâ prior, quam remissio, ideo eius obiectum, cum ipsa est actio nondum est.

Hic varia respondent irrito conatu, sed nostra distinctione vti non possunt, non enim actio credendi est effectiua, sed opus habet, vt sit obiectum, cum vere exercetur ipsa.

QVÆSTIO IX.

Quid est Corpus meum?

Corpus Christi non est Ecclesia.

§. 1. Hic alii corpus mysticum seu Ecclesiam, alii signum interpretantur, & horum est maxima pars inter Caluinistas, vt ex Catalogo etiam apparet. Plane absona est interpretatio de corpore mystico, seu de Ecclesia. Neque enim panem voluit dicere esse Ecclesiam, aut significare; at illi panem aiunt esse subiectum propositionis. Neque Ecclesia pro nobis tradita est, sed Christus Ecclesiæ redemptor, & sponsus. Quod si huc etiam reuocemus verba, quibus sanguinem consecrando fecit; multo minus Ecclesia esse potest, neque enim sanguis Ecclesiæ, aut ipsa Ecclesia sanguis effusus est pro Apostolis. Cur denique diceret: accipite, comedite, bibite Ecclesiam? & biberent ex ea omnes? sunt illa prorsus atopa, & vt est apud Græcos; περὶ μὲν τῷ μετώπῳ κνημῖδες, περὶ δὲ τῇ κεφαλῇ ὑπηνέμια. *Ocream fronti, tibiale galeam inducunt.* Non magis hæc, quam ista cohærent. Hæc igitur expositio in incunabulis, quibus orta est, periit. Nam & Caluinus & Beza eam oppugnant, pudetque recentiores tam improbi, puerilisque commenti. Minus etiam conuenit verbis, quibus calicem consecrat Dominus, nam sanguis Ecclesia dici non potest. Nec Ecclesia sacramentum est, sed sacramentis vtitur.

§. 2. Nec melior tamen altera. Nam signum corporis non datur pro nobis, nec signum sanguinis effunditur, sed corpus, & sanguis. Habet Lucas pro vobis διδόμενον, Paulus 1. Cor. 11. κλώμενον, *quod frangitur.* Hæc siue ad sacrificium incruentum, siue passionem referantur, non possunt nisi verum corpus, & verum sanguinem nobis indicare, quod apud Lucam est clarissimum. Nec Caluinus aut P. Martyr effugium habet argumentum. Cum aiunt corpus dici, non signum, sed corpus, eo, quod corpus sit signũ efficacissimum, à signis inanibus diuersum. Nihil ad rem pertinet. Nam imago quantumuis efficax, imago est, non res ipsa. Nec figura quamuis præstantissima pro nobis expensa est, sed vnigenitus Dei filius. Frustra ergo figurarum & signorum fictitia efficacia, & maiestate Ecclesiæ illudunt, vt Chr stum illi capiant. Propriis autem verbis vtendum esse, testamenti, fœderis, & legis sanctitas, claritas, vsus conuincit: Si enim hic quod dicit Christus esse corpus suum, est vmbra corporis, pari modo cum Deus dicit, Christum esse filium suum, cum Christi corpus crucifixum dicitur de vmbra corporis dicere possemus. Denique omnes Euangelistæ, interpretes, scripturæ idem docent, vsus antiquitatis & Ecclesiæ.

QVÆSTIO X.

Quæ hæretici contra verba institutionis obiicere soleant?

§. 1. NOn est nouum sanctissima quæque conuitiis impiorum impeti, iam initio clamabant, *durus est hic sermo.* Manna *cibum leuissimum* in deserto nauseabundi Israelitæ appellabant.

Murmurat impietas manna veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.

Fons erroris est, omnipotentiæ ignoratio cum superba præsumptione, qua eam se comprehendere posse arbitrantur, non capiunt, quomodo sub panis specie panis Christi totum sit corpus. Eo inducti Vorstius, & alii, etiam diuinam immensitatem negare cœperunt. Non enim capiebant, quomodo in quolibet corpusculo Deus immensus totus esset præsens, & totus vbique.

§. 2. Primum argumentũ est Berengarii apud Guitmundũ l. 2. Nota demonstrationis id significat, quod manu Dominus gestabat, cum diceret: *Hoc est.* Sed in manu panis erat. Panis ergo demonstratur. Respondet Guitmundus. Non demonstrari panem; sed Christi corpus, Hoc quod fuit panis, est corpus meum, corpus inquam communi conceptu apprehensum, vt ante exposui. atque hæc adeo est sanctorum patrum sen-

tentia,

sentia; qui veram mutationem agnoscunt, desinente pane, succedente corpore Christi. Sic S. Iustinus Apol. ad Antonin. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα τοῦτο λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα, ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν διὰ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν ἐκείνου καὶ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα διδάχθημεν εἶναι. *Id est*, Non enim vt communem panem, neque communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per verbū Dei caro factus Iesus Christus Saluator noster & carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ita alimoniam per precationem verbi ab ipso profecti eucharistizatam, ex qua sanguis & caro nostra per mutationem aluntur incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.

Quam facile martyr ille imperatori ethnico respondisset, symbolum Christi esse, & ἀνθρωποφαγίας opinionem exemisset, nisi verum corpus, & sanguinem credidisset? Sic Irenæus lib. 5. cap. 2. *Quando ergo mixtus calix, & fractus percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis & sanguinis Domini.*

Cyprianus de cœna Domini. *Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus omnipotentis verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur & latebat diuinitas: ita sacramento visibili inuisibiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem cuius corpus & sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus vsq; ad participationem spiritus.*

Et deinceps, *Noua est huius sacramenti doctrina, & scibula Euangelicæ hoc primum Magisterium protulerunt, & doctore Christo hæc primum mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ autoritas districtissime interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet, Euangelium præcipit vt bibatur.*

Parumodo Cyrillus, Catech. 5. & 4. *Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita sanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur.*

Eusebius Emissenus. *Inuisibilis sacerdos inuisibiles creaturas in substantiam corporis sui & sanguinis verbo suo, secreta potestate conuertit ita dicens, Accipite & edite. Hoc est corpus meum: & sanctificatione repetita, Accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Alio in loco scribit, Qui dixit tunc per se, modo dicit per suos ministros. Hoc est corpus meum: & tanta est eius verbi virtus & efficacia, vt statim fiat quod dicitur.*

Gregorius Nyssenus. *Corpus Christi naturale panis erat potentia sanctificatum est autem habitatione verbi, quod in carne habitauit. Itaq; qua ex causa panis in eo corpore naturaliter mutatus, in diuinam virtutem transiit, eadem de causa nunc etiam idem fit. Vt enim illic verbi gratia sanctum efficit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat: sic etiam hic panis, ait Apostolus per verbum Dei, & orationem sanctificatur: non quia comeditur in progrediens, vt corpus Christi euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, vt dictum est à verbo. Hoc est corpus meum.*

Addo S. Chrysostomum homil. 2. ad Tim. 2. *Sacra ista oblatio, ait, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis & quam sacerdotes modo conficiunt. Nihil habet ista quam illa minus. Cur ita? quia non hanc sanctificant homines, sed ipse Christus, qui illam ante sacrauerat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est, eadem sunt, quæ nunc sacerdotes pronunciant, ita & oblatio eadem est. Non sunt humanæ virtutis hæc opera: quæ tunc in illa cœna fecit ipse, nunc operatur ac perficit. Ministrorum nos ordinem tenemus: qui vero ipsa sanctificat, & transmutat, ipse est. Adest nunc quoq; Christus qui illam mensam fecit; ille ipse nunc etiam ornat. Non enim est homo, qui hæc munera facit, corpus & sanguinem Christi, sed qui crucifixus est pro nobis Christus. Figuram quidem adimplens astat sacerdos, verba illa pronuncians: potestas vero & gratia tota Christi est. Hoc est corpus meum ait. Hoc verbum res propositas transmutat. Nam quemadmodum vox illa, qua dictum est, crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, semper autem sit, naturæ nostræ vim præbens ad generandum: ita hæc quoque vox semel dicta in singulis aris ex eo tempore vsque in præsentem diem, & vsque ad Christi aduentum hoc sacramentum integre perficit.*

Hæc coniungamus cum illis quæ supra in explicatione pronominis Hoc sunt exposita, & facile constabit, in propositione mutatrice rei ipsius, designari terminum sub conceptu confusiore comprehensum.

§. 3. Lutherus & Lutherani non quidem hoc vrgent, vt ne sit tibi corpus Christi, sed vt sit cum pane. Ideo Lutherus in Hebræo ait esse hic, cum neutro careant. Ita lib. de captiuit. Babylonica: *Hebræi neutrum genus non habent*, ergo Christus dixit. Hic est corpus meum, non hoc est corpus meum. *Lutheri obiectio.*

Respondeo ridiculam plane esse rationem. Nam quemadmodum in Syro, qua lingua Christus vsus est, הגרא *hanau* est generis masculini, ita בגרא est eiusdem generis, conueniuntque articulus & nomen in genere. Itaque non sequitur: articulus in Hebræo est masculinus, quia neutro genere caret illa lingua, non ergo potest designari corpus; nam corpus in Syra & Hebræa lingua etiam est masculinum. Puerile vero, quod vertendum putat: Hic est corpus meum, cum enim vna ex lingua in aliam aliquid vertimus, suum cuique linguæ genus attribuimus. Non enim si in Græco est τοῦτο τὸ αἷμα, in latino dicam Hoc sanguis. Deinde verba ipsa causam eorum lædunt: In Syro accepit לחמא *lachmá*, panem, quod est masculini generis, vti articulus, & nomen cui apponitur. Euangelistæ tamen cum omnia Christus in genere masculino protulerit, vt ostenderent, τοῦτο non pertinere ad nomen ἄρτος panis, quod est masculinum sed ad σῶμα, *corpus*, quod est neutrum, non dixerunt οὗτος, sed τοῦτο, nam in verbis Christi Syris ambigua est locutio, & apud Marcum etiam verbum Syrum est generis masculini. Perinde ac si quis dicat: *accepit panem, & dixit: Hic est cibus meus*, vbi omnia sunt masculina. Apparet etiam hoc loco inconsiderata ebrioſi hominis audacia. Contendit dicendum: *Hic est corpus meum*: quasi latinum interpretem, & textum correcturus: nec aduertit se Græcum textum Euangelistarum, & Pauli, qui habet τοῦτο, *hoc*, non οὗτος, non *hic*, censura sua damnare. At Græcus textus in nouo testamento illis authenticus est; omnes enim fontem incorruptum aiunt in vetere testamento textum Hebræum, in Græco nouum. Hic Lutherus tamen cum latinum textum corrigit, non potest non etiam falsitatis accusare Græcum, ac proinde arguere S. Spiritum, qui tamen sectarios quotidie arguit de mendacio. Et profecto si apud iudices æquos causa tractetur, non poterunt eam partem probare, quæ sine manifestissima scripturæ corruptela à suo auctore asseri non potuit. *Scripturam depravat Lutherus.*

§. 4. Caluinianorum Achilles est. Sententia Christi est sacramentalis; ergo eius significatio est sacramentalis, ergo corpus accipitur sacramentaliter pro corporis figura.

Respondet Bellarminus, esse sacramentalia, quia ad constituendum & conficiendum sacramentum adhibentur, non quia tropice accipiuntur. Et verissima est responsio. Nam illa verba: *Ego te baptizo in nomine patris & filij & Spiritus sancti*, sunt verba sacramentalia, nec tamen ideo propria significatione destituuntur: vere baptizat, veram integram in tribus personis verus, non imaginariam in tropicis Trinitatem. Tota illa ratio aduersariorum à Zwinglio orta est. Ille in exposit. fidei ad regem Christianissimum. [Cogimur,

gimur, *inquit*, velimus, nolimus, agnoscere, Hæc verba: Hoc est corpus meum non aliter ac prouerbiorum proprio sensu esse intelligenda, sed symbolicè, sacramentaliter, denominatiue, aut μετονυμικῶς, hoc modo: Hoc est corpus meum, id est, hoc est sacramentum mei corporis, siue hoc est corpus meum sacramentale, siue mysticum, id est, quod vere assumpsi mortique obieci symbolum sacramentale vicarium.]

Sic Oecolampad. ad Epist. Pomerani. Ad Theobald. Bellicarium vero idem ille aliud sentire videtur. [Igitur aperte quid credam habe: sacramentalia signa, quibus sacramentalis promissio confirmatur, qua remittuntur peccata mea. Vt credibilior sit infirma conscientiæ meæ, non mihi sunt panis & vinum. Nihil enim de me, qui maiora quæro, qualis panis vel vinum adhibeatur, sed requiro mirabiliora quædam, ad imbecillam mentem meam solidandam efficaciora: illa autem non sunt nisi ipsummet corpus, & ille ipse sanguis non figura vel corporis, vel sanguinis, sed corpus quod traditum est & passum pro meis peccatis: similiter & sanguis, qui è latere profluxit, & pro meis peccatis effusus est. Et in hoc fido simpliciter verbis Christi, qui dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et hic est sanguis meus noui testamẽti, qui pro vobis effunditur.*]

Verba sacramẽtalia.

Cum illo dicto consentit Musculi Dusani pronunciatum: [Cauenda est autem expositio illa, qua verba Christi, idem esse putantur; atque si dixisset: Accipite & manducate, Hoc significat corpus meum, & hic calix significat sanguinem meum. Nam hoc non agit Christus vt ostendat panem hunc significare corpus suum, vel vt quidam interpretantur, hoc in ordine rerum cœlestium esse corpus ipsius, quod panis est in ordine rerum terrenarum, licet enim id non sit alienum à veritate. Vt & Ioann. 6. tractatur, aliud tamen hic agitur, donum datur non signum declaratur.]

Quin ille etsi panem & vinum signa sacramentalia dicat, contra Zwinglium tamen veritatem vtcunque asserit. [Duplex est signorum genus: significatiuum vnum exhibitiuum alterum, &c. in baptismate, & pane cœnæ Dominicæ: non recte dicitur: Baptisma significat ablutionem peccatorum; Vnde & ad Paulum non dicebatur: surge & accipe signum ablutionis peccatorum, sed surge & ablue peccata tua. Item panis est corpus Domini & fractio panis, est communicatio corporis Domini sicut Paulus loquitur. Interea tamen non negatur, istorum sacramentorum elementa recte vocari signa sacramentalia, & signa externa, modo discernantur à signis significatiuis tantum, & intelligantur signa esse exhibitiua: Vbi ergo verba Christi exponenda sunt, ibi fugienda est ea expositio, quæ exhibitionem corporis & sanguinis Christi, cum illa sit in hoc sacramento principalis Christi scopus, non exprimit, sed significationem tantum illorum adfert videtur.]

Et deinceps. [Proinde optatim, *inquit*, id obtinere inter fideles, vt panis Domini in cœna, iam non pro pane, sed pro ipso corpore Domini, & vinum, non vt vinum sed vt Christi sanguis habeatur. Christus dixit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Dicat ergo Christianus, Domini sui verba secutus: Non panem accipio, non vinum bibo, sed corpus Christi sumo, & sanguine Christi recreor. Quid enim aliud de mensa Domini acciperem, quam quod ipse conuiuator Christus conuiuis suis dare se dixit? Corpus suum dedit, non panem: sanguinem dedit non vinum. Alium cibum, alium potum in cœna Domini agnosco. Hic est non oculorum, non oris, sed fidei, sensus, qui non oculorum autoris sed auditi verbi Christi iudiciũ sequitur. Interea tamen vt supra monui non est neganda panis & vini substantia, sed corporis sensibus relinquenda.]

Identidem tamen ingerunt significationem sacramẽtalem, Musculus, Bucerus, Oswaldus Myconius, Bullingerus, Beza, adeo vt satis illis videatur ad omnia signata respondere. Est locutio sacramentalis, vt ille: λήκυθον ὀνόματι ἀπώλεσα. *Lecythum perdidi.* Hinc condiderunt regulam vniuersalem. In vltima admon. ad Westph. *In sacramentis omnibus quasi perpetuam regulã esse scribit, vt signum nomen rei signatæ accipiat.* Cum vero sacramentum sit signum externum rei inuisibilis, sacramentalis locutio hoc ipsum explicare debet, nempe signum externum, & id quod illo datur: vtrunq; diserte, & claræ. Externa symbola sunt accidentia panis & vini, internates corpus, & sanguis. Regula igitur illa anormis est, & in scripturis incognita. Sacramenta propriis verbis instituuntur, alioqui repugnat eorum naturæ metonymiis & metaphoris indicari; posset enim Iudæus circumcisionem spiritaliter interpretari, & facili effugio se impsu, & dolore eximere. Iudicandum igitur est, de singulorum sacramentorum natura ex verbis Christi instituentis, quod in priuatorum etiam vltimis voluntatibus vsu venit, in quarum interpretatione si calli. dorum hominum artibus se ad similitudines abduci sinet hæres, & rebus & iure suo excidet.

Singularia exempla proferunt, sed nec illa patrocinantur erroti, & ex paucis generalem legem figere insanientis est.

Beza quidem ex Abrahæ exemplo dicit Paulum probare generalem modum, quo omnes iustificandi sint, posse ergo ab vno exemplo ad omnia sacramenta locutiones peti.

Vnum exemplum est; sicut Abraham pater est omnium fidelium, ideoque omnes eius filii vocantur, qui credunt, ita & in sacramentis: at non est vna locutionum omnium regula. Nec vniusmodi omnia sacramenta. Nec eo argumento inuentor artis Cinglius vsus est, sed Dæmoni monitori scientiam acceptam retulit.

§. 5. Producunt hunc in finem varias locutiones. Semen est verbum Dei, & similia: at eodem modo veteres hæretici abusi sunt. Valentinus sic Christum habere corpus, sicut Spiritus S. columbam esse finxit. Arius Christum tropice filium Dei dilectum, sicut vitem, ostium, lucem vocabat. Augustin. de agone Christi c. 22. Athanas. contra Arianos. *Admiror cur isti, cum vnus sit Deus, plures secundum sua excogitata figuras, sapientias & verba introducant, alterumq; adhuc proprium, & naturale verbum patris existiment, in quo hunc filium procreauit, quem verum filium per metaphoram, & secundarium intellectum appellari censent, non aliter, quam vitis, & via, & ianua, & lignum vitæ, sapientiaque nominetenus nuncupatur.*

Nobis firmior ratio est ex natura Sacramentorum. Baptismus illis verbis institutus est, vt non vindicet sibi symbolum rei signatæ nomen. Aqua aquam, Spiritus spiritum sanctum significat. falsa est ergo regula, & exempla nihil huc faciunt. Cætera exempla suis locis exponam, interim videatur Claudius Sanctesius Reper. 2. & Bellarminus loco citato.

Quod vero Caluinus putat apostolos fuisse turbandos, l. 4. instit. c. 17. Clebitius de victoria veritatis p. 1. arg. 8. *non posse corpus Christi atteri dentibus.* facile dissolutur. Nam antea Ioannis 6. de illo cibo instructi erant, & ad manducationem laniatio quæ fit dentibus, non est necessaria. Manet igitur inuariata, & immota veritas. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα. Hoc est ipsum corpus meum, quod vt dixi Marcus in Syro expressit, cũ dixit. הנא איתיהי בגרמי *Hana ithauhe pagri.* Hoc est ipsum corpus meum. nam איתי *ith* est. recipit affixa. Quod adeo quibusdam visum est emphaticum, vt quidam verterint: *Reuera.* Iunius & Tremellius Caluiniani in sua versione neglexerunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

Quid senserit de hac re Tertullianus?

§. 1. OMnibus hæreticis in promptu est sententia Tertulliani l. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem corpus suum illum fecit: Hoc est corpus meum dicendo.* Id est, *figura corporis mei.*

Integra verba Tertulliani sunt ista. *Professus itaque se concupiscentia concupisse edere pascha vt suum, (indigniũ enim vt quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi prius veritas esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma figuram capere non posset. aut si propterea panem corpus sibi finxit quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis, faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & nõ magis deponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse, istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Aduersus me cogitauerunt cogitatum dicentes: Venite, coniiciamus lignum in panem eius, scil. vt crucem in corpus eius: Itaq; illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis.*

Hæc Tertullianus probaturus Christi corpus verum fuisse, non vt illi iactabant phantasticum.

Duplex est apud Pammelium, & Claudium Sanctesium solutio. Prima vocari panem veteris testamenti, qui figura fuit corporis Christi. Deinde figuram nõ semper veritatem excludere. Pammelii commentarius in Tertullianum ita habet. *Intellectum cum alii alium reddant, certè originem suam habere videntur illi, quam mihi maxime placet interpretatio ex scholio marginali Gagnæi inedutione Parisiensi, hoc nempe: nihil de veritate corporis Christi detrahi, propterea quod tota hæc oratio referatur non ad nouum sacramentum eucharistiæ, tanquam illud recta figura, sed ad panem de quo Hieremiæ 11. locus hic citatur oratione, qua panis oblatus & comestus in sacrificiis veteris legis, tantum figurabat, conficiendum tempore Euangelii, Christi corpus, ex materia & sub specie panis manducandum. De illa enim figura, quæ fuit olim sub lege, non de illa quæ à Christo instituebatur, Tertullianum loqui; patet ex eo, quod veterem figuram appellet, tum de pane dicens: non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, tum de calice paulo post: Vt autem & sanguinis veterem figuram in vino agnoscas. Conuenit autem hæc interpretatio, cum totius huius libri scopo, vbi non aliud conatur auctor ostendere, quam concordiam veteris, & noui testamenti, ex eo, quod veteris testamenti figura, noui testamenti veritate adimpleantur. Quod dum facit inter cetera etiam testimonium supradictum adfert. Hieremiæ 11. Venite mittamus lignum in panem eius, id est, crucifigamus non modo hic explicat Tom. 1. lib. aduersus iud. cap. 10. & supra lib. 3. aduersus Marcionem, cap. 19.) crucem in corpus eius. similiter etiam paulo post adfert testimonium illud Geneſ. 49. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum. Atqui vt probet, panem antiquitus veterem fuisse Dominici corporis figuram, adfert verba hæc Euangelistæ: accepit panem & distributum discipulis suis, corpus suum illum fecit, similiter vti probet: Vino antiquitus figuratum Christi sanguinem, infrà dicit. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit, sicut autem ibi obscure loquitur, & quasi contrario sensu, pro eo quod dicere debuerat: qui tunc sanguinem in vino figurauit; ita & prius quam supradicta verba adiecit: Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei; etiam quasi contrario sensu loquitur, pro eo quod dicere debuerat conuenienter suo instituto, illud (panem nempe) fecit Christus corpus suum in noua lege dicendo: Hoc est corpus meum, quod in veteri lege erat figura corporis sui. Sic autem debere intelligi comprobatur ex verbis immediate sequentibus: Figura autem non fuisset, quum alioqui dicere debuisset. Esset, si in noua lege figuram corporis sui agnosceret. Et vero se non loqui de noua corporis sui figura, sed veteri, (vti paucis iam diximus ex Gagnæo, patet manifeste ex illis verbis: Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis deponem, quem Marcion cordis loco habuit; non intelligens, veterem istam figuram fuisse corporis Christi? Et rursum subijciens: Itaq; illuminator antiquitatum (nempe Christus) quid tunc (nempe in veteri testamento) voluerit significasse panem, satis declarauit corpus suum vocans panem, indicat quod tunc panis significaret corpus Christi, non vero quod nunc id significet. Simile est etiam illud: Vt autem & sanguinis veterem, non nouam figuram recognoscas. Et quod habet paulo post: at nunc id est in nouo testamento, sanguinem suum in vino consecrauit, qui tunc (id est in veteri) vinum in sanguine figurauit. Denique similia etiã sunt verba, dictis locis lib. adu. Iudæos, & lib. 3. adu. Marc. vbi locum hunc Hier. 11 citat. Porro si hac loci obscurissimi interpretatio, cuiquam nõ satisfaciat, vel persistat in hoc, quod etiam nunc (id est in nouo testamento) appellauerit auctor sacramentum istud eucharistiæ, figuram corporis sui, fateor cum B. Augustino lib. adu. Adimantum Manich. cap. 12. esse in eucharistia etiam signum corporis Christi, seu figuram, sed eo modo quo sanguis animæ, animalis signum dicitur, nempe non nudum signum, sed etiam quo ipsa res significata continetur.* Est enim corpus Christi, vt idem B. Augustin. *In eucharistia tradit in sententiis Prosperi, & veritas & figura, veritas dum sibi etiam corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius, ex passionis, vinique substantia efficitur, figura vero, quod exterius sentitur. Et vero nihil obstare, quin idem & veritas sit, seu substantia, & tamen figura; siue effigies, aut similitudo dicatur;* signata. patet ex ipso etiam Tertulliano, infrà lib. 5. tractante epist. ad Philip. *Plane (inquit cap. penult.) de substantia Christi putant & hic Marcionitæ Apostolum, sibi suffragari, quod phantasma carnis fuerit in Christo, cum dicit, quod in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit pariari Deo, sed exhausit semetipsum, accepta effigie serui, non veritate; & in similitudine hominis, non in homine; & figura inuentus homo, non substantia. id est, non carne. Hactenus argumentum Marcionis. Quid autem respondet Tertullianus? Quasi inquit, non & figura & similitudo, & effigies substantiæ quoq; accedant. Bene autem quod & alibi Christum imaginem inuisibilis Dei appellat. Nunquid ergo & hic, qua in effigie hominis constitutus. Vtrobique enim veritas, necesse habebit excludi; si effigies & similitudo & figura phantasmati vindicabitur. Cæterum nobiscum consentire videtur, quod ad priorem nostram huius loci interpretationem attinet (quamuis inuitus) Caluinus, dum alicubi confitetur: figuram non cadere in vocem corporis, sed in vocem panis; quemadmodũ ipsis illius verbis comprobauit Dn. Claudius de Sainctes in examine doctrinæ Caluinianæ, & paucis repetit in Apol. aduersus Bezam, pag. 139. Hactenus de vera sententia Tertulliani, quod ad veritatem corporis & sanguinis Domini in eucharistia (de qua etiam suprà lib. de Resurr. carn. cap. 8. num. 76. attinet. Qui vero aliorum Patrum de eadem testimonia requiret, videat, adnot. nostras. Tom. 2. lib. de orat. cap. 6. num. 23. & latius ad librum de lapsis B. Cypriani, num. 82. & ad Epist. 63. ad Cæcilium, num. 12. Denique & nostra Leiturgica latinorum, vbi frequentissimam habes mentionem, sacrificij corporis & sanguinis Domini, per singulas fere paginas, ex diuersis sex primorum seculorum latinis Patribus, & vero etiam græcis à pag. 1. vsque ad 93. cùm illud à Christo institutum, & ab Apostolis vsitatum late comprobauimus.*

Hæc adducere operæ precium fuit, quia valide multis allatis institutum probat.

§. 2. Alia tamen à qua non abhorrere videtur Ebroicensis, mihi solutio & facilima, & planissima videtur. Nempe hæc verba: Id est figura corporis mei, non esse Tertulliani affirmantis, *corpus meum* in Christi propositione significare figuram corporis, sed Marcionis interpretantis; corpus, id est figura corporis. Tertullianum autem cum probare vellet Christum

habuisse verum corpus, non phantasma corporis, vsum esse loco euidenti, Christus enim dixit. *Hoc est corpus meum.* Habuit igitur corpus: Nam sciebat gloſſam Marcioni caluinisticam. Nimirum dicere Marcionē, *corpus*, id est, figura corporis; atq; ita hoc ipsum, quod ab ipsis responderi sciebat, sibi Tertullianus obiicit. *Panem fecit corpus suū, Dicendo: Hoc est corpus meum,* quod quidem vestra ô Marcionitæ hæresis interpretatur, *figuram corporis mei*, sed ne sic quidem ictum euaditis, si est enim figura corporis, non est figura phantasmatis, sed veritatis, vrget ergo hæreticos, vt potest, ex cōcessis. Martyr in celebri disputatione contra Oxonienses fatetur esse argumentum contra Marcionem. Et hoc modo format rationem.

Explicatus slare Tertullianus.

Rei phantasticæ non est figura; nam figura rem veram significat.

Sed hoc sacramentum est figura corporis Christi.

Ergo corpus Christi non est res phantastica.

Hoc argumentum esse concedimus, sed minorem diximus esse ex concessis, seu ex sententia Marcionis, non Tertulliani. Vt etiam tum Guilhelmus Cheadseus aduersarius Martyris respondit. Verba Cheadsei sunt. *Et ad Tertullianum respondeo. eum in Marcionem scribere, qui ponebat Christi corpus esse phantasticum: fatebatur autem in Christo figuram corporis humani. Vnde Tertullianus arguebat à concessis à Marcione. Argumentum sic inducebat. Quod est phantasticum non habet figuram vt concedebat Marcion. Ergo Christus verum corpus habet, non phantasticum. Fuitque iste scopus Tertulliani, & ex necessitate sic arguebat, vt confunderet hæreticum & erat violenta collectio. Vnde hic in summa est sensus Tertulliani, Christo figuratum & phantasticum corpus attribuebat: & in sacramento tantum non negabat esse corpus Christi, id est figuram corporis. Hinc arguit figuram non esse corporis, nisi etiam verum corpus extaret, quia non est figura nisi veritas.*

Hanc esse sententiam Tertulliani probo, quamuis opus probatione non sit, sed aduersariis probatio incumbat, & responsionis destructio. Sed sententiam Tertulliani expendamus. l. contra Iudæos c. 10. *De hoc enim ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam quod essetis dicturi: Venite mittamus in panem eius lignum, & conteramus eum à terra viuorum, & nomen illius non memorabitur amplius. Vtiq; in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans cuius retro corpus in pane prophetes figurauit.*

Panis in veteri testamento signum corporis.

Vbi panis & Christi verum corpus, quod crucis lignum sustinuit, & Christus reuelauit, corpus suum, verum scilicet, panem appellans. Nempe dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et aduersus Marcionem l. 3. c. 19. ait dominum corporis sui figuram pani dedisse; nempe in quem lignum miserunt Iudæi; Et addit: Ipso domino sacramentum hoc postea interpretaturo. Et de orat. c. 6. quem locum etiam Magdeburgenses aliique producunt. Et c. 7. de Idololatria. *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire de aduersaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum patrem manus, matres idolorum his manibus adorare, quæ foris aduersus Deum adorantur, eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. parum sit si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipsa tradunt aliis, quod contaminauerunt.*

Et de resurrect. carnis. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Distinguit carnis & animæ cibum, caro vescendo, anima credendo saginatur. & l. de pudicitia *opimitate dominici corporis pascitur.* & l. 1. aduers. Marcionem c. 14. *Et panem quo ipsum corpus repræsentat*, quod non est significat, vt scioli putant, sed phrasi latina; *præsens sistit.* ita c. 14. de resurrectione carnis. & c. 17. *carnem repræsentandam iudicio.* & c. 23. *Non repræsentatio, sed exspectatio*, & c. vltimo, *vt rursus ex illa repræsentetur Adam*, ita Latine dicimus repræsentare solutionem, hoc est, offert præsentem.

Repræsentatio.

Quibus ex locis constat de sententia Tertulliani, eum verum Christi corpus agnoscere, cuius figura fuerit panis, & id non modo ex Christi verbis probare, quæ Christus protulit, sed etiam ex eisdem gloſſa Marcionica deprauatis asserere.

Porro non modo Tertulliano tantum est vsitatissimum breuiter aduersarii argumenta sine illius nouæ mentione recensere, & soluere, sed aliis etiam scriptoribus. Tertull. de corona militis. c. 2. *Quid facit disciplina? Vtrumque recipiet, quasi neutrum prohibitum sit? An vtrumque reiiciet, quasi neutrum præceptum sit? sed quod non prohibetur vltro permissum est. Imo prohibetur, quod non vltro est permissum.*

Aut sane reponit ex vero contra falsas criminationes aliquid, accusabant gentes cœnas Thyestæas Slem. Christianorum, Tertullian. apol. c. 9. *Vbi sunt item illi cruditi qui de arena ferinis obsoniis cenanti? qui de apro, qui de Cerua petunt? Aper ille quem cruentauit colluctando detersit. Cerua ille in gladiatoris sanguine iactauit. Ipsorum Vrsorum alui appetuntur cruditantes adhuc de visceribus humanis. Rudatur proinde ab homine caro pasta de homine. Hæc qui edit, quantum abest à conuiuiis Christianorum?*

An ergo etiā talia conuiuia Christianorum? absit. Sed intelligendus est dicere, à conuiuiis Christianorum, qualia vos illis affingitis. Ita plane acsi Caluinista pronunciaret, Edere corpus Christi, esse credere. subiiceret Lutheranus. Corpus Christi, id est, figuram corporis, in figuram igitur credis. Aut si orthodoxus ex principiis propriis Caluinianos confutans dicat. Christus, hoc quod manibus gestabat suis, corpus suum dixit, hoc est, figuram corporis, at verò illud ipsum pro nobis dari asseuerat; figura igitur pro nobis data est?

Porro confirmat hoc mirifice scopus Tertulliani, qui ex Lucæ Euangelio, quod commune erat vtrique, Marcionem conuincendum susceperat, nam id solum Marcion, licet à se mutatum, & adulteratum admittebat. Quocirca in fine l. 4. *Miserear tui*, inquit, *Marcion, frustra laborasti, Christus enim Iesus in Euangelio tuo, meus est.* Et c. 6. *Sed alium iam hinc inimus gradum, ipsum, (vt professi sumus) Euangelium Marcionis pronocantes. Sic quoque probaturi adulteratum.* Cum ante Marcion Christum omnino phantasma diceret, vbi corporis eius erat mentio, aut delebat, aut in phantasma mutabat. Hinc totum esse phantasma quod speramus à Christo, concludit Tertullianus de carne Christi c. 5. Amat admodum concessionibus illis ludere Tertullianus. *Natus est Dei filius: non pudet, quia pudendum. & mortuus est Dei filius: prorsus credibile est, quia ineptum est, & sepultus, resurrexit: certum est, quia impossibile est.* Sed *Conf. Tertull. adu. Marc. l. 3. c. 8.* hæc quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se, quod figeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, quod resuscitaretur? carnem scilicet hanc sanguine suffusam ossibus substructam, neruis intextam, venis implexam, natam nasci & mori nouit, humanam sine dubio, vt natam de homine.

Concedit, pudendum, ineptum, impossibile, vt inde probet veram eius carnem. Id verò in refutationibus & poetis & oratoribus perpetuum fere, dum plura refellunt. Sic Iuno.

Æneas ignarus abest.

Tacitâ personâ inimicæ, dictum eius recitat.

Concludo itaque Christum vere, realiter, substantialiter corpus suum dare discipulis; eamque esse totius antiquitatis sententiam: Et omnium Ecclesiarum etiam Orientalium: Sic etiam Hieremias patriarcha Constantinopolitanus Germanis respondit. ἔτι τε πίνια δῶρα εἰς αὐτὸ τὸ κυριακὸν μυστήριον σῶμα, ἀλλὰ

ideli, quod preciosa dona in ipsum transmutet dominicum corpus.

Ipse se Christus offert, & offerri ab Apostolis, eorumque successoribus voluit. An vero Iudæ dederit, an ante Sacramentum institutum ille discesserit, incertum est. Vide quæ Iansen. Barradius: alii disputant.

QVÆSTIO X.

An illa verba sint consecrationis forma?

§. 1. HÆretici formam consecrationis nullam agnoscunt, verba enim concionatoria esse fingunt, imo etiam magiæ consecrationem accusant. Bucerus hoc loco. Westphal. lib. de recta fide. Apud Kemnitium in Examin. Session. II. cap. I. aliqui non requirunt verba. Ipse tamen ad essentiam pertinere verba omnia arbitratur, nulla addenda. recitanda autem non historicè, sed vt Deo operante sint efficacia, vt panis fit, & dicatur corpus Christi. Græci, vt Marcus Episcopus Ephesinus, Hieremias Patriarcha Constantinopol. alia propterea verba, quæ in eorum sunt Liturgiis, requirunt.

§. 2. Verba quæ Christus protulit, non historicè, sed ad conficiendum Sacramentum sacramentaliter sunt adhibenda, ideo non est necessaria, vt apud Hæreticos lectio ex Epistola Corinthiaca, aliaue, aut concio, non enim ea Christus adhibuit; sed cum dixit, Hoc est corpus meum, reuera adfuit corpus. Et cum iussit eos hoc facere in sui commemorationem eandem nobis præscripsit. Hinc est, quod quamuis aliqua verba hinc inde addita sint in variis Litaniis, hæc tamen à nulla absint. Et sane operæ precium est, formam consecrationis variatum Ecclesiarum cognoscere.

S. Petri Liturgia habet. Ταύτην τὴν νῦν τὴν προσφορὰν τῶν δούλων ἡμῶν ἀλλὰ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ σου, ἣν σοὶ προσφέρομεν, δέομαι τοῦ κυρίου εὐμενῶς προσδέξαι, &c. id est, Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctipopuli tui, quã tibi offerimus quæsumus Domine benigne suscipe, &c. Ἵνα ἡμῖν σῶμα καὶ αἷμα γένηται τοῦ ἀμωμήτου τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ὃς τὴν ἑαυτοῦ ἁγίαν καὶ ἀμώμητον καὶ ἀνεπίληπτον καὶ ἀνεπίφθονον σάρκα παρέδωκεν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου ζωῆς καὶ σωτηρίας. Ἐν ᾗ νυκτὶ παρεδίδοτο ἔλαβεν ἄρτον ἐν ταῖς ἁγίαις καὶ ἀμώμοις αὐτοῦ χερσὶ καὶ ἀναβλέψας πρὸς σὲ τὸν θεὸν καὶ πατέρα αὐτοῦ, καὶ κλάσας ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, λέγων· λάβετε, φάγετε· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, &c. Ὁμοίως πάλιν μετὰ τὸ δεῖπνον λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ κράσας ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, εὐλογήσας, ἁγιάσας, ἔδωκε τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, λέγων· Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, &c. ταῦτα ὁσάκις ἐὰν ποιῆτε, ἐν τῇ ἐμῇ μνήμῃ ποιεῖτε, id est, vt nobis corpus & sanguis fiat dilecti filii tui, Domini vero nostri Iesu Christi. Qui pridie eius diei, qua passus est, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus suas, eleuans oculos in cœlum, ad te Deum & Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, accipite, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, &c. Similiter rursum postquam cœnatum est accipiens calicem & gratias agens, benedixit, dedit sanctis suis discipulis dicens: Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus, &c. Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facite.

S. Iacobi maioris, μεμνημένοι οὖν ὧν δι' ἡμᾶς ἐπεμνήσθης αὐτὸς ὁ δεσπότης ἡμῶν, ἐχόντως ὀφείλομεν, ἀλλ' ὅσον δυνάμεθα· καὶ τὴν ἀφθαρσίαν αὐτοῦ πληροῦμεν. ἐν ᾗ γὰρ νυκτὶ παρεδίδοτο λαβὼν ἄρτον τὸν ἅγιον καὶ ἄμωμον αὐτοῦ χερσὶ καὶ ἀναβλέψας πρὸς σὲ τὸν θεὸν αὐτοῦ, καὶ πατέρα· καὶ κλάσας ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς εἰπών· τοῦτο τὸ μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης· λάβετε ἐξ αὐτοῦ· φάγετε· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν θρυπτόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ὁσάκις καὶ τὸ ποτήριον κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος· καὶ ἁγίασας ἐπέδωκεν αὐτοῖς λέγων· πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ ὑπὲρ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ πίνητε τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν θάνατον τὸν ἐμὸν καταγγέλλετε ἄχρις ἂν ἔλθω. μεμνημένοι οὖν πάντων ὧν ἔπαθε δι' ἡμᾶς, τὸν σταυρὸν, τὸν θάνατον, τὴν ταφὴν, τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον, τὴν ἐκ δεξιῶν καθέδραν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν δευτέραν παρουσίαν, ἐν ᾗ ἔρχεται μετὰ δόξης καὶ δυνάμεως κρίναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ προσφέρομέν σοι τῷ βασιλεῖ καὶ θεῷ κατὰ τὸν αὐτὸν διδάξαντα ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο δικαιολογοῦντες σοι διὰ αὐτοῦ ὅτι κατηξίωσας ἡμᾶς ἑστάναι ἐνώπιον σου καὶ ἱερατεύειν σοι. καὶ ἀξιῶμέν σε ὅπως εὐμενῶς ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐνώπιόν σου αὐτὰ ἀποδεξάμενος εἰς τὸν ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον καὶ ὀσμὴν εὐωδίας ἐπ' αὐτοῖς εἰς ἡμῖν δὲ χάριν σου. καὶ καταπέμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην τοῦ μάρτυρός σου παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου. καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτῶν βεβαιωθῶσι. πρὸς ὑποστήριξιν ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσι. τῶν ἀφθόλκων καὶ τῶν πλάνης αὐτοῦ ἐλευθερωθῶσι. ἄξιοι τοῦ Χριστοῦ σου γένωνται. ζωῆς αἰωνίας τύχωσι, σὲ καταλαγέντα αὐτοῖς. δέσποτα παντοκράτωρ, &c. Memores igitur eorũ, quę nostra causa substinuit, gratias agimus tibi Deus omnipotẽs, non quas debemꝰ, sed quas possumus, constitutionẽ q; eius adimplemus: In qua nocte n. tradebatur, cũ accepisset panem, sanctis, & ab omni labe puris manibus suis, sustulisset que oculos ad te Deum suum ac Patrem, ac fregisset, dedit discipulis suis dicens, Hoc est mysteriũ noui Testamenti: Accipite ex eo, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter calicem postquã miscuit ex vino & aqua, & sanctificauit, dedit eisdem dicens bibite ex eõ omnes. Hic est sanguis meus qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunq; enim manducabitis panem hunc & bibetis calicem hunc, mortẽ meã annunciabitis donec veniã. Quare memores passionis eius, & mortis, eiusque resurrectionis à mortuis & reditus in cœlũ, atq; aduentus eius secũdi, qui futurus est cum veniet cum gloria & potestate, ad iudicandos viuos & mortuos, & reddendum vnicuiq; secundum opera eius, offerimus tibi Regi & Deo, sicut ipse constituit. Panem hunc & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, qui à te dignati sumus stare, in cõspectu tuo & tibi fungi sacerdotio. At te precamur, vt in hæc munera coram te proposita beneuole aspicias tu Deus nullius indigens, & beneplaceas in eis, in honorem Christi tui: & mittas super hoc sacrificium sanctum tuum Spiritum, testem passionum Domini Iesu: vt ostendas panem hunc corpus Christi tui: & calicem hunc sanguinem Christi tui: vt qui eum participarint, ad pietatem firmentur; remissionem peccatorum consequantur, à fallaciis diaboli liberentur, Spiritu sancto impleantur, digni Christo tuo fiant, vitamque sempiternam adipiscantur, te illis reconciliato Domine omnipotens.

Hîc est id singulare, quod dicat corpus θρυπτόμενον, *quod frangitur*, Petri habet ὑπὲρ ἡμῶν κλώμενον. Deinde vino dicit κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος, *miscens ex vino & aqua*. Quare S. Iustinus vocare solet κρᾶμα mystum, seu mistionem. Idem habet Liturgia Iacobi minoris. Quę de pane coniungit κλώμενον, & ἀφιδρυόμενον, & de calice, ἐκχεόμενον, καὶ ἀφιδρυόμενον, qui effunditur, & datur. *Matthæi Liturgia.*

Matthæi Liturgia post consecrationem dicit populus: Amen, amen, amen. *Credimus & confidimus, & laudamus te ô Domine Deus noster: Hoc vere corpus tuum est.* O quantum aliud illæ voces sonant à fremitu Caluiniano! Et eodem modo ad calicis consecrationem, & addunt. *Hic est vere sanguis tuus.* Matthæus sua Liturgia contra hæreses armari voluit fideles. Ita enim sacerdos loquitur.

Hoc est corpus sanctum, honoratum & vitale Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi, qd̄ datū est in remissionē peccatorū & ad vitam æternam consequendā, vere sumentibus ipsum. Amen. Hic est sanguis Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi sanctus, honoratus & viuificans; qui datus est in remissionem peccatorum & ad vitam æternam consequendam, vere sumentibus ipsum. Amen. Vere hoc est corpus, vt hic est sanguis Emmanuel Dei nostri. Amen. Credo, credo, credo ex nunc, & vsque in sæculum. Amen. Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi, quod & quem assumpsit, ex Domina nostra sancta, & immaculata Virgine Maria, & vniuit cum diuinitate, sine mixtione, aut copula naturali, sine separatione aut permutatione diuinitatis, &c.

Beza aliquando etiam formâ verborum consecrationis Caluinianos confudit. Duas homilias conscripsit, aduersus sacramentariorum errorem pro verâ Christi præsentia in cœna Domini.

Ab iis (*inquit*) dissentimus, qui pro re Sacramenti constituunt Christi ἐνέργειαν, & merita, ab ipsomet Christo seiuncta. Non enim dixit Christus Hoc est meritum corporis mei traditi pro vobis: sed hoc est corpus meus, & Hoc est sanguis meus. Nec temere additur παραδιδόμενος. Quod traditur pro vobis, & Qui funditur pro vobis. Ita vt apertius dici non potuerit, ipsummet Christum, cuius & corpus pro nobis tradtum est, & sanguis pro nobis fusus, verè nobis in cœna tradi, ad æternæ vitæ alimentum: Ac proinde rem illius Sacramenti esse illud ipsum corpus, quod pro nobis obtulit in cruce, & illum ipsum sanguinem, quem effudit pro peccatis nostris: tantum abest, vt symbolicum aliquod seu Typicum corpus, vel allegoricum sanguinem somniemus.]

Hæc vt contra alios sacramentarios recte dicuntur, ita parum sincere pro veritate proferuntur, constat enim Bezæ in hoc genere fraudulentia & æquiuocatio. Conatus est enim obscure & ambigue loqui, vt Lutheranos deciperet, imitatus τὸ σιωπῶδες & λοξὸν. Obscuritatem oraculorum Apollinis.

In hanc sententiam Patres omnes etiam loquuntur. Consecrationem enim fatentur fieri Domini verbis, non aliorum. Itaque quicquid præter illa additur, ad cærimonias non essentiam pertinet. Sacerdos enim Christi personam in sacrificio obtinet, Christi igitur verbis sacramentum conficit, non alienis. Vide Florent. Concilium instruct. Armenorum. Quod in Basilii Liturgia post consecrationem oratur, vt sit corpus & sanguis Domini ad salutem sumentium, &c. Non dubitant de præsentia, sed oratione petunt præsentiam sibi fieri salutarem.

Responderunt in Florentino Concilio, non fieri, vt petat ratam esse consecrationem, sed sibi vtilem. Videtur tamen in ea Liturgia aliqua facta mutatio. Quæ præterea obiiciunt Græci, friuola sunt, & ad alia Scripturæ loca pertinent.

QVÆSTIO XI.

An ex verbis institutionis sacrificium esse probetur?

Sacrificium quid sit.

§. 1. SAcrificium ἱερουργία, τελετὴ, θυσία, externa est, & aspectabilis, aut saltem sensibilis actio, qua res aliqua Deo offertur, vt ad eius cultum, & honorem aliquo modo immutetur, & cum publicum est sacrificium opus est id fieri à publico & legitimo ministro, publica & stata cærimonia. In sacrificio itaq; requirit Concilium Tridentinum quatuor, offerentem, illum cui offertur, eum pro quo offertur, & id quod offertur. Sacrificium ita ex natura sua, & immediate continet significationem diuinitatis, & maiestatis omnium rerum conditricis & Dominæ. Ideoque nulli nisi vni, & soli Deo potest offerri. Hoc modo in noua lege est sacrificium institutum. vt docetur Concil. Trid. Sess. 22. cap. 1. & prædixit Malachias *in omni loco offerendum*. Quod necessario verum, proprieque nominis sacrificium dicendum est, ne proprio sacrificio, metaphorâ succedat, quæ cum illis, & in illis fuit semper. Fuit autem hoc sacrificium, quo Christus sub specie panis & vini corpus & sanguinem Deo Patri obtulit; Cum enim fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedec, qui panem & vinum obtulit, debuit etiam Christus panem & vinum offerre. Quod nunquam nisi in vltima illa cœna fecisse legitur. Et hac quidem in re veteres omnes conueniunt. de quo Bell. l. 1. de missa c. 6. & in Genesi exposui. Nunc ex his ipsis verbis demonstrandum est. Verba Christi sunt. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. 1. Corinth. 11. Quod pro vobis frangitur. Matth. in remissionem peccatorum. Et de sanguine, dicit: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur*, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον, Deinde ait esse sanguinem noui Testamenti, nempe, respondentem cruentis sacrificiis veteris testamenti. In Marco 14. & Luc. 22. Eodem vtitur verbo præsenti. Lucas autem & Paulus. *Hic calix in sanguine meo.* Fractio, datio effusio pro multis est sacrificiū. Nam vt fit aliqua immutatio pro multis à sacerdote Christo ad gloriam Deo à quo remissio peccatorum tanquam supremo Domino postulatur. verum igitur sacrificium continet institutio Eucharistiæ.

Huic argumento respondet Beza, Kemnitius pag. 2. Examinis in Concil. Trident. in his verbis accipi præsens pro futuro. Nam & in canone Missæ est, *effundetur*. Deinde in Missa inquiunt, si sanguis effunditur est cruentum sacrificium. Imo Pareus de cœna libro 1. capit. 10. sacrificium cruentum esse debere probat.

[Κρησφύγετον vero missificatorum quod Christum sacrifient ἀναιμάκτως incruente, sine mactatione & morte: falsum est & ἀσυστατον. Falsum, quia Bellarminus expresse scribit ad verum sacrificium requiri mortem, & destructionem rei oblatæ.]

Hinc ille concludit, vel sacrificium non esse vllum, vel necessario cruentum esse.

Respondeo. Frequenter verba præsentis temporis futurum indicare, præsertim si res iamiam agi inchoata, quæ proxime instat. Quin D. Chrysostom. D. Thom. quæst. 78. artic. 3. ad 7. ad immolationem in cruce factam referunt. Verum & in cruce, & in Eucharistia sanguis funditur, & corpus datur, imo in Eucharistia dabitur, & fundetur, de lege enim & Ecclesiæ consuetudine futurâ est sermo. vt hoc loco Mald. Iansem. Bellarminus lib. 1. cap. 12. de Missa recte argumentantur.

Quin hæc ratio est horum verborum, vt non ad crucis modo sacrificium, sed hanc effusionem referri sit necesse. Tum quia κλώμενον apud Paulum huc magis pertinet, tum quia ex Luca clarissime conuincitur. Ille cap. 22. 20. sic habet τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον. Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur τὸ ποτήριον calix ille, vel vt illi malunt: poculum illud effunditur, poculum illud in cruce non erat, iam præsens libabatur, in Dei honorem, nec tantum sumebatur. vt potus, sed pro illis sumebatur, vt sanguis victimæ. Non enim dicit vobis infunditur, sed pro vobis effunditur in remissionem, illa ergo effusio erat ad remissionem peccatorum. Hic si vinum dicat effundi aduersarius, non tamen veritatem sacrificii, sed eius efficaciam sustulerit: nam & vitulorum sanguis effusus sacrificium erat. Beza aliter euadere non potuit, quam impugnando Spiritum sanctum.

[Cum hæc verba, *inquit*, si constructionem spectemus, necessario non ad sanguinem, sed ad poculum pertinent.

pertineant, neque tamen de vino (nedum de poculo) intelligi possint, aut manifestum est solœcophanes cum dicendum fuerit τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, vt legit Basilius in Ethicis ὁρωκᾶ: aut potius quàm hæc essent ad marginem annotata ex Matthæo & Marco, postea in contextum irrepserunt: quod eo quidem facilius est admissum quod, cum in superiore versiculo adesset τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, id est, Quod pro vobis datur, simile quippiam visum fuit adiciendum, vbi agitur de sanguine. Sed hoc non additur apud Paulum 1. Corinth. 11. 25. qui tamen videtur ex hoc loco desciisse cœnæ constitutionē. Quia tamen hoc etiam legitur apud Syrum interpretem, & in omnibus, quos inspeximus Græcis codicibus minimè prætermissi & potest excusari solœcismus, si ex Hebræorum idiotismo τὸ ἐκχυνόμενον exponatur ὅπερ ἐκχύνεται.]

Nec modo contra omnium Latinorum, Græcorū, Syrorum codicum fidem ita sentit, sed ipse correxit Scripturam, à qua hæresin eius corrigi æquius erat. *Hoc poculum est nouum illud testamentū per sanguinē meum, qui pro vobis effunditur.* Eodem modo in Gallico esse tradit noster Iacobus Gualterius. Reum igitur confitentem tenemus, non posse scilicet vllo modo hæresin consistere, nisi verba Scripturæ euertantur. Neq; vero adrem facit, quod ait posse excusari, si ex Hebræorum idiotismo, τὸ ἐκχυνόμενον exponatur, ὅπερ ἐκχύνεται. Nihil rudis illa captio prodest. Etsi exponatur ὅπερ ἐκχυνεται, *quod effunditur*, non tamen vnquam faciet, vt τὸ ἐκχυνόμενον iungatur cū dandi casu; τῷ αἵματι. nec Hebræismus hoc habet, quod ille fingit. Participia & nomina conueniunt eodem in casu. & in Syro est hoc loco מְהֵשֶׁשׁ *Metheshed*, & ad בַּסָּא *Cassa*, calicem refertur, eodem modo sicut in Latino & Græco. Sed de his verbis plura suo loco, nunc tantum moneo hic sacrificium probari etiam iudicio Bezæ & Caluini. Cum igitur Apostoli Christi corporis & sanguinis tanquam victimæ facti sint participes, non potest victima non fuisse immolata. Ideo hic immolatio vera fuit, verum igitur sacrificium.

Eucharistiæ consumitur.

§. 2. Quod Pareus ait, requiri veram mortem, & realem destructionem à Bellarmino libro primo, capite vigesimo septimo. vel malitia, vel sane vino ebrius legit Bellarminum. Bellarminus enim refutat eos, qui dicebant rem quæ sacrificatur oportere omnino desinere esse. Ex eorum igitur opinione ipsos refutat, non sua. Et capite 2. destructionem requirit. §. Secundo probatur. & §. 8. *Diximus: Et transmutatur. Quia ad verum sacrificium requiritur, vt id quod offertur Deo in sacrificium, plane destruatur, id est, ita vt mutetur vt desinat esse id, quod ante erat: & in hoc maxime differt à simplice oblatione, quæ interdum ritu mystico eleuabatur coram Deo sed non destruebatur, nisi quando vere sacrificabatur.* De qua conditione plura diximus paulo superius in refutatione detortionis Ioannis Caluini. Ratio autem huius rei duplex esse videtur. *Vna ob significationem corporis Christi. Deus enim, qui primus sine dubio inspirauit Abeli & aliis Sanctis viris vsum sacrificiorum, voluit per ea sacrificia sacrificium omnium sacrificiorum præstantissimum adumbrari: illud autem morte & destructione rei oblatæ constabat. Altera ratio est, quia sacrificium est summa protestatio subiectionis nostræ ad Deum & summus cultus externus, qui exhiberi possit. Summa autem ista protestatio requirit, vt non solum vsus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia: & ideo non solum vsus, sed substantia consumatur.*

Destructio requiritur.

His verbis Bellarminus mutationem, & consumptionem requirit. Verum nullo modo mactationem aut trucidationem, se enim explicat. capite vigesimo septimo.

Tertio, inquit, *per consecrationem, res quæ offertur ad Deum, realem & externam mutationem, & destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificij. Nam per consecrationem corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad commestionem, & per hoc ad mutationem & destructionem ordinatur. Neque obstat quod corpus Christi nullam in se lesionem patiatur. neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia: nam amittit esse Sacramentale, & proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.*

Eucharistiæ consumitur.

§. 3. Christus itaque immolatur, non vt est in propria specie, sed vt sub speciebus, & terminus consecratione factus. nec tamen Christus vt terminus nude sumptus est res oblata, sed vt sub speciebus, sic enim est inuisibilis hostia, & ad cibum pertinens, huic itaque sacrificio species internę sunt pars etiam essentialis. Hoc igitur totum ex Christi corpore, & sanguine, & speciebus compositum post oblationem esse desinit. Sicut in sepulchro Christus homo esse desiit. Hinc sequitur idem hic oblatum quod in cruce, solis etiam accidentibus, & vt termini quodam respectu differt. Hic etiam sanguinem Christi offerri, nec dici incruentum absentia sanguinis & carnis Christi, sed mystica sanguinis effusione, quæ more solito non exercetur, sed Deo offertur & in cibum datur, vt deinde sumptus sub speciebus & in loco esse desinat in quo fuit. Ipsa etiam consecratio habet rationem sacrificii; nam dum seorsum verbis panem, & vinum consecrat, mysticam, & spiritalem mactationem insinuat. Atque hæc est non modo recentium vt Pareus calumniatur, sed veterum interpretatio. Cyprianus lib. 2. Ep. 3. Ambros. Psal. 38. August. Psal. 33. con. 2. Nysseni oratio. 1. de resurrectio. sic Andreas tyranno obiecit. *Omnipotenti agnum immaculatum, quotidie sacrificio.*

Incruentū est sacrificium.

Martialis Epist. ad Burdig. cap. 3. *Ipse corpus habens & immaculatum & sine peccato, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, in ara crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere, nos causa salutis nostræ, in Ara sanctificata proponimus scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem.*

Quomodo incruentum sit ostendit Clemens Romanus lib. 6. constit. cap. 23. Ἀνθ' ὑσίας δὲ διὰ αἱμάτων λογικὴν καὶ ἀναίμακτον τῇ λογικῇ μυσικῇ θυσίᾳ τὴν διὰ τοῦ ἀναπεμπομένου καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐν ἐπιτελεῖται δὲ σώματι & αἵματι &, id est, pro sacrificio cruento rationale & incruentum, atque illud Mysticum sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod in Symbolum mortis eius celebratur.

Alexander Papa 1. Epistol. 1. ad omnes orthodoxos. *In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur passio celebretur.* Et paulo post: *Talibus hostiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio, hac, potior est, sed hac omnes præcellit. Quæ pura conscientia Deo offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut est potior cæteris, ita potius excoli, & venerari debet.*

Irenæus libro quarto, capite decimo tertio. *Sed & suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens. Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quæ Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorū munerū in nouo Testamēto, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit. Nō est*

mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis, vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus omnipotens, manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus. Hæc S. Irenæus. Itaq; agnoscunt sacrificium incruentum, cuius Symbola fuerunt vetera omnia cruenta, & incruenta.

Cyprianus sermone de lapsis: *Perpes est sacrificium:* Pontianus Papa ad omnes fideles. *Ipsi quoque* (sacerdotes) *proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradūt.* S. Basilius in Liturgia sic orat: δὸς κύριε καὶ ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων, καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων δεκτὸν γένεσθαι τὴν θυσίαν ἡμῶν· καὶ σὺ πρόσδεκτον ἐνώπιόν σου. *Da Domine & pro nostris peccatis, & pro populi ignorantiis, acceptabile, & bene gratum fieri sacrificium nostrum in conspectu tuo.* Macarius σωματοποιεῖ, inquit, ἑαυτὸν, *corporauit se, vel corpus se fecit in cibum & potum.* Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenian. *Quid est altare, nisi sedes corporis, & sanguinis Christi?* Vide Hieronymum lib. 1. cap. 9. aduers. Pelagian. lib. 1. cap. 19. contra Iouinianum.

VERSVS 27. & 28.

Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

QVÆSTIO I.

An verum Christus sanguinem dederit?

Verus sanguis datur.

§. 1. EX antedictis etiam veritas sanguinis satis est probata. Non desunt tamen quæ singulatim veritati patrocinantur in his Domini sacramentalibus verbis. Imprimis vero obseruandum est in Syro esse חנרמי *hic sanguis meus.* Et in Luca ברמי in sanguine meo. Addit eo loco: καινὴ διαθήκη, nouum Testamentum, quod rectius dicitur, quam fœdus. Nã διαθήκη proprie ad dispositionem testamentariam pertinet, itaque & Syrus non בריתא *Beritha*, quod communius est, sed ריתקא *Diathica*, vocat Græco nomine retento. Est autem sanguis & fœderis, & Testamenti; nam Testamentum fœdus est, & hoc retinendum est. Paulus autem Hebr. 9. vers. 16. 17. proprie Testamentum esse definit: *nam vbi Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Testamentum autem est pactio, ordinatio, signum, sigillum, literæ firmamentum.

§. 2. *Hic est sanguis meus*, habet noster. Beza non modo vertit: *Hoc est sanguis meus*, sed pene insaniens vociferatur. [Vulgata, *inquit*, Hic: referentes scilicet ad αἷμα, id est, sanguinem. Atqui si ita interpretemur, nullum erit huius propositionis subiectum, præter ipsum sanguinem qui Christi esse dicatur. Panem autem & vinum esse subiecta, de quibus prædicentur corpus & sanguis aperte liquet ex Lucæ 22. v. 20. qui addit nomen ποτήριον: ita tamen vt continens pro contento accipiatur, vulgata & trita omnibus linguis consuetudine loquendi. Clamitabunt autem (sat scio) nonnulli, sacrilegam esse meam audaciam: sed ego contrà non dico, sed vociferor, fraude Satanæ & incogitantia Pastorum factum, vt hoc erratum in Ecclesiam inueheretur, ea occasione arrepta, quod quum in Græcis subiectum τοῦτο in vtriusq; Symboli enunciatione sit generis neutrius, sicut vtrumq; attributum (nempe τὸ σῶμα & τὸ αἷμα, quod in Latina quoq; enunciatione priore vsu venit in corporis vocabulo) interpretes eandem rationem secuti, in posteriore enunciatione eandem interpretationem secuti sunt, quum tamen nomen attributi, nempe sanguinis, genere variaret Latino sermone à subiecto. Inde factum vt hæ enunciationes perinde sint acceptæ, ac si essent identicæ, id est, corpus tantum & sanguis præterita subiectorum, id est panis & vini, mentione, à Christo demonstrarentur, ita certe loquitur Lucas, vt ambigi non possit, quin Christus poculum indicarit, quum hæc diceret, vt, velint, nolint, tropum agnoscere coguntur in prænomine demonstratiuo. omnino igitur dicendum est, sicut de altero Symbolo. HOC, id est, Hic panis est corpus meum: ita in hoc dicto, HOC, id est, poculum, seu vinum, hoc quod manibus teneo, & vobis præpono, EST, SANGVIS MEVS: sacramentaliter animaduertendum, id est, ea significationis specie, qua res significatæ non minus vere præbentur fide spiritualiter sumentibus, quã Symbola ipsa corporeis organis percipienda traduntur. Denique ne quid hic innouasse primus videar, apud Cyprianum lib. 2. Epistol. 3. legitur. Hoc est sanguis meus.]

Respondeo. Nouitiæ interpretationis fundamenta illa esse. Nisi sic intelligamus; non erit subiectum propositionis. Quod iam in superioribus refutatum est. Alterum est, ex Luca probabilinum esse subiectum huius propositionis. Nam addit ποτήριον, vbi continens pro contento ponitur. At hoc etiam fundamentum in fluxa hæreseos arena collocatum est. Lucas habet τοῦτο τὸ ποτήριον καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. Omittitur hic verbum substantiuum ἐστι. Paulus 1. Corin. 11. 25. addit. τοῦτο τὸ ποτήριον καινὴ διαθήκη ἐστὶν τῷ αἵματί μου. Controuersia igitur est, quo loco sit collocandum verbum ἐστὶ. Noster vertit, *Hic est calix*, Beza, *Hoc poculum est nouum est*, &c. additque. *Verbum substantiuum, quod hic deest, recte suppletur ex* 1. *Cor.* 11. 25. *Sed in verbere interprete non est positum suo loco. Vertit enim: hic est calix, pro, His calix est.* Nos nostrum: Beza se recte fecisse iudicat, at Paulus illi non fauet. Nam ἐστὶ, quod apud Paulum additur, si constructionem spectemus, admittit etiam eum sensum, quem noster habet; vt nempe dicatur: *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Nam eadem est sententia siue dicam τοῦτό ἐστι τὸ ποτήριον καινὴ διαθήκη; siue, τοῦτο τὸ ποτήριον ἐστι. Hoc est corpus meum, &: hoc corpus meum est.

Veterem interpretem recte vertisse non Bezam, firma ratio conuincit. Nam in benedictione panis. Dicitur τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. *Hoc est corpus meum.* Ita vt hoc, sit subiectum, cætera ad prædicatum pertineant, ex analogia igitur rationis in benedictione calicis eadem ratio seruanda fuit, vt diceretur τοῦτό ἐστι τὸ ποτήριον, Hic est ille calix. Quod Paulus seruauit etsi dicat τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. Pro vetere igitur interprete collatio coniunctissimi textus facit. Deinde Beza mala fide Latinè addidit Apostoli verba. In eo loco, sic Græcè legitur. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστι. Verus interpres. *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, manentibus suo ordine singulis verbis in Latino, quo erant in Græco. At Beza transposuit: *Hoc poculum est nouum illud Testamentum*, vt ad suam sententiam traheret Apostoli verba. Hoc non faceret, si causæ suæ fideret, nec fucum obtruderet Græcæ Linguæ imperitis. Syrus interpres apud Lucam etiam verbum omittit, ut ea

Chaldæos in Syriæ linguæ proprietate is esse debet vt si אתיר vel אתיתר omittatur post pronomen statim subaudiatur. V. G. הנא בסא דדהקא *Hanacassa duathiki*. Hic calix testamentum. verbum si subaudiatur poni debet post הנא vt est in priore sententia, factum est. Tertio Matthæus & Marcus ostendunt quid Dominus dixerit. τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *Hoc est ille sanguis meus.* τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *ille noui Testamenti*, seu, *quid est noui Testamenti*. Quemadmodum de corpore dixit: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Itaque omnia paria sunt. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα. τοῦτό ἐστι τὸ ποτήριον, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. τὸ τῆς διαθήκης. Itaque Christus, particulam, *hoc*, vt vbique in benedictione panis, ita apud Matthæum & Marcum posuit absolute, & solitarie pro subiecto, & illi immediate verbum substantiuum postposuit, ergo eodem modo faciendum est nobis apud Lucam, qui verbum omisit, & apud Paulum, sic est intelligendum Est, etsi enim sic loquitur. *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine.* Non tamen dicit: Hic calix est Testamentum in meo sanguine. vt, *Hic calix sit*, subiectum. Testamentum nouum in meo sanguine prædicatum. Sed vt demonstratium, *Hic* sit subiectum, cætera prædicatum. Planè si dicam: Hic, vir bonus, norma virtutum est in vrbe nostra. Sensus enim esse potest. Hic vir bonus est norma virtutis, &. Hic est vir bonus, norma virtutum. Hæc enim eleganter per appositionem dicuntur.

§. 2. His constitutis cadunt illa Caluiniana & Bezana. Non enim est multiplex hic tropus. In Matthæo nullus est. *Hic est sanguis*, locutio, (vt supra de pane expositum est) simplex est. Quod additur: *nouæ Testamenti*, non est tropus; sensus enim est: sanguis est ille, quo nouum testamentū sancitur. quod tā proprie dicitur, quam sanguis vitulorum, taurorum, & horum est sanguis Testamenti veteris. Verus autem esse debet, quia pro multis effunditur.

Sed neque in calice apud Lucam & Paulum est tropus, quamuis nonnulli vsitatissimum esse concedant, vbi continens pro contento ponitur, nec sibi præcreare per obscurissimas metonymias sinant eripi veritatem. *Hic est*, inquit, *calix nouum Testamentum in meo sanguine.* Vbi primum considerandum est, calicem in meo sanguine, esse calicem sanguinis mei, dicitur autem calix sanguinis, vini aquæ sine figuris & tropis. Dialecti Hebræa phrasis est, calix in sanguine, Testamentum in sanguine, ponitur enim pro עם *cum*, Isaiæ 7. vers. 24. בחזים ובקשת *Bachizam vbaleshet*, In sagittis & arcu. Sic Exodi 15. vers. 19. & alibi frequenter. Significat frequentissimè causam instrumentalem. Interdum propriissime vertitur per nostrum genitiuum. Exodi 12. vers. 43. Quod superest בבשר *Babasar*, *in carne*, quod nos dicere mus, quod superest carnis, sub de carne. & בלחם *balechem*, in pane: nos panis vel de pane dicimus. Hebræo igitur more poculum in sanguine est, quod poculum sanguinis.

§. 3. Aliam Metonymiam vrget Beza. [Deinde vinum dicitur esse ipsum fœdus, cum sit duntaxat fœderis, aut eius potus quo fœdus sancitur (nimirum sanguis Domini) Symbolum ac tessera: vera quidem illa & minimè inanis, sed tamen ab eo distinguenda, quod ipsa repræsentat. Non est igitur quod è cœlo Christum eliciamus, vel Christi corpus immensum & inuisibile comminiscamur. Vt propriam significationem verbi. Est, conseruemus. Est autem hæc Metonymia non modo in Sacris literis frequens, vt est ab eruditissimis hominibus toties inculcatum, sed etiam ab Homero (communi videlicet loquendi consuetudine) vsurpata. Sic enim ille ibi mentionem facit fœderis Græcos & Troianum multis cæremoniis sanciti lib. Iliad. γ. Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄρνε δύω θεῶν φέρον ὅρκια πιστά Ἀρνε δύω, καὶ οἶνον ἐυφρονα, καρπὸν ἀρούρης, Ἀσπὼ ἐν αἰγεα. In quibus versiculis nemo non videt (licet rem nobis, profanatum Sacris hactenus comparare:) agnis & vino quæ duntaxat erant fœderis Symbola tribuit ipsam fœderis appellationem, simili prorsus dicendi genere, quo hic vsus Lucas poculum vocauit nouum Testamentum. Certum est enim Christum vsum esse formulis dicendi. ipsi vulgo vsitatis, in hac præsertim cæremonia quam volebat ab hominibus intelligi.]

Nos vero nunquam vinum fœdus esse dicimus. Cum Christus dicat sanguinem esse, quo fœdus sancitur. Christi verba sunt. *Hic est sanguis meus nouæ Testamenti.* Beza cauponem ex eo facit, & ex sanguine vinum, quod pro multis effundatur. Et quia sacris detestatur, ad Homerum confugit; similes enim habent labra lactucas, & κεφαλὰς eiusdem figlinæ Bezæ & Homeri commenta. nec tamen arundineo fulcro fulciri tanta potest ruina. Quamuis enim Eusthatius ὅρκια iuramenta interpretetur, nō modo ἐνόρκους λόγους *verba iurata*, sed etiam χρήσιμα εἰς τὰ ὅρκια, vtilia ad iuramenta, vt erant agni, & alia quæ nonnulli ferebant: propriè tamen Homerus de pactis iam initis inter Menelaum & Alexandrum loquitur, verba autem ἐνόρκους Priamo referunt præcones, & ea quæ ad fœdera erant vtilia, victimas scilicet & libamina. Nec dicit Homerus illa esse ὅρκια, sed allata esse, præcedebant verba iurantia. *At vero ait quæ consequentia, victimæ fœderū*, & iurisiurandi, appellantur ὅρκια iuramenta, ergo etiam vinum est hic signum corporis Christi? Si ratio illa de fabulis in Testamento Domini valitura est; oportet Christi corpus seu Christum ipsum, cuius caro victima est, cuius sanguis est libamen signum esse fœderis. Non autem signum CHRISTI, signum fœderis seu testamenti fingendum. Itaque & fabulæ quarum siculno subsidio vtuntur contra eos retorquentur. Agni duo, & vinum mittuntur, quibus fœdus Troianos inter & Achiuos sanciatur, & cæsis hostiis Dii in testimonium per iusiurandum vocentur. Non erant illa Symbola duntaxat fœderis, sed hostię cæsę pro seruatoribus fœderis, Pro se enim victimas cædebant. Sic & apud Virgilium.

Et cæsa iungebant fœdera porcâ.

Hostiæ igitur erant, & vero sacrificio non sine scelere Idololatriæ dæmonibus litabant. Si igitur Homerus religionis causam decidendam recipiat, seu potius Eusthatius Homeri interpres, etiam illo iudice Caluinianus, causa cadet. Nam si comparatio instituenda est, victima victimæ, sanguini sanguis respondeat necesse est, ideoq; fœderis nostri signum erit, non panis, & vinum, sed corpus & sanguis Christi, Hoc enim esse signum vult Beza apud Homerum, quod est & hostia: Si igitur Symbolum fœderis est hostia: Panis autem & vinum non est hostia, sed Christi corpus & sanguis, quorum illud pro nobis frangitur, hic pro nobis funditur in remissionem peccatorum, corpus & sanguis Christi in Eucharistia esse consequitur, non modo Scripturæ testimonio, sed etiam pudenda Bezæ obiectione. Si ad Priamum mississet ὀρυκτρεῖον, Agamemnon, agnos pictos, & non οἶνον εὐφρονα, vinum, quod animum, exhilaret, sed hederam vini symbolum, & hæc vocasset non Homerus Bezæ propheta, sed Eusthatius eius ἀναφέρει ὅρκια πιστὰ *fida iuramenta.* Forte minor esset de ineptiis illius risus.

Beza Homeri auctoritate abutitur.

ὈρκιαΣ

§. 4. Attamen τὸ ποτήριον vocatur ἡ διαθήκη, *calix testamentum*, hic tropus est. Respondeo vocari, sanguinem testamenti quo illud confirmatur, sancitur, conditur. Sic Exodi capit. 24. vers. 6. 7. 8. *Tulit* itaque Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam misit super altare,

altare, &c. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, at ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, &c. Ibi verus sanguis testamenti; ergo & hoc poculum est veri sanguinis, non Symbolum duntaxat. Itaque propriissime Matthæus & Marcus vocant sanguinem testamenti. Ex illis igitur planissimè loquentibus etiam Lucam & Paulum interpretari oportet: non è contrario. Quamuis illi nihil contrarium habent Matthæo & Marco. Nam calix continens sanguinem, vel calix sanguinis, non est testamentū tropicè, sed verè, propriéque: Testamentum enim est non modo proprie voluntas & dispositio testatoris, sed etiam Scriptura, quæ vsitatissima est locutio, inde fraudes, falsationes, suppositiones testamentorum dicimus. Deinde ipsa donatio & hæreditas data, testamentum vocatur, nec improprie. Cum autem Christus sit nostra hæreditas, & ex pacto nobis natus, nobis datus, simul ipse sit paternæ voluntatis secundum humanitatem certissimum, omni Scriptura honoratius elogium, & firmamentum, propriè dicitur etiam sanguis eius testamentum. Nam cum testamentum nouum fieret, non est quicquam scriptū de fœdere; Scriptura enim posterior est testamento nouo. Quin etiam imperitè sentiunt, verba vnam aliquam rem propriè significantia, aliud non posse proprie designare, cum significationes sint ad libitum. Quis ignorat, quid proprie sit liber, & codex? At quis cum librum Ciceronis, aut Lucii postulat, censetur loqui improprie? Nec tamen corticem arboris, aut caudicem poscit.

Testamentum.

Quod porro Basilium citat ὁρῶ καὶ. Definitione 21. qui legerit τῷ ὑπὸ ἑτέρων ἐγχωμιάζω, contra tot codicum fidem ex incerta lectione Scripturam emendare hominis est hæretici. Habet quidem ita editio Basileiensis, sed malæ fidei est apud eos, qui fidem antiquam retinent. Nam errorem esse in Basiliana citatione nos multa docent. Primo, Græcæ, Latinæ, Syræ editiones. Secundo, Patrum lectiones. Tertio, eorum qui varias lectiones notarunt, vt Erasmus aliique, consensus. Tertio, Bezæ qui nullo in libro inuenit, quam vertit, lectionem. Quarto. In ipso loco Lucæ à Basilio citato additum est verbum substantiuum ἐστί, quod non est in textu Lucæ. Si igitur error irrepsit, vt verbum adderetur, quod non erat, non est mirum verbi casus mutari, *o* micron scilicet, in ω μέγα. Non igitur corruptū Basilii exemplar, omnib⁹ Libris anteferri debet. Si quispiam interroget, quæ verba Christus dixerit: illane quæ apud Matthæum & Marcum? an quæ apud Lucam, an quæ Paulus habet?

Respondeo. Dixisse phrasi Hebræa, *in sanguine meo*, hoc interpretati sunt clariore Græca Euangelistæ, *sanguine mei*, & *noui Testamenti*. Ita nonnulli. Mihi rectius responderi videtur, si omnia dixisse, plura etiam quam Euangelistæ attulerunt, existimemus. Sic enim res firmior certiorq; futura erat. Hoc in aliis etiam nonnullis vsu venit.

QVÆSTIO II.

An necessaria sit in communione species vtraq.?

§. 1. VTramq; speciem, vtrumque Symbolum vrgent non modo Lutherani, qui omnibus in canthatis sanguinem diffusum esse contendunt, sed etiam sacramentarii, qui nec corpus, nec sanguinem adesse credunt. *Bibite ex eo omnes.* Quod Christus ideo dixit, vt ita quisque biberet, quo singulis sufficeret. Ideo & Marcus ait, *& Biberunt ex eo omnes.* Quocirca nihil est necesse præceptum fingere, quo omnibus, & semper vtriusque speciei necessitas imponatur? Instat „ Caluinus. [Quo magis detestabilis est sacrilega Pa„ pæ audacia, qui sacrum hoc vinculum rumpere non dubitauit. Audimus Filium Dei vitæ plenitudinem „ quam suis confert, duobus Symboli pariter testatum „ esse. Quæ diuinitus coniuncta erant quo iure diuel„ lere homini mortali fas fuit? Adde quod consulto vi„ detur Dominus præcipere omnibus vt ex calice bi„ bant, quo sacrilegium hoc ab Ecclesia sua arceret. De „ pane simpliciter dixisse legimus, vt acciperent. Cur bi„ bere nominatim iubet omnes, & Marcus bibisse om„ nes diserte narrat. nisi vt sibi ab impia nouitate cauе„ rent fideles? Nec tamen seuero hoc interdicto de„ territus fuit Papa. quin fixam à Domino legem mu„ tare ac violare auderet. Populum enim totum prohi„ buit ab vsu calicis. Atq; vt se probaret non sine ratio„ ne furere, obtendit satis esse speciem vnam, quia per „ concomitantiam coniunctus sit sanguis cum carne. „ Quasi vero non eodem prætextu totum sacramentum „ abolere liceat, quia æque sui participes nos facere „ Christus possit absq; externo adminiculo.]

Non est vtriusq; speciei lex.

Respondeo. Calumniosè Papam accusari, nonnim eius imperio, sed partim sponte, partim suorum Episcoporum suasu à calice fideles abstinere cœperunt. Nam Concilium Constantiense consuetudinem omniū probauit, eos qui tolleret, damnauit. Vsum illi primus oppugnauit Petrus Dresdensis, quod cum esset sacramentarius, & sola Symbola agnosceret, non credidit sub specie panis sanguinem, nec sub specie vini corpus, cum simul corpus tolleret, & sanguinem. Qui autem concomitantiam tollunt, Christum esse vnum, & resurrectionem negant. Non esse autem præceptum Papæ etiam apparet ex Concil. Trid. Sess. 21. c. 1. Tantum legē Laicis datam negat, quo teneantur vsurpare vtramq; speciem. Nec permittit vsum illis qui alteram partem damnant, permissura, si deuotionis studio, non errore infidelitatis sumant. Vsus fuit Apostolorum tempore Actor. 12. & Lucæ 24. 30. Chrysost. Homil. 16.

*Aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum; sanctificatio est quod alterum significat: sanctificatū a. alterum sanctificare non potest, quamuis ipsum sit sanctum, vtpote signans panem tuum, quem manducas, sicut ait Apostolus: sanctificatur per verbum & orationem: sanctificasti eum, non feci*sti *sanctificationem. Quod autem Sacerdos de manu sua dat, non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non solum datur quod videtur; sed etiam illud quod intelligitur. De sanctificato igitur pane, licet & animalibus iactare, & infidelibus dare: quia non sanctificat accipientem. Si autem talesse, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est, quod in mensa manducatur; omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ & socio eius. Et Paulus nauigans, non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ & cæteris discipulis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum: quia non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem.*

Eodem modo Augustinus lib. 3. cap. 25. *Oculi eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est, vsq; ad fractionem panis, certi mysterij causa, vt eis in illo alia ostenderetur effigies; & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippe mentis eorum, quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid oculi eorum passi sunt, &c. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentū in oculis eorum à Sathana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsq; ad sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.* Scio diuersam esse eorum locorum expositionem: sed senserunt igitur illi, vt & plerique interpretes Eucharistiam tum datam solo panis symbolo. Dionysius Alexandrinus Epistol. ad Fabium Antiochenum, ita recensēt vt non modo appareat sp[illegible] solum

solum panem dari solere, sed ægrotis etiã mitti, quod negant Caluiniani. Serapioni enim presbyter ægrotanti Βεβρεχὼ τῷ παιδαρίῳ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν, inquit. Βεβρεχὼ κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου. *Paucillum puerulo de Eucharistiæ dedit, iusso, vt madefactum ori senis instillaret.* Non igitur species vini mittebat, nec enim custodiebatur, & nox erat, qua non sacrificabatur. Huc pertinent historiæ, quam Emmel. l. 4. c. 35. Metaphrastes de S. Iuda, & Domna, Iohannes Moschus in prato spirit. c. 79. recenset. Græci etiam nunc ad ægros non nisi vnam speciem mittunt, Geneb. de ritibus Græcorum. Rutheni quoque laicis solum vnam speciem dare solent. Ioan. Sacranius c. 18. de erroribus Ruthenorum. Tertull. l. 2. ad vxorem c. 5. Cyprianus sermone de lapsis, Ambr. de funere Satyri fratris. Augustin. serm. 252. de tempore. Nolo omnem retro memoriam reuoluere. Hoc vnum satis fuisse, antiquissimam, & omnibus Ecclesijs vsitatam cõsuetudinem, non lege pontificis inductam, sed ab Apostolicis vsq; temporibus manasse, qua de multorũ exstant commentarij. Non est igitur pontificis delectabilis audacia, sed Caluini miseranda phrenesis totam Ecclesiam damnantis. Lutherus quamuis hyperbolicus, hic tamen modestior fuit. In captiuit. Babylon. docet non peccare in Christum, *qui vna specie vtantur, cum Christus illa vti non præceperit, sed cuiuslibet arbitrio reliquerit.* Additque: *non hoc ago, vt vi rapiatur vtraque species, quasi necessitate præcepti ad hoc cogamur.* Iniuste autem Papam accusat, rapientibus negantem, qui se tenet ipi præcepto asserunt. Et in declarat. in serm. de Eucharistia protestatur, nolle se vtramque dari. *Non dixi, neque suasi, neque mea intentio est, vt vnus aut aliquot Episcopi, propria auctoritate incipiant alicui vtramque speciem porrigere, nisi ita institueretur, aut præciperetur aliquo concilio generali.* Post vero de formula missæ protestatur, se minime vtraque specie vsurum, si à concilio statueretur, aut permitteretur. Eadem de libertate habet in affectionibus art. 16. Epist. ad Bohemos. Ad Christianam nobilitatẽ, Tom. Serm. Fol. 100. Melanchthon in locis comm. anno 1525. Argentorati editis. *sic & de Eucharistia iudico, non peccare, qui scientes libertatis, & credentes, alterutra signi parte vtuntur.* Postea tamen Melanchthon mutauit, à Caluinistis subuersus, vt multi etiam Lutherani. Et Lutherus semper, hic etiam constans fuit in leuitate sua.

§. 2. *Dictum est omnes bibite, omnes*, inquam, *edictum æterni Dei.* Respondeo. Plane ita dictum: nihil opus est tumultu, nemo dictum negat. Merito tamen Christiani quærimus, qui omnes illi sint?

Non omnes omnino homines, non Iudæi, non Gentes, non fideles omnes, non infantes, non absentes, restringenda est propositio, ne omnes etiam eos quæ excludendi sunt, comprehendat. Qui igitur omnes: Vos præsentes, de quibus Marcus dixit, *Biberunt ex eo omnes.* Qui omnes illi? Quibus dictum est, *bibite omnes.* Omnes imperium accipiunt, omnes parent, pari interuallo omnes in Christi imperio, & obedientia discipulorum nominantur. Qui illi omnes? Quibus mox dicitur. *Omnes scandalum patiemini in me.* Quibus dictum est, *edite omnes Apostoli*, (de Iudæ præsentia non disputo) Denique dedit discipulis, illis dixit, *omnes.*

Non alio igitur intellectu capi illa verba possunt; quam vt dictum sit discipulis, *Bibite omnes.* Quare & Syrus interpres vertit כלכון *cullechun*, vos omnes: quod improbe Iunius & Tremellius interpretes Caluiniani dissimularunt. Quod videlicet vnico affixo Achyllem hereticorũ prosterni viderent. Quidam recentiorũ vt Vorstius Tesserad. p. 2. *Speciales casus semper excipimus*, inquit, *in quibus alteram speciem fortasse sufficere posse, non admodum contentiose negamus.* Ita pag. 354. Quod vero ille contendit casus illos esse singulares, & Ecclesiam errasse, p. 352. more hæreticorum facit, qui vt soli sapientiam sibi arrogent, cæteros contemnunt. Veniam tamen dat simplici & minime malitiosæ ignorantiæ. Tandem fatetur. p. 357. [Olim quidem laudabilis vel saltem excusabilis fuit illa consuetudo. S. Symbola domum deferendi, vid. instituta, propter consolationem tum ægrotorum, tum captiuorum, & id genus aliorum, qui in cœtu adesse non poterant, & tamen communionem suam cum alijs fidelibus testari cupiebant. Sed aduersariũ tamen hoc non iuuat. tum quia ex Eusebio, Iustino, & alijs aperte constat, vtramque speciem plerumque in vsu illos domum deferri consueuisse: tum quia panem intinctum s. cum veteres asportabant, vt vtramque speciẽ in vno subiecto haberent: tum denique casus saltem specialis erat qui ordinariæ agẽdi rationi præiudicare non potest. 3. Etsi vinum reponi ad longum tempus non solebat, deferri tamen solebat ad absentes.] *Vorstius excusat vnam speciem.*

At profecto fallere nititur, ad absentes vtraque species non mittebatur. Non enim Eusebius l. 6. c. 36. & cap. 2. hoc docet. Et ipse satis hoc confitetur, dum de publica communione Ecclesiæ agi protestatur, de peregrinis idem iudicat. Veruntamen hic quoque statũ quæstionis euertit. Non negamus interdum absentibus etiam vtramq; speciem missam, vt ex Iustino colligitur, negamus longinquis, & semper missam. Eusebij historia clara est; puer enim panem accepit, & ipse domi intinxit in aquam aut vinum. Tertullianus de corona militis. & l. de orat. *Accepto Domini corpore, & reseruato.* &c. Basilius Epist. ad Cæsariam patritiam. Eremitas Eucharistiam domi seruare solitos. *Illud autem in persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam, non præsente sacerdote aut ministro id est, diacono, communionem, propria manu sumere, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quod longa consuetudine hoc ipso rerum vsu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes vbi non est sacerdos, communionem domi seruantes, à se ipsis cõmunicantur. In Alexandria vero & in Ægypto, vnusquisque eorum, qui sunt de populo, vt plurimum habet, communionem in domo sua.* In eremo autem non seruabatur per multos menses vinum, nec seruari poterat. Sic Prosper part. 4. de puella, cur præter consuetudinem calix datus est, quod species panis absumete non posset, fauces dæmone stringente. Constat & ex historia, quã Sozom. l. 8. c. 5. habet. Et in vita Chrys. per Georgium Alexand. Patriarcham. Propter Nestorium decreta fuit in Ephesina Synodo vtraq; species. Ille sub alterutra totum Christum esse negabat. Leo primus Manichæos vinum detestantes deprehendit, cum vtramque imperaret speciem nam ante libera erat, & eodem modo Gelasius. Intinctio in Hispania prohibita fuit, ob Priscillianistas, qui vinum fel Draconis dicebant. Denique non vetuit Concilium Constantiense, modo Bohemi alios ne damnarent. Imò Martinus Pontifex Romæ post concilium dedit sub vtraque specie. *Aliquando vtraq; species imperata.*

§. 3. Apostolis dictum est: *Comedite, bibite*, si solis Apostolis, vt ipsi & successores tantum edant, & bibant, non populo, nec ergo sub panis specie debet dari. Si omnibus, etiam Laicis dictum est: *comedite*, eisdem etiam dictum est, *bibite*, Eisdem enim dicitur, *edite bibite.*

Respondeo solis Apostolis in illa prima institutione dictum esse: *comedite omnes, bibite omnes.* Nam & omnes ad manducationẽ etiam addit canon Ecclesiasticus, & S. Ambr. l. 4. de sacram. c. 5. Et Paschasius l. de corpore Christi, c. 15. habet. Nulli igitur Christus nisi Apostolis dedit; sic tamen dedit, vt illi populo etiam distribuerent.

Institutio & præceptum differunt.

Deinde vtramq; speciem institutam à Christo cõcedimus, non vsum vtriusque præceptum. In veteri testamento victima cum vino offerebatur, de victima edendum erat, non de vino bibendum. Itaq; illa verba solis Apostolis dicta sunt, nec ad alios pertinent. Neque alios obligant. Præceptum autem in eo quod addit ur: hoc facite in mei memoriã, collocant. At alij donationem, & permissionem esse aiunt, vt illud: *accipite Spiritum sanctum. Crescite & multiplicabimini.* Ita Iren. Chrys. Ambr. Damascenus. Imo potestatem offerendi consecranti datam interpretantur. Chrys. de prodit. Iudæ. Damasc. l. 4. c. 4. Dionys. c. 3. Hierarch. Cyp. l. 2. Ep. 3. At vero Cyrill. l. 12. in Ioan. c. 58. Basilius reg. 21. c. 3. Mor. ad actionem Apostolorum refert. Vtcunque vero accipiatur. Non est absolute præceptum hoc faciendi, sed faciendi in mortis Dominicæ memoriam. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Itaque non præcipitur omnibus, & singulis vsus vtriusque speciei, sed vt cum sumpserint Eucharistiam mortis dominicæ recordentur. Non est tamen Eucharistia frustra instituta. Nam eo ipso quod instituta est, vti nos Dei beneficio oportet, non tamen pro cuiusque arbitrio. Obseruat Augustinus l. 3. de doctrina Christiana c. 17. Alia ait communiter omnibus præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum. ita de hac etiam re dici potest; nam indefinitè præcipitur. Eodem plane modo, possent argutari aduersarij, de præcepto Noe & filijs dato, si enim illis solis datum est, ad posteros non pertinet; si posteris datum est. Nemo sine vxore, nulla sine marito esse potest. Illam autem generalitatem catechumenorũ, abstemiorum, aliorũ exceptio restringit. Quin hoc ipsum. Quod ait accipite, Lutherani sic interpretantur, vt ne minister quidem ipse sibi det, sed ab alio accipiat, sic Caluinus l. 4. instit. c. 17. §. 43. *Bibere*, ait, *præcepti, accipere libertatis*. Non igitur per omnia præceptum agnoscit. Anabaptistæ, & Laskiani sessionem vrgent, vt præceptam. Apud Augustinum Epist. 118. Aliqui prandium, aut cœnam antecedentem. Hussitæ ab has causas præsenti testimonio non magnopere vtebãtur. Vident enim vsu rei, & institutionem distingui. Dictum est ergo Apostolis, *accipite, edite, bibite*, data potestate omnia illa agendi quæ Christus fecit: non tamen semper edite, simul bibite. Poterant aliquando edere, aliquando bibere, aliquando vtrumque facere, cum ipsi conficerent corpus, & sanguinem Domini. Poterant ipsi sibi dare, poterant ab alio datum accipere. Miror sanè, cum Christus dixerit. *Comedite bibite*, illos aduersarios Christi, & mandati illius, vt ipsi volunt, interpolatores, de suo addere: *Comedite, & eodem tempore bibite, cibum & potum ne separate*, hoc enim sacrilegum est. Nihil tale Dominus, sed: *Comedite, bibite, & bibite in meam commemorationem*. Omnibus edendi, bibendiq; fit à Christo potestas, quod omnes concedimus. Non tamen omnibus imperatur, vt esum, & potum semper coniungant: satis est alios edere, alios bibere, aliquando edere, aliquando bibere.

Non est præceptũ, vt omnes bibant.

§. 4. Nec aduersarij doctiores hac in re à nobis magnopere dissentiunt. de Luthero & Philippo antea dixi. Bucerus in refut. Antididagm. Colon. vtrãque speciem improbat, Et in actis Ratisp. Ad controuersiam quæst de vna, aut vtraque specie, tollendã, cum primis conducturum, vt sancta Ecclesia liberam faciat potestatem, sacramentum hoc in vna, vel in vtraque specie sumendi. Ea tamen lege, vt per hoc nulli detur occasio, quem vsum tanto tempore retinuit Ecclesia, temere condemnandi, aut inuicem iudicandi, ipse certe articulum illum approbauit. Brentius in Apologia confess. Wittenb. p. 2. pericopes. [Hic non quæritur, num permanente institutione Christi inuiolata liceat aliquoties ex personali necessitate in cœna, vel pane tantum, vel vino tantum vti. In hoc enim genere necessitas, vt dici solet, Magistra est, & valet illud dictum. Ne Deus quidem cum necessitate pugnat. Sed quæritur: si quis excitatus ordinatione Christi, & consolationis indigentia susceperit cœnam Domini sumendam, & reliqua omnia salua fuerint, num debeat integrum sacramentum Cænæ iuxta institutionem Christi, an alteram tantum partem iuxta decreta Pontificum sumere. Ac de ijs quidem qui hactenus communi errore abrepti sunt, & tamen retinuerũt fundamentũ pietatis, quod est Christus, supra dictum est: & Deus tempore huius ignorantiæ dissimulauit. Si quis autem his temporibus, quibus Euangelium Christi diuino beneficio illustratum est & verus vsus cænæ dominicæ patefactus, alteram tantum partem cænæ dominicæ ab Asaticis sacrificulis, sciens ac volens sumpserit, eum ego iudico non simpliciter peccare, sed Euangelium Christi abnegare, & se ipsum reum constituere non tantum ejus iussi sanguinis, quem nostra memoria Pontifices & Satrapes ius propter vsum vtriusque sacramenti effuderunt, verum etiam, quia effusus est iam inde à sanguine Abel iusti, vsque ad tempora nostrorum maiorũ. Quare in hoc rerum statu, tanta est necessitas sumendi vtramque partem cœnæ, vt si quis integrum sacramentum non potest contingere, saluti cõscientiæque magis consulat, si nullam, quam si alteram tantum partem sumpserit.]

In necessitate vnam speciem permittit, hoc est cum magna causa est, vel vtilitas. Nam absoluta necessitas non est. Quis ergo dubitet cum relinquere Ecclesiæ de illa necessitate iudicandi. Deinde veterem Ecclesiam annorum 1500. excusat, nunc demum facinus esse pronunciat. Martinus Kemnitius etiam dispensationi locum relinquit, sicut & Friccius Institutum est ergo sub vtraque specie hoc loco: inc. Luc. 24. sub vna, vt præter patres eo loco citatos docent Rupert. Lincoln. Balduinus Cantuar. Gilbertus Abbas, aliique quos allegat Henriquez l. 8. c. 16. & multi recentiorum, de quibus illo loco actum est.

Et profecto mira est aduersariorum hallucinatio, cum omnem institutionem includere mandati clamant. Cum ipsi pedes sibi non lauent, dicente tamen Domino. Et vos debetis alter alterius lauare pedes, si mandatum est, cur non præstant, si institutio sine mãdato, quid vrgent, Institutionem habere vim præcepti? Vti sacris institutis debemus, sed in modo libertas est, quam potest Ecclesia determinare.

Bucerus esse vult.

§. 5. Inter omnes absurdissime ratiocinantur Caluiniani, qui præceptum vtriusque speciei esse opinantur, suas enim ipsi vineas cædunt. Nam Comedite, & bibite in eorum Ecclesia est, *credite*, nos autem credimus. Tigurini fol. 17. de orali mãducatione cõtra Testam. Brentij, *Manifesta* est additio, indignos manducare, & oraliter sumere corpus Christi, quod nunquã Dominus, aut discipuli eius docuerat, corpus enim & sanguis Christi non eduntur ore corporeo.

Et Bulling. ad Ministros. *Corpus Christi ore non comedi.* Caluin. 2. Defens. contra Westphalum. Beza in Creophag. p. 9. *assere corpus Christi manducari ore corporeo, esse nihil aliud quam disputarire, & putida sophismata aucturire.* Idem contra Westphalum. Docet Christum ante Apostolos omnes edisse, ac bibisse cum ipsis eundem cibum ac potum, & quia nemo seipsum corporaliter edat, ac bibat, sermonem esse figuratum. Sic Clebitius contra Heshusium. Hardenbergius de cœna Domini. præp. 10. Zanchius in Miscellan. fol. 251. Rodulph. Gualt. præf. ad Ep. Rom. Simonius contra Scheckium. Similerus contra Iacob. Andreæ. Arct. serm. 3. de Euchar. negant hæc verba de manducatione accipienda esse. Cum ergo, Edere corpus, & bibere san-

se sanguinem Domini, non sit edere, & bibere. Aliud aliquid necesse est esse. Id autem esse credere interpretantur, ideo negant incredulos mãducare corpus Domini. V. re igitur manducare corpus est ita manducare, vt credendo manduces. Sensus igitur Christi est, iuxta Caluinistas. Edite, bibite, Hoc est credite.

VERSVS 29.

Dico autem vobis non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouũ in regno patris mei.

QVÆSTIO I.

Quod genimen vitis?

§. 1. ILla verba etiam errori suo opportuna visa sunt Caluinianis. Nam genimen vitis, seu γέννημα appellari volunt, vinum Eucharisticum, ἐκ τούτου *Ex hoc*. Post verba igitur pronunciata adhuc erat genimen, seu in Luca est generatio vitis, id est, vinum. Mansit igitur vinum, nulla igitur transubstantiatio.

Respondeo. Veterum aliquorum esse sententiam. Hoc ipso quod vocat Christus genimen vitis veritatem sanguinis sui comprobare. Christus enim vitis est. Sanguis eius est liquor.

Maldonatus, Franciscus Lucas, alijque non modo negant, de sanguine sermonem esse, verum etiam probant. Ante Eucharistiam verba Christi pronunciata, quamuis à Matthæo non suo ordine ad finem cœnæ recitentur. Lucas certè in principio cœnæ collocat: & duos esse datos calices ostendit. c. 23. v. 15. 16. 17. 18. 19. *Et ait illis*, desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar, dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei, & accepto calice gratias egit, accipite & diuidite inter vos: dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est corpus meum, &c. similiter & calicem postquam cœnauit &c.

Quin optime quadrare Beza ipse testatur, nec de solo vino, sed de pascha loquitur Dominus. Christus quidem post resurrectionem cum illis edit, & bibit, sed non familiari conuictu, nec ad corporis sustentationem, sed veritatem carnis probandam. In regno patris nouum pascha, nouum vinum bibituros pollicetur, noto regni illius elogio, quo conuiuio, & hilaritatibus comparatur. Vide. Titelman. Iansen. quamuis ad resurrectionem referri malint alij.

VERSVS 30.

Et Hymno dicto exierunt in montem Oliueti.

QVÆSTIO II.

Quis Hymnus?

§. 1. Ὑμνήσαντες, *postquam Hymnum dixissent*. Alij concedunt Iudæis gratiarum actionem, alij proprium à Christo compositum Hymnum, nonnulli aliquem è Psalmis. Verbi gratia, 112. aut alios. Tota res ex conjecturis pendet. Hoc documentum dare voluit, post mensam Deo de beneficio gratias agendas esse, tanquam bonorum omnium auctori. Hymnus est, quod vel canitur, vel dicitur in Dei honorem. Tam prosa & soluta oratione, quam ligata. Hinc apud Gentiles etiam hymnorum vsus in falsorum deorũ cultu. Qua de re videre licet Cœlium l. 7. antiq. c. 5. & l. 5. c. 3. & l. 11. c. 19. vbi primus Apollini hymnus dictus ab Olene dicitur; *Auctor Hymnorum.*

ὠλὴν τ' ἐγένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας.
πρῶτον τ' ἀρχαίων ἐπέων τέκτανε τ' ἀοιδὰ.
Olen fuit primus Phœbi prophetes,
Primumque veteribus verbis concinnauit cantiones.

Cecinerintne, an sine cantu dixerint hymnum mihi incertum est, & in vtramque partem rationes parum validæ. ὑμνῆσαι est hymnum recitare, laudare. Syrum quod hoc loco ponitur, שבחו *schabbehu*, significat αἰνεῖν laudare. Dan. 1. 25. & 4. 3. & 5. 4. Psalm. 62. 4. Eccl. 4. 2. Etiam gloriari, καυχᾶσθαι. 1. Par. 16. 35. καὶ καυχᾶσθαι ἐν τῇ αἰνέσει σου. & Psalm. 105. 46. τοῦ ἐγκαυχᾶσθαι ἐν τῇ αἰνέσει σου. *gloriari in laude tua*. Quæ omnia, & loquentis & canentis esse possunt. In montem Oliueti abeunt, vt passioni se Dominus offerret. Facile enim alium in locum proficisci licuit.

VERSVS 31.

Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scãdalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.

QVÆSTIO I.

Quomodo scandalum prædicit?

§. 1. Σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ. *Scandalum patiemini, in me impingetis*: quidam, *amittendo fidem*, interpretantur, verum rectius de humano timore, quo eum deseruerunt intelligitur. Nam Ioan. 16. 31. *Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.*

Non prædicit infidelitatem, sed fugam, & formidinem. Humano enim timore eum deseruerunt, sicut & Petrus negauit se nosse eum, cum tamen certissimè nosset, fidem tenuit, sed infirmitate victus tentationi succubuit. Si tamen existimauit eorum aliquis Christum vi pati, nec posse hostium viribus esse superiorem sine dubio fidem amiserunt. Id videtur existimasse D. Augustinus, in 1. Ioan. 16. 31. *Fidem non amiserũt.*

Non enim ait, quando comprehensus, tantummodo carne sua carnem eius, verum etiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc pertinet quod ait, Modo creditis &c. tanquam diceret, tunc ita turbabimini, vt etiam quod modo creditis, relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, & suæ pristinæ fidei vt ita dixerim mortem quanta apparuit in illo Cleopha, qui post eius resurrectionem cum illo seloqui nescius, & quid ei contigerit narrans: Nos inquit sperabamus quod ipse fuerat redempturus Israel. Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fidem, qua in eum ante crediderant.

§. 2. Nec ipsa Prophetæ prædictio aliud indicat, quam desertionem, Zach. 13. c. 7. In Zacharia est. *Framea suscita te super pastorem meum, & super virum proximũ meum, & dixit Dominus exercituum. Percute pastorem, & dispergenter oues.* רועי grex. Syrus, oues gregis ipsius. Christus sensum Prophetæ reddidit. Non enim imperio Dei Christus occisus est, si occidentes spectes, sed Prophetia verbis imperatiuis exponitur, vt appareat, Deo permittente, id factum esse. Cætera in Zacharia explicanda sunt.

VERSVS 33. 34. 35. 36. 37.

Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum &c.

QVÆSTIO I.

Verane Christi tristitia fuerit?

§. 1. DE negatione Petri dicam v. 69. & sequentibus: nunc de tristitia Christi agendum est, de qua plura Lucas, cum sanguinei sudoris facit mētionem. Ingressus igitur in locum, χωρίον vt in Græco, non vt lateret, sed vt oraret, & vt Ioan. 18. 2. dicitur, ibat secundum consuetudinem, itaque eum esse venturum sciebat. & Iudas. Nomen horti Geth-semani, hoc est pinguis, oleosus, alij vero eo modo dictum putant, vt in latino Primus, Secundus, & signi-
Vbi hortus ficari lapidem. Vt sit sensus. Octauo lapide ab vrbe fuisse. Qui vel eo ipso refutantur, quod locus vrbi fuerit vicinior, & incogitanter phrasin Hebræam ad latinam locutionem non sine violentia detorqueant. Dictus & hortus גאו שמני *Ge semani vallis pinguis*, Syriace additum est ך *Daleth* Euphoniæ gratia.

Magna Christi tristitia. §. 2. Tristitiam igitur Christi Euangelista exponit grauissimis verbis. Tres secum seorsum assumpsit, vt tristitiæ testes essent. Et cœpit contristari. Cum voluit scilicet, non enim reluctantem passio illa oppressit Primo dicitur λυπεῖσθαι, & ipse animam suam dicit esse περίλυπον valde tristem circumfusam mœrore. λύπη Christi etsi vehemens, vitiosa non fuit. Blasphemant igitur, qui eum, vt hominem tristitia victum criminantur, & contra rationem egisse. λύπην enim Suidas ait definiti συστολὴν ἄλογον τῆς ψυχῆς, *animi contra rectam rationem esse contractionem & agritudinem.* ὅτι τῷ λύειν εἰς δάκρυα τὰς ὄψεις, *quod oculos in lacrymas resoluat.* Verum Christi tristitia ex recta ratione, & caritate as-
Ἀδημονία sumpta est. Nec erat δόξα opinio præsentis mali, sed certa scientia, & præsentia, & iamiam instantis. Plus etiam est ἀδημονεῖν. Nam ἀδημονία est magna tristitia, qua homines ex improuiso in magnis periculis, cum ἀμηχανίᾳ, & ἀπορίᾳ, cum nulla sese expediendi ratio offert, opprimuntur, cum stupore & exanimatione quadam vt defixis in præsens malum cogitationibus, mente alienati videantur. Syrus priore loco habet למיהתצקו *lemethcemaru*, posteriore ולמיהתצקו במיר est lugere, tristari, עיק est angustiari, ita vt ille sit interpretatus ἀδημονιάν, tristitiam prementem, angustias. Nec modo illa tristitia in appetitu sensitiuo,
Tristitia ad mortē. sed etiam in voluntate fuit. Et tristitia vsque ad mortem. Adeo vt quasi media in morte constitutus doluerit. Nonnulli interpretantur adeo fuisse magnam, vt mortis causa esse posset. Non enim hoc indicat, morte fuisse finiendā: sed eius magnitudinē exponit.

Sponte tristatus est. §. 3. Tam magna tristitia vitiosa non fuit in Christo. Idcirco enim dolores, & tristitias admisit, vt pro nobis pateretur, itaque actus fortitudinis heroicæ fuit, quo delectationem & gaudium beatitudinis suę, ita temperauit, vt tristitiam & dolorem non minueret. Quemadmodum ex flagellatione, transfixioneque dolorem ingentem sensit, nec eius aculeos gaudio beatitudinis permisit obtundi, ita quoque in animæ intima, passiones & dolores admisit, vt certamen suum perficeret, & vinceret. Itaque non fuit πάθεια, seu celeris turbatio, quæ mentis an maduersionem anteuerterat. Sed voluntarie admissa corporis, & animæ laniena. Ita D. Thom. p. 3. q. 18. artic. 6. Damascen. l. 3. de fide c. 26. Fuit illa tristitia voluntatis: Agatho papa Epist. quę recitatur in Synod sexta, action. 4. & Sophron. in Epist. in eadem Synod. act. 11. Cyrillus l. 4. in Ioan. l. 10. Thesaur. c. 3. Ratio perspicua est; nam tristitia natura sua affectus est, qui indifferens est, & sine peccato, imo etiam sanctus, si Corr. causa legitima subsit: At in Christo magnæ erant, & graues causæ. Dolor instans, Iudæorum scelus, fuga ipsa discipulorum, hominum pro tanto beneficio ingratitudo. Denique vt dixi nostros dolores experiri voluit, & tentari per omnia absque peccato. Causæ autem illæ spirituales erant pleræq; ideo non appetitum duntaxat inferiorem, sed voluntatem præcipuè afflixerunt. Tristitia autem voluntatis sponte admissa, ob causas honestas, non potuit, non esse virtutis actus. Quomodo autem diuina virtute, gaudium perfecti, & summa tristitia eadem in anima esse potuerint, Theologi & Physici quærunt. At non est hac in re difficultas; cum diuersæ causæ fuerint. Aliud motuum gaudij, aliud tristitiæ. Eadē de causa, seu obiecto formali gaudere, & tristari eodem tempore nemo potest.

Caput erat, & summa, vt se Christus, vere hominem, vere mortalem ostenderet. Optime Ambrosius. *Non solum* inquit *excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius. Maiestatemque demiror. Minus enim cōtulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo prome doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret, & sequestrata delectatione diuinitatis aternæ tædio meæ infirmitatis afficitur. Confidenter ergo, tristitiam nomino, quia crucem prædico. Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem, Debuit ergo & dolorem, vt vinceret tristitiam, non exclud ret. Nec, enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem.*

Et Cyrillus. *Quod autem non voluntaria quodammodo fuerit crucis passio Christo, voluntaria autem propter voluntatem patris, & propter salutem nostram, ex precatione eius facile discēs. Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Eadem enim ratione, qua verbum Dei Deus est, & ipsa natura liter vita, nemo ambiget, quod nullo modo mortem formidauerit. Caro autem factus, permittit carni, vt sua patiatur: & ideo vt vere homo præsentem iam in ianuis mortem expauescit ac dicit. Si possibile esse Pater transeat à me calix iste. Verum quoniam aliter fieri non potest, fiat non vt ego volo, sed vt tu.*

§. 4. Caluini multa sunt hoc loco blasphema & Calu. impia. 1. Nam nunc se prodit carnis infirmitas, & affectus intimi se effundunt. 2. In nobis ideo nullus vitio caret affectus, quia omnes modum ac rectum temperamentum excedunt. Nostros affectus omnes, qui in excessum ebulliunt ait esse vitiosos. 3. addit. [Vnde autem illi, & mœror & anxietas & formido, nisi quia in morte tristius aliquid, & magis horribile concepit quam separationem animæ & corporis? Et certe mortem subijt, non tantum vt è terra in cœlum migraret, sed potius vt maledictionem, cui eramus obnoxij in se suscipiens, nos ab ea eximeret. Non ergo mortem horruit simpliciter, quatenus trāsitus est ex mūdo, sed quia formidabile Dei tribunal, illi erat ante oculos, iudex ipse incōprehensibili vindicta armatus; peccata vero nostra, quorum onus illi erat impositum, sua ingenti mole eum premebant. Quare nihil mirum, si horribilis exitij abyssus metu & anxietate duriter eum cruciauit.]

Obseruandum tamen, quod habet v. 38. [Tristitię suæ conscios facit, vt ad sympathiam expergefaciat: non quod eum lateret ipsorum debilitas, sed quo magis imposterū eos socordiæ suæ puderet. Porro hæc

Iacutio

locutio lethale doloris vulnus exprimit: ac si dixisset, » tristitia se exanimem esse vel semi-mortuum. Sic Iesus Domino respondet, cap. 4. vers. 1. *Iratus sum vsque* » *ad mortem.* Quod ideo admoneo, quia ex vetustis scriptoribus quidam hunc locum argute tractando ineptè philosophantur, quod Christi anima non in mortem. Sed vsque ad mortem tantum tristis fuerit. Atque illerursus tanti mœroris causa in mentem venire nobis debet: neque enim sic animum Filij Dei mors per se cruciasset, nisi cum Dei iudicio sensisset sibi esse negotium.]

§. 5. *Prodit*, inquit, *se carnis infirmitas, affectus intimi se produnt.* Verbis dari venia potest, sed impium illa sensum continent. Ne ergo affectus prorumpere suo putemus impetu, vt corrigendi sint. Hoc enim postea audiemus ex ipso Caluino. Nolim certe eo modo loqui, vt dicam prorumpere, aut effundere, nisi addam, id fieri Christo prouidente, & virtutis causa permittente.

Secundum etiam improbum est, omnes nostros affectus vitiosos esse: quia in excessum ebulliunt. At fieri potest, vt ita contineantur ne vllo modo excedant. Aliqua tristitia, & lætitia vitiosa est, at potest esse ita moderata, vt vitiosa non sit. Si non admittit vllum affectum innoxium, iam in stoicorum castris militat, Sene. 4. Chrysippus, Zeno nullum affectum sine culpa agnoscebant. Cicero Tusc. 4. Sen. Epist. 76. & Epist. 85. omnes affectus in malis animi censet, falsam & inutilem mediocritatem pronunciat, at Christus Dominus mediocres & temperatos affectus admisit. Seneca nullam moderationem admittit. Epist. 116. *Vtrum sanius iudicas medicos habere affectus, an nullos sæpe quæsitum est. Nostri illos expellunt: Peripatetici temperant. Ego non video quomodo salubre esse, aut vtile possit vlla mediocritas morbi. Nolim mare nihil eorum, quæ tibi non vis negari, eripio: facilem me indulgentem, præbebo, rebus ad quas tendis, & quas aut vita necessarias, aut viles, aut iucundas putes: detraham vitiis. Nam cum tibi cupere interdixero velle permittam: Vt eadem illa intrepidus facias, vt certiore consilio vt voluptates illas magis sentias. Quidni, ad te magis peruenturæ sunt, si illis imperabis, quam si seruies. Sed naturale esse inquis, vt desiderio amici torqueare, data tempus lacrymis tam iuste cadentibus. Naturale est oppugnabus hominum tangi, & aduersis contristari: quare non permittas mihi hunc tam honestum malæ opinionis metum. Nullum vitium est sine patrocinio, nulli non initium, est verecundum & exorabile, sed ob hoc latius funditur. Non obtinebis vt desinat, si incipere permiseris. Imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit, parat: Excutitur facilius quam expellitur. Quis negat omnes affectus à quodam quasi naturali fluere principio? curam nobis nostri natura mandauit: sed huic vbi nimium indulseris, vitium est. Voluptatem natura necessarijs rebus admiscuit, non vt illam petamus, sed vt ea, sine quibus non possumus viuere.*

Caluini discipulus Pareus l. contra Bellarminum de gratia primi hominis, etiam ipsum arbitrium peccatum facit. Verba eius sunt. [Vt igitur non sequitur: » Qui gignit hominem non est ipse homo: sed contra » Qui gignit hominem, est ipse etiam homo: quia vnũ » quodque gignens, gignit sibi simile, & omne genitum » participat naturam sui gignentis: ita minime sequitur. » Concupiscentia gignit peccatum. Ergo non est ipsa » peccatum, sed contra: Ergo & ipsa peccatum est. Cau- » sa enim Peccati peccatosa sit necesse est. Hinc sequi- » tur liberum arbitrium Adami genuit peccatum, ergo » & ipsum erat peccatum. 2. Vnumquodque gignens » gignit sibi simile, concupiscentia est gignens peccatũ, » ergo gignit sibi simile, ergo & ipsa peccatum. 3. Omne » genitum participat naturam sui gignentis: peccatum » actuale est genitum. ergo participat naturam sui gig- » nentis ergo genitrix concupiscentia etiam ipsa pecca- » tum est. Ergo genitor Adam etiam ipse peccatum est. Sicergo & arbitrium Adami & Adamus ipse peccatũ « est.] Fœdior hæresis cogitari non potest, pariter esse « sequitur, non modo voluntatem peccantem esse peccatum sed etiam hominem ipsum, vnde voluntas manat, & Deum à quo factus est homo. Hæc porro est hæresis Flacciana.

§. 6. *Mortem non horruisse Christum putat*, per eam enim è terra in cœlum migrauit. Contrarium Christus protestatur, mortem ter deprecatur, transire calicem desiderat, mortem igitur timuit, mors quidem transitus erat è terra in cœlum. Sed transitus tamen in cruce asper, pleaus tormentis, ideo mortem horruit vt homo. Morte nihil tristius concepit. Horribilis abyssus, exitij nullo eum metu cruciauit. Non timuit Deum iudicem, quem sciebat patrem. Certissimus de salute, de gloria resurrectionis, de regno æterno erat, cur dãnationem timeret? Quomodo metuere Christus potuit exitium, cum non metuant Caluiniani? [Neque « enim, *inquit Caluinus l. 3. inst. c. 2. §. 6.* vnum id in fidei « intelligentia agitur, vt Deum esse nouerimus, sed eriam imo hoc præcipue, vt qua sit erga nos voluntate, « intelligamus, neque enim scire, quis in se sit, tantum « nostra refert, sed qualis esse nobis velit.] Caluinus in « media apostasia, Beza inter libidines dubias certo scit, Deum sibi propitiũ, non metuit, non dubitat: Christus Dei filius, in quo peccatum non erat, metuat? Si timuit, hæsitauit, ἀπορῆν seu hæsitationem Pareus appellat Rom. 8. 2. *desperationis officinam. Baraithũ inferni.* & v. 25. *Vestibulum* inquit *inferni.* & dub. 6. *conscientiæ perpetua fluctuatio*, & Rom. 11. 1. *fides non potest consistere cum dubitatione. Qui dubitat an sit saluandus non credit vitam æternã.* & c. 15. Rom. *gaudiũ non potest esse & pax vbi non est spes, id est* ἀπηροφορία. Christus igitur cum illa dubitatione colluctare non potuit, nisi Deo non credidit, quod impium est vel cogitare. Verùm de his plura paulò post dicam.

Christus mortem, non inferos timuit.

Caluiniani nõ timent inferos.

VERSVS 39.

Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

QVÆSTIO I.

Cur Christus petiuerit vt à se calix transiret?

§. 1. SEquitur nunc oratio Christi ter repetita, summo in mœrore, dormientibus discipulis, Angelo solante, sudore sanguineo erumpente. Oratio illa humanæ naturæ desiderium indicat. Secundùm hoc orat, secundùm quod tristatur, vt Origenes monuit. Tres fidissimos secum abducit, & vigilare iubet, *sustinete hic.* μείνατε ὧδε. Syrus קיְן לי *Kauuan li, exspectate me.* dixerat enim: *tristis est anima mea vsque ad mortem* עגיבא הוא נפשי *agritudo est animæ meæ*, deinde progressus pusillum, Lucas *tactum lapidis esse* ait.

§. 2. Oratio illa meditata fuit, ideoque religionis & prudentiæ opus, summæque caritatis & obedientiæ erga Deum promptissimæ demonstratio. Non enim tantum appetitus sensitiui, sed rationis & voluntatis est actio. Mortem natura horret, hanc deprecatur, hoc naturæ desiderium Deo exhibet: non contradicens Deo, non agens contra præceptum, sed humanæ naturæ imbecillitatem ostendens: appetitus autẽ inferior natura sui conseruationem desiderat. Quãuis ipse appetitus etiam ex redundantia voluntatis sese

Oratio meditata est.

diuino imperio conformare soleat, vt exponit Soarez in 3. p. Tom. & Tom. 3. Verum illa ratio conformitatis appetitus non nisi ex voluntate est: quamuis enim appetitus inferior, iussu voluntatis in rogum, & in eculeum ascendat, ex sua tamen natura renititur. Quemadmodum corpus nostrum & membra voluntati obtemperat etiam ad destructionem & exitium sui. Naturæ tamen semper est aliqua repugnantia: nam & deorsum descendit, & manus ac pedes, clauis forantibus restiterunt, omnia tamen voluntati seruierunt. Sic appetitus fugit dolorem, in fame cibos, in sibi potum desiderat. Explicuit hanc orationem D. Ambr. de bono mortis cap. 7. & in Psalm. 39. *Vnde etiam ad sacrificium passionis voluntarius accessit. Meritoque prædixit. Voluntarie sacrificabo tibi. Sed forte dicas, quomodo in Euangelio dixit. Pater si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed non sicut ego volo sed sicut tu vis: & videtur quidem esse distantia voluntatis: verum intelligimus aliud esse, quod secundum vnitatem diuinitatis exprimitur, vbi dicit. Ego & Pater vnum sumus: aliud quod secundum hominis est locutus affectum, quem innuit cautum esse debere, nec præsumere, quod facile implere non possit: ne dū præmiū quærit incidat sacrilegiū.*

Facere non possum quin S. Ambrosij verba quæ instar commentarij sunt ex lib. 10. in Luc. cap. 22. adferam, me enim mirabiliter delectant. *Doles*, inquit, *ergo Domine, non tua sed mea vulnera, non tuam mortem sed nostram infirmitatem: & nos æstimauimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres? Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra, non quia illa tibi infirmitas erat ex parte assumpta. Sed pro me suscepta: quia mihi proderat vt eruditio pacis nostræ esset in te, & liuore tuo vulnera nostra sanares? Sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? & quid mirum, si moriturus pro omnibus tadeat, qui Lazarum resuscitaturus illacrymat? Sed & ibi pia sororis lacrymis commouetur, quia mentem humanam tangebant: & hic alto operatur affectu, vt quia in carne sua peccata nostra perimebat, mœrorem quoque animæ nostræ sua anima mœrore aboleret. Et fortasse ideo tristis est, quia post Adæ lapsum tali transitu nobis erat ex hoc seculo recedendum. Vt mori esset necesse. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, & ideo fastidit, quod ipse non fecit. Denique ait, transfer à me calicem hunc. Quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam seruans. Oportet enim mori nos seculo. Vt corpore iuxta diuinam sententiam, in terræ limum naturæ fine soluto, Spiritu resurgamus Deo. Quod autem ait, non mea voluntas sed tua fiat; suam ad hominem retulit, patris ad diuinitatem. Voluntas enim hominis temporalis, voluntas diuinitatis æterna. Non alia voluntas patru, alia filij: vna enim voluntas, vbi vna diuinitas. Discе tamen Deo esse subiectus, vt non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum. Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus. Tristis est inquit anima mea. Et alibi. Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens sed suscepta turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, diuinitas libera. Et enim Spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis est autem non ipse sed anima. Non est tristis sapientia, non diuina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur. Tristis videbatur & tristis erat non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis: Tristis erat, quia nos paruulos relinquebat. Ceterum, quam constanter se morti obtulerit, connexa declarant: quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmauit, trepidos prouocauit, proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis Sacrilegij pœnas daturos. Et ideo dixit. Transfer hunc calicem à me. Non quia Dei filius mortem timebat, sed quia nec malos perire volebat. Vnde & dixit, Pater dimitte illis hoc peccatum, ne exitialis esset populo passio sua, futura omnibus salutaris.*

§. 3. Nunc Caluinum vere Antichristi satellitem & Satanæ mancipium audiamus.

Primo. Orationem probat solitariam, tum ob alias causas, tum vero, quod Deus multas ineptias suis permittit dum seorsum orant, quæ in hominum conspectu ostentatione non caterent.

Secundo. Ego vero tam etsi abruptum fuisse votum fateor, non tamen dubito, quin precationem Christus conceperit.

Tertio. Nec obstat, quod rem impossibilem sibi concedi poscit: quia non semper fidelium preces cōtinuo tenore ad finem vsque fluunt: non semper æquabile temperamentum seruant, non semper etiam distincto ordine sunt compositæ: quin potius implicite & perplexæ vel confligunt secum vel in medio cursu subsistunt.

Quarto. Metu perculsus fuit, vt necesse foret, inter violentos tentationum fluctus, quasi alternis votis vacillare. Hęc ratio est cur mortem deprecatus mox sibi frænum injiciat: Patrisque imperio se subijciens, votum illud subito elapsum castiget ac reuocet.

Quinto. Sed quæritur quomodo æternū patris decretum rescindi postulet, cuius minime ignarus erat. Nam etsi interponitur conditio. Si possibile esse, hoc tamen absurdum videtur, flexibile Dei, consilium facere. Sic enim penitus statuere conuenit fieri non posse vt Deus consilium retractet. Apud Marcum verum videtur Christus Dei potentiam decreto opponere. Omnia inquit tibi possibilia sunt. Atq; perperam huc Dei potentia extenditur, vt variū & mutabilē reddendo, veritatē eius infirmet. Respōdeo nihil esse absurdi.

Sexto Certe in primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi: quia mediatoris officio defungi quantum in se est, renuit ac retrectat.

Septimo. Hic indocti homines insurgunt, remque indignam esse clamitāt, quod veritus sit Christus absorberi à morte. Ego autem ipsos mihi respondere velim, quēnam metum fuisse putent qui guttas sanguineas Christo expressit, nūquam enim nisi à diro & insolito horrore fluxisset mortalis ille sudor. Si quis hodie sudando sanguinem emittat, & quidem tanta copia, vt guttæ in terram distillent, incredibile portentū erit. Si cui hoc cōtingat mortis timore, pusillo & muliebri animo esse dicemus. Ergo qui Christum negant precatum esse vt eum pater à mortis gurgite eriperet, mollitiem illi affingunt vel plebeio homine indignā. Si quis obijciat infidelitatis esse timorem illum quem dico: in promptu solutio est, cùm diuinæ maledictionis horrore perculsus est Christus, sic tactum fuisse carnis sensum, vt fides illæsa & incolumis permaneret. Fecit enim naturæ eius integritas, vt easdē quæ nos suis aculeis pungūt, tentationes sine vulnere sentiret. Plura habet Lib. 2. inst. c. 16. §. 8. & l. 3. c. 8. §. 9. Ante omnia Catechismus Heidelberg. de descensu ad inferos. fol. 21. Verum singula expendamus.

§. 4. Orationem solitariam Christus frequenter inculcat, & agendo, & monendo: mu tæq; eius sunt vtilitates: At nusquam illa Caluiniana à Sanctis patribus est tradita: Quod Deus suis multas ineptias permittat, dū seorsum orant. ipse Dominus promittit fore, vt pater, qui est in abscondito reddat, non fore vt ineptias permittat. At quēnā illæ sunt ineptiæ? Definit eas esse, quæ in hominū conspectu ostentatione non caterēt. Nō sistit hic quæstio: Quænā illa sunt, quę ostentatione non caterent? An γενυκλισία, in facie projectio, suspiria, pectoris tunsio, gemitus, lacrymæ? an manuum extensio, clamor, meditatio, eiusdem iteratio? Hæsi Caluinus ineptias vocet, sine dubio impie filium Dei, & fideles irridet, nam quædam Christus vsurpat, & in vtroq; testamento sancti vsurparunt, vt non ineptiæ, sed incitamenta pietatis, signaque deuotionis vocari & censeri debeant.

§. 5. Abruptum votū appellat, quod vitiosum est.

Nam

Nam abrupta oratio, aut abruptus est locus orationis, quæ cum cæteris non cohæret, quales sunt patheticæ, quæ impetu affectuum voluuntur, non autem ratione gubernantur. Sic autem à locis terræ, & rupibus nominantur, quæ præcipitia, & κρήμνας habēt. Votum hoc Christi, quamuis naturæ tristantis indicium fuerit, pacatissimæ tamen rationis opus erat. Ostendit carnem se accepisse, non tamen carnis imbecillitate se per abrupta deuolui. Verissime Tertull. l. 1. de fugâ in persecut. licet iam tum non amplius noster. cap. 8. *Professus quidem & ipse est: animam anxiam vsque ad mortem, & carnem infirmam, vt tibi ostenderet, primo in se vsque tamque substantiam humanam fuisse ex proprietate anxietatis animæ, & imbecillitatis carnis, ne aliam vt quidam nunc inducerent aut carnem aut animam Christi interpretaretis.*

§. 6. Grauius est quod addit. *Rem impossibilem petisse*; & preces fidelium non semper eodem tenore fuere respondet; quæ si ad Christi preces pertinere iudicat, errare eum concedat necesse; si ad Christum non pertinet defectus precum, quas fideles fundunt: frustra preces Christi omnia scientis cum precibus fidelium comparantur. Quæritur enim cur Christus, non cur fideles impossibilia petant. Ad Christum, quod attinet, Augustinus l. 3. c. 4. de consensu Euangelistarum interpretatur. *si possibile est si vis. Quibus verbis adiungas, quod illi duo dixerunt, & quod ipse etiam Marcus ex persona sua pariter posuit, ita sententia manifestatur. Pater si fieri potest, omnia enim tibi possibilia sunt, transfer calicem istum à me: ne quis eum putaret patris minuisse potestatem cum ait, si fieri potest: non enim dixit si facere potes: sed si fieri potest. Fieri autem potest, quod ille voluerit. Sic itaq; dictum est si fieri potest: ac si diceretur, si vis. Manifestauit enim Marcus, quo intellectu accipiendum sit si: si fieri potest: quando ait, omnia tibi possibilia sunt.*

Vera interpretatio, non enim de absoluta Dei potentia, sed voluntate agitur. Omnia autem, quæ sunt apud quatuor Euangelistas, dicta non dubito, cum rerum arte, & desiderium pluribus verbis aperuerit. Non igitur petit, quod est impossibile, sed naturæ infirmitatem mortis horrore trepidantis ostendit, vt eam patri offerat, & eius imperio immolandam tradat. Sic & Ambros. l. 2. de fide. c. 3. *Scriptum est inquiunt: Pater si possibile est, transfer à me calicem hunc. Et ideo si omnipotens est, quomodo de possibilitate ambigit? Ergo qui omnipotentem probauit, vtique ambigere eum de possibilitate non potest. Verba, inquis, Christi sunt. Verum dicis. Sed quando, & in qua forma loquatur aduerte. Hominis substantiam gessit. hominis assumpsit affectum. Deniq; supra habes, quia progressus paululum procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater si possibile est. Nō ergo quasi Deus, sed quasi homo loquitur. Deus enim possibile aliquid, aut impossibile nesciebat. Aut aliquid impossibile Deo cum scriptum sit: Impossibile enim tibi nihil est? De quo autem dubitat, de se an de patre? Deo eo vtiq; cui dicit. Trāsfer: & dubitat hominis affectu. Ergo propheta nō putat aliquid impossibile Deo. Propheta non dubitat, & filium dubitare tu credis? Nam infra homines constituis Deum? Et dubitat de Patre Deus & de morte formidat? timet ergo Christus: & cum Petrus nō timeat, Christus timet? Petrus dicit: animā meam pro te ponam, Christus dicit: Anima mea turbatur. Verumq; verum est, & plenum veruma; rationi.* Itaq; Dei filius orationem non abrupit, sed continuo tenore vsq; ad finem illa decurrit. Non est sapientissimæ animæ, non posse perficere, aut nolle. Ab æquabili temperamento prudentiæ, cōsiderationis, pietatis, nulla Christum turbationis procella dimouet: nihil in eo, à quo est omnis ordo, esse potest inordinatum. Nihil in eo perplexum, aut iniquum, qui omnes hostium cogitationes, omnes pœnas vsque ad minimum flagellorum ictum præuidebat, & sponte suscipiebat. Cursus itaque nulla mentis agitatione obliquatus est, sed recta ad portum tetendit. Nec vacillauit alternis votis, vt nunc vellet mortem, nunc nollet. semper voluit, ad mortem venerat, à Deo decretam nouerat, sic impleri oportere scripturas prædixerat, imo impossibile norat, aliter fieri: nec mutari Dei immutabile decretum postulat. Sed naturæ, vt talis erat, motum exprimit. Nec secum confligit, nec contrariis voluntatibus agitur, sed varios sentit, & sponte motus. Natura contristatur, caritas spiritali lætitia fruitur.

Christus se non castigat errantem.

Quod vero addit, frenum sibi iniicere, & votum subito elapsum castigare ac reuocare: iam omnino filium Dei peccati accusat. Si frenum motibus iniicere necesse est, extra orbitum igitur euagabantur, si castiganda fuerunt desideria, & reuocanda, non igitur sine vitio Dei filius, qui quamuis se ipse correxerit, & castigarit, & vota effrenia reuocarit, non tamen idoneus est redemptor, cum peccato non caruerit. Si enim vota, quæ freno retinenda, reuocanda, castiganda fuerunt, secundum rectam rationē, & Dei legem concepta fuerunt, nihil in illis fuit castigandū. Sed omnia Christi facta, dicta cogitata perfectissimæ, atque exactissimæ virtutis fuerunt, meritique. Improba igitur fuit votorum sanctissimorum reuocatio, ac correctio. Si virtutis illi decus ac perfectio defuit. peccatum fuit. Omnia enim Christi opera vel bona, vel mala fuerunt, nullum adiaphoron. Si peccauit subito voto, mortale igitur crimen fuit ex Caluini dogmate, nullum enim agnoscit veniale peccatum. At *subito elapsum est.* Si votum est animi sibi præsentis, deliberantis, libertate sua vtentis, non potest excusari, qui sciens volens, votum, quod castigatione & reuocatione egebat, conceperit. Correctio non facit, vt peccatum non fuerit, sed vt ne sit; non potest corrigi, nisi quod deprauatum est, non debet castigari, nisi quod impuratum est. Quin Christum facit instar aliorum hominum vitiosum: si enim votum freno, correctione, reuocatione, castigatione dignum subito elapsum est, idq; inuito, vel alia cogitatione occupato, vti solent, hominum προπάθειαι, non ergo omni modo in sua potestate habuit affectus. Talis ergo Christus, quales describunt stoici miseros homines quorum affectus rationes, & consilia præcurrunt, quibus suaderi non potest. Non sunt affectus vitiosi, à Deo enim dati sunt, ideo Aristoteles recte dixit, iram virtuti pro armis esse, apud Senecam l. de ira. Sed à nobis sumi deponiq; vt bellica instrumenta, non possunt, induentis arbitrio. Ipsa sæpe per se pugnant, non exspectant rationis vt ducis imperium, ante signum datum inconditè procurrunt. Quod si in Christo eadem est infirmitas, vt suo iure prorumpant affectus, vt habeant, non habeantur. Si Christum non ratio, sed etiam tristitia bruto impetu, non exspectata tuba mouit, ita erroris sui à se pœnas exigere oporteret. Posset etiam ira, dolor, voluptas, quod potuit tristitia: atq; ita Christum fingit Caluinus, quales Deos suos poetæ, vitiis humanis obnoxium. Falsum igitur est, quod ait. *Non fuit igitur hac meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris vocem ei extorsit, cui statim addita fuit correctio.* Extorsit? Tenere ergo non potuit, aut quantum niti in contrarium potuit, noluit. Si non potuit, affectu igitur victus agebatur, si noluit. cum posset frenare affectum, deliquit; quod corrigere maluit, quam non facere corrigenda. Plus sapienti suo stoici tribuebant. *Nam vt dixit Zeno,* (Seneca l. 1. de ira c. 16.) *in sapientis animo etiam cum vulnus sanatum est, cicatrix manet, sentiet itaq; suspiciones & vmbras affectuum, ipsis quidem carebit.* At Caluinus iam in Christo & vulnus, & cicatricem concedere debet, quando affectum extorsisse vocem non meditatam vocem corrigendam pronunciat. Mallianum sed falso Claudianus dilaudat.

Nihil Christo extortum.

Seruat inoffensam diuina modestia vocem.
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor

Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas.
Nullaque mutati tempestas proditur oris.
Quin etiam fontes expulsa corrigis irâ.
Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
Qui fruitur pœnâ ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi, &c. Dis proximus ille est,
Quem ratio non ira mouet, qui facta rependens
Consilio punire potest.

Adulantis illa sunt, at in Christo verissima. Improbe itaque Caluinus Christum minoris æstimat, quàm suos Heroas Ethnici.

§. 7. Totam igitur Christi doctrinam incertam facit: si enim aliquando dolor vocem corrigendam extorsit seu volenti, seu inuito, certe erranti; quis spondeat, id non sæpius esse factum? Qui aliquando deliquit, sine peccato non fuit. *Non fuit oratio meditata*, inquit. Quomodo non meditata, cum toties se veniße profiteatur, vt animam ponat pro ouibus suis? cum Petrum à morte subeunda deterrentem vocaret Satanâ? Quid aliud meditatus est tota vita, nisi mortem? Proloqui non meditata, vt lingua præcurrat mêtem in magno vitio ponitur: quod absit, vt Christo impingamus. Iob certe eum superaret, qui inter lõgos cruciatus labiis suis non peccauit, cum metus tormentorum Christo vocem corrigendam extorserit, Iob autem in ipsis cruciatibus æstuans ratione, & pietate vocem moderatus sit.

Meditata Christi oratio.

Deliberata autem oratio fuit; nam & mortem vt naturæ inimicam, tormenta tristissima, vt in se mala, & vitæ nõxia ex ea consideratione deprecatur, vox enim illa naturæ est, quæ mortem & cruciatus vt in se, sine alia consideratione spectantur, merito, iureq;, & sine culpa horret, & fugit. Rursus eandem mortem qua erat redemptio, & à Deo iussa amplectitur.

§. 8. *Eádem* inquit *vehementia cœlestis decreti memoriam abstulit.*

Excusare vocem vi doloris extortam nititur. Vehementia doloris obliuionem induxit, caliginem oculis obduxit. Indigna vox Christiano. Si metus supplicii memoriam abstulit, quid ipsum supplicium facturum putemus? Si memoria decreti cœlestis excussa est, si ratio sopita, si scopus incarnationis in mente non erat redemptor non erat. Si pati noluit, quod hoc decretum esse, oblitus fuit, nec reliqua ergo meminerat, se Dei filium esse, Messiam esse. Eaque obliuione vt precando, sic iubendo, docendo delinquere potuit, si enim obliuione cœlestis decreti ad indignas se preces impulit, vt in primo voto non appareret *placida illa moderatio*, quam Caluinus dixit, *Quia mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit, ac detrectat*, etiam ad imperia, ad fugam impellere poterant. Hæc quidem refellit ipse textus. Si mediatoris officio defungi detrectat, non ergo oblitus erat etiam in ipsa oratione, sibi impositũ. Si renuit Deo se opponit. Deinde tereundem sermonem orat, semper infirmitatis humanæ naturale desiderium proponẽs, & Dei se voluntati resignans, non igitur subita erat oratio, nõ extorta vox, nõ sine meditatione. Quomodo enim postquam bis se correxit, & abruptum votũ reuocauit, ac castigauit, tertio eadem obliuione ac caligine, sui, rerumq; oblita suarum voluntas Dei imperium detrectat? Falsum igitur est, quod sexto loco Caluinus ait, in voto non fuisse *placidam moderationem.* At vbi deest moderatio affectuum, siue tristitiæ siue desiderii, non est perfecta harmonia, & integritas virtutum, rationis dominium eluditur. Hoc enim quod supra & præter moderationem inest, vitiosum est, quod quamuis sit exiguum, quia tamen à regula recta deflectit, prauum est. Et quamuis tenui & leni commotiuncula pulsat animum, inquietum tamẽ est, ac turbulentum; & licet fluctus procellasque non concitet, leniter tamen motus ciet. At vero nos Christum omni ex parte perfectũ dicimus, in quo nullus, ne minimus quidem, qui fingi possit, nisi ex sanctissima voluntate affectuum motus concitetur: nec à magnis duntaxat, sed ab omnibus malis immunem dicimus.

Non est oblitus officij sui.

§. 9. Tandem argumentum indoctorum soluere conatur. *Si mortem timuisset, mollis fuisset, damnationis igitur metu perculsus est.*

Respondeo. Metum fuisse ingentem & pauorem, metum autẽ mortis, nõ inferni. Nec ex eo argui Christi mollitiem, sed heroicã animi fortitudinẽ, qui sponte illam affectuum trepidationem admisit, cũ vel martyres tormenta formidant, vel malefici ad supplicium aspectum impallescunt, violento terrore concutiuntur, excludere non possunt, multo minus sistere: collisa genua, dentium stridores, cæteræ imbecillitates ostendunt obrui illos metu & rapi, non eum in potestate habere. Alia est metus ratio, [illegible] Christus humanitatem demonstrat, pati enim & illam voluit, & tam magnum metũ esse voluit, nulla necessitate, sed liberrima voluntate. Hoc igitur argumento Caluinus totam impietatem effudit. Nam aut argumentum illius vanum est, aut Christum non sponte passum esse illum metum necesse. [Si quis, *inquit*, hodie sudando sanguinem emittat, & quidem tanta copia, vt guttæ in terram distillent, incredibile portentum erit. Si cui hoc contingat mortis timore, pusillo & muliebri animo esse dicemus. Ergo qui Christum negant præcatum esse, vt eum pater à mortis gurgite eriperet, mollitiem illi affingunt, vel plebeio homine indignam.]

Respondeo. Propositionem seu antecedẽs distingui oportere. Si quis metu mortis coactus sanguinem sudet, aliquando posse esse animo pusillo, at si aliquis metum ita in potestate habeat, vt vel metuat, si velit eum affectum admittere, vel non metuat, si velit excludere; sponte autem, vt plus patiatur, admittat; & quantum velit, admittat, non fore pusillo animo, si vel maximam tristitiam animo concipiat. Si martyri pro gloria Dei omnia, quæ in tormentis sunt tristissima subeunti, tantum Deus robur, vires q; suggerat, vt sine mœrore cruciatus tolerare possit, cœlesti consolatione delibutus, (quorum exempla multa sunt,) ille autem ardore plura patiendi, minui aliquid de solatio ac gaudio postulet, naturamq; sibi relinqui, vt interno etiam dolore crucietur, eumq; cum excludere, vel seperare possit, acerrimum voluntario animi cõsilio admittat, nemo hunc mollem, aut pusillum animo dicet: sed virum robustissimum, qui non cruciatus modo toleret, sed eorum etiam mitigationem respuat. Hoc Christus fecit, dolores enim suos gaudio beatitudinis, quo fruebatur, noluit eludere, sed externum Angeli solatium admisit, ad eorum magnitudinem ostendendam.

Impium igitur argumẽtum est. Qui sudore sanguineum metu mortis coacti, inuiti morientes, affectuum moris oppressi, emittũt, pusillo sunt animo, ac muliebri, mollitie etiam plebeio homine indigna. At Christus sudorem sanguineum metu mortis coactus, inuitus moriens, emisit, victus timoris affectu. Pusillo igitur, muliebri, mollique animo fuit. Ecce qualem nobis Christum, qualem redemptorem, quam pudendum proponat, Caluino-Turcismus. Si enim hæc ratiocinatio non vires modo, sed vel speciem habet: Necesse est Christum timori, tristitiæ, dolori, angustiæ, ærumnis animi, more aliorũ fuisse obnoxium, ac proinde non dominum suarum passionum. Ideoq; & humana in illo vitia fuisse. *Pusillo animo fuit Christus, si metu mortis sanguinem sudauit:* Tãquam certum igitur statuit; metum in illo non fuisse libere ab illo assumptũ, sed violenter incussum. Hæc ad impietatem argumentis

tantis arguendam sufficiunt. Interim & hoc obseruãdum est. Posse etiam in homine minime molli, metũ magnum oriri, si atrocia tormenta subeunda sint, si ab illis cogitandis animum nõ abducat, sed imaginatione, ac toto mẽtis intuitu in his meditãdis fixus hæreat, consolationes internas non habeat, aut non admittat, alias multas tristitiæ causas videat, tenera & nobili sit corporis constitutione, & fortiter contra cohortem terum tristium obluctetur. quæ omnia in passione Christi Patres & interpretes considerent. Ego in eo esse uero, vt dicam, in metu sponte assumpto non esse mollitiem, sed quo ille maior est, eo robustiorem animi patientiam, & portentosam esse, sponte tristitias tolerantem. Deinde vel ex eo solo Caluini argumẽto detestabilem apparere eius hæresin, qui Christi metũ, cum timore homuncionum mortis horrore pauentium confert. Necesse est, vt Christum iudicarit, non sponte sua, sed vi timoris in illam tristitiam abreptum. Ideo quæ timor ad tempus succubuisse.

§. 10. Cum exitii, seu damnationis metu Christum perculsum calumniatur, multo grauiorem maiestati illius homo nefarius iniuriam infert. Non enim Christus damnationem metuit. Se enim Dei filium, & electum sciebat. Idq; ab omnibus Prophetis prædictum. Si igitur damnandum se putauit, aut damnationem timuit, nec scientiam de regno suo, nec fidem habuit. Nec quicquam sapientiæ est in responso Caluini. [In » proptu est, *inquit*, solutio. quum diuinæ maledictionis » horrore perculsus est Christus: sic tactum fuisse sensum carnis, vt fides illæsa, & incolumis maneret.]

Illum iam errorem omitto, quod Christo beato fidem tribuit: non credebat, sed videbat, sciebat: Hoc vrgeo. Si tantopere timuit æternæ mortis abyssum, eamq; deprecatur, putauit igitur eius periculum esse. Non ergo fidem tenebat de sua salute, aut scientiam certissimã. Si illa dubitatione tactus est carnis sensus, etiam fides & scientia vacillarunt. Nam carnis nomine, non carnem, aut carnis sensus, & facultates, sed ipsam rationem, & liberum arbitrium Christi intelligendum est: Hoc enim percellitur, quod deprecatur. Horret voluntas, & tristatur ob damnationem; quia ratio eam vt iam instãtem apprehendit. Mens periculi esse iudicat, & quia tanta est trepidatio, aut dubitat, aut euentura putat, quæ timet, ideo enim deprecatur. Non autem potest, consistere cum tanta dubitatione, & trepidatione fides. Quemadmodum in illo fides non est, qui dubitat an Christus sit natus Messias, dum enim sic carnis sensus tangitur, etiam fides omittitur.

Quomodo vero horribilis exitii abyssus metu, & anxietate eum duriter cruciauit, quomodo precatur, vt Deum ab eo gurgite eriperet? Aliud verba probant. *Si possibile est, transeat à me calix iste.* & vers. 42. *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum fiat voluntas tua:* Quam sceleratum autem sit, dicere: Christum iudicasse, non potuisse transire calicem damnationis nisi biberet illum, & id patri reliquisse, facile ex eo colligere licet. Quod possibile non fuit, vt biberet illum: non enim possibile fuit damnari Christum.

Quin Caluinus secũ ipse pugnat. Nam in his precibus aliquam discessionem à Dei arbitrio concedit. » [Sed primũ hic quæri potest, quomodo ab omni vitio pura fuerit eius voluntas, quæ tamen cum Dei voluntate non congruebat. Nã si vnica boni & æqui regula est Dei voluntas, sequitur affectus omnes, qui ab ea dissident, esse vitiosos. Respondeo quãuis hæc vera » sit rectitudo, formare nostros omnes affectus ad Dei » arbitrium: esse tamen quandam obliquæ dissensionis » speciem: quæ culpa caret, neq; in peccatũ imputatur: » Quemadmodum si quis tranquillum & floretem Ecclesiæ statum expetat, si cupiat ærumnis liberatos esse » Dei filios, sublatas è medio omnes superstitiones, repressam impiorum libidinem ne quid noceant. Hæc « quum per se recta sunt, rite possunt à fidelibus expeti « quamuis aliter Deo placeat, qui vult filium suum re- « gnare inter hostes, suos exerceri sub cruce fidei, & Eu- « angelii victoriam contrariis satanæ machinationibus « illustrari: Videmus vt pia sint vota, quæ in speciem à « Dei voluntate discrepant, quia nõ exacte semper, vel « scrupulose à nobis inquiri vult Deus, quid statuerit ip- « se, sed quod pro sensus nostri captu optabile est, fla- « gitari à se permittit.] Iudicio igitur Caluini oratio « Christi non omnino cũ diuina voluntate cõueniebat; at si damnationẽ deprecatus est, nulla erat, ne in speciem quidem discrepantia. Noluit enim filium suum damnari pater. Quod vero addit hos affectus etsi longius excurrerent, quam oportet, non fuisse vitiosos, non posse nos in hac naturæ corruptione perspicere feruorem affectuum cum temperie, qualis in Christo fuit; sed hũc dandum esse honorẽ filio Dei, ne eum ex nobis æstimemus, nõ excusat Christum, sed sese accusat. Ille enim Christum ex hominib. æstimat. Nam cũ Mose, cum Paulo eum comparat. [Neq; enim fideles « in fundendis precib. semper ad speculanda Dei arcana « conscendunt, vel tanquam in otio expẽdunt, quid fa- « ctu sit possibile. Sed votorum feruore interdũ celeres « feruntur. Sic Moses petiit deleri de libro vitæ. Sic Pau- « lus petiit anathema fieri. Non fuit igitur hæc, medita- « ta Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei « vocem extorsit cui statim addita fuit correctio.] «

Deinde multum timoris & tristitiæ procellas sustinuisse existimat. vt iã docui. Deniq; omnia quæ attulit, eo pertinent, vt natura aliquid precationi Christi defuisse demonstret, vt ex ante dictis est manifestum. Nunc vero postquam multa cõtra Christum blasphema dixit. Tandem negat eum ex nobis æstimandum, quod est verissimum, sed à Caluino non seruatũ. Monet nõ intelligere nos affectuum feruorem cum temperie, quæ in Christo fuit; at paulo ante dixerat. [Non « apparere placidam illam moderationem. Impetu do- « loris vocem extortam, cui fuerit addita correctio, ab- « latã memoriam cœlestis decreti, caliginem oculis ob- « ductam, votum subitum excidisse, castigatum ac re- « uocatum, Christum inter fructus tentationum vacil- « lasse.] Hæc similiaque ostendunt, nullam temperiem perfectã affectuum in Christo Caluinum agnoscere.

QVÆSTIO II.

Quid ex hoc loco Patres probarint?

§. 1. S. Ambr. ex hoc loco probat, Christum humanã naturam susceptisse, vt etiam animã assumpserit. l. de incarnatione c. 7. *Nam cum illud* quod ait Dominus: *Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ*; & infra: *Pater meus si possibile est, transfer à me calicẽ hunc: sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: non ad Sp. S. confessionem sed ad rationalis assumptionem animæ, & naturæ humanæ refertur affectus; consequens est, vt per assertionem Dominici Sacramenti, & plenitudinem naturæ humanæ fuisse astruamus in Christo & ab infirmitatis præiudicio Spiritum S. separemus. Non est enim obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passioni. Quæro igitur qua ratione animam putent quidã à Domino Iesu, non esse susceptã. an quia metus est, ne sensu Christus laberetur humano?*

§. 2. Athanasius ita humanam ab eo naturam esse assumptam, vt Christo fuerint duæ volũtates, quo argumento etiam vsi sunt posteri contra Monothelitas. *Et quum inquit Petrus, pro certo habeat vniuersa domus Israel, quod Deus hunc Iesum Dominũ & Christum fecerit, quem crucifixistis: Non ibi de diuinitate eius verba facit, cum asserit eum Dominum & Christum à Deo factum esse, sed de humanitate eius quæ est vniuersa Ecclesia: ea enim in eo, & dominatur & regnat. Et ex quo ille crucifixus est, etiam illa inuncta ad regnũ cælorum existimatur, vt regnaremus cũ illo, qui ea de causa se ipsum euacuauit & assumpsit seruilem speciem. Verbum enim*

qui

qui & Filius Dei, semper erat Dominus & Deus, neq; post crucem factus est Dominus & Christus, sed vt prædixi humanitatē eius diuinitas fecit Dominum & Christum. Quum igitur dicis. Pater si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non mea voluntas fiat, sed tua: Spiritus enim promptus caro infirmæ est: duas voluntates tibi ostendit: alteram humanam, quæ est carnis, alteram diuinam. Siquidem diuina natura prompta est, humana vero ob imbecillitatem deprecatur passionem.

§. 3. Idem Arianos confutat orat. 4. contra eos: Illi enim Deum esse negabāt. *Sed illi rursum deorsumq; circūcursitantes & quasi inde Hæresin suam constituere possint. Ecce inquiunt lacrymatus est, dixitq; Spiritum suum turbatum esse deprecatusq; est, vt calix transiret: quomodo igitur is, qui ista locutus est Deus fuerit? aut verbū Patris.* Quib. ille respōdet. *Scripta sunt ista quidem, quod fleuerit, ô Dei perduelles. & quod turbatus fuerit, dixeritq;: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? &c. Transeat à me calix iste: Scripta inquam sunt ista, quis negat? Sed ego vellem vicissim & vos respondere: nam singula vestra elidenda sunt. si homo merus est, qui ista loquitur: lacrymetur & horreat mortem, vt homo: sin autem verbum est in carne (nam eadem dicere non debemus grauari,) qui potuit Deus timere? aut vnde mortem timeret, quum ipse vita esset, alioq; è morte liberaret? aut qua ratione dicere potuit, ne timeatis eos qui corpus occidunt, si ipse timebat? aut quomodo cum Abraham colloquium conferens ita locutus est? Noli timere, quia ego tecum sum. Mosemq; audacia corroborans contra Pharaonem, aut verba faciens cum Iesu Naue, ausus est dicere. Fortificare & vir esto? cum ipse expauerit Herodem & Pilatum & cū aliis opitulatorem se præbuisset ne metum conciperēt? Dominus enim inquit adiutor meus, non timebo quid mihi faciat homo? si ipse, qui Dominus est mortalium, mortales præsides expauerit? & vadens contra mortem, mortem exhorruerit? Qui (Quæso) non absurdum impiumq; hunc dicere mortem aut infernum exhorruisse, ad cuius conspectum ianitores inferorum, metu se contraxerunt? Quod si pro vestra opinione expauerit verbum: cur quum multo ante denunciaret sibi à Iudæis insidias fieri, nō mature in fugam sese abripuit? Sed contra, quum ad mortem quæreretur, semetipsum voce indicauit. Ego sum inquiens: poterat enim non mori. Vt ipse professus est cum diceret, Habeo potestatem deponendi animam meam, & habeo potestatem resumendi eam, & nullus eam auferet à me. Verum ista quæ exprobratis non propria sunt naturæ verbi, in quantum verbum est, sed eatenus eius sunt, quatenus verbū in carne erat, quæ istiusmodi affectus patiebatur, ô Christi perduelles ingratique Iudæi. Quippe cum ista referantur acta nō ante carnem sumptam, sed tum denique cum verbum iam caro factum esset, & homo iam existeret. Tum demum inquam scriptum est eum ista humanitus dixisse, quamuis interim & Lazarum à mortuis excitarit, & ex aqua vinū fecerit & cæco à natura visum restituerit.*

Plane eodem modo, qno nūc Caluiniani, ita olim Ariani contra Christū disputabant. Illi Deum ex proposito negabant, nostri sectarii dum hominē errantē, & moderationis expertem fingūt, etiam Deum negare coguntur. atq; ita in Arianismū reuoluuntur. Fieri enim non potest, quin si humanitas corrigenda committat, quin in Deum defectus conferatur. Omnes enim actiones Christi Domini, cum sit persona diuina, dignitatem ab ea sortiuntur, vt malæ esse non possint. Sunt autē actiones vt aiunt suppositorū, seu τῶν ὑποστάτων, vt Græci dicunt. Si igitur Christus castiganda, corrigenda, reuocāda, immoderata vel agit vel dicit: Deus seu persona diuina ista agere, vel dicere cēsetur. Hinc recte docent Theologi, ne absoluta quidem Dei potentia esse posse in Christo peccatum. Idq; tam de habituali, quam actuali peccato verum esse. Sequeretur enim consequentia firma, Deum fore peccatorē. Naturam igitur, q̄ diuina hypostasis ad vnionē personalē assumpsit, necessario gratia auxilioq; gubernat, vt omnia acta & dicta grata sint, & peccare nō possit. Qui igitur Christo motus & impetus tribuit, in quib. placida moderatio nō sit, eâdem illic operâ vnionem hypostaticam & incarnationis œconomiam dissolut. Ex eadē it aq; pharetra sunt tela Arianorum. & Caluinianorū: Ariani exclamant; Expauit, timuit, non ergo Deus. Caluinus; Elocutus est corrigenda. Oblitus sui decreti Dei. Officium detrē &auit, ex quo sequitur nō ergo Deus. Arianos refutat Athanasius orat. 4. contra eosdē. *De eo porro quod dixit, Si possibile est, transeat à me calix iste. Discе eum q. ista loquitur antea Petro increpuisse cū diceret eum ea non sapere quæ Dei, sed quæ hominū essent. In vtis erat hoc ipsum quod deprecabatur, vt qui eius rei gratia venerat. Caterum, vt eius erat id velle. qui ea de causa venerat, ita carnis erat expauescere, ac proinde vt homo hāc vocem ederet, vtrumq; tamē ab eo dicebatur, vt ostenderet se Deum esse, quatenus mortem volebat: hominem a. quatenus carnem gestaret metu concitatā, propter quā attemperauerat suam voluntatem humanæ infirmitati, vt metu mortis abolito audacem redderet hominem aduersus mortem. Ecce tibi rem plane admirabilem: quem enim veluti per pauorem loqui existimēt Christi perduelles, ille alios homines incōsueto alioqui pauore interritos reddit. Certe Beati Apostoli posthea istinc animati, ita mortem contempserunt, vt non curarint Iudices, à quibus damnabātur, sed dicerent, obediendum esse potius Deo quam hominibus. Aliq; item Martyres ea fiducia audaciaq; fuere, vt crederent se potius ad vitam transire, quam mortem sustinere. Qui (Quæso) non absurdum fuerit famules verbi de fortitudine admirationi esse: Verbo autem ipsi timiditatem ascribere, cuius vi & opera illi mortem vili penderunt. Caterum ex sanctorum Martyrum tolerantissimo proposito & fortitudine ostenditur. Deitatem non fuisse in timore sed nostrum illum fuisse timorem, quem suscitus Saluator. Vt enim morte mortem abrogauit, & humanum omnia humana: ita solito pauore nostrū pauorem ademit, illudq; effecit, ne homines mortem timerent. Ista igitur simul & dixit & egit, quia humana erant, vt hanc vocem ederet. Transeat à me calix iste, & cur me dereliquisti? Sed tamen diuinitus idem ille solis deliquium induxit, & mortuos excitauit. Rursum humanitus inquiens, nunc anima mea turbata est: illud autem diuinitus dixit, Potestatem habeo vt ponam animam meam, & potestatem habeo. Vt sumam illam:*

Caluinistæ Ariani.

Hæc Athanasius, nō vt ostendat, nō fuisse in Christo tristitiam, & timorem. Sed vt probet, non infirmo, & inuito, ab aliquo potentiore malo fuisse inculsum.

Plane eodem tendit argumētum Caluini. Nec potest negari consequentia, vt facit Athanasius. Nonn. dicendum est, Deum correxisse, reuocasse, castigasse, quæ subito exciderunt, sicut dicimus per idiomatum communicationē, Deum mortuum esse, passum esse.

§. 4. Athanasius loco citato & Tert. contra Marcionem multis ostendere conantur, hominem, non deitatem esse passum, tum enim iam cœperant germina Theopaschitarum. Vide etiam Epiph. contra Arianos. & Bellar. l. 4. c. 8. & c. 5.

VERSVS 41.

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem, Spiritus quidem promptus caro autem infirma.

QVÆSTIO I.

Quomodo Spiritus promptus, caro infirma?

§. 1. POst orationē redit ad discipulos, & inuenit eos dormientes, Græcè ἐρχεται. & εὑρίσκει, in præsenti vtrumq;. Petrū præcipuè appellat, qui animose respōderat. Vigilantiæ eos admonet, ne intrent in tentationē, ne absorbeantur à tentatione vt peccent. Recte Amb. de parad. c. 4. Nullū nisi qui vigilaret, scitū esse debere demonstrat. Porro Spiritum promptū, carnem infirmam esse admonet. Duæ a. interpretationes adferuntur. Amb. in c. 8. Rom. Vt in Spiritu Deum, in carne vero hominem significaret, eodemmodo ante interpretatus est Athanasius. Syrus pro carne dixit בגרא *pagra, corpus.*

Hila-

Hilarius in Matt. Tertull. l. 7. ad vxorem c. 2. de carne Christi, Apostolorum sententiam, & nostram interpretantur. *Sed carnem legimus infirmam, & hinc nobis aduersamur impensius. Legimus tamen & Spiritum firmum. Nam in vno sensu vtrumq; positum est. Caro terrena materia est. Spiritus vero cœlestis. Cur ergo ad excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus: quæ vero fortiora non tuemur? Cur cœlestibus terrena non cedant? Si Spiritus carne fortior, quia & generosior, nostra culpæ infirmiora sectamur.*

Vbi spiritum promptum bene interpretatur firmũ, vt opponat carni infirmæ. sed tamen Apostolorũ magis promptus, quam firmus Spiritus fuit. Idem tamen Tertull. de fuga in persecutione. c. 8. de Christo interpretatur. *Professus itaq; se concupiscentia concupisse edere pascha, vt suum (indignum enim, vt quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, i. e. figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vanum res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis.*

Atq; ille sunt præcipuæ interpretationes. posteriorem præfero, quia de Apostolis loquitur. Nam qui de spiritu improborum & carne, vel de Satana sermonẽ esse aiunt mystice interpretantur. Ideo enim vigilias requirit, quia caro infirma est. Prosper. l. 2. de vocat. gent. c. 9. *Vbi si de vigilando, non etiam orando Apostolos admonuit, solas arbitrij liberi vires videretur hortatus, sed cum addit, & orantes, satis docet superni futurum muneris, vt etiam vigilantes, tentationis procella non vinceret.* Tandem cum mœrore & somno grauati iterum veniens eos excitauit, Marc. 4. 40. non tamen redarguit parcens verecundiæ, & imbecillitati. Donec Iuda appropinquante cum illis obuiam vadit.

VERSVS 47. 48. & 49.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladijs & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit illis signum, dicens: Quemcumq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo captus fuerit Dominus?

§. 1. ADhuc eo loquẽte, venit Iudas, cui Syrus semper proditoris Epitheton adiungit, vnus de duodecim proditor Domini sui: deinde testis eius innocentiæ. Turbam accepit de seruis principũ, & Tribunum cum cohorte, de forti præsidio erat prouisum, vt si fieret tumultus sub moueri populus posset. Fustes ξύλα noster vertit, possent, hastæ, lanceæ, pila videri, sed non dubium fustes maxime contra inermes vsurpatos, & noctu. Ex Luca constat principes sacerdotum, magistratus templi, & seniores simul egressos, quod magni odii, & sollicitudinis est signum.

Iudas osculo tradidit, non enim notus erat Romanis, paucis etiam aliis, nox erat, & timebant, ne arte se subduceret. Non videtur ex consuetudine osculatus, cum paulo ante digressus esset, sed quasi malo repentino attonitus, hoc symbolo constantiam amoris repræsentare voluisse. Aue Rabbi: Syrus שלם רבי *Schelam Rabbi. Pax magister mi.* Verbis pacem, re hostem trahit. Symbolum omnium in Ecclesia, qui plus dolo malo, quã hostes professi nocent. Respondet Dominus: *amice ad quid venisti?* Exprobratio facinoris est. Et addidit. *Iuda osculo filium hominis tradis?* Interim hoc Christus signum irritum reddidit. obuiam enim progressus quæsiuit: quem quæritis? vt est apud Ioannem. Post osculũ id contigisse apparet; nam Iudas stabat cũ illis. Iam enim cum videret Christum omnia nosse, aperte se hostibus iungit. Discipuli fugerunt, nec enim erant ad martyrium dispositi, Rup. 15. in Ioan.

VERSVS 51. & 52.

Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extẽdens manum exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium gladio peribunt.

QVÆSTIO I.

An Petrus vsu gladij peccarit?

§. 1. VAriæ sunt de facto Petri sententiæ. Multi illũ grauiter accusant. Alii culpam extenuant. Nonnulli penitus excusant, ac defendũt. Rationes in omnem partem se offerunt. Christus vero Petrum iubet gladium cõuertere in locum suum. Causa addita: *Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt.* κτολῶνται, quædã exemplaria ἀποθανοῦνται *morientur.* Gladium hic Syrus vocat סמרא saphtha, nõnulli spatham putant, quæ tamen per ט T. non ת. Th. scribitur. Deinde dubia est lectio, nam v. 72. dicitur סמרא Saphira. & postea סימא Sipha. Gladii fuerũt duo in familia Domini. Luc. 22. 26. D. Chrysost. *Propter cœnam, & agnum mactandum fuisse existimat.* Alii in comitatu Christi fuisse semper aliquos enses, ad aliquam sui defensionem, bestias abigendas. Mihi Christus ad exemplum suorũ videtur gladios suis permisisse, ne illis auxiliis in perpetuum clericos spoliatos esse putaremus. Petrum enim gladio accinctum & in itinere, & in secessu secum habuit, vt minus mirentur hæretici, dum clericos vel ense accinctos, vel armatis comitatos aspiciunt. *Cur gladios habuerunt.*

§. 2. Petri error in eo versari putatur, quod priuata auctoritate contra magistratũ arma mouit. Hoc enim Christus indicare videtur, dũ ait, qui acceperint gladium, priuata vindicta, gladio peribũt. Perituri dicũtur, qui interitum sunt meriti. Nõ enim licuit priuato contra magistratũ etiam innocentem descẽdere. Atq; hæc præcipue Petro aduersantur. Alii stultissimè egisse Petrum asserunt, qui temerè tantam turbã in se suosq; cõcitarit. Verum animos dabat præsentia Christi; deinde amor euentus non semper prospicit. Animos dabat etiam casus hostium, quos vna voce prostratos videbat, & sonitum super arma dedisse. Hier. in Matth. 14. Petrum ait errare in sensu, non tamen in affectu. *Cur animosus Petrus.*

Contra Petrum igitur sunt illæ rationes. Christus iubet recondere gladium; nam qui acceperint, peribunt, h. e. digni sunt qui pereant; non enim de facto, sed de iure Christus loquitur. Non enim iniusti gladiorum vsurpatores omnes gladio pereunt. Augustin. l. 22. contra Faustum c. 70. *Cur Petri factũ damnetur.*

Ratio illa fundamentum est eorum, qui Petri factũ condemnant. Mihi tamen in promptu est solutio. Videlicet Christum non indicare Petro eum peccasse.

Sed

Sed periculi imminentis admonere. Tu inquit, gladio rem geris. An ignoras ergo legem Romanorum, qua

Lex Romana. sancitur capitali pœna apparitorum, & magistratuum auctoritas; vt sine vlla spe veniæ moriatur, si quis gladium in ministros magistratus strinxerit? nec eo in casu de iure quæritur, sed factũ continuo punitur. de legibus vero illis multa passim occurrunt, & lege maiestatis totum hoc cõtinetur. Nã etiam si de iure loquamur; opus est restrictione aliqua: Sicut omnes necessario faciunt, qui vero eam negligunt in hæresin Tertulliani impingunt. Illel. de Idol. c. 19. *Quomodo autem*

Non licitũ bellare. *bellabit, imo quomodo etiam in pace militabit sine gladio, quẽ Dominus abstulit? Nam & si adierãt milites ad Ioannẽ, & formam obseruationis acceperant, si etiam centurio crediderat omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit. nullus habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus.* Et l. de corona militis c. 11. *Gladium nec Dominica defensioni necessarium reddidit.* Hinc omnium eorum qui Petrũ peccasse aiunt est sententia, eum ideo reprehendi, quod priuata auctoritate gladium acceperit. Ideo gladio periturum. Simplex mihi sententia videtur. Qui gladium cõtra Romanos, & magistratus templi acceperint, se tueri non poterunt, fortiori succumbent inferiores. Si enim sensus est, quem auctores illi asserunt, iure morietur, aut morte dignus est, duram admodũ in Petrum sententiam pronunciat, nempe iam morte dignus es. dignus quocum lege agatur. At Petrus eo modo non est interpretatus, nec pro illo scelere magnopere videtur doluisse. Fuisset autem graue, & morte piandum, si horum est vera sententia.

§. 3. Grauius etiam vrgent: Non ignorabat Christi voluntatem, nam Matt. 16. increpitus est: & iam toties de passione audierat. Itaque defensione ista scripturarum prædictiones conabatur inanes reddere.

Respondeo. Non considerasse ista Petrum, sed in præsenti necessitate nebulones illos arcere voluisse. Cætera Deo permisit, poterat scriptura impleri, etiãsi illos disiecisset: & eum qui primus petulãter manus in Dominum iniecit, obtrũcasset. Alioqui si prophetiarum causa huc in auxilium vocetur, nimium efficiet;

Non conatus est prophetias inanes reddere. Nempe Iudæ proditori suadere non licuisse, si quis eius propositum nouisset, vt cœpto desisteret, ne scripturarum prædictiones redderet inanes. Poterant illę alio tempore & modo impleri. Poterat vnius aut alterius peccatum impediri, etsi non omnium.

§. 4. Non egebat illo auxilio Christus, erat enim συνίνη ἀπλῆ, ficulnum auxilium, vt Christus ipse profitetur.

Respondeo. Non egebat illis manibus Christus, non ideo tamen peccabat ardentissima fides Petri, dũ quod in se esse videt, præstare conatur. Fieri potest, vt prudentiæ defectus, sine peccato tamen fuerit. Nec adeo temeraria fuit aggressio, vt initio dixi, putabat enim Domino adiuuante se suosque vincere posse cohortem, & Iudæos.

At non exspectauit imperium. Lentus enim miles non erat; potestatem cædendi petiuit: & Domini silẽtium

Imperium non exspectauit merito. interpretatus est consensum. Luc. 22. 48. Nam ver. 38. cum iussi essent emere gladium, respondent adesse duos; itaq; mandatum vsu gladii existimabat. cũ hostis ergo irrueret, Petrus qui non frustra Dominum de gladio monuisse arbitrabatur, qui gladiatum se proxime suo lateri iunxerat, cum vetari gladiorum vsum nõ audiret, putauit pro Domino periculum clamare: nec vocem iubentis exspectandam, cuius spectaret calamitatem. Habere gladios Dominus iusserat, parato ad ictum, & quærenti nil respondit. Hoc igitur argumentũ, pro Petro potius facit; Si enim Petrus anceps qd ageret, percuteretne in gladio, an quiesceret, grauiter peccaturus fuisset, vt etiam capitali pœna dignus efficeretur, eum Dominus rogantem instruxisset, dixisseq; ne feceris. Facinus est, quod meditaris. Cur enim anxium, & dubitantem non reuocat à peccato, quod iam iamque admittendum videbat?

At Christum maiori exposuit periculo, vt causam aliquam apparentem Iudæi haberent.

Respondeo. Accusatione ista Iudæos nõ vsos. Nec tamen omissuros fuisse, si quid ad rem feciisset, præsertim apud Romanos quorum erant seuerissimæ leges, si quis impediret, ne quis vinciretur, lictori manum intulisset. Quin etiam qui effracto carcere fugissent, etsi alioqui innocentes essent, puniebantur.

Deniq; summa accusationis est; *non licere defendi innocentem contra magistratum, non ledere ministros.*

§. 5. Æquà illa videtur, & necessaria Reipub. lex. Mihi Sed apud Iurisconsultos tamen, & Theologos de illa multa disputantur, vt quamuis ea omni modo vera esset, ignoratione tamen inculpabili Petrus transgredi potuit, vt putaret innocentiæ esse eam prærogatiuam, vt contra latrocinãtis magistratus iniurias etiam à priuato asseri posset. Illa enim ignorantia in homine piscatore, & qui erat sine literis mira videri nobis non debet. Deinde sacerdotes & magistratus Iudæorum potestatem politicam non habebãt, itaq; quod in eorum ministros committebatur, sic accipi non debuit, quasi illo legitimus magistratus, & ministri offenderentur. Rempublicam enim Iudæi amiserãt, sacerdotibus & Pharisæis nullum erat in alios ordinarium ius. Itaq; odio, vindictæq; studio militi se Romano iungebant, & serui & principes; neq; enim sacramentum præsidi dixerunt, vt legitimi, & sacrosanctæ potestatis essent apparitores, sed quasi scurræ, & vagi grassatores, sese sine auctoritate publica negocio miscuerunt: inter eos Malchum ferocius irruentem Petrus reprimẽdum putauit. Non igitur in publicam potestatem deliquit Petrus: sed priuãti impetum repulit, quiex eo quod sese proterue militibus Romanis socium adiunxit, nihil iuris acquisiuit: Erat enim famulus Pontificis, h. e. hostis, accusatoris, calumniatoris, cuius vt nullæ in capiendo, ita nec in custodiendo, examinandoq; erant partes. Imo rem totam reddebant, si leges Romanas spectes, irritam. Hostium in reo capiendo, & vexando malitia ipsis præiudicare debuit, non Petro. Deniq; Romanorũ imperium à plerisq; pro legitimo non agnoscebatur, & pro tyrãnico habebatur, qua in sententia etiam esse Petrum, mirum videri non debet.

§. 6. Caput tamen rei erat Christi Domini, & veri Dei regis libertas. Eum pro rege agnoscere omes oportebat, illi seruire, illum obseruare. Et quamuis in regnũ eius non esset de hoc mundo, non tamen huic mũdo erat in illum iurisdictio. Hoc Petrus sciebat, & Pharisæi scire tenebantur, Quanquã Petrus etiam regem in hoc mundo potentẽ fore arbitrabatur. Cũ ergo Christum liberum esse à tributo didicisset, cum omnia esse in eius potestate non dubitaret, recte iudicabit, nullã magistratus in illum esse potestatem, qua minima res domino imperaretur. Non igitur in legem maiestatis commisit, sed improbi seruuli Dominũ maiestate offenderũt, potestate abusi, Petro regis æterni ministro vltionis ansam dederũt. Quemadmodum igitur licetum est innocentem defendere contra magistratũ, cuius à sceptro defensor & defendendus liber est: ita & Christum defendere contra alienorum iniuriam laudabile fuit. Hinc Cyrill. l. 11. in Ioan. c. 13. *Petrus gladium habuit, quia secundum se gladio defendere licebat. Vnde imitio Petri, qui gladium aduersus hostes accepit, à mandato legis nõ fuit aliena.* Motum autẽ eiusmodi Christum docet repressisse, quamuis secundum legem fuerit, quia à perfecta virtute longe aberat. S. Ambr. in Luc. 22. etiã factum commendat. *Petrum in lege eruditũ promptum affectum, qui sciret Phinees reputatũ ad iustitiam, quod sacrilegos peremisset, percussit seruum.* Aug. in qq. Vet. & N. T. q. 104.

Petrum

Petrum negat iniuste plagam intulisse: quia significatur in Lucâ Domino permittente fecisse. Dictum autem illi. *Qui accipit gladium, gladio peribit. Ne iterũ percuteret.* Quod putat à Luca insinuari permittente Domino factum, id mihi admodum probabile videtur. Nam reuera videtur Dominus studio non respondisse, donec factum esset vulnus. Ita habet Lucas v. 49. 50. 51. *Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum est, dixerunt ei. Domine si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.*

V. 51. Respondet ad quæstionẽ propositam. ἐᾶτε ἕως τούτου. *Sinite vsq; huc,* Syrus בְּרִי satis est, seu *sufficit vsq; huc,* quod significare potest: finite eos huc vsq; ad captiuitatem procedere. Vel finite vestram vindictam vsque huc ad vulnus procedere: de cætero abstinete. ascribã Ambrosii locum in Luc. 22. multa enim vtilia in hac explicatione continet. *O amentes ô perfidi! non sic comprehenditur sapientia, non sic tenetur iustitia. Nec discipulorũ fides defuerit. Vnde Petrus eruditus in lege promptus affectu, qui sinit Phinee repudiatum ad iustitiam, quod sacrilego sperniset percussit principis seruum. Sed Dominus vulnera cruenta deterst, mysteria diuina subiecit, vt seruus principis mundi, h. e. nõ naturæ cõditione, sed culpæ secularium famulus potestatũ, auris sua vulnus exciperet, quia nõ audisset verba sapientiæ. Omnis denig; qui facit peccatum seruus est Peccati. Peccatis inquit vestris venditi estis. Vẽditio propter peccata nostra. propter bonitatem autẽ Dei redemptio peccatorum. Aut si Petrus volens percussit aurẽ docuit, quod aurem habere in specie non deberẽt, quam in mysterio non habebant. Sed bonus Dominus & ipsi resundit auditum. Secundum prophetica dicta, demonstrans, & ipsos fi conuertantur posse sanari, qui in Passione Domini vulnerati sunt, eo quod omne peccatum fidei mysteriis abluatur. Tollit ergo Petrus aurẽ. Quare Petrus? quia ipse est, qui accepit claues regni cælorum. Ille enim condemnat, qui & absoluit, quoniam idem & ligandi & absoluendi adeptus est potestatẽ. Tollit aurem male audientis, tollit autem gladio spirituali aurem interiorem male intelligentis. Caueamus ne cui tollatur auricula. Legitur passio Domini, si ad diuinitatem eius referimus infirmitatem corporeæ passionis, exciditur auricula, & excidituir à Petro, qui nõ passus est Petrum prophetam æstimari, Sed Dei filium docuit fideli confessione signari. Ergo cum legimus teneri Iesum, caueamus ne ab aliquo audiamus, & putemus eum secundum diuinitatem teneri inuitum, teneri quasi infirmum. Tenetur quidem, & vt dixit Ioannes ligatur secundum corpoream veritatem. Sed væ illis qui ligant verbum. Ligant autem qui tantummodo Christum hominem putant, ligant, qui præscium non putant, qui omnipotentem non confitentur. Mala vincula Iudæorum, quibus non Christum ligant, sed seipsos alligant. Ligatur autem in domo non pij alicuius, & iusti, sed in domo Caiphæ, h. e. in impia domo vbi etiam moriturus pro omnibus prophetatur. Quam amentes igitur, qui beneficia diuina confitentur, & beneficiorum autorem persequuntur. Ideo autem perdunt, quia perdiderunt auditus profectum.*

VERSVS 53.

An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum.

QVÆSTIO I.

An Deus potuerit dare Christo plusquam duodecim legiones Angelorum?

§. 1. DVodecim Apostolis comparat duodecim Legiones, & quidem Angelorum, quo ostendat, nõ esse sibi necessariam defensionem hominum pauculorum, inexercitatorum. Sic Elisæo 4. Reg. 6. 17. currus igneiapparent, sic 4. Reg. 19. 35. Angelus occidit 18000. assyriorum. de numero legionari militis variant interpretes; merito: nam & ipsæ legiones non eodem semper numero fuerunt. Syrus nomen vsitatum retinuit לגיונין *legionin* appellat. Tantum exercitum assistere mihi iubebit. παραστήσει *sistet.* *Legiones.*

De legionibus mentionem non facerem, nisi etiam post Iusti Lipsii militiam Romanam viderem quosdam interpretes, & concionatores decipi, idq; etiam ex doctissimo alioqui interprete Francisco Luca. *Dictionũ,* inquit, *Latinæ vsus est etiam Græce & Syriace: nec dubium quin Saluator ipse ea sit vsus vtpote tunc temporis vulgari Romanis Iudeæ dominantibus, eamq; præsidiis militum continentibus. Est enim legio nomen militare, significans exercitum sex millium, vt minimum; vt summum quingẽtorum & duodecim millium militum. Variant enim autores. Legio cohortes decem, cohors quinquaginta manipulos, manipulus viginti quinque milites continuisse docetur, qui omnes simul faciant duodecies mille quingentos. Transfert hoc nomen Iesus ad Angelos, iuxta S Scripturæ morem quæ vbiq; passim, militia, virtutum, exercituum angelicorum meminit: atq; hinc Deum vocat Dominum, virtutum seu exercituum, i. e. Sabaoth, quod semper præsto habeat angelicos exercitus, quos emittat ad debellandum, & subiugandum rebelles omnes, tum damones, tũ homines faciendumq; omnem volũtatem suam. Duodecim legiones Angelorum sint centum & quinquaginta millia angelorũ: plusquam duodecim autem Angelorum legiones, nominans Iesus, significat infinitam esse Angelorum multitudinem iuxta id quod Daniel scribit cap. 7. v. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Largiter errat, vt cui talia minus curæ fuerunt. Nũquam legio duodenum millium fuit: & si esset inhabilis esset acies, nõ sat multis magistratibus instructa. Romulus trium millium legionem fecit, ex tribubus singula millia seligens. Iũctis Tatio, & Sabinis senum millium fecit peditum, equitum sexcẽtorum. ita Varro, Dionys. Plutarc. apud Lips. l. 2. de militia Romana. Dialog. 5. Hostilius mutauit, & minores legiones fecisse videtur; nam statim eiectis regibus fuerũt quaternum millium. Flor. l. 1. c. 4. de Hostilii mutatione mentionem habet. De quaternis millibus Dionys. l. 6. Liu. 9. l. 6. & 8. dec. 1. Annibalis tempore fuere lectæ, quinum millium. Luc. l 22. Scipio in Africam traiecturus sena millia pedites & sexcentos legit. Equites trecentos. Liu. l. 30. Idem l. 42. in Macedoniam missas legiones habuisse sena millia peditũ, equites trecentos. Festus summum numerũ 6200. peditũ Mario auctori tribuit, id Lipsius refutat. Fuisse Augusti æuo quaterna millia videntur. Sed tamẽ magnam in his varietatem fuisse ipse Polybius indicat. Διαιρέσει δὲ αὐτὰς τὸν τρόπον τοῦτον, *Diuidunt vero eos illo modo.* & paulo post. ἐὰν δὲ πλείους τῶν τετρακισχιλίων ὦσιν, μὴ λόγον ποιεῖσθαι τὴν διαίρεσιν, πλὴν τῶν τελείων. τέτταρες ἀεὶ τέσσαρες; Quod si plures quatuor millibus sunt, pro rata diuidunt. exceptis triariis quos habent semper numero eodem. Indicat igitur sæpe plures fuisse, sed nullo exemplo docetur excessisse numerum senum millium, ducentorum peditum, trecentorum equitum. Hæc de numero legionum integrarum, cum vel primum lectæ, vel supplemento redintegratæ sunt. Nam itineribus, pugnis, fame, morbis atterebantur. Cæsar l. 5. Belli Gallici, duabus in legionibus vix septem hominum millia fuisse scribit, & legionem sextam minus mille hominum habuisse. Si igitur summum numerum legionum amplectamur, duodecim legiones efficient septuaginta septem millia militum, quadringentos, in illum numerum etiam coniectis equitibus.

§. 2. Docet ille locus contra Wicleffum Deum liberi arbitrii esse. Si enim rogare vellet Christus Deus exhiberet. Vide Bell. l. 3. c. 16. de gratia, & libero arbitrio. Nec quicquã ad rem facit argumẽtum Wicleffi, qui Deum facere potuisse dicit, vt Angeli assisterent. *Liberũ arbitrium.*

Non vt contra inimicos adiuuarent; nam Christus de auxilio Angelorum loquitur, non sola præsentiâ, quæ non erat futura vtilis, si ociosi spectatores cruciatibus Domini interessent: Sensus enim est, tua manu, tuo gladio nõ egeo, illa præsidia nulla sunt, si defendi vellem rogare possum, & impetrabo plusquã duodecim millia Angelorũ pro mea incolumitate decertãtium.

Necdum tamen soluta est difficultas. Rogarat Dominus, nec impetrauit vt calix transiret, Dei enim voluntas erat vt illum biberet, & Scripturæ implerẽtur. Non ergo impetrare poterat legiones cœlestes, quarum ope manibus inimicorum eriperetur.

Respondendum est in precatione humanæ naturæ naturale desiderium mortem fugientis ostensum, & omnia diuinæ voluntati permissa esse. Ideo non absolutam fuisse petitionem, sed conditionatam, si pater ita vellet. Si oratio Christi absoluta fuisset, etiam trãslatus esset calix; eaq; fuisset voluntas patris. Posita autem Dei voluntate, non erat rogaturus: nec vero rogauit. Itaque perinde est, ac si dicat: Si me Deus contra inimicorum insultus armis, & viribus tutum esse voluisset, legiones Angelorum addidisset, non inermium hominum imbecillitate circumdedisset. De libero Dei arbitrio vide Molinam disp. 4. in 1. partem. & Soarez. Ocami periculosa sententia fuit, Deum in ipso actu liberum non fuisse. Libere creauit mundum, & tamen ab æterno creare decreuit.

Scriptura implenda.

Ratio cur subsidium non petat, v. 54. redditur. Quia Scripturæ implendæ sunt, & *sic oportet fieri*; Posita illa hominum malitia, quæ ideo non est, quia scriptura prædixit, sed quia ipsi mali futuri erant, ideo fore Scriptura prædixit, vt notauit Euthymius. Cur autẽ Scripturæ prædixerint, monet Tert. contra Iudæos c. 10. *Quæ quidem omnia ista perpessus non pro actu suo aliquo malo passus est. Sed vt Scripturæ implerentur de ore prophetarum. Et vtiq; sacramentum Passionis ipsius figurari in prædicationib. oportuerat: quanto q; incredibile, tanto magis scandalum futurum si nudè prædicaretur: quantoque magnificum, tantò magis obumbrandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret.*

Hoc audito illi Dominum cœperunt, discipuli fugerunt, Christus tamen illis exprobrat, quos tanquam ad latronem, ὡς ἐπὶ λῃστὴν quasi contra latronem exierint. Syrus vocat גיסא gaiasa, *sicarium*, an inde γαῖσα teli genus.

VERSVS 57.

At illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & Pharisæi conuenerãt.

QVÆSTIO I.

Quo primum Dominus est deductus?

§. 1. IOannes c. 18. 24. ad Annam ait esse ductum primum, qui socer fuerit Caiphæ, *qui erat Pontifex anni illius.* de Annæ & Caiphæ Pontificatu non minima est inter auctores disceptatio. Multi alternis annis fuisse putãt sacerdotem summum Annam & Caipham. alii Caipham fuisse sacerdotem summum, sed Annam præfectum Synedreo, ita Baronius in anno 34. Constat Annam magna auctoritate fuisse, & dictos ἀρχιερεῖς, non modo qui esset summus Pontifex, sed qui fuisset, adeoq; principes familiarum sacerdotalium. Verum de his alio loco actum est. Hoc loco notandum de Anna reliquos Euangelistas tacere, vix enim quicquã ibi actũ est, nisi quod honoris causa, & ꝙ domus illius in itinere occurreret captiuũ præsentarunt; nam dũ concilium cogeretur; sat tẽporis erat.

Annas & Caiphas ἀρχιερεῖς.

Hoc in Ioanne notandum; quæ à versu 15. ad 24. narrantur contigisse domi Caiphæ, non Annæ quamuis versu 24. legatur. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Hoc enim est intelligendum, non vt miserit post illa quæ narrauit: Sed quod aut. a. itaque aoristus ἀπέστειλεν per plusquamperfectum exponendus est. Et recte quidem, per parenthesin collocabitur v. 24. Quia enim dixerat Iesum ductum ad Caipham, & prosecutus narrationem fuerat; ne quis deceptus putaret in Annæ ædibus illa contigisse, admonet, illum fuisse missum ad Caipham, dum illa, quæ narrat contigerunt. Apocryphum est quod apud Clement. l. 5. constitut. Apostolic. legitur c. 16. primum ductum ad Caipham, deinde ad Annam. Contrarium enim est in Euangelio: quamuis aliqua interpretatione clemens excusari possit, Origenes tamẽ tract. 35. in Matt. Cyrill. l. 12. in Io. cæteriq; interpretes: Itaq; in Caiphæ ædib. omnia illa Christus passus est, & Petrus negauit.

§. 2. Adducunt autem falsos testes ἀρχιερεῖς, & *omne concilium*, in Græco additur. καὶ ὁ πᾶς συνέδριον. & presbyteri, quærebant autem falsa, veris destrui, & talia, quæ Pilato culpam habere viderentur. Non inuenichant, quæ cohærerent; nam de Sabbato, de cibis, de lotione manuum, etiam à Saducæis ridebantur, & Pilatus pro nugis habiturus erat. Tandem adfertur testimonium de templo destruendo, quorum apud Pilatũ vsi non sunt, dixerat Dominus Io. 2. 19. *Soluite templum hoc, &c.* Non inde tamẽ iudicari potuit reus mortis, cũ multo maiora miracula edidisset.

Cum igitur testimonia falsa se mutuo elederent, Pontifex responsum postulat, vt ex eius sermone occasionem calumniæ caperet. Christus tacet, non ignorans locum non esse iustitiæ inter infestos, scienter omnia ad calumnias trahenda. Donec surgens Pontifex adiuratum interrogat; an sit Christus, filius ille Dei? υἱὸς τοῦ θεοῦ.

VERSVS 64.

Dicit illi Iesus: Tu dixisti: verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.

QVÆSTIO I.

Quomodo se Christus dicat filium Dei?

§. 1. CHristus, vt Deo honorem habeat, adiuratus, breuiter ac planè respondet: quasi Deo non quasi hominibus tantum. *Tu dixisti*, inquit, & apud Marcũ 14. 66. *Ego sum.* Lucas pluribus recensit: Primũ Caiphas, deinde cæteri interrogarunt. Nec contentus est simplice affirmatione, sed maiestatẽ suam tanquã eorum Dominus asserit, iudicem eorum se fore minatur. *Nõ creditis*, inquit, at videbitis, & inuiti agnoscetis.

Insignis est locus de Christi diuinitate: non n. quærebant, an esset filius Dei, qualẽ postea Ariani fecerũt, sed an Dei filius naturalis? an Deus? atq; ad hãc quæstionem adiuratus respondet, esse se eum, quem dicerent. Nulla a. blasphemia erat; si Dei filium se dicere adoptione, vti principes, & fideles vocãtur filii Dei. ita S. Athanasius de incar. verbi. ἡμεῖς γὰρ ἀφ' ἑαυτῶν οὐδὲν συγγενὲς θεολόγων διδασκάλων. οἱ καὶ μαθόντες τὸ χρεὼν θεότητι γεγόνασι μαθηταὶ, μεταδιδόμεν, καὶ τῆς φιλομαθείας γνώσης ἣν καὶ τὸ δουλεύειν αὖτε πάλιν ἐπεσπάσατο ἔνδοξον καὶ θείαν ἀληθῶς ἐπιφάνειαν, ὅτε ἐκεῖ μὲν ὑπελείφθη ἀλλ' ἐντῇ ἰδίᾳ δόξῃ ὅτε ἐκεῖ μὴ ταπεινότητι, ἀλλ' ἐν τῇ ἰδίᾳ δόξῃ, ὅτε ἐκεῖ μὴ ταπεινότητι, ἀλλ' ἐν τῇ ἰδίᾳ μεγαλειότητι, ὅτε ἐκεῖ ὑπαθεῖν, ἀλλὰ λοιπὸν ἐξ ἰδίας φύσεως τὸν παρὸν ἀπόδυναι πάθων ἔχεσθαι. Nos autem ista hausimus à magistris diuinitatis afflatis, qui eos libros euoluerant, & sese diuinitatis Christi mart.

martyres, testesq; exhibuerant, quæ nos tuæ sedulitati tradenda existimauimus. Simul te latere nolim, alterum eius aduentum, illustrem & diuinum, non humilitate contemptibilem, sed gloria magnificum, in exspectatione esse atq; imminere, cũ non vt patiatur redituru sit, sed vt fructus suæ crucis omnib. retribuat.

Et Chrys. de consubstantiali. Amb. l. 2. de Spiritu S. c. 1. Et illi quidem Arianos, Eutychianos, Nestorianos refutarunt: quorum primi Deum negabant. alii naturas confundebant, alii personas separabant. Et tamen veterum hæreticorũ vestigiis insistũt etiam hodierni. Nam cum ad rem ventum est incarnationem, & communicationem idiomatum, non tam hypostasi, quam dotib. humanæ naturę definiunt. Beza in Creophagiâ, *maiestatẽ humanæ naturæ in Christo, dotes glorioſi corporis* appellat. Sic Calu. vlt. admon. ad Westphal. E contrario Lutherani, dum Christi humanitati omnia attributa Dei physice tribuunt, naturam ipsam tollunt. Non n. natura humana est, q̃ omnipotens, omniscia, immẽsa, æterna est. Sin. vnum Dei attributũ essentiale humanitati tribuant, omnia necesse est, vt eidem cõcedant.

VERSVS 65.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam.

QVÆSTIO I.

Quomodo damnatus ad mortem est Dominus?

§. 1. A Vdito responso Caiphas vestimenta scindit, contestatus abominari se blasphemiam. interim inscius sacerdotium vetus abrupit. In blasphemia, aut magno luctu vestimenta scindebant. Gen. 37. 34. Iosuæ. 7. 6. 4. Reg. 19. 1. Ier. 36. 24. Act. 14. 13. 1. Reg. 15. 28. 3. Reg. 11. 30. Accusant tamen Caipham, quod id sacerdoti summo non licuerit, ita Leo. serm. 6. de Passione Domini.

Præceptum Domini est Leuitici 10. 6. & Leu. 21. 10. Primo loco de omnibus sacerdotibus agit, posteriore de summo sacerdote. Quidam interpretantur, de non scindendis vestib. super mortuo. Verum scriptura absolutè loquitur, non de luctu tantum, verumtamẽ restringendũ videtur ad tempus, quo ingrediebatur tabernaculum; nam de capite non nudando, de vino non bibendo, de non egrediendo de tabernaculo, eo pertinere videntur, siue autem id licitũ fuerit, siue illicitum, insigni hypocrisi zelum gloriæ diuinæ homo profanus obtendit, & odio tegendo pietatẽ ostentat. Simulq; ad principis exemplũ totum concilium hypocritarum. Quos & interrogat, quid vobis videtur? Syrus: *quid vultis?* Omnes respondent, non examinata causa, Reus est mortis.

§. 2. Pronunciatâ sententiâ certatim crudelitate leuiunt custodes, & ministri, tũ vt Domino noceant, tum vt adulatione affectũ imperantibus approbent. Contumeliis autem sæuitiaq; ex æquo innocentẽ vexant. Primo exspuunt in faciem eius, ἐνέπτυσαν, quod insignis contumeliæ est indicium, summoq; inter Iudæos probro. Nu. 12. 14. Deu. 25. 9. Perinde enim est ac si honoratissimã hominis partem pro sentina, ac cloaca habeat. Verũ & ad hæc ferẽda nobis exemplo præiuit, & tam improbe oscitantes ne verbo quidem lęsit. Ludibrio adiiciuntur verba ἐκολάφισαν *pugnis cæciderunt*, quod præter contumeliam dolores infert. Ita 1. Cor. 4. 11. Colaphis cæduntur Apostoli, & 1. Petri 2. 20. Christiani colophizati sufferunt. Est in eo verberum genere etiam exprobratio stultitiæ, & linguæ incõsultæ. Ita Prou. 10. 8. *stultus cæditur labijs.* ואויל שפתים ילהט & stultus labii præcipitabitur, ruet, pœnas dabit improbæ loquacitatis. Septuaginta vertunt. ἄσεγε χείλεσι σκολίαζων ὑποσκελισθήσεται. vbi dicitur ἄσεγε, qui tegere labia, & continere nõ potest, ne digito quidem cõpescere: & quod idem est χείλεσι σκολίαζων obliquus, iniustus labiis, quare & minister quasi indecorè contra Pontificẽ locutum iam ante alapa cęciderat.

§. 3. Pugnis adiiciuntur palmæ. *Palmas in faciem dederunt.* In Syro est מרחין *percutientes*, modum enim percussionis non indicant. Græcũ ἐῤῥάπισαν, alii vertunt, palmis, alii crepidis, alii bacillis cecederunt. Præter modum autem & iustitiam sæuiunt, cum necdũ mortis, aut contumeliæ genus fuerit à iudice decretũ: apparet igitur impios ministros sibi & Dominis vindictã illam præstitisse. Lucas, cum dixissent: *Illusisse ei, cadẽtes,* δέροντες. addit; obuoluisse, & in faciem percussisse, itaq; ῥαπίζειν est in faciem percutere, quod hic vertit noster: *palmas in faciem dederunt:* ita enim fieri solet, vt alapis, non bacillis facies cædatur. Itaq; ῥαπίζειν Græci interpretantur alapis cædere, & in Epigram. 51. Matth. ῥάπισμα est alapa. Phryn. ait: ἐπὶ κόρης πατταλεῖον, *in genas cadere.* Et Nazianz. τοῖς ἐπὶ κόρης ῥαπίσμασι *alapis in facie acceptis.* Quia vero Propheta habebatur, in eo ipsum acerbe exagitant, petuntque vt qui templi interitum prædixerit, de suo iam percussore propheret: quemadmodum Tiberius tempore pene eodem cum Mathematico egerat: de quo Suet. in Tiberio. *Palmæ.*

VERSVS 69. & sequentes.

Petrus vero sedebat foris in atrio: & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnib. dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erãt ibi: Et hic erat, &c.

QVÆSTIO I.

Quo ordine & modo Christum Petrus negauit?

§. 1. TRes Euangelistæ omnino conueniunt. Matt. *Quia hac nocte, antequã gallus cãtet, ter me negabis.* Luc. 22. 34. *Non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me.*

Ioannes 13. 38. *Non cantabit Gallus, donec ter me neges.*

Marcus 14. 31. discrepare videtur. *Priusquam Gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.*

Vti cæteri intelligendi videntur de omni Galli cantu, Marcus de secundo. Vt autem concilientur; vel dicendum est Marcum, non negare ante primum Galli cantum ter negasse, sed Petri confidentiæ Dominum opposuisse id quod futurum erat, & minus dixisse, quã futurum erat: idq; propter numerorum iunctorum elegantem oppositionem. Nam cantabit Gallus bis, cum me ter es negaturus, quod verum est, etsi ne semel quidem cecinerit. *Consensus Euangelistarum.*

Falsa tamen illa est interpretatio. Nam statim post primam negationem, cum Petrus esset in atrio Gallus cecinit prima vice & Petrus audiuit, sed non est recordatus verborum Christi Domini, sollicitudine, & metu animum aliò distrahente. Vel dicendum, in aliis Euangelistis subaudiri, quod Marcus expressit. Hoc insuper statuendum, de cantu matutino: seu Gallicinio proprie dicto esse sermonem. Hæc non modo vera est, sed etiam communi loquẽtium vsu trita loquẽdi formula, vt cum Galli cantu tempus distinguimus, de secundo agamus. Ita Marci 13. 35. γρηγορεῖτε οὖν, οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ὀψὲ, ἢ μεσονυκτίου, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ. vbi tempus diuidit in quatuor

tuor partes, quarum tertiam vocat gallicinium. Nam etsi media nocte canere solent, non tamen id semper fit, nec illud tempus est, quo ad opera homines vocat & labores. Itaq; cum absolute gallicinium de matutino intelligendum est. Syri vocant מיקרא תר גגלא *cantum* seu potus, *vocationem galli*, mediam noctē, appellant diuisionem noctis. Inde vero etiam dicitur ἀλέκτωρ ἀπὸ τοῦ ἐγείρειν ἀπὸ τῆς λεκτρᾶς, quod è lecto excitet. Hoc etiam Gallicinium Plinius l. 10. c. 21. agnoscit. *Proximè gloriam sentiunt, & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendo somno natura gerunt. Norunt sidera, & ternas distinguit horas interdiu cantus. cum sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigiliâ ad curas laboremq; reuocant. nec solis ortum incautis patiuntur obrepere.* Vesperi aliquando canunt, sed id insolitum. Plinius. *Habent ostenta & præproperi, (alij præpostèri) eorum vespertinique cantus.* Itaq; Euangelistæ satis habuerunt, vti communissimo loquendi modo, quo secundus cantus intelligitur. Quin etiam prouerbium apud Græcos est de laboriosis, & antelucanas operas obeuntibus.

Diemque venientem nunciant cantu.

Πρὶν ἢ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγξατο.
Priusquam secundo Gallus cantet.

Veteres diem à noctis medio naturalem, vti & nos inchoabant: tempus insequens, nempe quod est horæ nostræ tertiæ Gallicinium appellabant, quod inde ad auroram, conticinium. Aurora illucescente, diluculū, plena orta iam luce, mane. Huius meminit cantus Aristothanes in concionatricibus. πόθεν;

οὐ δ' εἰ μὰ Δί' ἦλθες, ὅτι τὸ δεύτερον
Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγξατο;

Vnde? Non si per Iouem eo venisses tempore, quo Gallus secundo cecinit. Et iuuen. *Quod tamen ad Galli cantum facit ille secundum, Proximus ante diem caupo sciet.* Ex his igitur constat, quæ sit Euangelistarum trium sententia. Petrum nēpe ter negasse ante Gallicinium ordinarium, quodq; ita vocari solitum erat, Marcum expresse id tempus denotasse. De tempore igitur constat, de domo etiam constat; nam in ædibus Caiphæ non Annæ ter negauit. Si enim in Annæ ædibus deprehensum se sensisset, non esset domum Caiphæ ingressus.

§. 2. Ordo negationis ille fuit. Matthæus ait. *Primo ancillam dixisse, & tu cum Iesu Galilæo eras.* Cui respondit. *Nescio quid dicis.* Marcus 14. 66. ait, *fuisse vnā ex ancillis summi sacerdotis, cum esset in aulâ deorsum*, & Petro se calefacienti dixisse. *Et tu cum Iesu Nazareno eras*, cui respōdit. *Neq; scio, neq; noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium, & Gallus cantauit.* Apud Lucam: *& hic cum illo erat.* cui Petrus: *Mulier non noui illum.* Ioannes 18. 17. *Vocat ancillam ostiariam, quæ primo interrogauit. Nūquid & tu ex discipulis es hominis istius?* dicit ille: *non sum.* Omnia illa dicta, & acta sunt. Prius rogauit, illo negante, affirmauit illa.

Altera negatio contigit, Petro exeunte ianuam, εἰς τὸν πυλῶνα, in atrium, nempe subduale, paulatim enim subducere se cogitabat. Cum ergo in attio esset, iterum *negauit cum iuramento. Quia non noui hominem.* Lucas factum in atrio iudicat, sed cum exierit, ancilla accusare cœpit, ille negauit; & durauit etiam contentio in ipso attio. Lucas v. 58. non dissentit, cum ait *alius eum videns.* Nam ancilla cœpit dicere circumstātibus; itaq; exeuntem circumstabant, & quidam ex illis grauius illum vrsit, molestior quam ancilla. Necalia sententia Ioannis est: qui secundam negationem ad ignē factam insinuat; nam Petrus vt fugæ suspicionem amoliretur, ad interius atrium rediit. Multi autem, vt fieri solet, illi dicunt quod ab ancilla audierant.

Tertia negatio.

Tertia negatio alteram secuta est, post pusillum, Lucas v. 59. ait interuallum quasi horæ vnius. Ea hora liber ab infestatione Petrus: Dominus enim examinabatur, testes audiebantur, & omnium animi eam in rē erant intenti, & ipse adeo Petrus. Tandem qui stabant accedunt, & non dicunt modò, sed probant, cum esse discipulum. *Nam Galilæus es*, inquiunt, hoc loquela demonstrat. licet enim Syricè loqueretur, singulari tamē sua dialecto vtebatur. Quid autem tibi homini Galilæo hic negocii est, cur nobis te noctu adunxisti? Vbi eras ante? quo loco ad nos venisti? Accessit Ioan. 18. 26. cognatus Malchi, & affirmat se in horto eum vidisse. Hic iam trepidat, ne forte accusetur gladium in ministros magistratus strinxisse. Tunc cœpit καταναθεματίζειν *se deuouere, & iurare, quia non nouisset hominem.* Vbi notandum est: cum ait *non scire quid dicat.* Non hoc eum indicare, se linguam eorum non intelligere. Sed de negocio nihil scire, quis ille homo sit, cur captus sit. Nec quid sibi velit, quod se eius discipulum nominent, non agnoscere mysteria discipulatus illius. Perinde enim se gerit, ac nesciret esse aliquem Iesum, qui discipulos haberet. Dum autem ista postrema loqueretur ἐκ δευτέρου *Gallus cantauit* Marc. 18. 72. *Et Matthæus* δευτέρου, *continuo*. Lucas παραχρῆμα ἔτι λαλοῦντος αὐτοῦ. In ipso facto, continuo *adhuc ipso loquente Gallus cantauit.* Tum respexit eum Iesus, qui in atrio eodem, sed aliquot gradibus altiore detinebatur. & recordatus est prædictionis Petrus. Et egressus foras fleuit amare, ne amplius molesti essent ministri, eorum furorem idem Dominus cohibebat.

VERSVS 75.

Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: Priusquam Gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare.

QVÆSTIO I.

An Petrus iustitiâ exciderit?

§. 1. EXcusari eum aliquo modo posse nōnulli existimant. Hilarius can. 32. in Matth. Amb. l. 10. in c. 22. Lucæ defensiones adferunt. Nam omnia illa vera esse posse, quæ protulit. *Non noui eum: Perfecte*, scilicet, quia nemo nouit filium nisi pater. *Non noui hominem quem dicitis.* Scilicet purū hominem, peccatōrem, malefactorem. Sed Hilarius eum non excusat, nec Ambrosius, sed dici posse, & quæ à quibusdam dicerentur, admonent. Amb. *Sed nos excusamus, Dominus ipse non excusauit. Non enim satis est inuoluta responsio confitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba inuoluere, si videris vti denegasse? & ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur, quia postea recordatus est, & amare fleuit.*

Maluit enim ipse suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quā grauaretur negādo. Iustus enim in principio accusator sui est, & ideo fleuit. Quare fleuit? Quia culpa obrepsit.

Grauiter igitur peccauit, negato coram hominibus Christo, & quidem insigni periurio, & deuouendo se diris. Recte Augustinus vocat *tetrum crimen*, tract. 113. in Io. & Chrysostomus hom. 83. in Matthæum. hoc etiam lacrymæ amaræ testantur, quas non modo ad crimen eluendū, sed etiam ad fictas excusationes abolendas effudit.

§. 2. Hæretici peccasse grauissimè testantur, & miris modis illius crimen exaggerant.

In primis Bullingerus l. 10. & hac quidem in re minus sunt reprehendendi, reuera enim graue fuit Petri peccatum, licet non ex malitia, sed infirmitate & timore admissum.

Quod vero eundem Petrum retinuisse in medio peccandi feruore caritatem, iustitiam, Spiritum S. ex eius ministeriis cuntur, plane est intolerabile. Et quidem Zwinglius Petri peccatum negat esse ad mortem, quod metu & infirmitate peccarit, impiorum peccata ex destinata malitia peccantium esse ad mortem, ac proinde irremissibilia. Peccatum non ad mortem est illi peccatum ex Dei misericordia veniale asserunt, modo sit præ-

prædestinatus, Caluinus l.2.instit.c.8.§.59. *Sanctorum delictis venialia esse, non suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur.* Hinc Bellarminus l.1.c.7.de amissione gratiæ, & statu peccati. *Petrus ter negando peierando mortaliter peccauit, erat autem prædestinatus, igitur prædestinati possunt peccare mortaliter.*

Respondet Bellarmino Pareus p.69. [Hoc datur totum. Et: Aut Petrus negando, eiurando penitus fidē excussit, & excidit gratia, aut non. Si penitus hæc amisit, sequitur irritam fuisse Christi pro Petro precationem, Luc.22.32. Si non amisit, fallitur Bellarminus.]

Respondeo obiectioni sibi repugnanti. *Non amisit Petru fidem penitus, imo ne fidei quidem partem. Negauit scire quid ancilla loqueretur, negauit nouisse se hominem, peierauit, nec tamen quod metus infirmo expressit, etiam animo sensit, cōtrariamenti vox erat. Intelligebat quid diceretur, Dominum omen negauit repetito periurio nouerat, non igitur fidē perdidit, nec manis fuit Domini oratio Lucæ.22.32. Impetrauit nāq; ne fides eius deficeret. Caritatem tamen Iustitiamq; perdidit, fide enim informi, nec iam dilectionis fluxu viuente, iustus esse nō potuit, licet fidelis esse non desineret. Verum præstat argumentationem in aduersarium conuertere. Aut Petrus negando eiurando penitus fidem, qua crederet, sibi remissa peccata omnia. (qua Caluinistis est fides iustificans) excussit, & excidit gratiâ, aut non. Si excussit & excidit gratia, fides & gratia amitti possunt. Si non: Ergo & Caluinista, mentiendo, peierando, dicendo non nosse se Christum, asserendo Deum esse Diabolum, & è contrario hunc esse Deum, fidem iustificantem, gratiam, Spiritum Sanctum retinent. Quod si annuant, nulla fide digni sunt.* Atq; hoc summum est iniquitatis eorum mysterium.

§.3. Vrget solidè & fortiter propositum Bellarm. *Peccata in Adamo, Dauide, Petro aut potuerunt consistere cum fide iustificante, aut non. Si non: excusserunt fidem iustificantem, & per hoc fuerunt let halia. Si potuerunt: Sequitur homines iustificatos liberè præuaricari Dei mandata, &c. Omnia enim à Deo sunt condonata, atque remissa.*

Pareti responsio est. [Quod Caluinus dicat, adulteria, homicidia, periuria, &c. posse consistere cum fide iustificante, vel fidem veram, viuam & iustificantem manere in homine cū grauissimis lapsib. est pura puta calumnia. 2. Etiamsi consisteret non tamen haberēt licentiam peccādi, quia Deus grauissimis flagellis lapsus sanctorum vindicat, quibus ad resipiscentiam eos compellit. 3. Fides egra nō iustificat; sed sana, libera. 4. Deus ante resipiscentiam imputat peccata infligēdo pœnas temporales, & imputaret etiam infligendi æternas nisi resipiscerēt. 5. Fides est habitus, sed eius actus proprius est remissionem peccatorum accipere. Iustificat fides non qua habitus habitualiter, sed qua actus actualiter remissionem peccatorum recipiens. Fides habitualiter manens, iustificans dici non potest.]

Respōdeo: Egregia Bellarmini ratio, adeo solida, vt hic dū vellitur ab aduersario totidē verbis cōfirmetur.

Nam, vt ad primum respōdeam, luculentū est in re clara mendacium, causæ desperatæ indicium. Dicite enim non modo Caluinus, quod affirmare eum dicere, putam putam calumniam clamat Pareus: Sed ipse etiā Pareus idem dicit. Flagitia illa cū fide iustificante posse consistere. Nam li.3.inst.c.1.§.21. *Ita pia mens, vt cum q; suo modo exagitetur, ac diuexetur, supra omnes tamen difficultates tandem emergit, nec sibi misericordiæ diuinæ fiduciam excuti vnquam patitur. Quin potius quacunq; eam disceptationes exercent, & fatigāt, in ipsius fiduciæ certitudinē exeunt.* §.20. Duo quæ fidem oppugnāt proponit. *Ipsa (inquit) pia conscientia incumbente peccatorum mole oppressa, gemit, &c. Siue ergo res aduersæ iram Dei præ se ferant, siue eius argumentum & materiam conscientia in se reperit, inde tela & machinas ad profligandam fidem incredulitas arripit. Hinc grauis in aduersarium promotus lum. Cū illa fide adulteria, homicidia consistere possunt, quæ quantumuis conscientia mole peccatorum oppressa gemat, arguat fremat, tumultuetur, quantumuis argumentū & materiam iræ diuinæ in se reperiat; tamen eam pia mens nunquam excuti patitur, sed emergit, &c. at, talis est fides Caluini, ergo cum ea possunt illa flagitia in eadē sede morari: idem paulò post: *Ergo quod iam superius dictum est rursum asserimus, fidei radicem nunquam à pio pectore auelli, quin ima in parte defixa hæreat.* Et. *nō intus in cordib. piorū regnat incredulitas, sed foris oppugnat, nec lethaliter vulnerat suu telu, sed infestat, aut certe sic lædit suis telis, vt vulnus sit sanabile.* Inde rursum explorata ratio, ad id, quod Cardinalis dixit, probandum: Semper hæret Caluinistis fides, aliquando sunt in eisdem scelera, simul ergo fides & scelera. Dilucidius etiam §.24. contra Semipapistas qui dicebant: *Si Christum consideras, certa salus, si ad te ipsum reuerteris, certa damnatio. Qualis autem* (inquit Caluinus) *illa fiducia, quæ subinde desperationi cedit?* Deinde argumentum retorquet. Si te ipsum consideras certa damnatio: *Sed quoniam Christus cum omnibus suis bonis, sic communicatus, vt omnia eius tua fiant, vt fias eius membrū, adeoque vnum cum ipso: Iustitia eius tua peccata obruit, &c. Christū sanè à nobis separare, aut nos ab ipso minime conuenit: Sed vtraq; manu fortiter retinere oportet, qua se nobis agglutinauit societatē, &c. nec solum indiuiduo societatis nexu nobis adhæret, sed mirabili quadam communione in vnū corpus nobiscum coalescit indies magis ac magis, donec vnum penitus nobiscum fiat.* Sic ille contra semipapistas. Ex quo contra semicaluinianū Pareum Papistæ. Fiducia illa nūquam cedit desperationi, Christus cum omnibus suis bonis communicatus est nexu indiuiduo Caluinistis, omnia Christi facta Caluinistarum sunt, iustitia eius, eorum peccata obruit, ergo cum sceleribus illis manet Christus cum omnib. suis bonis, nec auelli potest, nexu indiuiduo agglutinatus, inter bona illa, & fides manet ergo fides. &§.30. Quorsum autem fides saluifica, nisi quatenus nos in Christi corpus inserit? manet ergo & fides saluifica inserens eos in corpus Christi, & scelera inserentia in corpus dæmoniorum.

Cum omni scelere manet fides Caluiniana.

§.4. At §.31. etiam exemplo nostrum Caluinastrū refutat Caluinus. *Rebecca oraculo certior facta, de electione filij sui Iacob, eius benedictionem malo artificio procurat: maritum suum gratiæ Dei testem ac ministrum decipit: filium suum cogit mentiri: variis fraudibus & impostura corrumpit Dei veritatem, deniq; ludibrio exponens eius promissionem, quantū in se est eam abolet. Neq; tamen hoc opus quamlibet reprehensione dignum fide vacuum fuit.* Et paulò post: *Docent certe hæc exempla, errores sæpe fidei esse permistos: Sic tamen vt primatum semper illa teneat, vbi vera est. Siculi enim Rebeccæ particularis error, non irritum benedictionis effectum reddidit, sic nec fidē, quæ generaliter dominata est in eius animo, principiumque & causa fuit illius actionis.* Dixerat ante: posset hic tamen moueri quæstio, quid de Sara, & Rebecca sentiendum sit, quarum vtraq; fidei zelo, vt videtur impulsa extra fines egressa est. Fides verò quę mansit in his vera & viua fuit. Forma argumenti nostri hæc est. *Peccata Sarę cōfore Caluino in Gen. 16. sunt obrepens desperatio sobolis, lecti cōiugalis pollutio, coniugij corruptio, mariti ad impatientiam incitatio, deniq; adulterij rea est, & marito eiusdē criminis causa.* Rebeccæ peccata hic enumerat. *Malo artificio procurare benedictionem, maritum decipere, filium ad mendacium cogere corrumpere Dei veritatē, ludibrio exponere promissionē, tam quantum in se est abolere.* Sed cum his manet fides; imo fides causa est, principium harū actionum. Etsi n. Abrahæ & Saræ, vt ait, Caluinus claudicatit fides, nō tamen in substātia, sed medio, vel agendi ratione. pari ergo ratione, si idem faciant Caluinistæ, illa adulteria non tollent fidem. Errores illi cum fide permanent.

Sanctorū lapsus.

Eadem sententia Bezæ. *Fides* (inquit) in 1. Tim. c. 4. 1. *Est certa nostra in Christo electionis persuasio, si autem certa est electio, fidem etiam perseuerantiæ donum semper comitetur necesse est.* Agit vero de fide iustificante, fide electorū, quā à temporaria fide multis distinguit: Parem facit infirmitate

mitate lectionem & fidem, electio Caluinistarum in horrendis lapsibus manet immota, ergo & fides inquam vera, viua. Postremò ipse aduersarius Comm. in Ro. 11. dub. 17. verbosissimè de fide indelebili disputat, professus se de vera, viua fide, quæ est πληροφορία agere. Hæc est eius sententia, indelebilis simpliciter, ergo cum horrendis lapsibus consistit.

Quæro etiam, quid sibi velit illa in Coll. Mompelgardensi disputatio, vbi Beza affirmat. Simonem Magum non habuisse veram fidem, si enim veram fidem habuisset, eam nunquam amisisset pag. 463. Et Dauid nequaquam amisit sed retinuit in adulterio fidem. Ergo hæc de vera fide dicuntur, aliàs illis cum Lutheranis non est controuersia.

§. 5. Ad 2. An vero Deus lapsus sanctorum vindicet aliter Caluinus li. 2. c. 4. §. 29. *Certe si punit Deus peccata imputat, si vindicat recordatur.* Secundo. Secum confligit: Supra erat alia eius oratio. Peccata non damnare, non præterita, quia iustificatus est, non præsentia, quia remissa, non futura, quia non imputabuntur. Tertio. Etiam illæ pœnæ, seu vlciones licentiam non coercent. Nam mox ab adulterio, homicidio credere possunt sibi remissa, atque ita flagella auertent. Quarto ab æterna pœna sunt liberrimi, at multi eorum in hac vita grauissima illa flagella non sentiunt.

Fides infirma iustificat.

§. 6. Ad 3. Fides ægra non iustificat? tu quidem hoc fingis, at damnat te Caluinus li. 3. Inst. c. 2. §. 19. *Summa hæc sit, vbi primum vel minima fidei gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem Dei placidam & serenam nobisque propitiam, contemplari incipimus.* Ergo tum iustificamur, quia apprehendimus iustitiam, & Deum contemplamur propitium. Secundo Caluinus. lib. 3. inst. c. 2. §. 21. *Quum ergo concutitur fides perinde est, ac si violento ictu iaculi, miles alioqui firmus pedem mouere cogatur, & paulum cedere: cum autem sauciatur fides ipsa, perinde est, ac si clypeus fractionem aliquam ex impressione recipiat, sic tamen vt non perforetur.* Tertio ibidem. §. 12. *Hoc interim tenendum est, quantumuis exigua sit, ac debilis in electis fides, quia tamen Spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex illorum cordibus deleri posse eius sculpturam.* Graue & solidum hinc argumentum: Ea fides quæ certa est arrha Spiritus Sancti, & Sigillum adoptionis, est fides iustificans, sed exigua etiam & debilis est arrha & Sigillum, ergo iustificans. Ergo fides iustificans non deletur ex cordibus electorum. ergo & fides debilis, est fides iustificatrix. At verum esto: fidem ægram non iustificare, nulla ergo iustificat, omnis enim fides imperfecta est, ideoq; peccatum ex natura mortale, nulla ergo iustificat. Omne enim peccatum mortale ægrum, nullum est sanum.

§. 7. Ad 4. Temporales non semper infligit pœnas, æternas ob electionem non potest infligere, nec aduersarii philosophia permittit illas conditionatas: Nisi resipiscerent. hoc enim est dicere: Si nõ essent electi.

§. 8. Ad 5. Subtile videtur homini crasso effugium in distinctione fidei, actualis & habitualis. Verum omnem Caluinistarum fidem iustitiamq; auertit. Rem paucis examinemus.

Actus fidei.

1. Fides iustificãs, seu certa persuasio salutis est simpliciter indebilis, Actus fidei est fides iustificans, seu certa persuasio salutis, est igitur simpliciter indebilis. Maior est Aduersarii & minor, debet ergo & esse conclusio. (suasio salutis.

2. Actus fidei non est indelebilis, nõ igitur certa per-

3. Illa sola est certa psuasio salutis, q̃ est indelebilis fides, at solus habitus est indelebilis, solus ergo habitus est persuasio salutis, solus ergo habitus fides iustificãs.

4. Minima stilla fidei fides exigua & debilis est arrha, &c. facit vt Deum propitium contemplemur, si illa fides est habitus, ergo iustificat fides habitualis. Si actus, ergo falsum quod ait Caluinus, eam non posse deleri. Actus enim facile euanescit.

QVÆSTIO II.

An Petrus lachrymis culpam deluerit?

§. 1. SOla fide, hoc est, certa persuasione deleri peccata hæretici fingunt. Negant enim Deum imputare peccata illi, qui fidem habeat. Sed in eo nec constantes sunt, nec inter se conueniunt. Pareus l. 1. c. 7. de amissione gratiæ & statu peccati; *fidem quæ actu non est actualiter iustificare*, ait, & remissionem peccatorum recipere, ex quo sequitur: Petrum, cum deleraret, se de hominem non nosse, eodem tempore potuisse accipere remissionem, si cogitaret, se certum esse, periuriæ negationis sibi culpam non imputari. Aliis tamen habitus sufficit, vt alio loco Pareus fatetur. At ex sana & orthodoxa fide constat: Peccata Dei gratia expelli, ad eam opus esse contritione, contritionis effectus esse lachrymas, illis pœnas temporales remitti: Illis pro peccato fieri satis. Hinc Ambrosii nobilis sententia; lachrymæ veniam non petunt, sed merentur. Ecl. 10. in Luc. 22. *Petrus doluit & fleuit, qui errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit. Lachrymas eius lego, Satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potuit, ablui potest. Lauant lachrymæ delictum, quod voce pudet confiteri. Et venia fletus consulunt, & verecundiæ. Lachrymæ sine horrore culpam loquuntur; lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur. Lachrymæ veniam non postulant, & merentur. Inueni cur tacuit Petrus ne tam cito veniæ prius plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum. Bonæ lachrymæ, quæ lauant culpam. Denique, quos Iesus respicit plorant delictum. Negauit primo Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus. Negauit secundo, non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negauit & tertio, respexit Iesus, & ideo amarissimè fleuit, &c.*

Hoc in loco solum hæretici notant, quòd ait. *Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego.* Non enim satisfecit pro peccato, vt remitteretur culpa, sed dolore, & fleuit, sed culpa remissa, per sequentes lachrymas satisfecit pro temporali pœna. Ambrosium autẽ agnoscere satisfactionem clarius est: quã vt docere sit necesse. l. 7. in 13. Luc. *Superest nunc vt intelligamus quid sibi velit figura quadratis. Et videtur visualiter expressum nomine intellectus spiritalis arcanum. Nam sicut qui pecuniam soluunt, debitũ reddunt, nec prius euacuatur sœnoris nomen quam totus sortis ad minimum vsque, quocunq; solutionis genere quãtas penitus soluatur: Sic compensatione charitatis actuum, peccatorum vel satisfactione quacunq; peccati pœna dissoluatur.*

§. 2. De lachrymis Petri Athanasius de Virgi. *Magna siquidem virtus in lacrymis, & præclara per eas sunt: magna peccata, & iniquitates per lacrymas obliterantur. Testè mihi est Euangelium. Quum enim Saluator noster irrisus esset Iudæis, Petrusque iurando illum abnegaret antequam gallus cantaret, Dominus autem directo in eum vultu aspexisset, memorque ibi redditus. Petrus esset verbi Domini, quod ei dixerat, antequam gallus sonet, ter me abnegabis, egressus foras amarè lacrymatus est. Vides quale remedium in lacrymis, spectа quæso, quam iniquitatem deleuerint. Quid enim Petrus hoc vitio? quippe qui ter iureiurando Dominum abnegauerit, tantum tamen scelus per lacrymas deleuit. Vides igitur quãtam vim habeant lacryma. Quandoquidẽ illa serpia sanat pro nostra doctrina, vt nos per illã incedentes. Vitam æternam possideamus. Sciamus nostrũ deflere peccatum, lauare delictum. Vndeẽt lapsus sanctorũ vtilis. Nihil mihi nocuit, quod necauit Petrus, profuit quod emẽdauit. Didici cauere alloquia per Petrus inter Iudæos negauit; Salomon contubernio gentium deceptus errauit. Fleuit ergo amarissimè Petrus, fleuit vt lacrymis suum posset lauare delictũ. Et tu si veniam vis mereri, dilue crimina lacrymis tuam eodẽ momento, eodẽ tempore respicit te Christus.*

Et oratione cõtra omnes hæreses. καὶ ἀφῆκε τὰ ἁμαρτήματα ἀπολαύσει τὸν ἁμαρτήσαντα ἐν αὐτῇ τῇ μετανοίᾳ. Et per lacrymas fecit remissionem in ipsa pœnitentia. Itaq; lacrymæ fuerunt pœnitentiæ, & in illis satisfactio, non pro pœna æterna, sed temporali.

CAPVT

CAPVT XXVII.

MANE autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotũ, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. 2. & vinctum adduxerunt eũ, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. 3. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, 4. dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos: tu videris. 5. Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suffocauit. 6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbanã: quia pretium sanguinis est. 7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. 8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel: 10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. 11. Iesu autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis. 12. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. 13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? 14. Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. 15. Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. 16. habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. 17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus. Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? 18. Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. 20. Principes autem sacerdotũ, & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent. 21. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. 22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciã de Iesu, qui dicitur Christus? 23. Dicũt omnes; Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. 24 Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. 25. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. 26. Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. 27. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: 28. & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. 29. & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. 30. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. 31. Et postquam illuserunt ei: exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. 32. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. 33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgata, quod est Caluariæ locus. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. 35. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes: vt impleretur, quod dictum est per prophetam dicentem. Diuiserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem. 36. Et sedentes seruabant eum. 37. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: HIC EST IESVS REX IVDÆORVM. 38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à sinistris. 39. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua. 40. & dicentes. Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. 41. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant: 42. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: 43. confidit in Deo: liberet nunc si vult eum: dixit enim. Quia filius Dei sum. 44. Idipsum autẽ & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terrã vsq; ad horã nonam. 46. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani: hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 47. Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. 48. Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam, impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. 49. Cæteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. 50. Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo, vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt. 52. & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. 54. Centurio autem, & qui cũ eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere filius Dei erat iste. 55. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrãtes ei. 56. inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph, mater filiorum Zebedei. 57. Cũ autẽ sero factum esset, venit quidã homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. 58. hic accessit ad Pilatũ & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. 59. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in syndone munda. 60. & posuit illud in monumento suo nouo, quod excidérat in petra. Et aduoluit saxum magnũ ad ostium monumenti & abijt. 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrũ. 62. Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum. 63. dicentes: Domine recordatis sumus, quia seduc-

seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. 64. Iube ergo custodiri sepulchrum vsq; in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis: & erit nouissimus error peior priore, 65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis 66. Illi autem abeuntes, muniverunt sepulchrum signantes lapidem, cum custodibus.

IN CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM

ARGVMENTVM.

ADDVCITVR ad Pilatum iudicandus & damnandus Dominus. Iudas relatis argenteis, & de innocentiâ Iesu testatus laqueo se suspendit. Pilatus etiam Christũ innocentem protestatus, absoluere conatus est. Sed Iudæorum victus importunitate, manus lauat, & condemnat, traditq; flagellatum, vt crucifigatur. Cui crucifixo insultant Iudæi, at ille tenebris factis, & terræmotu, atque adeo velo templi scisso emisit Spiritum, deinde de cruce depositus à Ioseph ab Arimathiâ sepelitur.

In Syriacâ Ecclesiâ per horas lectio passionis est distributa. Feriâ sextâ ad matutinas preces leguntur ad v. 26. Hinc ad horam tertiam lectio durat ad v. 45. Inde ad nonam lectio ad versum 57. Vltima pars capitis de sepulturâ, hunc habet titulum ברמשא דשבתא דשברתא *Deramsa desabbetha dasbarta. Vespere sabbati annunciationis.* Quanquam שברתא potest, spem, exspectationem, sustentationem, significare, quod bona spe sepulchro Dominum condiderint, sperantes & exspectantes tertia die resurrectionem. Nec enim video, cur sabbatum annunciationis vocetur. Accommodatissime autem sabbatum spei & exspectationis, cum post tot in morte signa, etiam centurio, & turbę, filium Dei confiterentur, Ioseph us & Nicodemus pro cadauere mortui totius gentis inimicitiam non vererentur suscipere.

VERSVS 1.

Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum vt eum morti traderent.

QVÆSTIO I.

Quod matutinum consilium sacerdotum?

§. 1. MAne facto πρωΐας γενομένης, subaudi ὥρας, cum matutina hora esset, conuenerunt omnes principes sacerdotum, multo plures, quàm noctu fuerint; Syrus non habet particulam, *omnes*, vt etiam alij codices nonnulli omittunt dictionem *Populi* & simpliciter tantum seniores ponunt, vt aureus codex apud Erasmum. Marcus addit his etiam scribas; Illud porro, *omnes* in omnibus latinis & Græcis exemplaribus inuenitur, etiam in vetustissimo codice collegij Molsemensis, in quo etsi capita distincta non sint, alij tamen interdum tituli positi sunt, vt hoc loco: περὶ τῆς Ἰούδα μετα μελείας, *de Iudæ pœnitentia.*

Lectio varia.

Conciliũ non iustitiam, sed mortem quærit.

§. 2. Conueniendi & consultandi causa non erat, ne quid iniquè aut præpropere in iudicio sanguinis ageretur, quod tamẽ in primis curis habere oportuit: nam homo res sacra est, & in laude regentium nihil magis commendabile est, quam supplicium considerata parcitas: sed, ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι, *quomodo ipsum occiderent.* Sic & Syrus, רגבייתוגיהי *danmituntchi*, Ad verbum: mortificarent. Mortis enim audi, modum eius, & tempus, non causam quærebant. Mane autem venire, & vrgere supplicium constituunt, ne forte concurrente populo, & tam multis Domini amicis, aliquid interueniret, quo minus optatum finem tenerent. Ideo & iam iudicatum, & suo omnium prę iudicio condemnatum adducunt ad Pilatum. & communi sententia præsidem vrgent, vt lege in ipsum agat. Auctoritate enim aduersum Christi innocentiam nituntur, cum causa se inferiores esse experiuntur. Ita Theophyl. ἴδε τὸν διάβολον πῶς ὅλκς αὐτὸς κατέσχεν, ἐν τοιαύτοις ἡμέρᾳσις πείσας φονεύειν, ἐν αἷς πολλῶν ἔδει θυσιῶν καὶ προσφορῶν ὑπὲρ τῶν ἀλλοτριοπαθῶν, καὶ ἀγνείας καὶ καθάρσεως. οἱ δὲ καὶ δεσμᾶται ἀγάγοντι πρὸς τὸν ἡγεμόνα Πιλᾶτον.

Vide diabolum quomodo totos illos possideat, suadens in illis diebus cædem facere, quibus multis victimis & oblationibus opus erat, pro alijs peccatis, & puritate & munditie, hi vero vinciunt, & ducunt ad præsidem Pilatum.

Porro toti in eo sunt vt præsidi probent, quas finxerunt calumnias. Quas idcirco matutino consilio iterant, quod illud plenius esset, & quod nocturna iudicia iure & lege essent irrita. Quamuis hoc tempore non inusitata, cum Romani fontium pœna per crudelitatem fruerentur. Hinc apparet cur ab illis iudicia Deus, regnumq; in Romanos transtulerit, quod nulla in Iudæa vel iustitiæ species amplius teneretur: Pilatus enim alioqui improbissimus multo legum, & æquitatis, quam sacerdotes, est tenacior. Regna autẽ transferuntur de gente in gentem propter iniustitiã. Et totum hoc concilium ita in Christum exarsit, vt si ab eo res penderet, manibus suis Christum dilacerari viderentur. Præcipuæ tamen crudelitatis fuit Ananus, cuius & posteri sæuitiam imitati sunt, vt ille, de quo narrat Ioseph us l. 20 antiq. c. 8. Ille enim pontificatu motus est, quod Iacobum, alioqui nefando iudicio curasset occidi.

§. 3. Nec ab eorum tamen furoribus vita Domini pendebat, sed ad hoc eos efferuescere diuina prouidentia permisit, vt ipso die festo, summa videlicet mundi solennitate, humanum genus redimeretur. Sic enim & veteres prophetarunt. Hanc rationem Chrysomus hom. 81. producit. ἐπειδή, inquit, ὃ βούλονται αὐτὸν ἀνελεῖν, αὐτοὶ δὲ ἀκίνδυνον ἦ τὴν ἑορτὴν, θάπτον ἐγέμονα ἄγουσι. σὺ δέ μοι σκόπει πῶς συνηλθεν τὸ πάθημα, ὥστε ἐν ἑορτῇ γίνεσθαι. ἅτινα δὲ ἄνωθεν προδιετυπώσατο. Nam quoniam interficere ipsum statuerunt. & propter diem festum non poterant ad Pilatum eum ducere. Tu vero considera quomodo res ita compulsa est, vt in die festo ageretur. Quippe ita iam a priscis temporibus fuerat figuris significatum. Quamuis enim ipsi ab eo consilio abhorruerunt, festinanduni tamen rati medio festo facinus designatunt.

VER-

VERSVS 2.

Et vinctũ adduxerunt eũ, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

QVÆSTIO I.

Cur adducunt ad Pilatum?

§.1. POntius Pilatus præses Iudææ decennium fuit. Græcis ἡγεμὼν dicitur, quod proprium est belli ducẽm. Quod etiã Syrus retinet, dũ vocat הגמונא Higmona. Nec vero erat Pilatus ἀνθύπατος, seu στρατηγὸς & duntaxat, vt ciuili imperio regeret Iudæam, verumetiã lites illi parcebant, vt constat ex historia passionis, & Iosepho l.18.ant.c.4.5.6.7. successit autem Valerio Grato. Causa, cur ad Pilatum veniant, non eadem ab omnibus traditur. Nõnulli id inuidiæ declinandæ causa factum asserunt; alij vt militari præsidio tumultus compesceretur, si quis exurgeret. Iudæos enim ius gladij habuisse contendunt, cum Apostolos ejecissent, Stephanum lapidarint. Alij vero potestatem vitæ & necis, postquam in prouincia redacta est Iudæa, relictam illis negant. Atq; hæc sine dubio vera est sententia. Ipsi enim eadem, qua cæteri lege proconsulares erant; itaq; iudicia capitalia non exercebãt, ipsi enim profitentur, sibi *non licere interficere quenquã*. Quod non de contumeliosa crucis morte duntaxat, sed omni genere supplicij intelligendum est. Si enim lapidatione, gladione in eum aduertere sua auctoritate potuissent, nequaquam tam sollicite, tam dubio eventu Pilatum interpellassent. Nec obstat quod Stephanum ipsi lapidarunt, furore enim subito factum est, non legitimæ potestatis accessu. Deinde, vt supra dixi, Ananus ob cædes à se iussas honore fraudatus est. Exigua sane Prouincialibus potestas relinquebatur, Iudices, & omnia ministeria Romana erant. Eius iurisd. l.7. Politicorum c.21. exposui. Et ex §.11. satis euidenter constat capitis iudicia ad præsidem pertinuisse; communia minora sine præside non possent transigi, vt adoptio, filij emancipatio, manumissio serui. Vlp. l.6. & ff. de officio præsidis. Deinde solus in hominibus suæ prouinciæ habuit potestatem, Maius habet imperium omnibus post principem, Vlpian. l.36. ff. ad edictum. [Quarto de omnibus causis, quibus vel „ præfectus vrbi, vel præfectus prætorio, itemque consules & prætores cæteriq; Romæ cognoscunt, cor„ rectorum, & præsidum prouinciæ est notio. Hermo„ gen. l.2. iuris Epitomarum. Recte itaq; Marcian. l.3. „ instit. omnia prouincialia desideria, quæ Romæ va„ rios iudices habent, ad officium præsidum pertinent. „ Omnium itaq; negociorum ratio ad præsidem perti„ net, quod notandum est contra eos, qui præsidum „ minorem, quam proconsulum potestatem esse arbi„ trati sunt. Plura eius officia, l.1. ff. l.18. describuntur. „ Vti notandæ nonnullæ leges aureæ, nempe 12. Sed „ licet is, qui prouinciæ præest, omnium Romæ Magi„ stratuum vice & officio fungi debeat; nõ tamen spe„ candum est, quid Romæ factum est, quam quid fieri „ debeat. Et 13. Congruit bono & graui præsidi curare, „ vt pacata atque quieta prouincia sit, quã regit, quod „ non difficile obtinebit, si sollicite agat, vt malis ho„ minibus prouincia careat, eosq; conquirat: nam & sa„ crilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: „ & prout quisq; deliquerit in eum animaduertere: re„ ceptores eorum coercere, sine quibus latro diutius „ latere non potest. Et 18. Plebiscito continetur, vt ne „ quis præsidum munus, donum capiat: nisi esculen„ tum, potulentumue, quod intra dies proximos pro„ digatur.]

Nullo modo igitur Iudæis potestas fuit in sontes animaduertendi, sed quamuis ipsi eos morte damnassent, sistere tamen præsidi oportuit, eique probare sententiam. Quod hoc loco Pilatus nõ facit, alioquĩ insontes precio damnare, sontes absoluere solitus. De eius moribus vide Hegesippum. l.2. *Tiberio missus est Pilatus in Iudæam, vir improbus atq; in exiguo ponens mendacium, circumuenit Samaritanos, vt montem, cui nomen Gadir, peterent: erat enim illis sacratus: eo quod vellet eorum mysteria cognoscere. Et ascendens populum præuenit equitatu, pedestrique exercitu strauit, afflictoque crimine quod à Romanis discedere, & conciliabulum sibi quærere præparassent. Quid enim non auderet qui etiam Christum Dominum ad salutem humani generis aduenientem, multis & diuinis operibus profundentem in homines misericordiæ suæ gratiam, nihilque aliud docentem, nisi quo primum Deo deinde imperatoribus faceret populos obedientes cruci suffixerit? Demens q, qui minister esset sacrilegi furoris, vt interficeret authorem salutis. Ex illo itaque Iudæorum res perditæ, ex illo exitium genti & templo maturatum excidium.* Et quæ sequuntur lib. de excidio Hierosolym. 2. cap. 5. Huic igitur improbissimo homini sistitur Deus homo, Dei filius. Nemo miretur plerũque pios & fidos Dei seruos esse in potestate impiorum, & duro dominatu premi.

VERSVS 3.4.

Tunc videns Iudas, qui eũ tradidit, quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicẽs: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt. Quid ad nos? Tu videris.

QVÆSTIO I.

Qualis Iudæ fuerit pœnitentia?

§.1. TVnc videns Iudas quod damnatus esset, pœnitentiâ ductus est. Additur παραδιδοὺς; in quodam libro Bezæ ait esse παραδοὺς, at omnes, & vetustissimus Molsemensis habet παραδιδοὺς, qui eum tradidit. Syrus eodem modo.

Pœnitentia ductus est, μεταμεληθεὶς, & quidem seria. Horrore enim sceleris perculsus est, ideo & factum esse doluit, & precium peccati abominatus, retulit triginta argenteos, vt apud consortes flagitij fidem veri doloris inueniret, eosque suo exemplo ad impia consilia mutanda impelleret. *Vere Iudæ doluit.*

Deinde peccasse se fatetur, & graui testimonio sacerdotes admonet, quem tradiderit, quemque ipsi damnant, esse αἷμα ἀθῷον, sanguinem iustum, in quo nulla sit culpa, cui nulla θανὼ pœna debeatur. Cum recipere argenteos nollent Iudæi, ipse eos in templum abiecit. Hactenus quidem rectè; nam dolere, delictũ fateri, referre sceleris mercedem, in laude ponendum est. Adeo vt commentat. Hieronym. hinc probet, non esse vllius per se malam naturam, cum Iudas pessimo præditus ingenio bona illa præstiterit. Verum quia spe & caritate destiturus erat, dolore suo in desperationem & rabiem actus, laqueo se suspendit. Rectè Theophyl. ὃν ὑπεροβολὴν γίνεται ὁ Ἰούδας. καὶ μεταμέλεται μὲν, οὐ καλῶς δὲ, τὸ μὲν γὰρ ἑαυτῷ κατακρῖναι, καλὸν. τὸ δὲ ἀπελπίσασθαι, δαιμονιῶδες. ὁ φέρων γὰρ τὸς εἰς ὕστερον ἀνελπισμὸν, ὑπεξαγει ἑαυτὸν τῷ βίῳ, δέον δακρύσαι μὴ ἐξιλεώσασθαι τὸν προδοθέντα. *In recipiscientia versatur & pœnitet, non recte vero. Ea quæ ad ipsum pertinent cognoscere pulchrum est, suspendi vero diabolicum. Contumeliam enim in posterum non ferens vitam abiecit, cum oporteret deflere & propitiare proditum.* *Iudæ pœnitentia sine fide.*

§.2. Pœ-

§. 2. Pœnitentia igitur Iudæ, fide, ſpe, caritate deſtituta, naturali facti impij horrore agitata in deſperationem miſerum præcipitat. Cum enim non crederet in D. i miſericordiam, nec ſperaret, nec amore Domini ſui moueretur, nihil iuuit peccatorẽ non vera pœnitentia. Boni initia habuit, ad metam non peruenit. Malum deſerere ſtuduit, ad bonum ſe non conuertit. Lucis ea portione donatus eſt, vt peccatum agnoſceret, ſed ea vſus non eſt, vt ſe conuerteret. Quare etiam hoc loco apparet, hominem deteſtabilem poſt prodi. tionem gratiam accepiſſe, qua pœnitentiam agere, & ad Dominum proditum ſe conuertere, ac veniam impetrare potuiſſe, ſufficiens enim illi gratia collata eſt. Errant igitur, qui conuerti potuiſſe negant, aut exitiũ eius in Deum conferunt. Bullingerus rectè hoc loco iudicat: & prolixe contra ſuos ſcribit. [Vnde non eſt quod hic Iudam excuſemus, omnem perditionis culpam reijciamus in Deum, qui non traxerit Iudam, aut vllam ei gratiam conceſſerit. Habuit hic proculdubio talentum ſuum, commotus eſt animus eius pœnitentia, verum non negotiabatur fideliter tanquam frugi ſeruus, ſuperante in ipſo bonum illum ſpiritum malitioſa impietate & contemptu verbi veritatis. Petrus ceu frugi ſeruus ſimul atq; ſenſiſſet Spiritus impulſum mox verbi Dei recordatur, Iudas ne ſemel quidem vllam Dei promiſſionem aut vllum Chriſti ſui verbum de remiſſione peccatorum reuocat in memoriam, ſed deſperans protinus de miſericordia Domini proxima recurrit ad laqueum: ideò verò pœnitentia eius non fuit efficax. Exceperat cor eius ſemen Dei bonũ, Domino ipſo in corde eius bonum ſeminante ſemen, ſed quia malus ille, ſemen quoque ſuum ſeminauit, quod felicius enaſcens culmum boni ſeminis oppreſſit, lolium germinauit, triticum nuſquam apparuit. Vide ergo quis culpam perditionis gerat, iuſtiſſimuſne Dominus an Iudas iniuſtiſſimus: qui verbum Dei, quod pridie & antea frequentiſſime iudiciorũ Dei ſecurus, tanta contumacia contempſit, quanta ſibi fide abipſo Domino proponebatur. Non ignorabat quid faceret miſer, nec omni carebat lumine, ſed malitioſus plus dilexit tenebras quam lucem, vnde meritò perit nunc in tenebris. Quiſquis n. per omnem vitam ſuam nunquam magni fecit verbum Dei, nec vnquam conceſſa ſibi Dei dona excitare voluit, ſed deſideria huius ſæculi perpetuo admiratus eſt, & carnem ſuam nutriuit, difficulter ſub finem vitæ reſipiſcit verè. Tametſi enim benignus Dominus ſub finem vitæ iſtius redeat tãdem, ac pro immenſa bonitate ſua Spiritu ſuo ſancto attingat cor eius, excitans ad pœnitentiam, iamq; iſte quoq; pœnitere incipiat: ſimul tamen recurrit cõſueta inueneratq; impietas, & ſcintillam illã Dei in corſuſceptam exſtinguit, bonum ſemen ſuffocat, efficitq; ne opus cœptũ per dominum abſoluatur, atq; ſic pereat homo oppreſſus in peccatis ſuis. Id quod Iudæ omnino in præſenti vſu venit, cuius pœnitẽtia his proceſſit gradibus, pœnitet, dolet, confitetur peccatum diſerte dicens, Peccaui prodens ſanguinem innoxiũ: damnat ergo & execratur peccatũ, præterea ſanguinis pretiũ reſtituit, imo & cum indignatione quadã proijcit ad pedes ſacerdotũ in terram, quaſi dicat, Maledicta ſit pecunia illa, pro qua dominum meum vendidi: ſed & diſcedit ab impijs ſacerdotibus, ſicut & Petrus exceſſerat ex atrio Pontificis: verum ille per deſperationem proxima feſtinat ad laqueum, hic ſe melioribus rebus in certa ſpe miſericordiæ Dei conſeruabat. Itaq; nihil profuerunt Iudæ omnia illa pœnitentiæ opera quæ præceſſerant. Caruerunt enim clauo, caruerunt fide in Dominum Ieſum iuſtificatrice, caruerunt ſpe, de qua dixit Apoſtolus, ſpe ſaluati eſtis.]

Gratiam ſufficientẽ habuit.

Hæc Bullingeriana omnia falſa ſunt, ſi negatum eſt miſero donum, quo poſſet conuerti. Adfuit illi donũ quo poterat cõuerti, ſed illud reſpuit, & noluit. Theophylacti mira eſt ſententia. Διὸ ἠπόρησατο ἵνα προλάβῃ τὸν ἰησοῦν ἐν τῷ ᾅδῃ, καὶ ἱκετεύσας σωτηρίας τύχῃ. *Quapropter & ſuſpendit ſe, vt anteuerteret Ieſum in inferno, & orans ſalutem conſequeretur.* Non eſt credibile eũ, qui hactenus Chriſto non crediderat, nunc credere cœpiſſe, aut ita erraſſe, vt putarit mortuo damdam veniã peccati mortalis in quo moriebatur, aut quod moriendo, ſui parricidio committebat.

§. 3. Non tamen ſequitur malum eſſe timorem, vt Lutherus art. 6. in illis, qui à Leone 10. damnati ſunt. Nam timor initium eſt conuerſionis. Iſa. 26. Eccleſi. Timor Matth. 3. Luc. 12. Act. 24. Trid. Seſſ. 6. can. 8. Cypr. ſer. de 4. de Moralit. Amb. ſerm. 15. ſuper Pſal. 118. Baſilius in Pſal. 33. Greg. hom. 54. in Euangel. Non eſt perfectus quidem timor, hæc eſt caritatis prærogatiua, vt Auguſtin. tract. 9. in Epiſt. Ioan. exponit. Ideo timorem foris mittat caritas perfecta. Quamuis melius hoc de mundano timore idẽ Auguſtinus interpretatur tract. 92. in Euang. Ioan. Grauis enim ille timor eſt, & pernicioſus ſeruitutem Dei vt duram, & aſperam refugiens. Habuit hoc ille à Magiſtro ſuo Ambroſ. Epiſt. 74. Iudæ & Impiorum tamen ideo timor ad deſperationem eos adduxit, quia carnalis erat, ſolo pœnarum vel temporalium, vel gehennæ metu crimen fugiens, aut deteſtans, alioqui ſi abſq; eo foret, diligens atque inhærens, quem timorem Scholaſtici ſeruilem ſeruiliter vocant, cum tota voluntate in flagitia ferantur effrenes, abſtinent tamen inuiti, dum ante oculos ſupplicia intuentur. Tales cum timore faciunt præceptũ, aliter, quam debẽt faciunt. Sic Auguſtinus contra duas Epiſt. Pel. l. 3. c. 4. *Qui ex cupiditate terrena, metuque carnali, præceptum facit, procul dubio inuitus facit, acper hoc ex voluntate animo non facit. Mauult enim omnino non facere ſi ſecundum ea, quæ cupit, & metuit, permittatur impune. Acper hoc in voluntate intus eſt reus, vbi ipſe, qui præcipit, inſpicit Deus.* Itaq; πᾶν τὸ ἀναγκαῖον ἀνίαρον ἔφυ: *omne neceſſarium natura eſt moleſtum*, & facienti homini, & cui præſtatur officiũ, Deo. Non enim tam facinora diſplicent, quam eorũ ignominia, pœnæ, ſcelera. Sic Iudas Pilatus, Herodes, alijq; poſt ingentia atq; immania facta manus ſibi inferunt, vt contumelijs & calamitatibus ſe eximant, non quia peccata ſua odẽrit, ſed quod eorum fructu, ſcilicet opibus, & honore frui non poſſint. Itaque eorum triſtitia Deo non placet, etſi enim manum continet, animum nõ coercet, imo magis, magiſq; incitat. Nec vllus etiam in ſacerdotibus pietatis eſt ſenſus, Tu inquiunt, *videris*? *Quid ad nos*? אתה יראת אבה *Antipiadagh anth. Tute ipſe videris.* Noſtro nos arbitrio vtemur. Nec iuſtum eſſe negant, nec parſuros innocenti pollicentur.

VERSVS 5.

Et proiectis argenteis in templo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit.

QVÆSTIO I.

Quo leto perierit Iudas?

§. 1. PEruerſa Iudam pœnitentia deduxit ad interitũ. Non enim amore iuſtitiæ, aut odio ſceleris mœſtus eſt, cuperet enim peccare perſeueranter, vt expoſui. Quocirca iniuriam Catholicis Caluinus irrogat, dum eorum pœnitẽtiam calumniatur, & negat Caluin. eos contritionẽ, oris confeſſionem cæteraq; credere.

Hoc ſi vel vno in ſcriptore Caluinus legiſſet poſſet Pontif. excuſari, aut ſi verba aliqua, ex quib. veri aliqua ſimi- nu. litudine deduci poſſe videretur, adferret, minus impudens videretur. Nunc vero cum omnes Catholico. rum Catechiſmi, conciones, diſputationes requirant cordis

cordis contritionem veram, de caritate Dei manantem, oris confessionem ex Dei reuerentia peccata agnoscentem, emendationis propositum, & sinceram ad Deum conuersionem, plusquam diabolica est impudentia, non modo nobis affingere, quod nemo docet, sed etiam eius nos erroris accusare, quem omnes accuratissime, diligentissime, constantissime refutamus & accusamus. Iudæ pœnitentiã, omniũq; impiorum non vere pœnitentiũ multis Caluinus describit. quam nec contritionem, nec oris confessionem, nec satisfactionem habere constat, quæ ad conuersionem aut pœnitentiã veram pertineat. Prouoco ad omnes qui de pœnitentia scripserunt. Waldens. T. 2. de sacrament. a. c. 135. Eckium, Roffensem, Pighium, Petrum à solo. Alphonsum à castro, Iacobum Latomũ Mananum victorium. Lindanum, Canum, Canisiũ, Salmeronem, Maldonatũ, Bellarminum alios innumeros. Docent contritionem non esse terrores in corde duro, sed affectũ cordis humiliati, quod à Deo nõ despicitur. Continet illa peccati detestationẽ, & bene viuendi propositum. Odiũ mali, dilectionẽ boni, renouationem Spiritus. ita D. Th. 3. parte q. 86. art. 2. l. contra gentes c. 158. & ante eũ Lombardus l. 4. dist. 14. & 15. & in eum locum Scotus, Durandus, Albertus magnus, Dominicus. Cæteri ne vno quidem excepto. Et illa sententia in Concil. Florentino, & Tridentin. sess. 14. c. 4. vbi dicitur contritio *dolor esse de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Declarat igitur Synodus, contritionem nõ solum cessationem à peccatis, & vitæ nouæ propositum, sed etiam veteris odiũ continere. Conuersionem autẽ ad Deum requirunt in ipsa contritione, quando censent dolorem summum esse debere appreciatiue: vt nihil æquet detestationi peccatorũ. Hæc potius pœnitentia Iudæ in illis inuenitur, qui fide omnia aiunt remitti, quamuis .n. peccata non detestentur, sed noua animo concipiant, si tamen sibi remissa illa imaginẽtur, liberos se ipsi pronunciant, ante pœnitentiã enim remitti peccata docent. vt Vorstius habet contra cẽtum errores Sibrandi. Hinc quando ad rem ventum est, desperare solent, vt constat ex Epistolis Crynæi quinque de Francisci Spierę ciuitatulani desperatione anno 1548. qui perfectũ Caluinistã ex eorum principijs desperãtem nobis exhibet, omniaq; cum Iuda communia habet, præter suspendiũ. Finxit aliquando se Catholicũ, sed animo hæresin tenuit, & in ea tandẽ obijt, frustra sæpe precatus alios vt se occiderent. Tertia Epist. sic rẽ describit. *Alter ex Episcopis dixit, ægritudo tua, Francisce, eiusmodi est, vt verbi Dei medicina & precatione egere videatur. Itaq; obsecrote, vt Domini precationem pronuncies: & nos eandem tecũ animis nostris comitabimur Hic ille cœpit dicere: Pater noster, qui es in cœlis: & illico lacrymæ ei oboriri cœperunt, nec vltra pronunciauit. Dicunt ei: Bene res habet, quandoquidem & doles & ploras. Et ille: Ploro, inquit, meã miseriã quoniam sentio me derelictũ à Deo: & video me non posse animũ cũ verbis, vt solebam, in hac precatione coniungere. Cumq; cohortarentur & reliqua eius precationis persequi, venissetq; ad eũ locus: Veniat regnum tuum, lacrymans dixit: O Domine, fac vt ipse quoq; in hoc regno sim, ne me quæso exclude. Vbi autẽ dixit, Panem nostrũ, subiecit: satis superq; mihi est ad hoc pascendum corpus. Sed à te panẽ gratiæ tuæ peto, sine qua sentio me mortuũ esse, idcirco in tanto terrore viuo. Cũ dixisset, ne nos inducas in tentationem, voce mœstissima: Cũ ego in tentationem inductus sim, inquit, fer opem, vt euadere ab ea possim. Inimicus ille me victis: fac mihi, vt id eueniat, quod eo versu dicitur: Victorem à victo superari sæpè videmus. Vbi precationem absoluisset, dicũt, neminem posse dicere Dominum Iesum Christum, nisi aduante Spiritu sancto: consideret se eũ habere Spiritum, quando tanta animi commotione & affectu Deum inuocare poterat. Et ille: sentio, inquit, me eum ad pœnam meam inuocare. Hac .n. mihi superest cognitio, vt eum ore inuocare possim, idq; in pœnã meam grauiorem. Nam sat scio, & vobis sæpenumero dixi, hoc quod in me videtis, esse rem nouam & inauditã. Et exclamauit Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Dicunt ei. *Si Iudas superuixisset, se recepisset ad Christum, & Deus ei condonasset: cum tamen tam graue scelus admiserit, Christum prodendo, à quo & pascebatur, & honorabatur. Et ille: Christus me quoq; & pascebat, & honorabat, inquit, nec tamen huius meæ proditionis, qua Christũ prodidi, grauitas leuior est, quam Iudæ fuit: propterea quod cum Christo fuisse, dum esset in corporis infirmitate, nihilo plus est, quam cum eo esse spiritu, eumq; spiritu cognoscere. Vere autem Iudam potuisse respiscere, id equidem non credo: quoniam ea erat ab eo facultas ablata, vt & ipse à me ablatam sentio. Tum Episcopus: Francisce, inquit, si fateris te in numero & conditione damnatorum esse, credere eis nullo modo debes, quæ præsens tibi dictat error: quoniam diabolus est mendax, & tibi mille dictat mendacia. Verum nobis fidem habeto quos bono in statu esse iudicas. Et nos tibi dicimus, Deũ tibi propitium fore, confide. Et ille: Hic nodus est, inquit. Nec vobis credere, nec Dei possum clementiæ confidere. Vellem posse. Ideo illud possum dicere, me in imperfecto, vellem, esse, Cuperem Deo posse fidere, sed nequeo. non enim in præsenti versor: quare nequeo illud dicere, volo.*

Et Epist. 2. *Mirum est*, inquit, *me Deum inuocare velle, & non posse.* addit, *se damnationem suam videre.* Et Epist. 1. p. 152. *Nihil iã credo*, inquit, *nihil confido prorsus, spem omnem abieci, damnatus sum, vt Cainus, vt Iudas, qui omni abiecta diuinæ misericordiæ spe atque fiducia, desperarunt. Ac domestici mei, & familiares errant longe, qui me non sinunt ad diaboli domũ, quo merui, cito proficisci. Cumq; de ijs, quæ dixerat, obiurgaretur, rogaretur q; ne hanc iniuriam Deo opt. Max. faceret, fiduciam clementiæ eius abijciendo: respondit: Misericordiæ eius amplissima est, complectitur .n. electos omnes, non me aut mei similes: me verò damnatio æterna complectatur necesse est, quam eiam me promeruisse confiteor quoniam eum abnegaui. Mea me damnat iudicat q; conscientia: nec alio mihi iudice opus est. Tunc dixit ei quidam Et Petrus Apostolus Christum abnegarat, qui tamen Dei misericordia fretus plorauit, eiq; peccatum condonatum fuit. Hic ille. Si Petrus, inquit, doluit, idcirco factum est, quod Christus eum respexit. Si ei condonatum fuit, non quia fleuit, sed quod eum respexit Deus.* Cũ vero de crucifixione legeretur, *Ea*, inquit, *electorum est consolatio.* Et pag. 154. *Deus qui se negarunt in fidem recipere non vult.* Et Epist. 3. p. 159. *Et ille: sentio*, inquit, *me eũ ad pœnam meam inuocare. Hæc enim mihi superest cognitio, vt eum ore inuocare possim, idq; in pœnam meam grauiorem. Nam sat scio, & vobis sæpenumero dixi, hoc quod in me videtis, esse rem nouam & inauditam. Et exclamauit: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Addit deinde. *Vere autem Iudam potuisse respiscere id equidem non credo; quoniam ea erat ab eo facultas ablata, vt & ipse à me ablatam sentio.* Et Epist. 5. p. 165. *Confirmo vobis me quidem optare vt sperem, sed sperare nequeo. Omnia dona à me Deus abstulit, fidem, spem, & alia omnia.* Quæ autem sibi sint relicta ad maius tormentum esse. Et, si vel minimam stillam diuinæ clementiæ sentire posset, non detrectaturum vel mille annos continuos, vel amplius inferorum pœnas persentiscere. Nec negat se optare mori, sibi liberos ad torquendum datos, qui vi eum in vita retineant. Dei verbum quoties audit. sibi cumulum ad damnationem esse. Denique sæpe dixit se inuidere Caino, Saulo & Iudæ. Hæc Patauij contigisse recenset Grynæus, qui tamen illo facto est in Caluinismo factus obstinatior. Talis autem incessere omnes eos solet desperatio, qui certos se de salute sua sibi persuaserunt, postquam autem illa fiduciatio cedit, in hoc barathrum incidunt. Hi in hoc tormento, quod fugere non possunt, contabescunt. His ad laqueum exemplo præit Iudas. *Horrendæ voces Caluinistæ.*

§. 2. Iudas conscientiæ flagella perferre non potuit ideo ἀπήγξατο, hoc est, suffocauit se, Syrus קְטַל נַפְשֵׁה Kanac naphschech, *strangulauit ani-*

mam

mã suam. Ideo enim ἀνεχώρησε recessit, vt secretum sceleri pereret, & nedum infamis leti ab alta trabe necteret. Vide de genere mortis Bedam de locis sanctis. c. 4. Oecum. in act. c. 5. Euthym. in Matth. c. 26. Cedrenum in compendio ex Papia. Baron. anno 34. Constat igitur desperationem causam illi mortis fuisse, & suspensum crepuisse medium, & omnia eius intestina effusa, act. 5. Hinc Chrys. in hunc locum, quantum sit malum auaritia demonstrat. *Audite auari*, inquit, *pecuniam amisit, scelus admisit.* Nec modo pecuniæ redhibitio, sed ipsum etiam suspendium Iudęis ora obstruxit, qui socij erant, imo auctores & principes malorum. Egregie Chrysost. hoc loco. Σκόπει δὲ, πότε μεταμελεῖται. ὅτε ἀπηγτίσθη καὶ τέλος ἔλαβεν ἡ ἁμαρτία. πιστὸς γὰρ ὁ διάβολος, ἐκ ἀφίησι τὸς μὴ νήφοντας ἰδεῖν πρὸ τέτε τὸ κακὸν, ἵνα μὴ μετανοήσωσιν οἱ ἁλόντες. *Tu vero cogita, quando illum pœnituit, quando ad exitum scelus iam omnino peruenit. Talis nempe diabolus est, vt non dimittat hominem (nisi vigilet) ante vltimum effectum magnitudinem peccati præuidere, ne pœnitentia ductus, à peccato resiliat.*

Auaritia.

§. 3. Augustinus l. 1. c. 17. de ciuit. Dei, contra gẽtiles monet, nunquam licere vim sibi adferre. *Nam vtique si non licet priuata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui seipsum occidit, homicida est. Et tanto sit nocentior, cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit. Nam si Iudæ factum merito detestamur, eumque veritas iudicat, cum se laqueo suspendit, scelerate illius tradit. onu auxisse potius, quam expiasse commissum (quoniã Dei misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœn tentiæ locum reliquit:) quanto magis à sua nece se abstinere debet, qui tali supplicio, quid in se puniat, nõ habet? Iudas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit; & tamen non solum Christi, verum etiam suæ mortis reus finiuit hanc vitam, quia licet propter suum scelus, alio scelere suo occisus est.*

VERSVS 6.

Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbanam: quia pretium sanguinis est.

QVÆSTIO I.

Cur non licuit mittere in Corbonam?

Corbon.

§. 1. COrbona Syriacè, locus erat, in quem dona conferebantur, quæ Deo sacrabantur. Syrus appellat בית קורבנא *Beth Kurebana*, domum oblationis; dicitur sic à קרב quod est appropinquare, & in actiuis coniugationibus, facere vt appropinquet, admouere. Estque verbum proprium sacris oblationibus. Itaque septuaginta cum de victimis agitur vertunt προσφέρειν, & ἀναφέρειν, etiam crebro προσάγειν, adducere. ἀναφέρειν offerre Leuit. 3. 14. Deu. 1. 17. προσφέρειν adferre. Exod. 29. 3. Leuit. 1. 3. & in eodem Leuitico facile quinquaſies, vt alia loca omittam. At קרבן est omne munus quod Deo offertur: quod scilicet ad Deum adduceretur. Hanc igitur pecuniam negant esse posse donum Deo gratum. Nam precium sanguinis est. Syrus retinet vocem Græcam, רטימי à τιμή, & glossa marginalis annotat מן לשון יון *Men leschon Iauan*, *Ex lingua Iauan* vel Ionica. Precium sanguinis, seu proditionis offerri Domino non licuit. Arca erat in Gazophylacio in quam inijciebãtur munera Deo dicata. Vide Marci 12. 41. Magna in ea vis pecuniarum custodiebatur, quam expendere ad aquæductum Pilatus voluit, vnde & exorta est seditio. Ioseph. l. 2. c. 8. de bello Iudaico.

§. 2. Intolerabili penitus hypocrisi seipsos eludunt. Cum ærarium sacrum infanda mercede violare, ac profanare formidant, ipsi vero innocẽtem sanguinem effundere non exhorrescunt. Quasi metallũ contagio suo locum contaminet, pactione sanguinis pollutum, mentes eorum plenæ sanguine innocenti, sint puræ. Eo vero indignior est simulatio, quod ex eadem sacra pecunia videtur sumpta, ita enim pleriq; existimant. Imitati sunt Iudæi Chios, qui cum pacta pecunia Pactyam Harpago dedidissent, & agrum Atamensem in solutionem accepissent, statuerunt nihil inde Dijs offerendum. Quod eos sceleratas victimas abominari crederent.

§. 3. Ecclesiarum opes, & quæ in templis reponuntur ad Eleemosynas arcæ occasione, Corban reprehendit Bullingerus. [Ea in re Iudaici sacerdotes multo Papisticis meliores & doctiores fuerunt. Nam hidonis sanguine adhuc madentibus, templa, aras, & idola sua ornant ineptissimi auarissimique. Docuerunt ex his aliqui rapinam, & quauis iniuria partam pecuniã, tunc legitimè possideri, cum ipsi quoque in participatum admittuntur, cum diuis, siue idolis, sacro ordini, deuotis, inquam, fratribus non exigua cedit portio. Corban exposuit S. Marcus in 7. cap. & dixit significare oblationem siue donum. Corbona igitur erat gazophylacium aut ærarium templi, in quod mittebantur & conseruabantur templi donaria. Vnde Hieron. dixit, non mittunt pecuniam in Corbonam, hoc est, in gazophylatium & dona Dei. Nostri certe sacerdotes hinc nimirum mutuarunt, & in templis constituerunt suum illum Bodenlosen Korb/ den niemandts erfüllen mag. Fuerunt quidem priscis Ecclesijs sua quoque gazophylacia, sed vnde alebantur pauperes, & subueniebatur calamitosis totique necessitati Ecclesiasticæ, studijs ac studiosis, ministrisque rerum sacrarum.

Respondeo. Quod ad idola attinet, nulla nobis sunt, nulla ornamus. Donis sanguine madentibus ornare aliquando templa, ducimus à pietate non alienũ. Gladius Goliathicus *erat inuolutus pallio post Ephod.* 1. Reg. 21. 9. Gladius infectus hostili sanguine: nec illa Deo gratiarum actio displicuit, qua tota victoria illi accepta referebatur. Nec causa vlla est, cur nõ de spolijs hostium in templa inferre liceat: imo ex illis ipsis Ecclesias licet exstruere, de bello iusto, spolijsque belli legitimo iure acceptis. Nam Deus ea dona, tanquã potentiæ, iustitiæ, clementiæ suæ monumenta non reijcit. Quocirca voluntatis suæ luculenta signa edidit Iosue 6. 18. *Vos autem cauete, ne de hũ quæ præcepta sunt, quippiam contingatis*, &c. Quicquid autem auri, & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur repositum in thesauris eius. De his thesauris 3. Reg. 7. 51. 4. Reg. 12. 18. 1. Par. 9. 26. & 26. 20. & 23. & 24. 2. Par. 5. 1. & 16. 2. Nec desijt post captiuitatẽ. 1. Esd. 8. 29. Thesaurum igitur vetus Ecclesia habuit, imo & noua positis ad pedes Apostolorum facultatibus Nec hostiũ facultatibus ad Dei gloriam vti, quicquam habet reprehensionis.

Quod vero addit: Docuisse aliquos pecuniam iniuria partam, tunc legitimè possideri cum ipsi quoque in participatum eius admittuntur: recte omnino fecisset, si illos *Aliquos* nominasset, nos enim vllos omnino negamus esse, aut si aliqui fuerunt; hoc ipso nostros esse negamus, & tanquam furtorum, rapinarumque Doctores damnamus. Quæ enim per iniuriã ablata sunt, Dominis suis, non templis, non diuis, ne Deo quidem restituenda sunt. Nã quod Guido Carmelita ait, quosdam Græcos in eo fuisse errore, vt discerent, non opus esse restitutione, sed posse fieri ex furtis Eleemosynas, ad orthodoxos non pertinet. D. Thom. 2. 2. q. 62. articul. 5. docet restituendum Domino

Domino, atq; ita in eum locum omnes eunt interpretes Bannes, Sotus, Lessius. Quod si facultas restituendi nulla est, propositum sufficit, sed cum facultas redit, ipso facto omnia sunt restituenda. Augustinus Epist 54. ad Macedon. *Si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur; sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Quod si hæreticos consulamus, necessario dicendum est, remitti peccatum quamuis non restituatur ablatum. Nam eorum peccatum ante pœnitentiam remittitur, hoc est, non imputatur. Ante restitutionem igitur remittitur, solâ fide. Restitutio enim bonum opus est, at bonum opus sequitur, inquiunt, non præcedit iustificationem. Deniq; si homicidium & adulterium Dauidis, non fecit eum iniustum, nec Spiritu sancto eum priuauit, cur Caluinianos furtum aut rapina de suâ fiduciâ, iustitiaq; indelebili deijceret?

Nec restitutio tamen Iudam absoluit, vt docet S. Ambros. in c. vltimum Daniel. Serm. 2. *Magnum igitur dominicæ innocentiæ testimonium est, dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede. Dum enim miser refugit venditionis pretium, putat se facinoris sui soluere posse contractum. Sed nec iste absoluitur. Dum enim auctor venditionis suæ reus, constat istos sceleratum cum sacrilego iniisse contractum. Sua ergò sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum forte sit vobis quod non eum populus iudicauerit, non præsis addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt impietatem suam ipse dum recordatur, & puniat scelus suum dum recognoscit, & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia suâ sententiâ condemnatur.*

VERSVS 7. & 8.

Consilio autem inito, emerunt ex illis agrũ figuli in sepulturã peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsq; in hodiernum diem.

QVÆSTIO I.

Cur agrum emerunt?

§. 1. DVplicem exreditâ pecuniâ commendationẽ postulabant: Pietatis integerrimæ, & inter se contaminatissimæ, quod in corbonam sanguinarium illis argentum pij & mites Sacerdotes non mitterent. Deinde summæ liberalitatis, quod in sepulturam peregrinorum tantam summam expenderent. Ideo enim agrum figuli emerant. In Syro vocatur אגרסא *agursa*, nisi forte sit legendũ Mem pro Samech. In margine Syri textus additum פרושו שדה *interpretatur* Schadè, ad est, agrum. Ager autem celeber, & notus esse videtur. Pro peregrinis vel Iudæis vel Gentibus fuisse emptum apparet, præcipue tamen gentibus. Iudæorum enim peregrinis iam olim de sepulturâ prospectum esse probabile est. Gentium magna multitudo Ierosolymam confluebat, & in eo loco præsidium erat Romanorum. Illis igitur sepulturam emendo gloriam comparare, & factum obscurare contendebant, verum Deus alio euentu consilia humanæ prudentiæ destruxit, & dissipauit.

Namagrum illum celeberrimum Deus esse voluit, adeoque mutato nomine vocari *Haceldema agrum sanguinis*. Verissime Chrysostomus Ἴδες πάλιν ἄπιστος καθηλωμένους αὐτοὺς τοῦ συνειδότος; ἐπειδὴ γὰρ ἤθελον ὅτι τὸν φόνον ἠγόρασαν, ἐκ ἔβαλον εἰς τὸν κορβανᾶν, ἀλλ' ἠγόρασαν τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. ἐγένετο δὲ καὶ τοῦτο μαρτυρία καὶ αὐτῶν, καὶ τῆς θεοδοσίας ἔλεγχος. τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ χωρίου, σάλπιγξ λαμπρότερον ἐκήρυττε πᾶσι τὴν μιαιφονίαν αὐτῶν. καὶ ὁδὲ ἀπλῶς αὐτὸ πιθανὸν, ἀλλὰ συμβάλλον λαβόντες, καὶ παντάχοῦ δὲ ἔτως, ἵνα μηδεὶς ἀθῷος ᾖ τοῦ πολυμηχάνου, ἀλλὰ πάντες ὑπόδικοι. *Vides rursus propria eos conscientia condemnari, quoniam enim non ignorabant iniquè se hominis eadem cœmisse, noluerunt in corbonam pecuniam deponere, sed agrum in peregrinorum sepulturam emerunt: quæ res proditionis aduersus illos testimonium est. Nomen enim loco illi inditum omni clarius tuba sceleratam eorum prædicat eadem: nec simpliciter, sed consilio congregato id factum. Et in omnibus sic procedunt, ne aliquis ab hoc crimine innocens sit, sed omnes simul hac magnitudine peccati premantur.*

§. 2. Nec eâ tamen inuentiunculâ causam suam meliusculam fecêre sacerdotes. Vtrosque enim propria sententia ferit. Ambrosius enarr. in Psal. 61. in illa verba: *precium meum voluerunt repellere. Prin ipes synagogæ suo se condemnant iudicio. Profitentur enim pretium esse sanguinis quod dederunt, dum arguunt refundentem. Nam si recipiendum non fuit, nec soluendum fuit. Atq; vtinam aut non dedissent, aut quia dederant, nec recepissent. Repudiarunt enim, quod in corbonam mittere noluerunt, & emerunt indè agrum in sepulturam peregrinorum. Meritò ergo gentiles, quibus agri eius qui morte emptus est Christi, sepultura profecit, iam non sunt aduenæ atq; peregrini, sed ciues sanctorum facti sunt, & domestici Dei; quia consepeliuntur Dei filio: Iudei autem, qui passionis eius pretium repudiarunt, peregrinantur à Christo. Tolerabilior illis vel in hoc proditor, quod confitetur errorem: illi autem crimen suum excusando acerbant. Verecundior est enim confessio post delictum. Impudenter igitur refellebant commune sacrilegium confitentem, dicentes: quid ad nos? tu videris.*

Diuino igitur ista consilio euenerunt, vt ager monumentum esset, & iniquæ cædis, & redemptionis, vt in eius aspectu & nomine suorum verborum recordarentur, cum dixerunt. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Mansit enim nomen agri ad Hieronymi vsq; tempora. Haceldema in Græco textu non habetur. Syrus vocat חקלא דדמא *ager sanguinis* quod χωρίον, *villam, agrum sanguinis* significat. Verum Petrus Actor. 1. *Haceldema* dictum ait, quod proprie agrum sanguinis significat.

§. 3. S. Chrysostomus Iudaicam illam Eleemosynam condemnat ex Malach. Prophetâ, *Altare meum lacrymis operiebatis.* Non enim rapina nutriri vult Christus. Ambros. l. 10. in Lucam. Gentium conuersionem hic prædictam interpretatur. *Amentes* (Sacerdotes) *planè, qui putent solui se magis auctoris scelere quam teneri. In pecuniariis causis refuso pretio ius soluitur: hi pretium recipiunt, & sacrilegium prosequuntur, ac pertinacibus studiis funestum sibi vindicant sanguinis auctionem, cum refunderet venditor sacrilegij mercedem. Euidenter itaq; dum pretium sanguinis à Iudæorum gazophylaciis separatur, & ager figuli ea qua venditur Christus comparatur pecunia; dum is locus humandis peregrinorum reliquis dicatur, & Prophetia impletur oraculum, & surgentis Ecclesiæ mysterium reuelatur.*

Grauis fuit exprobratio sceleris, nam & publice Iudas de innocentia protestatus est, & pecuniam proiecit in templum, hoc in atrium, vbi multæ myriades populi erant tempore Paschatis; non enim in templi interiora adyta venire potuit. Proditoris autem ratũ erat testimonium, cum turpitudinem facinoris, quæ sola proditi scelere tegi poterat, eiusdem innocentia appareret.

§. 4. Bullingerus Chrysostomum dicentem non sine querela, Episcopos esse velut œconomos pauperum, atque id contra nostros Episcopos intorquet, quos ait esse militiæ magistros. Vt res intelligatur, audiendus est ipse Chrysostomus. *Veniat in mentem vobis*

octo millia Leuitarum Iudæos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos: præterea muneribus aliis subiectos militiæ quoq; operam dasse: nunc autem agros, domus, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaq; alia huiusmodi propter vos, & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat enim hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non paruos ex vestra deuotione consequi fructus. Modò autem duo quædam mala committuntur. Nam vos quasi nihil dare debeatis, nihil conferitis, & Dei sacerdotes à sacerdotio aliena pertractant. An non poterant etiam tempore Apostolorum domus & agri ab Ecclesia possideri? cuius igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multò melius erat profectò. Nunc verò secularium curarum vobis furentibus, timor nostros inuasit patres, ne dum colligere ac nihil seminare studeatis, viduarum orphanorum, & virginum multitudo fame depereat, quare commoti hæc sibi comparare coacti sunt. Non libenter ad hanc se deformitatem immiserunt, qui desiderabant fructus ex vestra deuotione sic acquirere, vt orationibus solum attendere possent: nunc verò coëgistis eos eorum qui secularia gerunt negotia, curam & gubernationem imitari, vndè vniuersa commiscentur atq; turbantur. Cùm enim & nos eadem qua vos sollicitudine teneamur: quis propitium faciet Deum? Propterea os aperire non possumus, quia non melius Ecclesia quam secularia gubernantur. Non audistis, quia nec quidem has pecunias, quæ adhuc labore fuerunt collectæ, distribuendas putauerunt Apostoli? Modò autem in procuratores, dispensatores, cauponesq; redacti Episcopi sunt obstarum rerum curam & solicitudinem. Cumq; oporteat ipsos animarum habere curam vestrarum, hoc prætermisso illa sollicitè curant, quæ publicanis, quæstoribus, atq; villicis curanda sunt, de his quotidiè cogitant & peruigilant: Hoc non frustrà deploro, sed vt harum rerum correctio & mutatio quædam in melius fiat, vt & nos qui grauem hanc seruitutem patimur, misericordiam consequamur, & vos fructus & thesauros Ecclesiæ præparetis: Si autem ita fa ere non vultis, ecce antè oculos vestros pauperes sunt, ex quibus quotquot potuerimus alere, non negligemus: quos verò non possumus, vobis dimittemus: quos alite oro diligenter, ne in terribili die iudicij illa verba quæ aduersus immisericordes dicentur, audiatis: Famescentem me vidistis, & non aluistis.

Auaritia populi Sacerdotes fecit œconomos.

Queritur merito Chrysostomus, sed de populo non autem Episcopis. Ecclesiam ait possidere opes, sed causam esse ait, δι' ὑμᾶς, καὶ ὑμετέραν ἀπανθρωπίαν. Propter vos, & vestram inhumanitatem. Nam populum habere thesauros, & liberales esse debere. Nunc illos nihil dare. Imo esse περὶ τὰ βιωτικὰ μανουένους, furere circa res huius vitæ. Ideo timuisse patres ne pauperum multitudo fame periret, coactus ad hæc se dimittere. Coactos autem à populo. Imo seipsum in eorum numero collocat. Seruitutem grauem iudicat. Officia deinde sacerdotum proponit, nutrire inopes, oppressos protegere, peregrinos curare, orbos, viduas, virgines defendere. Ratione porro Sacerdotes eo onere liberandi ipse proponit. Καὶ γὰρ τῇ τοῦ θεοῦ χάριτι εἰς δέκα μυριάδων ἀριθμὸν οἶμαι τοὺς ἐνταῦθα συναγομένους τελεῖν, καὶ εἰ ἀφ' ἑνὸς ἄρτου μεταδίδοτό τινι τῶν πενήτων ἕκαστος ὑμῶν, ἅπαντες ἂν ἦσαν εὐποροι, εἰ ἐξ ἑνὸς μόνον ὁβολοῦ, οὐδεὶς ἂν ἦν πένης, οὐκ ἂν τοσαῦτα ὑπομείναμεν ὀνείδη καὶ σκώμματα διὰ τῆς τοῦ τὰ κτήματα σεσεισθαι. Gratia enim Dei centum millia hominum huc conuenire opinor, quorum singuli si vnum panem quotidie pauperi cupiam offerent, omnes certe pauperes abundarent: si vnum vnusquisq; obolum saltem modo, nemo penitus indigeret: nec tot probra & conuitia sustineremus, quod nimium ad possessiones simus attenti.

Verum manet hodieq; illa plurimorum inhumanitas, & plerunque diuitum. Mediocrium enim ciuium largior est manus, diuitum est in magnis opibus maxima tenacitas.

Denique optat multos scaturire fontes, areamque atque torcular, populi deuotionem nobis fieri. Ideoq; nunc quoq; respondeo, excitetur deuotio populi, & opibus tam magnis Ecclesia non egebit.

Quod si aliquorum ne quitiâ, aut luxu Ecclesiæ bona dissipantur, habent & illi iudicium damnationis. Vt etiam alij sæculares, qui iniustè illa occupant: Videmus enim nobiles familias & principales ob bonorum Ecclesiasticorum rapinam varijs modis quotidie interire. *At multi Episcopi sunt præfecti militiæ.* Si suâ voluntate, non excuso: si miserabili necessitate, non damno. Vices eorum doleo. Tam cogunt hæreticorum violenta consilia πολεμεῖν, bellare, quam Laicorum tenacitas οἰκονομεῖν, rerum secularium curam gerere. Oeconomus fures, abigeos, fraudatores abigit. Bellator latrones & hostes. Si vero hic verâ trutinâ rem exploremus, facile inueniemus quis in culpâ sit. Præsul, quem suâ sponte quietum, suis contentum, publico latrocinio sectarij inuadunt, an vero illi Episcopatuum, eo tempore, quo Bullingerus ista scribebat, partitores. Episcopos accusat, quod occidi se, oues suas diripi non permiserunt. Illos laudat, qui nefarium bellum contra omnia iura Episcopis intulerunt. Illi alienâ crudelitate coacti aliquando percusserunt in gladio, ne caderent.

VERSVS 9. & 10.

Tunc impletum est, quod dictum per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

QVÆSTIO I.

Quæ Prophetia citatur?

§. 1. IN Græcis & Latinis examplaribus Ieremiæ ponitur. In Syro nomen Prophetæ omittitur. Hinc triplex expositio. Multi ex loco Ieremiæ non edito, sed qui olim fuerit, esse Prophetiam putant. Alij esse librariorum errore pro Zacharia Ieremiam. Alij nullius nomen Prophetæ apponendum. Nameorum sententiam, qui errasse Euangelistas calumniati sunt, non refero inter eas, quibus scriptura exponitur, sed quibus deprauatur. Quartam expositionem addit Erasmus; nempe Zachariam fuisse binominem, vocatum etiam Ieremiam. Quam etiam reijcio, quod nusquam id in eo Prophetâ legatur, aut alio. Deinde quod Ieremiam omnes intelligant illi tũ esse, qui tempore Iosiæ, & captiuitatis vixit, nec dubium videretur nomen, addo nec veteres Iudæos, nec Christianos vnquam existimasse Zachariam etiam vocari Ieremiam. Itaq; hoc est fugiendæ difficultatis inane commentum. Ieremi nomen.

§. 2. Erasmus memoriæ lapsum concedit, & id sentire Augustinum asserit. Verba Erasmi sunt. [Cæterum etiamsi fuisset in nomine dumtaxat memoriæ lapsus, non opinor quemquam adeò morosum esse oportere, vt ob eam causam totius scripturæ sacræ labascaret auctoritas, præsertim cum Augustinus libro de consensu Euangelistarum 3. cap. 7. tribuat audaci imperitiæ, quod in nonnullis codicibus pro Hieremia scriptum inueniatur Zacharia: putat autẽ Germanam & Apostolicã scripturam esse Hieremia. Nominis autem errorem tribuit lapsui memoriæ, cui alid nomen pro alio occurrerit, ita occultis de causis spiritus

» Spiritu sancto moderante scriptoris mentem. Idem » in hoc opere multis locis tribuere videtur obliuionē » quandam & reminiscentiam Euangelistis, siue dum » post illis in mentem venit, quod multo ante fuerat » gestum, atq; hinc subindè distinguit ordinem recor- » dationis ab ordine rerum gestarum: siue dum alijs » verbis eandem efferunt sententiam, veluti, cum vnus » ait, non sum dignus portare calciamenta illius, alius, » non sum dignus soluere corrigiam calciamenti illius: » quam v. erq; declaret summa excellentiam Christi.]

Respondeo. Augustinum non sine manifestâ calumnia citari. Nunquam enim Augustinus nominis errorem vocat, aut tribuit lapsui memoriæ. Sed vetustum nomen secreto Dei consilio, pro alio positum esse, idq; moderante Euangelistæ calamum Spiritu sancto, cui nullus error, nihil ab errante homine, attribui potest. Augustinus meâ defensione non eget, valdè ille quidem in nodo difficillimo soluendo laborat, nihil tamen auctoritate scripturarum indignum adfert. Eum igitur audiamus, & apparebit, quam sit periculosum illis fidere, qui parum fidelitèr scripturas exponunt. l. 3. cap. 7. de consent. Euang. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt filij Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Si quis autem mouetur, quod hoc testimonium non inuenitur in scriptura Hieremiæ Prophetæ, & ideo putat fidei Euangelistæ aliquid derogandum, primum nouerit non omnes codices Euangeliorum habere, quod per Hieremiam dictum sit, sed tantummodo per Prophetam. Possumus ergò dicere his potius codicibus esse credendum, qui Hieremiæ nomen non habent. Dictum est enim hoc per Prophetam, sed Zachariam: vndè putatur, codices esse mendosos, qui habent nomen Hieremiæ, quia vel Zachariæ habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam, sed tantum per Prophetam dictum, qui vtiq; intelligitur Zacharias. Sed vtatur ista defensione, cui placet: mihi autem cur non placeat, hæc causa est, quia & plures codices habent Hieremiæ nomen: & apud diligentius in Græcis exemplaribus Euangelium consideratum, in antiquioribus Græcis ita se perhibent inuenisse: & nulla fuit causa, cur adderetur hoc nomen, vt mendositas fieret. Cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit vtiq; causa, vt hoc audax impunitas faceret, cùm turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Hieremiam non inueniretur. Quia ergò intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiore prouidentia Dei, quam mentes Euangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri, vt animo Matthæi Euangelium conscribentis ipse Zacharias Hieremias occurreret, vt fieri solet: quod tamen sine vlla dubitatione emendaret, saltem ab alterius admonitus, qui ipso adhuc in carne viuente, hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordatus suæ, quæ sancto Spiritu revelabatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen Prophetæ, ista agente ita Domino hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa vtilissima debet facilitatem dare: etiam licere insinuatum, ita omnes sanctos Prophetas vno Spiritu loquutos, mirabili inter se consensione constare, vt hoc verius sit, quam si omnium omnia Prophetarum vox vnius hominis ore diceretur: & ideò indubitanter agnoscere debere quecumq; per eos Spiritus sanctus dixit, & sic generalissimum, & omnia singulorum. Cum igitur & quæ dicta sunt per Ieremiam, tam sint Zachariæ quam Ieremiæ, & quæ dicta sunt per Zachariam, tam sint Ieremiæ quam Zachariæ: quid opus erat, vt emendaret Matthæus, cum aliud pro alio nomen occurrens, à se scriptum reliquisset? Ac non potius quemcunq; auctoritatem Spiritus sancti, à quo mentem suam regebat, sibi ille vtiq; sentiebat, ita hoc scriptum vel inquiret, sicut ante eum à nouo constituerat ei Dominus: ad informandum, tam iam verborum suorum inter Prophetas ipsos concordiam, vt non absurdè, imò congruentissimè etiam Ieremiæ deputetur, quod per Zachariam dictum reperimus. Si enim Ieremias quispiam volens alicuius verba indicare, dicat nomen alterius à quo dicta non sint: qui tamen sit amicissimus & familiaritate coniunctissimus illi cuius verba dicere voluit: & continuo recordatus aliunde pro alio se dixisse, vera se colligat atq; corrigat, vt tamen dicat, bene dixi, quid aliud intuens nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum cuius verba dicere voluit, & alium cuius ei nomen pro illius nomine occurrit, vt tale sit hoc ipsum dixisse, quale si ille dixisset: quanto magis hoc de Prophetis sanctis intelligendum & maximè commendandum fuit, vt omnium libros tanquam vnius vnum librum acciperemus: in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inuenitur, & in quo maior esset constantia veritatis, quam si omnia illa vnus homo quamlibet doctissimus loqueretur. Quot ergò hinc argumentum sumere conantur vel infideles vel imperiti homines, quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum Euangelistarum, hæc potius debent assumere fideles & docti ad ostendendam vnitatem sanctorum etiam Prophetarum. Est & alia causa, quæ mihi videtur alio tempore diligentius pertractanda, ne amplius sermonem protendamus quam huius operis terminandi necessitas flagitat, cur hoc nomen Ieremiæ in testimonio Zachariæ, sic manere permissum vel potius Sancti Spiritus authoritate præceptum sit. Est apud Ieremiam, quod emerit agrum à filio fratris sui, & dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretij quod positum est apud Zachariam, triginta argenteos, veruntamen agri empti non est apud Zachariam. Quod autem Prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Euangelista, quod modo de Domino completum est, vt hoc esset pretium eius, manifestum est: sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto quod Ieremias dicit, hinc potuit mysticè significari: vt non hic Zachariæ nomen poneretur qui dixit triginta argenteis, sed Ieremiæ qui dicit de agro empto: vt lecto Euangelio atq; inuento nomine Ieremiæ, lecto autem Ieremia & non inuento testimonio de triginta argenteis, inuento tamen de agro empto, admoneatur lector vtrumq; conferre, & inde sensum enodare Prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc quod in Domino impletum est. Nam illud quod subiecit huic testimonio Matthæus, cum ait; quem appretiauerunt filij Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus: non apud Zachariam nec apud Ieremiam reperitur: Vndè magis ex persona ipsius Euangelistæ accipiendum est, eleganter & mystic è insertum, quia hoc ex Domini reuelatione cognouerat, ad hanc rem quæ de Christi pretio facta est, huiusmodi pertinere Prophetiam. Liber quippe empti agri apud Ieremiam iubetur mitti in vas fictile, & emitur hic de pretio Domini ager figuli, & hoc ad sepulturam peregrinorum tamquam ad permansionem quietis eorum, qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per Baptismum. Nam & illa emptionem agri hoc significare Ieremiæ dicit Dominus, quia erit permansio de captiuitate liberatorum in illa terra. Hæc tamquam delineanda arbitratus sum, cùm admoneremur quid in his Prophetici testimonij in vnum redacti, & Euangeliæ narrationi collati, diligentius attentiusq; requiratur. Hæc interposuit Matthæus de Iuda traditore.

§. 3. Hinc igitur planissimum est, Augustinum, nullum memoriæ lapsum Euangelistis tribuisse. Nec morosus censendus est qui tantæ auctoritatis scriptu- *Scriptores*
ram arbitratur, vt nullus ne minimus quidem fuerit *sacros erro-*
in scriptore lapsus, sed qui errasse aliquâ in re sacros *ris arguere*
scriptores iudicat, infidelis est. Hanc Erasmi opinio- *est esse infi-*
nem Calumnus & alij hausetunt, quos idcirco in suâ *delem.*
defensione Vorstius perstringit, non vt damnet, sed ne duritus contra suos errores agatur. Principium tantæ blasphemiæ est ab Erasmo. Nam hæretici scripturis non credunt, cum enim redarguuntur ex scripturis, veritantur in accusationem Prophetarum & Apostolorum, quasi vera non scripserint. Vorstius responsione ad alias fratrum obiectiones morem istum ostendit. Denique obiicitur inprimis illud de Apostolis, aliisq; N. T. scriptoribus, quod dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoria labi potuisse, sed an non eadem aut similia habet Caluinus? cum interdum

„ terdum eosdem scriptores aut superflua quædam tra-
„ dere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem
„ temporis in historia turbare, aut quædam ex V. T.
„ minus appositè citare, &c. non obscurè scribit? Pro
„ multis sit vnus ille locus in 1. Ioan. 2. 14. Vbi disertè
„ ait, repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his
„ scilicet verbis: scribo vobis pueri. Sed vt Caluinum
„ hic omittamus, quid de Francisco Lumo videtur? qui
„ in locis communibus recenter hic impressis, lib. cap.
„ 19 non veretur affirmare: Scriptores noui testamen-
„ ti aliquando scientes, præter veritatem historiæ quæ-
„ dam scripsisse, ficenim apertè scribit pag. 61. & 62.
„ Eos interdum recepto errori aliquid ex caritate con-
„ donasse, & propter opinionem publicam à veritate
„ historiæ deflexisse, adeoq; præter veritatem quædam
„ sacro texrui inseruisse. Plura id genus exempla ex
„ Doctoribus nostris, vbi opus erit, alia occasione ad-
„ ferri poterunt.]

§. 4. Probabile est, verba quæ citat Euangelista ex Ieremiæ Prophetiâ desumpta esse. Vel aliquâ quæ interijt, olim tamen nota fuit, vel quæ scripta non fuit, sed traditione nota. Nec dubium est in lamentationibus super Iosiam multa de Christo fuisse prophetata, quæ olim notissima, nunc interierunt. 2. Par. 35. 24. *Et vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè: cuius omnes cantores, atq; cantatrices vsq; in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in lamentationibus.* Quin & alia fuerunt à Ieremiâ scripta, vt constat ex 2. Maccab. cap. 2. 1. Vbi agitur de *descriptionibus Ieremiæ*, & historia narratur. Multa prophetasse eum, quæ non sunt scripta, ex varijs locis constat, vt cap. 20. 8 & 25. 3. à tertio decimo anno Iosiæ factus est sermo ad Ieremiam, & scripta tamen non sunt, nisi quæ à diebus Ioakim regis Iuda sunt gesta, cap. 1. 3. & cap. 30 2. omnia verba in libro scribere iubetur, quæ Dominus ad eum locutus, at illa quæ tempore Iosiæ prophetauit, scripta non sunt.

Ieremiæ multa scripta perierunt.

Deinde duplex volumen, quod cap. 36. ex ore Ieremiæ Baruch descripsit, non exstat. Nam qui exstat, eius aliud est argumentum, & lectus est Babylone, non Ierosolymis, vt est Baruch, cap. 1. v. 2. Non mirum ergo si hæc in Ieremiæ libris fuerant, qui nunc desiderantur.

Euincit hoc ipsum auctoritas veterum. Nam tempore Tertulliani, Origenis, Hieronymi lectio illa vsitata fuit. Tertullianus l. 4. contra Marcionem, quasi certo Ieremiam citat, cap. 40. *Nam & quantitatem, & exitum precij postea Iuda pœnitente reuocati, & in emptionem dati agri figuli, sicut in Euangelio Matthæi continetur, Hieremias præcanit.* Cum vero illo tempore ita vsitata fuerit illa lectio vt nemo eam, nisi quidam audaci imperientia, apud Augustinum sustulerit, ne nunc quidem mutanda videtur.

Nec tamen aliorum, vt Iansenij in Concord. c. 111. Ruperti damno interpretationem, qui vel nomen Prophetæ omittendum, vt fit in Syro, vel posito Zachariæ nomine corrigendum censent. Sed hanc vt dixi veriorem existimo, quæ in omnibus libris nunc legitur. Et quam nemo mutare prudens ausus est.

QVÆSTIO II.

Quomodo Prophetia Zachariæ conueniat cum verbis Euangelistæ?

Conciliatio Prophetæ

§. 1. NOn est necessaria nobis illa Zachariæ, & Matthæi conciliatio, cum ex Ieremiæ scriptis, quæ superesse ad nostra tempora Deus noluit, & Euangelistæ testimonium sumptum dicamus. Si tamen ad Zachariam referre cupiam lubeat, aliquod discrimen inter Prophetæ verba, septuaginta interpretes, Euangelistam reperiet. Prophetæ verba ita habent c. 11. 12. *Et dixi ad eos: si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Proijce illud ad statuarium, decorum precium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in Domum Domini ad statuarium.* Ita habent Hebræa ad verbum. Vbi in Hebræo יוצר est fictor, figulus, statuarius. Potest & veteri *Thesaurarius. Decorum precium est.* אדר חיקר *Eder h icker, Deus precij, vel magnificentiæ, gloriæ.* At 70. interpretes καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτούς; εἰ καλὸν ὑμῖν ἐστι. δότε τὸν μισθόν μου, ἢ ἀπείπασθε. καὶ ἔστησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργυροῦς, καὶ εἶπεν κύριος πρός με. κάθες αὐτοὺς εἰς τὸ χωνευτήριον, καὶ σκέψομαι εἰ δοκιμόν ἐστι, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθη ὑπὲρ αὐτῶν, καὶ ἔλαβον τοὺς τριάκοντα ἀργυροῦς, καὶ ἐνέβαλον αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον κυρίου εἰς τὸ χωνευτήριον. *Et dixi ipsis, si bonum vobis videtur in conspectu vestro, date mercedem mihi, vel denegate, & constituerunt mercedem meam triginta argenteos; & dixit Dominus ad me: Pone eos ad fusorium, & videbo, an probatum sit, sicut ab illo probatum est, & accepi triginta argenteos, & proieci eos in domum Domini ad fusorium.*

Syrus interpres habet, & accepi ורשבה *deneshah*, & eodem modo, *dedi*. Pro appreciauerunt habet סקצו *ketsu, pacti sunt.*

Non tamen repugnat Prophetia & Euangelium. Nam Matthæus Prophetiam expletam refert, ideo sensum eius interpretatur. Nam Propheta sustinet personam Iudæ, qui precium accepit, & proiecit ad statuarium in templum. Illa autem verba; *sicut constituit mihi Dominus*, in veteri testamento non sunt. Videatur & Hieronymus de optimo genere interpretandi, & Origenes in hæc verba, qui sumpta putat ex ἀγράφων Iudæorum monumentis seu traditionibus: nam hæc verba difficulter sane accommodantur. Vide Riberam nostrum in Zachariam, Locum porro vniuersum Christo hunc in modum accommodant. Queritur Dominus se Israëlis esse pastorem, sed cum gregem parum proficere videret, quasi indignatus irritum impendi laborem ingratis, frangi imperat iurgam, seu pastorale pedum, quo facto, officio quasi renunciat: Tum vero omnino deijciantur animis, mercedem postulat: appendunt autem triginta argentos, sacrificia, & cæremonias legis Domino tependentes. Dominus vero proijci in templum iubet ad statuarium, quasi dicat; non egere se precio. Figulorum hoc esse, qui Deos fabricantur, & precio vendunt. Hoc ergo precio dominum Deum veteres Iudæi æstimarunt, & nunc etiam Sacerdotum principes, quod Iudas proiecit in templum, principes mittunt ad figulum. Discrimen in eo duntaxat inuenitur, quod vetereis illi pastorale officium Domini sui eâ mercede pensarunt, hi autem sanguinem Domini eo precio æstimarunt.

Empti Propheta

VERSVS 11. 12. 13. 14.

Iesus autem stetit ante præsidem & interrogauit eum præses dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus. Tu

Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer.

QVÆSTIO I.

Cur Pilato nihil respondit?

§. 1. ACcusatur à multis, & de varijs criminibus; sed non reddit illi rationem ad vllum verbum, vt habet Syrus. Idq; licet staret ante præsidem nempe in aulam interiorem admissus. Ioan. 18. 29. Pilatus miratur vehementer. Nempe hominem innocentissimum, non cohærentibus testimonijs falso accusatum. Deinde eloquentissimum, qui aduersarios hactenus insigni constantiâ retuderat, sese deserere, nec responsum dare ad ea, quæ dilui, & confutari magnâ gloriâ poterant. Nam auditâ defensione absoluere reum cupiebat. ἠθέλησε αὐτὸν ἀπολογίαν ἀπολογήσασθαι, inquit Chrysost.

Silentium Christi patientiæ, & mansuetudinis erat documentum: ne solliciti simus, si ad regum tribunalia per calumnias tracti damnemur. Indigna subiectio erat filio Dei, vt ad improbi hominis tribunal sisteretur; sed nos eo modo Deo reconciliat, ne ab illo iudice damnemur. Tacebat igitur: nam calumniæ inanes, etiam nemine refutante, euanescebant. Tam bona causa erat, vt ne auditum quidem reum absoluendum Iudex pronunciaret. Efficax igitur silentium erat, vt docet Athanas. de passione & cruce. Μὴ κρίνων δὲ ὁ σωτὴρ ἄδηλον κατενοεῖτο τῶν Ἰουδαίων ὁ κατ' αὐτοῦ φθόνος· κρίθεὶς δὲ αὖτε λοιπὸν, οὐδενὰ λαθεῖν οὕτως ἠδυνήθη, καὶ πιλᾶτος μαρτυρεῖ τῷ σωτῆρι ἐμαρτύρησε τὸ αἴτιον καὶ καθαρὸν, τῶν δὲ ἰουδαίων τὴν ἐπιβουλὴν ἐξήγγειλεν. *Si iudicatus Dominus non fuisset, incerta fuisset Iudæorum inuidia. Postquam autem condemnatus est, latere neminem potuit. Pilatus quidem eius innocentiam, & puritatem, & insidias Iudæorum testatus est.*

Et Chrysost. in hunc locum, ἤδει δὲ εἶχον ὅπ κατηγόρουν αὐτοῦ, καὶ ταῦτα σιγῶντος. ἀλλ' ἠλέγχοντο καὶ ἔτως, διὰ τὴν τῶν δικαιωμάτων ἀθεσίαν, καὶ σιγῶν ἐνίκα αὐτὸς μηδὲν λέγοντας καὶ μαινομένους. *Nihil enim habebant prorsus, quod etiam aduersus silentem obijcerent: sed cumulo iustitiæ illius etiam silentio redarguebantur, ita & tacendo dicacitatem atq; furorem illorum superabat.*

§. 2. Nec dubito tamen quin excelsa & heroicâ fortitudine Christus silentio accusationes discusserit, quod indignum iudicarit professis sycophantiam se opponere. τῶν ἐγκαλούντων, inquit Theophylactus, ὑπερεῖδε. *Accusatores contempsit.* Vt olim Scipio cum accusaretur; *Hodie*, inquit, *vici Hannibalem.* & comitatus auditorio in capitolium ascendit, indignatus cum illis litigare, quos seruarat. Quanto magis rex noster mendacia contemnere debuit?

Causa etiam tacendi erat, iudicis & accusatorum prauitas. Ita etiam Theophylact. ἄλλο μὲν οὐδὲν ἀπεκρίνατο· ἦδη γὰρ τὸ κεῖσθαι κρεῖττον ἢ τῷ λόγου σοφίζεσθαι. *Aliud non respondit, vidit enim rectam rationem iudicium non exercere.* Si multis & efficacibus se argumentis Dominus purgasset, innocentiæ suæ dignitatem potius imminuisset; cum enim Pilatus tandem minis adactus in mortem traditurus esset innocentem, sacerdotum Principes, quasi victoriâ potiti, etiam contra eius innocentiam triumphassent, quasi operosè se defendens, nulla eloquentia causam suam probare iudici potuerit. Nunc silentem Iudex absoluit, quamuis re ipsa condemnet, Itaque Dominus etsi tacuit, satis dixit.

QVÆSTIO II.

Quomodo Rex fuerit?

§. 1. ALia à Iudæis obiecta crimina, tanquam friuola, & manifestè falsa, aure iusta Pilatus præterit. Crimen affectati regni examinat, tum quia ingens & periculosum, præsertim Tiberij imperio erat: tum quia speciem habebat, sequentibus Christum turbis, & ante dies paucos effusa ad eum venientem tota vrbe, & acclamante veluti regi.

Nec tamen in eo regni affectati vlla indicia reperiebat. Non clandestina consilia, non arma, non miles, non opes aceruatæ. Itaque nec hanc rem Pilatus vrget, nec reum credidit, sed cum dicerent: *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*: metu calumniæ damnauit innocentem.

§. 2. Christus sacerdos in æternum spiritualem potestatem habuit, Matth. 28. Data est mihi omnis potestas. Sic Ioan. 21. Ephes. 4. 1. Cor. 12. 2. Cor. 13. & Luc. 22. & Ioan. 20.

Regnum igitur summum spirituale, maximumq; dominium in animas & corpora ex ea potestate habuit. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem sanctum eius.* Psal. 2. *Et postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Sic Isa. 9. Ezech. 21. & 34. Huic potestati fuit etiã adiuncta plenissima omnium rerum, & causarum temporalium potestas. Hinc mandata & leges ab eo latæ, & à Paulo tribunal inter Christianos erectum. Verè itaq; rex Iudæorum fuit, quamuis Dominatu regio vsus non fuerit, ne si Rempublicam attigisset, ambitionis, & tyrannidis suspicionem de se præberet. Moses Deut. 18. regiam eius potestatem indicat, c. 18. & Luc. 1. Promittitur illi sedes Dauidis patris eius, non tantum spiritalis, sed etiam temporalis. Neq; enim pars regni Dauidici, sed plena & absolutissima iurisdictio Christo collata est. Regnum igitur absolutum in orbem terrarum habet, & per reges, & ministros suos exercet. Negat tamen regnum suum esse de hoc mundo, hoc est, esse tale, quale est Regum huius mundi, vt alios Reges excludant, cum metu teneant, vi & armis propugnent, & propagent.

VERSVS 15. 16. 17. 18. &c.

Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum quem voluissent, habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christus cum Barabba comparatus est, & illi posthabitus?

§. 1. DVobus modis Pilatus innocentem liberare nititur, consuetudine diei festi, quâ vinctum donare populo solebat, & comparatione cum Barabba, insigni ἐπισήμῳ famoso homicidâ, non enim adeo amentes fore arbitrabatur, vt eum, qui tot infirmos sanarat, etiam mortuos excitarat, postponerent seditioso, & homicidæ. Ne vero causari posset quispiam sibi Barabbam ignotum fuisse, idcirco iniquitatem eorũ manifestè exponit; nempe fuisse ידיעא *iediqha, notum.* Notum igitur bonum reiecerunt, notum malum scientes volentes adoptarunt. Itaq; cum die festo liberari etiam nocentes solerent, improbi solennitate abutuntur ad damnationem innocentis. Atq; hoc est quod in illis præcipuè reprehendit Augustin⁹. Atq; hoc ipsum est, quod toties inclamãt, *crucifigatur*, hocenim Barabbæ supplicium debebatur. Tantum inuidia potuit. Tertul. Apolog præclare exponit.

Christum postponunt Barabbæ.

Mysterium tamen illi inscij, quod ante secula Deus statuerat, impleuerunt. Nam pro peccatoribus, mortem meritis, in carcere positis, innocens ille & liber mortem subijt, & figitur, ad hoc enim venerat.

§. 2. Consuetudinem diei festi Caluinus accusat. „ [Porro quod in die festo quempiam vnum ex vinctis „ præses in populi gratiam dimittere solebat, exem- „ plum fuit stultè & perperam inductum, non sine a- „ perta cultus Dei corruptela. Nihil enim minus con- „ sentaneum est, quam dies festos scelerum impunita- „ te ornari. Nam ideò Magistratus ornauit Deus gla- „ dio, vt crimina quæ tolerari sine publica pernicie ne- „ queunt, seuerè vindicent. Vndè apparet legum & „ pœnarum violatione minimè coli velle. Sed hoc sci- „ licet proficiunt homines, quum à seipsis temerè ra- „ tiones colendi Dei excogitant (cùm nihil tentan- „ dum sit nisi ex præscripto verbi eius) vt honoris præ- „ textu ipsum sæpè afficiant contumelia. Quare hæc „ nobis tenenda est sobrietas, ne quid Deo offeramus „ nisi quod postulat. Adeò enim profanis muneribus „ non delectatur, vt iram eius magis prouocent.]

Respondeo. Augustinum non reprehendere, quod per festa liberarent nocentem, sed quod occiderent innocentem. Duobus vero argumentis Caluinus vtitur: Primum est, quod mandatum eâ de re non haberent. Alterum quod dies festos scelerum impunitate ornari non oporteat. Bullingerus etiam consuetudinem impiam censet, quod sine misericordiâ Deus iusserit plectere facinorosos. Nihil tamen horum conuincit morem prorsus damnabilem fuisse. Quamuis mandatum non habuerunt, potuerunt tamen gratiam facere peccatoribus: neq; enim verum est; *Impium esse quicquid sine Dei mandato peragitur.* Nec impunitate scelerum dies festus ornatur, cum ex multis facinorosis vnus in anno semel precibus populi liberatur: sed extra ordinem clementia exhibetur. Quod vero arbitrantur facinorosos necessario plectendos rectè sentiunt. Non impedit tamen, quin magnas ob causas aliquando possit magistratus ignoscere, alioqui clementia locum non haberet: quæ de merità pœnâ, aut partem, aut totum remittit. Dauid Ammoni condonauit incestum, Absaloni fratricidium. Nec Dauidem cum facinora perpetrasset Deus iussit occidi. Iephte etiam ducem populi constituit. Semei etiã maledico, & Ioabo Dauid ingnouit. Nec testamento eius occisi sunt, nisi cum noui sceleris cõuicti fuerunt. Qui vero eundem semper legum tenorem seruat, clementiæ locum nullum relinquit. Hæc enim est, quæ mitiores pœnas, quam rigor iuris imponit, cum iudicio exigit, vel etiam omnino pœnã remittit. Nec tamen clementia iustitiam opprimit. Nam lex communis pœnam exigit, & iustitia, non vetat tamen ob certas causas misereri, ignoscere, mitigare. Nullius legis illa est in exigendis pœnis atrocitas, vt excludat humanitatem. *Magno tamen iudicio exercenda est in publicum clementia, ne si a' sq; iudicio & ratione sceleratis impunitas ostentetur, iniuriis obnoxij reddatur infirmiores, audacia facinorosorum alatur, atq; ea causa R. sp. detrimentum patiatur. Tam enim nocet, qui malo insanabili parcit, quam qui integra abscindit. Non igitur regem Indum imitabitur princeps sapiens, cuius regnum iudicorum lentitudine latronibus refertum narratur. Thesaurus rerum Indicarum sic exponit, T. 3. lib. 2. cap. 27. Binagensis rex æquo in maleficos animo est, eosq; castigare vetat. Hinc mira passim toto regno, & effrenis licentia, etiam in regiam maiestatem insolentium. Miserat nuper Magnus Mogor ad eum Legatos, simul & equos aliquot præstantissimos, aliaq; pretiosa munera; hæc cum à quibusdam subditorum, cum equorum nouissimo clam per viam essent sublata, nulla ipse in facinus insolens pœna animaduertit, equum dumtaxat reddi iussum legato dedit.* Clemens iudicium.

Consuetudo dimittendi die festo defenditur.

Ignoscere sceleri potest magistratus.

Supremo ergo magistratui fas est, ratione delicti, personæ, temporis, pœnam remittere. Quæ nulla vnquam vllius gentis barbaries negauit. Cogunturtamen id negare omnes Caluiniani, qui Deum suâ libertate priuant, docentque illum necessario peccata punire, sicut necessario odit, ideo nec magistratui clementiam permittunt.

VERSVS 19.

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi, Multa enim passa sum hodie, per visum propter eum.

QVÆSTIO I.

Vnde somnium vxoris Pilati?

§. 1. PIlato sedente pro tribunali vxor nunciat, ne illi quicquam negotij sit *cum iusto illo*, quod multa per visum passa sit propter illum. Somnium fœminæ fuit, nec de illis tamen, de quibus dicitur. *Anus quæ vult somniat. Per visum*, inquit καθ' ὕπαρ *per somnum.* Syrus בחלמי *in somno meo.* Somnium igitur tale fuit, vt non naturale videretur tantum, sed præter naturam aliquid significarit. Hebræi vocant חלום *Chalom*, cum visum dormienti obijcitur. Triplicia somnia Greg. l. 8. Mor. & l. 4. Dialog. c. 48. constituit. Diuina, naturalia, dæmoniaca. Naturalia sunt, vel à præcedente cogitatione intentâ & crebrâ. inhærent enim animo species, & facili motu recurrit mentis agitatio per quietem, quæ interdiu fuerat, vt Greg. Nyss. de hominis opificio docet; quemadmodum fides cessante pulsu digitorum adhuc crispantur, acresonant. ita Attius: Somnia triplicia.

Res quæ in vitâ vsurpant homines, cogitant, curant, videntque, Quæq; agunt vigilantes, agitanteq;, ea si cui in somnu accidant, Minus mirum est.

Ex eâ causâ potuit esse somnium vxoris Pilati. Nam Nauipetitos esse milites, & iam profectos ad Dominum somnum capiendum cognoscere potuit. Imo non est dubitandum, quin ad Pilatum noctu relatum fuerit, iam castrorum esse, cohorte ad prætorium redeunte. Mulier itaq; igitur illa ignorare non potuit, cum videamus illam etiam

etiam per internuncios intellexisse, quid ad tribunal ageretur. Christum etiam Prophetam esse, & operum mirabilium patratorem muliebri sagacitate inaudierat. Ex his igitur vespertinis, nocturnisq; cogitationibus matutinum somnum, inquietari, atq; insistari naturale fuit. Potuerunt concurrere aliæ causæ internæ naturales, humorum intemperies, aeris constitutio. De his Hippocr. libro de insomniis. Galenus, aliisq; & noster Delrio comment. in Octauiam Senecæ. Perer. in Gen. q. 3. de obseruationib. somniorum.

§. 2. Potuisse naturalē esse illam somniorum molestiam existimo: nec tamē dubito, aliunde etiam immissam, vel à Deo, vel dœmone. Ratio me mouet, quod mulier sine dubio crebrius somniare solita, nunc quasi renouâ, & inusitatâ perculsa, maritum pro tribunali monet: quod non temerariè, nec leui causâ factura fuisse videtur: & si illa fecisset: non tamen id Euangelista tanquam obseruatione dignum retulisset, nisi maius aliquid, & superioris potestatis indiciū fuisset. Quod vero singulatim dicit: πολλὰ ἔπαθον *multa sum passa*, quod est somniorum præcipuè aliunde immissorum. Nam cum pauore immittuntur. Sic Danielis 2. Nabuchodonosorem conturbabant visiones capitis sui. Tale somnium Pharaonis. Chrysostomus etiam immissum non autem naturale censet. μὴ γὰρ τῆς τῶν πραγμάτων ἀπαιδευσίας, καὶ τὸ ὄναρ δι' ἐμοῦ γένηται· καὶ τίνος ἕνεκεν ἐκ ἄνωθεν ὁρᾷ· ἢ ὅτι ἐκείνη ἀξία ἦν μᾶλλον· ἢ ὅτι εἰ ἄνωθεν ἴδοι, ἐκ ἂν ἀπιστεύθη· ἢ ἐμοὶ διὰ ἀνέπαυε. Διὰ τοῦτο οἰκονομεῖται τὴν γυναῖκα ἰδεῖν, ἵνα καὶ δῆλον γένηται πᾶσι καὶ ἐχ' ἁπλῶς ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ πάσχα πολλά. ἵνα καὶ δι' αὐτὸ τὸ συμπαθείας τῆς πρὸς τὴν γυναῖκα ὀκνηρότερος γένηται ὁ ἀνὴρ τοῦ τὸν φόνον. Præterenim rerum experientiam, & argumentorum claritatem, non parua res somnium accessit. Cur autem ipse Pilatus somnium non vidit? Aut quia mulier dignior erat, aut quia si Præses somnium hoc se vidisse dixisset, non ita sibi creditum fuisset, aut quia non edixisset, sed secum ipse tenuisset. Idcirco igitur ex dispensatione mulier vidit, vt omnibus notum fieret, nec solum videt, verum etiam multa patitur, vt maritus vxori condolendo tardior ad cædem redderetur.

§. 3. An vero à Deo, an à dœmone immissum fuerit somnium, vetus est disputatio. Ignatius ad Polycarpum diaboli operâ effectum somnium, vt morē Christi impediret, & redemptionem moraretur. Fieri quidem potuit, vt in somnio illo diabolus aliquid moliretur, non tamen veteres dubitant, oraculum fuisse diuinum. Ambr. l. 10. in Luc. Aug. serm. 121. de tempore. Orig. Theoph. Euthym. aliiq;. Nec enim est credibile dœmonē sibi repugnasse, vt per fœminam mortē Dominū eximeret, cum sacerdotes, & populū in rabiem ageret, vt necē eius vrgerēt obstinatissimē. Hoc igitur somnium ad Christi Domini innocentiā illustrandā vxori præsidis immissum est vt clarè appareret, Christum tot modis innocentem declarari, antequā velut nocēs iudicaretur. Monetur & Pilatus, ne voces hostiū audiat, idq; cū iam pro tribunali sederet, Syrus le βῆμα appellat בים bim, omissa vltima literâ. Illo ipso igitur momēto admonetur, vt se iustitiæ antistitē, & in iuris sacrosācto solio residere recordetur.

Nec obstat mulieris infidelitas. Sæpè enim infidelibus, & flagitiosis nōnulla Deus reuelat. Non loquor de dœmonū artificio, quo miseros dementabant, sed de veris, & futura significātibus somnijs. Nabuchodonosor, Balaam, Pharao diuina habuerūt somnia priores duos impios idololatras fuisse in confesso est, de 3. dubium est. Tale etiam somnium fortè fuit, vt Delrio noster l. 4. c. 3. q. 6. de disq. censet, quod Alexandro M. occurrit, apud Dio. Sicul. l. 17. c. 2. de sanit. restituenda Ptolomæo, & herbâ medicâ. Aliud Alexandro somnium diuinum fuisse nemo dubitat, de quo Ioseph. l. 11. ant. c. 8. scribit. [Iudæis autem omnib. vno ore Alexandrum consalutantibus, & in orbem cingētibus, « Syriæ reges & reliqui obstupuerunt, vix credētes Regem mentis compotem: solus Parmenio propius accedēs rogauit familiariter, quid ita cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorū Pontificē. At « ille non hunc se adorasse respōdit, sed Deo, cuius Pōtifex esset, honorē eum exhibuisse. hunc enim, inquit, « vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio « Macedoniæ, qui me deliberantem, quomodo Asiam « possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine « mora exercitum traiicere. nam suo ductu positurum « me Persarū imperio. Quapropter quia nunc primum « talem habitum vidi, agnoscens hunc & visionis me- « mor, quæ me ad hanc expeditionē impulit, puto me « non sine numine in Darium exercitū ducere, & breui « fore victoriæ compotem: & sublato Persarum impē- « rio, cessura mihi omnia ex sententia.]

Nihil igitur impedit, quo minus à Deo verū somnium acceperit vxor Pilati, & oraculo testata sit Christi innocentiam. Hoc n. ad Christi maiestatem pertinet, & Iudæorum redargutionē. Si n. somnia dœmoniaca fuissent, qualia erant in templo Serapidis, aut vt Aristoph. in Pluto, in templo Apollinis. Vel alio loco vt habet Eunapius de Edesio. Virgi. Æn. 7. de rege Latino. Philostrat. in vitâ Apollonij. Cæteriq; gentes in suis ψυχομαντείοις: si inquam dœmonis hoc fuit testimonium de iustitiâ saluatoris, nec apud Pilatum, nec Iudæos, nec Christianos quidem magni momenti esse potuit: & vt dixi Christi maiestate indignum, vt eo tacente ab orco testimonium innocentiæ suæ procuraret, vel admitteret: quo etiam rei, qui crimen admiserunt, magis infamarentur, quam leuarentur.

Somnium diabol cū Christi innocentiæ ō debuit esse testimonium.

VERSVS 24. & 25.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: innocēs ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros.

QVÆSTIO I.

Quomodo Pilatus tandem Christum damnarit?

§. 1. PIlatus cum tumultu vrgeretur, in populi aspectu manus lauat: & innocentem se profitetur à sanguine iusti huius, quasi vxoris monitis obtēperans nihil sibi & iusto illi fore indicaret. Innocentē מְהֻמָּר mechassi proclamat, quod non suâ sponte, sed alienâ importunitate ad sceleratam ferendam sententiā impellatur. Cedit igitur Iudex, & præses populi clamoribus, μαλακὸς καὶ ἀνδρὸς mollis & minimè virili animo, vt monet Chrysostom. Nec enim lauandi cærimonia excusat, quamuis enim trepidè, & quasi coactus ad impiam pronunciandam de iusto sententiam procedit, scelus fecit tamen. *Innocens ego sum*, vos ὄψεσθε, *videbitis*, Syriacè תֵּרְעֵין *noueritis*. At premit illos propium crimen, sequeturq; vindicta à Deo immissa, non tamen Pilatus suum in illos crimen, pœnamq; deuoluit. Nam argumenta examinare debuit, reo tacenti defensorem apponere, ex lege Tyberij recēs latâ sententiæ executionē, imo ipsam sententiam differre.

Pilatus meritu Christū damnat.

Nec erat, quod populum timeret, præsidio militari munitus erat: Alijs in causis non erat arduum illi tumultum compescere, etiam cum iustè quereretur, at nunc iniquas postulationes reprimere oportuit. Quanta fuerit in præside potentia, quamq; parum contra eum populus potuerit efficere, Pilatus ipse bis docuit, vt est apud Iosephum lib.18.c.4. antiquit.

» [Pilatus autem Iudææ præses à Cæsarea Hierosolyma traducto in hyberna milite, signa cum effigie Cæsaris in vrbem intulit ad legis nostræ contumeliam, qua cautum est, ne habeamus eiusmodi effigies, & id- » eò qui ante hunc fuere præsides, cum signis aliter insignitis solebant vrbem ingredi. Primus Pilatus ignaris omnibus noctu illatas effigies Hierosolymis » statuit, quod vbi cognitum est ciuibus, magno agmine petierunt Cæsaream, vbi per multos dies supplices » orauerunt Præsidem, vt transferret illas imagines » aliò. Pilato verò pernegante se facturum, quod contra » iunctum esset cum iniuria Cæsaris, cum Iudæi precari non desinerent, sexto post die iussis clam in armis » esse militibus, sedit pro tribunali in stadio, captata » loci opportunitate, quod aptissimus esset insidijs. ibi » compellatus iterum de eodem negotio, signum dat » militibus, vt eos circumueniant, mortem minitans, » nisi quamprimum quiescerent, & suam quisq; domum discederent. at illi procidentes humi, & exertos præbentes iugulos, manifestè præ se ferebant, vita sibi chariorem esse obseruationem legis patriæ. » Tum Pilatus admiratus tam constans legum studiũ, » continuo reportauit eas imagines Cæsaream à Hierosolymis. deinde aquæductum struere aggressus est » ex sacro ærario, inducturus aquas Hierosolyma à duocentesimo studio. id ægerrimè tulit populus, & con- » gregati per cœtus numerosos vsq; ad multa hominũ » millia, vociferationibus conabantur eum deterrere à » proposito. nonnulli vero ita vt sit apud inconditam » multitudinem, etiam conuitijs lacessebant præsidẽ. » at ille milites sub populari habitu clàm armatos fustibus, iussit reliquam multitudinem corona cingere: » & quamprimum vulgus cœpit iacere conuicia, dedit » illis signum ex composito. illi suprà quam mandatum erat vsi sunt fustibus, tu multuatores & quietos » cædentes nullo discrimine. Ibi tam inclementer ac- » cepti inermes ab instructis, pars occisi sunt, pars dissessierunt saucij, atq; hoc modo compressa est seditio.]

Quod animus illi fortis & iustitiæ tenax fuisset, non Ciuium ardor praua iubentium concussisset.

§.2. Cærimonia lauandarum ad expiationem manuum, videtur esse naturalis, vt innocentiam suã illi qui lauant, contestentur: ita Æneas diuos attingere nefas putat, nisi se prius flumine viuo abluerit: & Diua Turnum socijs abluta cæde remisit. Triclinius etiam narrat, lauare solitos manus, εἰς καθαρσιον τῶν μιάσματων, ad emundationem piaculi.

Manus ad innocentiæ testificationem lauabant.

Iudæi Pilato deteriores sanguinem eius super se, & filios venire precantur. Hoc est, si hac in cæde aliquid mali est, id totum in caput nostrum incumbere, te familiamq; tuam innoxiam esse volumus. Nos causa mortis dicemur, tu iam lotis manibus totum etiam factum diluisti. Quomodo sanguis super eos venerit, calamitates innumeræ, & ante & in ipso excidio docuêre. Vide Augustinum serm. 204. de tempore. Nicephor. lib.3 c 24. Ioseph. lib.6.c 12. & sequentibus. Tantum igitur aberat, vt ipsi sanguinem horrerent, vt gratum se Deo sacrificium offerre persuasum haberent. Sanguinem innocentem non singulis modo, sed integris ditionibus funestum esse sciebant. Deut.21. res exponitur. *Quando inuentum fuerit in terra quam dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadauer occisi, & ignorabitur cadis reus, egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris singularum per circuitum spatia ciuitatum: & quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere, & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, & cadent in ea cerui- ces vitulæ, accedentque sacerdotes filij Leui, quos elegit Dominus Deus tuus, vt ministrent ei, & benedicant in nomine eius. Et ad verbum eorum omne negotium pendet: & quicquid mundum vel immundum est, iudicetur. Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, & dicent. Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt, propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fusus est, cum feceris, quod præcepit Dominus.*

At tam graui interminatione nihil moti Iudæi, pœnas effusi sanguinis in ceruices suas, filiorumque aduocant. Solebant etiam Iudices se innocẽtes à sanguine fuso protestari. Clemens lib.2. Constit. Apost. c.56. *Aspicite mundana iudicia, quorum protestari videmur à sanguine fuso, latrones: De quibus cum quæsiuerunt præfecti iudicio ab his qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant rem, an illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo ea ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent, cum multo consilio, & velo interiecto. Tandem vero is qui sententiam mortis in reum pronunciaturus est, sublatis manibus aduersus solem, se innocentem ab illius sanguine contestatur. Quod illi faciunt, quamquam Ethnici, & diuini numinis ignari, vltionisque à Deo propositæ propter innocentum damnationem.*

Et Basilius Epistol.79. *Qui enim rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & experti simos quosque ad causæ tractationem aduocant, multumq; temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suscipientes: multumque ingemiscentes, ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferunt sententiam.* Hactenus Basil,

Hæc ergo iustitiæ imitamenta Pilatus sequebatur, ipsam iustitiam pessumdabat. Oblitus legum suarum, quibus ante annos duodecim decretum erat Senatusconsulto Tiberiano, vt supplicia damnatorum in diem decimum differrentur. Sueton. in Tib. c.75. Dio. l.73. Tac. l.3.

VERSVS 26.27.28.29.30.

Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersum cohortem: & exuentes eum, &c.

QVÆSTIO I.

Quæ vexationes & ludibria crucem antecesserunt?

§.1. Flagellatus est, φραγελλωσας inquit Græcus, & Romanum nomen retinuit etiam Syrus בפרגלא *Naged be fragella*: percussit in flagellis. Ioris, & funibus atrocissimè verberabant reos. Idque vel

τῶν παιδευτῶν, castigationis causâ, vel ante crucis supplicium, vel etiam antequam lecti percurrerentur.

Christum innocentem flagellari iubet Pilatus, vt hoc supplicio populo furenti satisfaciat, & à postulatione maioris supplicij desistat. Crudelem fuisse ob ministrorum sæuitiam, flagellationem docet Vlpian. lib. 8. de pœnis, frequenter enim suppliciis immoriebantur. De flagellatione multâ Lipsius l. de cruce. & plura noster Gretserus, ad quos lectorem remitto. Hoc solum moneo sæpius prædictam esse à Domino flagellationem. Matt. 20. 19. Ioan. 49. 5. Imo Psal. 34. 11. Isa. 50. 6. aliisq; locis.

Prudenter itaq; & piè monet Clemens strom. 2. oportere nos esse in tolerantiâ Christo conformes. ὁ ἐγγὺς κυνὸς, πλήσης μαστίγων. *Qui Christo propinquat, plenus est flagris.*

§. 2. Milites præsidis totam cohortem prætoriam congregant in ipsum prætorium, vbi Dominus fuerat flagellatus, vt crudeliter dānato illudāt. nul à iustitiâ, sed metâ sæuitiâ. Syrus milites vocat אֶסְטְרָטִיטָא Estratiote (στρατιῶται) & monet glossa esse בֶּן לִשׁוֹן יָוָן ex lingua Ioni â. Sic prætorium vocat פְּרִטוֹרִין Peretorin. & cohortem seu σπεῖραν אִסְפִּיר Aspir hæc enim nomina vsitata fuerunt apud ipsos Syros. Antoniam arcem occupabat cohors, sed vix credibile est, eam præsidio destitutam fuisse, de prætoria igitur cohorte interpretor, quæ ad manum erat præsidi. Barbara igitur crudelitate tractant innocentem, quâ ne quidem nocentissimum, iam extrema luituruin vexare iura permittunt. Chrysostomus eam crudelitatem valde detestatur. ὥσπερ ἓν ἦν τὸ σῶμα ὁ διάβολος τότε ἐχόρδωσεν. ἔσωθεν, Ἰουδαῖοι φθόνῳ καὶ βασκανίᾳ ἠκόνησαν τὰ σώματα εἰς αὐτόν. οἱ στρατιῶται πόθεν καὶ ὁπόσας αἰτίας; ἐκ εὐδηλον ὅτι ὁ διάβολος ἦν ὁ τότε βακχεύων εἰς πάντας; καὶ γὰρ τέρψεις ἐποίουν πᾶσι εἰς αὐτὸν ὕβρεις, ἅπαντες ἀνήμεροι πάντες ὄντες. Quasi omnes ex composito conuenissent, ita signo dato ad choream omnes diabolus concitabat. Nam etsi possumus inuidię tabo existimare ad insaniam Iudęos concitatos fuisse, tamen qua de causa moti milites fuerint, non patet. Diabolus igitur erat, qui vniuersos tunc illos occupauit: voluptatem etenim ex contumeliis propter immanitatem suam capiebant.

Et primo quidē veste exuūt: nā post flagellationē induerāt: deinde Chlamyde coccineâ induunt בִּלְמִים Calamim vocat Syr.[9], Coccineā a. רִזְחוֹר יְתָא dezachuria. Chlamidē imperatoriā, militarē purpureā intelligo, seu regiā quo de ornatu à me tractatū est l. 7. Poli.

§. 3. Chlamide regiâ ornatum ad affectati regni exprobrationē etiam coronant, sed spinis. Rhamnū aut crepum, qui lancinet, & vncinata cuspide inhæreat vulneri. Crudele planè ludibriū, caput consertū spinis. De coronis regum, earumq; origine, & formâ l. 7. c. 4. in Politicis tractaui. Nunc id vnum cōsiderandū est, quod Tertullian. monet de coronâ militis. *Capitis nostri ornamentū & diadema esse Christū.* Et Clem. l. 2. c. 8. pædag. Τρυφᾶν ἡμᾶς, ὡς ἐν πολυδείσῳ, προσκενοῦσι στεφάνοις, ἵνα ὄντι περιπορφύρους τῇ γραφῇ. στέφανον μὲν γυναικὸς, τὸν ἀνδρεῖα ἐστολισμένον ἀνδρὸς ὄγκον ἄνθη ἔχειν, τὰ τέκνα ἀμφαίνει, ἃ δὴ τῶν σαρκικῶν λειμώνων ὁ θεῖος δρεπόμενος γεωργὸς. στέφανος γέροντος, τέκνα τέκνων. δόξα γὰρ πᾶσιν οἱ πατέρες, Φυσὶν ἡμῖν ὁ πατὴρ ἁπάντων· καὶ γὰρ τῆς συμπάσης ἐκκλησίας στέφανος ὁ χριστός. Et deinde. Βασιλεῖς γὰρ οἱ Ἰουδαίων, χρυσῷ καὶ λίθοις τιμίοις συνθέτῳ καὶ ποικίλῳ χρώματι στεφανοῦσι, οἱ χριστοὶ, τὸν χριστὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς συμβολικῶς ἐπιφερόμενοι, λέγουσαν κεφαλὴν κεκοσμῆσθαι κυρίῳ.

Pro sceptro arundinem, hoc est typham syluestrē teretem, & enodem in manum dant. Deniq; genua flectunt: גָּרְמֵי עַל בּוֹר בִּי חָזוֹן genua flectunt super genua sua, vt tanquam regem per ludibrium adorent. Exspuunt in eum, & arundine caput verberant.

VERSVS 31. 32 33.

Et postquā illuserunt ei, exuerunt eū chlamidem, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem: hunc angariauerūt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod est Caluariæ locus.

QVÆSTIO I.

Quomodo & quo ad supplicium ductus est?

§. 1. More Romano ferebat crucem ipse suam, nō cædebatur tamen per viam: nam ante flagellatus erat. Cum vero plagis & vexationibus ita exhaustus esset: vt oneri succuberet, angariauerunt Simonem Cyrenęam vt portaret crucem post eum. Cyrenæ nobilis erat in Pēpapoli seu Libya marmarica ciuitas, Plin. l. 5. c. 5. in qua magna multitudo Iudæorū habitabat. Angariauerunt vero, quod sponte nequaquā munus infame subire veller. de angariandi verbo supra dixi. Nec causa est, cur Erasmus miretur interpretem vsum verbo Persico, cum eodem sit vsus spiritus S. nam & in Græco est ἠγγάρευσαν, angariauerunt. Syrus tamen sua dictione vtitur שְׁחַרְרוּ Schacharu, angariarunt, traxerunt. Cyrenæum porro vocat Curinaa. alij iuuisse Christum, vt simul ferrent, alij vero Simonem solum tulisse arbitrantur. *Cyrenæ.* *Angariari.*

§. 2. Locus in quo crucifixus est, extra portam ciuitatis erat, dictus γολγαθᾶ, golgatha, à cranijs τοῦ βιοδανάτου, eorum qui supplicio afficiebantur: nam & eo modo *Christus cum iniquis deputatus est.* גֻּלְגַּל cranium dicitur, à reuolutione, seu rotunditate. Syrus habet: גַּגּוּלְתָּא gaguletha, & interpretatur etiam ipse קַרְקַפְתָּא *Karkphtha.* hoc est, *caput.* In loco igitur suppliciorū communi & infami velut maleficus supplicio afficitur, quia in hanc terram sceleribus hominum contaminatam venerat, vt eam suo aduentu sanctificaret, & peccata nostra sanguine suo emūdare. *Golgotha.*

Κρανίου inquit Theophylact. τόπος οὗτος. διὰ τοῦτο φασὶν οἱ ἐκ παραδόσεως πατέρων παραλαβόντες, ὅτι ὁ Ἀδὰμ ἐκεῖ τέθαπται· ὥσπερ γὰρ πάντες ἐν τῷ Ἀδὰμ ἀπεθάνομεν, οὕτως ἐν τῷ χριστῷ ζωοποιηθῆναι ἡμᾶς ἔδει. *Cranii locus dicitur: propterea dicunt, qui ex traditione acceperunt patres quod quemadmodum omnes in Adam mortui sumus sic in Christo nos viuificari oportet.*

Hieronymus Golgatha ad Septentrionalem plagam montis Sion constituit, de locis Hebraicis.

Augustin. serm. 71. de tempore. citat Hieronymum. *Hieronymus presbyter scripsit, ad antiquis & Seniorib⁹ Iudæis se cer issime cognitum, quod in monte Isaac vbi postea Christus crucifixus est.* Inde & Beda de locis sanctis c. 2. habet. In Hieronymo nusquam id legitur, alius ergo liber Augustino oblatus est. qui non extat, nisi forte in Epistola aliqua Hieronymi, quę interierit, tum vero hominum manibus versari retur inuentū est. Mihi tamē res suspecta est. Si enim indubitata fuisset illa apud Iudæos, qui Hieron. tempore fuerunt, & vera traditio, multo illa notior Christi tēpore, & ante illud fuisset: ꝙ si cōcedamus, nō videtur cōmissari fuisse Iudæi patrū suorum amāntissimi, vt locus tā celebet, & san- *Golgotha non est mons Moria.*

& sanctus malefico:um, supplicijs infamaretur, sanguine & ossib. contaminaretur. Mosis tẽpore mons ille notissimus fuit, Nam Abraham montem appellauit, *Dominus vid t.* Gen. 22 14. Vnde vsq; hodie dicitur: *In monte Dominus vi iebit.* vt est eodem loco. Si igitur ille mons fuit ita celebratus, non puto Golgotha fuisse.

VERSVS 34.

Et dederunt ei vinum bibere eum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.

QVÆSTIO I.

Quem potum Christo exhibuerunt?

§. 1. Diuersitas inter Euangelistas nonnulla videtur esse. Matthæi verba: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cum gustasset noluit bibere.*

Lectio diuersa.

Marci 23 15. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* De eodem tempore loquuntur vterque Euangelista, vt omnino videatur idem vinum cum felle mistum & myrrhatum. Apud Matth. in Græco est, ὄξος μετὰ χολῆς: quidam tamen libri habet, non ὄξος, sed οἶνον, alii tamen libri habent ὄξος plerisq;.

§. 2. Satis inter omnes conuenit, initio cum Dominus cruci figendus esset, potum ipsi oblatum. Deinde cum clamasset *Eli eli lamma sabachthani.* v. 46 & apud Ioannem, cum dixit *Sitio*, quod eodem fere tẽpore contigit, & videtur, cum dixisset ἐλὶ ἐλὶ, mox subiecisse, *sitio*. Crebrius etiam sua sponte milites acetum obtulerunt Luc. 26. *Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei, & dicentes: si tu es rex Iudæorum, saluum te fac.* Syrus habet חלא quod est acetum, & dactylus immaturus. Vocatur autem ὄξος non modo verum acetum, sed etiam vinum acescens seu vappa, quod linguam mordeat. Sic Horatium intelligo

Crebrò acetum obtulerunt.

Si positis intus Chij, veteriſq; phalerni
Mille cadis, (nihil est, trecentum millibus) acre
Potet acetum.

Vappæ acetum.

Acetum enim seu vinum acre & acetosum opponit Chijo & Phalerno. Vappam etiam potare plebei solebant. *Multâ prolutus vappâ* apud eundem dicitur nauta. dicitur illa etiam græcis ὄξινον. Dederunt ergo vinum, seu vappam cum felle mistum. Nam pretiosum vinum nihil opus esse putabant felle corrumpere.

§. 2. An idem potus fuerit, vinum fel'e mistum, & vinum myrrhatum, magna disputatio est, præsertim post editos & recusos Baronij annales. Deinde an vinum myrrhatum fuerit suaue, an amarum?

Constat sanè vinum myrrathum, gratam fuisse potionem.

Si calidum potas, ardenti myrrha falerno
Conuenit, & mel o: sit sapor inde mero.

Plinius lib. 4. c. 13. de myrrhino vino hæc habet.

Myrrhæa.

[Lautissima apud priscos vina erant, myrrhæ odore
„ condita, vt apparet in Plauti fabulâ, quæ Persa inscri-
„ bitur, quanquam in eâ & calamum addi iubet. ideo
„ quidam aromaticè delectatos maximè credunt. Sed
„ Fabius Dorsenus his versibus decernit. Mittebam vi-
„ num pulchrum murrhinam: Et in Acharistione. Pa-
„ nem & Polentam, vinum murrhinam. Scæuolam
„ quoq; & Zælium & Atteium Capitonem in eadem
„ sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit.
„ *Quod si opus est, vt dulce promat*
Indidem & quicquid habet? rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, mella.
Quibus apparet non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoq; nominatum.]

Vinum myrrhinum saporem è murrhinis potoriis trahebat, ideo & illa in precio erant. Romam aducta sunt triumpho Pompeij. Plin. lib. 37. c. 2. [Eadem victoria primum in vrbem murrhina induxit: primusq; Pompeius sex pocula ex eo triumpho Capitolino Ioui dicauit: quæ protinus ad hominum vsum transiere, abacis etiam escariisq; vasis inde expetitis. Excrescitq; indies eius rei luxus murrhino octogiuta sestertiis empto, capaci plane ad sextarios tres calice. Potauit ex eo ante hos annos Consularis, ob amorem obroso eius margine, vt tamen iniuria illa pretium augeret: neq; est hodie murrhini alterius præstantior indicatura. Idem in reliquis generis eius, quantum voluerit, licet existimare ex multitudine, quæ tanta fuit, vt auferente liberis eius Nerone, Domitio theatrum peculiare trans Tiberim hortis exposita occuparent: quod à populo impleri canente, se, dum Pompeiano præludit, etiam Neroni satisfecit. qui vidit tunc, annumerari vniusScyphi fractamembra, quæ in dolorem credo seculi inuidamque fortunæ tanquam Alexandri Magni, corpus in conditorio seruari, vt ostentarentur, placebat. T. Petronius Consularis morituru, inuidiâ Neronis principis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam trecentis sestertiis emptam fregit, sed Nero vt par erat principem vicit omnes trecentis sestertijs capidem vnam parando. Memoranda res, tanti imperatorem, parrem q; patriæ bibisse.]

§. 3. Michael Mercatus Benzui ita existimat, eum q; Baronius sequitur. Qui etiam addit materiam ex myrrhâ incisa stillantem concrescere, & in vasa cauati. at longe aliter Plinius lib. 37. c. 2. [Oriens myrrhina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis nec insignibus, maximè Parthici regni, præcipuè tamen in Carmania, Humorem putant sub terrâ calore densari. Amplitudine nusquam paruos exceduntabacos crasitudine raro, quanta dictum est vasi potorio splendor his sine viribus, nitorq; verius quam splendor. Sed in pretio varietas cœlorum subinde circumagentibus se maculis in purpuram candoreq; & tertio ex vtroq; ignoscentem, velut per transitum coloris purpura rubescente, aut lacte candescente. Sunt qui maximè in iis laudẽt extremitates, & quosdam colorum repercussus, quales in cœlesti arcu spectantur. His maculæ pingues placent translucere quicquam aut pallere vitium est. Item sales Verrucæque non eminentes, sed vt in corpore etiam plerumque sessiles. aliqua & in odore commendatio est.]

Plinius quidem famâ solâ motus hoc refert. Interim esse ex myrrhæ incisuris manante stacten non adducor vt credam. Nam idem ille Mercatus fictilia vasa esse concedit, idq; ex Propertio docet. *Myrrheaque in Parthu pocula cocta foci.* & Arrianus de nauigatione rubri maris diospoli fieri asserit.

Plinij opinionem defendere nihil opus est, cum ipse incertus sit, multo magis incertus fuit Propertius tanto ante Plinium. Sed Mercati sententiæ eius rationibus, quam firmare illam conatur, refellitur.

Fictilia esse vasa asseuerat, & ex lacrymâ myrrhæ materiam esse. At materia illa resinosa, pinguis, lenta est, apta suffitionibus, ignibus liquitur, vt thus, mastix, cæteraque eiusmodi. Non igitur fornacibus coqui, sed frigore stipari necesse est.

Myrrha non fert ignem.

Deinde coctilia illa, & figlinæ opera dũ vi ignium lapidescunt, & durantur in solidissima corpora odorem amittunt: quod experientia docet, & si forte id in omnibus locum non haberet, tamen non potest inficiari Mercatus, qui negat, lapidum esse vllum

odorem

odorem. *Illud vero*, inquit apud Baronium, Mercatus, *quod aliqua myrrhinorum in odore commendatio est, ne lapideæ quidem naturæ conuenit.* Multo minus etiam Sapor, quem addit Martialis. Scribens calidum vinum ex myrrhino calice iucundius sapere.

Si lapidum soliditas odorem respuit, multo magis fictilium accuratissimè, & violentissimè coctorum. Atq; hæc ex eius sententia. Verum ad lapidum quod attinet naturam, Myrrhites gemma est, de qua Plin. lib. 37. c. 10. *Myrrhites myrrhæ colorem habet, faciemq; minimæ gemmæ, vnguenti odorem, attrita etiam Nardi myrrheas nigræ habet eminentias similes Verrucis.*

Odorem igitur myrrhæ etiam gemma retinet, & fricta, nardi. Id vero ex eo facilius docetur, quod non dura admodum sit, mollior, quæ etiam cito labiis potantium attrita, ex eo ipso vitio pretium maius haberet.

§ 4. De myrrhinis doctissime scripsit noster Iacobus Gretserus, eo eius nondum edito libro, hæc referre se profitetur: noster Matthæus Raderus libro 1. comment. in lib. 14. Martial. in distichon 103. [Vt auctorum sententiæ variant in originatione & nomine myrrinorum, ita multo magis pugnant in re ipsa & materia eorundem. Michael Mercatus, myrrhina sua ex lachryma myrrhæ, quam beneuinum purat, componit, coquitque fornacibus fictilia. Petrus Bellonius ex conchilibus eadem fabricat. Hieronym. Cardanus & Iulius Scaliger, myrrhina ex ouorum putaminibus, & marmorum cruditis in puluerem redactis effingunt, eademq; porcellanis esse contendunt. Georgius Agricola, & Nicol. Guibertus paulo propius accedunt, rectèq; lapidem myrrhinis, sed minus rectè onychen assignant. Antonius Nebricensis, Georgius Merula ex Achate putarunt constare myrrhina. Nos neq; onychen, nec porcellanarum farinam, nec beneuinum, nec myrrhã arboris, nec cõchen, nec achatẽ murrhinis tribuimus. Sed myrrhina ex lapide prẽtioso, cui proprium & suũ nomen est murrha seu myrrha, alia omnia à lapide sententiũ dicta refellit Nico. Guibertus, libro de murrhinis, & nõ nemo sociorum lib. singulari de murrhinis nondum publici iuris facto, qui sane erudite de hoc toto genere, cum eruditissimis huius æui viris disceptat. Eram vt fatear quod sensi, in alena hactenus opinione, partim argumentis partim authoritate ductus, sed vbi conferre sententias cœpi, scriptumq; Iacobi Gretseri, quod mihi legendum exhibuit, attentius excussi, manibus pedibusq; in eius mentem sensumq; adrepsi, stylumq; verti & correxi. Sed ipsius verba iuuat subscribere vtde simul mecum erudiare. Myrrhina esse lapidea, pluribus iisq; grauissimis argumentis confirmari potest. Primo authoritate veterum, qui vasa murrhina, quotidie in aulis principum procerumq; ædibus videbant & tractabant. Primus sit Plinius, qui libro naturalis historiæ, quem totum gemmis destinauit: cum gemmarum explicatione coniungit tractationem murrhinorum, aut vt gemmarum aut certe vt lapidum: nam Crystallum & murrham eodem loco habet, quamuis causæ & ortus diuersi. Putant inquit humorem sub terra calore densari: qui in lapidem concretus inde eruatur, & in vasa cęletur. Cum Plinio consentit Isidorus.

Eiusdem sententiæ est Pausanias, cuius hæc sunt in Arcadicis verba, vbi de aquâ stygiâ agit; eiusq; miracula exponit, Χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐγνώσθη καὶ εἴ δή τι ἄλλο πρόσεστι τῷ ὕδατι τῶν ἐς θάνατον ἡκόντων ἄλλως μὲν γε καὶ κύσελλα, καὶ μόρρια, καὶ ὅσα ἐστὶν ἀνθρώποις ἄλλα ποιήματα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ κεραμεᾶ τὰ μὲν ἔσω τῆς συγῆς ὑπὸ ὕδατος ῥήγνυται κεραίνα ἢ ὀστέινα, σίδηρον, ἢ χαλκὸς ἔπι ἢ μόλιβδός τε, ἢ καὶ ὑπερον, ἢ ἄργυρον, ἢ τὸ ἤλεκτρον ὑπὸ τοῦ σηπεδόνος ὕδατος. Successu temporis cognitum quoque est, si quid aliud mirabili simile aqua illa habuit: nam & Crystallus & murrhina, & alia ex lapide ab hominibus facta: & vasa fictilia à stygis aquâ franguntur: cornea insuper & ossea, ferrum & æs adhuc plumbum & stannum & argentum, & electrum ab hac aqua corrumpuntur. Vbi vides Pausaniam æque inter lapides numerare murrhina ac crystallina, & murrhina à fictilibus distinguere. Eidem sententiæ suffragatur Arrianius, quibus μορρίνου seu μυρρίνου λιθίαν lapidem murrhinum appellat, imo vt onyx siue onychites Arriano lapis est, ita & murrha. ὀνυχίνη λιθία, inquit, ἢ μυρρίνη: onychinus lapis & murrhinus. accedat & Seneca: video inquit, murrhina pocula, parum scilicet luxuria magna fuerat, nisi quod vomant capacib. gemmis inter se propinarent. Sidonius Apollinaris in Epithalam. Ruricij & Iberij inter lapides pretiosos, numerat murrhinum lapidem, quem myrrhinam vocat.

Postes Chrysoliti fuluus distinxerat ardor;
Myrrhinæ, Sardonyches, amethystus, Iberus, Iaspis
Indus, Chalcidicus Scythicus, Beryllus, Achates
Attollunt duplices argenti cardine valuas.

Deinde Philosophi, Iurisperiti, Historici, poëtæ crystallina & murrhina vasa passim coniungunt. Vt igitur pro lapideis habuerunt, ita & hæc. Facit hoc ex philosophis Seneca, & Epictetus Arriani vel si mauis Arrianus Epicteti. Item Plinius. Ex Iurisperitis Paulus, Ex historicis Iulius Capitolinus, & Eutropius & Victor. Ex Poetis Statius, Martialis, Iuuenalis. Quid quod & à pondere murrhinorum argumentum non infirmum ducere possumus, fuisse lapidea. Nam Statius vocat, Murrhas graues, Iuuenalis, murrhina maxima. Adhæc Iurisperiti veteres, vasa murrhina habuerunt pro lapideis, quod patet tum ex hoc, quod vasa murrhina cum crystallinis coniungunt, vt diximus: tum quod magnâ contentione disputarint, vtrum in gemmis numeranda essent. Et licet Cassius responderit, murrhina vasa in gemmis non esse, vt refert Vlpianus, non tamen illa à lapidibus, vel ipse vel alius exclusit, vt planum erit legenti Vlpiani locum. Exclusit autem Cassius à gemmis vasa murrhina: quia Iurisconsulti gemmas à lapillis eò distinguebant, quòd gemmæ essent perlucidæ materiæ, velut Smaragdi, chrysolithi, amethysti: lapilli vero contrariæ superioribus naturæ, vt Obsidiani, Verentani. Ob quod discrimen Vlpian. quoq; bis in eadem lege lapillos à gemmis seiunxit. Gemmę autem inquit Vlpianus, sunt perlucidæ materiæ, quas vt refert Sabinus libris ad Vitellium, Seruius à lapillis ideo distinguebat quod gemmæ essent perlucidæ materiæ, velut Smaragdi, chrysolithi, amethysti, lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, vt Obsidiani, Veientani. Margaritas autem nec gemmis nec lapillis contineri, satis constitisse ibidem Sabinus ait. Cum igitur ea vasa murrhina summo in honore essent quæ vt dicit Plinius nihil translucerent (translucere siquidem quicquam, aut pallere vitium est, ait Plinius agens de murrhinis) inde factum est, vt quidam Iurisperiti murrhina in gemmis non numerarint, atque adeo legatis gemmis putarint, non legari murrhina, quæ potius in lapidibus pretiosis, quam in gemmis numerabant. Denique eandem sententiam sequuntur ex recentioribus Beroaldus in Suetonium, Perottus in Martialem, Glareanus in Euthropium, Georgius Merula, qui & addit, murrhina esse illam gemmam, quam hodie vulgo Agathã vete-

veteres Achaten vocant, in quo tamen non parum erratur, quod demonstrare nullius esset negotij, si id institutum nostrum aut exigeret, aut permitteret. Conferat lector notas Achatis, cum notis murrhinorum apud Plinium clareq; intelliget Achatem & murrham toto cœlo distingui. Habemus igitur multos & grauissimos authores, qui asserant murrham vel gemmam vel lapidem, vasaq; murrhina, vel gemmea vel lapidea esse. Neq; enim qui gemmam esse dicunt, dissentiunt ab illis, qui aiunt esse lapidem, licet enim non omnis lapis sit gemma, nec omne lapideum gemmeum, attamen omnino gemma est lapis, & omne gemmeum lapideum, communi Philosophorum decreto, quidquid recentiores nonnulli contra argutentur.

An ex onyche sint myrrhina.

Ita Guibertus propugnat. Sed Plinius, Arrianus, Ælius, Lampridius alijq; scriptores diuersa sentiunt, qui onychina, & myrrhina sibi opponunt. Plinius quidem lib. 37. c. 5. diuersas murrhinis & onychinis notas tribuit: Arrianus in Periplo velut distinctos duos lapides ponit, cum λιβλιαν ὀνυχίνων καὶ μυρρίνων diserte suis vtrumq; nominibus appellat.

Eodem modo Lampridius distinguit cum Heliogabalo illi generis humani portento vrnam vasis myrrhinis & onychinis exceptam dicit. Neq; verum est quod docet Guibertus, myrrhina fuisse ex onyche gemma, onychina ex onychite, seu Chalcedonio, vel ex Alabastrite. Onychinum enim ab onyche potius quam onychite deducas, ab onychite onychitinum vel onychiticum formes. Insuper si Heliogabalus onychite, non onyche lotium excepit, nihil insani luxus argumenti dedit, cum ex onychite vel alabastrite, vt Plinius auctor est, passim sellæ, pedes lectorum, aliaque id genus fieri solerent. Lampridius vero inusitati luxus exemplum in Heliogabalo onychina & myrrhina posuit. Quæ si vna eademq; fuere, cur Plinius, Arrianus & Lampridius oratione separarunt. Plinius etiam seorsum de vtrisq; tractauit, & vtriusq; diuersas, notas, naturam, figuram tribuit. Concludo igitur diuersa fuisse, onychina myrrhinaq; suâ murrhâ: onychina sua onyche constitisse, neq; myrrhina ex vlla onychis (de qua alias plura) triplicis specie fuisse.] Hæc è Gretsero.

§. 5. Vinum myrrhatum non fuit ideo dictum, quod vase myrrhino bibendum exhiberetur. Quis enim credat, tam preciosos calices ad locum supplicij delatos, inter carnificum, & militum manus regum delicias esse volutatas? Deinde odorem vino non cõciliabant myrrhina nisi calefacto, foculum autem eo allatum ne fingere quidem fas puto. Quod si quispiam comminisci velit in myrrhino fuisse vinum calefactum, sed deinde in aliud vas refusum, & in locũ supplicij delatum, præter fingendi quam sibi sumit licentiam, hoc etiam incommodum subire cogitur, vt cõcedat, plus hoc modo generositati vini discedere, & sapori, quam gratiæ addant myrrhina. Omne n. vetus vinum calefactum, & refrigeratum languidum est, & insalubre, euaporantib. spiritibus, & fœculentiore materiâ residente.

Non datũ in myrrhinis vinum.

Vinum igitur myrrhatum est οἶνος ἐσμυρισμένος, quasi dicas Smyrna seu myrrhâ mistum, lacryma scil. myrrhæ infusa. Non enim diceret Marcus οἶνος ἐσμυρισμένος, ex eo solum, quod in calice myrrhino fuisset. Q. in Syr. expresse habet. חמרא דחליט בפח מורא *chamra dachalit bich mura. Vinum mistum in myrrha*, vel, *cum myrrha*. Est apud Dioscorid. l. 5. c. 65. vinum myrrhinum, verum non quale hæc, quod Domino datũ est, sed medicũ. σκευάζεται, inquit, ὃ" οἱ μὲν πρὸς καταῤῥοὰς βῆχας, ἀμόμητας, ἐμπνευματώσεις, καὶ πλάδον στομάχου

Vinum myrrha mistum.

σμύρνης. ⊲ β'. πεπέρεως λευκοῦ ⊲ .δ'. ἴριδος ⊲ .ς'. ἐυνήθους ⊲ .γ'. ταῦτα ὁλόκοπα ἐνθήσεις εἰθόνιον χάδες εἰς ξέστας ς'. οἴνου. μὴ ὃ τελτην διολύσας δὲ δὸς πιεῖν εἰς λάγηνον. καὶ πότιζε μὴ πεῖπαλον διδοὺς ἀκέρατον κύαθον ά. *Id est.* Fit & vinum ad destillationes, tussim, cruditates, inflationes & stomachi superfluos humores. Myrrhæ, drach. ij. piperis albi drach. i. iridis drach. 6. anisi drach. iij. ista penitus contusa & linteolo illigata in sex vini sextarios conijcito: vinum post triduum excolato, & in lagenâ recondito. Ab inambulatione meraculum cyathi vnius mensura propinatur.

Ex quo etiam apparet errare Ioannem Manardũ, qui putat, nec optimam, nec bonâ myrrham amplius haberi, optimam autem esse mortiferã, quod in eâ sit opobalsamum, quod intra corpus assumptum sit letale. vt ille Galeno teste docet, l. 6. medicinalium c. 2. Vt igitur vinum ex calice myrrhino soporem, ita ex iam ex lacryma gratissimum trahebat: & vsitatũ hoc vinum fuit, antequam murrhina pocula in vsu Romæ essent. Nam vt ex Plinij loco citato constat Triumpho Pompei asiatico illata sunt Romam myrrhina Ioui dedicata, *postea luxus in priuatos vsus traxit*, at multo ante myrrhina vina in vsu fuerunt: *Lautissima* esse inquit Plin. l. 14. c. 13. Constat igitur vina myrrhata, seu myrrhina non ex eo dici, quod vasis quæ myrrhina, vel murrhina vocantur, reposita sint, sed misturâ, seu conditurâ myrrhę.

At Plautus, Fabius, Scæuola, Lælius ante Pompei triumphum vixere. Pompeius triumphauit de oriente. M. Pupio, & M. Valer. Messala consulibus, anno 3. vel 4. Olymp. 179. Plautus est mortuus Olympiade 145. vt habet Eusebius in Chronico, interceserunt igitur triginta quinq; Olympiades inter mortem Plauti, & triumphum Pompei. Multoq; plus temporis inter murrhinam potionem, & murrhina potoria. Nam ante Plautum vinum murrhinum fuit. Necessario igitur vinum myrrhatum dulce ac suaue erat, ideoq; vel aliud à vino, quod felle mistum erat, vel improbitate Iudæorum, ac militum admistum est, ne vtcunq; Dominus illâ potione recrearetur.

§. 6. Verum non minor est difficultas in exquirendâ causâ, cur dederint vinum myrrhatum. Baronius commiserationis affectu allatum existimat, Prou. vlt. *Date Siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo, vt bibant, & obliuiscantur egestatis, & doloris sui non recordentur amplius.* Id probat ex c. 2. Thalmud tit. auel. kabbati. Forte id aliquando factum, non tamen ad Christum pertinuisse videtur. Non enim Christus peccatum suum, & nullum habebat, confessus est, quod à Thalmudicis quidem cum potione myrrhatâ coniungitur. Deinde nulla est exhibita miseratio, in dolore & precibus irridebatur.

Nicolaus Faber datam potionem soporiferam arbitratur in Epistol. ad Baronium: *Omnibus enim*, ait, *datum cruciariis, vt stupore aliquo tormenta non sentirent.* ita Galatinus. Eum Baronius refutat, quod myrrha ebrietatem, & alienationem à sensibus non efficiat. Imo præseruet, & vapores digerat. vt Athenæus libro 11, capite 30. ex Aristotel. docet. [Ollulæ, *inquit* etiam, quæ Rhodiacæ dicuntur, tum ob voluptatem inferuntur in conuiuia, tum quia cum vinum calefaciant, minus ebrietatem inferre patiuntur. Nam si myrrha, mastichæ, resq; huiusmodi in aquam iniecta coquantur, ac mox vino misceantur, minus qui bibunt fiunt ebrij. Et alibi hic idem fiunt ollulæ Rhodiacæ myrrha, leniscij, floribus etc. balsamo, amomo, ac cinnamomo simul coctis: ex quibus quæ vino mixta fuerit aqua, ita sistit ebrietatem, vt vel venerem sedet, surgentesq; etiam spiritus digerat.]

Sed

Sed tamen Gale. l. 1. c. 19 *Myrrham ait largius haustã, delirum aut mortem adferre.* Et Dioscorides l. 1. c. 77 Δύναμιν δ' ἔχει θερμαντικὴν, ἐφεκτικὴν ῥευμάζων, καῤῥωτικὴν, κολλητικὴν, ξηραντικὴν συπτικὴν. *Vim habet calefaciendi, fluxiones sistendi, soporẽ inducendi, conglutinandi, siccãdi, astringendi.* Καῤῥωτικὸ carotica vis, non est somni simpliciter, sed grauis veterni, seu lethargi, qui motum & sensum auferat. Frater est apoplexiæ, & καλοχῆς. Vide Gal. 33. Method. l. 4 de locis affect. At quomodo soporem qui ex humido, ac frigido origine habet myrrha efficit: cum calefaciat, siccet, astringat, sistat fluxiones. Facilis est è naturali philosophia solutio. Myrrhã largius sumptam, calefactione nimium celeri & magnâ soluere humeros: nam habet vim μαλακτικὴν vt docet Dioscor. l. 1. c. 78 & c. 77 μαλάσσει ὑγρὰ μήτραν. *Emollit vterum.* ἄγει ὑγρὰ ἔμμηνα, καὶ ἕμβρυα συλλομῶς. ideo addit: λαμβάνεται δ' ἀντὶ καταπότιος μέχρι κυάμου, πρὸς βῆχα χρόνιον καὶ ὀρθόπνοιαν, καὶ πλευρᾶς πόνον καὶ θώρακος, λύσιν τε κηλιάσεως καὶ δυσεντερίας. λύει δὲ καὶ ῥίγη, ὅπου καὶ πυρετοὶ, πρὸ δυοῖν ὡρῶν τῆς ἐπιβολῆς μὴ πιέσεως καὶ ὑδατος τὸ μέγεθος κυάμου ποθεῖσα, ἀρτηρίας τε ταχυπνοὰς καὶ δασυσμοὺς φωνῆς ἀποκαθίστησιν.

Cum igitur largius sumpta calore suo resoluat cathartikos, & emolliat, illi subito delati, arterias quæ Carotides appellantur, cum neruis adiunctis opprimunt, atq; ita earum efficiunt. Quod si moderatius sumatur, calefacit sensim, & per minimas particulas resoluit, simulq; eodem calore desiccat. Eadem etiam vino inest efficacia. Si enim modice bibatur, cerebrum purgat, cruditates decoquit.

De vino Dioscor. lib. 5. c. 11. Κοινῶς δὲ πᾶς ἀμιγὴς οἶνος καὶ ἀκέραιος, αὐτηρὸς δὲ τὴν φύσιν θερμαντικῶς διαναδοτικὸς, εὐστόμαχος, ὀρεκτικὸς, θρεπτικὸς, εὐπνοϊκὸς, ῥαστικὸς, εὐχυλὸς, εὐδιασκευαστικὸς. *Id est,* In vniuersum vinum omne meratum & sincerum ac suâ naturâ austerum, excalfacit, facile in membra distribuitur, stomacho conuenit, appetentiam ciborum inuitat, corpus alit, somnum conciliat, robur auget, & colorem commendat. *Et eodem capite.* Optime vero præcipitur, vt ne sitis immodica toleretur, & tantum potionis adhibeatur, quantum proluendis cibis sat sit. Siquidem ebrietas omnis maximèq; iugis, frequentiorve perniciosa. Enimuero largior perpotatio neruos obsessos indies remittere, morborumq; acutorum initia quotidie introducere consueuit.

§. 7. Vim igitur illam habet & vinum, & myrrha, quæ si iunguntur, iunctis facilè subsidijs earum inducent. Non tamen eum finem fuisse constat, vt dolorem cruciarijs minuerent: Ideo enim in crucem agebantur, vt diu morerentur, & mori sese sentirent. Nec latrones caro & veterno oppressi marcebant. Omnes historiæ, quæ de crucifixis leguntur, ostendunt supplicia illis vndiq; aucta, & conquisita, non autem mitigata fuisse. Hoc ex ipso Baronio facilè probauero, si illa quæ de aceto doctissimè disserit perpendamus. [Vt igitur de hoc primum agamus virtutem à natura insitam esse aceto sistendi sanguinem eandemq; hyssopo simul & spongiæ inhærere, pluribus in locis testatur Plinius: cuius est imprimis locus egregius, & ad rem de quâ agimus valde accommodatus, cum ait, acetum fasciculo hyssopi conditum sistendi sanguinis vim quandam, & efficaciam habere, siue spongiæ superponatur, siue ad potandum detur: tribuit & Dioscorides eandem aceto virtutem cum ait. Acetum erumpentem vndecunque sanguinem potu sistit. Si vero acetum iunctum sit hyssopo: maiorem inde haurire efficaciam ad sistendum sanguinem ex clauorum vulneribus manantem, cum pendenti in cruce spongia super arundinem affixa admouetur, iure dici posse videtur. hæc quod ad potum pertinet. Verum non potu tantum, sed earundem rerum applicatione, & factâ vulneribus admotione, eadem hæc ipsa præstari solebant. De spongia quidem cum loquitur Plinius, hæc ait: veteres Spongiæ conglutinant vulnera. & paulo post: spongijs vtilissimè vulnera vouentur: ac rursum: ipsæ inflammationibus vulnerum ponuntur nunc siccæ, nunc aceto conspersæ. ac deniq; sanguinis profluuium sistunt ex aceto, vel frigida. His autem quæ scribit Plinius, antiquus rei vsus consentit: siquidem mos erat, vt gladiatori vulnerato, ad siccandum fluentem sanguinem spongia continuo ministraretur.

Vnde Tertullianus in libro de spectaculis, de his mentionem habens, sic ait: poterit & de misericordia moueri defixus in morsus Vrsorum, & spongias retiariorum. Id ipsum & in marmoribus nobiliter sculptis vidimus, nimirum Adonidi ab apro recenter vulnerato, continuo à ministro quopiam admotam spongiam, ac vulneri superpositam, vt fluentem cruorem sisteret. Habentur hæc in antiquo Sarcophago ea historia egregiè admodum effigiato, quod Romæ asseruatur in ædibus Tyberij Cæsaris, viâ triumphali. Sic igitur (vt ad rem, cuius causa huiusmodi est susceptа digressio, redeamus) ex industria omnia potiora medicamenta, quæ sanguinem sisterent, à Iudæis parari solita, cum quis cruci affigeretur, satis superque demonstratum esse videtur, elucidatumque quod ait Ioannes: vas erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. in quo & magis veritati consentaneum esse videtur, quod ex græco textu colligitur, & ex Theophylacto, qui hunc locum est interpretatus, acetum illud hyssopo fuisse permixtum, atque conditum, sicque ex aceto & hyssopo spongiam fuisse imbutam, atque arundini affixam, ad potum Domino propinandum.

Cæterum medicamentum illud sic compositum, non potus causa præcipue fuisse institutum putamus, sed magis, vt eo sic infusa spongia recentibus admota vulneribus fluentem largiter sanguinem continuo sisteret. Est & eius rei coniectura non leuis: quia (vt accepi ab his qui eam viderunt) spongia, qua potatus est Dominus Iesus Christus, quæ vsque hodie summo honore asseruatur Romæ in Basilica Lateranensi quasi aliquando sanguine tincta fuisset, rubo-rem quendam adhuc retinet, quem semel imbibisset: sicque putamus madidam prius sanguine spongiam, atque pressam aceto, postea & hyssopo superinfusam (proh scelus) sacratissimo ore Domini propinatam.] *Hactenus Baronius.*

Si igitur acetum, hyssopus, spongia aderant sistendo sanguini, vitæque producendæ ad longiores cruciatus, & cruciatus, non fuit igitur misericordiæ, & lenitatis offerre myrrhinum vinum. Hæc enim non Christo tantum, sed & latronibus parata erant ex more. Acetum autem dederunt bibere, καὶ τοῦτο ἐνυβρίζοντες, inquit Chrysostomus. *Et hoc, contumeliam adferentes.*

§ 8. Duæ ergo myrrhinæ dandæ iam causæ refutatæ sunt. Non enim solatij, aut torporis inducendi gratiâ pretiosum vinum propinatur morituro Domino.

Aliam vero causam non inuenio, nisi, quam ipsa res, odium Iudæorum, militum sæuitia, mos cruciarios tractandi suggerit. Nempe vires, animumque ad grauiora supplicia ferenda firmaret, ne deliquio, aut imbecillitate ita obtorpescerent rei, vt sentire, & tormentis suis vexari non possent. Etenim cum

Ad vigorẽ restituendum myrrhatum datur.

multi solò tormentorum aspectu linquantur animo, idque, post vigilias, vexationesq; nocturnas, flagellationemq;, & qui secuti sunt, labores, vererenturq; ne id Christo contingeret: quem cruci ferendæ imparem viderant, omnino excitare spiritus & augere voluerunt vino, & myrrhâ inditâ, ne sensus obstupescerent, & fructus crudelitatis interiret. Ad odorem autem vini, & præsertim myrrhati, vita & spiritus fessis, animoq; defectis redire solet: In quem vsum etiam acetum & hyssopum apposita auctor est inter alios Baronius.

Fel crudeli ludibrio datum.

§. 9. Quæri etiam solet, cur fel potioni indiderint. Ludibrio Christum veluti Deum fictitium, Dei filium felle potarunt, & cruciatus augendi causâ.

Ludibrium in offerendo felle acerbum fuit. Nam Deum esse talem testabantur, cui nihil nisi reiectitium, & sordidum sit offerendum. Querelam iocularem deorum ex Pherecrate adducit Clemens stromatum 7. & addit: μέναν δε & τὴν ὀσφῦν ὄκραν πεποίηκεν, τὴν χολήν, ὀστᾶ ἄβρωτα, φυσὶ τοῖς θεοῖς ὀπτὰ δόντες αὐτοὶ τὰ ἄλλα ἀναλίσκουσιν. *Menander etiam scripsit: cum summum lumbum, fel, ossa quæ comedi non possunt, diis imposuerint, ipsi alia consumunt.* Stultum autem iudicabant etiam ipsorum sapientes: τοὺς θεοὺς ὀσῶν ἀσάρκων, καὶ χολῆς πυρωμένης, ἄλγος οἱ πεινῶσι δυχὶ βρῶσιμα, χαίρειν ἀπάτῃ: Deos gaudere fraude ossium nudorum, & fellis igniti, quæ ne canes quidem esurientes vorare possunt.

Tali igitur Deo vinum libant, & myrrham, sed vt sacrificio contumeliam adferant fellis amarore omnia corrumpunt. Fellis enim amaritiem potus habet, gustum & omnia contristantem, siccantem, sedimẽtum est enim putissimi sanguinis, folliculo, quem χοληδόχον appellant, comprehensum: minimâ parte cibos, potumq; amarũ efficit. Diis quandoq; offerebatur per ludibriũ, vt huius vitæ labores indicarẽtur. fel enim vitæ symbolum esse docet Gœlius l. 28. c. 27. Fel etiam calfacit, vt Dioscorid. l. 2. c. 96. πάσαι χολαὶ δριμεῖαι καὶ θερμαντικαί. *Omne fel acre, & calfactiuum.* Fatigato igitur Domino, sudore, flagellatione exhausto ardor viscera vrebat, quocirca ingenti siti tortus exclamauit: Sitio. Cuius cum multæ essent causæ, non minima etiam in fellis ardore futura fuisset. Omne autẽ fel venenum est, πεπίλημα & ἀποκάθαρσις τῆς τροφῆς ἐναντία, vt habet Aristot. l. 4. c. 2 de partibus animalium. Plin. lib. 11. c. 37. Ahena eius contactu nigrescere, ait: ne quis miretur id venenum esse serpentium. Maximum autem in eo virus esse demonstrat, *Fella tincta semina mures fugiunt.* Fellis in medicina vsum præstantissimum docet Plinius lib. 28. cap. 9. *Vis eius excalfacere, mordere, scindere, extrahere, discutere.* Itaq; omni modo torquendi occasionem exquirunt, & Dominus patientiæ documenta ostendit. Cętera de crucifixione, suppedaneis, aliisq; legi possunt apud Gretserum, & Lipsium.

Acetum sanguinem sistit.

Hoc moneo errare, qui acetum datum ad sanguinem celerius egerendum dixerunt. Aceti est sanguinem sistere. Plin. lib. 23. c. 1. [Aceto summa vis est in
„ refrigerando, non tamen minor in discutiendo: ita fit
„ vt infusum terræ spumet. Dictum est sæpius, diceturque quoties cum alijs prosit. Per se haustum fastidia
„ discutit, singultus cohibet, sternutamenta olfactu.
„ Vim in balneis æstus arcet, si contineatur ore. Quin
„ & cum aqua bibitur. Multorum stomacho vtiliter
„ gargarizatur, cum eadem conualescentium, & à Solis
„ ardoribus. Oculis quoque illo modo salubertimum.
„ Plurimum fotu medetur post vredines. Item lepris,
„ furfuribus, hulceribus manantibus, canis morsibus,
„ Scorpionum ictibus, scolopendarum, muris aranei;
„ contra omnium aculeatorum venena, & pruritus.
„ Item contra multopedæ morsum. Calidum in spongia appositum, adiecto Sulphuris Sextante, Sextariis tribus aceti aut hyssopi fasciculo, medetur Sedis vitiis. In sanguinis fluxione post excisos calculos, & omnia alia, foris in spongia appositum, intus potum Cyathis binis quam acerrimum. Conglobarum vtig; sanguinem discutit. Contra lichenas & bibitur & imponitur.]

VERSVS 35. 36.

Postquam autem crucifixerunt eum diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum.

QVÆSTIO I.

Quomodo diuiserunt vestes?

§. 1. VEstes diuidunt, & sedentes seruabant eum, in græco textu additur ἐκεῖ, *illic*, Tunicam inconsutilem non scindunt, sed sortiuntur, cuius sit. Ioan. 19. 18. Hoc loco ἱμάτιον toga est; nam pallium ante detractum fuit. Citatio Scripturæ ex Ps. 21. 19. in multis non est, nec est in manuscripto Mossemenii. Tunicam inconsutilem Patres & interpretes omnes interpretantur, Ecclesiam quę scindenda non est, quę optimè seruatur etiam sub potestate militum & regũ impiorum, modo ne scindatur. Isidorus Pelusiota l. 1. Epist. 74. Quis autem vestis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur: apud eos enim maximè eiusmodi genus vestis fieri solet, atte quadam, vt pectoralia, retractim consutum.

§. 2. Bullingerus catholicos irridet, quod honorificè vestem Domini asseruent. [Hoc sui spolium Iesus voluit esse penes milites: apud nos, qui nomen illius, profitemur, nihil voluit esse sui carnale. Spiritu, fide & dilectione apud nos retinetur totus, sicut ipse dixit Ioã. 14. Vestem nõ adorat neq; colit pius. Et sanè milites sunt, qui hodie aiunt se custodire Tunicam Saluatoris, & militariter quidem illa vtuntur, deprædantes, parum integros ac simpliciores in fide. Aber man pflegt Marien also mit Kolben zu taussen. Tametsi enim certò constaret, illam esse, quæ dicitur, Togam Saluatoris, neutiquam tamen erat colenda. Nunc cum nihil sit incertius, nihil vnquam stultius vel à superstitiosissimis factum est, quam quod nunc fit ab illis nescio cuius togæ adoratoribus cultoribusque.]

Augustæ Treuirorum vestis illa custoditur, non adoratur, non colitur tanquam Deus, nec à militibus tenetur, verùm à sacerdotibus. Honorificè asseruatur vt monumentum redemptoris, in eius custodia Deus ipse colitur: vt etiam amicus in nanemo fyno. Non enim res inanimatæ suâ naturâ, sed relatione ad Deum honorari censentur, vt corona regis, non quia aurum est, sed quia insigne potestatis. Nam & illis instrumentis ad miracula Deus vti dignatus est, vt Matth. 9 Marci 5. Lucæ 8. Matth. 14. Act. 5. & 19. Ipsa terra sancta miraculis claruit.

Augustinus libro 22. de ciuitate Dei cap. 8. *Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit: eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipsa pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid*

quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Forte accidit, vt ego, & collegæ nunc meus, Episcopus Synicensis Ecclesiæ, Maximinus, in proximo essemus: vt veniremus rogauit, & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, & hoc petuit, vt insoderetur alicubi, atq; liberationum locus fieret: vbi etiam possent Christiani ad celebrande que Dei sunt congregari. Non restitimus: factum est. Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito petuit à parentibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus, orauit, atq; inde continuò pedibus suis saluus abscessit.

Rem tam preciosam mirabiliumq; effectricem sine reuerentiâ reseruari non debuisse omnes intelligant, cum in eâ honoretur Dei præsentia, & benignitas. Verum illa Zuingliana sunt ex Claudio Taurinensi, Hieronymo Pragensi, Wicleffo, aliisq;. Nos veterem Ecclesiam, ipsosq; Apostolos in reliquiarum veneratione sequimur.

§. 3. Psalmus 21. de Dauide, & Christo agit: nam cum iam morti destinatus esset & fugisset, domus eius spoliata est. vestesq; diuisæ inter inimicos. Nam non modo non pepercerunt cęteris, sed vxorem etiam rapuerunt, aliiq; dederunt. Quocirca & Matthæus & Ioannes monuerunt, vt ostenderent Christum nihil passum, nisi quod oraculo, iam olim Deus prænunciauit.

VERSVS 37.

Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est Iesus Rex Iudæorum.

QVÆSTIO I.

Quis titulus in cruce fuerit scriptus?

§. 1. NOtus est priscorum iudiciorum ritus, quo solebant elogia damnatorum tabula appensa indicare, aut voce præconis edrcere. Id omnibus damnatis commune fuit. Apud Eusebium l. 5. Titulus est ille: *Hic est Attalus Christianus.* Vide Lipsium l. 2. c. 11. de cruce. Syrus dicit עלחא דמיתתא *gelletha demuretch, occasionem mortis.* Titulum Hebræum nobis fingit Bulfingerus. cum Syrus fuerit, & in Syro testamento hûc in modum scribatur: הנו ישוע מלכא דיהודיא *Hic Iesus rex Iudæorum,* in aliis additur *Nazarenus.* Christus & Iudæi, titulo ridentur, ille quidem, quod rex crucifigatur, hi vero, quod Messiam crucifixerunt. Interim omnibus nationibus progtammate illo Salus ostenditur. Vix enim quisquam Ierosolymis erat, qui ex tribus linguis aliquam non nosset: Syriacam autem esse inscriptionem constat ex Salmerone, aliisque, qui Romæ tituli partem viderunt. Deinde ex textu, quæ enim in Euangeliis Hebræa dicuntur, Syriaca sunt, seu noua Hebræa, non vetera. itaq; & Pilatus illâ lingua vsus est. Deniq; plurimis notam voluit esse inscriptionem Pilatus, non ergo veteri Hebræâ scribi oportuit, quæ in vulgus nota non erat.

§. 2. Pilato mens fuit suam in iudicando iniquitatem elogio illo palliare: quasi regni affectatorē fixisset. Sciebat enim innocentem à plerisque existimari. Crimen aliud non erat, nisi quia rex erat. Id postea & Christianis obtigit, quorum soluum nomen in crimen vocabatur. Tertull. Apolog. cap. 2. *Sed illud solum exprobratur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, & non examinatio criminis. quando si de alio nomine cognitus, non fiat inter ssio eo nomen homicida, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (vt de vestris elogiis loquar) consentientis ad pronunciandum, nisi & consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, tempus, conscios suos.*

Et cap. 44. *At enim illud detrimentum Reipublicæ tam grande quam verum nemo circumspicit, illam iniuriam ciuitatis nullus expendit, cum tot iusti impendimur, cum tot innocentes erogamur. Vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis: tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur, quis illic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiam Christianus ascribitur? aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes. de vestris semper æstuat carcer, de vestris semper met alla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt, nemo illic Christianus, nisi planè tantum Christianus, aut si & aliud, iam non est Christianus.*

§. 3. Latrones adiuncti sunt, vt eius innocentia obscuraretur, imo princeps latronum videretur, reuera vt ostenderet, quibus liberandis aduenisset. Inter hæc factum est, quod in Psalmis est: *Omnes videntes me irriserunt me.* Dicunt: *Vah qui destruis:* ὀλοθρεύων, *Syrus* האח *Heach.* exprobrantes cum gaudio, quod liberare se non valeat. Syrus: *Libera animam tuam.* *Latrones.*

In Marco est ὀνά, vt Iob 39. 28. Isa. 44. 26. Ezech. 25 3. Psalm. 34. 21. Iustinus hinc probat Christum esse Messiam, contra Tryph.

Imo ipsi Iudæi dum spectando & insultando exacerbant dolores, seipsi reuincunt, dum enim fatentur alios ab eo saluos factos esse, vere saluatorem, non impostorem profitentur. Inter irrisores vers. 41. Syrus etiam ponit Pharisæos. *Descendat*, inquiunt, Καὶ πιστεύσωμεν ἐπ' αὐτῷ *in ipsum*, ita & Molsemensis, alij πιστεύσωμεν αὐτῷ. In eo versantur autem inimici, vt Deo exosum esse ostendant, neq; enim latronibus insultabant, sed innocenti, cuius innocentia pendentis in cruce eorum pectora torquebat. Hoc olim Dauidi pari modo improperarunt.

Liberet nunc, si vult, eum. duplex constructio: liberet eum nunc, si vult, Græcus ῥυσάσθω νῦν αὐτόν, εἰ θέλει αὐτόν. Liberet nũc eum, si vult eum. ita & Syrus אב צבא בח Ech zeba bech. Si complacet in illo.

VERSVS 45.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsq; ad horam nonam.

QVÆSTIO I.

Quæ hora crucifixus est?

§. 1. AB horâ sextâ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsq; ad horam nonam. Eodem modo Marc. 15. 33. Lucas 23. 44.

At Marcus 25. vers. ait fuisse horam tertiam, cum eum crucifigerent. Quomodo illa concilianda sint verba Marci cum Ioanne, qui hora quasi sexta damnatum scribit, iam considerandum est. Comestor. & ex eo Erasmus mendum putant, & pro græco γ. quod est signum numeri ternarij Erasmus reponendum putat signum ϛ. quod senarij est nota: verum cum sit antiquissima difficultas, & veteres textum vitiatum non dixerint, cum etiam in Latinis, Græcis, Syris constanter omnia exemplaria habeant tertiam, non est scindendus ille nodus, sed legitime soluendus. *Consensus Euangelistarum.* *Lectio omnium librorum retinenda.*

§. 2. Dies apud Hebræos duodecim horis diuidebatur, prima ab ortu solis incipiebat duodecima occasu finiebatur. Eadem & noctium diuisio. Alia erat & dierum & noctium partitio ciuilis, & ad opera ac- *Horæ ciuiles.*

commodata. Noctium in quatuor vigilias, dierum in quatuor horas. vt est apud Censorin. de natal. c. 10. itaq; horæ posteriores singulæ ternas comprehendebant. nec tamen eodem modo has numerant. Quidam primam horam aiunt esse, tres primas ab ortu solis. Tertiam vero tres sequentes, ita vt tertia hora finiretur hora sextâ, seu meridie. Inde sexta inciperet, & contineret tres sequentes vsque ad nonam. Nona vero perduraret ad solis occasum. vt ex hoc schemate cognosci potest.

Ortus solis.	1. 2. 3. Prima.	4. 5. 6. Tertia.	7. 8. 9. Sexta.	10. 11. 12. Nona.

Alij vero, vt Baronius aliter inchoant, & tertiam appellant, quæ immediatè ortui solis adhæret, vt ex hoc schemate apparet.

Ortus solis.	1. 2. 3. Tertia.	4. 5. 6. Sexta.	7. 8. 9. Nona.	Vespera.

Ex his facile est conciliare Euangelistas. Nam Ioannes ait Christum damnatum cum esset hora quasi sextâ. Marcus crucifixum horâ tertiâ. Nam sub finem horæ tertiæ, imminēte iam sextâ crucifixus est. ideo & Ioannes ait fuisse quasi sextam, cum dicta est in Christum sententia, continuo. n. raptatus est ad supplicij.

An vero priore, an posteriore modo numerandæ sint horæ, dubium est. Mihi probabilior videtur prior enumeratio, quæ cum nostris in Germaniâ horis ita componitur.

Ortus solis.	Prima hora cōtinet Iudaicā. 1. 2. 3. nostram. 7. 8. 9. inclusiue.	Tertia hora cōtinet Iudaicā. 4. 5. 6. nostram. 10. 11. 12.	Sexta cōtinet Iudaicam. 7. 8. 9. nostram. 1. 2. 3.	Nona cōtinet Iudaicam. 10. 11. 12. nostram. 4. 5. 6.

Nam cum esset æquinoctium horâ sextâ nostrâ sol ortus est. itaq; nostrâ nonâ crucifixus esset Dominus. & tribus horis omnia transacta. φ videtur incredibile.

Nam multis modis accusatur, & à Pilato defenditur. deinde ad Herodem mittitur & remittitur, accusatur, irridetur. Tandem flagellatur, atq; iterum producitur. Deinde spinis coronatur, & illuditur: ac tandem educitur in locum supplicii, quæ omnia vix tribus horis contingere potuerunt. Præsertim tardante Pilato, & moras nectente. Communis vero sententia veterum, & recentiorum est, circa meridiem Dominum esse crucifixum.

QVÆSTIO II.

Quam latè tenebræ fuerint diffusæ?

§. 1. NOn fuerunt tenebræ densæ quales Ægyptię, aut obscuræ noctis, sed quales esse solēt sublustri lunæ splendore. Alio qui omnia negocia, ēt custodum impedita fuissent. Nūc videtur quidē cohortuisse, tamē disputasse de causa tenebrarū: Tacuisse a. tempore tenebrarum credibile est, & omnino modestiores facti sunt milites, Iudæi vero discessisse videntur, nisi iam hora nona. nā post tenebras nihil amplꝰ dixisse feruntur. Factas tenebras ait. S. Chrysost. cum iam à furore recessissent. *Tenebræ mediocres.*

τί σκόπει πότε γίνεται ἐν μεσημβρίᾳ. ἵνα πάντες οἱ τὴν γῆν οἰκοῦντες μάθωσιν, ὅτι παντεχοῦ τῆς οἰκουμένης ἡμέρα ἦν, ὅπερ ἱκανὸν ἦν αὐτοὺς ἐπιστρέψαι, καὶ τῷ μεγέθει καὶ θαύματος, ἀλλὰ καὶ τῷ καιρῷ συμβῆναι. μὴ γὰρ πάντα τὰ τῆς παροινίας, καὶ τῆς παρανόμε κωμῳδίας, ἔτι γίνεται, ὅτε τὸν θυμὸν εἶασαν, ὅτε ἀνεπαυσαντο γελῶντες, ὅτε καιρὸν ἔλαβον τοῦ σκωμμάτων, καὶ πάντα ἐφθέγξαντο ἅπερ ἠθέλησαν. τότε δείκνυται τὸ σκότος, ἵνα κἂν ἕτως τὴν ὀργὴν ἀφέντες κερδάνωσιν. διὸ καὶ θαυμα-

τοῦ. Id est. [Tu vero ēt animaduerte, quādo tenebræ fiant, in media videl. die fiunt, vt vniuersi, qui terram habitāt, videant: quia dies vbiq; tetrarū tūc erat. Hoc signū non magnitudine solū miraculi, verum ēt quia opportunè accidit, ad cōuertēdos eos sufficiebat: post omnia enim, quæ per insaniam & furorem fecerunt, factum est: quando iam ipse furor cessauit, quando deridendo saturati sunt, quando cōtumeliando animum suum expleuerunt, quando deniq; omnia à se dicta sunt, q̄ volebant: tunc tenebræ apparent, vt saltem tunc ira deposita, nonihil ab hoc signo cōsequerētur.

§. 2. Fuerithe ille solis defectus in solâ Iudęa, an toto horizōte, quęrunt interpretes. Calu. in solâ Iudæâ fuisse existimat, similiterq; Beza, qui illud *ὅλην τὴν γῆν*, interpretatur *χώραν, regionem Iudææ.* Calu. etiam euidentius esse miraculum iudicat, si non toto orbe diffusum fuerit. Alij vero non in vnâ solum parte, sed toto orbe fuisse tenebras docent. Nam verba scripturæ, cum nihil obstat, simpliciter, & vti sonant accipienda sunt. Deinde multas ob causas fieri potest, vt tenebrę certis in locis oborirentur. Vt terræmotu, grandine, nimbis, densissimis nubibus. Deniq; omnes gentes ad defectionis illius causam quærendam excitandæ fuerunt, quemadmodum etiam factum legimus.

Occurrunt tamen: & auctoritate negatiua gentilium rem tantam definire moliuntur: non enim gentium historici rem tantam neglexissent.

Hic facilis est responsio. Nā qui hoc tēpore historici vixerint, & res gestas scripserint, vix vlli supersūt. Pleriq; aut ante vixerūt, quorū monumēta tenemus, ideoq; hęc tēpora non attigerūt. Qui secuti sunt, quorū paucissimorū libri ætatem tulerunt, compendiogestu perstrinxerunt, scelerib. hōum narrandis intenti, nato mundū, & quæ in eo elementorū, cœlorūq; miranda contingerūt, in opera sua contulerunt. Itaq; imperiti mihi semper visi sunt, qui in sęcularib., literis ista quęrunt. Nominēt historicos in quib. poni Eclipsin solis oportuisse arbitrantur: & videbunt plurima ab ipsis omissa, q̄ alijs in libris occasione aliquâ recensentur. Nec tamen oīno sęcularium testimonio destituimur. Orig. trac. 35. in Matth. Phlegontē Hadriani libertum citat: quamuis Origen. aliquando in solâ Iudæâ tenebras fuisse dicat. At lib. 2. contra Celsum. *De sole*, inquit, a Tiberij tempore obscurato, quo imperante Iesus creditur cruci affixus. & de magnis terræ motib. factis, scripsit Phlegon 13. vel 14. vt arbitror de tēporib. lib. Et deinde, ait cūcta tenebris obuoluta. Lucę fanerita conueniunt. *Tenebras factas*, ait, *& solem obscuratum.* In Chron. Euse. ponitur res accuratius. *Ἰησοῦ γενεσιουργὸς δὲ θεὸς ὁ κύριος ἡμῶν καὶ τὰ περὶ αὐτὸν προφητευόμενα περὶ τὸ πάθος πέρας ἔτυχε, τῷ τῆς πίστεως βασιλείᾳ, καὶ ὃν καιρὸν καὶ ἐν ἄλλοις μὲν ἑλληνικοῖς ὑπομνήμασιν εὕρομεν ἱστορούμενα καὶ λέξιν παυτε. ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν. Βιθυνία σείεσθαι. Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν ἀλλ συμφέρει τὰ περὶ τοῦ πάθος καὶ σωτῆρος ἡμῶν συμβεβηκότα γράφειν ἀλλὰ τὰς Ὀλυμπιάδας ..... ὡδὲ τῶν αὐξόντων ἐν τῷ ἑνὶ μεμνημασιν αὐτὸς τάδε. τῷ δ ἔτει τῆς CB. ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον. καὶ νὺξ ὥρας τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σάλος τε μέγας καὶ εἰθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατέρριψατο. καὶ τοῦτο μὲν ὁ ἕλλην. In Latino ita versum est.* Iesus Christus secundū Prophetias, q̄ de eo fuerāt prolocutæ, ad passionē venit anno Tiberij 18. quo tēpore ēt in alijs Ethnicorū Commentarijs hęc ad verbum scripta reperimus: solis facta defectio: Bithynia terræ motu concussa, & in vrbe Nicęa ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his cōgruunt, quæ in passione Saluatoris acciderant. Scribit vero super his & Phlego, qui Olympiadarū egregius [illegible]

ator est, in 13. lib. ita dicens: Quarto a. anno C C II. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quę ante eam acciderant, defectio solis facta: dies hora 6. ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cœlo visæ sint, terræq; motus in Bithynia Nicææ vrbis multas ędes subuerterit. Hæc supradictus vir.

Nec sol Phlegó testatus est, sed ĕt Thall°: de illo Africanus δ' ἀπὸ σκότους ἔκλειψιν ἡλίου δ' Θαλλος ἀποκαλεῖ ἐν λείτῃ τῆς ἱστορείαν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ ἀλόγως Sine ratione, vt mihi videtur Thallus tenebras illas 5. histor. Eclipsin putauit. Nã cum Plenilunio esset, nõ poterat Eclipsis esse. Quĩ ĕt Tert. Apolog. refert, ita veteres existimasse. Eodẽ momento dies, mediũ orbẽ signãte sole, subducta est, D. Dionysiũ quoq; putauerũt, q id quoq; super Christo prædicatũ nõ fuerũt, etsi nõ eum mũdi casũ, relatũ in archiuis vestris habetis. Meminit & Aug. l. 3. de ciu. Dei. c. 15. & Ep. 80. ad Hes. Oros. l. 4. aliquãtos Græcorum libros ait id testari. Lact. l. 4. c. 19. & Sybillã pdictũ refert. Nec sanè prętereundũ, q ait Tertul. esse in archiuis eorũ, quo mai° ex Gẽtilib. nõ põt dari testimonium. Sed p. cipuũ est S. Dionysij testimoniũ Epist. ad Polyc. vbi contra Apolliph. ostendit Christi diuinitatẽ. ἐπεὶ γὰρ αὐτῷ τὰ λεγόμενα ὡς τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σωμα γενούσης ἐκλείψεως. ἀμφοτέρω γὰρ τότε κ ἡλιοπεδιάμα παρόντε τε κ συνεστῶτε, ὥσ δοξῶς τῷ ἥλιῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν· ἐγὼ δὲ ἦν συνοδὸς κείνης· ἀυθις τε αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐναντίας ὥρας ἄχρι τῆς ἑπτὰς, εἰς τ' ἡλίου Διάμετρον ὑστερφυῶς ἀντικαλασάσαν. ἀναμένομεν γὰ τι κ ἕτερον αὐτὴν· οἶδε γὰρ ὅτι κ τὴν ἔμπτωσιν αὐτὴν ἐξ ἀναλόγων ἑωρακάμεν ἀρχαμένην, καὶ μεχρὶς ἡλιακὲ πέρατος ἠθέσαν. εἶτα ἀναποδίσασαν καὶ αὐθις, ἐκ δὲ αὐτὲ κ τὴν ἐμπτωσιν, κ τὴν ἀνακάθαρσιν, ἀλλ' ὁλὲ κ Διάμετρον ἐναντίαν γεγενημένην. τοιαῦτα ἐσι τότε καιρὸς τὰ ὑστερφυῆ κ μόνῳ χρισῷ τῷ παναιτίῳ δυνατὰ, τῷ ποιοῦντι μεγάλα κ ἐξαίσια ὧν οὐκ ἔσιν ἀριθμός. ταῦτά σοι θεμιτὸν εἰπεῖν, κ εἰ δυνατὸν, ὦ Ἀπολλοφάνες, ἐξέλεγχε, κ πρὸς ἐμὲ τὸν τότε κ συμπαρόντα σοι, κ συνεργοῦντα, κ συναναπέμποντα πάντα, κ συναγάλλοντα, ἀμᾶλ κ μαθήσεως τότε ἐκ οἶδ' ὅθεν ὁ Ἀπολλοφάνης ἀπέρχεται, κ πρὸς ἐμὲ, ὥσπερ τὰ γιγνόμενα, συμβάλλων ἔφη, πᾶσιν ὡς καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πράγματ' ἴσασιν ἡμᾶς κ' ὅπως ἡμῖν εἰρήσθω· σὺ δ' ἱκανὸς κ ἀλεξιπονώτατος κ' πρὸς ἀπορίαν ἀπληρώσαι, κ πρὸς ἀγωγὲν κ' τελέωσιν τῷ θεῷ τὴν θρησκείαν σοφὸν ἀπολλώνια, κ ἴσως ἐκ ἀπαξιώσουσα πράγματα μαθεῖν τὴν ὑπέρσοφον τῆς θρησκείας ἡμῶν ἀλήθειαν.

Abeo a. quære, quid sentiat de defectione solis q̃ cum seruator in crucẽ actus est, extitit. Eram° .n. vna ambo, & stabamus ad Heliopolim, lunã inopinato sole obijcientem cernebamus, neq; .n. coniunctionis tempus erat: rursusq; cum eadẽ ab hora 9. ad vesperũ se mediẽ solis lineæ prẽter naturæ ordinẽ opponebat. Redige a. etiam aliquid aliud ei in memoriã. Scit .n. etiam obiectũ ipsum à nobis visum esse oriri ab ortu solis, & ad solis extremũ peruenire: post ea repedare: mutuq; non ab eadẽ parte solis & obiectũ & recessum euenire, sed recessum ab ea quæ, vt ita dicã naturali, ex diametro erat cõtraria. Hæc sunt mirabilia illius temporis. quæ Christus auctor rerum cũm efficere solus potest, qui facit magna & mirabilia quorum non est numer°. Hęc Polycarpe si fas tibi est ei dicito, & si potes Apollophanes, ea refelle, ĕt contra me, qui tum sẽcum & adfui, & aspexi, & exquisiui oĩa cum summa admiratione. Certe tum quidẽ ĕt diuinare, haud scio vnde, Apollophanes cœpit & mihi tanquã quę fierẽt, coniiciens, dixit. Sunt istæ, ô bone Dionysi, diuinarũ rerũ vicissitudines. Hęc à nobis quantũ epistolæ ratio postulabat, dicta sint. Tu vero & quę desunt supplere pores, & pfectè offerre cõsecrareq; Deo vitũ q. magna sapientia est pditus, & q forsitan nõ grauatè sustinebit placidè sapiẽ issimã religionis nostræ veritatẽ discere.

Vide Georgij Pachymerij Græcã paraphrasin. πῶς ἐ ἐκλείπεις ὁ ἥλιος τὴν σελήνην ἐν τῷ σωτῆρος σταυρῷ· ἐκλείπεως ἀμφότερα ἐν ἡμεῖς, ἐγὼ τε καὶ αὐτὸς, κ τὴν τῆς αἰγύπτου ἡλιόπολιν παρούσες· ἐθεώμεθα γὰρ τότε τοῖς σπουδαίοις ὅλως ἀποδημοῦσιν εἰς αὐτὴν μαθήσεως ἕνεκα. καθεωρῶμεν τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν, καὶ ὅπως ἔγνη, κ ὡς δὲ λόγῳ ἐγένετο, ἐθαυμάζομεν δὲ κ διάμετρον γὰρ ἡ σελήνη πεποιημένη ἐκ καιρὸν ἐδέπτε συμβαίνει ἡλίου ἔκλειψιν γίνεσθαι. εἰ μὴ γὰρ παρεμπέσοι ἡ σελήνη, κ ὑποδράμοι τὸν ἥλιον, ἃ μὴ γίνεται ἡ δ' ἡλίου ἔκλειψις, τότε γῆν ὁλὴν ἦν σκότος καιρός. καὶ τὸ θαυμάσιον, ὅτι καὶ ἔκλειψις ἐγίνετο ὑπὸ ὥρας ς. ἕως ὥρας ἑνάτης. καὶ ἀπ' ἑνάτης ὥρας ἕως ἑσπέρας, πάλιν κ διάμετρον τῷ ἡλίῳ ἡ σελήνη ἐγίνετο. ἀναμένομεν δὲ κ ἕτερον αὐτὸν πῶς ἐξορνομικαῖς ἀνάγκαις ἀπέλθον· ἐγὼ δὲ τῇ κ ἔξιν ἐκλείψεως δ' ἡλίου, ὁλὲ δ' αὐτὸ μέρος δ' ἡλιακὲ δίσκου ἀνάγκη καὶ τὴν ἔμπτωσιν, δηλονοτι τὴν σκότωσιν. καὶ πάλιν τὴν ἀνακάθαρσιν, δηλονοτι τὸ φαῦσιν γίνεσθαι. δ' γὰρ ἡλίου ἄνω διερχομένου κ τὸν οἰκεῖον κύκλον, κ τῆς σελήνης ὑποθεούσης κ τὸν ἴδιον, ἀνάγκη περιλαμβάνειν τὸν σελήνην ὡς ἐλάττονα κ πολὺ διερχομένην κύκλον. λοιπὸν εἰ καὶ ἀμφότεροι οἱ φωσῆρες τὸν ἐναντίαν τῶ πεντηκοντέχρονον, ἀλλ' ὅμ ἡ σελήνη περιλήψεται. εἰκὸς γὰρ ἐνί ὁ μερῶ ἐπισκοτεῖν συμπίπτουσαν, τότ κ ὁπολείπειν, ὥστε κἀκεῖνο φωτίζεσθαι. ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ δ' σωτηρίου σταυροῦ, ἐπεὶ ὁπὸ ἀνατολῆς ἀπαραλλάκτως σεληνιάζεται ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ, καὶ πεποίηκε τὴν ἔκλειψιν. εἰδέναι δὲ πάλιν ὑποννοεῖν εἰς τὸν οἰκεῖον τόπον, ἵνα ἡ τάξις αὐτῆς φυλαχθῇ. καὶ Διὰ τοῦτο ὁπολιπόντα τοῦτον πάλιν ὑποσύρεται, συνέβη. καὶ ἡ μὲν ἔκλειψις γέγονε σκοτισθέντος τοῦ παντὸς δ' ἀνατολικὲ μέρους, δ' αὐτὸ ἀνατολικὲ δίσκου. μετέπειτα ὑποδραμόντος τοῦτος ὅλον τὸν ἥλιον, καὶ ἤδη ἀρχαμένης ὑποναστεῖν, εἰκὸς ἦν, τὸ δυτικὸν μέρος δ' δίσκου πρῶτον ὁπολειπόντος, ἵνα τὸ τῆς ἀναπλῆς κατάλαβη μέρος ἐκεῖνο καὶ πρῶτον φωτίζεσθαι. τοιαῦτα τότε ἐπλεόνησεν τῷ παναιτίῳ μόνῳ θεῷ διατρέμοντα κ κυβερνῶντα. σὺ δ' λοιπὸν ἀπολλοφάνες, εἴπερ ἐκ ἀληθεύω, ἔξελεγχε. ἐγὼ δὲ κ ἄλλοσε ἀναμένω, ὅπου τότε ἔνθεος ἐγενόμην ὡς ἐκ οἶδ' ὁπόθεν μαθήσεως ἀπῆρχε, κ ἔλεγες, πρὸς ἐμὲ. ταῦτα ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων πραγμάτων μεταβολαὶ κ ἴδασ ἡ μεταξολὴ ἐκείνη, μεταβήκειν ἡμᾶς ὁπὸ τῆς πλάνης εἰς τὴν ἀλήθειαν, ὁπὸ δ' σκότους εἰς τ' φῶς, ὁπὸ δ' θανάτου εἰς τὴν ζωὴν ὁπὸ τῶν εἰδώλων εἰς τὸν ὄντως θεόν. ταῦτ' ἐγὼ πρὸς αὐτὸν καθ' ὁπισθεν μὴ μνημῶν τὸν λόγον· σὺ δ' ὦ θεία πολύκαρπε, πρόσπτηξ κ τὰ λάμπυρα, ἵνα προσαύξῃ τοιοῦτον ἀνδρα σοφὸν, εἰς τὴν ὑπέρσοφον δ' χρῖσιν ἰσμὲν ἀληθείαν.

Quid ipe tas dictum ũ de celebri illo deliquio Solis, q factũ scitur Domino à iuda i cruce pẽdente. Ambo nos, ego nimirũ & ipse apud Heliopolim Ægypti p̃sentes (nã ea inoleuerat apud græcos cõsuetudo, vt vndecũq; peregrinationẽ in Ægyptũ capesserẽt, causa p discẽdę Mathes.) ambo simẽ quã attẽtè solarẽ hanc eclipsin p̃speximus: & q stupenda quadã nouitate ac p̃ter rationem Mathematicã cõtingeret impẽdiò mirabamur. Luna quippe 4. erat & 10. ad solẽ relata, iuxta diametri rõnem: quo q dem tpe nunquã alias cõtigit solis fieri deliquium. Neq; .n. eclipsis solaris accidit, nisi soli Luna interciderit, subq; solẽ intercalaris recta à suũ peragat cursum. Tũ vero importuna erat, & intẽpestiua ratio interlunaris synodi. Sed & hoc admiratione dignissimũ. Ab hora siquidẽ 6. ad 9. vsq; ea contigit eclipsis, & à 9. aduſq; vesperã secundùm diametrũ Soli Luna erat opposita. Proinde memoriã illi renoua alterius cuiuspiam, q ex astronomicis canonibus ne-

Cur defectus solis non fuerit naturalis.

cessario consequitur. Etenim in Solis eclipsi, quæ suo tandem ordine contingit, ex ipsa eadem parte solaris disci necesse est fieri incidentiam, tenebrarum videlicet effusionē, & ex obliquo repurgationē, hoc est illustrationem Sole. n. sursum ꝓprium circulum permanente. Luna itidē suum ēt subtercurrente circulum, necessario Luna præuertit solis occursum, vt q̄ minorem multò ambitū suo trāscursu cōficiat. Deniq; ētsi ambo hæc luminaria vim ingrediantur ipsi polo obuersam: at certe Luna suo excursu anteuertet solē. Cōsequens igitur fuerit ea parte Lunam obtenebrescere qua incidit soli: atq; vt hac parte destituitur fraterno lumine, ita & illa parte oppositā à sole ipso illustratur. Die a. salutaris illius crucis alioqui ab Oriente quam minimum coniuncta soli: prodigiosam tamen illam edidit eclipsin. Oportebat a. illam in proprium locū reuerti vt ordo illi connaturalis asseruaretur, hinc cōtigit vt sole rursus relicto redierit (ad suum locum.) Et hęc quidē eclipsis facta est, obscurata prius parte solaris disci respicientis Orientē, deinde Luna totū subtercurrente Solem, cum iam cœpisset reuerti, conuenjebat ipsa occiduam partē disci primò deferente (vt Orientalem partem occuparet) ꝙ illa occidua pars ēt primo illuminaret. Hæc sunt quæ p prouidentiā Dei solius rerū opificis oīa disponentem moderātemq; id temporis perfecta sunt. Cui minus vera prædico, ô Apollophanes, tibi per me licebit in posterum, ea vt coarguas. Ego interim memoriam tibi refricabo facti alterius. Tu. n. perinde atq; numine quopiam tū afflat⁹ (quo a. non satis scio) primitias quasdā diuinationis depromebas, cum ad me conuersus diceres. Hæc, ô pclare Dionysi, diuinarū vicariæ permutationes rerū sunt. Ecqua tādem illa est rerum vicaria mutatio, quæ nos ab errore traduxit ad veritatem, ad lucem clarissimam à tenebris transcripsit à morte reuexit ad vitā, deniq; ab impurissimis idolis ad verissimi Dei latriam āsciuit. Hęc ego ad ipsum secundum epistolæ rationē sermonem minimè producens. Si qua desiderabūtur, tuæ erūt partes, ô eximie Polycarpe, supplere, quę desunt: quib. virum hunc cum primis sapientē conciliare possis sapientissimæ Christianæ religionis veritati.

Clarissime in Scholijs suis S. Maximus exponit Dionysium, cuius verba adscribere vtile fuerit, sic. n. magnitudo miraculi intelligetur. σημείωσαι pag. 318. & Isidorus Parisiens Morelianæ anno 1562. ἐντοῦθεν τὴν λύσιν ἔσχον τῶν ἁγγελικῶν λεκτῶν ἀπορήματα. ἐδεὶς δὲ τῶν ξένων ἢ τῶν ἰουδαίων διηγήσατο, εἰ μὴ μόνον ὅτι ἐν τῷ θείᾳ λεκτὰ εἰπόντων, ὅτε περὶ ὥρας σκότος ἐν τῷ σταυρῷ ἐγένετο, ἐκλείποντος τοῦ ἡλίου σκοτισθέντος, ὡσὰ πᾶσιν ἀμφεβάλετο, ὡς ἔκλειψιν σκάλεσε τοῦτην τῆς σελήνης πεσουρεσκαιδεκατιαίας ὕσης, ἀμὴν συνόδα ὕσης ἡλίου καὶ σελήνης. οἱ γὰρ ἐξηγηταὶ ἀχρεῖον πάντες μετεμελήσεροι πολλῷ τῷ χρόνῳ τούτων ὄντες, ἐπέλαβον τὸν ἥλιον αὐτὸν ἀποβαλεῖν τὰς ἀκτῖνας τὰς περὶ ὥρας, ἕως τῆς ἐνάτης ἐντεῦθεν μύθοι καὶ ὄζειν τροπῆς εἰρήνης τῆς ἐκλείψεως. φησὶν ἂν ὅτι ἀπὸ ἀναπολῶν πεσουρεσκαιδεκατιαίας ὕσης. ἐγὰ γὰρ ἦν συνόδα καιρὸς. ἔφθασεν ὥραν ς. τὸν ἥλιον, καὶ ἐμπεσᾶσι εἰς αὐτὸν ἐπέδραμεν, αὐτὸν εἰσβάλλουσι εἰς τὸ πρὸς ἀναπολας ἢ ἡλιακῆ δίσκα μέρος. ὅθεν καὶ ἡ ἥλιος ἦν σελήνη, καὶ εἰσέβη ἐπιτρέχουσι αὐτὸν καὶ ἀναπαύζουσι, ἕως ἢ ὅλον τὸν αὐτὸ δίσκον ἐσκίασεν. ἔδει ἂν, εἰ μὴ κ τὸ σωτῆρος ἔκλειψις, ὅτε ἢ αὐτὸ μέρος καὶ τὴν ἔκλειψιν, καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν γενέσθαι, ὅτι ὅτε ἐπιτρέχει ἡ σελήνη τὸν ἥλιον, φέρε εἰπεῖν, ἐξ ἀναπολῶν πρῶτον αὐτιφαίνῃ μέρος ἢ ἡλιακῆ δίσκα τὸ ἀναπολικον, ὅπερ καὶ ἤρξατο ἐπιτρέχειν. ἐκεῖθεν ἂν ὅτε ἢ ἀναπολικῆ μέρος καὶ ἀναπαύεσθαι ἄρχεται ὁ δίσκος ἢ ἡλίου, τῆς σελήνης δὲ δυσμας τρεχούσης καὶ πρῶτον ἀναπαυσήσης μέρος ἐν τῷ πρεμένει καὶ ἐπιτρέχειν τὸν ἥλιον, ὁ καὶ πρῶτον ἐκάλυψε, τοῦτο τὸ ἀναπολικὸν ὅτι δὲ ἢ σωτῆρος πάθος ἐχ ἕτω γέγονεν, ἀνὰ τὸν αὐτὸν ἐξ ἀναπολῶν γὰρ ἐλθοῦσα ἡ σελήνη ἐπέδραμε τὸν ἥλιον, καὶ ἐφθασεν ὅλον τὸ δίσκον αὐτό. εἶτα ἐκεῖ ὅτι δυσμας πεφώλθεν, ἀν ἀναπαύσε πάλιν ὅτι ἀναπολας, καὶ ἐμμωσε πρῶτον μέρος τὸ δυτικὸν ἢ ἡλιακῆ δίσκα. εἰς τοῦτο γὰ ἀνέφαμεν ὅτι τὸ ἐναντίον διάμετρον ἢ ἥλιε ὅτι ἀναπολας. ἀεὶ μηκέτι τὴν ἐμπίωσιν ἐ τὴν ἀνακάθαρσιν ὁπ ἢ ὠπὸ μέρος γένεσθαι. μέμνητε μὰ καὶ Φλέγων ὁ ἑλληνικὸς χρονογράφος ἐν τρισκαιδεκάτῳ χρονογραφιῶν ἐν τῇ σγ. ὀλυμπάδι, τῆς ἐκλείψεως τοῦτης περὶ τὸ ἑωθος ὡσὴ λίγων γενέσθαι. ἐμὴν τὸν τρόπον ἀνέγραψε. καὶ Φλέγοντος δὲ ὁ ἡμέτερος ἐν πέμπτῳ χρονογραφιῶν, καὶ δυσεβὼ ὁ παμφίλε ἐν τοῖς αὐτοῖς μεμνῆται τῆς αὐτῆς ἐκλείψεως.

Quā quidē ex re apparet Eclipsin illā non in sola Iudæa fuisse, cum luna totū orbē solis subierit, totū obscurarit, idq; 3. horas integras, deniq; & Christi diuinitas & potentia, quæ in cruce pendens lunam quę meridie è diametro solis obuersa erat, ex antipodum climate euocarit, & soli subdere se iusserit, & videri id potuit, in Palæstina, sicut in Ægypto, nam Heliopoli illi viderunt. Interim hoc miraculum præteriit, mansit tamen obstinata Iudæorum durities.

VERSVS 46.

Et circa horā nonā clamauit voce magna, dicens: Eli, Eli, lāma sabachtani, hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

QVÆSTIO I.

Quomodo voce magnā, & cur clamarit?

§. 1. NAturale est eos, qui moriuntur præsertim virium, & spirituum defectu, vocem omnino deficere, tandem & motū, & respirationē, cordisq; systolen & castolē, quocirca voces, quas magnas in morte, & ꝓpe mortem dedit, miraculosæ fuerunt: diuinā potentiā in corpore semimortuo prolatæ. Quocirca etsi plura miracula cōtigerunt, tamē vocis viuido sono magis quam cæteris motus est centurio, vt crederet esse filium Dei. ita Marc. 15. 39 *Videns autem centurio, quia sic clamans expirasset*, ait: *Vere hic homo filius Dei erat.* Quā re monemur nihil esse efficaci⁹ verbo Dei, quod maximè corda permouet, quod miraculis cunctis supereminet. Cur debiliū sit vox exigua, vel nulla, causa est, quod vires desint, quibus aer violenter elidatur. sonus enim fit ictu aëris, celeri acutus, tardo obtusus.

§. 2. Christus protulit verba illa: *Eli, Eli lamma sabbachtani, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Syrus non habet אלי *eli*, sed אֵיל il. *Deus* deinde לְמָא pro לְמָה *lemana*, pro *lamma*. nam lāma Hebraeū est. Verbū שבקתני *sebachtani* Syrū est. & in glossa interpretatio est עזב, ꝙ est *reliquit*. Varie corrupta fuere Biblia manuscripta apud Francisc. Lucam, q̄ sunt cathedralis Ecclesię Andromarensis habent *Lammazaptani*. In Marco *Lemazabdani*. Sic alia in Matthæo, alia in Marco lemazabdani, alia græca, λέμμα λίμα, λίμα, quę vitia scriptorum sunt, non a. Euangelistarū. Hoc difficilius est. An dixerit Eli Eli? ἐλοὶ ἐλοὶ? Hoc. n. Marcus habet. Multi aiunt dixisse *Eli*, quia ita habetur in Psal. 21. non *eloi*. Hebraicè. n. locutus est. Verum hoc facile refutatur. Etsi enim Psalmi verba recitat, non Hebraicè tamen, sed Syriacè loquitur. Nam verbum Sabacthani, aut σαβαχδάνι omnes concedunt esse Syrū, & in Psal. est עזבתני ghazabthani. Deinde aiunt milites coniecisse de Elia, quasi vocatus esset Elias, & vocasset Eli. ꝙ non cōuenit, si sic dixisset Elahi, vel Elohi.

Nam

Nam Elias dicitur אֵלִי Deus meus אֵלִי vt, maior inter ea sit affinitas; quam inter Elohi & Elia. Verum milites nugando, & excipiendo verba per risum ista dixerunt, contenti quamuis similitudinem adferre. Nulla igitur firma ratio adfertur: Nam si Syro textui credimus, ille habet אֵלִי אֵלִי tam apud Marcum, quam Matthæum. Sed sensum non verba refert Syrus. Sed vtrum tandem dixit? Vt magis constet veritas vtriusq; Euangelistæ, puto vtrumq; dixisse, primò Eli Eli, & in cruciatu, vt solet, cum vellet angorem ostendere, etiam Syriacè, & sic perfecisse sententiam, quam Euangelistæ annumerant. In patheticis autem frequens est repetitio, vt Christus in horto orabat. Abba pater. Quod si quispiam dicat, secundo repetisse, vt à Syris intelligeretur, & cognoscerent, Deum Eliam inuocari, haud quaquam à scopo aberrârit.

§ 3. Voxilla non modo magnum erat miraculum incutiuri, & suâ, se voluntate tantos cruciatus suscepisse demonstrantis: verum etiam ex Prophetis constabat hæc ad Christum pertinere. Nam & hunc Psalmum ad Messiam pertinere constans erat traditio Iudæorum, & titulus indicat. Nam Genebrardus demonstrat ante duo annorum millia Iudæos docuisse, Messiam in flagellis, & pœnis constitutum hunc Psalmum cantaturum esse. Et Ioan. 19. 24. citat, & Paulus Heb. 2. 11. profert de Christo versum duodecimum. Videatur Tertullianus aduersus Iudæos c. 10. Epiph. hæres. 96 & inter Iudæos R. Salomon. Cum igitur notissimus sit Psalmus, & Messiæ proprius, facile videre erat, omnia illa in Christum conuenire, quæ ante Prophetæ locuti erant, adeo vt oraret illis ipsis verbis, quæ illius fore vaticinati sunt. Tertull. aduers. Iudæos c. 10. *Alioquin Christus, qui dolum de ore suo lutus nō est, quia omnem iustitiam & humilitatem exhibuit; & vt suprà de eo praedictum memor admonuimus, non pro meritis suis in id genus mortis expositus est: sed vt ea quæ prædicta sunt à Prophetis, per vos etiam ventura implerentur, sicut in Psalmis ipse spiritus Christi manebat, dicens: Retribuebant mihi mala pro bonis, & Quia non rapuerā tunc exsoluebā. Exterminauerunt manus meas & pedes, & Miserunt in potum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto, & Super vestem meam miserunt sortem: scilicet ea quæ in illum commissuri essetis prædicta sunt. Quæ quidem omnia iste perpessus, non pro actu suo aliquo malo passus est, vt scriptura implerentur de ore Prophetarum. Et vtiq; sacramentum passionis ipsius figurari in prædicationibus oportuerat: quanto q; incredibile, tanto magis scandalum futurum si nō prædicaretur: quando q; magnificū tanto magis admirandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret.*

§ 4. Verbaigitur illa protulit, vt scripturam impleret, patrem honoraret, non personā tantummodo membrorum suorum, sed etiam propriā. Se enim secundum humanitatem auxilio patris egere nouerat. Ita Chrysostomus. Διὰ τοῦτο καὶ μὴ τοῦτο φθέγγεται, ἵνα μαθωσιν ὅτι ἐπὶ ξύλου, καὶ αὐτὸς τοῦτο ἐποίησε, καὶ γίνωσκε τοῦτον θεὸν ἐπικεκλῆσθαι. καὶ λεγέτω, ἠλὶ ἠλὶ λεμὰ σαβαχθανί. πατὴρ μὲν εἰς ἐρᾶται ἀναπνοὴν ἰδὼν ὅτι τὸν πατέρα τιμᾷ, καὶ ἔκ ἐστιν ἀπιθὴς· διὸ καὶ προφητικήν τινα ἀφῆκε φωνήν, μέχρις ἐσχάτης ὥρας μαρτυρῶν τῇ παλαιᾷ. καὶ οὐκ ἀπὸ προφητικὴν, ἀλλὰ καὶ ἐβραϊκὴν φωνὴν, ὥστε αὐτοῖς μᾶλλον γνώριμον καὶ κατάδηλον. *Propterea in fine clamat tenebrarum, vt intelligerent adhuc ipsum viuere, & ab eo tenebras factas fuisse, vt meliores hac ratione fierent: Dicit enim. Eli Eli lamma sabbachthani: vt vsq; ad extremum spiritum honorari ab eo patrem, & non esse illi aduersarium discerent. Quapropter & Propheticam vocem emisit, veterem approbando scripturam, & Hebraicè dixit.*

Hominem enim ostendere voluit. Theophyl. Τὸ δὲ ἀπ' ἐμὲ ἐγκατέλειπες, εἶπεν ὡς ἂν δείξῃ ὅτι ἄνθρωπος ἀληθῶς ἐγένετο, καὶ οὐ φαντασίαν. καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος φυσικὴν ὀρέξιν ἔχει τῆς ζωῆς, φιλόζωος ὤν. ὥσπερ ἐν ἠγωνίασε καὶ ἠδημόνησε πρὸς τὸν σταυρὸν, δείκνυων τὴν οἰκείαν φύσεως πρόσοψιν ἡμῖν δειλίαν, οὕτω καὶ νῦν φησίν. ἵνα τί με ἐγκατέλειπες; ἐμφαίνων τὴν φησικὴν φιλοζωΐαν. καὶ γὰρ ὄντως ἄνθρωπος ἦν, καὶ ἡμῖν τὰ πάντα ὅμοιος, χωρὶς ἁμαρτίας. τινὲς δὲ οὕτω τὸ ἐνόησαν, ὅτι τῶν Ἰουδαίων πρόσωπον ἀναλαμβάνων ὁ σωτὴρ, φησίν. ἵνα τί ἐγκατέλειπες τὸν Ἰουδαϊκὸν λαὸν ὦ πάτερ, ἵνα τηλικαύτην ἁμαρτίαν ποιήσῃ καὶ ἀπωλείᾳ προδοθῇ. ὡς δὲ ἐξ Ἰουδαίων γενόμενος ὁ χριστὸς, τὸ ἐγκατέλειπες μὲ φησίν, ἀντὶ τοῦ τὴν ἐμὴν συγγένειαν, τὸν ἐμὸν λαὸν ἵνα τί ἀφῆκας ὥστε τοιοῦτον κακὸν καθ' ἑαυτὸν ποιῆσαι. *Illud vero, vt quid dereliquisti dixit, vt vere se hominem esse ostenderet, & non secundū imaginationē, homo enim naturalem habet viuendi cupiditatem, vitā amans. Quemadmodum ergo in agone fuit, & contristatus est ante crucem, demonstrans eum, qui ex natura est metū, ita & nunc dicit, vt quid dereliquisti me. Naturalem vitæ nostræ amorem ostendens: nam reuera homo erat, & nobis per omnia similis absq; peccato. Quidam sic intelligunt, quod Iudæorum accepta persona saluator dixerit, vt quid dereliquisti Iudaicum populum ô pater, vt tantum peccatum committeret, & exitio traderetur. Tanquam enim ex Iudæis oriundus Christus, dixit: vt quid dereliquisti me, pro eo, vt diceret; meā progeniem, meū populum, vt quid permisisti vt contra se tantū malum faceret.*

QVÆSTIO II.

An Christus desperarit, aut damnatorum iuerit tormenta?

§ 1. SVpra de horrendâ Caluinianorum blasphemiâ disputaui, illi nunc his verbis Christi prolatis impudentius contra Saluatorem insurgunt.

Intolerabilis visa est Arianorū blasphemia, qui ex his verbis concludebant, Christum nō Deū, sed parū hominē fuisse, vt est apud Athanas. Orat. 1. 2. 3. 4. contra Arianos. Sic Nazianz. Orat. 4. de Theol. Cyrillus. l. de fide August. in Psal. 21. Leo, respondent Arianis. Quā sententiā si sequi libeat, facile Caluinianis respondebimus. *Hominum illas esse querelas à Christo in eorū persona prolatas.* Athanasius tamen dialog. 4. de Trinit. Cyrill. l. 10. Thesaur. aliam solutionē adferunt. Christū loqui more hominis. Humana natura à Deo derelicta fuit, non vt damnaretur, aut desperaret, aut quod homo non esset Deus. Sed in tormentis derelicta hactenus, vt nec diuinitas acerbitatē eorum mitigaret, nec consolatione solitâ eum perfunderet, quâ efficeretur, ne tristitia tantas vires nō haberet. Sic & Tertull. aduers. Praxeā. Quid vero sancti illi patres dixissent, si Caluinum audissent, non modo diuinitatis Christi inficiatorem, sed etiam innocentiæ illius negatorem? *Patrum interpretatio.*

§ 2. Caluinū ipsum audire operæ præcium est, etsi aures horreant. *Quanquam*, inquit, *apparuit plusquā humanus vigor in Christi clamore, certum tamen est vehementiā doloris illi fuisse expressū. Et certè hic præcipuus fuit conflictus, & omnibus aliis tormentis durior, quod in suis angustiis adeo leuatus nō est Patris auxilio, vel fauore, vt se quodammodò alienum sentiret. Neq; enim corpus olim in pretium nostræ cum Deo conciliationis obtulit, sed in animæ etiā pertulit debitas nobis pœnas: atq; ita verè factus est vir dolorū, sicuti Isaias loquitur. Et verò ni nu insulsi sunt, qui hanc redemptionis partē posthabita, tantum in extēno carnis supplicio insistunt, nam vt pro nobis satisfaceret Christus, reum ad Dei tribunal sisti oportuit. Nihil autem magis horribile, quam Deum sentire iudicem, cuius ira mortes omnes superat. Ergò cum speciosa tentationis Christo obiecta est, qui si Deo aduersa ita esset, exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute victor emersit. Nec verò fictè vel theatricè conqueritur, se à patre relictum. Et quod nonnulli ex vulgi opinione sic locutum obtendunt, insipidum est cauillum. Nam interior animi mœstitia, vi & ardore suo eū coēgit in clamorem erumpere, nec tantum oculari fuit redemptio, qua defunctus est (vt nuper dixi) sed vt se vadē pro nobis obtulerat,*

verè Dei iudicium subire loco nostro voluit. Sed absurdū videtur Christo elapsam esse desperationis vocem. Solutio facilis est, quam quā sensus carnis exitium apprehenderit, fixam tamē stetisse fidem in eius corde, quā Deum præsentē intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Diximus alibi, quomodo Deitas locū cesserit carnis infirmitati, quatenus salutis nostræ interfuit, vt omnes redemptoris partes Christus impleret. Discrimen etiam notauimus inter naturæ sensum & fidei notitiam. Quare nihil obstat, quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus communis dictabat: & simul fide retinuerit Deum sibi esse propitiū. Quod satis clarè patet ex duobus quærimoniæ membris, nā antequā tentationē exprimas, præfatur se ad Deū confugere tanquā ad Deum suum: atq; ita clypeo fidei fortiter repulit illam, quæ se ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Deniq; in hoc diro cruciatu illæsa fuit eius fides: vt se relictū esse deplorans, propinquo tamē Dei auxilio confideret. Porrò vocem hanc in primis notatu fuisse dignā hinc apparet, quod Spiritus sanctus quò melius eam insculperet hominū memoriæ, Syriaca lingua referri voluit, nam hoc perinde est ac si Christū eadem, quæ tunc ore suo protulit, verba recitantem induceret. Quò turpior est eorum socordia, qui tantam Christi mœstitiam & tam dirum pauorem, quasi per iocum leuiter prætereunt. Quisquis autem reputat hæc lege suscepta fuisse à Christo mediatore personam, vt eatum nostrum tam in anima quam in corpore subiret, non mirabitur illi certamen fuisse cum mortis doloribus, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus foret.

Et de fide in expositione articuli. *Descendit ad inferos*, §. 28. *Certior ergò expositio quærenda est. Et nobis ex Dei verbo constat non modò sancta & pia, sed plena quoq; eximiæ consolationis. Nihil actum erat, si corporea tantū morte defunctus fuisset Christus, sed operæ simul pretium erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret: quo & iræ ipsius interederet, & satisfaceret iusto iudicio: vt cum inferorū copiis æternaq; mortis horrore, quasi conserto manibus, luctaretur. Correctionem pacis nostræ illi impositā fuisse, Propheta docet: fuisse propter scelera nostra à patre percussum, at vtium propter nostras infirmitates. Quibus significat, in locum peccatorum, sponsorem, vadem, adeoq; instar rei subm ſũ ad dependendas persoluendaq; omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: vno hoc dumtaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. Ergò si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, cum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.*

Perſimili modo cæteri Cingliani, in quo tamē hoc notandum: Descensum Christi ad inferos ab illis negari. Bucerus in Ioan. p. 264 265. olim abfuisse à symbolo contendit. Scripturā ita de inferno loqui ait, ac si cōmunis iustis & impijs esset. Heidelb. in Catechismo an. 63. & 69. f. 21. locum esse negant, impijs destinatū. Alij sepulturā esse volunt, vt Heidel. aliquando. Qui contra concordiā scripserunt, etiā hæresin aiunt, *si quis dicat, Christū ad inferos descendisse.* Henning. in suo syntagmate dubitat. Caluin. autē & deinde Heidelb. alij, per descensū ad inferos Christi dolores intelligūt tales, quales sunt damnatorū. Et forte sic opinati sunt illi q̄ p descensū ad inferos mortē interpretati sunt.*

Hæreticorum aliorum interpretatio.

* Zuing. l 3. Epi p 1216. Bucer. hoc loco Bulling. in Epist. Petri. Oecolamp. l. 1 Epp. 4.

§ 3. Ita tam blasphema, & impia quamuis in superioribus, cum orationē Christi in horto factā exposui, sint refutata, cum tamen noua hic nonnulla & noui argumenti prætextu proponantur, nouis venenis, noua antidota sunt opponenda. I. Certum pronunciat Caluinus clamorem *vehementiā doloris illi expressum.* Et paulo post: *Nam interior animi*, inquit, *mœstitia, vi & ardore suo coēgit eum in clamorē erumpere.* Et in instit. *sensisse, se à Deo alienatū, eo delectū, vt coactus fuerit clamare.* II. Hunc præcipuē pertimere conflictū, *quod se luari auxilio patrū nō sentiret adeo vt se alienum quodammodo sentiret.* III. *In animā pertulisse nobis debitas pœnas.* Et in instit. *In locum peccatorū vadem esse ſſum, ad dependendas persoluendas omnes pœnas, quæ ab illis expetendæ erant.* IV. *Christo obiectā esse speciē quasi Deo auerso iam exitio deuotus esset: hinc horrore correptū, sed spiritus virtute victorem euasisse.* V. *Sed absurdum videtur, Christo desperationis vocē elapsam esse. Sed solatio facilis est*, inquit, *etsi sensus carnis exitiū apprehenderit, fide tamen Deū præsentē intuitum, mente concepit alienatione Dei fide propitium.* VI. *Nihil actum si corporea tantū morte defunctus esset, nisi diuinæ vltionis seueritatē sentiret.* VII. *Ergo si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est cum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Deniq; *irati & punientis Dei signa expertus est.* Hæc singula breuiter excutienda sunt.

§. 4. Ac primo tenendum, nō coactū esse, nec inuitum exclamasse, præsertim mœstitiā ob metū damnationis. Si n. cogi potuit, vel externā violentiā vel interiore affectu Deus nō fuit, potens suorū affectuum nō fuit. Si igitur locutus est, q̄ noluit, mœrore coactus, nō recte est locutus; qa nō ratione sed affectu omnia pugnante. Tantū abest, vt sic existimarit Athanasius, vt potius eā voce dæmonē ad certamen, quo cassē sensit: de passione & cruce. ὁ δὲ κύριος ὁρᾷ αὐτὸν φεύγοντα ἵνα μὴ τὸ γένηται καὶ φυγὰς ἀπέλθῃ ὁ ἐχθρὸς, φωνὰς ἀφιησιν ἀνθρώπου ὡς, καὶ φωνὰς ἀσθενείας λέγων, ἐλωΐ, λεμὰ σαβαχθανί, τοῦτ' ἔστι, θεέ μου ἵνα τί μου ἐγκαλέλιπες; καὶ ἔστι τοῦτο, ἵνα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ὃν καὶ πλάγιον θεὸν, ἔστιν ὡς ἀ θρωπος ἀβοηθητος γενόμενος (μὴ) φυγὰς ἀπέλθοι. ταῦτας γὰρ τὰς φωνὰς ὑπαγόμενος ὁ πάλαι κακὸς, πάλιν ὡς ἀνθρώπῳ προσῆλθε καὶ ἐπείρασεν. *Dominus porrò cùm eum ita fugā adornantē conspiceret, metuens ne fuga elaberetur, voces humanas emisit, & voces imbecillitatis simulauit, dicens, Heloi, Heloi, lama sabachtham, h.e. Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti? Et hoc fecit, ne Diabolus ab eo quē vt hominē antèa contempserat, nunc autē vt Deū exhorrescebat, fuga se subduceret. Certe istis verbis inducitur, vndecūq; sceleratissimus, sub manus venit, dominūq; adoriens confractus est.* Verum istā in medio relinquo sententiā: impia vox est, quæ Christo coactionē tribuit, vt vel egerit q̄ noluit, vel omiserit q̄ voluit. Omnia n. agenda, dicenda à primâ creatione illi nota fuerunt, omnibus suis actionibus meritus est: omnes n. bonæ, purę, Deo gratæ fuerunt, à Deo etiā ordinatæ in salutē suorū, etiā illę ipse clamor, quē in spiritu Dauid prædixit, & cantu præfiguravit. Atq; hinc violenter euincitur error aduersariorū. Nā tota illa tristitia fuit actus meritorius; Liber igitur fuerit necesse est. Coactorū n. nō est meritū, nec demeritū. At Christus libertatē eligendi habuit; Elegit n. bonū, reprobrauit malū. Il. 7. 14. *Et oblatus est, quia ipse voluit.* Il. 53. *Stabatus est, quia voluit, nō clamauit, q̄ noluit.* Nec prodest hominis damnati pœnas, si noluit. Si n. noluit existimare se alienū à Deo, & exitio deuotū esse, & tamen id iudicauit, sensu carnis, & speciē illā passus est inuitus, dæmone vel Deo illā imprimente menti, arbitrio libero repugnante, nihil tanto meritus est dolore: nō igitur illo satisfecit. Omnis n. satisfactio est, ex sacrificio voluntario amantis, non seruitute coacti. Hierō. in Ila. *Nō necessitate, sed voluntate crucē subijsse, docet, idcirco nos liberasse.* Sic Ioan. 10. *Ego pono animā meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eā à me ipso.* Hinc euertitur hæresis Calu. *Nam nihil sactū, aut mors crucis, nisi etiā pœnas damnati sustineret:* i. his q̄ turpe nis nobis vitā meruit, illis satisfecit inuito Deo, vt Calum. iudicat, non ergo sustinuit coactus. Imo si inuitus illa sustinuit, Deo nō obtemperauit, sed repugnando deliquit. Quod si deliberatā voluntate ita iudicauit & ex eo iudicio tantū doloris sibi ipsi ponte conscisit: iā hoc ipsum vitiosum est. Tantam vim doloris admittere, vt eum frenare, & regere nequeat, sed ab eo cogatur.

Quin & illud absurdissimū. Christū ponte admittere ad animū iudiciū erroneū, quo p missiones diuinas quas certissimas esse sciebat, reduceret dubias, ac id vt doleret, Nā neq; bonæ voluntatis est errare velle, in tā graui negocio. Neque iudiciū illud assensus esse potuit, multo minus causa doloris. Nec enim intellectum voluntas eo impellere potest, vt falsum iudicet, q̄ euidēter videt esse clarissimū: neq; de eo umere potest voluntas, nisi q̄ intellectus tanquā malū proponit, & malū subeundū, quod q; ad t mentē pertinens

Quam

Quam porro turpe sit existimare Christū pauico terrore damnationis ita conturbatum, & dejectum, vt in vocem illā desperationis erumperet, vel inde colligi potest, q̄ ante Caluinum nemo id dicere ausus fuerit. Quin etiam Pareus l. 5. c. 10. de iustificatione conditiones meriti tres suas, & septem Bellarmini in Christi merito reperiri censet. *In sola Christi obedientia pro nobis vsq; ad mortem crucis, & tres illæ conditiones meriti propriæ, vt vsq; ad mortem crucis, & septem istæ communes reperiuntur, vti per se patet. Sola igitur Christi obedientia pro nobis vsq; ad mortem crucis, est meritum verè & proprie dictum felicitatis æternæ. Præter hoc vnum quæcumq; ab hominibus quæruntur aut fingūtur, felicitatis æternæ merita, mera sunt σκύβαλα, quisquiliæ & stercora in iudicio Dei.*

Quinta autem conditio est, *vt sit opus liberum.* At opus illud tristitiæ infernalis, & errantis iudicij, quo à Deo fingitur iudicasse se exhæredatum fuisse, nec bonum opus est, nec ad Dei obsequium institutum, nec promissionem à Deo habuit. Sanguini & morti Christi data est promissio non erroribus, aut terroribus infernis. Asseruit Pareus ne Christi quidem λύτρον, sine his conditionibus fuisse meritum.

§. 4. Non sensit Deum à se alienum, ne sensu quidē carnis. In Christo enim non erat sensus carnis à sensu spiritus dissentiens. Non poterat secundum carnem iudicare Deum à se alienatum, secundū spiritū vero eundem Deum sibi esse propitiū. Nam si hoc intellectu suo iudicio formauit, Deus alienus est, exitio deuotus fuit. Non potuit integrum sibi constare iudicij fides. Hoc vero carnis iudicium si in Christo fuit, si non impium, certe stultum fuit, nam iam certissimo sciebat, se Deo carū esse, in se non esse peccatū, sibi datū regnū cœleste, hoc protestatus erat Deus per Prophetas, & ipsi præsenti sepius; *hic est filius meus dilectus.* Si igitur iudicauit iudicio carnis se deuotum exitio, aut ita turbatus est, vt nesciret, quid ageret; aut falsam esse Dei promissionem iudicauit, nec minus peccauit, q̄ Petrus, vt q̄ seipsum filiū esse negarit. Sensus carnis in Christo distingui potest vel contra sensum vel iudicium spiritus & fidei, vt Caluinus nominat. Vt nēpe sint actus ex motione appetitus sensitiui, rationem præuenientis, & voluntatem inclinantis, hoc in Christo fine scelere fingi non potest. Non enim carni eius aderat malum: non concupiscebat aduersus spiritum. Vel sanè intelligi potest inclinatio ad ea quæ naturæ cōmoda sunt. Et D. Thom. quidē in 3 d. 17. q. 1. art. 2. Gabriel, Marsilius, hos actus rationi cōcedunt. Capreol. Dur. Maior negant. At longè differt actus ille, quē Caluin. Christo attribuit; nēpe qui contra fidem omnino deliniat; nempe perditū esse, quē fides docet electū esse.

§. 5. Nihil porro absurdius, quam Christum pœnas omnes nobis debitas pertulisse. Non debuit, non potuit. Nō debuit, quia exiguâ pœnâ satisfacere p̄ multis delictis potuit. Non debuit, quia id q̄ facere debuit, fecit, non autem omnes pœnas sustinuit. Multas meriti sunt homines, omnia morborū, dolorū genera, non toleranit ea Dominus. Meriti radix & origo est, caritas distincta ab amore beato, quicquid enim meritus est, ex dilectione proficiscitur. Quas ergo pœnas libens volens, ex caritate suscepit, illis meritus est: nō autem opus erat omnes suscipere, vide D. Thom. q. 19. art. 4. in 3. partem. Ferr. l. 3 contra gentes. Viguer. instit. Theol. c. 10. Alens. 3. q. q. 16. Dur. dist. 38. q. 2. Omnis porro actus Christi, cūm ratione dignitatis quę in persona diuinā relucebat, esset infiniti precij, etiam erat infiniti meriti. Sed neq; potuit. Summa pœnarum est in damnatis, cognitio certissima miserrimę æternitatis, & Dei decreti immutabilis; hoc n. in tormentis grauissimum est, meliorum desperatio, etiam mortis. Hanc experiri nō potuit. Tum quia errare nō potuit, tum quia grauissimo se peccato obstrinxisset, de misericordia Dei desperando, cuius certissimā promissionem tenebat. Quod si ad omnes pœnarum species referre conatur, cur non ad pœnarum intentionem, durationem, cæteraque quæ vel homines passi sunt, vel in posterum patientur, siue in hoc seculo, siue in futuro.

Christus falsa specie non est deceptus.

§. 6. Speciem obiectam ait Christo quasi exitio deuotus esset. Vtinam impiæ sententiæ virus tandē diserte euoluerit, nunc tenebras quærit. Obiecta est illi species: Sed à quo? Non à Deo. Falsarū n. specierum & opinionū Deus auctor non est. Nec filium vnigenitum falsis imaginibus terrere voluit. Grandius malū per Caluinum hoc loco Satanas molitur. Si n. filium suum ita Deus territauit, turbauit, specie mendace seduxit, vt vocem desperationis emiserit: vt se alienum à Deo, exitio deuotū putaret, nec modo putaret, verū etiā ediceret, & spectantibus inimicis, atq; amicis pronunciaret, quæ spes astanti matri, discipulo, Magdalenæ, si ille in quem crediderunt, in quo salutem suam reposuerunt, iam de suâ dubitat, aut desperat? Quæ exultatio Phariseorū aut hostium circumstantiū; si ille, qui se venturum in iudicio, sessurum ad dextrā patris minatus erat, iā mutata sententia se deuotū inferis arbitratur? si vero illa species falsa, quæ est vera? Non est etiam obiecta illa species à dæmone. Venit n. princeps huius mundi, & in illo nō habuit quicquā. Quam indignū filio, si dæmoni tantā in illum potestatē fuisse dicamus, vt speciē morienti obijceret, qua putaret, se deuotum exitio? hominis perditi & damnati cruciatus sustineret? h. e. desperationem, & alios dolores inferni? Quod si etiam speciem obiectam ipsam perpendamus, facile impostura Caluini se proder. Quid est n. species obiecta, q̄ Philosophus ille nugator induxit? Vel est phantasma in parte imaginatrice, vel species indita potētiæ intelligenti. In sola imaginatrice facultate esse non potuit, quia spiritale malum apprehendere Dominū fingit. Deinde ex ea pœnas damnatorū pertulisse asserit; at illę nō sunt errantis imaginationis, sed iudicantis rationis. Deniq; Christum mirifica spiritus vi euasisse victorē comminiscitur. At si species in imaginatione sola constitit, nihil opus erat lucta, nisi forte quemadmodū in somniorū terrores solent aliquando homines, ita & hanc speciē Christus dispulit. At vero non est illa lucta vigilantis, nec oritur ex imaginatione anxietas & dolor inferorū. Christus omnes dæmonū, hominumq; damnatorū intuebatur supplicia: nec terrebatur tamē, sed ea, vt diuinæ iustitiæ opera approbabat; nō igitur illorū apprehensione, cogitatione in tātas animi incidit angustias, sed opus erats, vt mente conciperet, ea imminere & iam iāq; adesse iudicaret. Obiecta igitur menti species, fuit si Caluino credimus, non impressa, vt apprehenderet damnationem, sed expressa, vt ad se illā iudicaret pertinere. Confirmatur illa sententia, ex eo q̄ in Christo omnis cognitio certa fuit, nulla in eo dubitatio, nulla opinio. Nam actus cognitionis supernaturalis, vt potē rerum à Deo reuelatarum certissimus erat. Pari etiā modo certus erat intellectus rerū naturalium. Alioqui falli potuisset, & fallere. Quod concedi nō potest, nisi totā scripturā in dubium vocare velimus. Omnia igitur quæ docuit certa fuerunt, Et ab eo directore certitudo scripturæ, & Ecclesiæ profecta est.

Non potuit esse species falsa.

Certus esse & dubitare de eadē eodem tempore non potuit.

§. 7. Non possunt etiam illa coniungi vt sensu carnis apprehenderit exitium, Deum sibi iratū, fide Deū propititum. Nam eodem tempore certissimo credere sibi esse propitium Deum, & inimicum existimare, est rē eodē momento negare & affirmare: quod fieri nō potest, ne in alijs quidē hominibus, nedū in Christo, fruebatur ille beato Dei conspectu, nec minus certus erat de mansura beatitudine, quā Angeli, nullo ergo modo contrariū iudicare potuit, nisi priorē sententiā concuteret, & mutaret. Carnalis etiam sensus cū aliud iudicat, quam fides dictat, eius certitudinē euertit.

Fides

Fides Caluiniſtarum ipſis dictat, ſe electos eſſe, cum vero aliqui hæſitatione, vel deſperatione agitantur, non manet immotum certitudinis iudicium. Nam ſi quis fide Deum credat æternum, omnipotentem rerum conditorem, deinde Philoſophicis argutiis inductus, mundum cum Ariſtotele credat æternum, ingenerabilem, & incorruptibilem: priorem fidei veritatem, mendacio non modo concutit, ſed abrogat, & refigit.

Non igitur potuit ille error cum fide coniungi: imo nullus in mente Chriſti error eſſe potuit; non enim in illo lucta erat carnis & ſpiritus, ſed omnia ſpiritus, caro enim perfectiſſimè ſubdita erat ſpiritui. Verum nec cauſa vlla, nec ſpecies cauſæ erat, quæ rationalem animæ partem moueret, vt ſe à Deo putaret deuotum exitio. Nulla erant propria eius peccata, eratque ſuæ ſibi innocentiæ optime conſcius: eâdemque ſcientiâ tenebat, & illud, ſe ex eo quod vadē ac ſponſorem ſe obtuliſſet, pro nobis, vt noſtra debita diſſolueret, non offendere patrem, ſed honorare. Imo hoc ſuum opus patri eſſe gratiſſimum, ideoq; ſe exaltandum, ſibique dandum nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Non ignorabat pœnas nobis debitas dependendas, ſed quæ & quales eſſent iam definitum ſciebat, inter eas ſciebat, non eſſe illam, vt à patre odio haberetur, aut exitio deuoueretur. Cum ergo certo illi conſtaret, non eſſe vllam in ſe cauſam alienationis à Deo, manere omnes cauſas coniunctionis, non eſt illa obiecti ſpecies aliud, quam impiæ profanitatis Chimæra in contumeliā redemptotis excogitata. Quod ſi in Chriſto eſſe potuit, cum certiſſimâ, euidentiſſimâ ſcientiâ, de ſuâ, quam experiebatur, beatitudine, opinio ſeu iudicium carnis, quo ſe deuotum exitio iudicaret, etiam eſſe in Caluinianis poterit: At illi omnē dubitationem ex animo penitus eijciendam docent. Ita Pareus l.3.c.2. de iuſtificatione. *Certitudo fidei, omnem partem formidinem deceptionis excludit.* Et Calu. in Seſſ. 6. Concilij Trident. c.9. *Et ſanè totam fidei naturam ignorant, qui eam dubitatione miſcent.*

Nulla cauſa fuit deſperationis.

§.8. Tandem totum redemptionis myſteriū euacuat Caluinus: & ſanguinem teſtamenti conculcat: cum docet, *nihil actum morte corporeâ niſi ſatisfaceret iuſto iudicio, vt cum inferorum copiis, aternegq; mortis horrore quaſi conſertis manibus luctaretur.* Hinc occaſio nata eſt Socinianis, aliſq; vt Chriſti ſanguine nos redemptos negarent. At ſolus ille ſanguis, eſt precium redemptionis, non modo ſufficientiſſimum, ſed etiam abundantiſſimum, in ſubſidia non vocat errores, falſas ſpecies, deſperationem, nedum tartara. Abſit hoc, vt fœdus noui teſtamenti, errore & coactione teſtatoris, aut dæmonum pœnis ſanciatur. Redemit ille nos in ſanguine, eo dealbati ſumus, non corruptibilibus auro vel argento redempti, nedum dubitatione redemptoris, ſed ſanguine agni immaculati. Satisfactum eſt Deo pro nobis, non coacto dolore filij, non fremitu quaſi damnati, ſed paſſione dilecti. Morte Chriſti, & ſanguine noſtra redemptio abſoluitur. *Maiorem caritatem nemo habuit, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et Rom.5. *Commendat Deus caritatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Non ait damnati pœnas pertuliſſe. Pro nobis paſſum ait S. Petrus Epiſt.1.c.4. *nobis relinquentem exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Exemplum reliquit, non deſperandi, aut conquerendi, ſed moriendi. Ideo addit; *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* Auguſtinus l.13.c.14. de Trinit. *Vtiq;. &c.*

Sanguine non errore Chriſti redimimur.

Sic Epheſ.5. Per hoſtiam corporis ſui nos reconciliauit. Et 1.Pet.2. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis.*

Et Heb.9. v.14 *Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti.*

Cum igitur ſcriptura vniuerſa oblationi corporis ſanguinis effuſioni ſalutem noſtram aſcribat, de pœnis inferorum nullam mentionem habeat, nullo modo audienda eſt noua hæreſis, quæ hæc omnia nihil fuiſſe comminiſcitur, niſi dolores inferorum in auxilium liberationis aduenieſſent. Mortem & ſanguinem Pareus precium æquiualens eſſe docet. in c.6. ad Corinthios. v.20.

Hinc orta cauſa Socino, vt negaret Chriſtum eſſe ἀντάλυτρον. Et quamuis Heb.2.14. Paulus dicat nos λυτρώσαι per ſanguinem ipſius. Socinus tamen negabat propriam redemptionem, præeunte Caluino, *morte nihil actum*, niſi cum mortis æternæ horrore luctaretur.

§.9. Mors quæ ſceleratis à Deo inſligitur, duplex eſt; Temporaria, & æterna. Temporariam Deus inferri permiſit, ad hoc enim venerat. Sed non abirato Deo inflicta eſt, nec iuſſa. Punientis Dei ſigna expertus eſt, in pœnâ tamen amantis, & patientis exaltationem per illa aſpera molientis. Mors fuit ſacrificij oblatio, Epheſ.2. quâ ſublatæ ſunt inimicitiæ inter Deum, & homines. Nec Hilarius de triñit. l.4. & l.2. & l.3. cùm manum conſeruiſſe Chriſtum cum doloribus inferni dicit: Vult ſignificare eum tuliſſe damnatorum dolores, ſed diuina virtute contra eos tutum fuiſſe, non enim ſeruitium hoſtis illius fetimus, contra quem pugnamus, ſed à quo vincimur.

Æternæ pœnæ nullam ſuſtinuit partem. Namillâ poſt hanc vitam animæ torquentur, Chriſti anima à morte in manibus patris fuit: non deteriore conditione, quam latro, qui eâdem die cum ipſo fuit in paradiſo. Latronis autem fidem illâ voce concuti vehementer neceſſe fuit, ſi Chriſtum dubitantem de propriâ ſalute audiuit. Nonne occurrere illi debuit, aut potuit. Si hic derelictus eſt, & de ſalute dubitat, aut exitio ſe deuotum putat, qui nihil mali fecit, quid mihi futurum eſt latroni? Cur paradiſum mihi promittit, qui ſe habiturum non credit? An in paradiſum me inducet, ipſe in ignem æternum iturus?

VERSVS 47.48.49.

Quidam autem illic ſtantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte. Et continuo currens vnus ex eis acceptam ſpongiā impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant: Sine videamus, an veniat Elias, liberans eum.

QVÆSTIO I.

Quid milites auditâ Chriſti voce fecerunt?

§.1. PRimo Eliam vocari ab illo, vel calumnioſè vel ignorantiâ linguæ fingunt, אֵלִיָּה *Eliâ vocat iſte.* Nec tamen obiecisſe ei crediderim defectum à Deo: vt Caluinus interpretatur, imo hinc diſcimus Iudæos in ea fuiſſe ſententia, & milites à Iudæis didiciſſe, defunctos in Domino in auxilium aliorum interdum vocari.

Queritur etiam Caluinus ſuorum dicta interdum calumnijs deprauari. [Cæterum ſi hodie tam conductitij Anti Chriſti Rabulæ, quam domeſtici etiam nebulones, quæ à nobis rectè dicta ſunt, ſuis calumniis

omnijs indignè deprauant, ne miremur idem nobis quod capiti nostro accidere. Quamuis tamen Deum in Eliam transfigurent, vbi pro sua libidine nos subsannauerint, exaudiet tandem Deus gemitus nostros, sequetum vindicem gloriæ suæ ostendet, tum imputæ falsitatis vltorem.]

Nihil opus est Caluinianorum dicta deprauare, tot deprauata passim se obtrudunt, vt nihil opus in syluas illas ligna ferre, aut aquas in mare illud errorum. Miror tamen Catholicos à Caluino accusari, cum solidos libros de Caluinianorum mendacijs, & commitijs scripserint Lutherani, imo inter se Caluiniani. Quin Schlusselbergius librum integrum de commitijs, & corruptelis conscripsit, quibus vtuntur Caluiniani. Articulo sexto, demonstrat ipsum Caluinum deprauare scripturam, & dicta Patrum? Titulus capitis est, *Caluinistis vulgare est, sacram scripturam, & scripta doctorum Eccl sia fraudulenter & malitiosè peruertere.*

Quod aliquando occasio detur, Caluinianos nunc in hanc deinde in contrariam partem citandi, mirari non debeat; nam & inconstantes sunt, & dedirâ operâ ambigue, fucatè, captiosè loquuntur. Exempla nunc omitto.

§. 2. *Vnus acceptam spongiam implui aceto & imposuit arundini, & labat e bibere.* Spongiam Syrus etiam appellat אספוגא *espuga*. Cur acetum dederit; controuersia est. Theophyl. ad mortem accelerandam datũ esse tradit. Plutarchus in vita Marci Antonij vim illam aceto tribuit, quia extenuat, & penetrat. Ideo vulneratis mortem accelerandi potestatem habere, dum sanguinem celeriter egerit.

Quod si verum est, causa reddi debet, cur spongiam & hyssopum adhibeant, quæ sistendo sanguini sunt. Deacto supra ex Baronio, & quos ille citat probaui, sistere sanguinem, non erogare, & si enim extenuat, & penetrat, vim tamen habet contrahendi stipandique; itaque natura συστολὴ est acetum. Quod ad Plutarchum attinet: Non dicit ille acetum accelerare mortem, sed de Antonio ita loquitur. Καταπαύσας δὲ τὸν θρῆνον αὐτῶν ὁ Ἀντώνιος, ἤτησεν οἶον ποιῶν; ὅπως διψῶν, εἴη συλλαμβάνειν ἀποδυσπετῶν. Lætum autem eius (Cleopatræ) sedans Antonius vinum ad bibendum poscit, siue quod sitiret, siue quod speraret citius & breuius se vitâ exolui posse.

Acetum igitur non sumpsit, sed vinum, nec ad breuius mortis compendium profuisse Plutarchus ait: Sed eum forte id existimasse. Forte vinum quod in angustiâ, & vulnere dilutum, & copiosum bibere constituerat ad celeriorem mortem iuuare poterat: præsertim cum ventrem ille conuulnerasset.

§. 3. Alij veto dicebant: Ἄφες sine. Syrus שבוקו *Sebouqu, Sinite, relinquite.* Quo non deterrent, ne acetum dando occidat, vt aliqui interpretantur. Sed hortantur, vt sine curâ sint, & videãt an sit venturus Elias. Non quod homines profani putarent iam adfore. Etiam, & liberaturum: Sed curiositate quadam relinqui omnia desiderant, vt si quid forte miraculosum contingat, sese recreent. Nec sumpto aceto moriturum credebant, tum quod eam vim non haberet acetum, tum quod ex voce magnâ, quam edebat diu adhuc victurum credebant. Acetum itaque viribus restaurandis, & aduersum animi deliquia datum est, vt dolores sentiret.

VERSVS 50.

Iesus autem iterum clamans voce magna emisit Spiritum.

QVÆSTIO I.

Quomodo exspiranit?

§. 1. VOce magnâ iterum clamans; nempe, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum Emisit Spiritum.* Syrus: ושבק רוחה *Vasciebac ruhe h, & reliquit Spiritum suum.* Cum ante dixisset: *Consummatum est.* Hoc est, quicquid de me prædictum vsq; ad mortem, iam re ipsâ expletum est. Verè mortuum fuisse res ipsa docet, & omnes circumstantiæ, quarè merito damnati sunt Caiani, qui mortem eius, quemadmodum & Machomedani, postea negarunt.

§. 2. Mors Christi naturalis fuit, & violenta. Naturalis quidem; nam ea temperatura sine quâ anima in corpore perseuerare non solet, dissoluta est; idque flagellis, transfixione, cæterisq; vexationibus, exhaustõ sanguine, spiritibusq; euanescentibus Naturali ergo necessitate, ex dispositione violenter inductâ mors secuta est. Hoc est, quod aiunt in 3. distinct. 36. Theologi mortem Christi non fuisse miraculosam, sed naturaliter post corporis afflictiones consecutam. Dicitur tamen Dominus animam posuisse, cum seruare eam potuisset, nec vi vulnerum necessitas moriendi illata est, sed cum naturaliter viuere diutius non posset, mori voluit, cum retinere animam potestate diuina difficile non fuerit. Verum de his vide D. Thomam 3. p. q. 47. & eius interpretes. *Mors naturalis, & violenta.*

QVÆSTIO II.

An mors Christi nostra fuerit redemptio?

§. 1. PRoposuit filium suum Deus ἱλαστήριον expiationem pro peccatis nostris vt c. 3. ad Rom. v. 25. docet Apostolus. Socinus, Ostorodius, alij nouarum in septentrione hæreseon inuentores, non esse mortem Christi proprie redemptionem, quo precium soluatur, sed liberationem simplicem contendunt. At contra Ecclesiæ fides & scripturæ persolutum preciũ fuisse ostendunt. λύτρον igitur intercessit, Matth. 20. 28. 1. Tim. 2. 6. Abaliarius & Arnoldus de Brixia initiũ errori dederunt. Vide Bernardum Epist. 190 194. & 195. & 196. Damnauit, & Synodus Romana eandem hæresin, quam hodie Caluinismus denuo peperit, sed cum informem fœtum vidit, continuo vitalem esse noluit. Frustra tamen in eo refutando errore desudat, cum grauiores multo errores accumulent. Nam Pareus dũ contra Socinum disputat: [Fatetur nos morte, & sanguine Christi non redemptos, sed morte illius æterna, Etsi vera in c. 3. Epist. Rom. dub. 10. p. 351. esset maior: minor tamen est falsa, quod Christus non subierit mortem æternam. Si mortem æternam hæreticus intelligit perpetuam animæ & corporis diuulsionem, fatemur non subijsse. Sed sic ne reprobi quidem damnati subibunt. In morte verò æterna duo sunt. 1. Immensitas agonum, cruciatuum, & dolorum infernalium, cum desertione & abiectione à Deo. 2. Continuatio perpetua talium agonum, cruciatuum, dolorũ, & abiectionis æternæ. Prius per se adest mortis æternæ in singula momenta, adeò vt qui vel momẽtum cruciatus infernales subeat, mortem æternam dicatur sentire, & sic reprobi atque Diaboli in inferno quotidie & singula momẽta morte æterna moriũtur. Posterius per accidens morti æternæ accedit, cũ nõ fit liberatio, nec datur exitus. Prius subij Christus, quia descendit ad inferos desertus atq; abiectus à Deo pro nobis, clamans in cruce: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Posterius sentire nõ potuit, quia innocens execratio factus moriendo pro nobis iam satisfecerat: & erat persona omnipotens, q̃ morte in prepetuũ detineri erat impossibile. Nec sanè debuit, quia debuit esse λυτρωτὴς noster. Vtrumq; subibunt & sentient omnes reprobi. Etsi igitur Christus non subijt mortem æternam durationè: subijt tamen eam angorum immensitate adeò, vt mors eius licet triduano tantũ tempore, verè tamen æterno æquiualens fuerit pondere: alioqui dicat nobis Socinus, cur Christus *Ostorodius. Socinus.*

crucem

" crucem adeò horruerit, longè suprà omnes Martyres
" grauiora in speciem passus, tanto pauore trepidarit,
" sanguinem sudarit, in cruce denique à Deo se deser-
" tum exclamarit: si nihil in ea fuit morte communi a-
" trocius. Quin retorquemus: Execratio legis est mors
" æterna: Christus subijt execrationem legis: quia fa-
" tente Socino in eam incidit. Subire autem periculũ,
" & incidere in periculum quid interest, nisi fortè quod
" illud volentis, hoc etiam nolentis esse potest? Chri-
" stus autem volens in execrationem legis incidit. Er-
" gò subijt mortem æternam.]

Hæc solutio fœdiorem hæresin continet illâ ipsâ, quam refutat. Non enim Christus, vt supra monstraui, damnatus est vel ad momentum, nec mors pondere dolorum æqualis fuit morti æternæ: cum in Christo, quod omnium est in morte æternâ grauissimum, non fuerit liberationis desperatio.

Nec melius defendunt Christi meritum Caluiniani, vt in Epistol. ad Rom. c. 5. demonstraui.

QVÆSTIO III.

An sacrificium missæ sit redemptioni in cruce factæ contrarium?

Sacrificio pabio repræsentatur.

§. 1. HOc Caluinus vrget. *Huic doctrinæ*, inquit, *aduersari* illa, quæ de missâ docent Catholici, Quasi vero Christus passionis suæ recordationem nolit in animis hærere fidelium: aut nolit singulis meritũ, & satisfactionem applicari: quod sacrificio missæ peragitur. Cuius omnis operatio est, & virtus, morte Christus nititur. Frustra etiam Bullingerus contra nititur, & noui testamenti sacrificiũ furiosus oppugnat.

Respondeo contrarium à sanctis patribus hinc deduci; Nam crucis sacrificium per nostrum sacrificium incruentum repræsentatur. Lutherus hac in parte, Ecclesiam aut Patres audiendos iudicat. [Neque
" hic moror clamores, quibus queritantur, Ecclesia,
" Ecclesia; Patres, Patres; S. Gregorius, Bernardus tales
" missas celebrarunt, &c. Nam in vita aut operibus Pa-
" trum in certamine conscientiæ nemo tutò nitetur, sed
" tantum verbo Dei fidendum est.]

Hæc ille, postquam habità cum dæmone de missâ disputatione victus est. Manet autem infinitum passionis dominicæ meritum & satisfactio, quam per missam protestamur, & recognoscimus, atq; eandem hostiam offerimus, iam olim id veteres fecerunt; vt ex Liturgijs c. 26. probaui, *sacrificamus*, inquit Tertullianus ad Scapul. c. 2. *pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius.*

VERSVS 51.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum & terra mota est & petræ scissæ sunt.

QVÆSTIO I.

Quod velum scissum fuit?

§. 1. LVculentum fuit in velo scisso miraculũ quod causis naturalibus tribui nequaquam potuit. Erat velum καταπέτασμα quod ante ostium quo per sancta, in sancta sanctorum ingressus erat, obrendebatur. Quocirca Syrus appellat, אפי תרעא דהיכלא superficiem ianuæ templi. Iosephus duorum velorum meminit l. 6. c. 6. de bello. *Et fores*, inquit, *habebat aureas, quinquagenta & quinq; cubitis altas, sexdecim verò latas, at hæc aulæum longitudine pari: hoc est, velum Babylonium, hyacintho & byssο & cocco, & purpura variatum, mirabili opere factum, neq; contemplationis expers colorum permixtione, sed velut omnium rerum imaginem præferens, cocco enim videbatur ignem imitari, & byssο terram, hyacintho aërem, ac mare purpura: partim quidem coloribus, byssο autem ac purpura origine: quoniam byssum quidem terra, mare autem purpuram gignit, eratq; in eo perscripta omnis cœli ratio, præter signa.*

De altero vero addit. *Intima verò templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilq; prorsus in ea erat positum: inaccessa verò, & inviolata, & inuisibilis omnibus habebatur, sanctiq; sanctum vocabatur.*

Vtrum velum fuerit ruptum, non satis constat. Plerique multi putant illud, quod ante sancta erat, in populi omnium conspectu. Non quod ante sancta sanctorum; Primus enim omnibus admirationem adferre poterat, posterius non nisi sacerdotibus. Itaq; Baronius de priore interpretatur. Sed cum velum nobilissimum fuerit, quod distinguit sancta, & sancta sanctorum, de quo Exodi 26. 31. *Facies & velum de hyacintho, & purpura, cocco, bis tincto, & byssο retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum: quod appendes antè quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas. Inferetur autem velum per circulos, intrà quod pones arcam testimonij in sancto sanctorum: mensamq; extrà velum: & e contrà mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte aquilonis.*

De hoc agitur etiam Exodi 38. 27. Leuit. 21. 23. & 16. 12. Num. 4. 5. Exodi 40. 3. Cum ergo illud notum fuerit, & insigne, intelligi, mihi videtur, cum absolute velum nominatur, diciturque Hebræis פרכת *Pharocheth*. Densitatem eius Hebræi aiunt quatuor digitorum fuisse, ne vllo modo transluceret, & sane hi mirissimũ fuisse materia ostendit. Imo figuras intextas habuit. Hoc enim est quod Hebræus habet מעשה חשב *Maghase choscheb, opere cogitantis, vel artificis*, & addit יעשה אתה כרובים *facies illud Cherubim*. Hoc est intexet Cherubinos: Tale velũ libere pendens, nulla vi, ne vento quidem agitatum totum rumpi, magnũ fuit miraculum. Nec miraculum duntaxat, sed etiam mysterium, interpretes agnoscunt. Theoph. ἐσήμανε γάρ, φασὶ τὸ καταπέτασμα σχιζόμενον τὴν τῶν γραμμάτων νομικὴν περιαίρεσιν. *Significabat enim*, (aiunt) *velum legalis literæ abolitionem.* Et omnia quæ vmbris tecta erant in lucem proferenda, ac reuelanda. Etiam ipsa scelera Iudæorum: Nam ab fictam Blasphemiam, & Dei filio imputatam falso Pontifex vestem scidit, nunc Deus ob innumeras Blasphemias templi sui vestem scindit. Petræ etiam scissæ & terræ motus transitum Euangelij ad gentes designabat, & Reipublicæ illius euersionem.

§. 2. Oportuit etiam aulæum firmissime contextum cum violentissimè rumperetur, ingentem sonitum dedisse, & terrorem incussisse audientibus, imo & horror ex eo oriebatur, quod sancta sanctorum aperirentur, quæ intueri non licuit. Vnius veli mentio est 2. Par. 3. 14. F *cit quoq; velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byssο: & intexuit ei cherubim.*

Hoc secundum vocat Apostolus Heb. 9. 3. *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum.*

De hoc velo igitur accipienda sunt verba Euangelistæ. Huius enim integritas ostendebat nondum propalatam sanctorum viam, fractio vero aditum ad cœlum esse apertum. Ita Paulus, Heb 9. 8. *In secundo autem semel in anno solus Pontifex: non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia: hoc significante spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum, quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodò*

bitudo in cibis, & in potibus, & in variis baptismatibus, & iustitia carnis vsque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

§. 2. Alioqui triplex velum erat in tabernaculo Mosaico. Hoc de quo agimus, quod ex quatuor columnis pendebat, quarum capitella erant aurea, bases argenteæ. Aliud quod sancta claudebat, pendebatq; et quinque columnis, quorum capitella aurea, bases æreæ fuerunt.

Tertium erat velum portæ atrii, Exod. 27.38. quod ex quatuor columnis, quarum capitella argentea, bases erant æneæ. Paulus huius mentionem non facit, sed duorum meminit, quæ ad ipsius tabernaculi ingressum pertinebant. Nam prior illa cortina ad atrium subdiuale admittebat.

VERSVS 52. 53.

Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

QVÆSTIO I.

Quomodo, cur, & quando aperta monumenta?

§. 1. EOdem terræmotu omnia illa aperta sunt. Solet enim terræmotus, nouos fontes, noua flumina aperire, non modò aperire monumenta.

Surrexerunt multi, vt futuræ resurrectionis certa fides astrueretur. Iustinus quæstio. 85. pag. 344. *Si eam vocamus consummatam hominum resurgentium resurrectionem, cum anima rursum in domicilium resurgentium corporum recipiuntur: certum est, qui vel resurrexerunt, vel Dominum excitante resurrecturi sunt, eos perfectos & resurrexisse (& resurrecturos esse.) Fieri etenim nequit, vt resurrectio defunctorum fiat, anima corpus suum non habente. Itaque cùm Scriptura dicat, vel hominem certum, vel corpora ex mortuis resurrexisse: vtroque modo nos consummatam oportet intelligere resurrectionem, quæ, anima corpori reddita, fiat. Et sicut cum Scriptura inquit; Qui excitauit Dominum nostrum Iesum Christum ex mortuis, viuificabit animas & corpora nostra: neque imperfectam illa designat resurrectionem, neque spem præbet suspitionem, sed absolutam resurrectionis fidem per confessionem: ita & cum dicit; Excitata sunt multa eorum qui obdormierant sanctorum corpora: perfectam denotat resurrectionem. Præstita autem est sanctorum istorum resurrectio, vt demonstratio esset, mortificationem esse mortis omnium nostrûm Christi mortem, quam pro salute & vita mortalium omnium pertulit. Is certe quidem viuificam potentiam suam, mortuis excitandis mirificè exhibuit in præsenti rerum statu, & animis pijs defunctorum apud inferos omnibus liberandis. Quam ob causam resuscitatis illis denuò mortem non oppetere, sed in immortalitate manere, sicut Enoch & Elias: eam quibus in Paradiso sunt, resuscitationem Iesu Christi, & retributionem sempiternam primo quoque tempore, per mutationem futuram, qua (sicut ait Apostolus) omnes immutabimur, exspectantes. Nullius dum enim ad immortalem & incorruptibilem vitam facta est resurrectio, præterquam Iesu Christi. Quocirca & primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium est renunciatus.*

Animas igitur liberandas ostendunt, illæ, quæ iam corporibus iunctæ fuerunt.

§. 2. Resurrectio illa post Christi resurrectionem contigit. Continuo quidem monumenta sunt aperta, sed ante resurrectionem Christi, non sunt egressa corpora sanctorum. In propria forma apparuisse dicit Iustin. quæst. 60. Iterum corpora deposuisse videntur, nec in vitam immortalem resurrexisse. ex Hebr. 11. 40. Coniungit terræmotui resurrectionem Euangelista per anticipationem, vt habet August. Epist. 99.

QVÆSTIO II.

Quo descenderit anima Christi?

§. 1. HOc indicat articulus fidei. *Descendit ad inferos.* Hoc enim tempore eò venit redemptor, non passurus dolores inferni. Proprie enim relicto corpore mox eo aduenit, & vectes ferreos rupit. Vide concil. Later. 6. Firmiter. Tolet. omnes veteres. Beza tamen & Christum descendisse negat; & articulum cauillatur. [Sed fabulam de animæ Christi descensu ad inferos hinc quoq; otiam puto: fabulam, inquam, vt quidem hic articulus Symboli explicari consueuit, quem alioqui licet in Symbolis quibusq; vetustissimis non adscriptum, tamen rectè expositum, absit vt expungendum censeam.]

Respondeo Articulum illum semper vsurpatum in Ecclesia. Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus serm. 181. & 137. de tempore. Eusebius lib. 1. à Thadæopositum ait. Alii etiam omnes eius meminerunt, etsi in quibusdam Ecclesiis non fuerit interdum.

Sic Lutheri, Brentii, & Caluiniani quidam Catechismi retinent. & Centur. 1. lib. 2. c. 4.

Verum quid de illo descensu veteres senserint, perpendamus.

Vetus est scriptor Irenæus; ille l. 1. c. 29. cum Marcionis hæresin recenset, ait, à Christo descendente Abraham, & Patriarchas non liberatos.

Marcion sane antiquus hæreticus ostendit, quid tum Ecclesia senserit, itaque immerito Erasmus à D. Thoma adiectum suspicatur. Caluinus magis ingenue, magnos habere auctores affirmat.

Et certe magnum habet auctorem, Spiritum sanctum in Symbolo, & in Scripturis. Act. 2. 24. Ephes. 4. 9. Coloss. 2. 13. Sed nunc discipulos Spiritus sancti audiamus. Ignatius ad Trallianos. *Manducauit enim verè, & bibit, & crucifixus est, & mortuus sub Pontio Pilato, sed & secundum placitum voluntatis suæ verè crucifixus est, & verè mortuus, videntibus cœlestibus, & terrestribus, & inferis. Cœlestibus quidem tanquam incorporalibus creaturis, terrestribus verò vt Iudæis & Romanis, & cæteris hominibus, qui tunc eodem tempore præsto erant, quando crucifixus est Dominus. Inferis autem, vt multitudini eorum, qui cum Domino resurrexerunt. Multa, inquit, sanctorum corpora dormientium resurrexerunt de monumentis patefactis. Descendit autem in infernum solus, ascendit verò cum multitudine, & dirupit maceriam, quæ erat à sæculo, & medium parietem eius dissoluit.*

Tertullianus de anima cap. 55. *Nobis inferi, non nuda cauernositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas. Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo, & interno, & in ipsa terra operto, & intra ipsam cauato, & inferioribus adhuc abyssi superstructo. Quod si Christus Deus, quia & homo, mortuus secundùm Scripturas, & sepultus secundum easdem, hic quoq; legis satisfecit, forma humanæ mortis apud inferos functus, nec ante ascendit in sublimiora cœlorum, quam descendit in inferiora terrarii, vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret: habes & regionem inferum subterraneam*

credere, & illos cubito pellere. Qui satis superbè non putent animas fidelium inferis dignas: serui super Dominum, & discipuli super magistrum, aspernati si fortè in Abrahæ sinu, exspectandæ resurrectionis solatium carpere.

Irenæus lib. 5. cap. 31. Dominum, ait, abijsse, vbi animæ mortuorum erant.

Clemens Alexand. lib. 6. Strom. cap. 2. Orig. hom. 15. in Genes. Gregor. Neocæs. in orat. ad Epiphan. Athanas. de incarnat. Christi. Idem de Synodo Ariminensi. Credimus filium Dei secundum Patris voluntatem crucifixum, & mortuum esse, & ad inferos descendisse, atque ibi quod sui officij erat peregisse; quem Ianitores inferorum conspicati exhorruerunt: eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse.

Basilius in Psalm. 48. & 44. Hilarius lib. 10. de Trinitat. Ambros. de incarnat. Dominicæ Sacramento. & in Hymno.

Inferni claustra penetrans,
Tuos captiuos redimis.

Id creditum docet Prudentius

Inde est quod omnes credimus,
Illo quietis tempore.
Quo Gallus exultans canit,
Christum redisse ex inferis.
Tunc mortis oppressus rigor,
Tunc lex subacta est Tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coegit cedere.

Porro quod Ruffinum citant, frustra sunt. Ille in expositione Symboli. Quod in infernum Christus descendit, euidenter prænuntiatur in Psalmis, vbi dicit: Et in puluerem mortis deduxisti me: Et iterum: Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem? Et iterum: descendisti in limum profundi, & non est substantia. Sed & Ioannes dicit: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? Vnde & Petrus dixit: Quia Christus mortificatus carne, viuificatus autem Spiritu. In ipso (ait) eis qui in carcere inclusi erant, descendit spiritibus prædicare, qui increduli fuere in diebus Noe, &c. Rediit victor à mortuis, inferni secum spolia trahens: eduxit enim eos, qui tenebantur à morte, sicut & ipse prædixerat, vbi ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham.

August. Epist. 57. ad Dardanum. Si secundum hominem quem Verbum Deus suscepit, putamus dictum esse Hodie mecum eris in Paradiso, non ex his verbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem. Et de carne quidem, quod eo die in sepulchro sit posita, manifestissimum est Euangelium. Quod vero illa anima in infernum descenderit, Apostolica doctrina prædicat. Quandoquidem beatus Petrus ad hanc rem testimonium de Psalmis adhibet, vbi de ipso prædictum esse demonstrat. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neq; dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Sic Paulinus de obitu Celsi pueri. Arnobius in Ps. 137. Eucherius libro formularum spiritual. num. 35. Chrysologus serm. 69. Marius victor præfat. in Gen. Vigilius lib. 2. contra Eutychetem. Fulgentius lib. 3. c. 31. aliorum etiam hac in re summus consensus est, adeo vt articulum admittant nunc Caluiniani, sed ita sceleratè explicent, vt minus perfidè facerent, si negarent. Nam Christum descendisse interpretantur, pœnas inferni sustinuisse. Cõtra quos supra disputaui.

VERSVS 54. 55. 56.

Centurio autem & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.

QVÆSTIO I.

Quis centurio, & qui cruci astabant?

§. 1. LOnginus appellatur in historiis Ecclesiast. cis apud Metaphrastem 16. Octob. martyrio confessionem dicitur firmasse. Specimen vocationis gentium hoc fuit. Chrysostomus certe de illo testatur. Τοσαύτη ἡ σταυρωθέντος δύναμις, ὡς μὴ χλευάσαι τὴν συμφορὰν, καὶ κωμῳδίας καὶ σκώμματα, καὶ τὸ μὴ κεντρῆσαι καὶ γνῶναι καὶ τὸ δῆμον. πῶς γὰρ φασὶν, ὅτι καὶ μαστιγοῖ ἐστι καὶ κεντρίζων; τότε ἀνδρίσαμένος μὴ ταῦτα ὅπτησε, id est: Tanta crucifixi virtus apparuit, vt post illas contumelias, post vituperationem & cædem, tam Centurio, quàm populus compuncti fuerint. Quidam autem dicunt hunc Centurionem in fide postea roboratũ adeò fuisse, vt etiam martyrio sit coronatus.

Et paulò ante. Καὶ ὅπου ὁ κεντυρίων λοιπὸν μᾶλλον ἐπίστευσεν, ὅτι μεῖζον ἐξουσίας ἀπέφηνεν. αὕτη ἡ φωνὴ κατεπέτασμα ἔρρηξε, τὰ μνημεῖα ἤνοιξε, καὶ τὸ οἶκον ἔπεμψεν ἔρημον, id est: Sed centurio quoq; ideo maximè credidit, quia suum ipsum sponte & potestate mortuum perspexit. Hæc vox velum templi scidit, monumenta aperuit, & templum ipsum in desolationem redegit.

Ita continuo Deus mortem filii sui honorauit, vt qui irriserant viuentem, mortui gloriam prædicent. Hoc fecit & Pilatus, teste Orosio. histor. 7. cap. 4. Postquam passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit. Pilatus præses Palæstinæ prouinciæ ad Tiberium Imperatorem atque senatum retulit de passione & resurrectione Christi consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam facta fuerant, vel per discipulos illius in nomine eius fiebant, & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit ad senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit.

Eusebius etiam lib. 2. c. 2. Senatum renuisse; Tiberium in sententia mansisse.

§. 2. Hinc apparet Caluinum maleuole de centurione iudicasse, fuisse euanidum impetum. Vnde enim hoc illi constat, cum veteres historiæ veram, & martyrio coronatam constantiam esse asserant? Eadem maleuolentia Apostolos abfuisse fingit. Rectius S. Athanasius hinc Christi fuisse veram mortem & humanitatem probat. lib. 3. de assumptione hominis. In Christi quoq; morte id ipsum patet, corpore non vltra sepulchrum dilato, anima ad inferos penetrante, locis ingenti interuallo discriminatis: sepulchro quidem id quod corporeum erat, quia in corpus aderat, recipiente: inferno verò id quod incorporeum fuit. Quæ ratione igitur factum est, vt cum Dominus adesset incorporaliter, pro homine à morte sit agnitus? vt earum animarum, quas infernus tenebat vincula sua anima inobnoxia quidem vinculis mortis, sed tamen quæ quasi obnoxia fallaretur, disrumperet? explicans illis modum rationemq; suæ resurrectionis, vt plastes ille & conditor hominis hominem à dissolutioni subiectum ipse præsens ad plenum liberaret in sua forma?

De salutari Christi aduentu: Anima Adæ in condemnatione mortis detenta clamabat ad suum Dominum perpetuũ, & cum ea cæteri, qui Deo per legem naturæ placuerunt, vna cum Adam

Adam dainebantur, simulque in mœrore erant, & vociferabantur.

Homilia de semente. Iesus propter nos mortuus est, & descendit ad inferna in medium mortuorum, & inter mortuos suscitatus, non solum liber, sed & liberator mortuorum erat.

VERSVS 57.58.59.

Cum autem sero factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatũ & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone mundâ.

QVÆSTIO I.

Quomodo sepultus Christus?

§. 1. CVm sero esset factum sepultus est. Hora nona mortuus est, ad occasum solis itaque supererant horæ tres. S. Ignatius ad Trallianos ante solis occasum docet, sepultum fuisse. Sciebat Iosephus deponendum, sed noluit à militibus fieri: Sine timore accessit ad Pilatum, & quidem vt Marcus habet, *Audacter*; nam si Romanos mores spectemus, nihil erat periculosius, quam damnatum ad honorificam sepulturam deposcere. Præcipuè cruci affixum. In Christo tollendo præsentius periculum erat; nam tanquam reus maiestatis damnatus erat: cui vel familiarem esse capitale erat: Nunquam à condito imperio tanta æmulatio erat, quam Tiberiano tempore, quo in carnificinam prope aula ad generarat. Testes Tacitus, Suetonius, Orosius. Tacitus annal. lib. 6. *Eò progressam crudelitatem, ait, vt magno labore reperirentur, qui magistratum gererent. Iacuit immensa strages; omnis sexus, omnium ætas, illustres, ignobiles dispersi, aut aggregati, neque propinqui, neque amici adsistere, illachrymare, nec visere quidem diutius dubitatur. Sed circumiecti custodes, & in mœrem cuiusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur: vbi fluitantia, aut ripis appulsa, non cremare quisquam, non contingere. Intercideratsortis humanæ commercium vi metus: quantumq; sæuitia glisceret, miseratio arcebatur.*

Dio vero lib. 58. *Tantus sub Tiberio Senatorum (ne reliquos dicam) numerus periit, vt sorte ducti prouinciarum præsidis, prætorij quidam per triennium, Consulares per sexennium præfuerint, cum non supperetrent successores.*

Confirmat Suetonius in Tiberio c. 61. Constanter itaque fecit Iosephus cum Christi sepulturæ & honori, crudelitatem Pilati, Cæsarisque posthabuit. Et medio se discrimini iam manifestus confessor ingessit.

Merito itaque eum laudat Theophylactus. ἐκρύπτετο μὲν πάλαι ὁ Ἰωσήφ. νυνὶ δὲ μέγα πρᾶγμα πολιᾶς θεὶς τῷ ἰουδαίῳ αὐτὸ· ἔστω δὲ διδασκαλεῖον σώματος. καὶ τοσαύτην ἔχθραν πρὸς πάντας ἰουδαίους ἀναδεξάμενος. ὡς μεγάλων δωρεῶν, δίδωσιν αὐτῷ τὸ σῶμα ὁ Πιλάτος. ὡς γὰρ σπουδαιοτάτου τοῦ Χριστοῦ ἐκείνου τὸ σῶμα αὐτὸ ἐπιθυμήσαντος ἀφοβότερον ἀπῄτησε. καὶ ὁ Ἰωσὴφ πλουσίων ὤν, εἰκὸς ὅτι καὶ ἐδύνατο ἂν τῷ Πιλάτῳ χρυσίον.

§. 2. Corpus igitur myrrha, & aloe condit, sindone inuolcit, quâ à Sidone fic dici Pollux arbitratur, Onom. l. 7. c. 16. Caluinus quidè *extraordinarium fuisse illum honorem iudicat, nec trahendum in exemplum. Hodie vero non carere vitio pompas.* Verum nos inde condiscimus, Christi corpori habendum honorem: & non datum vitio tantis viris, quod iniussi Christo funus magnificum in ipso loco supplicii instituerint. Sic tumulo conditum est, cadauer non putrefactum, non in cineratum. Reliqua apud Soarez. pag. 3. de sepultura, & Baron. Anno 33. videre licet. *Corpus Christi honoratum.*

VERSVS 62. &c. ad fin. cap.

Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti & abijt. Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria sedentes contra sepulchrum. Altera autem die, &c.

QVÆSTIO I.

Quid factum alterâ die?

§. 1. SEpulchri custodiam à Pilato petunt, qui ipsis hoc negocium, datis custodibus committit. Hac ratione præcipuè malitiam produnt, & resurrectionem stabiliunt. Ne enim furto auferri posset, ipsi præsidem adeunt, custodes impetrant, sigillo muniunt. Ita S. Chrysostomus. Πανοῦργος ἡ πλάνη ἑαυτῇ πεποίηκε, καὶ τῇ ἀληθείᾳ ἄκουσα συνηγορεῖ. σπεύδει δὲ. δεῖ πρῶτον θανεῖν αὐτὸν ἔπαθεν, ὅτι ἀπέθανε καὶ ἐτάφη, καὶ ὅτι ἀνέστη. ἡ ταῦτα πάντα ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ἔστω. ὅρα γοῦν τὰ ἡμέτερα ταῦτα τάπερ μαρτυρεῖται ἄπασιν. ἐμνήσθημεν ὅλη ὁ πλάνος ἐκεῖνος ἔτι ζῶν εἶπε. μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι. κέλευσον σφραγισθῆναι τὸ τάφον. σὺν ἐν ἐτάφη· μήποτε ἔλθωσιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ καὶ κλέψωσιν αὐτόν. σὺν ἐν ἀνὸ τάφῳ σφραγισθῇ, σὺν ἔστι τὸ κακούργια. ἐγὼ λοιπόν. σὺν ἐν ἀναπόρρητον ἡ ἀπόδειξις τῆς ἀναστάσεως, δι' ὧν ὑμεῖς πεποιήκατε. γεγονέν. ἐπειδὴ γὰρ ἐσφραγίσθη, ἐδείκνυτο γέγονε κακούργια, ἀλλ' ἀνέστη σαφῶς καὶ ἀναπόρρητος. εἶδες πῶς καὶ ἄλογοι σωμαχωνίζονται τῇ τῆς ἀληθείας ἀποδείξει; *id est*: Vbique error & impostura ipsam confodit, & veritati nolens suffragatur. Expende itaque. Credi oportuit illum mortuum esse, & sepultum esse atque resurrexisse: quæ quidem omnia per inimicos explorata redduntur. Verba igitur ipsa, quæ omnia hæc confirmant expende: Recordati sumus, inquiunt, quod impostor ille dixerit adhuc viuens, mortuus est igitur. Post tres dies resurgam. Iube ergò muniri sepulchrum: sepultus est igitur: ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum: si ita q; sepulchrum munitum est & obsignatum, interuenietne fraus aliqua aut dolus? Minimè verò: certa igitur resurrectione demonstratio per ea quæ vos ipsi procurastis reddita est. Si enim obsignatũ fuit sepulchrum, fraudi & dolo nullus loc⁹ relinquebatur: quod si nulla fraus admissa fuerit, sepulchrum verò repertum est vacuum, perspicuum quod proculdubio & citra controuersiam resurrexerit. Vides qui vel inuiti veritatis adiuuent demonstrationem?

§. 2. Deinde quomodo discipuli aggrederentur, lapidè remoueret, auferrent, aut si planus & impostor erat, hominibus id probarent? Chrysostomus hac de multa eleganter, aliiq; disputarunt.

Nicephorus lib. 1. c. 32. lapidem ferro munitum tradit. Idemq; Beda de locis sanctis c. 2.

Terra illa miraculis nobilitata est. Augustinus de ciuitate Dei lib. 12. cap. 8.

CAPVT XXVIII.

Mat.16.b.6. Ioan.20.c. 11. VESPERE autem sabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. 2. Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. 3. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix. 4. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. 5. Reſpondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: ſcio enim, quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis: 6. Non eſt hic, ſurrexit enim, ſicut dixit. Venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus. 7. Et cito euntes, dicite diſcipulis eius quia ſurrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8. Et exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis eius. 9. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. 10. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. 11. Quæ cum abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus ſacerdotum omnia, quæ facta fuerant. 12. Et congregati cum ſenioribus conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus. 13. Dicentes: Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. 14. Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. 15. At illi acceptа pecunia fecerunt ſicut erant edocti. Et diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſq; in hodiernum diem. 16. Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus. 17. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. 18. Et accedens Ieſus locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. 19. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Marc. 16.d. 15. Spiritus ſancti: 20. Docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.

IN CAPVT VICESIMVM OCTAVVM

ARGVMENTVM.

Hiſtoria reſurrectionis.

SIGNA reſurrectionis deſcribuntur, poſtquam enim Dominus victâ morte ſurrexit. Angelus facto terræmotu lapidem reuoluit ab oſtio monumenti, ſedítque ſuper eum. Cuſtodes terrentur, mulieres ad vngendum profectæ intelligunt reſurrexiſſe Dominum, Apoſtoliſque renunciare iubentur, fore vt præcedat in Galilæam. Nuntiant illæ diſcipulis. Poſtea ipſis occurrit Ieſus, & ire iubet in Galilæam.

Hæc dum ſacerdotibus cuſtodes nunciant, accepta mendacij mercede, furto ſublatum cadauer promulgarunt. Denique cum vndecim in Galilæam eſſent profecti, illos Dominus admonet, & iubet vbiq; docere, & baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Hoc caput in Syrâ Eccleſiâ legitur, *ad veſperam vnius Sabbathi reſurrectionis*, ita enim titulus habet, de quo paulò poſt plura. Poſt capitis finem in Syro illa verba addita ſunt. שלם ארנגלין קדישא כרזותא דמיתי דאנרן עבראית ברעא דפלסטיני *Schelam Euangelion cadiſcha cruzuta damattai dacrez hebraith bargha dephaleſtini. Finis Euangelij ſancti, prædicati Matthæi, quod prædicauit Hebraicè in terra Palæſtinâ.*

VERSVS 1.

Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre ſepulchrum.

QVÆSTIO I.

Quæ ſit veſpera Sabbathi?

Latina lectio obſcura.

§. 1. IN verbis Latinæ verſionis, quàm re, maior eſt difficultas, Beza verſionem Etaſmi, & vulgatam repudiat, *eo quod veſpera ſit prior pars noctis, at Matthæus indicet hic eſſe poſteriorem, qua veſpera vocari non ſolet.* Ipſe vertit: *extremo Sabbatho.* ὀψὲ σαββάτων. Hoc ille: Verumtamen & Caluinus, & Bullingerus, aliiq; vt Illyricus Veſpere nomen retinuerunt. Fuitque ea lectio vetuſtiſſima: ſed tamen quæ obſcuritatem pareret. Hieronymus Epiſt. 150. q. 4. ad Hedibiam. *Matthæus enim ſcribit: Veſpere Sabbathi, id eſt, ſero, non incipiente nocte, ſed profunda, etiam magna ex parte tranſacta apparuiſſe Dominum Mariæ Magdalenæ, & apparuiſſe Sabbathi illuſceſcente in vnam Sabbathi. ſeipſum interpretans, quid dixiſſet: Veſpere Sabbathi: appropinquante iam luce ſequentis diei.* Sed tamen retinent ſ. re eam lectionem Patres atq; etiam Syrus interpres. Qui habet in titulo capitis, *ad veſperam vnius Sabbathi reſurrectionis.* & caput ſic incipit. ברמשא רין בשבתא *Beramſcha den bſchabbeta. In veſpera igitur in Sabbatho.* Nomen igitur veſpere vſurpârunt etiam ea ſignificatione. Quod indicat non errâſſe eum, qui ὀψὲ veſpere conuertit. Syrus certè vertit Iunius & Tremellius, *Veſpere autem in Sabbatho, cuius* (veſpere) *lux prima eſt in ſeptimana.* Syrus ראשהון בשבתא, hoc eſt, *cuius lux prima in Sabbatho.* Patet hinc illi veſperam ſignificare primam noctis partem propriè, ſæpe tamen & totam noctem indicare. Atque ita optimi auctores veſperam hoc loco interpretantur. Tractum ex Hebræo more conſuetudine alt Mahonatus, apud quos ערב totam noctem ſignificet, adque ſæpius Geneſis primo capite. Veruntamen ibi contra mane diſtinguitur, vt etiam aliis locis plerſq. Tamen Ierem. 5. verſ. 6. Sophon. 3. 3. vbi *lupi veſperi* vel *noctis* dicuntur, & Sophon. 2. 7. pro nocte accepi ſolet.

ab עֵרֶב quod est rem ita confundi vt obscurari queat, tum vero id tam nox, imo magis nox quam vesper faciat; illa quoque dici potest עֶרֶב. Septuaginta semper vertunt aut ἑσπέραν, aut ἑσπερινὸν, aut δεῖλινὸν. Vno loco. Ecclesiast. 11. v. 6. vocant ἡμέραν. diem. Quod ideo miror, quia alioqui עֶרֶב etiam est obtenebrescere, obscurari: itaque עֵרֶב etiam tenebras significat. Imo & noctem, itaque locutio pendet ex Hebræo. Latini non solent vesperæ nomine vltimam noctis partem indicare. Solere autem Hebræos, seu Syros, & Chaldæos doctiores primum caput Geneseos, & hic locus, vbi est בְּרִאשִׁית quod vesperam significat, & hic tamen nocte.

§. 2. Hinc minus eorum probo sententiam, qui idcirco fœminas vespere venisse tradunt, quod à vespera cœperint omnia ad vngendũ apparare. Vel quod sæpius eo venisse arbitrentur alii vnam Magdalenam vespere, aliam mane venisse. Quamuis enim non dubitem, altera die post crucifixionem, aliquos ex isse speculatum, non tamen hæ mulieres exierunt: Sabbatho enim quieuerunt. Nec tollitur difficultas. Nam dicitur vespera quæ lucescit in primam Sabbathi, vicina igitur sabbati exortui erat vespera. Et vt Syrus dicit: *qua luxprima Sabbathi.*

§. 3. Sensus igitur ex Græco textu planus est. Nempe ὀψὲ τῶν σαββάτων, Sero Sabbatharum, seu, sero Sabbathi, quomodo Latinis loqui non est permissum. Græcis significat transacto Sabbatho tempus non immediate coniunctimque seu καθεξῆς ἐχόμενον, insequens, sed aliquo interuallo. Itaque noctem designat, seu partem noctis, quæ dudum elapso Sabbatho, iam in lucem alterius diei paulatim vertitur. Ita Ambros. 10. in Lucam. *Gracus* semel *sero* dixit, hoc est ὀψὲ. *Sero autem & horam significat in occasum dicti. & cuiuscunque rei significat tarditatem: quomodo si dicas: Sero mihi suggessum est* id est, *tarde. Sero venit qui post præstitutum tempus aduenit: licet mane sequenti venerit, sero tamen est, vbi agenda tempus emensum est. Est & sero tempus noctis profundum, vt si quis dicat sero ad lucubrandum surrexi.*

Idem Gregorio Nysseno est. o. at. 2. de resurrectione. *Non dixit igitur sero Sabbathi aut vesperi Sabbathi, vt vesperum illius diei significaret, sed vesperi Sabbathorum, vt tardius & multum distans indicaret. Etenim aliquando nos quoque dicere solemus* ὀψὲ τὸ καιρὸ παρεγένοντο, *id est, tardius ad tempus adfuisti.* ὀψὲ τῆς ὥρας, *Serius ad horam,* ὀψὲ τῆς χρείας, *Serius quam vsus exigebat. Itaque* ὀψὲ τῶν σαββάτων, *longius & tardius præteritæ septimanæ tempus significare dicit.*

Et Augustinus lib. 3. de consens. Euangel. cap. 24. *A parte prima noctis, quæ est vespera, ipsam noctem voluit significare Matthæus, cuius noctis fine venerunt mulieres ad monumentum. Ea vero causa intelligitur eandem noctem sic appellasse, quia iam à vespere licebat afferre aromata transacto vtique Sabbatho, &c. Sic itaque dictum est, à vespere Sabbathi, ac si diceretur nocte Sabbathi, id est, nocte quæ sequitur diem Sabbathi.*

Hæc consensu Latinorum & Græcorum. Quomodo etiam Thucydides dixit. ὀψὲ τῆς ἡμέρας, hoc est *sero die*, cum nox ageretur.

Et Hieronymus ad Hedibiam loco citato. Vespere Sabbathi, id est, sero, non incipiente nocte, sed iam profunda, & magna parte transacta. Vt non sit iam dies sed noctis vespera, sic docet Ambrosius, & probat Dionysius Alexandrinus Epistola ad Basilidem. Quod autem noctem, & non vesperam presse acceptam Matthæi vltimo designet, id valide confirmat, quod mox subiungitur. Quæ lucescit in prima Sabbathi.

§. 3. Quod addit Matthæus τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *illucescente in vnum, vel primam Sabbathi.* Intelligendum ex Græco ἡμέρᾳ, de die enim, non nocte sic loqui solent. Sic & Herod. in Thalia Ἀμ' ἡμέρᾳ ᾗ διαφωσκούσῃ οἱ ἐξ καθ' ὁσιωσεχήκαντα πορῆσαν. Simul cum orta die sex illi, vt constituerant, adfuerunt. Erat vero dies, vt habet Aug. tracta. 120. in Ioannem: Vna Sabbathi, quem diem dominicum propter resurrectionem Domini mos Christianus appellat.

QVÆSTIO II.

Quæ venerunt ad sepulchrum?

§. 1. MAtthæus nominat Mariam Magdalenam, de qua supra egi, & vnam fuisse docui. Deinde alteram Mariam. Marcus cap. 16. Mariam Magdalenam, Mariam Iacobi, & Salomen. Lucas cap. 24. vers. 10. his addit Ioannam, & alias quæ erant cum eis. de quibus loquitur etiam cap. 23. vers. 55. & à Galilæa venisse, & aromata parasse. & eodem capite v. 49. Apud Ioannem Mariæ Cleophæ mentio est, stantis ad crucem; cap. 19. vers. 25. ad sepulchrum solius Magdalenæ meminit. Credibile autem est, mulieres omnes quæ venerant à Galilea cum familia parasse aromata, omnesque simul venisse, ita vt numerosus piarum fœminarum cœtus fuerit. Præcipuas nominare contenti fuerunt Euangelistæ. Aliarum memoria est in libro vitæ. *Multæ mulieres venerunt.*

QVÆSTIO III.

Quando venerunt ad sepulchrum?

§. 1. MAtthæus ait ὀψὲ, *sero*, seu *vespere Sabbathi*, hoc est admodum mane, seu vespere, i. e. nocte desinente, luce maligna, cum paulùm se aurora aperiret. Marcus ait, *valde mane*. Lucas, *valde diluculo*, sed Marcus illud valde mane exponit. *orto iam sole*. Ioannes: *cum adhuc tenebræ essent.*

In conciliando igitur Ioann. & aliis laborant. Nam si ortus erat Sol, non iam tenebræ erant, nec βαθὺ ὄρθρον, vt habet Lucas.

Prima conciliatio facilis est, sed periculosa; nempe in Græco legendum σὺν ἦλι ἀνατείλαντι & ἡλίῳ: in Latino. *orto nondum sole.* Verum obstant exemplaria cuncta, & Eusebius lib. 20. cap. 8. de demonstrat. Euang. Dionysius Alexand. Epistol. ad Basilidem. Augustinus libro 3. de consensu cap. 24. & Syrus textus, qui exp. esse בְּכַד רְנַח שַׁמְשָׁא *cad denach schemscha, cum ortus esset sol.* Beza vnum ex vetustissimis codicibus citat, qui habeat ἀνατείλαντι, *Oriente iam sole.* Oriri autem dicitur, cum iam aurora spargit solum, & nubibus radii relucent, licet tenebræ sint. Hinc communis responsio est. Magdalenam ad sepulchrum venisse crepusculo matutino, tenui sed maligna luce cum sol oriretur, aut iam oriri cœpisset: ortum autem intelligunt, primam eius ex Oriente lucem: Non enim tum primum sol oritur, cum orbis eius in horizonte nostro cernitur, sed cum præuiam lucem emittit aurora. Ita Augustinus, Lyranus, Theophylactus, Maldonatus. qui etiam addit; Tenebris egressas orto iam sole venisse ad monumentum. Verum constat adhuc fuisse tenebras σκοτίας ἔτι ὄσης. Nam cum lux vna hora ante exortum sideris spectaretur, mox illæ egressæ sunt, & antequam diluceret ad monumentum venerunt. Tenebras quæsierunt, quod timerent ne à Iudæis impedirentur. *Lectio vetus.*

VERSVS 2.

Et ecce, terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

QVÆSTIO I.

Cur Angelus remouit lapidem?

Lapis reuoluitur, vt mulieribus fit locus.

§. 1. CAluinus & Beza ideo reuolutum lapidem volunt, vt exire è monumento Dominus posset. Nam ideo descendit, lapidem vt reuolueret. Constat vero terræmotum propter angelum factum, non vt Christus resurgeret, sed venit angelus, vt lapidem remoueret, quo ad sepulchrum mulieribus esset aditus, & viderent illud Apostoli vacuum, atque adeo ipsi etiam custodes. Hoc enim fuit ministerium, quod angelum præstitisse refert Leo Epistol. 83. Græcus addit ἀπὸ θύρας ab ostio. Ita etiam Syrus.

Hanc interpretationem habet Euthymius *Quemadmodum natus est, seruatis integris clausuris virginis; ita quoque resurrexit seruatis integris monumenti signaculis.* Augustinus etiam sermon. 138. de tempore eodem modo interpretatur.

Hieron. quæstio. 6. ad Hedibiam. Angelum ait non venisse vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, sed postquam Dominus resurrexit, indicasse quod factum est.

Et Titus. *Cuius rei gratiâ venit, & lapidem sustulit? Propter mulieres videlicet: vt quia ipsæ in sepulchro positum certo sciebant, dum vident illud rursus corpore vacuum, vere illum crederent resurrexisse.*

§. 2. De hoc etiam exemplo Bellarminus lib. 3. c. 6. de Eucharistia *Quartum exemplum est*, inquit, *de egressu Domini clauso monumento. Nam vt colligitur ex Matth. capit. 28. & Marco 18. lapidem ab ostio monumenti non reuoluit Christus, cum resurrexit, sed post resurrectionem angelis*, &c. *Vnde S. Hier. in Epistol. ad Hedibiam quæstio. 6. docet nulli hominum notam esse horam, qua Christus resurrexit.* Caluinus lib. 4. instit. 17. §. 29. Alii id non negant, sed alium modum quàm penetrationem fingunt, lapidem cessisse, aut annihilatum, moxque restitutum. Sed refutant eos Iustinus q. 117. Nazianz. in Tragœdia Christi patientis. Chrysostomus homil. de S. Baptista. August. serm. 138. de tempore cæterique.

Quamuis autem quibusdam visum fuerit hæreticis gratum, cum Dominum per aliud corpus solidum transire audirent, non tamen Patres destiterunt Deiin eo potentiam declarare. Patres communi consensu inquam docent, Christum penetrasse lapidem, clauso sepulchro exisse. Ita loco citato Bellarminus.

§. 3. Frustra igitur Beza, ad eo q; Bullingerus timent, ne Marcionitis aliisue occasio detur veritatem corporis negandi, si diuina potentia asseratur, qua penetratio posse fieri dicitur. Non enim repugnat diuinæ potentiæ, vt in loco vbi vnum est corpus, aliud etiam collocet, & quamuis quantitatis sit illa potestas, vt eodem loco aliam quantitatem expellat, à Deo tamen impediri potest. & cogi vt admittat. Caluinus lib. 4. instit. cap. 17. 29. Domini causa non esse apertum transdit, eum ante surrexisse. Hoc etiam loco. [Sine teste egressus est è sepulchro vt locus vacuus primum indicium foret: deinde mulieribus per angelos nuntiari voluit se viuere: Paulò post illis apparuit: ac tandem Apostolis; idque sæpius.]

Eodem modo Musculus hoc loco. [Supra dixi, meo iudicio, non ob id esse reuolutum lapidem, ab ostio monumenti, per ministerium angeli, vt aperto monumento, liceret Christo iam rediuiuo in lucem progredi, & resurgere. (absit vt tantum infirmitatis demus Christo) sed vt ostendi vacuum, non vt deuoluto demum saxo, per Christi resurrectionem vacuaretur.]

Contra Bullingerus [Dum appeteret resurgendi illud sacrosanctum tempus, terræmotus ingens tellurem concussit, potentia, nimirum Dei per angelum operante, & quasi telluri impulsæ præcipiente, vt corpus Domini creditum reddat. Angelus certe ad ipsum sepulchrum cœlitus descendens, saxum illud ingens amouit ab ostio monumenti, è quæ protinus, haud dubie rediuiuus egressus est Dominus.]

Quamuis autem contra se mutuo pugnent, & Caluinus sentire nobiscum videatur, longe tamen à vero abit, & dissentit. Contra Magdeburg. fol. 71. [Quod quærunt, quomodo intacto sigillo monumentum suum pertransierit Christus, &c. noua solutione non indiget. Quid enim impedient clausuræ omnes hominum artificio factæ, quo minus sibi Deus transitum patefaciat?]

Præposterum sane iudicium, credere Christum mortem vincere posse, in nihilum res omnes redigere, & saxum penetrare non posse. Quocirca etiam Marloratus Occluso grandi saxo egressum miraculo concedit. Alio etiam modo admonit. ad Westphalum, lapidem ait à Christo reuolutum, deinde in locum suum rediisse. Beza in Creophagia, lapidis diritiem cessisse. Contra Bezam Gualtherus lib. de incarnat. Quis nescis angelum cœlo descendisse, qui & lapidem reuulsit, & milites suo splendore exanimauit! Verum tantopere dissident, vt etiam Liberinus in Syntagmate pagin. 17. neget lapidem ab angelo reuolutum. At hic est Spiritus vertiginis, quo solo odio furuntur. Nullo enim argumento docere possunt, penetrationem quantitatum diuinæ omnipotentiæ impossibilem esse. In rarefactione panditur in condensatione cogitur in arctum quantitas, quæ causa redditi potest, cur non in eodem loco cum alio? Recte Cyrillus libro duodecimo, capite quinquagesimo tertio. Quia clausis ianuis ingressus est: quidam dixerunt cum resurrexisse non cum suo corpore, sed nudum corpore apparuisse. cap. 57. Alii vmbram ad figuram humanam confictam. Alii corpus spirituale, hoc est aereum, & aliud præter carnem. Sed omnipotentia sua, rerum natura superata, clausis foribus ingressus est. Nullus ergo quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, cum intelligat non de homine nudo, vt nos sumus, sed de omnipotente filio Dei scribi. Nam cum verus sit Deus, rerum naturæ non subiacet. quod in cæteris quoque miraculis patuit. Ita super maria, quasi super arenam ambulauit. quod si hanc Christi operationem percipere nequeas; cur potius humani ingenii imbecillitatem non accusas?

Et Sophronius Ierosol. *Humana eius sunt vltra hominem.* Et. *Quæ vltra naturam humanam effecta sunt, vt exitus è sepulchro obsignato*, &c. diuinæ naturæ verbi, *profecto erant iudicia, etsi per carnem agebantur & corpus, & non sine carne agebantur.*

Et Hilarius lib. 3. de Trinit. *Factirationem, quisquis cœlestium rerum scrutator expone.* Et. *Stetit nam qui corporeus, non simulatus, aut fallax. Sequantur ergo cunctis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam omnium intelligentiæ tuæ visus inroreat; integra sunt omnia & obseruata. Sed ecce astitit medius, cui per virtutem suam, vniuersa sunt*

sa sunt peruia. Et. *Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid, tanquam lapsu insensibili, ligna & lapides admittunt, corpus Domini à sese non deficit: vt sese rejumat ex nihilo.*

Addo Iustinum quæstio. 117. & Augustinum Tract. 121. in Ioannem. *Moli autem corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inuiolata permansit.*

At sane non est contrarium naturæ corporeæ cedente ligno vel lapide, aut annihilato ingredi. Deinde patres illi expresse nominant penetrationem, quæ fit dimensionibus diuersorum corporum eodem in spacio positis.

VERSVS 5.

Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis.

QVÆSTIO I.

Quot angeli fuerunt?

§. 1. APud Matthæum vnicus duntaxat dicitur, & apud Marcum etiam, qui *iuuenem* appellat Angelum. Lucas cap. 24. vers. 4. *Duos viros stetisse* ait; *& dixisse*, &c. & Ioannes ait, cap. 20. vers. duodecimo *Mariam vidisse duos Angelos sedentes, vnum ad caput, vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Hinc certo constat duos Angelos fuisse testes in resurrectione, quorum fulgor supra humanum, & virtus in remotione lapidis, & militum semimortuorum stupore probata fuerit.

Nec opus est bis venisse mulieres, vt vnum primo, deinde duos viderint. Ioannes enim de primo aduentu agit. Theophylactus vnum extra, alterum in sepulchro visum tradit. Verum hac quidem in re non est meo iudicio difficultas, cum enim duo fuerint, vnus à Matthæo nominatur qui locutus est mulieribus, & cum duo dicuntur locuti, id per synecdochem dicitur. Duo enim dicere censentur, quod duorum præsentium nomine vnus pronunciat.

Neque me mouet, quod Matthæus Angelum super lapidem, itemque Marcus, & Ioannes duos sedisse dicant. Lucas vero stetisse iuxta illas. Nam, vt de eodem tempo e fiefermo, sedisse primum, deinde stetisse dicendum est; primo assederunt, vt custodes sepulchri dominici, deinde dum visi sunt à mulieribus, consurrexerunt, quod inter initia dicentibus, & tefiantibus consuetum erat. Simul honori sanctarum mulierum, & Christo Domino seruientium tributum est: atque etiam vt amicos, & ad auxilia paratos demonstrarent.

QVÆSTIO II.

An lapis reuolutus fuerit extra monumentum, an in monumento?

§. 1. DVos nonnulli lapides fuisse aiunt, Primum quo ostium monumenti obstructum fuit; nam locus in rupe excisus, instar cubiculi fuit, quod ex eo clarum est, quod mulieres ingressæ sunt, & intra sepulchrum erant Angeli: Mos autem erat eiusmodi monumenta, vel Mausolea, exstruere. De fuga Cleopatræ in sepulchra regum, aliisque Consuli possunt auctores, vt Plutarchus in Antonio. Sic Athanasium aiunt in sepulchro latuisse. Ita Augustin. libro 3. de consens. capite vigesimo quarto. B da in caput 27. Matthæi. Brocardus de terra sancta, aliique testantur. Plenæ sunt omnes historiæ, de Herois, sic Acrisio, Androgeo, Vlyssi, Iantalo, aliisque quasi sacra monumenta, condita sunt. Substructiones Persarum Pausanias aliique referunt. Hinc columnæ, incrustationes, tabulæ. In Ceramico operosa sepulchra exstruebatur, postea vetitum, ne quis faceret maius, quàm quod decem homines triduo efficere possent. Demetrius etiam modum sepulchris posuit. Magnifica & sacellorum erant instar. Dauidis, Helenes aliorum. Ægyptii domos vt diuersoria negligebant, sepulchra sumptuose struebant, vbi recondebant defunctos, & quandoque in colonias adducebant. Hinc Syri vocare solent *domum lunæ.* *Lapis speu mortuorum.* CHRISTI igitur sepulchrum instar cubiculi erat, & saxo foris claudebatur. atque hoc est, quod dicit Scriptura saxum ad ostium monumenti adiolutum. Hoc sine dubio angelus remouit de eo locutæ sunt in via mulieres; *quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?*

§. 2. In hac ædicula, vel Mausoleo tumbam lapideam, siue cisternæ instar loculum fuisse putant, in quem cadauer positum fuerit, & lapide grandi impositio tectum. Super hunc secundum lapidem sedisse angelum Maldonatus existimat. Atque de eo loqui Matthæum. Nam de eodem Angelo loqui Matthæum & Marcum pro certo sumit. At Angelus qui super lapidem sedit apud Marcum, est in monumento, non extra. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem à dextris. Si extra aliquem vidissent id non taceret Marcus. Deinde eisdem ille qui *Duo lapides.* apud Matthæum, & qui apud Marcum est, vtitur verbis. Hinc concludit: *Duo igitur erant lapides, alter foris, quo totius monumenti ostium claudebatur, alter intus quo claudebatur sepulchrum, vtrumque Angeli reuoluerant. primum, vt mulieres ingredi possent; secundum, vt vacuum sepulchrum videre. Angelus non super primum, sed super secundum sedebat. Si enim super primum sedisset, primo aspectu mulieres terruisset, neque ausæ fuissent in monumentum introire. Et conuenichat, non super primum, sed super secundum sedere lapidem, & vt ostenderet, se ideo sepulchri lapidem amouisse vt mulieres vacuum sepulchri videre possent, & vt ipso quodammodo digito locum, vbi Christus positus fuerat demonstraret.*

§. 3. Hæc ille. Franciscus Lucas de duplici lapide somnia esse pronunciat. Nulla enim de secundo lapide, qui loculum tegeret, apud Euangelistas est mentio; & mulieres sollicitæ sunt duntaxat de lapide, qui erat ad ostium monumenti. Denique Beda ita sepulchrum describit, vt non dicat superiorem loculi partem tectam lapide fuisse, sed solidam, australi, à latere patentem, vt si quis in crasso muro cauato lectica collocaret, quæ vndique exceptâ parte anticâ magni ruci instar muro tegeretur. Addit lapidem qui ad ostium monumenti fuit, maiorem fuisse, quam vt posset publicè videri ab illis qui foris erant, si in sepulchro fuisset, *Forma sepulchri.*

Verum Augustini, Bedæ, & Brocardi auctoritate sententiam probat Maldonatus.

§. 4. Quamuis autem duos lapides fuisse credideri, super eum tamen, qui ante ostium monumenti fuit, quemque reuoluit Angelus, sedisse non dubito. Cum enim dicit Matthæus, ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ θύρας, *reuoluit lapidem ab ostio*, non potest

de alio intelligi, quam eo, quem Iosephus & Nicodemus cum operis suis aduoluerant vectibus & lapsibus, subiectis vi, quem sacerdotes obsignarant, de quo dicit Marcus: *Erat quippe magnus valde.* Eum enim Matthæus cap. 27. vers. 60. vocat λίθον μέγαν. *saxum grande:* Nec vllus id interpres negauit. Deinde de eodem lapide duo Euangelistæ Matthæus & Marcus loquuntur; at Marcus disertè de exteriore sermonem facit. Cum enim mulieres dicerent: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti.* Addit. *Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde*, nec fuisse interiorem idem docet, cum ait: *Et introeuntes viderunt iuuenem sedentem à dextris.* Si igitur exterior lapis est, quem reuolutum dicit Matthæus, etiam ille est, super quem angelus sedit. Nam quod dicitur; *Et sedebat super eum*, non potest intelligi de alio lapide quam illo, quem reuoluisse dicitur. Nisi enim vim textui inferamus: non alio modo interpretari possumus: Quam & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum, quem reuoluerat.

§. 3. Superest igitur vt apparens difficultas explicetur, ob quam hæc omnia disputantur, quomodo Matthæus dicat extra, Marcus, & alii intra sepulchrum angelum visum, & locutum mulieribus. Nec probanda sententia est eorum, qui Matthæum, & Marcum diuersos mulierum aduentus recensere opinantur. Nam vterque summo mane egressas, vidisse tum primo reuolutum lapidem, ac angelos alloquentes docet. Mittuntur primo alloquio ad discipulos.

Facili ratione exponi & conciliari verba Euangelistæ videntur posse. Si dicamus angelum postquam reuoluit lapidem, & super eum sedit, vt custodes pauore percelleret, ante discessisse à lapide & sepulchrum intrasse, quam mulieres aduenerint, difficultas autem ex eo nascebatur, quod foris supra lapidem sedens angelus mulieribus locutus videbatur. Hæc sententia ex tribus Euangelistis colligitur, & Matthæo non repugnat. Marcus respexisse ait, & vidisse reuolutum lapidem, de angelo mentio nulla nisi postquam ingressæ sunt monumentum. Sic Lucas; *& inuenerunt lapidem reuolutum à monumento, & ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu*, & factum est, dum mente consternatæ essent de isto: *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*: Ecce dum foris sunt, non instruuntur ab angelo, sed consternatæ sunt, ἐν τῷ ἀπορεῖσθαι, *dum dubitant*, & valde perplexæ sunt, donec intus de resurrectione audiunt. Eodem modo Ioannes Magdalenam ait, *vidisse ablatum lapidem.* Ex his constat mulieres intra sepulchrum visionem angelorum vidisse, nec milites audisse, quid loquerentur.

Angelus super lapidem sedit.

Hæc Matthæo nullo modo repugnant. Non dicit ille angelum foris extra sepulchrum locutum mulieribus, aut inuentum super lapide. Sed narratâ historia de gestis angeli, qui d mulieribus dixerit, sine loci circumstantia explicat. Ex verbis tamen Matthæi colligitur, angelum, dum loqueretur, in sepulchro seu spelunca fuisse. Dicit enim Δεῦτε, ἴδετε, *Huc accedite, videte.* Δεῦτε est hortantis, vt ad eum, in quo est is, qui aduocat, locum veniant. Δεῦτε ἄγετε δεῦρο ἐλθόντων. *Huc agite, adducite Argiuam Helenen.* Non autem diceret angelus sedens super reuolutum lapidem longiusculè à sepulchro, *Huc accedite*, videte locum vbi positus erat Dominus. Sed ἔλθετε ἴδετε, *illo, intro scilicet, ite, videte.* Nec locum tantummodo angelus, sed vultum etiam mutauit. Nam apud Matthæum dum sedebat super lapidem erat ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπή, *forma*, seu *vultus eius vt fulgur*, quo milites percellieret, & prosterneret, at quando cum mulieribus locutus maiestatem illam terrificam vultus deposuit. Nam cæteri tres Euangelistæ de fulgurante vultu tacuerunt, de solo vestium splendore meminerunt. Marcus, *iuuenem coopertum stolâ candidâ.* Lucas *viros in veste splendenti.* Ioannes, *Angelos in albis fuisse dicit.* Vt ergo pauorem mulieribus demerent, lucem vultus, qua militem terruerant, posuerunt. Nec minus id doceretur ex verbo ὧδε, hic, quod minus commode diceretur, si à sepulchro angelus abesset.

VERSVS 6.

Non est hic: surrexit, sicut dixit. Venite & videte locum, vbi positus erat Dominus.

QVÆSTIO I.

An illa verba: Non est hic: Surrexit enim, veritatem Eucharistiæ tollant?

§. 1. CAluinus vltimâ admonitione ad Westphalum. Hæc verba contra realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia detorquet. Infirmam enim esse consequentiam vult, si vnum corpus esse potest in pluribus locis. Potuit enim surrexisse, atque etiam hic esse.

Respondeo. Angelorum firmam esse consequentiam. Mulieres quærebant in sepulchro mortuum, quem vngerent, quibus respondent; non esse hic mortuum, non egere illo officio, surrexisse enim, & viuere. Nec hoc mulieres quærebant; an in pluribus locis esse posset, sed an surrexisset? Quod si miraculo in pluribus esse locis vellet, ad eas non pertinebat. At constabat naturaliter Christum vno in loco esse: vti & nunc est, esse in sacramentali præsentia, in sepulchro illæ minime cogitabant: & certum erat non esse; nemo enim ibi sacrificium obtulerat. Certa igitur erat consequentia.

Christi corpus, sed Christus, non est nisi vno in loco naturaliter, & supernaturali modo in sacramento, surrexit hinc atque abiit, non est ergo hic naturaliter, nec in Sacramento, nullo igitur modo. Verum non credo ad eas disputationes adeo Metaphysicas pertenisse mulieres. Sciebant enim ita resurrecturum, vt non maneret in sepulchro. Hoc enim Psalm 15. 10. & prædictum erat à Prophetis, & exponit Petrus Actor. 2. à v. 24. Fore vt Christus ita resurgeret, vt non modo aliis in locis viueret, sed etiam in sepulchro esse desineret. Hoc si Caluinus credit, frustra consequentiam angelorum cauillatur. Sensus est enim: Christus Iesus reduiuus surrexit, ideoque hoc loco quærendus non est. Nec obstat, quod Deus corpus eius pluribus in locis collocare possit. Nec enim hic quid fieri possit, sed quid futurum Prophetæ prædixerint, spectandum. Prædictum autem est ita illum resurrecturum, vt sepulchrum vacuum relinquat. Quæ Propheta cum falsa esse non possit, firmissime argumentum angeli concludit. *Surrexit, non igitur est hic.* Porro non repugnare rerum naturis, vt vna eademque res in diuersis locis, facile colligimus, quod nulla sit contradictio. Nec Dei manus abbreuiata sit, vt si quem in Europa hominem creauit, non possit eriam eundem in India facere. Nec enim ille in Europa viuens sibi ipsi obsistit, quo minus possit, in India existere. Nec Dei potentiam minuit, quo minus possit in India creare, quod ante poterat.

VERSVS 8. 9. 10.

Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno currentes nunciare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. ite nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.

QVÆSTIO I.

Quis ordo apparitionum sit?

§. 1. DIscrepantia quæ in Euangelistis apparet explicanda est, & ordo certus constituendus inter apparitiones, quæ controuersæ.

Matthæi narratio in eo consistit: vt dicat Mariam Magdalenam, & alterã Mariam venisse ad sepulchrũ, ab angelo de resurrectione edoctas, iussas eam annunciare discipulis, obuiam factum Iesum, ab illis adoratum, mandasse vt dicerent fratribus, vt irent in Galilæam.

Marcus cum ista narrasset subdit: *At illæ exeuntes fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pauor. Et nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Illa vadens nunciauit his qui cum ea fuerant, lugentibus, & flentibus; Et illi audientes, quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt.*

Lucas, *Et regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illi vndecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant.*

Ioannes Magdalenam *cucurrisse, & Petro, & sibi nunciasse*, non de resurrectione: sed *Tulerunt dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Deinde 14. videt Iesum cum ad monumentum maneret plorans. & v. 18. nunciat discipulis: *Quia vidi dominum, & hæc mihi dixit.*

§. 2. Ex his difficile est ita contexere ordinem historiæ, vt non variæ quæstiones, & difficultates occurrant. Conuenientissima est ratio, quam subijcio. Summo mane domum egressæ mulieres ad sepulchrum orto sole, hoc est aurora spargente polum ita vt adhuc tenebræ essent: mulieres alii plures alii pauciores recensent: In via de lapide amoliendo deliberant, quod maior esset, quam vt remoueri posse ab illis videretur, quodque instrumentis ad id necessariis destituerentur. De custodia sollicitæ minime fuerunt, quæ tamen vel maxime fuissent impedimento, nec enim accedere, necamoueri saxum, rumpique sigillum publicum permisissent milites, nisi angelus illos tantum non exanimasset. Vel igitur ignorarunt appositam custodiam esse, quod vix credibile est, in tanta totius vrbis exspectatione, cum pridie sacerdotes ea causa Pilatum adierint, custodes constituerint, lapidem obsignarint: nec sabbato vetebantur vrbe exire, cum igitur pridie sabbati aromata parassent, fieri vix potuisse videtur vt ignorauerint, præsertim aliquot discipulorum centuriæ Ierosolymis versarentur, adeoque in templo orarent. Dicendum igitur eas existimasse custodes diuina potentia reprimendos, ne à pio opere impedirentur, multa enim miracula viderant, & Christum Deo gratum esse non ignorabant.

Dum respiciunt vident reuolutum lapidem, & monumentum apertum. Ingressæ autem non inuenerũt corpus Iesu. ita omnes Euangelistæ testantur. nec repugnat Ioannes, qui solius Magdalenæ mentionem facit, illa enim in hoc obsequio principatum tenebat. de angelorum numero ante dixi. v. 5. §. 1.

Viso sepulchro vacuo, auditisque angelis magno gaudio & pauore festinant vt apostolis & discipulis lætum adferant nuncium. Non rediit sola Magdalena, nec antequam angelum audiret, sed cæteræ etiam mulieres. Ioannes solius Magdalenæ meminit, quia feruentior præcucurrit, vt nunciaret. Nam Matthæus ait, ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι, *currebant nunciare.* Et Marcus eodem modo, qui cum ait, *nemini quicquam dixisse*, de custodibus, obuiisque etiam notis intelligendus est, ad apostolos enim festinabant. Idem etiam Lucas habet, & nominat eas quæ à monumento redierunt. Omnes vero mandatum ab angelo acceperunt, vt nunciarent, nec vni alicui facile crediturierant, qui ne omnibus quidem consensu nunciantibus credere voluerunt. *Omnes vna, nec antequam angelum audiret, sed cæteræ etiam deunt, dux est Magdalena.*

Nunciarunt autem omnia, vt constat ex Luca. ἀπήγγειλαν ταῦτα πάντα τοῖς ἕνδεκα, *nunciarunt ista omnia vndecim.* Omnia inquam, lapidem reuolutum, custodes semimortuos, sepulchrum vacuum, asseuerationem angelorum. Quod vero Ioannes ait, Magdalenam dixisse: *sustulerunt dominum, & nescimus vbi posuerunt eum*; non est signum alia illam non dixisse, sed hoc præcipue dixisse, & hoc de vacuo sepulchro cordi fuisse audientibus. Hinc apparet eas in via dubitare cœpisse de visione angelorum. Credebant dominum resurrecturum, sed an iam surrexisset dubitabant. Nam Lucæ 24. 8. *Recordatæ sunt verborum eius:* nempe Christi prædicentis se resurrecturum.

His auditis discipuli non crediderunt, sed deliramentum esse putarunt earum verba. Petrus tamen & Ioannes ad monumentũ currunt, vacuum inueniunt, angelum non vident. Ioannes his visis credidit, vt de se testatur c. 22. 8. Apostolorum principes secutæ sunt mulieres iterum, ad monumentum certius aliquid cognituræ. Dum autem discipuli redeunt πρὸς ἑαυτούς, ad ædes suas, sociosque, cœteræ mulieres discurrunt, vt videant, an indicia aliqua corporis asportati appareant. Nam cum viderent apostolos non credere, sed fabulas putare, illæ magis etiam dubitare cœperunt, vt quæ angelos nullos viderent amplius, sperabant enim, Petrum & Ioannem inuenturos fuisse angelos. Maxime igitur tum fides concussa est, cum se illusas timerent. Itaque Magdalena mœrore, & amore ad consilii inopiam redacta, ad monumentum stat plorans, & vt fit se inclinans prospicit, & duos angelos videt, vnum ad caput, alterum ad pedes sedentem. Qui cum quæsissent, quid ploraret, illaque respondisset: sustulerunt Dominum meum, antequam angeli respondissent, aduenit Iesus, & sese manifestauit, iussitque discipulis dicere. Tum illa cœteras accedens, quæ aliis horti locis erant, vidisse se dominum affirmat, simulq; iam eant vt apostolis indicent. Tum iterum occurrit illis Iesus, & dicit, auete, χαίρετε. vt est apud Matthæum. 11. 9. *Petro & Ioanne ad monumentum euntibus se adiũgunt.*

Matthæus itaq; intermedia omittit, nempe primam denunciationem factam discipulis, aduentum Petri & Ioannis ad sepulchrum, factamque ibi apparitionem Magdalenæ. Satis enim habuit dicere mulieres ad sepulchrum venisse, angelos primum, deinde dominum vidisse. Ioannes totus in eo est, vt ostendat Petrum & se testes fuisse oculatos. Et Petro quidem eadem die apparuit, sed quo tempore factum sit in-

certum est. Atque hæc de apparitionibus maxime controuersis.

§. 3. Nec obstat Græcus textus vers. 9. apud Matthæum. Hæc enim verba: ὡς ἔπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, vt autem ibant nunciare discipulis eius. Hæc inquam omittenda sunt ex glossa alicuius inserta. Nam ostendit id quod additur in omnibus libris καὶ ἰδοὺ. & ecce. nam nisi verba illa omittantur, καὶ delendum, est, quod tamen in omnibus libris inuenitur. In vetustissimo manuscripto Collegii Molsemensis illa verba omissa sunt. Syrus etiam omittit. Beza etiam licet addat, fatetur tamen in suo vetustissimo abesse codice. Franciscus hæc in notis habet: *Sequitur in regio, & plerisq; omnibus codicibus;* ὡς ἔπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, *vt autem ibant nunciare discipulis eius, quod quanquam etiam apud Euthymium, & Theophylactum legatur, non dubito tamen quin sit omittendum. Imprimis enim interpretes Latinus, & Syrus non legerunt, vt neque Latinè, neq; Syriace additur. Deinde non tantum latini patres omittunt, sed etiam Chrysostomus, cuius hic est commentarius. Cum igitur exiuissent cum timore & gaudio, & ecce Iesus occurrit illis. Ad hæc Parisienses ex 2. exemplari transfigunt illa verba.* ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. *& forte obeliscus errore delapsus est in hæc posteriora verba, cum esset collocandus ante* ὡς ἔπορεύοντο. *Præterea his sublatis manet integra sententia, additis autem dure cohæret sententia,* καὶ ἰδοὺ ὁ Ἰησοῦς. *Postrema videntur addita hæc verba ab iis qui intellexerunt occursum Iesu de quo loquitur versus nonus subsequens, accidisse, cum mulieres irent nunciatum discipulis.*

Corrigendus textus Græcus.

Græca lectio vitiosa.

Denique, hæc verba addita pleraſque difficultates pepererunt: Non enim potest ordo historiæ sine magna perplexitate constitui, si mulieribus occurrit Dominus antequam Petrus & Ioannes venerunt ad monumentum. Nam cum his fuit etiam Magdalena. Si igitur vna tantum vice ad sepulchrum venerunt, semel tantum Apostolis nunciarunt, non possunt cohærere, quæ referunt. Nempe *Tulerunt Dominum, &c.* Ioan. 20. 2. & v. 18. *Vidi Dominum, & hæc mihi dixit.*

VERSVS 11. 12. 13. 14. 15.

Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotũ omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam, &c.

QVÆSTIO I.

Quomodo fidem resurrectionis tollere sacerdotes conati sint?

§. 1. Milites narrant omnia quæ facta fuerunt. Nã & angelos viderunt, & mulieres, a quæ forte etiam Dominum illis colloquentem. *Missi sunt quidam de custodibus*, qui referrent, cæteris ad stationem redeuntibus, ne desertæ custodiæ rei esse viderentur. At tantum abfuit, vt inimicis commouerentur, vt ea supprimere mendacio conentur. Grandi enim pecunia, mendacium maiore stultitia emunt. Quanta enim est stultitia, credere milites omnes, & semper tacituros? Quin ipsi milites se pecuniam accepisse vt mentirentur, confessi sunt. Nec dubiũ est rem veram à centurione relatam Pilato. Iudæos egregie conuincit Chrysostomus, quem lecto hoc loco consulat.

Insania Iudæorum.

§. 2. Quod si quispiam consideret in vigiliis & excubiis Romanorum diligentiam, prudentiam, seueritatem, non facile dormitasse credet. Morte somnus etiam hodie luitur. Nec exiguus numerus fuit, Petrum in carcere carenatum, seruant quatuor militum quaterniones militum, qui cum euasisset, iubentur duci, integram centuriam sepulchri custodiæ additam vt credam facit sacerdotum timor, diligentia, sollicitudo, si enim ad capiendum missa cohors est, & Tribunus & sacerdotum ministri, non minore cura seruatum est sepulchrum. Cum enim scirent multos eius esse discipulos, multos amicos, nec parum conturbasset Iosephi, & Nicodemi constantia, qui corpus de cruce depositum tam honorifice sepeliissent, timuerunt, ne viri nobiles, & potentes, nisi sufficiens addita fuisset custodia, etiam inuitis auferrent. Cum igitur omnia talia sint, vt fidem nullam mereantur, magna cæcitas est Iudæorum tam insulso commento credentium. Nam omnes milites ita dormiisse, vt nec aduenientium strepitum, nec lapidem remouentium labores audiuerint, vt ne vnus quidem fuerit excitatus, ita absurdum est, vt non nisi stulto persuaderi possit. Quod si tamen illud concedimus, vnde dormientibus, nihil audientibus, nihil videntibus constitit discipulos cadauer furatos?

Insulsum mendaciũ Iudæorum.

§. 3. Longinum centurionem sepulchri custodiæ præfuisse Meraphrastes narrat 15. Matth. Vide Lipoman. T. 6. Sur. T. 2. *Postquam sepulturæ mandatum fuit viuificum Christi corpus? Longino centurioni rursum vitæ Pilatus vitæ sepulchrum tueri custodiæ militari. Et ille quidem fecit, quod erat imperatum, et fiesset eiusmodi cum Pilato sententiæ, vt iam diximus. Cum autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, & milites miracula, quæ erant maiora, quam vt ea caperet humana cogitatio, principibus sacerdotum & presbyteris Iudaici cœtus annunciassent, hoc illi ignominiam & dedecus sibi afferre existimantes & miraculum volentes extinguere, pecuniis persuaserunt militibus. Vt calumniarentur Christi resurrectionem. Verum non sic Longinus,* Longinus testis veritatis. *sed mendacij quidem fuit præclarus confutator: Verax enim testis veritatis, vt qui non sustinuerit calumniari Christum veluti tanquam furto subreptum; sed lingua & mente liberata eum verum esse Deum prædicauit, & e mortuis esse excitatum affirmauit. Quo factum est, vt & ipse Pilatus, & Iudæorum Synagogæ princeps, inuidiam qua prius mouebantur in Christum. & quem in eum animo concipiebant furorem, eum nunc in Longinum transferrent, ei adeo irascentes vt quidquid paterentur Longinus, existimarent, eum nõ satis daturum esse pœnarum. Hinc ea res deuenit ad aures Longini & eorum ira fuit ei significata.*

§. 4. Non fuit erroris aut imbecillitatis, sed destinatæ malitiæ: Iustinus q. 108. ἐγερθεὶς ὁ ἐκ τῶν νεκρῶν ἔστω τῷ Θεῷ ἐδείξε τῶν νομιζομένων κατὰ χρῖσε Ἰουδαίων, κατὰ ἀλήθειαν ἅγιοι οὖσαν. ἐπειδὴ οὐκ ἦν μὴ τὸ ἀνασῆναι τὸν νεκρὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ δεῖχθῆναι ἀπὸ Θεοῦ, συμπνοῆς, γεγονότα τοῖς Ἰουδαίοις ἐν τῷ βαπτίσματι χρῖσε, μὴτε τὸν χρῖσον ἀνεξεπτωκέναι, ἐν τῷ βαπτίσματι κατὰ τὴν προσδοκίαν τῶν αὐτὸν σωζομένων, ἐν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις ἐν τῇ ἀπειθείᾳ μένειν. διὰ τοῦτο ὀφείλαν συγχωρεῖν ἄξιοι. τὸ γὰρ ἐξαρνεῖσθαι αὐτὸ τὴν ἀνάστασιν, καὶ πλάττειν τὸν νεκρὸν, καὶ κωλύειν τοὺς ἀποστόλους, ὅπως τὸ βάπτισμα αὐτὸ μὴ ἐκπλήσῃ θεία ἔργα ἐν τῷ δωρεᾷ τοῦ ἁγίου πνεύματος γινόμενα, ὃν ἐστιν ἀκούσιον ἁγνοίας συγχωρεῖν ἐφέλκομένης, ἀλλ' ἐκουσίους. ἅμα δὲ πᾶσιν τὴν ἐλπίδα ἐσωρώσαν τὸν χρῖσον οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ μὴ χρῆσθαι τῇ διδασκαλίᾳ, αὐτὸ, καὶ τὸ μὴ λυθῆναι τὸν Ἰουδαϊσμὸν, πῶς ὃν ἐστιν ἀμφοτέρων ὄντων χαλεπὸν τῶν Ἰουδαίων κατὰ χρῖσε ἀκουσίᾳ ἁγνοίας. Resuscitatus ergo e mortuis à Deo Christus, illam quæ contra eum habita erat ratio, reuera ignorantiam fuisse ostendit. Quandoquidem igitur post resurrectionem Domini à mortuis, & post probationem sui ostensionem, neq; Deum suffragatorem Iudæis fuisse in morte Christi, neq; Christum citra resuscitationem in morte manifestum secundum eorum spem, qui illum crucifixerant, Iudæos ipsi adhuc in incredulitate & inobedientia perseuerarunt: ob hanc ipsam causam venia fuere indigni. Quod enim argentum dederunt, vt resurrectio eius premeretur, & pro furto in vulgus spargeretur; atq; Apostolos prohibuerunt in nomine ipsius diuina perficere, quæ vi & efficacia Spiritus S. edebãtur opera, nõ est præter Voluntatem obuenientis & ventã secum ferentis ignorantiam, sed de-

sed destinata & voluntaria supplicium mq; secum trahentis aduersus Deum rebellionis. Nam si ea spe Iudæi Christum cruci affixerunt, vt ne doctrina eius inualesceret, & Iudaismus ne abrogaretur: quomodo cùm vtriusque spei euentu deciderint, quæ præter voluntatem obuenit aduersus Christum ignorantiam ipsorum, ea res non coarguit & refellit?

Et Turon. lib. 1. cap. 21. ex actis Pilati ad Tiberium missis. *Apprehensus inquit & Ioseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipsis sacerdotum principibus custoditur, maiorem in eum habentes sæuitiam (vt gesta Pilati ad Tiberium missa referunt) quam in ipsum Dominum, cum ille à militibus, hic à sacerdotibus custodiretur. sed re urgente Domino custodibus visione angelica territis, cum non inueniretur in tumulo: nocte parietes de cellula, in qua Ioseph tenebatur suspenduntur in sublimi; ipse vero de custodia, absoluente angelo liberatur. parietibus restitutis in locum suum. Cumq; Pontifices militibus exprobrarent, & sanctum corpus ab ijsdem instanter requirerent; dicunt eis milites: Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum: sed vt verum cognouimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos filium Dei reddere nunc valemus. Tum illis confutatis, milites ab hac accusatione liberantur. Hæc Gregorius, quæ & in pseudoeuangelio nomine Nicodemi scripto recitata habentur: qualia autem sint ea omnia, fides apud auctores remanet: Nos vero sic ponimus, ne quæ ab antiquis sunt enarrata, inconsulte præterm: sisse videamur. Lector itaque boni consulat, & quod monet Paulus, omnia probet, & quod bonum est teneat.*

Non dubito fabulas adiunctas, nec enim continuo in eorum potestate erat Iosephum captum detinere, cum præsens corpus illi dedisset.

VERSVS 18.

Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

QVÆSTIO I.

Quomodo Christo data omnis potestas?

§. 1. SYrus addit: *sicut misit me pater, ita ego mitto vos,* quod aliunde huc translatum est. Ariani ex his verbis Christi diuinitatem oppugnabant. Athanasius orat. 5. contra Arianos. *Quomodo accepit, si Deus est: aut si necessitatem non habuit?*

Rectè tamen etiam Christus accepisse potestatem dicitur secundum naturam humanam. ἐξουσίαν, seu, vt Syrus habet שולטן *Schuletan*, *dominium*, *imperium*. Datum illi est, vt esset caput Ecclesiæ, Dominus dominorum. Vide Actor. 10. 26. & 42. Ephes. 1. 20. & Pet. 3. 22. Ioan. 16. 33. ita prædictum est Daniel. 7. 14. & Isa. 49. 6. & Vigilium lib. 5. contra Eutycheten. Cyrill. in Ioan. lib. 2. cap. 71. Omnia ista iam nouo titulo meriti possedit, *quia humiliauit semetipsum, obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Possedit iam perfectè factus ipse immortalis, & gloriosus, vti iam ea cœpit potestate, & eam per Apostolos promulgare. Merito igitur ista præfatur, vt meminerint, se à supremo Domino ad seruos illius mitti. εἰκότως, inquit Theophylactus, φησὶν ὅτι ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ γὰρ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἡ πρώην δουλεύουσα, νῦν ἐν χρισῷ ἄρχει πάντων. *Dicit sibi datam omnem potestatem in cœlo; Humana natura quæ prius seruiebat, nunc in regno regnat.*

VERSVS 19.

Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

QVÆSTIO I.

Quid mandat abiturus Apostolis.

§. 1. PRimum est vt doceant. *Docete*, inquit, *omnes gentes.* Apostolorum itaque, & Episcoporum est docere. *Officium enim* primarium hoc est magistratuum Ecclesiasticorum: & optimos quosque pontifices & Episcopos in docendi munere diligentissimos fuisse legimus. Et nunc quoque etsi multa illis agenda incumbant, primas tamen & secundas docendi officium tenet. Idque per se, vel alios, nec concionando duntaxat, sed variis modis. Immerito itaque Caluinus eos esse Episcopos negat, qui docendi munus non exercent; nempe more Caluiniano. [Hinc, *inquit*, discamus Apostolatum non esse inanem honoris titulum, sed operosum munus: ideoque nihil magis esse absurdum, vel minus tolerabile, quam vt sibi laruati homines vsurpent hunc honorem, qui otiosè regnantes, docendi munus à se reiiciunt, à Papa Romano, eiusque cohorte superbe successio hæc iacta ur, quasi communem cum Petro, & eius collegis personam sustineant: interim doctrinæ nihilo maior illis cura est, quam Lupercis, vel Veneris, vel Bacchi sacerdotibus.] *Docere debent.*

Sane 1. Tim. 2. Requirit Apostolus vt doceat, aut sane vt docere possit. *Si* ipse docere aliquando non possit, vt illi sit curæ doctrina, quod fieri videmus accuratissima prouidentia, mittendis in omnem terram, etiam Indias, & Chinam doctoribus.

Nostri quidem omnes Episcopi docent, & docere tenentur, partim per se ipsi, partim per alios. Nec ad docendum necessarium est, cathedram ascendere, & concionari; quanquam hoc faciunt multi, & omnes facere optandum est. Docere non tantum illi solent, qui concionantur, sed quicunque monent, hortantur, errores corrigunt, facienda præcipiunt, omittenda prohibent, idque priuatim, publicè, per se, per suos, voce, calamo, & quod caput est, exemplo bonorum operum, alios ad ea inuitantes. Degeneres igitur non sunt, verum pro suo quisque talento, tempore, occasione docendi munus exequitur. Adrianus Sarauia Caluinianus & Bezæ antagonista, doctores illustres agnoscit, qui nunquam concionati sunt, c. 2. De diuersis gradibus ministrorum. *Varius docendi modus.*

§. 2. Neque tamen eos, qui suo munere non funguntur, excuso, habent suum illi iudicem; & conscientiam, etsi nunc suppressam, olim experientur accusatricem: Magis accusandus Caluinus, & eius asseclæ, qui non missi à Christo, nec ab ordinaria vlla potestate ad docendum, cucurrerunt ad suos errores, depravatis scripturis. Itaque Sarauia eodem in capite, de vocatione quorundam dubitat, qui in Ecclesiis reformatis munere pastorali funguntur, cap. 2. doletque hoc Ecclesiis suis exprobrari, improbat etiam conciliabulum Possiacense qui ministris suis vocationem extraordinariam tribuebant. Quinetiam probat vocationem Ecclesiæ Romanæ, sicut & baptismum, at Beza eam eiicit vocationem, nec aliam tamen habet, nisi extraordinariam; at negat Sarauia, illos ex quæstione quam mouent alii, se posse expedire, qui ad extraordinariam vocationem confugiunt. Et Beza respondit ius Sarauiæ vocationem omnem tollit è medio, cum enim duas extraordinarias vocationes dixisset, *Sine vocatione docent haretici.*

Vocationes Bezanæ.

xisset, aliam à Deo, hoc est, Dei voce, aliam à Deo, hoc est Dei instinctu, totam Ecclesiam suam de impostura, damnauit. Verba Bezæ sunt. [Sed aliam præterea speciem huius extraordinariæ vocationis abs te præmissam, quæ tamen maximi est momenti, in scriptis inuenio, post constitutam etiam Ierosolymitanam Ecclesiam. Hi sunt enim quos Christus non sua voce, non per visionem de qua nobis constet, non per internuncium vllum, siue angelum, siue hominem, sed suo afflatu intrinseco huc & illuc misit. Talis proculdubio fuit illa Philippi, antea diaconi, & post Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersione Euangelistæ hoc afflatu facti profectio in vrbem Samariæ gentis ignaris prorsus Apostolis, nedum vt eo illum miserint. Act. 8. 4. & 5. & 14. Tales & illi ex eadem dispersione.]

Respondeo errore pernicioso vocationes à Beza confundi. Philippus diaconus iam delectus ad docendum erat, vti & Stephanus. Et Deus prædicationem signis confirmabat. Stolidum vero est, tot vocationes in quouis fingere, quoties noui operis imperium à Deo imponitur; nam in generali vocatione singulares comprehenduntur. Et profecto Sarauia illam vocationem violenter expugnat. *Sed speciem illam &c. non admitto. Est enim periculi plena, & noui malique exempli: quam sibi temerarius atque audacissimus nebulo arrogare potest.* Philippus Apostolorum minister missus erat ad docendum. Cyprian. ad Iubaianum. Illi enim qui in Samaria crediderant.

Beza tamen in Belgio & Gallia suis illam tribuit. [Idem quoq; diuinitus factum in aliis Europæ totius regionibus; sed in Gallia præsertim, & in Belgio, testantur eximiorum illorum Dei seruorum historiæ, quorum vocationem martyrii corona sanciuit.]

Imo necessarium arbitratur eo confugere. Et regulas proponit. [Absit igitur vt huic licentiæ longe pernicioſissimæ ostium aperiamus. &. sed vt veram, & legitimam illam ab adulterina summo studio vitanda discernamus: tres proponimus regulas. [illegible] vt ibi demum sit ei locus, vbi nullus est legitimæ vocationis vsus, quem eiusmodi doctor contempsisse videri possit: Alteram vt probetur eiusmodi hominis spiritus priusquam admittatur, &c. Tertiam denique vt sic probati ab Ecclesia cuius ipsi fundamenta iecerint legitime ordinentur.]

Hæc cur fingat, causam subdit. [His inquam quasi cancellis, istam de qua nunc agimus extraordinariam vocationem circumscribimus, nunquam illam alioqui approbaturi: Et sic à falsissimis aduersariorum calumnijs beatos illos Dei seruos asserimus.]

Nihil errori palliando ista velamenta proficiunt. *Quilibet missum se fingere potest.* Quis enim credere poterit doctori nouo, suas cogitationes promenti, si à Deo se missum profiteatur, nisi signa & prodigia vocationem confirment? A Deo se excitatum clamat Beza, & Dei se spiritum habere, nec miraculis probat, nec vitæ innocentia. At dicet: Nulla erat legitima vocatio, in eo loco in quem veni. Quam hoc periculosum sit, nemo non videt. Vocatione destitui Ecclesiam inuasori promptum est calumniari. Nec tamen inde consequitur tibi esse subiectam Ecclesiam, quæ pastore vacat. Non ideo tibi in illã ius est, si alteri nulli est. Non est Ecclesia primo occupantis, sed legitime ingredientis. In multis hæreticorum, & gentiũ Ecclesiis nullus est pastor legitimus, nec tamen idcirco cuilibet potestas illos docendi.

At spiritus docentis probandus est. Qui obsecro iubebantur probare? Non possunt auditores rudes, scripturam legere nescientes; non possunt, ne quidem docti; non enim omnibus est data spirituum discretio. Non facile omnia scrutari possunt. Quam vero hoc ridiculum, vt cum aliquis interno Dei spiritu se afflatum professus fuerit, iaciat Ecclesiæ fundamentum, hoc est, suis opinionibus imbuat pagi, aut oppidi alicuius incolas, illi deinde suum pastorem ordinent. Fanaticus ille Ecclesiam fundet, illa vero sibi ministrum imponat. Quid hoc aliud est, quam vt dicat, populum ab aliquo congregari, deinde ab eo populo sibi pastores præponi. Hoc enim in politica quidem gubernatione fieri potest.

§. 3. Iucunda est non modo, sed vtilissima etiam narratio apud Sarauiam c. 2. de variis gradibus ministrorum, qua ostenditur, quid vocatio illa interna, etiam in mediis erroribus monstrorum pariat. Tandem, inquit, *inuenti sunt quidam, qui se Spiritus sancti numine incensos crediderc, & extraordinem vocatos ad eos liberandos, qui in custodia tenebantur; simul & ad stabiliendam disciplinam ecclesiasticam. Eorum hæc sunt nomina. Edmundus Coppinger, Henricus Arthington, & Willielmus Hacket. Coppinger primus incepit, sese dare precibus & ieiunijs: & ea pro se fieri postulare à fratribus, ministros verbi Dei consulebat; quibus quam se sentiret intus incitari à Spiritu sancto confitebatur, ab eis consilium petens. Alij nullo modo probabant hominis insaniam, rei magnitudinem & pondus reputantes; ad quam non iudicabant Coppingerum esse satis idoneum: atque deterrebant eum quantum poterant. Alij frigidius & timidius, veriti, ne, si probassent, & res parum succederet, in periculum legum incurrerent, tanquam participes. & approbatores pernicioſi contra rempublicam consilij, metuebant enim ne spiritum extinguerent & prophetiam prohiberent. Alij furioſi in amentia sua confirmarunt: nescio quid magni ab eis expectantes. Tamen hic Coppinger se suaq; consilia cupiebat omnibus probari fratribus, & inprimis viris doctis, nempe quos addictos nouerat disciplinæ Genuensi (nec enim alios aut fratres aut doctos æstimabat) quibus & has quæstiones proposuit. An [illegible] tempore in Ecclesia extraordinarij operarij & adiutores sint [illegible] illi Apostoli siue Euangelistæ, siue prophetæ vocentur, vnus aut plures vt opus erit, qui tanquam Nazarei & admonitores modo speciali existant. Si qui tales sunt, num eorum vocatio, non sit proxime à Deo, quam & ipsius spiritus obsignet in eorum mentibus, à quo eximium illud donum habent: nempe gratiam, sapientiam, scientiam, animi robur, magnanimitatem, zelum, patientiam: & humilitatem, quibus eorum vocatio manifesta fiat ecclesiæ. Et quando hæc dona in quopiam apparent, vtrum Ecclesia debeat esse sollicita de euentu, quem Deo visum erit dare. Quod si id licet Ecclesiæ, qua ratione & modo agendum sit cum eo, qui extraordinariam illam habet vocationem. Hoc concesso, vsque ad finem seculi futuras extraordinarias & immediatas à Deo vocationes. Num non inueniantur in illis locis, vbi Euangelium quidem annunciatur & sacramenta aliquo modo rite administrantur, quamuis non vbiq; sed hic atq; illic non perfecte, sed ex parte: & vbi vera disciplina non est constituta sed oppugnata à magistratu, sirespondsum fuerit, extraordinariam vocationem non exspectandam, nisi in vastitate & desolatione Ecclesiæ, quæritur num vastitas & desolatio ecclesiæ dicenda [illegible]sit, quando primipes & præcipui magistratus adeo ignarant, vt nesciant, quã sit necessaria, vera Ecclesiastica disciplina, sed ei repugnant & persequuntur eos, qui eius sunt studiosi: Vnde fit vt quiuis improbi admittantur ad publica verbi Dei exercitia, & ad communionem cœnæ Dominj. Vtrum inquam sperare liceat Deum, (ad laudem & gloriam nominis sui & vtilitatem Ecclesiæ) posse aliquem extraordinem vocare, conferendo ei Spiritum sanctum plenius, & abundantius quam cæteris, vt in nomine Dei agat cum magistratu, vt curent populum vbique docendum, & veram disciplinam exercendam in populo iam prius edocto. Vtrũ vbi Pastores, & Doctores, & Seniores & Diaconi, & Diaconissæ nulli sunt in Ecclesia constituti, sed tantum minister vnus populo est obtrusus qui sit eorum Pastor, nec ab eis electus, nec eũ gratus, dici & haberi (etiam si ea dona Dei, & gratiam Spiritus sancti habeat, quæ in illa vocatione requiruntur) legitime ad ministerij Ecclesiastici functionem vocatus debeat.* Coppinger ex doctrina, de extraordinaria vocatione has theses siue quæstiones hauserat; persuasus se moueri & incitari à Spiri-

à Spiritu sancto ad res magnas, sicut olim prophetæ & iudices à Deo legebantur excitati, qui rempub. componerent, & errantem populum in viam reuocarent. Quamuis multi hominem ab initio priuatum, tum publicè deterrerent ab his furoribus, ipse tamen confirmatus ab aliis quibusdam; nec destitit donec multos socios, cū quibus plenius insaniret. Causam prætendebat esse Dei & eorum qui in custodia detinebantur, vt pote fidelium Dei seruorum liberationem, & veræ censuræ Ecclesiasticæ constitutionem. Quidam Penry tribunitius & verè seditiosus concionator nulla ordinaria vocatione fretus, aut vlli officio præpositus, sed prætextu Genuensis disciplinæ promouendæ, huic incendio inspirabat è Scotia, quo fugerat: vnde sub id tempus, quo suam tragœdiam Coppinger cum sociis agere inchoaturus, redierat: & Londini, aut in vicinia latitabat. Quidam ex illis concionatoribus, quos custodiæ mandarat Domini Consiliarij nomine Wiggington, hunc Coppingerum è furno reddebat insanum, aut ex insano furentem: ille illum commendauit, insignem nebulonem & hypocritam Willelmum Hacket, qui iam pridem, postquam sua & quorumdam omnia, decoxerat; & conuersus à prurioribus illis concionatoribus ad meliorem frugem videri volebat, se etiam (si Deo placet) extraordinariè à spiritu Dei incitatum aiebat, ad reformationem non tantum Ecclesiæ, sed etiam Reipub. Inter hos amicitia & familiaritate, dignum est patratum scelus: postquam Coppinger non iam collegam habuisset, sed ducem erat consecutus; eu quidam tertius Wigginton dementatus hypocrisi istorum, accessit: funiculus enim triplex difficile rumpitur, nisi sit putridus. Fertur hic Hacketus in concipiendis ex tempore precibus, adeo excelluisse, vt Dei spiritu eum totum ardere, & ab eo ipsius regi linguam, illi loquenti: & adeo in sui rapuit admirationem, vt nihil non putaret, non posse credere à Deo obtinere: proinde quidlibet à se posse perfici. Quamuis initio præter Ecclesiæ reformationem, & regni & Reginæ salutem, moliri se testarentur, postea tamen multiæ priuatim contra regiam maiestatem, & vbi consiliarios, maledicta euomebant, tanquam spiritus illi prophetico: videlicet ipsam esse impiam, & regni iure excidi. Quam autem impotenti odio ferretur in optimam illam principem Hacketus, palam fecit quando insignia regia parietibus insculpta, aut radebat, & confodiebat. Dominos Consiliarios regina solis propriis nominibus, nullis additis honoris cultum titulis significat. Tandem primas partes huic tragœdiæ in hac fabula dederunt: & ipse duos comites suos proposuerunt, cuique propriam designans pronunciam, vt Edmundus Coppinger gratiam & misericordiam Dei offerret populo, Henricus Arthington vero, æternam damnationem, iram Dei, nolentibus ipsis credere, denunciaret. His ita constitutis, & consilio suo communicato cum Wiggintono captiuo, quadam die mane horæ octauæ, Hacketum adhuc in lecto stratum eum venere consalutatum regem: Coppinger vnctus tum ta regem, te pronus in terram procidit: adsurgens ad eum Hacketus propius accessit, qui extenta manu è lecto, illarum Coppingeri apprehendit: nihil, inquit, mihi vnctione tua opus est, ego sum vnctus à Spiritu sancto vnctus sum. Cum Coppinger eum interrogaret quid fieri vellet, ire (inquit) & cunctis verbi Londini nunciare, Christum Dominum è cœlis descendisse cū ventilabro in manu sua, vt iudicet orbem. Quod si quis vos roget vbi sit; dicite eum esse in ædibus Walkeri in Fletheanglorum, credere nolunt, veniant huc & me si possint, accipiant: mora, respondit Coppinger, in nobis nulla erit, sed nobis labes: & confestim Coppinger abijt: quem subsecutus est Arthington. Vix dum egressus illam domum cœpit clamare Coppinger, de cœlo nouæ immensæ commiserationis diuinæ se adferre, Iesum Christum de cœlo descendisse. Qui sequebatur Arthington idem repetebat, & confirmabat: atque ita per vias & vrbis plateas progrediebantur, ad quos concursus populi fuerit, non est. Et cum in publicam & maxime frequentem vrbis plateam, vocatam Cheapside, deuenere iuxta Pyramidem illic erectam, tanta populi multitudo conuenerat, vt progredi amplius possent, earum ibi vacuum consecerunt, & inde ad populum cœpere concionari vociferantes, singulare-

sipisce, resipisce Anglia. Quinam ipsi essent exposuere populo, nempe se prophetas esse extra ordinem vocatos, vt alter Dei misericordiam, alter iudicium & vindictam prædicaret Hacketum laudibus magnis efferunt, & quod ipsius esset officium exponunt, videlicet qui Christum repræsentet, sitq; corporis ipsius glorioſi particeps, & precipuo ipsius spiritu donatus, vt eius fungatur officio, & ventilabro secernat bonos à malis, & Euangelium per vniuersam Europam, & disciplinam Christianam introducat: iam aduenisse tempus, quo hæc omnia perficiantur. Prætera populo narrabant, vbi Hacketum vidissent, & vbi esset & moraretur: se vero esse prophetas, immediate extra ordinem à Deo missos, vt ei in tanto opere adiutores essent: & hæc omnia affirmabant cum sui ipsorum diris imprecationibus, & execrationibus, optantes confundi, & in æternum damnari, ni res ita esset, vt fuerant locuti. Alter horum Dei misericordiam, & ingentem consolationem, atque ineffabile gaudium pollicebatur omnibus, qui extemplò pœniterent; & hoc Euangelium & oblatam opportunitatem reformationis amplecterentur. Alter autem horrenda Dei iudicia detonabat impœnitentibus & imprimis ciuitati Londinensi, quotquot non credebant, contestabatur corpore & animo esse damnatos: futurum vt homines in mutuas cædes irruerent, & leniendam hominum tanquam porcorum facerent. Hacketum esse Europæ regem, & ab omnibus ei esse parendum, qui hæc Dei iudicia vellent euadere: reginam iure regni sui excidisse, & dignam quæ regno suo priuetur: Consiliarios vero eius, nonnullos esse per fidos regni proditores. Hæc facta sunt 16. die Iulij, anno Domini 1591. Postquam totam ciuitatem murmur complesset, & quid hoc portentum esset, admirarentur, rumor statim ad reginam peruenit, quæ Greenwichij agebat: qui locus à Londino distat, tantum ires aut quatuor mille passus. Ipsa confestim duos Consiliarios ad vrbem misit, qui de re tam insolita quærerent. Quæstionem autem & iudicium hic inferre nimis longum esset, hoc notasse sufficiat, prætextu huius extraordinariæ vocationis & intrinsecùs neminis afflatus, fanaticos istos homines populum concitare, reginam regno suo spoliare, Consiliarios male mulctare, Episcopos trucidare, hunc nouum regem inducere, & Ecclesiam simul & Rempub. transformare, in animo habuisse. Quam autem impudenter se gesserit constitutus coram iudicibus, iste Hacketus, quas blasphemias contra Deum & Dei filium protulerit, horrendum est dictu. Sub carnificis manu constitutus, blasphemo ore ipsi Deo minitabatur nisi auxilium præsens ei mitteret: atque ita in illo suo furore, læsæ maiestatis diuinæ & humanæ reus, morte pœnas dedit. Miser Edmundus Coppinger amentiam simulans capite illiso, & voluntaria inedia sibi mortem consciuit. Henricus Arthington furoris & amentiæ pœnitens, principis clementia vitam retinuit.

QVÆSTIO II.

Quomodo baptizari iubet?

§. 1. PRimum stabilitur hic forma baptismi, quæ est. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Hæc inquam vsu, & auctoritate Ecclesiæ seruatur, eam hodie omnes etiam hæretici vsurpant, nec præcisè tamen his verbis fieri præcipit scriptura: verum scripturæ interpres Ecclesia hisce semper verbis vtitur. Quamuis enim olim Ariani, aliique formam baptismi corruperint, nostri tamen sectarii eam retinent. De Arianis testis est Athanasius de professione regulæ Catholicæ lib. 7. *Quæso iam, quoties tibi iudicium est: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & sancti Spiritus? Aut si hæc contradictionis existimas, eo quod tres vnum donum baptismi operationes nomine Deitatis vniter in Trinitate non continentur, cur tu hoc nomine Deitatis subluto Patris, & Filij & sancti Spiritus baptizas, dicendo: Baptizo te in Patre & Filio & sancto Spiritu, & non in vno nomine? Vt hoc modo artificiose, vnitum nomen eorum tacite in Deitate non nominare, vel abnegare, sed & nomina in personis tantummodo eorum velis assignare. Quæ si sic erat celebrandum baptisma, obtinuerat Arianorum* *Baptismi forma.*

assertio,

assertio, qui sic sentiunt vt vbi nomina in personis indicant, ibi simul in ipsis nominibus, & singulas vel diuersas substantias esse pronuncient, vt vnitatem in concordia tantum charitatis esse assignent, & non potius in vnita plenitudine diuinitatis. Et quid amplius ad hæc? Vnitatis Dei patris nomen, & filij & sancti Spiritus quasi adoptiuum nuper accessisse profiteantur, vt hoc nomen videatur esse ex nihilo, aut ex altero, vel de tempore: quod absit. Nam verum Deitatis nomen vbi nominant, ad vnam tantummodo personam patris hæc dicendo ascribunt, vt veram vnitatem diuinitatis diuidant, qui vbi nomina potius in personis deberent discernere, ibi simul cum ipsis nominibus, & tres naturas diuersas distinguunt, quod absit à nobis, ne istam blasphemiam admittamus, cum vnum nomen Deitatis in Trinitate vniter dictum accipiamus, per quod & remissa peccatorum baptismo operante in nos suscipimus nomina vero tantummodo in personis perfecte distinguamus.

Græci quamuis dicant, Baptizetur seruus Christi, non tamen formam corrumpere sunt dicendi, cum eadem sit omnino sententia. Olim baptismi formam Marcionitæ, & Pauliani corruperunt: de prioribus Iren. lib. 1. cap. 13. Epiphan. hæres. 34. De posterioribus Concilium Nemausense can. 19. Eadem fuit hæresis Montani, itaque ab illis baptizati rebaptizabantur. Vide Castrium v. baptismus. hæres. 2. Feuard. in appendi. v. baptismus. hæres. 2. De Deuterio Ariano, qui Barbam quendam baptizare constituerat, & cum diceret: *Baptizatur Barbas in nomine patris, per filium in Spiritu sancto, aquâ refugiente habet* Niceph. lib. 16. 35. Paulo Iohannitæ seu Attingani formam baptismi illis Christi verbis contineri dixerunt, *Ego sum aqua viua.* De his consule anatom. Caluinian. part. 4. dilem. 163.

§. 2. Caluinus etiam dandum à solis Prædicantibus censet. [Porro cum Apostolis diserte vna cum prædicatione Euangelii mandatæ sint istæ partes, sequitur non alios legitimos esse baptismi ministros, nisi qui iidem simul doctrinam ministrant. Quod ergo priuatis hominibus, imo etiam fœminis permissa fuit baptizandi licentia, quod Christi institutioni minime consentaneum est, nihil aliud fuit, quam mera profanatio.]

Respondeo. Apostolos quidem iussos esse docere, & baptizare, non tamen solos apostolos docuisse, & baptizasse; nam Philippus, & alii id etiam præstiterunt. Alioqui solis id Episcopis concessum esset, quos licet Caluinus non distinguat à cæteris sacerdotibus, multi tamen ex eius asseclis id faciunt. Deinde repugnat sibi ipsi illa hæresis. Non enim à Catholicis apostatas, sectæ illi nomen daturos rebaptizant, aut igitur in Ecclesia Catholica veros ministros agnoscunt, aut apostatas nostros rebaptizare debent. Ministrorum in Synodo Vapincensi decretũ anno 1603. ad se missum testatur noster Gualterius sæculo 16. errore 92. Caluinistarum. Quarto in conferente baptismum, non permittendo, quæcunque tandem vigeat necessitas, vt vllus baptismum conferat, qui minister non sit. Qua de re ecce ministrorum gallorum decretum, anno 1603. in Synodo Vapincensi, præsidente ministro Chamerio constitutum, & ex capite de factis generalibus à me syllabatim exscriptum, quo irritum iterandumq; censent baptismum à proponente (hoc nomine apud Caluinianos vocatur, qui ministerio proximus est, nondum tamen omnino minister pronunciatus) collatum: *Circa quæstionem* (aiunt Synodici ministri) *an baptismus infantium à Proponente, veram vocationem non habente, baptizatorum sufficiat, conuentus iudicat studiose tollendum esse scandalum, quod inde populo obuenire posset: tamen cum eiusmodi baptismus nullius valoris sit, infantem in Ecclesiam Dei introducendum esse per verum baptismum, iuxta Synodi Pictauiensis decisionem.* Si id nõ est anabaptismum profiteri, excusandi pari modo erunt & ab anabaptismo eximendi, quos semper eo nomine damnauit Ecclesia, Marcionistæ, Nouatiani, Donatistæ, Ariani, Eunomiani, Armeni, Schismatici, Græci, & ipsi etiam recentiores, quos & Caluinus peculiari opusculo & eius symmistæ, non pauci, nostra tempestate confutarunt, anabaptistæ. Hic occurrit mihi ingens miraculum quod anno 1579. Amsterodami contigit. Mulier catholica viro Caluinistæ nupta cum peperisset, infantem aqua baptismali à persona laica clam abluendum curauit, certo sibi persuadens, infantem ministro, à viro suo offerendum. Quod vbi clam factum est, defertur infans ad Caluinisticum conuenticulum. Verum ecce magistrum palam in omnium oculis baptizare volentem, vox ita deficit, vt ne verbum quidem proferre queat. Quo miraculo attonitus pater infantem in sinum accipit, vxorem interrogat, quæ, quod erat confessa, respondet infantem more ecclesiæ Catholicæ baptizatum esse: ad quam idcirco & ipse, & reliqua familiæ pars aggregantur. Hoc velim attendant Prætenti reformati simulque intueantur opposita spiritus vertiginis cornua, quibus agitatus Caluinus, nunc pro aiente, nunc pro negante parte decertat. Pro aiente quidem, dum in Epistola 334. ad N. N. scribit. *Ferendus est qualiscunque baptismus.* Et paulo post: *Olim cum vitiata esset religio, haud dubie multis vitiis ac corruptelis implicita circumcisio fuit: quam tamen iteratam fuisse non legimus, cum reuocaretur populus ad purum cultum.* Et in Epist. 87. ad Lælium Zozimum: *validum censet baptismum, etiam quem diabolus administrauerit.* Postquam enim asseruit validum esse Papistarum baptismum, subiungit: *Cum Papistarum baptisma à lusorio distingues fingis tibi responsam, quod tanquam à me datum impugnes. Non reperies in meis literis, scio pendere illius vim ab intentione consecrantis. Tantum nisi fallor ideo dixi efficax, quatenus in hunc finem administratur, vt in Christi corpus nos inserat, vel vt nostræ sit renouationis symbolum, iam nihil mea refert sit ne homo Lucianus qui baptizat, sit ne Diabolus. Tantum enim respicienda est institutio, & constans vsus, qui à Christi mandato, tanquam ex fonte fluxit. Certe non heri primum cœpit baptizandi ritus. Eum nec Papista, nec idololatræ alij excogitarunt. Perperam itaque eum æstimas, nisi ad originem suam eum reuoces. Vtcunque à multis prauis accessionibus vitiatus fuerit, semper tamen stetit hoc fixum, baptizari Christi mandato, In nomine Patris, Filij & Spiritus sancti: Vt sit regenerationis testimonium. Hic est finis quem considerandum doceo.* Imo contrarium sentientes seuere carpit, & catabaptistas vocat, lib. 4. Institut. c. 15. §. 16. *Tales,* inquit, *hodie sunt catabaptistæ nostri, qui ritebaptizatos nos pernegant, quod ab impijs & idololatris in regno Papali baptizati sumus. Itaq; anabaptismum furiose vrgent. Aduersus quorum ineptias satis valida ratione muniemur, si cogitemus nos baptismo initiatos, non in nomen alicuius hominis, sed in nomen Patris & Filij & Spiritus S. Ideoq; baptismum non esse hominis, sed Dei, à quocunq; tandem administratus fuerit. Vt maxime Dei & totius pietatis ignari aut contemptores fuerint, qui nos baptizabant: non tamen in sua ignorantia, vel sacrilegij consortium nos tinxerunt, sed in fidem Iesu Christi: quia non suum, sed Dei nomen inuocauerunt, nec in aliud nomen nos baptizarunt. Quod si baptisma Dei erat, habuit certe inclusam promissionem, de peccatorũ remissione mortificatione carnis, viuificatione spirituali, participatione Christi.* Hactenus pro aiente parte Caluinus, pro qua etiam Beza l. qq. & rr. p. 2. q. 132. Audiam9 nunc eundem Caluinum nõ minus ardenter pro negante dimicantem, & quidem in ea ipsa, quam paulo ante citauit Epist. 334. ad NN. vti paulò postquam dixit: *Si prætus baptizet, manifestam esse baptismi profanationem;* subiungit. *Dubitanter hac de re loquitur Augustinus. Si quis priuatus baptizet, vbi cogit necessitas, aut nullũ est, aut venialis delictũ. Atq; nobis longe pluris esse debet inuiolabile Christi mandatũ, &c.* Et mox: Adulterinum ergo baptismũ censemus,

Baptismus non iterandus.

ritus, qui administratus est à priuato homine. Et postea. *Nunc vbi de vero baptismi vsu admonita fuerit Ecclesia, quod pugnaret cum Christi instituto pro nihilo ducendum esse, ac de integro baptizandus, qui pollutus fuerit profana aspersione.* In Epistola autem 326. ad Mensonem Popium: de baptismo à fœminis (quibus vrgente graui mortis periculo, vt & viris laicis baptizare permittit Ecclesia catholica) administrato sic ait: *Quoniam baptizandi licentia, quam sibi fœmineæ arrogant, nihil aliud est, quam crassa superstitio stulta illa & temere suscepta actio pro nihilo ducenda est. Pastorum ergo officium est eas compescere: interea legitimo baptismo consecrare infantes, qui stulta & præposteræ æmulatione nihil aliud quam polluti fuerunt.* Hæc Caluini manu spiritus contradictionis. Vide anatom.

§. 3. Anabaptistæ etiam eadem verba contra pædobaptismum vsurpant. *Docere* enim & *baptizare* iubet, non ergo baptizandi sunt, nisi qui docentur. Infantes autem docere non possunt; quia nec discere. Nec igitur baptizandi.

Respondeo. Mitti apostolos, vt doceant, & baptizent, quos docere, & baptizare possunt, si quis doceri potest, non autem baptizari, vt illi contigit, qui in arena procul ab omni aqua moriebatur, docere illum tantum, si quis doceri nondum potest, baptizari tamen potest, ol m docendus, cum institutionis capax ætas aduenerit. Non igitur illa duo iungenda sunt, nisi in baptismo adultorum. Doceri enim illos, deinde de religione bene institutos baptizare oportet. Friuolum igitur est, quod hinc deducunt argumentum: solo enim narrationis ordine nititur, qui si tanti putatur, esse, vt baptizari nemo possit nisi institutus, idem de altera parte iudicandum erit, cum dicitur: *Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* Hocenim etsi post baptismi mandatum profertur, non tamen consequitur catechumenos de mandatis non esse instituendos.

§. 4. Sanctissimam Trinitatem hinc omnes sancti Patres, & interpretes contra Arianos, aliosque docuerunt. Est enim locus inuictus, quo trium personarum expressima mentio proponitur. Et tam Ariani, quam Macedoniani hinc arguuntur.

Nam in prima illa in Ecclesiam introductione, initiatione, iustificatione, non est vllius creaturæ inuocatio, neque miscentur in mysterio lauacri, Deus & creatura. Vt Nazianzenus in orat. de Trinitate. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto c. 1. Didymus l. 2. de Spiritu sancto. Fulgent. contra obiect. Arianorum. Vetissime illi docent, nullum εἰς ὄνομα, in nomen creaturæ baptizari. Est autem in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti baptizari, idem, quod auctoritate, potentia, inuocatione, atque adeo consecratione sui ad sanctissimæ Trinitatis cultum baptizari. Sic Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient.* Matth. 18. *In nomine meo congregati.* Ioan. 5. *In nomine Patris mei veni, &c.* Athanasius hunc locum vt inuictum semper opposuit Arianis, contra Arianos oratione 3. & ad pientissimum regem Iouianum, ad Serapionem contra Macedoniũ, de tribus personis, contra Potentinum Vrbicum. De vnita deitate Trinitat. ad Theophilum. de Trinitate. eumque patres omnes secuti in hodiernum vsq; diem vlurpant.

Et de Synodo Arim. & Seleuciæ. Patrem vocati dicit, non ποιητὴν, sed γεννήτορα. Eodem modo Hilar. l. 2. de Trin. Amb. l. 1. de Spiritu sancto cap. 14. adeo vero vetus Ecclesia locum istum magni fecit, vt Theophylactus exclamet: ἀθυνέθωσαν ἐν Ἀρείῳ καὶ Σαβελλίῳ. ἄρειε μὲν καὶ ὁ σὺν εἶπεν ὁ χριστὸς, εἰς τὸ ὄνομα βαπτίζειν, ἀλλ' εἰς τὸ ἑνὸμα. ὄνομα γὰρ τῶν τριῶν ἐν ἡ θεότης. εἷς ἐν θεὸς τὰ τρία. σαβέλλιε δὲ, καὶ ὁ καὶ τῶν τρίων προσώπων ἐμιγνύθη ὁ κύριος. σὺν ἑνὸς προσώπου, ὡς ἰουδαῖος ἰσλυάρει τὰ τρία ὀνόματα ἔχοντος. καὶ ποτὲ μὲν καλουμένου πατρὸς ποτὲ ἢ υἱοῦ, ποτὲ ἢ πνεύματος, ἀλλὰ τριῶν μᾶλλον προσώπων ἓν ὄνομα ἐχόντων, τὸ θεός. Id est. Erubescant igitur Arius & Sabellius. Arius quidem, quia non dicit Christus in nomina baptizare, sed in nomen. Nomen vere trium vnum est deitas, vnus igitur Deus tria. Sabellius vero, quia trium personarum meminit Dominus, non vnius personæ, tria, vt ipse nugatur nomina habentis, quæ aliquando pater, aliquando filius, aliquando Spiritus sanctus vocetur, sed potius est trium personarum vnum nomen habentium, quod est Deus.

VERSVS 20.

Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.

QVÆSTIO I.

An omnia seruanda fidelibus, quæ Dominus mandauit?

Opera fidei iungenda.

§. 1. NOn sola fide contentum esse Deum monet Euthymius, vitam bonam adiungendam esse demonstrat. Eadem tentat hortatur Theophylactus: ἓι τοι εἰπὼν μόνον ὅτι δεῖ βαπτίζειν, εἰς τὸ ὄνομα τῆς τριάδος, τὴν θεολογίαν ἡμῖν παρέδωκεν. εἰπὼν ἢ διδάσκειν, καὶ τὸ τὰς ἐντολὰς τηρεῖν, τὴν πρακτικὴν, ἵνα τὴν ἡμῖν εἰσηγήσατο. Id est. Itaque dicens, oportere baptizare in nomen S. Trinitatis, Theologiam vobis tradit; cum dixit, docendos vt mandata seruarent, practicam nobis virtutem commendat.

Tenent vsque hodie illam fidem græci, sic enim Ieremias patriarcha germanis respondet. *Non ergo in operibus gloriandum est; facere tamen ea, & implere res maxime necessaria, absque diuinis enim operibus salutem consequi impossibile est. Si igitur pareamus Domino dicenti: si scitis hæc; beati estis, si feceritis ea: bene res nostra habebit.*

Lex non est impossibilis.

Itaque de impossibilitate præceptorum diuinorum nostrates sectarii in captiosa Epistola ad Ieremiam, neve. bum quidem fecerunt, & merito erubuerunt apud peregrinos. Quomodo enim Christus iubet omnia seruare, si ne vnum quidem possumus? Quomodo seruari iubet omnia, si lex decalogi abrogata est, Mosaica impossibilis, Christus nullam tulit? Quid vero est ἐντέλλεσθαι præcipere, si nihil Christus mandauit? Quid τηρεῖν seruare, si lex non est posita fidelibus? Refert Lutherus in 1. Genes. fuisse fanaticos, qui legem positam primis hominibus negarint. Quod si verum est, nec tentari, nec peccare potuisse constat. Sic Hæretici Christi in os contradicunt. [Lex nos, *inquit* « *Philippus*, obligat ad obedientiam, vel ad pœnam, & « pœna à filio persoluta est. liberati sumus à maledi- « ctione legis moralis, quia filius Dei persoluit λύτρα, « &c. Non accusat, non damnat lex reconciliatos: ab- « rogata est lex, quod ad maledictionem attinet, non « quod ad obedientiam attinet.] «

§. 2. Et hic quidem perfectus est Libertinismus. Non esse legem positam iustis, vt eam seruarent. Nam primis parentibus iustissimis lex posita est: & eos ita mutauit, vt faceret violata iniustos. Quæro autem an illi qui non seruant omnia ab Apostolis proposita, à Christo imperata saluentur? Si nihil obstat violatio mandatorum Christi nostræ saluti, cur irrita demandat? si seruanda sunt, possunt ergo seruari. Ideo vero lex damnans non ponitur iustis, qui a seruatur. Sanctus Ambrosius. *In corde iusti lex est Dei. Quæ lex? non scripta sed naturalis. Iusto enim non est lex posita, sed iniusto.*

In cor-

In corde eius lex est, non persunctorie sicut in labiis Iudæorum. Corde enim creditur ad iustitiam, qui credit & loquitur; qui autem loquitur non continuo credit. Denique non credidit populus, de quo dictum est. Populus qui labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. *Si igitur gentes cum ea, quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, cognoscentes, quæ sequi debeant vel cauere, quanto magis fideles & iustus, qui ad imaginem & similitudinem Dei viuit, decora nouit & honesta discernere, & vti legitimo quodam naturali sapientiæ gubernaculo, ne eius supplantentur vestigia sicut Esau, quem propter gulæ auiditatem frater supplantauit, vt caderet atque in mortem vestigia eius effudit? Quo magis iustus est quisque, eo magis illi insidiatur inimicus: & ideo ait scriptura.* Considerat peccator iustum, & quærit perdere eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

Lex in corde scripta.

Imo lex posita est in corde iusti; vt & hoc mandatum, vt docerent Apostoli omnes gentes, ita Spiritus sanctus cordibus eorum insculpsit, vt nullis promissis aut terroribus à continua Euangelii prædicatione cessarint. Si Apostolis incubuit necessitas promulgandæ legis, eadem etiam auditoribus imposita est, vt parerent. Quomodo vero lex fidelibus sit posita, & quomodo contumacibus exponit Augustinus in Psalmum 118. concione 11. Post dies illos dicit Dominus dabo leges meas, in mentibus eorum & in cordibus eorum scribam eas. *Ecce quomodo voluit iste legem sibi poni à Domino, non sicut iniustis & non subditis ad vetus testamentum pertinentibus posita est in tabulis lapideis: sed sicut sanctis filiis liberæ, hoc est supernæ Ierusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ, sancto Spiritu, tanquam digito Dei, in mente datur & in cordibus scribitur: non quam memoria teneant, & vita negligant, sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris angustiis. Nam qui timore pœnæ, non amore iustitiæ opus legis facit, profecto inuitus facit. Quod autem inuitus facit, si posset fieri, mallet vtiq; non iuberi. Ac per hoc legis quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate.* Talis non potest dicere quod iste dixit in superioribus versibus, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, *quia illa dilatatio charitatem significat, qua secundum Apostolum legis est plenitudo. Cur ergo iste adhuc poscit sibi legem poni quæ vtique si non ei posita fuisset, non in viam mandatorum Dei in cordis latitudine cucurrisset? sed quia proficiens loquitur, & Dei donum nouit esse quod proficit: quid aliud petit, cum sibi legem poni petit, nisi vt in ea magis magisque proficiat? Quemadmodum si poculum plenum teneas, & sitienti dare incipias: & haurit bibendo & poscit desiderando. Quibus autem iniustis, & non subditis lex in lapideis tabulis ponitur: prævaricationis reos, non promissionis efficit filios. Sed & ille qui eius meminit, nec eam diligit, eo modo. Reus est, quia memoria eius lapis illi est, quodammodo scriptus: non quo adornetur, sed quo prematur, pondus onerii, non titulus honoris.*

* *
*

FINIS COMMENT. IN MATTHÆVM.


CONTZEN
Th
886a

